CAROLI SIGONII
OPERA OMNIA
TOMUS QUARTUS.

CAROLI SIGONII
MUTINENSIS
OPERA OMNIA
EDITA, ET INEDITA,
CUM NOTIS VARIORUM ILLUSTRIUM VIRORUM,
ET EJUSDEM VITA
A CLARISSIMO VIRO
LUDOVICO ANTONIO MURATORIO
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECARIO CONSCRIPTA,
PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
Nunc primùm collegit, ſuaſque Animadverſiones in aliquot ipſius SIGONII Opuſcula adjecit, necnon Indicibus locupletiſſimis exornavit.



TOMUS QUARTUS.



MEDIOLANI, MDCCXXXIV.
IN ÆDIBUS PALATINIS.
SUPERIORUM PERMISSU.



ILL.MO AC REV.MO DOMINO
D. NICOLAO MARIÆ
DE FRANCHIS
ORD. PRÆDICAT.
AC SS. D. N. PAPÆ SOLIO ASSISTENTI
JANUÆ ARCHIEPISCOPO

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.



Um novam Caroli Sigonii *operum editionem, tot illustrium Virorum lucubrationibus perpolitam, instaurare cœpissem, antequam bellorum strepitus Musas nostras ad asperiores curas retraherent, eam ita obsti-*

nato quodam labore continuatam volui, ut quartus ejusdem Tomus paulò ante absolutus in lucem publicam prodeat, si quisquam priorum comptissimus, & rerum, quas complectitur, gravitate ac pretio æstimandus. Libros enim continet de Republica Hebræorum, *qui quantum opis conferat ad Sacras literas intelligendas & explicandas, nemo tam ex nostris, quàm ex acatholicis umquam satìs expresserit, eximias licèt in præstantissimum Auctorem laudes contulerit, & summas quidem contulisse plurimos*, PRÆSUL ILL.ME AC REV.ME, *frequenter inter hæc studia notaveris*. Historiam *præterea* Sacram B. Sulpicii Severi *cum aureis ejusdem Auctoris notis, qui sinceram Christianæ pietatis doctrinam facili, atque incomparabili stilo explicavit; & utrique libro aliquid ex nostra, & literatorum amicorum industria, nuper accessit. Præterea* Sacram historiam *continet, quam* Sigonius *ipse* GREGORII XIV. *Summi Pontificis jussu scribere incœperat ante Baronium, & ad quartum usque sæculum traxerat, quam è* Vaticanæ Bibliothecæ *scriniis impetratam ego primus in vulgus emitto, ac fortunæ meæ reputo, gravissimum omnium operum* Sigonii *tractandum post longum ævum uni mihi obtigisse. Cùmque hunc Codicem exultantis more in sinu, tamquam carissimum, & præ cæteris acceptissimum gestaverim, mecum ipse recogitans, cui dono darem, & illustriorem accessione amplissimi patroni facerem, ad Dominationem Tuam* ILL.MAM ET REV.MAM *venio; quippe*

ne-

neminem præ te decere munus hoc nostrum existimo, quòd inter sacras ædes & studia enutritus, meliùs quàm alii eorum pretium æstimabis, & cùm summa polleas dignitate atque doctrina, præsidium auctoritatis Tuæ cum operi, tum & mihi optatissimum præstare valeas, & facilè sis præstaturus ob eximiam animi generositatem, quam à nobilissimis natalibus Tuis hausisti. Noverunt enim omnes, Francorum *gentem in Januensi Republica inter vetustissimas præcipuum semper locum obtinuisse, imò plures ad eam administrandam principatus bonore, quem Ducatum appellant, elevatos, quos inter Avus Tuus rerum gestarum gloriâ celebratissimus, unde à domestico usu, purpuræ splendorem virtutibus etiam nepotum debitam liceat ominari, sacram Tibi, avitam* Pompejo *fratri, quem Senatorium decus rebus gravioribus domi forìsque felicissimè gestis, incertum an bonestaverit, an ipse amplissimum fecerit, conversis in se omnium oculis, & amore. Sed me fervore cordis abreptum vereor offendisse potiùs aures utriusque, ac singularem præcipuè modestiam Tuam, cùm inanes bonorum fastus ab ineunte ætate calcare didiceris, postquam nomen Dominicanæ Familiæ dedisti; unde Te fugientem, diuque inter tenebras latitantem virtutes Tuæ in publicam lucem, & ad maximam JANUENSIS Ecclesiæ dignitatem retraxerunt, quòd* Julii Vincentii Gentilis *Avunculi Tui, ac Prædecessoris doctrinam, eamdemque vitæ institutionem publico bono continuatam expeterent*

om-

omnes, & optimè restitutam lætentur. Quippe si quæ inter Dominicanos à Te gesta sunt memoriâ recolamus, nullus erit gradus in ea Familia, quem non ascenderis, &, qua negotiorum, qua Scientiarum usus esset, Tuis moribus factisque non illustraveris, itaut à BENEDICTO XIII. *Sum. Pont. ad ejus Ordinis Comitia fueris evocatus maximo Sanctissimi Pontificis gaudio, cùm & ipse in Te Avunculi Tui, quem Patrem suum appellabat, quòd ab eo sacro Dominicano cingulo præcinctus fuerat, imaginem gratissimam cum plausu recoleret. Quæ verò inter Cives Tuos ab adepta dignitate feceris, hoc unum habent uberrimum argumentum, quòd difficilem Sacerdotii cum Imperio concordiam fovisti hactenus, & cùm servare experimento didiceris, in longam historiam memoranda exempla parabis.*

Vive diu PRÆSUL ILL.ME ET REV.ME *pauperum solatio & Civium commodo, & si quæ sint horæ subcisivæ, lectionem libri, quem humiliter offero, ne dedigneris; cognosces etenim, me non abusum amplissimo Nomine Tuo cum ob materiæ majestatem, tum ob nitorem industriæ meæ; quod si evenisse cognovero, me felicem fortunatumque reputabo, quæsita inde occasione, ut in clientelam Nobilissimæ Gentis* FRANCÆ *venire possim, quod votis omnibus expeto, cùm Dominationi Tuæ* ILL.MÆ AC REV.MÆ *vitam & prospera cuncta instantissimè precor. Vale.*

Dat. Mediol. III. Id. Decemb. MDCCXXXIV.

ELENCHUS TOMI QUARTI
OPERUM
CAROLI SIGONII.

C L A R I S S I M I   V I R I

PATRIS D. JO. ANDREÆ ASTEZATI

BRIXIENSIS

MONACHI BENEDICTINO-CASINENSIS

Epistola Italico Sermone conscripta, è Monasterio Pontidensi

AD PHILIPPUM ARGELATUM

BONONIENSEM

missa,

Additâ ad commune Lectorum commodum Latinâ ejusdem traductione;

In qua, præter alia nonnulla, de Tabula Chorographica Palæstinæ eruditè pro more differitur.

AMICO CARISSIMO.

Credeva di costà restituirmi, come vi dissi, avanti la partenza mia, Signor Filippo Reveritissimo, per la prossima solennità di S. Simpliciano; ma sono costretto a quì fermarmi sì pel caldo; ma vie più pel grande imbarazzo, in cui ritrovomi, per l'impegno, come sapete, già da prima assonto, di porr' in ordine quest' Archivio: Imperciocchè avendolo scoperto copiosissimo, non solamente d'atti moderni, che ricercheranno una lunga tediosissima fatica; ma altresì ricco d'antichi monumenti, vetusti eziandio e rimoti oltre alla fondazione di questo illustre Monistero, benchè dal dilettevole profitto, che si va acquistando da tal sorta di monumenti venga la fatica in parte alleggerita, perciò per compiere quest' Opera si ricercheranno molti più mesi, di quanti nel primo accesso, che feci quà mi aveva ideato. Ma frattanto non volendo io in tutto mancarvi di quel poco, che m'addossai, più per compiacervi, che perchè io atto mi reputi a ben servirvi, non potendo per ora esser con voi, risselvo di rozzamente ragguagliarvi quanto m'è accaduto di osservare, così alla sfuggita circa la diversità delle Tavole Corografiche della Palestina, o Terra Santa, che vogliamo, secondo l'uso chiamarla.

Giacchè pertanto voi non siete restato persuaso dalle ragioni mie, nè da quelle del dottissimo Sig. Abate Maffei Illustratore dell' Opera del gran Sigonio, in cui c'insegna il governo politico della Repubblica degli Ebrei, perchè tralasciate d'inserire nella vostra nuova edizione qualsivoglia Tavola Topografica, o Corografica, seguitando in tal guisa l'esempio del Sigonio medesimo, (imperocchè volete voi a differenza di tant' altri, posposto il sordido interesse, con saggio, e lodevol fine non meno a profitto maggiore, e diletto de' Letterati, che a gloria del vostro nome, adornare le edizioni vostre, senza risparmio di fatiche, o di spese con tutta la degnità, a decoro) io m'accignerò a quest' affare; ma prima tre osservazioncelle, avanti, che

DILECTISSIME AMICE.

Putabam, Cl. Philippe, ad proximam diem Simpliciano sacram, ut profecturus Tibi significavi, me isthuc reversorum: verùm æstus, multoque etiam magis grave, unde premor, onus de Archivo hoc, quod compertum est Tibi, ordinando jam prius à me susceptum retinuit. Quum enim hoc deprehenderim recentibus non modò chartis refertissimum, quæ diuturnam maximèque molestam operam sibi vindicabunt; sed abundans præterea vetustis monumentis vel ipsam celebris Cœnobii hujus originem superantibus (etsi labor jucunda utilitate, quæ ex hujusce generis rebus percipitur, aliquantùm levatur) plures eapropter menses negotio illi absolvendo requirentur, quàm quos animo conceperam, quum primùm huc me contuli. Interea tamen, quum animus non sit exiguum illud, quod mihimet imposui, Tibi penitus denegandi; morem gesturus potiùs, quàm ut confidam satis Tibi facturum; quia isthic adesse modò non possum decrevi rudi stylo id omne ad Te scribere, quod veloti obiter advertere mihi contigit de Chorographicarum Palæstinæ, seu Terræ Sanctæ, ut appellari nunc solet, Tabularum diversitate.

Quoniam itaque nec argumenta mea, neque illa doctissimi Viri Abbatis Maffei magni Sigonii operis quo politicum Judaici Populi regimen nos edocet, Inlustratoris, Te persuaserunt, ut nullam novæ editioni tuæ insereres Topographicam Chorographicamve Tabulam, quo ipsummet Sigonium imitatus fuisses; (Tu enim mavis neglecto sordido lucro, sapientius ac laudabilius præ aliis sanè quampluribus, ad amplius non modò commodum & voluptatem Literatorum, sed ad nominis quoque tui celebritatem, parcens neque laboribus neque sumptibus, decore ac nitore omni editiones tuas exornare) jam opus ipsum adgrediar: quod antequam præsto, tres observatiuneulas, prius ac

dalla penna mi fuggano, se pur tal' una non fosse già stata da voi preveduta, voglio suggerirvi.

La prima si è, che diate un' occhiata alla Storia del Tuano, e leggerete nella di lui vita, ch' egli discorrendola con erudita famigliarità con Sigonio, questi confessògli d'essere Autore di tre Opere, che sono già colle Stampe sotto altrui nome divolgate. Ora io non ho presenti quell' Opere Sigoniane sì già edite, come inedite, che voi promettete di ridar alla luce; nè tampoco ora mi ricordo le sopramemorate qual' elle sieno; essendo questa una notizia già da qualche tempo favoritami dal Signor Gian-Mario Mazzuchelli, erudito Gentiluomo Amico mio, e ben degno figliuolo del Signor Cavalier Federico, uno de' chiari Lumi gloriosamente viventi della mia Patria; in questa Libreria poi fin'ora il Tuano non ritrovasi, quantunque in questi ultimi tempi da questo P. Abate Valletti con non poca spesa siasi arricchita, e vadasi sempre più felicemente di scelti Autori impinguando. Voi con facilità costì in Milano potrete osservarlo, ed alla bisogna risolvere ciò, che dalla saggia prudenza vostra sarà per lo meglio giudicato.

Certa cosa è, che sarebbe, a creder mio, temerità il pur sognarsi, che il Tuano abbia ingannar voluto il Mondo letterario con una bugia, al Sigonio addossando un discorso, che non avesse egli fatto; e dall' altro canto è chiarissimo a par del Sole, che il Sigonio non abbisognava di vestirsi dell' altrui spoglie, avendo colle tante, per tutt' i capi, eccellenti Opere sue all' eternità raccomandata l'illustre sua fama, e il proprio nome.

La seconda si è, che a gran ragione il Chiarissi. Signor Muratori nella di lui Prefazione alla seconda parte del primo Tomo degli Scrittori delle cose d'Italia, dopo i da lui ivi lodati, rigetta quanto scrive il nostro dottissimo Sigonio circa l'abrogazion delle leggi Salica, e Langobarda fatta da Lottorio II. Imperadore; nella di cui opinione inciampò eziandio quel gran Giurisconsulto, ed in ogni sorta di letteratura versatissimo Gian-Vincenzo Gravina nella di lui singolarissima Opera de Origine Juris &c., *come osservar potrete a pag. 141. dell' edizion di Napoli 1713.* de Ortu, & progressu Juris civilis.

Io aveva già dalle Carte private di S. Giulia di Brescia osservato continuarsi il costume di contrattare, per la libertà lasciata ai popoli Italiani da Lottario I. Imperadore, come più loro fosse a grade; giusto la legge spezialmente Langobarda; ma andava riflettendo, che forse in quel tratto di paese non così tosto dopo dell' anno 1137., a cui Sigonio ascrive l'abrogazione di tal legge, fosse il decreto di Lottario II. col costume abbracciato. Ma avendo in quest' Archivo incontrati quantità di monumenti, nei quali continuatamente fin' all' anno 1100. dagli abitatori della Valle S. Martino, dove sta questo Monistero situato, Distretto di Bergamo, la quale in que' tempi oltrepassava l' Adda, estendendosi per le Terre, e Villaggi della Brianza, ora Territorio Milanese, si professa di vivere secondo le leggi de' Langobardi; sembrandomi inverisimile, che un tal decreto Imperiale, oltre lo spazio di più d'un secolo e mezzo, non sia stato posto in uso in tai paesi; ho anch' io conchiuso, e sono restate pienamente persuaso, che Sigonio sia stato veramente dalla fama ingannato; e che dal sole costume, come asserisce il Signor Muratori, e non già dall' Imperadore Lottario sieno state poste in disuso le leggi Langobarde.

La

calamo diffugiant, nisi earum aliquam jam fortè præoccupasti, libet suggerere.

Una est, ut oculos ad Thuani historiam convertas; legesque in ejus vita, Sigonium cum illo familiariter & eruditè conloquentem se trium Operum Auctorem confessum esse, quæ jam typis alieno sub nomine *in* publicum jus transierunt. Nunc ad manus non habeo Sigoniana illa opera sive hactenus edita, sive anecdota, quæ Tu ad lucem revocare polliceris: neque etiam recordor modò, quænam ea sint, quorum supra mentionem feci: hoc enim jam pridem novi ex Joanne Maria Mazzuchellio Amico meo nobili & erudito, dignoque sanè filio Equitis Friderici, qui unum est clarorum luminum in Patria mea gloriosè viventium. Thuanum verò hæc Bibliotheca non adhuc possidet, quamvis eam nostris hisce temporibus ære haud parvo P. Abbas Vailettus ditaverit, augeaturque in dies feliciter selectis Auctoribus. Tu istheic Mediolani eum poteris faciliter adire; atque, si res postulaverit, id decernere, quod melius prudenter judicaveris.

Profectò, ut ego arbitror, ausus foret temerarius vel tantùm somniari, voluisse Thuanum Orbi literario per mendacium imponere, atque colloquium, quod nusquam habuisset, Sigonio adtribuere: maximè quum notius aliunde sit meridiana luce, Sigonium nequaquam eguisse furtivis coloribus vestiri, quum tot tantisque suis, numeris omnibus absolutis, operibus famam nomenque proprium æternitati commendaverit.

Altera est, jure optimo Cl. Muratorium in præfatione ad secundam Rerum Italicarum Scriptorum Tomi primi partem, post auctores illos ibidem à se productos, improbare id omne, quod Sigonius noster doctissimus habet de Salicæ ac Langobardicæ legum abrogatione ab Hlothario II. Imperatore indicta: in cujus opinionem ille etiam eximius Jurisconsultus, atque in omni literaturæ genere exercitatissimus Vincentius Gravina offendit in opere suo præstantissimo de Origine juris &c. quemadmodum ipse poteris cognoscere ex pagina 141. editionis Neapolitanæ 1713. *de ortu & progressu juris civilis*.

Jam pridem ego privatis è chartis Tabularii Divæ Juliæ Brixiensis adverteram retineri morem celebrandorum pro arbitrio contractuum, & præcipuè ad legis Langobardicæ præscriptum, prout Italiæ Populis liberum fecerat Hlotharius I. Imperator. Verùm animo reputabam in eo regionis tractu fortè non ita statim post annum 1137., cui legis illius abrogationem Sigonius alligat, Hlotharii II. decretum usu receptum fuisse. Sed quum plurima vel in hoc Tabulario mihi occurrerint monumenta, in quibus serie ad annum usque 1100. non interrupta profitentur *lege vivere Langobardorum* Incolæ Vallis S. Martini, districtus Bergomensis, in qua Monasterium hoc jacet, quæque per id temporis ultra Abduam terras villasque Briantiæ, ad Mediolanense Territorium nunc spectantis, complectens protendebatur: quumque prorsus à veritate alienum visum mihi sit Imperatorium edictum sesquisæculo amplius iis in locis exequutioni demandatum non fuisse; ego quoque arbitratus sum, & omnino in animum induxi, revera Sigonium famâ fuisse deceptum; atque desuetudine tantùm, ut Muratorius asserit, non verò Hlotharii Imperatoris decreto Langobardicas leges obsolevisse.

Po-

La terza finalmente si è non essersi appigliato al vero Sigonio, quando lasciò scritto esser morto il B. Alberto, Fondatore di questo Monistero l'anno 1096. Quì sopra la porta del Campanile scorgesi peranche la di lui lapide sepolcrale, in cui a caratteri, ed ornamenti costumati in quel secolo, leggesi chiaramente. Septembris Nonas quarto migravit ad Astra. *Ma quì non istà il male, poichè d'un solo giorno sarebbe il divario: il più rilevante si è, che nell'infima parte di tal monumento si legge:* Obiit anno Dominicæ Incarnationis MXCV. Ind. IIII. *Io son persuaso che Sigonio abbia tal lapida veduta; e da quella, o per abbaglio, oppure per averne fatta l'annotazione nelle di lui memorie di premura, abbia letto, o scritto* Kal. *in vece di* IV. Nonas Septembris. *A me di certo frequentemente accade, che lo scritto di premura, nelle mie raccolte, alle contingenze non so più, a cagione del mio bel carattere, rilevarne lo scritto; e può pur essere, che sia errore o del Copista, o dello Stampatore. Ma in quanto all'anno s'è appreso Sigonio più tosto al 1096., che al superiore 1095. forse a cagione dell'Indizion quarta, che pare più comunemente a quello, che a questo 1095. convenire; non avendo egli, per quanto parmi d'aver osservato in certa mia frascheria, ch'ho sotto la penna, ma non quì meco, mai abbadato, che in que' tempi costumavasi, massimamente nella nostra Lombardia, di principiar l'Indizion susseguente nelle Calende di Settembre.*

Questo lieve errore del Sigonio non poteva essere facilmente corretto, se non da chi appunto sia stato al Monistero di Pontida, ed abbia tal lapide sepolcrale osservata, come per buona sorte potett'io già da parecchj anni sfeguire per di quà passando. Ma è ben da maravigliarsi di Celestino Collioni, di Mario Muzio, e di Bartolomeo Peregrinio, tutti e tre Scrittori Bergamaschi, i quali potendo per la vicinanza del Monistero Pontidense con facilità d'un tal fatto chiarirsi, il primo si sogna morto il B. Alberto l'anno 940., il secondo l'anno 950. in età decrepita oltre a cent' anni, per unirsi ai sogni del terzo, il quale quantunque tocch' il punto nell'anno della morte, alligandola all' anno vero 1095. va poi sognando, che Teoperga già moglie ripudiata da Lottario Re di Lorena figliuolo di Lottario I. Imperadore, fatto seguito, come ognun sa, nel nono secolo, con anacronismo insoffribile oltre a due secoli, fosse discepola di quest' Alberto; e che dopo la morte seguita del marito in Piacenza, fondasse il Monistero di Fontanella poco distante da questo di Pontida, a persuasive del medesimo Santo. Per dar maggior credito ad un tal sogno ci porta la testimonianza d'un avello sepolcrale, sopra il di cui coperchio sta scolpita l'effigie di donna vestita d'abito regolare con corona regale in capo; a cui il Collioni aggiugne l'Epigrafe: B. Theoperga Lotarii Regis Francorum uxor. *Ma questa Epigrafe ivi presentemente non leggesi, come osservammo anni sono, il P. Mazzoleni Cellerario di questo Monistero soggetto nelle lettere di buon gusto, come spiccherà da un parto della sua penna, circa il Museo della Nobilissima Casa Pisani, tra molt' altri di Venegia rinnomato, che si sta con impazienza alla pubblica luce aspettando; ed io colà giti appostatamente, dove dai lineamenti della scoltura scoprimmo non esser quella, che manifattura del quintodecimo, od al più del quartodecimo secolo. Non vi cito il luogo, perchè ora, che scrivo non tengo tai Autori presenti.*

Dalla

Postrema tandem est, Sigonium à vero aberrasse, dum B. Albertum Monasterii hujus conditorem fato concessisse anno 1096. memoriæ prodidit. Heic supra Turris Campanariæ portam invisitur adhuc lapis ejus sepulchralis, in quo charactere & ornatu sæculo illo consueto perspicuè legitur: *Septembris Nonas quarto migravit ad Astra*. At non in hoc uno erroris summa continetur, intercederet enim unius tantùm diei discrimen: id gravius est, quod ad illius lapidis calcem legitur: *Obiit anno Dominicæ Incarnationis MXCV. Ind. IIII.* Suadeor equidem hunc lapidem à Sigonio visum; atque io eo sive quòd fuerit allocinatus, sive quòd in privatis ad memoriam schedis notam raptim exaraverit, legisse aut exscripsisse *Kal.* pro *IV. Nonas Septembris*. Mihi sanè frequenter usuvenit, ea in formandis characteribus est elegantia, ut quæ in adversaria mea festinante calamo congessi, nequeam amplius, quum usus exposcit, depromere. Quid, quod vitium esse quoque possit vel Amanuensis vel Typographi? Sigonius verò, quod annum respicit, 1096. præ superiori 1095. eligere maluit, quarta fortassis Indictione motua, quæ illi potius anno quàm isti communius convenire videtur: non enim advertit unquam Sigonius, ut mihi observasse videor in mea quadam opella, quam ad umbilicum non adhuc perductam ad manus heic non habeo, fuisse ætate illa, & in nostra vel maximè Langobardia moribus usurpatum, Indictionem subsequentem à Kalendis Septembris inchoare.

Minutum hoc Sigonii peccatum ab eo tantùm facilè poterat emendari, qui sepulchralem illum Pontidensis Cœnobii lapidem lustraverit, quod mihi, dum hàc pertransirem, aliquot ab hinc annis fortuna secunda obtulit. Est tamen cur miremur Cœlestinum Collionium, Marium Mutium, atque Bartholomæum Peregrinium, Scriptores Bergomenses, qui quum de re ista faciliter præ Monasterii Pontidæ propinquitate certiores fieri possent; somniatur tamen primus mortuum B. Albertum anno 940., alter verò anno 950. ætate annis centum majore, ne à Peregrinii commentis discederent, qui etsi verum emortualem annum 1095. tetigerit, pergit nihilominus comminisci Theopergam quondam uxorem à Hlothario Lotharingiæ Rege Hlotharii I. Imperatoris filio, repudio dimissam, quod, ut nemini haud est notum, nono evenit sæculo, putido biscentum & amplius annorum parachronismo, Alberti hujus discipulam fuisse, cujus hortatu post fata mariti Placentiæ demortui Fontanellæ Cœnobium ab hoc Pontidensi non admodum distans condiderit. Ut largior fabulæ huic concilietur fides, producitur Sarcophagi testimonium, cujus in operculo mulieris figura Monialis veste indutæ, regiâque in capite coronâ insculpta cernitur, cui Collionius addit Epigraphen: *B. Theoperga Hlotharii Regis Francorum uxor*. Hæc tamen inscriptio ibi modò non legitur, ut ego jam pridem unà cum Patre Mazzolenio œconomicæ hujus Cœnobii rei in hanc diem Præfecto, viro in literis emunctæ naris, quod ex ejus calamo Musæum nobilissimæ Gentis Pisanæ inter alia Venetiarum quamplura celebratum in lucem edituro perspicuum fiet, quodque ut publicam diei usuram indipiscatur, summis votis expetitur, quum illuc nosmet datâ operâ contulissemos, deprehendi: atque præterea ex cælaturæ lineamentis ambo deteximus illud esse quintidecimi tantùm, vel superioris ad summum sæ-

culi

Dalla franchezza, con cui viene esposto un tal sogno, certo Scrittore, il di cui nome, perchè già tempo da me fatta la notazione di premuro, e quà meco da Milano portata, per più a lungo questa favoletta distruggere nel ristretto degli Annali di questo Monistero, che premetter dovrò all' Indice di quest' Archivo, adesso, come di sopra io vi diceva, non so più rilevare chi e' sia, ma facilmente sarà uno degli altri due sovrascritti; alla pag. 591. di tal libro all' anno 812. ci vorrebbe dar ad intendere: Sub Tachepoldo vixit S. Albertus Fundator Abbatiæ S. Jacobi de Pontita Ordinis S. Benedicti Cluniacensium, cujus vitam nuper edidit Celestinus in quadripartita Historia Bergomensi lib. 10. p. 2. In hac Abbatia jacet Tethberta Lotharii Regis Francorum uxor spiritalis filia S. Alberti, de qua legendus Baronius. *Tanto accade a chi ad ogni osteria si ferma in alloggio. Il Cardinal Baronio racconta le peripezie di questa, quanto sventurata, altrettanto saggia Principessa; ma neppur sognasi una menoma parola di simile favoletta ne' suoi Annali.*

E non solamente da sì fetido anacronismo resta tal favola da suoi fondamenti onninamente distrutta; ma conceduta ex audio per favore agli Scrittori sopranominati del B. Alberto, e di Teoperga la convivenza; sarebbe nulladimeno molto lungi dal verisimile, che tal Principessa dopo la morte del marito Lottario risuggiarsi volesse in un paese, il di cui Vescovo già contro di lei pronunziò la sentenza di ripudio nel Conciliabolo de' Vescovi da Lottario convocato, qual fu, come asserisce Anastagio, Aganone Vescovo di Bergomo, nella di cui Diocesi il già Monistero, ed ora la Chiesa sola di Fontanella ritrovasi.

E' pur certo altresì, per quanto viene dall' Annalista Bertiniano riferito, Teoperga dal marito ripudiata essere ricorsa al Re Carlo-Calvo, dalla di cui compassionevole beneficenza ella ebbe in dono il Monistero Aventicense, nella Diocesi di Rems, del quale, dopo morto Lottario il marito, fu ella Badessa, come ottimamente, al solito, argomenta Mabillone negli Annali, da certa lettera d' istruzione a Teoperga scritta da Incmaro Arcivescovo di quella Diocesi, per ben ordinare quel suo Monistero. Se Teoperga si fosse nel bando da lei dato al secolo a Fontanella ritirata, da qual motivo, e ragioni sarebbe stato Incmaro mosso per iscriver a Teoperga in Italia la retta moderazione d'un Monistero in Francia? Pare a voi, che quel grande Arcivescovo potesse in tale sciocchezza inciampare?

Compatite di grazia, Signor Filippo riverito, sì lungo discorso, poichè pretendendosi da quegli Scrittori tanta connessione tra Teoperga e'l B. Alberto, di cui, non già in questo, ma nell'Opera del Regno d'Italia, ragiona il Sigonio, se qualche c'è lui poco affezzionato, se pur Uom di senno possa annoverarvisi, volesse, che l'autorità di quelli a questi prevalga, possiate, alla bisogna, ben giustamente difenderlo. Quì parmi, che di molto e' avvera l'amore esser gran fabro di sogni dolci: Qui amant sibi somnia fingunt. *Per me il credo un trasporto d'amore verso la di loro Patria, e perciò, quantunque non s'abbia mai per conto alcuno ad uscire dal seminato, tuttavia doniamocela di buon cuore, e passiamo al vostro principal affare, e per cui vi recco il lungo disturbo di questa mia.*

Non

culi artefactum. Auctorum loca Tibi non indico, quòd mihi præstò haud sint scribenti.

Eâ, qua somnium hoc venditatur, confidentiâ scriptor quidam commotus, cujus nomen, qui facilè tamen unus duorum erit, quos antea memoravi, extrahere modò non possum, ut nuper dicebam Tibi, è notula, quam huc Mediolano asportavi mecum, ut fabellam hanc fusiùs exploderem in Annalium Cœnobii hujus Breviario Indici ejusdem Archivi à me præfigendo, quod illam raptim jam olim exscripserim: scriptor, inquam, quidam ad annum 812. pag. libri sui 591. hæc scriptis consignavit: *Sub Tachepoldo vixit S. Albertus fundator Abbatiæ S. Jacobi de Pontita Ordinis S. Benedicti Cluniacensium, cujus vitam nuper edidit Celestinus in quadripartita Historia Bergomensi lib.* 10. *p.* 2. *In hac Abbatia jacet Tetbberta Hlotharii Regis Francorum uxor, spiritalis filia S. Alberti, de qua legendus Baronius*. Ita contingit ad quamcumque finè delecta Cauponam diverteuti. Cardinalis Baronius narrat sanè Reginæ hujus vicissitudines, quæ fortunæ improbitatem æquali prudentia temperavit: verùm de fabula illa ne verbulom quidem in suis Annalibus.

Atque ab anachronismo tam malè olenti non modò funditus id commenti evertitor; sed etiamsi liberaliter præfatis Auctoribus concederemus, B. Albertom, ac Theopergam coævos fuisse; illud tamen à vero plurimum abluderet Reginam banc post Mariti mortem in regionem illam se se recipere voloisse, cujus Episcopus repudii sententiam in Episcoporum Conciliabulo à Hlothario coacto jam pridem in eam dixerat, qui, ut Anastasius asserit, fuit Agano Bergomensis Episcopus, cujus in Diœcesi olim Cœnobium, nunc verò sola Footanellæ Ecclesia reperitur.

Illud etiam certum est, quod ab Annalista Bertiniano refertur, Theopergam à Marito repudium passam ad Regem Karolum Calvum confugisse, à quo misericordi munificentia Aventicense in Rhemensi Diœcesi Monasterium obtinuit, cui ipsa Hlothario marito demortuo præluit Abbatissa: ut optimè pro more suo ex epistola quadam ab Hincmaro Diœcesis illius Archiepiscopo pro recta Cœnobii administratione ad Theopergam data colligit Mabillonius in Annalibus. Si Theoperga Mundum declinans Fontanellam secessisset, ecquidnam compulisset Hincmarum ad præscribendam Theopergæ in Italia degenti rectam Monasterii in Gallis constituti moderationem? Arbitrarisne tantum Archiepiscopum in haoc potuisse fatuitatem incidere?

Lungam adeò digressionem, Cl. Philippe, quæso patienter excipias: quum enim contendant præfati Auctores arctum adeò nexum Theopergæ com B. Alberto intercedere, de quo non in isto quidem opere, sed in eo alio de Regno Italiæ meminit Sigonius: tu poteris hunc æquissimo jure tueri, ubi quis ei haud bene affectus (si tamen homo cui cor sapiat, id possit) Sigonio præponderare illorum vellet auctoritatem. In his, ut mihi videtur, plurimùm valet illud, amorem esse perscitum dulcium somniorum Architectum: *Qui amant, sibi somnia fingunt*. Equidem eos charitate in Patriam transversum abreptos existimo; proindeque hnc, quamquam extra oleas, quæcumque tandem caussa pelliceat, eundum non est, libenti donemus animo, præcipuumque repetamus negotium tuum, unde Tibi nascitur epistolæ hujus meæ tam diuturna molestia.

Quum

Non essendomi bastato l'animo, non ostante l'accennato impegno, di onninamente negarvi l'Opera mia, mi ritrovo così pian piano involto in tali imbarazzi, che neppure con mille dei fili d'Arianne mi riuscirà di uscire felicemente da labirinto cotanto folto, ed innestricabile. E viepiù, perchè a voi donar non debbo, che quelle ore, che rubbar posso al riposo. Poichè ben sapete, che Uom onesto assento che abbia un impegno, con tutta la più diligente assidua attenzione deve eseguirla; e tanto più allor quando l'Opera abbisogna d'Amanuensi Mercenarj, poichè sarebbe lungi dal giusto non tenergli impiegati tant' ore, quante bastino pel discreto lucro del vitto, o mercede giornaliera. In tali ore per tanto ho non poche Tavole Corografiche della Palestina osservate.

Principierò il discorso da quella di Filippo della Rue stampata, per quanto leggo, a Parigi, presso Danetgendre 1720., che quà, come la più moderna d'ogn' altra, m'avete inviata. Voi avrete osservato l'entiero foglio di quella essere diviso in due Tavole. In una leggesi il bel titolo Terre Sainte Moderne &c. *in cui scorgonsi le divisioni dei presenti Governi dei Turchi, per gran disgrazia del Cristianesimo, ora per violenta usurpazione possessori della Terra-Santa: e questa Tavola ben vedete, Signor Filippo riverito, non far al caso vostro; poichè non parla il Sigonio di tal Governo, ma della Repubblica degli Ebrei.*

Anzi non abbisognano, a creder mio, pel vostro intento Tavole della Palestina moderne. Conviene all' antiche appigliarsi. Io non sono in istato, nè il tempo permettemi di stendervi ora una Dissertazione sopra di questa materia. Dirövvi solamente, che non siamo in egual portata per la Corografia della Terra-Santa, come di quella de molt' altri Regni, e Provincie, va di lunga mano diverso il caso. Che potiam noi mai credere a Viaggiatori moderni di que' Paesi occupati da Turchi, invasi da Barbari, dove appena appena sicuro il piede può fermarvi un Passaggiere senza un evidente pericolo de cader nelle mani degli Arabi, od assassini, che quel continente, e spiagge infestano di continuo? Oh! pensate Voi, Signor Filippo, in chi possa tanto di coraggio ritrovarsi, per ivi a piè fermo renderne dei luoghi la descrizione, la distanza! Non vi nego già io, che il diligentiss. ed eruditiss. Signor Enrico Maundrelli, verso la fine del secolo scorso, non siasi felicemente appigliato a tale impresa, e moltissimi lumi reccati a nostri dì, per sempre più al vero accostarsi. Nullameno a debole parer mio, ciò che di plausibile in questo particolare aver potiamo, dagli Antichi conviene ritrarlo. E che ponno mai i Moderni insegnarci di tante Città, Borghi, o Villaggi della Palestina a' tempi della Repubblica Ebrea? di moltissimi dei quali neppur restavi alcun vestigio, massimamente dopo effettuata la Profezia: Hierosolymas constituam in acervos, & lustrum Draconum, Urbesque Judæ constituam loca desolata; ita ut nemo eas incolat, *col resto, che presso di Geremia IX. 12. 13. veder potete. E qual comparsa ora fa mai la già bella faccia di quella Terra beata trammutata in cespuglj di sterpi, in Covili di Serpi? dove è quella tanta fertiletà, per cui ardiscono di scherzar i penelli di celebrati Pittori col dipignere nelle loro tele d'essere un solo Botro di uve, con piegatura eziandio del Palo, da cui quel pende; da due ben forzuti con istento portato; quando, per accostarsi più al verosimile, non fu il Botro in tal guisa dalla Terra di Canaan portato al deserto, che per non ischiacciarlo, e diminuire* la

Quam animum adducere nequiverim, etsi Archivi hujus cura præsens urgebat, ad operam Tibi meam ex integro subtrahendam, in eas pedetentim ambages sentio me devenisse, ut neque mille Ariadnes filis ab adeò spisso & inextricabili labyrintho feliciter sim evasurus. Idque vel eò magis, quòd illud unum temporis quieti surreptum meæ Tibi licet impendere. Tu enim ipse perspicuè intelligis, honestum virum, ubi spartam aliquam adornandam susceperit, totum in ea esse debere: atque tunc vel maximè, si opus postulet Amanuenses mercede conductos: esset enim ab æquo abhorrens eos tandiu non exercere, quandiu ad congruum victus lucrum, diurnumque stipendium satis esse possit.

Iis itaque subsecivis horis plures Chorographicas Palæstinæ Tabulas exploravi. Exordium sit ab illa Philippi de la Rue, Parisiis, ut lego, excusa apud Danetum Gendre 1720., quam huc ad me tamquam ceteris recentiorem transmisisti. Integrum ejus folium Tu ipse observaveris in Tabulas partiri duas. Legitur in una speciosus titulus *Terre sainte moderne &c.* quæ divisas exhibet hodiernas Turcarum Præfecturas, qui malo Christianæ Reipublicæ fato nunc Terram sanctam violenta premunt dominatione. Hanc verò mappam Tu probè vides, Cl. Philippe, ab instituto tuo alienam fore; non enim de turcico regimine disserit Sigonius, sed de Republica Judæorum.

Imò propositum tuum, me quidem Judice, Tabulis Palæstinæ recentibus juvari non potest. Veteribus adhærescas, est operæ pretium. Mei non valent humeri, neque tempus patitur nunc Tibi de hac re Dissertationem contexere: id dicam unum, Terræ sanctæ Chorographiam non æquo loco consistere cum Regnis atque Provinciis quampluribus: toto distatur hostio. Quamnam hercle fidem adhibere possumus novitiis illarum Regionum peragratoribus, quas Turcæ occupant, infestantque Barbari? in quibus difficillimè pedem figere potest viator citra præsentissimum discrimen in Arabum vel latronum manus incidendi in eam continentis partem & oras perpetuò grassantium. Ecquem putas Philippe Cl. tanti futurum animi, ut in utrumque pedem stans & loca velit describere, & eorum intervalla metiri? Non eo quidem inficias, accuratissimum, parique pollentem eruditione Dominum Henricum Maundrellium sub elapsi sæculi finem Provinciam hanc auspicatò in se recepisse, & plures nobis prætulisse faces, unde propius ad veritatem iter esse possit: nihilo tamen secius, ut ego pro modulo meo arbitror, si quid boni in hanc rem nobis esse queat, id à veteribus est depromendum. Ecquid enim proferre modò possunt recentiores de tot Palæstinæ Urbibus, Pagis, atque Villis, dum res Hebræa floreret? de quorum plerisque ne minimum quidem vestigium superest post impletum præsertim vaticinium: *Hierosolymas constituam in acervos, & lustrum Draconum, Urbesque Juda constituam loca desolata, itaut nemo sit incolat*, cum reliquis, quæ videre Tu poteris apud Jeremiam IX. 12. 13. Quamnam speciem exhibet modò terræ illius beatæ in stirpium cæspites, & serpentum lustra conversæ lætus olim aspectus? Quò abiit tanta illa soli ubertas, qua inlustrium Pictorum penicilli ausi sunt illudere, unum uvæ racemum suis in telis fingentes à duobus bene lacertosis viris, curvato etiam, unde pendet, palo, malè deferri: quum

b tamen,

la bella comparsa di frutto sì dovizioso? Se non avessimo l'infallibilità de' sacri Codici, certamente difficile riuscirebbe il prestar fede a quegli Autori profani, che la rammentano. Polibio quel grande Storico al libro 5. parlando d'Antioco vincitore dell' Esercito di Tolomeo, lasciò scritto, che impadronitosi di Tiro, e Sidone, nulla mancava al sostenimento del di lui Esercito numeroso: Rex ad reliqua incepta, bonæ spei plenus, se comparabat, quis subjecti illis agri alendo Exercitui abundè suppeditabant, & quæcumque usui essent subministrabant. *Tacito libro 5. Cap. 6. nelle Storie della Giudea asserisce esser* uber solum: exuberant fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum, & palmæ. Palmetis proceritas, & decur: *Ammiano Marcellino libro 14.* Ultima Syriarum est Palæstina per intervalla magna protensa cultis abundans terris, & nitidis. *Ed ora è avverato sappiamo ciò, che lasciò scritto Strabone del sito di Gerosolima, e del Paese circonvicino al libro 16.* Est enim locus saxosus, aqois quidem ipse abundans, sed Regio circumsita sterilis est, atque sicca, & intra spatia 60. stadiorum, etiam solum infernè saxosum habet. *Che ormai può applicarsi a tutta la Palestina incadaverita per l'universale sterilità, se pur dobbiamo credere agli Scrittori.*

L'altra Tavola viene veramente divisa nelle regioni ascritte alle Tribù dei dodici Patriarchi; Ma chi ha incisa la Tavola ed impressa, ha di molto mal servito all' intenzione del celebre Autore; poichè in osservarla a primo incontro l'occhio, contro del trito proverbio, che in tutte le cose vuole la parte sua, non resta pienamente soddisfatto. L'ho scoperta eziandio confusa nei nomi, e d'errori Ortografici ricolma, come osservar potrete nella quinta colonna del Paralello alfabetico, che con questa v'invio; dove religiosamente senza tramutar', aggiugnere, o diminuire pur d'una lettera, ho tutti i luoghi, come in essa stanno scritti, riportati. Manca pure di graduazione: cosa, che non solamente riesce d'ornamento, ma di molta utilità ad ogni Tavola Geografica.

Pure quand' io dovessi collaudarvi la Tavola de la Rue, m'appiglierei piuttosto, che a questa edizione, a quella del Seminario di Padova; oppure, e molto più volentieri, alla stampata in Amsterdamo presso P. Mortier, inserita nell' Atlante antico Sacro e Profano, disposto, e corretto da Giovanni Clerico. Questa la preporrei alla vostra inviatami, perchè non solamente della graduazione d'ambedue le dimensioni adorna, ma altresì perchè più copiosa di luoghi, che nel ranfronto dell' ultime Colonne del Paralello a queste due Tavole assegnate scorgerete; e non meno incisa, ed impressa con dignità maggiore e decoro.

E' ben però vero, che in questa Tavola d'Amsterdamo vengono certi luoghi replicati, che io giudicherei essere uno e stesso luogo, e con nome composto, oppure con diverso indicante il medesimo, nominato. Vedrete altresì tal volta questa discostarsi nella situazione dei luoghi da quella da voi inviatami; ma uniformarsi alla situazione dall' altre dinotata.

Aveva io di già osservata in parte quella di Cristiano Adricomio; ma perchè questi viene di molto dal P. Giacomo Bonfrerio nell' Onomastico della Sacra Scrittura corretto, non vi ho fatto sopra

tamen, ut vero propius accedamus, ea tantùm de caussa fuerit botrus illum in modum de Chanaan in desertum translatus, ne compressione exuberantis adeò fructus venusta moles corrumperetur. Sacrorum Codicum infallibili suffragio destituti ægrè profanis illis Scriptoribus, qui eam Terræ felicitatem deprædicant, assentiremur. Polibius, celebris ille historiographus, verba de Antiocho, qui Ptolomæi profligarat exercitum, libro quinto faciens, memoriæ prodidit, nihil illi Tyro & Sidone potito ad innumerum militem suum alendum defuisse: Rex, inquit, *ad reliqua incæpta bonæ spei plenus se comparabat, quia subjecti illis agris alendo exercitui abundè suppeditabant, & quæcumque usui essent, subministrabant.* Tacitus histor. lib. quinto cap. 6. affirmat habere Judæam *uber solum. Exuberant fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum & palmæ. Palmetis proceritas & decor.* Ammianus Marcellinus lib. 14. *Ultima Syriarum est Palæstina per intervalla magna protensa, cultis abundans terris & nitidis.* Nunc verò id evenisse cernimus, quod de Jerosolymæ finitimæque regionis situ Strabo conscripsit libro sextodecimo: *est enim locus saxosus aquis quidem ipse abundans: sed Regio circumsita sterilis est atque sicca, & intra spatia 60. stadiorum etiam solum infernè saxosum habet:* quod integræ modò Palæstinæ aptari potest, universali sterilitate succo spirituque omni exhaustæ, si fides usurpanda Scriptoribus.

Quod alteram Tabulam respicit, dividitur illa quidem in duodecim Patriarcharum Tribus; verùm qui eam incidit, excuditque, pravè admodum Cl. Auctoris mentem repræsentavit: primo enim in illam intuitu oculus, qui in rebus omnibus juxta vulgare adagium partem suam sibi vindicat, contentus planè non redditur. Deinde in vocabulis confusam, & erroribus orthographiæ scatentem detexi; quod poteris observare in quinta Alphabetici Paralleli columna, quem ad te unà mitto, omnia religiosè loca exhibentem, ut in Tabula descripta sunt, præter quamcumque vel omnia mutationem literulæ, adjectionem, sivo mutilationem. Tandem utriusque dimensionis gradibus caret, qui tamen quamlibet Geographicam Tabulam non exornare modò solent, sed etiam prodesse quamplurimum.

Si tamen Ruëi Tabula Tibi commendanda foret, huic Parisiensi libenter illam præponerem, quæ in Seminario Patavino cusa est, vel Amstelodamensem illam (atque hanc quidem vel multo lubentius) editam apud Mortier, & in veteri exhibitam Atlante, quem concinnavit Joannes Clericus, emendavitque. Hanc Tuæ ad me transmissæ non eâ tantùm caussâ præferrem, quod utriusque dimensionis gradibus gaudeat; verùm & quia locorum magis abundat, ut ex ultimarum Paralleli columnarum, quas bisce duabus mappis addidi, collatione deprehendes; & quia incisa item est excusaque majori cum decore, tum elegantia. Illud tamen fatendum, in hac Amstelodamensi Tabula loca quædam repeti, quæ ego unum esse putarem eumdemque locum, vel composito nomine, vel diverso idem significante nuncupatum. Hanc etiam deprehendes quandoque in locorum situ ab ea, quam ad me misisti, recedere, at impositione ab aliis indicata convenire.

Christiani Adrichomii Tabulæ, non nihil observaveram antea: verùm quum sæpè vapulet à P. Jacobo Bonfrerio in emendato Sacræ Scripturæ Onomastico, in eo diutius immoratus

pra di molto studio; e tanto meno perchè per sentimento di Adriano Relando nella sua Palestina illustrata d'edizione di Norimberga, presso Pietro Corrado Monato 1716., e spezialmente di Cristoforo Cellario nella sua Geografia antica Tom. 2. lib. 3. cap. 13. sez. 1. pun. 4. n. 3. pag. 393. dell' edizion di Lipsia presso di Giovanni Friderico Gleditschio 1731. sono stati da Adricomio nella sua Tavola frequentemente i luoghi a proprio capriccio collocati: Adricbomius, *scrive Cellario*, singulis ab Josua enumeratis suum locum, & sedem adsignavit, sed cujus ductu, aut quibus rationibus, nec ipse indicavit, nec alius facilè hariolari potest.

Ed in fatti quel gran tratto di Terra dal Mare della Galilea al Mar morto per cui passeggia il Giordano, nella Tavola d'Adricomio vedesi tutto di Città, e Villaggi abondevolmente ricolmo, quando Gioseffo al lib. 3. cap. 18. della Guerra Giudaica cel dipigne per solitudine disabitata presso Relando cap. 56. pag. 278. Διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρούμενος ΕΡΗΜΙΑΝ, εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην: Secat (*Jordanes*) lacum Gennesar medium. Deinde per multam solitudinem exit in lacum Asphaltiten. *Questa Tavola d'Adricomio, di troppa estensione pel vostro intento, fu già da Nicolò Sansone nell' Atlante sovradetto ristretta, ed in parte corretta: Nullameno neppur a questa, perchè d'Adricomio medesimo, m'appiglierei. Per le stesse ragioni non saprei approvarvi quella di Nicolò Geilkerkuis impressa in Amsterdamo presso Giovanni Giansonio 1659.*

Sarebbesi potuto attenere alla Tavola del P. Bonfrerio, molto ben delineata, e spaziosa, ma essend' anch' essa senza graduazione; e quel che non poco importa, per farla incidere di somma spesa, dovendosi sempre dall' Amico aver mira a suggerir un' onesta economia, quando all' intento dell' Opera di pregiudizio non riesca; perciò non la stimerei al caso vostro opportuna.

Aggiugnete, Bonfrerio essere singolare nella situazione delle principali Satrapie de Filistei; portandosi egli da Gaza ad Ascalone; d'indi ad Azote, di poi a Get, Accaronne, e tralasciando nella di lui Tavola Betsemes, quantunque egli voglia un tal luogo, ed ottimamente, ad Accaronne vicino, come ricavasi dalla strage succeduta, quando ivi i Filistei ardirono di riporvi l'Arca di Dio. Passa finalmente a Joppe; quando dagli altri Scrittori, e Viaggiatori, e singolarmente da Brocardo, a Gaza si fa susseguire Ascalonne, Azoto, di poi Accaronne, cui non lungi Betsemes, d'indi Get, e per fine Joppe.

Il P. Bonfrerio asserisce d'avere nella di lui opinione non pochi compagni; ma passandogli tutti sotto silenzio, non avendomi aperto l'adito per esaminarli, nemmeno ho voluto rompermi la testa, e consumar il tempo su la Tavola del medesimo.

E' vero, che anche Sigonio a cap. 7. del libro 1., le Città principali dei Filistei annoverando, dà il primo luogo a Get, indi a Gaza, di poi ad Accaronne, e susseguentemente ad Ascalonne. Non è però punto da prendersene meraviglia; poichè neppur Tolomeo, ed Antonino nel di lui Itinerario, riferiti pag. 505. da Cellario, s'accordano. Oltre a che, non cred' io già, che alcuno s'abbia a persuadere, che ivi Sigonio descriva le Città sovranominate con sequela ed ordine Geografico, non facendo egli ivi, che le sole parti di Storico, e non di Geografo; altrimenti dal sentimento universale scoste-

tus non sum: atque vel eo minus, quòd ad mentem Hadriani Relandi in sua Palæstina inlustrata editionis Norimbergensis apud Petrum Conradum Monatum 1716. & maximè Christophori Cellarii in sua Geographia veteri Tom. 2. lib. 13. cap. 13. Sect. pr. puncto 4. num. 3. pag. 393. Lipsiensis editionis apud Joannem Fridericum Gleditschium 1731., frequenter Adrichomius proprio marte loca in sua Tabula disposuerit: *Adrichomius*, inquit Cellarius, *singulis ab Josua enumeratis locum suum, & sedem adsignavit: sed cujus ductu aut quibus rationibus nec ipse indicavit, nec alius facilè hariolari potest.*

Et sanè vastus ille Terræ tractus à mare Galilææ ad mortuum, per quem Jordanes fluit, in Adriebomii Tabula Urbibus atque Villis totus infarcitur: quum tamen Josephus lib. 3 de bello cap. 18 eum nobis proponat sub incultæ solitudinis aspectu apud Relandum cap. 65. pag. 278. Διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρούμενος ΕΡΗΜΙΑΝ εἰς Ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην: *secat* (Jordanes) *lacum Gennesar medium. Deinde per multam solitudinem exit in lacum Asphaltiten.* Hanc Adriehomii mappam, enormis sanè molis pro tuo opere, contraxit olim Nicolaus Sansonius in Atlante præcitato; atque ab aliquot expurgavit erroribus: at non propterea deligendam censerem, quum adhuc Adriehomii Tabula manserit. Ipsisde caussis illam comprobare non possum Nicolai Geilkerkuis, impressam Amstelodami apud Joannem Sansonium 1659.

Eligi potuisset P. Bonfrerii Tabula egregiè satis delineata & extensa: verùm & ipsa utramque dimensionem desiderat; atque, quod haud mediocriter interest, ære magno recudenda esset: Amico autem curandum est, ut honestæ consulat œconomiæ, quoties operis rationi non repugnet: quare neque hanc mappam in rem tuam futuram esse existimo. Accedit his, Bonfrerium à ceteris discrepare in statuendis præcipuis Philistæorum Satrapiis; nam Gaza Ascalonem fertur, Ascalone Azotum, inde Getum & Accaronem: præteriensque in Tabula Betsemen, quam vult, & quidem optimè, Accaroni propinquam, quod ex ea eruitur cæde, qua Philistæos vastavit, quum Arcam Domini ibi deponere ausi fuissent; demum Joppen se confert. At reliqui verò Auctores Scriptoresque Itinerum, ac præ ceteris Brochardus, Gazæ conterminam statuunt Ascalonem, huic Azotum, deinde Accaronem: isti proxima collocatur Betsames, postea Getus, tandem Joppe.

Socios opinionis suæ non paucos numerare se posse Bonfrerius asserit; omnes tamen silentio premit: quo quum aditum mihi non aperuerit iis ad trutinam revocandis, nolui mentem torquere meam, & super ejusdem Tabula jacturam temporis facere.

Negari quidem non potest vel ipsum Sigonium cap. 7. libri primi præcipuas Philistæorum urbes recensentem principem locum adtribuere Geto, quem consequitur Gaza, deinde Accaron, postremò Ascalon: at non est cur eum miremur; si nec Ptolomæus nec in Itinerario Antoninus à Cellario pag. 505. relati conveniant. Præterea haud existimo quempiam sibi persuasurum, Sigonium præfatas urbes ibi referre consequutione & ordine Geographico, quum historicum unicè agat, minimè Geographum (secus à communi abiret sententia, &

a

scosterebbesi, e singolarmente da quanto scrive Brocardo, Scrittore, nella materia di cui si tratta, gravissimo; commemorando quivi il Sigonio le Città scritte, come quelle, che o per la grandezza, o pel governo in degnità e qualità d'eminente sopra dell' altre s'ergevano.

Non ho pure lasciate in disparte le Tavole della Palestina inserite nell' Opera, non mai bastevolmente applaudita del dottissimo P. Calmet; e se qui presente avessi l'edizione del P. Menochio sopra la Sacra Scrittura novellamente, per opera del celebre P. Tournemine, uscita a Parigi, in cui, dicesi, aggiunto un' estratto delle osservazioni del medesimo P. Calmet sulle Carte Geografiche della Palestina, riuscirebbemi di molto più facile l'adempire le bramme vostre; prendendone quei lumi, che a ben servirvi potesser condurmi. Ma conviene, ch' io mi serva di quella sola suppellettile, che ora, per le vostre, e mie premure, pronto alla bisogna ritrovomi. Ho pertanto osservate, come diceva, le di lui Tavole, sì dell' edizion di Parigi 1724., che di Venezia 1732. All'e Parigine non ho potuto dare, che un' occhiata in pochi momenti alla sfuggita. La Veneta incisa da Lebaux, ch' è tolta di peso dall' inserita nel secondo Tomo dell' edizion di Parigi, premessa ai libri di Giosue, la tengo a libera disposizione; ma nè l'una, nè l'altra sufficientemente conducono alle vostre lodevoli mire. L'una, che sta inserita nella prima parte del primo Tomo dell' edizion Parigina, non è, che circa d'un palmo estesa, e per la scarsezza dei luoghi in quella nominati, non torna a conto a farla stendere in maggior grandezza. L'altra di Liebaux non è parimenti di sufficiente estensione; per l'occhio non è d'amena comparsa; e pecca altresì nei diffetti di quella de la Rue da Voi inviatami; sì per non essere graduata; sì per la confusa situazione dei luoghi.

Anzi per dirvela con sincerità, io non so concordare altrimenti le Tavole della Palestina, che stanno inserite in questa grand' Opera, scorgendosi in esse l'Icnografia dell' una di lunga mano diversa dall' altra. In quella di Liebaux vi sta bene scritto il nome di Gerosolima, ma senz' alcun segno, che dinoti il suo sito preciso. Da ciò tal'uno, che questa sola Tavola considerasse, senza rintracciare l'opinione del dottissimo P. alla vera fonte, dubitar potrebbe, che e' per ischivare la difficoltà di diffinire, se quella Santa Città s'aspettasse alla Tribù di Giuda, od a quella di Beniamino; oppure a questa per la maggior parte, e poca porzione della stessa a quella di Giuda, come vuole il P. Bonfrerio; accusando perciò l'Adricomio, perchè l'abbia tutta nella di lui Tavola alla regione dei Beniamiti assignata; (all' Adricomio potrebbesi aggiugnere eziandio la Rue, nella di cui Tavola d'Amsterdamo scorgesi sotto di Gerosolimo descrittes Sela altresì d'indi divisa l'una Tribù dall' altra;) sia stata da lui senza alcun segno ivi Gerosolima scritta. Ovvero, ch' egli fosse dubbioso, se dopo la distruzione seguita di quella Santa Città, e dopo sotto nome di Elia restituita, ed in progresso di tempo col primiero nome di Gerosolima richiamata; risarcita fosse nel medesimo luogo, e risabbricata; oppure in diverso dall' antico, che acremente contrasta Brocardo, sostenendola rinata nel luogo primiero, sembrandomi, che con ragioni dal sito di essa deddotte, strettamente convinca. E pure la Tavoletta nel primo Tomo di Parigi inserita la dinota chiaramente con segno, appunto come conviengli, di Città capitale.

Non pochi altri luoghi nella Tavola stessa veggonsi senza segno veruno, da cui di quelli 'l sito venga dinotato: come Betsage, Gabala, Bethsan, o sia

à Brochardo præsertim gravissimo in hac materia auctore) ibi enim Sigonius laudatas urbes commemurat, propterea quod, quum ceteris vel amplitudine vel præfectura antestarent, dignitate etiam & conditione reliquis eminebant.

Tabulas quoque Palæstinæ operi doctissimi P. Calmeti numquam satis laudato insertas nolui præterire: sique mihi ob oculos essent P. Menochii in Scripturam Commentarii curâ P. Taurnemine nuperrimè Parisiis editi, quibus adjecta feruntur excerpta quædam ex ejusdem Calmeti in Geographicas Palæstinæ Chartas observationibus delibata, possem faciliùs vota tua explere, ea inde colligens, quæ me Tibi satisfacienda idoneum efficere valerent. Verùm necesse est, illâ unâ suppellectile utar, quæ ad tuas measque curas mihi modò est in numerato. Observavi itaque, ut ajebam, Calmeti mappas cum Parisiensis editionis 1724. tum Venetæ 1732. In Parisienses non nisi semel oculos raptim intendere potui. Venetam à Liebauxio incisam ad nutos habeo, atque ab ea est adamussim expressa, quæ in secundo Parisiensis editionis Tomo est libro Josve præfixa. Sed à laudabili scopo tuo utraque aberrat. Quæ in prima Tomi primi parte Parisiensis editionis continetur, palmaris circiter ambitus est, & propter locorum, quæ in illa laudantur, infrequentiam inutile est majorem in molem extendere. Altera Liebauxii nimis & ipsa contracta est, neque arridet oculo; atque iis præterea vitiis urgetur, ac illa Ruëi, quam à Te recepi; quum & dimensionem gradibus destituatur, & locorum sit implexa positio.

Imò, ut loquar ingenuè, nulla queo ratione Palæstinæ Tabulas, quæ in eximia hoc opera comprehenduntur, adinvicem componere, quum unius Ichnographia multum ab altera differre videatur. In ea Liebauxii scriptum quidem reperitur Jerosolymæ nomen, verùm nulla apponitur nota, quæ proprium illius situm definiat. Posset hinc opinari aliquis, qui hanc unam mappam inspiceret, & doctissimi Auctoris mentem proprio non perscrutaretur loco, id factum de industria ad declinandam in definiendo difficultatem, num Sancta illa Civitas ad Judæ an ad Benjamin Tribum pertineret; utrum pro majori parte ad hanc, & pro minori ad illam, ut Bonfresio placet; culpæ propterea Adrichomio vertens, quod Jerosolymam in sua Tabula Regioni Benjamiticæ integram adjudicarit (Adrichomio posset etiam Ruëus addi, in cujus Amstelodamensi mappa infra Jerosolymam descripta *Sela* itidem cernitur; discretâ deinde unâ ab alterâ Tribu, ibi ab eo nullo fuerit signo Jerosolyma delineata). Opinari etiam posset ancipitem fuisse Calmetum, utrum post everiam illam sanctam Urbem, & restitutam postea sub Æliæ nomine, ac temporis lapsu primævo Jerosolymæ vocabulo redonatam, eodem loci fuerit instaurata reconditaque; an verò in alio à priori diverso, quod negat acerrimè Brochardus eam pristino renatam loco contendens momentis ex ejusdem situ petitis, quæ, ut mihi quidem videtur, id firmiter evincunt. Interea tamen Tabella in primo Parisiensi Tomo edita Jerosolymam urbis Metropolitanæ signo, ut illam sanè decet, perspicuè indicat. Alia minimè pauca in Tabula eadem occurrunt loca nullo signo, unde situs eorum

e sia Scitopoli *al Giordano, ch' è singolarmente da notarsi; poichè distinguere già non si puole, se di quà, o di là dell' istesso Fiume, dove pure contro a ciò, che scorgesi in tutte l'altre Tavole della Palestina, stende le linee dimostranti la Tribù d'Issachare; sia quella situata, e così d'altre. Ciò io non credo già essere provenuto perchè al dottissimo P. fosse di que' luoghi il sito ignoto; protestandosi egli saggiamente nel discorso prodromo alla di lui Tavola premessa ai libri di Giosue nel 2. Tomo d'edizione Veneta a pag. XXII. di non volere la di lui Tavola arricchire, che di que' luoghi, de' quali la situazione per l'autorità d'Eusebio, S. Girolamo, ed altri gravi Scrittori non fuagli bastevolmente nota; ma di ciò n'accuserei piuttosto dell' Incisore la trascuranza: poichè* Lebna *eziandio non la veggo da segno veruno indicata, quantunque dall' insigne Scrittore nel luogo sovracitato,* Urbs notissima *venga chiomata.*

Nè qui fermasi la diversità tra di queste due Tavole del P. Calmet. Tutte le poche della Palestina da me vedute, come quelle dei PP. Lamy, Tirino, dei due Sansoni Nicolò, e Guglielmo, de la Rüe; e non meno di Filippo Cluerio, Cellario, e Relando; come altresì quella del primo Tomo di Parigi del P. Calmet portano diversamente da quella del Tomo secondo, e di Liebaux, tutta l'estesa della Palestina al paragone dei punti Celesti. In tutte le prime, dal Mezzo giorno dipartendosi verso Settentrione, la Palestina all' Oriente va declinando; per contrario in quest' ultime due si rivolge verso l'Occaso. La Tavoletta del primo Tomo Parigino è adorna della graduazione d'ombidue le dimensioni; nè dell' una, nè dell' altra quella del secondo Tomo e Veneta. Quindi è, che se tal'uno su la norma della graduazione della prima volesse per piacere, e diletto eziandio quest' altre adornarne; checchè sia del poter convenir tra di loro nell' altezza del Polo, chiaro è, che nella longitudine i luoghi nell' una, e nell' altre incisi, non potranno mai nella stessa dimensione convenire; ma questa riuscirà sempre di lunga mano diversa.

Vuole il dottissimo P. Gerosolima più australe di quanto, ei dice, scorgesi universalmente nelle Tavole. (Ed ecco pertanto quanto giovi la graduazione, se non vogliamo camminare, per così dir', a tentone, almeno dell' altezza del Polo). Che in tal'una delle Tavole Gerosolima non ecceda l'altezza, in cui la collocano gli Eruditi, e valenti Astronomi dell' Accademia delle Scienze di Parigi, dai quali fu osservata a g. 31. '50. ritrovarsi, nol niego, Hierosolyma *scrive Relando nel lib. 1. cap. 10. pag. 41.* secundùm Ptolomæi hypothesin sita est in latitudine graduum 31. '40. secundùm recentiorum verò Mathematicorum observationes in latitudine gr. 31. '50. Extremi fines Palæstinæ versùs Austrum supra gradum latitudinis 30. siti sunt. *Ma non così parlano tutte: e Voi, Signor Filippo riverito, vedrete nel Paralello in quelle de la Rüe, e di Sansone Gerosolima più bassa, e verso l'Ostro di quanto quei dotti pretendono, dalle osservazioni esatte de' quali parmi, che senza validissime ragioni laudevolmente non possa scostarsi.*

In quanto poi alla diversa situazione, ch' egli, da altri chiarissimi Scrittori scostandosi, a non pochi altri luoghi assegna, io punto non ve ne parlo; poichè non ho tempo d'internarmi nella di lui famosissima Opera, (e tanto meno perchè non tengo qui in pronto il di lui Vocabulario; e l'Indice di questo secondo Tomo è di molto, ma di molto digiuno, e non meno di molto errato nelle chiamate)

eorum monstretur, apposito; ut Betphage, Gabala, Bethsan, vel Scitopolis ad Jordanem; quod est præcipuè adtendendum, neque enim discerni jam potest, citra ne, an ultra eumdem fluvium (ubi etiam, secus ac in reliquis Palæstinæ Tabulis adparet, lineas ducit Issacharis Tribum complectentes) ea sit constituta: quod idem de aliis nonnullis. Hoc sanè non propterea evenisse puto, quod eorum locorum situs doctissimo Patri foret impervius, quum in sermone prodromo ad Tabulam libris Josve præpositam in secundo editionis Venetæ Tomo pag. XXII. prudenter profiteatur velle se mappam suam iis tantùm locis cumulare, de quorum positu satis auctoritate Eusebii, Divi Hieronymi, aliorumque Scriptorum gravium sibi constaret: Incisorem potius oscitantiæ arguerem, quum & Lebna nullo indicetur signo, quamvis præcitato loco *Urbs notissima* ab Auctore Clarissimo nuncupetur.

Neque hoc in uno moratur discrimen has inter Calmeti Tabulas. Quotquot, etsi paucæ illæ sunt, Palæstinæ mappas ego vidi, PP. Lamy & Tirini, utriusque Sansoni, Nicolai & Guilielmi, de la Rüe, Philippi quoque Cluerii, Cellarii & Relandi, una etiam cum illa ejusdem Calmeti Tomi primi Parisiensis, ea differunt omnes à Tabula secundi Tomi, & Liebauxii in exhibenda totius Palæstinæ quintum ad puncta cœlestia positione. In illis à meridie versus Septemtrionem deflectens declinat ad Orientem Palæstina: contra verò in his vergit ad Occasum. Tabella primi Tomi Parisiensis utriusque dimensionis gradibus ornatur; neutrâ secundi Tomi Tabula, & Veneta. Hinc si vellet quis, animi recreandi gratiâ, has etiam in gradus partiri ad illius Parisiensis normam (quicquid tandem sit, an in Poli elevatione adinvicem convenire possent) perspicuum est numquam futurum, ut loca in hac, & in illis incisa in eandem longitudinis dimensionem concurrant: hæc enim semper plurimùm diversa consurget.

Jerosolymam doctissimus hic Auctor magis Australem esse contendit, ac in Tabulis, inquit, ipse, communiter conlocetur, atque adeò en Tibi quàm prosit dimensio altitudinis saltim polaris, ni Andabatarum in morem, quod ajunt, velimus discurrere. Haud contendam, quin Jerosolyma nonnullis in mappis altitudinem transcendat, sub qua eam statuunt eruditi peritique Astronomi Academiæ Scientiarum Parisiensis, à quibus deprehensa est existere sub grad. 31. '50. *Jerosolyma*, scribit Relandus lib. pr. cap. 10. pag. 41., *secundum Ptolomæi hypothesin sita est in latitudine grad. 31. '40. secundum recentiorum verò Mathematicorum observationes in latitudine grad. 31. '50. extremi fines Palæstinæ versùs Austrum supra gradum latitudinis 30. siti sunt*. Sed omnes non ita sunt comparatæ; Tuque ipse, Cl. Philippe, cernes in Parallelo Jerosolymam in Ruëi ac Sansonii Tabulis magis ad Austrum declinari, quàm docti illi Viri patiantur: à quorum accuratis observationibus videtur mihi sine firmissimis rationum momentis prudenter non posse recedi.

De illo postea diverso situ, quem ipse Scriptores nobilissimos deserens, locis quampluribus adtribuit, nihil eloquar Tibi, quum otium non suppetat ad ipsum Operis celeberrimi nucleum penetrandi; (atque vel eo minùs, quod mihi ejus Vocabularium haud est in promtu, & Index secundi hujus Tomi plurimum sanè jejunus est, mendisque frequentibus in citatio-

mate) nè per disteso di leggerla, quelle ragioni esaminandone, che per altro io credo forti, e calzanti, dalle quali egli sarà stata mosso a ciò fare. Dirovvi solamente, che per ora non resto sufficientemente persuaso dal prender ch' e' fa delle Città australi la situazione dalla distanza di Eleuteropoli; Città, che come n'attesta Relando, dai tempi di Salomone fin ad Erode il Grande, nè dappoi da Giuseppe ritrovasi altrimenti mentovata, anzi ignoto un tal nome eziandio ai Giudei più moderni: Città, non già dagli Horrei, come vuole S. Girolamo costrutta; ma bensì, per testimonianza d'Ammiano Marcellino, un secolo anteriore solamente alla di lui età; cioè a dire, nel secolo III. dai Romani, come dal nome medesimo pare potersi fermamente raccogliere, fabbricata. E con qual sicurezza può prendersi norma, per tante Città, e luoghi antichi distribuire da una Città, che ha i suoi natali recenti? Ma procediamo più oltre. Quanto da Ebronne era Eleuteropoli distante? Sentite a pag. XXIX. il dottiss. P. Quantum ab Eleutheropoli distet Hebron nihil expresse Eusebius; sed ego 10. millia passuum circiter constituerim. E chi gli concederà tal distanza per certa, e vera? Dal dottiss. P. Dionigi Petavio nelle sue note ad Epiphan. certamente non gli verrebbe accordata: questi ivi scrivendo Chebron Eleutheropolis vulgò esse creditur, che forse pigliò da Cedreno compend. stor. dove sepulta est Sara Chebrone, quæ nunc Eleutheropolis appellatur. Se il sentimento di questi Scrittori quantunque si scosti di lunga mano da quanto nel suo Onomastico scrive Eusebio, creduto fosse da tal'uno, per nuovi lumi insorti, plausibile; tutta la fabbrica del dottiss. P. a terra rovinerebbe, quando provar si potesse Eleuteropoli, ed Ebronne esser nome d'una sola stessa Città. Comunque di ciò esser possa, alla debolezza mia pare di non isprezzievole riflesso il non addurre, almen ivi, dove pur sembrerebbemi il luogo più connaturale, ed opportuno, ragione alcuna, perchè diversifichi onninamente contro il sentimento universale, la situazione dall' Oriente all' Occaso, di tutta la Palestina. Per la qual cosa io non calcherei, che la strada maestra, e regale da tutti frequentata, per non incontrar qualche inciampo, o pericolo, a motivo d'abbreviar il viaggio, per un fresco sentiere inviandomi, e da pochi passaggeri praticato.

Io pertanto non saprei suggerirvi d'elegger la Tavola del P. Calmet per l'Opera vostra. Nullameno ritrovandosi ormai qui nei nostri paesi quest' Opera insigne ristampata in Vinegia colla Tavola di Liebaux, presso d'ogn'uno, che attenda a studj sì fruttuosi, non l'ho punto tralasciata nel Parallello qui ingionto, con alcune notarelle, certamente più di opera, che di pregio; le quali tuttavia servirvi potranno per vostro uso privato, e perchè con facilità maggiore render potiate ragione a chi avesse piuttosto desiderato, che nell' Opera Sigoniana vi avesse quella inserita.

Potrete altresì, anzi dovrete, e quasi fuggivami dalla penna, riflettere, quanta la Tavola di Liebaux sia ristretta, digiuna, e di luoghi scarsa, a paragone dell' altre, che v'espongo: e se dal numero degl' ivi nominati, quei luoghi dettraerete, che oltre dei confini Australe, e Settentrionale, per fino a cento miglia oltre a Sidone ritrovansi; da voi medesimo, Signor Filippo riverita, discerner potrete, se una tal Tavola possa all' intento vostro opportuna riuscire.

Ua

tionibus refertus) ac omnes ad unam excutiendi paginas, ea argumenta expendendo, quæ ceterum urgere potenter existimo, quibus ad id fuerit ille permotus. Id dicam unum, me nunc ex eo non satis suaderi, quod Australium Urbium positionem ab Eleuteropolis distantia desumat; quæ quidem Urbs, ut affirmat Relandus, à Salomonis ævo ad Herodem Magnum, atque deinceps à Josepho nullatenus memoratur; imò hujusmodi nomen recentiores quoque Judæos latet: Urbs præterea non ab Horræis, quæ opinio est D. Hieronymi, condita, bene verò à Romanis, Ammiano Marcellino teste, uno tantùm sæculo ætatem suam anteverrente, tertio nimirum Christiano, ædificata, ut vel ab ipso nomine posse firmiter colligi videtur. Ecquâ verò certitudine ab urbe recens conditâ fingi poterit norma tot pervetustis civitatibus atque locis ritè distribuendis? Sed ad ulteriora festinemus. Quàm multum Hebrone distabat Eleutheropolis? Audiatur doctissimus Pater pag. XXIX.: quantum ab Eleutheropoli distet Hebron, nihil expresse Eusebius: sed ego X. millia passuum circiter constituerim. Ecquis hanc distantiam velut indubiam veramque ei concedet? Doctissimum P. Dionysium Petavium in suis ad Epiphanium notis profectò consentientem non habebit; hæc enim ibi scribit: Chebron Eleutheropolis vulgò esse creditur; quod fortè à Cedreno mutuatus est in compendio historico, cujus hæc sunt: Sepulta est Sara Chebrone, quæ nunc Eleutheropolis appellatur. Si horum Scriptorum sententiam, quamquam plurimum ab Eusebii recedit onomastico, existimaret aliquis, quod nova lux affulserit, dignam plausu, tota doctissimi Patris moles à fundamentis corrueret, quum posset demonstrari Eleutheropolin atque Ebronem unius urbis esse vocabula. Sed quicquid de re ista futurum sit, tenui judicio meo id minimè leviter considerandum existimo, nullam à Calmeto, ibi saltem, quo nullus certè aptior, magisque proprius locus aperiri posse videbatur, caussam allegari, cur integræ Palæstinæ ab Oriente ad Occasum positionem contra communem sensum penitus mutet. Ego itaque rectam dumtaxat regiamque viam omnium tritam solo insisterem, alicujus vel offendiculi vel discriminis timore; neque per recentem semitam paucorum vestigiis impressam itineri me committerem.

Quamobrem numquam Tibi author ero, ut in opus tuum Calmeti Tabulam seligas. Quia tamen præstantissimum Calmeti opus vel apud nostrates Venetiis cum Tabula Liebauxii recusum penes eos omnes reperitur, qui studiis adeò utilibus adlaborant, nolui propterea illius mappam in adnexo Parallelo præterire; adjectis insuper quibusdam laboris potiùs quàm ingenii notulis; quæ Tibi ceterum privatos in usus esse poterunt, atque suppeditabunt, unde plenius cuilibet respondeas, qui Calmeti Tabulam Sigoniano insertam Operi maluisset.

Illud etiam advertendum est Tibi, quod pene calamus prætermiserat, quam præ aliis quas Tibi propono, jejuna sit Liebauxii Tabula, & locorum manca: sique ab eorum numero quæ referuntur ibi, loca subduxeris ultra Australem ac Septemtrionalem Terræ Sanctæ terminos ad centum usque milliaria supra Sidonem excurrentia; Tumet, Cl. Philippe, quibis intelligere, num id generis Tabula tuæ attingendæ metæ futura sit opportuna.

Hoc

Un simile difetto a quella di Liebaux patiscono le Tavole etiandio di Adricomio, e Bonfrerio, veggendosi in esse l'intera regione della Palestina quasi per linea perpendicolare stesa dall' Ostro a Settentrione, senza declinar, almeno tanto che basti, verso l'Oriente.

Una bella Tavola si rappresenta bensì all' occhio, essendo delineata, ed ottimamente impressa, come altresì alla mente, nella Geografia antica di Cristoforo Cellario della sopranomata edizion di Lipsia, e bast' il dire, essere parto di quel grand' Uomo, ed altamente rincrescemi, che della sola graduazione di latitudine sia adorna. M'era passato per l'idea, perche questa altresì occupa il terzo luogo nel Paralello, d'aggiugnervi pel mio privato uso, etiandio la graduatione in longhezza; quantunque in tal dimensione non sieno peranche, per quant' io sappia, d'accordo i Geografi; e credo, che neppure potranno mai per l'avvenire accordarsi, quando non abbraccino l'osservato ultimamente dalla celebre Accademia delle Scienze di Parigi, anzi certa cosa è, che i qui esposstivi, neppur s'accordano nell' altezza del Polo, o sia latitudine, come potrete scorgere nel Paralello.

Volevo pertanto desumere tal longhezza da qualche insegnamento del Signor Gulielmo de l'Isle; ma non avendo quì pressa di me, che la di lui Tavola del Teatro Istorico nell' Atlante sovranomato inserita; ed avendo osservato nel segmento Occidentale le mie due dilette Patrie tralasciate, cioè Bergamo d'origine, e Brescia di nascita; nè potendomi mai persuadere, ch' essendosi da sì valoroso e giustamente rinomato Soggetto delineate in tal Tavola tant' altre Città de minor rango, abbia poi voluto trascurare le chiare Città di Bergamo, e Brescia; quella essendo già stata Capo degli Orobj, la seconda dei Cenomani, e già confederata, come n'attesta Livio, colla Romana Repubblica; quindi giudicai quella Tavola essere per colpa dell' Incisore malamente distribuita; e perciò non ho voluto perder quel poco di tempo, nè affidarmi alle dimensioni della medesima.

Quantunque questa Tavola di Cellario sia d'ottime parti adorna, non perciò la giudicherei all' intento vostro confacevole; sì per essere di troppo picciola estesa; come altresì men copiosa di luoghi, tra i quali, tutti i nominati di sotto di gradi 31. in circa d'altezza di Polo, da dove la di lui Tavola verso l'Ostro s'estende, escono fuori del confine Australe della Palestina; e voi dovete esporre al Pubblico una bella Tavola corrispondente alla vostra decorosa edizione.

Non credeste perciò, ch' io portassi fede all' Iperbole favolosa, che leggesi negli Scritti Giudaici presso Relando lib. 1. cap. 53. pag. 254., che s'annoverassero nel solo tratto del Monte Reggio dieci milla Città. Mons Regius הר המלך in qua 10000. Urbes עשרת אלפים עירות sitæ fuisse leguntur in Echa Rabbati fol. 75. 3., ma dal poco numero, ch' in quella veggonsi incisi, movomi a non approvarvela. In oltre nella stessa sono bensì descritti i nomi delle dodeci Tribù, ma l'incisore s'è dimenticate nello scalpello le linee divisorie dell' una, e dell' altra; dimodochè l'occhio, singolarmente nei luoghi confinanti, non può iscoprire a quale delle Tribù quelle debban' ascriversi.

L'e-

Hoc ipso Liebauxii Tabulæ morbo laborant etiam Adrichomii & Bonfrerii Mappæ, in quibus tota Palæstinæ regio per lineam fermè perpendicularem ab Austro ad Septemtrionem protensa cernitur, quin ad Orientem, saltim æquè ae opus est, declinet.

Grata tum oculis, quum optimè delineata impressaque sit, tum etiam menti Tabula spectatur in veteri Geographia Christophori Cellarii prælaudatæ Lipsiensis editionis: de qua id unum dicere sat est fœtum esse illius pereximii viri; & dolet ex animo eam solius latitudinis gradibus ornari. Cogitaveram; quoniam & hæc tertium in Parallelo locum occupat, eam in meum peculiare commodum gradibus quoque longitudinis instruere; etsi de isthac dimensione, ut mihi quidem compertum est, Geographi non adhuc consentiunt; nec ante consensuros existimo, quam novissimis celebris Academiæ Scientiarum Parisiensis observationibus adhæserint. Imò certum est illos ipsos heic tibi à me productos nec in Poli elevatione, seu latitudine convenire, ut colligere poteris è Parallelo.

Decreveram itaque hujusmodi longitudinem ab aliqua Domini Guilielmi de l'isle regula desumere: verùm quum heic ad manum non haberem, nisi ejus Tabulam Theatri Historici in Atlante prædicto exhibitam; quumque observaverim in segmento Occidentali geminas meas charissimas Patrias omitti, Bergomum, Brixiamque, quarum altera originem mihi præbuit, ortum altera: neque suadere mihi unquam potuerim, quum à tantæ sapientiæ viro, tantaque nominis celebritate jure commendato quamplures minoris notæ Urbes descriptæ fuerint in ea Tabula, voluisse inlustres Bergomi & Brixiæ Civitates negligere, quarum illa Orobiorum caput olim fuit, Brixia verò Cenomanorum, & quondam fœdere juncta, ut Livius testatur, cum Romana Republica; hinc arbitratus sum Tabulam vitio Incisoris pravè fuisse distributam: & nolui propterea exiguum illud, quod mihi reliquum erat temporis in ea transigere inutiliter, meque illius dimensionibus concredere.

Quamquam verò hæc Cellarii Mappa optimis partibus exornatur, eam tamen operi tuo accomodam non existimo, tum quia mole est nimis angusta; tum etiam locorum minus est dives (quorum quæ infra gradus circiter 31. elevationis Poli, à quibus Austrum versùs ejus Tabula extenditur, referuntur, ab Austali Palæstinæ termino exorbitant). Tu verò publicam in lucem emittere debes tantæ pulchritudinis Tabulam, quæ nobili Editioni tuæ respondeat.

Nolim tamen arbitreris fabulosæ hyperboli me fidem adjungere, quæ ex Judaicis Scriptis apud Relandum legitur libro primo, cap. 53. pag. 254., in uno montis Regii tractu decem millenas Urbes fuisse numeratas: *Mons Regius* הר המלך *in quâ* 10000. *Urbes* עשרת אלפים עירות *sitæ fuisse leguntur* in Echa Rabbathi fol. 75. 3. Sed ab exiguo tantùm eorum numero, quæ in illa incisa leguntur, adducor, ne eam Tibi comprobem. Rursus in eadem Tabula duodecim Tribuum nomina describuntur quidem, at lineas unam ab altera Tribum dividentes Incisor in scalpro detinuit, adeò ut oculus in locis præcipue conterminis nequeat discernere, cuinam Tribui sint adscribenda.

Eru-

L'eruditissimo Adriano Relando nella sua Palestina porta altra Tavola molto, e di molto circospetta; questa potrebbe moderna chiamarsi; mentre egli, come n'attesta nella sua Palestina pag. 478. l'anno 1710. scriveva; che pure potrebbe anche dirsi la più antica, a paragone di quanto dell' antica Palestina a' di presente saper potiamo; è però anche questa graduata di solo altezza di Polo, allegando el principio della Palestina a g. 30. 50. in circa di latitudine: ed in oltre senza distribuzione veruna del Paese spettante a ciascheduna delle Tribù; nè punto coi segni, che sono onninamente eguali, dinota qual luogo sia Città, qual Borgo, a Villa. Nullameno se da Relando fosse stata descritta una Tavola sì copiosa, oppur di presso, quant' è el suo Indice od Abecedario; in cui sopra di mille annoverandone tal volta m'è quasi insorto il dubbio, se el tratto ristretto della Terra-Santa, il quale per asserzione di San Girolamo, presso lo stesso Relando lib. 2. cap. 5. pag. 314. non s'estende, che circa 46. miglia Romani dall' Orto all' Occaso; e 260. dal Settentrione all' Ostro, atto fosse per contenergli; imperciocchè, quantunque il maggior numero fosse di piccioli Villeggi, pure anco moltissime Città, e Castella tra quei luoghi s'annoverano; Io certamente a questa m'appiglierei, dividendone le Tribù, e distinguendo co' segni la maggior parte delle Città dalle Ville; perchè, oltre l'essere egli sperimentatissimo in tutte le lingue Orientali, che tanto conducono all' intelligenza della Palestina; vaglia altresì nel di lui raziocinio tutta minutamente, e non se vergogna, parte degna di sì gran Letterato, e che a tutti dovrebbe essere comune di lasciar in dubbio ciò, che senza ragion convincente non sembragli di poter con certezza diffinire. Ma essendo pur questa Tavola di Relando, come vedrete nel secondo luogo del Parallello, manchevole di lunga mano dall' asserito nel di lui copiosissimo testo, o sia Indice; perciò non la crederei atta pel vostro fine.

Con gran senno però egli non ha voluto impinguar la sua Tavola col descriver in essa quei luoghi, quantunque a lui noti per nome o dai Sacri Codici, o dagli Autori profani indicati, la situazione dei quali non eragli nota bastantemente; e perciò al cap. 56. del lib. 1. pag. 278. forse non senza ragione, si lagna di certi Geografi, i quali voluerunt omnibus locis Palæstinæ, quæ in sacris literis membrantur certam sedem in Mappis suis assignare, etiamsi iis de locorum situ vix aliquid certi constaret &c. *Tuttovia di più di mille, ch' ei ne rammemora, non vedendosi in quella appena dei medesimi la decima parte, a debole parer mio, non la crederei opportuna per l'Opera vostra.*

Ho veduto eziandio la Tavoletta della Palestina incisa per facilitare l'intelligenza dell' introduzione alla Geografia vecchia, e nuova del rinomato Filippo Cluerio; e questa va d'ambidue le dimensioni adorna; ma è tanto minutamente incisa, che neppur con la lente, che uso per rilevar i caratteri, che talvolta in parte corose s'incontrano nelle Pergamene, ho potuto farne lo spoglio.

Rivolsi l'occhio pertanto, e feci singolar riflesso sopra de quella de Nicolò Sansoni inserita nella di lui Geografia sacra d'edizion d'Amsterdamo presso Francesco Halma 1704, come quella, che all' occhio mio s'accosta ben più d'ogni altra. Questa è adorna di graduazione sì d'altezza di Polo a gr.

30.

Eruditissimus Hadrianus Relandus alteram in sua Palæstina Tabulam spectandam exhibet plurimùm sanè castigatam. Hæc recens appellari posset, scribebat enim Relandus, ut ipse in Palæstinæ suæ pagina 478 testatur, anno 1710. Sed & rursum vetustior nuncupari, si referatur ad illud omne, quod de Palæstina veteri novisse concessum est modò. Verùm hæc quoque unâ Poli elevationis dimensione gaudet, addicto Palæstinæ initio gradibus 30. 50. circiter latitudinis. Mittit etiam partiri regionem ad unamquamque Tribum spectantis: neque tandem signis, quæ sunt penitus uniformia, indicat, qui locus sit urbs, qui vicus, aut villa. Si tamen à Relando Mappa quæpiam fuisset concinnata. Sic locis, vel paulò minus referta, ut ejus Index est, aut Abecedarium: in quo sanè quum ampliùs mille recenseat, aliquando me dubium incessit, an brevis Palæstinæ tractus, qui teste D. Hieronymo apud eundem Relandum lib. 2. cap. 5. pag. 314., ab Ortu ad Occasum sex circiter supra quadraginta milliaria Romana complectitur, à Septemtrione verò in Austrum centum & sexaginta, aptus esset iis omnibus continendis: nam etiamsi major foret numerus Villularum, plurimæ tamen Urbes & Oppida quoque inter ea loca numerantur: hujusmodi profectò Tabulam vellem ego deligere, dividens Tribus, certisque characteribus majorem Urbium partem à Villis discriminans. Relandus enim Orientalium non modò linguarum omnium, quæ dignoscendæ Palæstinæ adeò conducunt, callentissimus est; verùm etiam rem quamlibet ratiocinio suo minutatim cribrat, neque erubescit, quod sanè dignum est tanto viro, & cunctis deberet esse commune, ea in dubio relinquere, quæ sine gravi momento sibi non videntur posse certò definiri. Sed quia vel hæc ipsa Relandi Tabula, ut ad secundam Paralleli lineam videbis, pluribus longè locis decurtata est, quam Textus, vel Index ejus amplissimus: iccirco hanc quoque ineptam Tibi existimarem.

Prudentissimè tamen ille quidem Tabulam suam infarcire noluit, in eam loca illa congerendo, quæ quamvis comperta ipsi forent, quòd à sacris Codicibus, Auctoribusve profanis nomine tenus indicentur, de eorum tamen positione certus satis non erat. Hinc, neque fortassis injuriâ, cap. 55. lib primi, pag 278., de quibusdam Geographis conqueritur, qui *voluerunt omnibus locis Palæstinæ, quæ in sacris literis memorantur, certam sedem in Mappis suis assignare; etiamsi iis de locorum situ vix aliquid certi constaret*. Sed quamquam res ita se habet, quum eorum, quæ supra mille commemorat, vix pars decima in sua Tabula referantur, hanc Tibi non congruere pro tenui judicio meo iterum arbitror.

Inspexi etiam Palæstinæ Tabellam eâ concinnatam de causâ, ut facilis sterneretur via ad Introductionem in Geographiam tam veterem, quàm novam Cl. Philippi Cluverii: Utraque ornatur hæc dimensione: sed adeò minutatim incisa est, ut ex ea neque lentis ope, quam exercendis utor characteribus, qui subinde in Pergamenis aliquantum absumpti occurrunt, loca potuerim decerpere.

Me itaque, & ea quidem, qua majori potui diligentia ad Nicolai Sansonii Tabulam converti Sacræ suæ Geographiæ insertam Editionis Amstelodamensis apud Franciscum Halma 1704., tamquam quæ oculum meum supra ceteras magis demulceat. Gaudet illhæc tum elevatio-

nis

30.'40. il principio della Palestina collocando, che di longitudine, cioè a dire, da gr. 65.'00. incirca desumendola (checche poi siasi, s'egli abbia, o non abbia colpito il segno; certa cosa però, e poco divario ritrovasi tra la longitudine di questa, e quella de la Rüe d'Amsterdamo, collocando questi Gaza in gr. 64.'55. incirca; ma bensì correre la differenza quasi di due interi gradi con quella del medesimo Sansone nell'Atlante sovranominato inserita, a gr. 66.'55. Gaza collocandosi) copiosa bastevolmente di luoghi, e questi distinti con segni indicanti qual sia Città, non già però sempre, e qual Villaggio, distinguendo altresì con note appropriate le Città Reggie, le Levitiche, e di Asilo dall'altre; e di grandezza direi quasi la più propria, ch'all'edizion vostra possa addattarsi. Pur'anche questa non è senza i suoi nei. Primieramente avendo egli voluto distinguere, com'era di dovere, la Terra-Santa nelle Regioni spettanti alle dodici Tribù; e per esatezza maggiore, ciascuna di esse soddividere nelle sue parti, prima, seconda, &c., nè di ciò soddisfatto, discegliere altresì le porzioni aggionte, o respettivamente levate dall'una all'altra, spezialmente nella Tribù Regia di Giuda, parte della quale fu assignata ai Daniti, e Simoneiti; parmi, che l'Incisore non sia stato a sufficienza attento a diversificar' i segni delle divisioni principali, come mi persuado, avrà Sansone delineate, da quei delle soddivisioni; Quindi ora non iscorgendosi nella Tavola, che sole linee morte di soli puntini composte, sì per l'une, che per le altre; non può con facilità l'occhio discernere a primo aspetto qual sia il termine divisorio d'una delle accennate Tribù dall'altra. Non va eziandio esente da varj errori d'Ortografia per la disattenzione dell'Incisore; e ciò, che più deve considerarsi, la situazione dei luoghi non di rado si dilonga da quella, che sta per norma nella graduazione esposta nel di lui Testo. Tutto ciò credo certamente per colpa dell'Incisore. Ma v'è di più, e che da prima non poca pena recavami. Ciò era la censura di Giovanni Clerico. Questi nella di lui Prefazione alla Geografia sacra del Sansone, dopo d'aver cumulate le giuste lodi allo stesso dovute ce lo scuopre insciente della lingua Ebrea, e Greca, tanto necessarie per l'intelligenza dei libri Biblici, e singolarmente circa della materia, di cui quì si tratta, se non per altro, per non moltiplicar almeno, lungi dal vero, i nomi dei luoghi ben di frequente, quantunque un solo, e l'istesso luogo venga descritto, diversamente nominati. La qual cosa pare, per vero dire, non potersi ben distinguere, che da chi possegga almeno almeno le due lingue sovraccennate.

Che Sansone fosse dell'Ebrea lingua in possesso io non voglio asserirvelo, nè s'abbia colto nel segno in quei luoghi, i nomi dei quali siano dalle radici Ebree dedotti; parmi ben però, che non di rado nel di lui Testo, od Indice, che vogliam chiamarlo, della Greca si mostri sufficientemente dotato. Comunque siasi, voglio credere, che il Clerico n'avrà certa contezza avuta, quantunque sia d'alcuni opinione, ch'egli, o poco, o nulla della Ebrea, e Greca favella s'intendesse, non potendomi mai persuadere, che Uomo onesto abbia voluto senza fondamento diminuire la gloria d'un Uomo illustre, e da lui stesso altamente commendato. Diedi perciò, non ostante la strettezza del tempo, una scorsa alla di lui censura, e non avendo in quella cosa di gran rimarco incontrata; risolsi d'esaminar minutamente la Tavola Sansoniana, e dipendentemente

ais Poli, desumpto à grad. 30.'40. Palæstinæ initio, tum longitudinis gradibus, hic scilicet computatâ à gradibus circiter 65.'00: esto tandem an scopum attigerit: qua in re illud certi est breve intervallum reperiri inter Tabulæ hujus longitudinem, atque ejus de la Rüe Amstelodamensis à quo statuitur Gaza sub gradibus circiter 64.'55: etsi duobus fermè gradibus distet ab ea ejusdem Sansonii, quæ in præfato Atlante conserta est, in qua Gaza exhibetur sub gradibus 66.'55. Loca etiam abundè satis exhibet, quæ signis discernuntur indicantibus, quænam sit Urbs, quod tamen constanter non fit, quæ Villa. Certis præterea adjectis notis Regiæ Urbes à leviticis, & Civitates Asyli à reliquis discriminantur. Tandem ea mole donata est, quam fermè dixerim aptiorem, quæ tuæ possit editioni convenire. Verùm neque hæc nævis caret suis. Primùm, quum voluerit Sansonius, ut operis ratio postulabat, Terram Sanctam in Regiones ad duodecim Tribus spectantes partiri; atque ad majorem diligentiam earum aliquam in suas partes primam, secundam, ceteraque subdividere: neque hoc contentus portiones etiam seligere vel uni additas, vel alteri è diverso detractis, quod præcipuè Regiæ Judæ Tribui contigit, cujus portio quædam Danitis & Simoneitis accessit; Incisor non mihi videtur in primarum divisionum signis à subdivisionum notis discriminandis accuratus æquè fuisse, ac Sansonius, ut facilè mihi suadeo, fuerit. Hinc quum modò in Tabula lineæ dumtaxat mortuæ solis punctulis constantes cernantur, quæ tum primis, tum alteris partitionibus inserviunt; primo intuitu facilè oculus discernere non potest terminum unam ab alia prædictarum Tribuum dispartientem. Præterea neque ab orthographiæ mendis immunis est ob Incisoris incuriam: atque, quod adtendendum est magis, locorum situs ab eo non infrequenter discrepat, qui in textus dimensionibus ad normam proponitur. Hoc equidem culpâ Incisoris nullus dubito. Sed aliquid amplius est, quo prima fronte non mediocriter sollicitabar; censura nempe Joannis Clerici. Hic in sua ad Sacram Sansonii Geographiam præfatione post congesta in eumdem debita laudum præmia, eum in hebræa & græca lingua imperitum prodit, quæ necessariæ adeò sunt librorum biblicorum captui, & ejus præcipuè materiæ, de qua hic agimus; ne saltim perperam multiplicentur nomina locorum, quæ satis frequenter, etiamsi unus sit idemque locus, diversimodè nuncupantur. Quod sanè, si vera loqui amamus, ab ea tantum rectè discerni posse videtur, qui utramque ad minimum præfatam linguam possideat.

Sansonium hebræam linguam calluisse, atque iis in locis attigisse scopum, quorum sint nomina hebræis è radicibus deducta, Tibi non asseram; græcâ tamen sufficienter imbutum in suo textu vel indice, si ita vocare libeat, semet ostendere mihi certè videtur. Utcunque se habeat res, juvat mihi credere certam de hoc notitiam Clericum habuisse: quamvis nonnullorum opinio ferat aut nullam aut exiguam hebræi græcique sermonis peritiem in Clerico fuisse: nec enim suadere mihi possum hominem bonestum voluisse inlustris viri gloriam, & ab eo ipso plurimum commendati nullo fundamento mutilare. Clerici ergo censuram, etsi temporis angustia revocabat, percurri; atque in ea quum nihil magni momenti offenderim, decrevi Tabulam Sansonianam ad exactissimam

eru-

mente da questa ho formato l'acclusa Paralello; dove Sansone occupa il primo luogo, al quale Autore rimetto gli altri quattro Scrittori, quando lo stesso luogo da Sansone venga ommesso, la chiamata si riferisce alla Colonna seconda assegnata a Relando, e così sussecutivamente riportasi tal chiamata a quella del Cellario, indi del Calmet, e finalmente alle due de la Rüe, che talvolta succede, quantunque egli occupi le ultime sedi, nei luoghi chiamati con nome composta.

Ho scielta la Tavola del Sansone per fondamento delle osservazioncelle mie, perche dal Clerico, quantunque egli l'abbia con minuta critica esaminata, viene collaudata in sommo; e fu di tal fondamento mi fo corragio di proporvela per confacevole all'intento vostro.

Avrei dato d'occhio più che volentieri alla Tavola della Palestina di Guglielmo Sansoni adornata da Giacomo Canteli, di cui s'è servito il dottissima Sig. Francesco Biacca nella di lui erudita desertaziane in difesa della veracità di Giuseppe Ebreo; e di molta collaudata, se pur serveml la memoria, dal Sig. di Plessis. Ma non avendola qui potuta ritrovare, ne altro ozio avendo d'avvisarvi in tempo da rintracciarla, per non ritardarvi più l'opera vostra; quando pur siate costante in voler aggiugnere a quella sì bello e fruttuoso ornamenta, crederei, che questa di Sansone isceglier potreste, quando però un Incisore pronto abbiate, che sia ottento, ed accurato; e che non defraude la vostra lodevolissima intenzione.

Altra Tavola più accurata della Terra-Santa promise l'erudito Sansone, come all'ultimo delle sue esamine veder potete; e non rade volte m'ha sorpreso il dubbio, se la inserita nella di lui Geografia sacra d'edizione di sopra accennatavi, sia non già la prima, ma la promessa. E non senza fondamento; poiche parecchie volte ritrovansi scolpiti nella stessa luoghi, de quali non fa menzione di sorta alcuna nel di lui Indice; o parimenti non pochi discordanti, come di sopra in vi dieeva, dal sito, che chiama la graduazione nell'Indice mentovata. Ma avendo pur anche osservato, che quanta esamina il Clerico corrisponde all'Indice, e Tavola Sansoniana, non saprei in ciò che credere. Comunque sia, ve la invio corretta secondo i sentimenti del Clerico, non però a chius'occhi, poiche, se tal volta io ho veduta l'opinione del Sansone appoggiata all'autorità d'altri autori rinomati, e con qualche ragione, che più appagato m'abbia della dal Clerico riferita, da questi mi scosto, ed abbraccio quella, che m'è paruta più plausibile; perche se ve l'ho a dire con lealtà, Sig. Filippo riverito, io venero tutti gli Scrittori, ed ho gloria somma in imparare da tutti; ma insino ad ora, non sò mò, se sia troppa presunzione, non ho mai voluta giurar in verba magistri.

Anzi a dirvela liberamente sono restato non poco maravigliato, che'l Clerico non abbia insinuata al Colletore dell'Atlante sovrascritto d'inserirvi la Tavola della Palestina, colle di lui correzioni nella sua critica esposte; quando nella di lui prefazione all'Atlante stesso asserisce d'aver egli le Tavole unite, ben esaminate, ed in varj luoghi corrette. E pure certissima cosa è, che nella ivi inserita dal Sansone medesimo ad usum Serenissimi Burgundiæ Ducis, *scorgonvisi, direi quasi tutti i medesimi errori, che dal Clerico nella sua censura si pretendino condennati (lo stesso fate conto, che occorra eziandio nella Tavola del figliuolo Guglielmo) anzi*

trutinam expendere; atque cohærenter ad illam adnexum Parallelum inivi, in quo primum obtinet locum Sansonius, ad quem ceteros Scriptores, si quando eumdem locum diversimodè eppellent, indicio literæ V. (idest *Vide*) remitto. Quod si aliquando locus aliquis à Sansonio prætereatur, tunc litera V. ad proximam columnam Relando adscriptam refertur: atque ab hac deinceps ad illam Cellarii, exhinc ad Calmeti, tandem ad geminas de la Rue, quod in locis quæ complexis nominibus vocantur, etsi postremas sedes obtineat, subinde contingit.

Sansonii verò Tabulam in mearum observatiuncularum basin constitui, quòd è Clerico, etsi rigorosâ criticâ in illam animadvertit, summis laudibus exornetur; quo mihi porrecta est ansa eam Tibi ut operi tuo congruentem exhibendi.

Oculis etiam pergnam libenter Guilielmi Sansonia Tabulam à Jacobo Cantellio recusam usurpassem; qua doctissimus Vir Frencifcus Biacca in erudita sua ad vindicandam Josephi Hebræi veracitatem dissertatione usus est, quæque plurimùm, si bene memini, à Domino du Plessis commendatur. Verùm quum illam neque heic adinvenire potuerim, neque satis habuerim ocii Tibi pro ea indaganda maturè monendo, ne diutius opus tuum morarer: ubi adhuc eamdem mentem retineas tantæ utilitatis ac elegantiæ ornamento editionem tuam cumulandi, opinoe posse te hanc Sansonianam deligere, si præstò Tibi sit Incisor accuratus & solers, quique mentem tuam laudis dignissimam nequaquam frustretur.

Aliam exactiorem Terræ Sanctæ Tabulam promiserat eruditus Sansonius, quemadmodum ad suarum disquisitionum calcem videre potes; & sæpe mihi dubiam travit sententia mentem, an quæ in sacra ejus Geographia inserta est Tabula, illa sit, quam est pollicitus, an quæ primùm evulgata. Neque hoc arbitraris: frequenter enim incisa in eadem leguntur loca, quorum nulla in ejus indice mentio: plura etiam, ut dicebam supra, à situ discrepant, quem indicant dimensiones in Indice relatæ. Sed quum præterea deprehenderim id omne, quod in examen à Clerico vocatur, Indici ac Tabulæ Sansonianæ respondere, rursus ambigo, quid mihi sit de ista credendum. Quocumque modo sit, hanc ad te mitto ad mentem Clerici castigatam; sed non sine delectu: si enim interdum Sansonii opinionem aliorum inlustrium Scriptorum auctoritate fulciri cognovi, & ratione aliqua mihi sapuit magis ac illa Clerici, ab hoc recedo, &, quæ probabilior visa, complector. Etenim, ut ingenuè Cl. Philippe tecum eloquar, Auctores omnes veneror, & mihi summæ gloriæ duco ab omnibus eddiscere; verùm adhuc, quod nescio an sit jactantius dictum, nolui jurare in verba magistri.

Imò, ut liberè dicam, haud mediocriter miratus sum Clericum præfati Atlantis consarcinatori nequaquam insinuasse, ut in eo Tabulam Palæstinæ unà cum expositis in sua critica emendationibus insereret: quum ipse sua in eumdem Atlantem præfatione affirmet se Tabulas accuratè disquisitas, ac pluribus in locis correctas in unum compegisse. Certissimum tamen est in ejusdem Sansonii Tabula ibidem inserta, *ad usum Serenissimi Burgundiæ Ducis*, ipsos penè dixerim errores deprehendi, quos Clericus in sua censura proscripsisse contendit (idem puta de Tabula quoque Guilielmi filii) imò

anni è corsi altresì per colpa dell' Incisore; e discordanti dal testo medesimo di Nicolò: come Astharoth q. & Basan, & Baestra in vece di Bosran; Accaim in luogo di Accaio; Alimis in vece di Alimi; Cibsaim, & Gibsaim, & Jacineam in luogo di Jecnaam; Enan in cambio di Enam; Jo. Selmon in vece di Mo-Selmon; Gozen in luogo di Gosen; Hay in vece di Hai; Mojarcon quand' egli vuole Mejercon, Baxa, che va esponta, Argob con segno di Città, quand'è estensione di Paese, così di Jair pure Paese, ed altri molti, che, per non più a lungo tediarvi, gli dono alla penna.

Io ve l'ho corretta in tutto ciò, che credo proceduto dalla disattenzione dell' Incisore; riportati pur molti luoghi al sito chiamato dalla graduazione riferita nel Testo, od Indice; e questo pur corretto non rade volte nei numeri delle graduazioni, ivi dallo Stampatore erroneamente apposti. Ho però lasciate intatte tutte le linee delle divisioni, e suddivisioni per non deturpare la Tavola, pel risico, che più non ve ne potesse per la novella incisione servire, non potend'io esser presente per condurre l'Incisore; nè dandomi l'animo, non essendo mia professione, di delinearvene per intero un altra, alla qual cosa, se pur atto io fossi, ricercherebbonsi più giorni di tempo da ogn'altra faccenda disoccupato.

Non ho parimenti alcun luogo dalle sponde del Giordano rimosso, quantunque per l'autorità di Giuseppe di sopra accennatavi voglia Relando che sia, e come scorgesi nella di lui Tavola, una solitudine onninamente disabitata: Errant omnino, scrive al lib. 2. cap. 56. pag. 278., qui in Mappis Geograficis Palæstinæ circa utramque ripam Jordanis urbes, & vicos plurimos collocant. In ciò dal Clerico non viene corretto Sansone, e di più parmi, che il dottissimo Relando stiasene troppo attaccato alla lettera, e non al sentimento di Giuseppe. Che in quelle spiaggie non vi fossero luoghi cotanto frequenti, come ivi scorgonsi nella Tavola d'Adricomio, voglio persuadermelo; ma che non ve ne fosse veruno, non posso accordarlo a Relando, se pur creder debbo a ciò, che Relando medesimo m'insegna al lib. 3. pag. 566.: EN MISCHPAT עין משפט alio nomine Cadesch in solitudine. Gen. 14.7. pag. 567. EPHRAIM Ἐφραίμ: Urbs in regione prope solitudinem Joh. 11. 54.: Epiphan. lib. 5. Tom. II. adv. Hæreses pag. 117. nuncupat illam πόλιν τῆς ἐρήμου urbem solitudinis pag. 642. IR HAMMELACH עיר המלח Urbs Tribus Judæ in solitudine pag. 737. SECHACHA סככה Urbs Tribus Judæ in solitudine Jos. 15. &c. pag. 389. ABEL MITZRAIM אבל מצרים, Locus non longè à Jordane in Area Atad. Adam urbs ad Jordanem &c. Tanti, o pochi più nella Tavola Sansoniana scorgonsi luoghi in quelle spiaggie.

Non crederei pure, che da Sansone sieno stati senza una plausibile ragione i luoghi nella di lui Tavola collocati; primieramente perchè molti luoghi egli nel di lui Indice annovera, dei quali quella non và altrimenti adorna, in secondo luogo d'altri nella sua Tavola delineati egli stesso confessa, come a suo luogo nelle annotazioni vedrete, di non saperne la situazione: chiari argomenti per dedurre, che a mero di lui capriccio non abbia quelli distribuiti, e la maggior parte degli incisi nella medesima, per lo più secondo l'ordine dei sacri

imò vel eosmet qui vitio irrepserunt incisoris, & ab ipso Nicolai textu discrepant; ut Astharoth q. & Basan, & Baëstra pro Bosran; Accaim pro Accain; Alimis pro Alimi; Cibsaim & Gibsaim & Jacineam pro Jecnaam; Enan pro Enam; Joselmon pro Moselmon; Gozen pro Gosen; Hay pro Haj; Mojarcon, quum ipse velit Mejercon; Baca, quæ debet expungi; Argob cum urbis nota, quum tamen sit regionis extensio: idem de Jair, quæ regio itidem est, deque aliis quampluribus, quæ, Tibi ne sim molestior, omitto.

Illam ego in omnibus castigavi quæ contracta ex incisoris oscitantia existimo: loca etiam quamplura revocavi ad situm, quem postulabat dimensio Textus seu Indicis, quem emendavi quoque non rarò in graduum numeris corruptè à Typographo ibidem adjectis. Ceterum lineas omnes divisionum subdivisionumque religio fuit attingere, ne fortè Tabulam ita deturparem, ut amplius Tibi esse non posset usui in novam incisionem, cui me præsentem sistere non poteram ad incisorem manudocendum, neque confidebam, quum artis hujus omnino sim rudis, alteram è vestigio delineare; cui rei, etiamsi fuissem idoneus, quamplures omni opere liberi dies requirerentur.

Nullum etiam locorum à ripis Jordanis dimovi, quanquam præcitata Josephi auctoritate velit Relandus nihil ibi esse, ut etiam in sua Tabula cernitur, præter solitudinem penitus incultam: Errant omnino, inquit lib. 2. cap. 56. pag. 278., qui in Mappis Geographicis Palæstinæ circa utramque ripam Jordanis urbes & vicos plurimos collocant. In hoc sanè à Clerico non corrigitur Sansonius: deinde videtur mihi doctissimus Relandus verbis potius quàm Josephi sensui nimis tenaciter adhærescere. In illis oris tantam locorum frequentiam non fuisse, quæ in Tabula cernitur Adrichomii, facilè credam, at extitisse nullum, id non permittam Relando; si fidem iis adhibere debuero, quæ tradit Relandus ipse lib. 3. pag. 566. EN MISCHPAT עין משפט alio nomine Cadesch in solitudine. Gen. 14. 7. pag. 567. EPHRAIM Ἐφραίμ .... urbs in regione prope solitudinem, Joh. 11. 54. Epiphan. lib. pr. Tom. II. adv. Hæreses pag. 117. nuncupat illam πόλιν τῆς ἐρήμου .... urbem solitudinis. Pagin. 642. IR HAMMELACH עיר המלח urbs Tribus Judæ in solitudine. Pag. 737. SECHACHA סככה urbs Tribus Judæ in solitudine. Jos. 15. &c. pag. 389. ABEL MITZRAIM אבל מצרים locus non longè à Jordane in Area Atad. Adam urbs ad Jordanem &c. Hæc vel non admodum plura loca circa regionem illam in Sansonis Tabulâ inveniuntur.

Neque etiam arbitrarer Sansonium nulla plausibili ratione loca in sua Mappa conlocasse; tum quia plura in Indice recenset, quæ non exhibentur in Tabula; tum quia fatetur ipse, ut suo loco in adnotationibus videbis, se quorumdam in Tabula descriptorum situm ignorare: quæ perspicuo argumento esse possunt, ut loca ea non propriu arbitratu à Sansonio distributa colligamus. Major insuper eorum numerus, quæ Tabula incisa servat, eo ut plurimum ordine digesta sunt, quo sacra in

ri Codici mentovate, *vengono da Sansone collocati: ordine per altro*, *di cui talvolta Relando stesso lib. 3. pag. 409. n' ha preso le congietture* ADAMA אדמה Urbs fuit sita בככר, in planitie, & à Deo eversa unà cum Sodoma *Deut.* 11. 33. *Gen.* 19. 25. si ex ordine quo recensentur Gen. 10. 19. aliquid de situ colligi potest, videtur inter Gomorram, & Zeboim collocanda; *per la qual cosa crederei*, *che Sansone non solamente le parti adempia di Storico*; *ma altresì quelle*, *per quanto richieda la materia di cui si tratta*, *di buon Geografo*.

. *Ed appunto perchè*, *se non di tutto*, *almeno della parte maggiore di ciò*, *ch' egli ha nella di lui Tavola delineato*, *nel testo*, *od Indice la ragione n' assegna*; *quindi è*, *che anzi d' abbracciar altra Tavola* (*come la Rüe*, *che per altro quella d' Amsterdamo*, *quantunque incisa sia con segni onninamente eguali*, *a riserva delle sole Città Regie*, *non poco piacciami*) *per non affidarmi alla sola guida delle Tavole*; *a questa per quanto s'aspetta a me per fondamento del mio Paralello ben volontieri m' appiglio*.

Nel far delinear questa Tavola, *se pur a ciò vi risolverete*; *avvertite ad attenervi alla graduazione della medesima*, *ch' è la stessa del testo*; *non già dello stampato*, *ma di questo*, *che nel Paralello v' invio*, *dagli errori in quello corsi corretto*; *non essendomi io punto dilungato dalla graduazione Sansoniana*; *si perchè da quella dipartendomi*, *la Tavola non sarebbe più quella di Sansone*; *si perchè più facile mi riuscisse della medesima il confronto col di lui testo*: *essendosi per altro dall' età di Sansone a questo torno di tempo fatte da valenti Astronomi nella celebre Academia delle Scienze di Parigi*, *a profitto della Geografia*, *diversissime osservazioni*, *per le quali la situazione dei luoghi ora viene di lunga mano con graduazione diversa dinotata*; *potrete perciò*, *se pur il giudicherete approposito*, *dar un piccolo avertimento al Leggitore*, *ch' essendo da que' Dotti collocata Gerusalemme a g.* 31. '50. *d' altezza di Polo e nella Tavola Sansoniana a g.* 31. '45., *e vengano assegnati g.* 33. *e* '00. *di differenza dal meridiano di Parigi in longitudine*, *e qui sta in g.* 66. '35. *distanta il primo meridiano dall' Isole di Tule*, *per quanto nella di lui Tavola dell' Europa nell' Atlante sovranomato inserita*, *hò osservato*, *che riuscirà facile a ciascheduno sapere la vera situazione dei luoghi*, *rispetto ai circoli Celesti*, *secondo l' osservata da quei valentuomini*, *facendo le dovute aggionte*, *a sottrazione*, *a misura della distanza dei luoghi con Gerosolima collazionate*.

Rivolgete ora l'occhio, *Sig. Filippo riverito*, *al Paralello tra questi cinque rinomati Geografi*. *L'ho steso per Alfabetto seconda le lettere latine*, *senza punto alle radici Ebraiche badare*, *perchè vi riesca più facile*, *e men tediosa*, *che ordinandolo per le Tribù*, *poichè sarebbe convenuto replicar l' Alfabetto ben per dodici volte*; *supplita avendo a tal divisione coll' apporre quasi a tutti i luoghi nominati la lettera iniziale della Tribù*, *a cui s' aspettano*, *dove tal volta discordanti tra di essi l' incontrarete*, *della qual cosa non dovrete gran meraviglia prendervi*, *poichè neppure S. Girolamo in quest' affare s'unisce sempre all' opinione d' Eusebio*. *Eccovene un esempio al libro secondo cap.* 11. *pag.* 349. *da Relando riferito*: Acaron in Tribu Dan, addit D. Hieron., sive, ut ego arbitror, in Tribu Judæ; *dovrete bene da que-*

sta

in Codicibus memorantur: à quo ceteroquin ordine Relandus ipse lib. 3. pag. 407. conjecturas desumpsit. ADAMA אדמה *urbs fuit sita* בככר *in planitie*, *& à Deo eversa unà cum Sodoma Deuter.* 11. 33. *Gen.* 19. 25. *si ex ordine*, *quo recensentur Gen.* 10. 19. *aliquid de situ colligi potest*, *videtur inter Gamorram & Zeboim collocanda*. Quamobrem judico Sansonium non Historici modò, verùm & periti Geographi, quantum præsens materia postulat, muneribus esse perfunctum. Atque ideo quia Sansonius, si minus de omnibus, de majori fanè eorum parte, quæ sua in mappa delineavit, in Texto vel Indice caussam allegat: hinc potius ac aliam Tabulam seligerem (puta illam Ruëi, quæ si Amstelodamensis sit, arridet mihi non parum, quamquam notis omnino similibus, ubi regias urbes exceperis, incisa est) ne Tabularum ductum unicè sequerer, hanc, quantum mea refert, in Paralleli basin satis lubeoter assumo.

In elaboranda Tabulæ hujus delineatione, si id quidem deliberaveris, adverte, ut utramque ipsius dimensionem retineas, quæ eadem est cum illa Textus, non ejus sanè qui est typis impressus, sed hujus quem in Parallelo recipies à vitiis, quæ subrepserant, emendatum. Nolui enim vel minimum à Sansoniana dimensione recedere; tum quòd ab illa discedens, hæc non esset amplius Tabula Sansonii; tum etiam ut mihi facilius foret eamdem cum textu comparare.

Ceterum quum ab ævo Sansonis ad hanc temporis periodum observationes quamplurimæ à peritis Astronomis in celebri Scientiarum Academia Parisiensi ad Geographiæ incrementum peractæ fuerint, quibus hodierna locorum positio graduum dimensione notatur; tu poteris iccirco, si ad rem judicaveris, paucis Lectorem præmonere, quum Jerosolymam docti illi Viri sub grad. 31. '50. elevationis Poli collocaverint, quæ in Tabula Sansoniana sub grad. 31. '45. sita est: quumque eidem adscripserint grad. 33. 00. distantiæ à meridiano Parisiensi in longitudine, quæ in eadem Sansoniana Tabula sub grad. statuitur 66. '35. desumpto primo meridiano ab insulis Thule, prout in sua Europæ mappa in prælaudato Atlante inserta observavi; facilè quemlibet deprehensurum veram locorum positionem relatè ad cœlestes circulos juxta præstantium illorum Virorum observationes, adhibitis ad proportionem distantiæ locorum cum Jerosolyma collatorum additionibus, vel subtractionibus necessariis.

Oculum intende modò Cl. Philippe ad institutum hos inter celebres quinque Geographos Parallelum. Ordine alphabetico literis tantùm latinis hebræas radices prætermittens eum concinnavi, ut laboris ac molestiæ patereris minus, quàm si per Tribus digessissem, opus enim fuisset Alphabetum duodecies repetere: cujusmodi distributioni satis ego feci, præfixâ omnibus fermè indicatis locis initiali Tribus, ad quam pertinent, literâ; si quando dissidii aliquid inter ea deprehenderis. Quod tu sanè non demiraberis vehementer, quoniam nec D. Hieronymus in re præsenti Eusebii opinioni perpetuus adhæret. En tibi exemplum à Relando lib. 2. cap. 11. pag. 349. adductum: *Acaron in Tribu Dan*; *addit D. Hieronymus*: *sive*, *ut ego arbitror*, *in Tribu Judæ*.

Ex

sta discrepanza non solamente; ma altresì dalla frequente, e notabile diversità dello scrivere, e denominare i luoghi nella Tavola riportati; un chiaro argomento dedurre, se facile potesse riuscire alla debolezza mia di felicemente uscire da Labirinto cotanto intricato, in cui m'avete colla connaturale gentilezza vostra involto. Per tanto fatela Sig. Filippo, secondo avete in costume, da Uomo saggio: non vi abbandonate interamente a me: consigliatevi con soggetti di valore; acciocchè non v'abbiate tardi, e fuor di tempo a pentire, non solamente della non poca spesa, ch' importerà l'intaglio di questa Tavola; ma vieppiù di non aver adorna a prò del Pubblico Letterario la bella Opera vostra con consiglio migliore. Fatevi alla memoria sovvenire quel di Seneca: che in uno stesso prato tal' uno non iscopriravvi, che una picciola Lucertola, quand' altri vi rintraccierà un bel Leprotto. E tanto più, ch' io ho passeggiato sì vasto campo e di spine ricolmo, con occhi per lo più ottenebrati dal sonno. Aggradite non ostante, se non la fatica, almeno il mio buon cuore, ed amatemi.

Dal Monistero di Pontida 13. Agosto 1733.

Vostro, e tutto Vostro
D. Giann-Andrea Astesati.

P.S. QUando la congiontura opportuna d'inviarvi Sig. Filippo riverito, per fida e sicura persona l'involto io stava ansiosamente attendendo, Voi presago de' vivi desiderj miei, m'inviate, ma troppo tardi, la Tavola della Palestina di Guglielmo Sansoni, da Giacomo Cantelli di nuovo delineata, e da Gian-Giacomo Rossi, l'anno 1679. in Roma data squisitamente alla pubblico luce. A primo aspetto sono stato rapito da questa bellissima Tavola, di estesa onninamente all'invenzion Vostra adattata; d'ambedue le dimensioni adorna; dove la parte più meridionale della Palestina si vede a gr. 30.00. d'altezza di Polo collocata; e Gaza Città la più occidentale di quella a gr. 66.'35. di longhezza; e squisitamente distinta l'una Tribu dall'altra. I segni, co' quali sono i luoghi dinotati, ivi si scorgono con vivace splendidezza incisi; e non meno, che in quella di Nicolò suo padre, le Città Regie, levitiche, e d'asilo con divisa singolare dinotate. In somma questa Tavola dall'occhio solo considerata, presso di me è la più bella che tra l'altre io abbia veduta; e tanto la di lei vivace bellezza m'ha l'occhio incantato, che se di questa, come di quella del di lui padre l'instruzione n'avessi, m'averebbe forse fatto mutar l'idea; ed in vece che a quella di Nicolò, a questa, se mi fosse giunta in tempo, mi sarei appigliato.

Non ostante l'angustie del tempo, e delle occupazioni mie, per la mia curiosità appagare ho voluto rubar qualche ora di quelle che ho qui obbligate per farne ben presto di tutta l'intera spoglio, il quale quì aggiunto al Parallelo di già preparato v'invio, acciocchè coi vostri proprj occhj veggiate se sia vero, quanto sopra di questa bellissima Tavola brevemente sono per dirvi: ricordandovi, che le chiamate procedono nella stessa guisa per gli altri accenativi, occupando queste l'ultime due colonne, che vedrete dopo la Rue aggiunte.

La Tavola, non può negarsi, vi replico, all'occhio è bellissima; e nell'esteriore apparenza e in tutte le parti sue compiuta; ma l'intrinseco di essa non corrisponde alla sua esterna bellezza. Questa non è, come nel Parallelo veder potrete, che figlia di quella di Nicolò, come altresì il celebre Autore, è dello stesso figliuolo. Credeva io

Ex hac opinionum diversitate non modò, verùm etiam à frequenti gravique in scribendis & nuncupandis conlatis in Tabula locis discrepantiâ pronum Tibi erit argumentari, an præ imbecillitate mea facilè me potuerim ab implexo adeò labyrintho, in quo nativa humanitate tua me includere Tibi placuit, feliciter expedire.

Age itaque, Philippe Cl., ut moris est tui, prudentem Virum: mihi ne te concredas uni. Consule peritos viros, ne sera & inutili pœnitudine capiaris perdidisse non modò haud exiguum æris in Tabulæ cælaturam; verùm etiam, quod pluris interest, mente meliori in Publici literarii commodum elegantem editionem tuam non adornasse. Recole illud Senecæ: *in quo prato nonnisi lacertam alter invenit, potest alter leporem rapere.* Idque vel eò magis quod vastum adeò campum, & vepribus obsitum oculis utplurimum somno marcentibus peragravi. Fac tamen æqui bonique si minus laborem, animum certè meum, atque me ama.

Ex Monasterio Pontidensi Idibus Augusti MDCCXXXIII.

Addictissimus
D. Jo. Andreas Astesati.

P. S. OPportunam occasionem, Philippe Cl., dum sollicitus opperiebar hominis certi fidique, per quem fasciculum Tibi mitterem; Tu conjectans, quod vehementer optabam, transmittis, nimium tamen serò, Palæstinæ Guillielmi Sansonii Tabulam à Jacobo Cantellio rursum delineatam, atque ab Joanne Jacobo Rubeo anno 1679. Romæ peregregiè cusam. Primo adspectu elegantissimâ hac Tabulâ captus fui. Extensio perbellè quadrat operi tuo: utrâque ornatur dimensione, Palæstinæ parte magis meridionali sub grad. 30.'00 elevationis Poli conlocatâ, Gazâ verò, quæ urbs est Palæstinæ occidentalior, sub 66.'35. longitudinis gradibus; unaque Tribus ab altera optimè discreta est. Signa quibus indicantur loca, nitidè luculenterque ibi sunt incisa; &, perinde ac in Nicolai Patris mappa, Regiæ, leviticæ, atque refugii urbes peculiari nota inscribuntur. Uno verbo Tabula illhæc oculis dumtaxat spectata, omnium, quas vidi, me quidem Judice, est venustissima; nec non viva ejus pulchritudo mihi intuenti arrisit adeò, ut si vel de hac, quemadmodum de illa Patris docentem Textum habuissem; depositâ forrassis priori mente, præ Nicolai mappâ, hanc si recepissem tempori, fuissem complexus. Temporis angustiâ meisque curis nequicquam reclamantibus, curiositati explendæ meæ horarum aliquot ab iis, quas occupatas heic habeo surripere libuit, ut quàm citissimè plena manu integrâ è Tabulâ excerpta colligerem, quæ unà cum parato jam antea Parallelo ad Te mitto, ut oculis videas tuismet, num vera ea sint, quæ breviter de pulcherrima hac Tabula sum Tibi dicturus, id monens interea eodem prorsus ordine pro reliquis indigitato adpellationes procedere, quum hæc postremas duas columnas, quas post Ruëum positas deprehendes, obtinear.

Tabula, ut dicam iterum, negari sane non potest, quin oculis adpareat perquam elegans, omnibusque suis in partibus absolutam se præseferat: at venusto cortici non respondet nucleus. Hæc, quod cernere poteris in Parallelo, nonnisi ex eâ Nicolai prognata est, quemadmodum & ipse inlustris Auctor ejusdem est

che 'l Castelli spurgata l'avessi da que' piccioli errori, che nella madre erano corsi, ma a riserva di ben pochi, già da Guglielmo corretti, parecchj n' ha succhiati col latte, o dal ventre della madre con seco portati.

Tra questi io non v'annovero i segni aggiunti, o mancanti alle Città per connotar le Regie e levitiche: poichè di questo tutta la colpa puol' essere dell' Incisore. Ad Asan, Astharoth, Bethsemes, Gethremmon si de Manassiti, che de' Daniti manca il segno di Città levitiche: Cathet-Naalol pur levitica, con un sol punto viene dinotata. Così a molt' altre, che per brevità tralascio, e con vostro commodo, se pur v'aggrada, presso di Adricomio con facilità collazionar potrete. Parlo degli stessi, che di già vi ho annoverati nell' osservazione fatta sopra la Tavola ad usum Serenissimi Ducis Burgundiæ di Nicolò, nell' Atlante di già mentovatovi inserita: e se leverete Jeenaam con altri pochi, il residuo di quegli errori vi sarà dal Parallelo dimostrata.

Farete forse singolar riflesso a certi luoghi da Nicolò ommessi, e dal figliuolo nella di lui Tavola nominati. Ma la maggior parte di questi gli scorgerete luoghi ignoti eziandio a gli altri Scrittori, de' quali nel Parallelo mi servo: per la qual cosa io, non avendo istruzione, nè altra guida, che la nuda Tavola, mi muovo a credere, che senza sufficiente fondamento sieno ivi descritti.

Asergadda, Catiathaim, Dabereth, Hesebon, ed altre le veggo da Guglielmo a Tribu diversa ascritte: ma con Nicolò o parte degli altri Scrittori, o tutti s' accordano.

Osservate altresì Cabul da Guglielmo creduto lo stesso luogo che Chabolo: ma da Relando pag. 297. Cabul vien chiamata urbs vastata propter contentiones; ed a pag. 521. Cabolo solamente vicus in confiniis Ptolemaidis. Josephus in vita pag. 2015. videtur Ζαβυλων legendum. Alibi sc. in vita pag. 1016. Χαβαλὼ dicitur, & Χαβαλων. Affine nomen est Cabul, de quo supra. Erat hæc urbs vastata propter discordiam &c.

Finalmente, per non tenervi più a bada, doveva il Cantellio, a parer mio, spurgarla da quell' errore troppo massiccio di Guglielmo, e che subito a primo aspetto dà nell' occhio di chi osserva la Carta: voglio dire d'aver egli Rinocoluta più vicina all' Egitto collocata, d'indi portandosi verso la Palestina fa susseguire Ostracina, d'indi Gaza: quando ogn' uno sa Ostracina esser Città dell' Egitto; e Rinocoluta tra questo, e la Palestina confinante. Eccovene l'autorità d'Antonino.

Rhinocorura
Ostracinam M. P. XXVI.
Casium M. P. XXVI.
Pentuschoenum M. P. XX.
Pelusium M. P. XX.

Parimente
Ascalone
Gazam M. P. XVI.
Raphiam M. P. XXII.
Rhinocoruram M. P. XXII.

Quindi è che Rinocolura da alcuni all' Egitto, da altri alla Palestina viene assignata.

Io per tanto non lasciandomi altrimenti vincere dalla bella apparenza esteriore di questa Tavola Cantelliana, dal di già sopradettovi punto non mi discosto; non tanto per gli errori nella medesima corsi, i quali con facilità correggere potrebbonsi; ma perchè col Testo alla mano di Nicolò, non fidandovi della sola material guida delle Tavole, potrete sempre render ragione a chiunque maggiore

filius. Putabam hanc fuisse à Cantellio levibus illis expurgatam mendis, quæ in matrem inrepserant, verum, si pauca demseris jam à Guillielmo emendata, aliquamplura lacte combibit, vel materno ab ventre contraxit.

Non his accenseo adjecta signa, vel minimè urbibus adposita ad Regias leviticasque connotanda; horum enim solus incisor esse potest in culpâ. Asan, Astharoth, Betsemes, Gethremmon cùm Manassæorum, tum Danitarum, desiderant leviticarum urbium notam: Cateth-Naalal itidem levitica uno puncto indigitatur. Idem de aliis pluribus, quæ studio brevitatis omissa poteris per ocium, si voluptate tibi fuerit, penes Adrichomium nullo negotio conferre. De iis dico, quæ jam Tibi recensui in animadversione in Nicolai Tabulam ad usum Serenissimi Burgundiæ Ducis præfato Atlanti contextam; sique Jeenaam cum aliis paucia exceperis, reliqui errores tibi à Parallelo monstrabuntur.

Ad loca quædam Nicolao neglecta animum fortassis præcipuè convertes, quæ filius Tabulæ suæ nominatim inseruit; sed majorem illorum numerum iismet Authoribus, quibus in Parallelo sum usus, ignotum intelliges; quamobrem quum nuda tantùm tabula magistra mihi sit & ductrix, moveor, ut credam nullo satis firmo fundamento ibi esse digesta.

Asergadda, Cariathaim, Dabereth, Hesebon aliæque à Guillielmo adscribuntur diversæ Tribui: at Nicolao reliqui Scriptores omnes, vel ferme omnes consentiunt.

Adverte præterea Guillielmum Cabul cum Chabolo confundere; sed à Relando pag. 297. Cabul adpellatur urbs vastata propter contentiones: & pag. 521. Cabolo solum vicus in confiniis Ptolemaidis. Josephus in vita pag. 1015. videtur Ζαβυλων legendum. Alibi, sc. in vita pag. 2016. Χαβαλὼ dicitur, & Χαβαλων. Affine nomen est Cabul, de quo supra. Erat hæc urbs vastata propter discordiam &c.

Tandem, ne te diutius morer, operæ pretium erat, ut quidem arbitror, errorem illum Guillielmi nimis certè crassum à Cantellio castigari, quique primâ statim fronte oculum Tabulæ exploratorem percellit: Rinocoluram nimirum Ægypto proximiorem constitui à Guillielmo; atque inde Palæstinam versus divertentem conferre se Ostracinam, ab illinc Gazam: quum tamen lateat neminem Ostracinam Ægypti urbem esse, Rinocoluram verò Ægypto ac Palæstinæ conterminam inter utramque jacere. En Tibi suffragium Antonini.

Rhinocorurâ
Ostracinam M. P. XXVI.
Casium M. P. XXVI.
Pentoschoenum M. P. XX.
Pelusium M. P. XX.
Item
Ascalone
Gazam M. P. XVI.
Raphiam M. P. XXII.
Rhinocoruram M. P. XXII.

Hinc Rinocolura nonnullis Ægypto adjudicatur, aliis Palæstinæ.

Minimè itaque patiens ego, ut externa Cantellianæ Tabulæ species fucum mihi faceret, à rebus Tibi præfatis nec hilum recedo, sphalmatum non modo causâ, quæ in eam inrepserunt possentque faciliter emendari, verum etiam quod Nicolai munitus textu, fulci crassoque Tabularum ductui nequaquam Te committens, poteris cuilibet, qui majori in Guillielmum,

re parzialità nutrisse verso di Guglielmo, che di suo padre.

Nel punto, ch'io stava per chiudere questa, capita quà opportunamente l'Opera del Sigonio della vostra edizione per ordine di questo Reverendiss. Vailetti a servizio di questa Libreria commessavi. Nell'osservare s'ella era ben condizionata ho il luogo incontrato dove e' discorre della morte del B. Alberto, e la scorgo ottimamente ligata all' anno vero 1095. quando in altra edizione, non mi ricordo ora se di Francfort, e d'altrove, della quale per non averne d'altra io già tempo a Milano mi son servito, malamente collocati i numeri marginali, viene all'anno susseguente ascritto. Io ho sentito un particolare contento, l'edizioni vostre iscorgendo più esatte dell'altre; poiche parevami di molto difficile, che all'esatta attentissima diligenza dell'Autore fosse, come ho scritto di sopra, scorso l'errore d'un' anno; quando non è che d'un sol giorno, della qual cosa non è da farsi gran caso; e tanto meno; poiche potrebbe anche credersi tal morte succeduta il primo di Settembre, come scrive Sigonio, e susseguita, secondo il costume, il giorno addietro la deposizione del cadavere, secondo a quanto insegna la lapide sepolcrale. In somma s'impara ogni giorno col fatto stesso quanto si debba andar cauto nell'imporre a gli Autori errori, che talvolta nelle di loro opere leggonsi, massimamente in materie Cronologiche, e simili, i quali ben di frequente non sono che mostri nati dall'ignoranza, od inavertenza degl'Impressori.

Così credette nelle osservazioni sue il Sigonio sopra la storia di Livio nella Decade 3. della stampa consuete diffalte il leggersi ivi Canneto *in vece di* Tanneto, *dove fortificaronsi i Romani, allorche da Annibale coi Galli unito furono rotti e fugati. Ma se ben' osserverete Sig. Filippo rivevite il contesto di Livio, forse vedrete non esservi errore alcuno di stampa; mentre ivi leggerete, che fugati i* Romani *Cannetum* vicum propinquum Pado contendêre: ibi se munimento ad tempus, *commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio* adversus crescentem in dies multitudinem hostium tutabantur. *E' vero, che la distanza dal* Pò *di* Tanneto, *tra Reggio, come sapete, presso il fiume* Lenza, *e Parma; e di* Canneto *sul fiume* Ollio, *tra questa e Brescia e di poco diversa, e forse la stessa. Ma e come mai potevano i Romani a* Tanneto *in paese nemico, diciamolo anche amico, assicurarsi, e colà essere dai Bresciani difesi, ed ajutati di truppe, e di foraggi? Quando per contrario* Canneto, *in quei tempi del Territorio Bresciano, sopra d'un fiume navigabile, che non può dirsi di* Lenza, *sino al* Pò, *in cui poco lungi sbocca tra Mantova e Cremona; e per conseguenza sito commodissimo ai Bresciani, che non può sognarsi di* Tanoeto, *per porgere agli amici Romani qualsivoglia sorta d'ajuto. Non posso stendermi di più sopra di questo particolare; sì per non aver quì con meco certe notarelle mie; sì per non trascurare la presente congiuntura opportuna di trasmettervi con celerità, e sicurezza l'involto.*

E quì, senza più, pregandovi, se non v'è grave, di ricordare il mio divoto ossequio al Sig. Conte Antonio Simonetti, con tutta cordialità, di bel nuovo mi replico

18. Agosto.

Tutto, e Tutto Vostro
D. Giann-Andrea Alesfati.

mum, quam io ejus Parentem studio ferretur, facere perpetuo satis.

Jam consignabam epistolam, quum hoc opportunè adfertur editionis Tuæ Sigonius ab hoc Reverendiss. Vailetto in hujus Bibliothecæ commodum ex Te comparatus. Dum inspiciebam, an sospes incolumisque ad nos devenisset, io id loci offendi, quo de B. Alberti morte disserit; atque illam deprehendo optime anno vero 1095. adligari; quum tamen in quadam editione, (Francofordiensis ne fuerit, an altera, modò non teneo) quâ, meliori quum essem destitutus, jam pridem Mediolani sum usus, marginalibus numeris pravè distributis in annum proximum conferatur. Non vulgarem animo voluptatem percepi, dum editiones tuas ceteris accuratiores cognovi: mihi enim difficile admodum videbatur, solerti ac adtentissimæ Auctoris diligentiæ errorem unius anni, ut scripseram superius, obrepsisse; quum omnino unius diei sit: quod tamen magnopere considerandum non est, atque vel eo minus, quòd posset etiam existimari ejusmodi mortem primâ Septembris evenisse, ut scribit Sigonius, postridie verò factam de more cadaveris depositionem, quemadmodum lapis indicat sepulchralis. Tandem verò ipso rerum usu quotidie perdiscitur, quàm parcâ manu impingenda sint Authoribus menda, quæ subinde in eorum leguntur Operibus, maximèque in Chronologicis aliisque id generis rebus, quæ frequenter quidem nil sont aliud præter monstra ex oscitantiâ, inscitiâve Typographorum erumpentia.

Sic arbitratus est olim *Sigonius* in Scholiis ad tertiam Historiarum Livii Decadem consueto Typorum vitio inibi legi *Cannetum* pro *Tannete*, ubi se Romani tunc munivere, quum ab Hannibale Gallis juncto cæsi fugatique fuerunt. Verùm si diligenter Philippe Cl. Livii contextum perpenderis, fortasse deprehendes nullum ibi Typographi Sphalma cubare; leges enim, quòd acti in fugam *Romani* Cannetum *vicum propinquum Pado* contendêre: *ibi se munimento ad tempus*, commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio *adversus crescentem in dies multitudinem hostium* tutabantur. Verùm sane est Tanneti à Pado intervallum Regium inter, ut Tibi perspicuum est, ad fluvium Niciam ac Parmam, atque Canneti ad Ollium flumen inter Parmam Brixiamque distare parum, vel fortasse nihil. At ecquonam pacto quibant Romani in hostili Tanneti regione, vel etiam, si mavis, amica se tutari, atque illeic à Brixianis tum defendi, tum copiis & commeatibus juvari? Contra verò jacebat per id temporis Cannetum in Brixiensi agro juxta navigabile flumen, quod de Niciâ non potest dici, ad Padum usque, in quem haud procul Mantuam inter Cremonamque influit: atque propterea locus erat oppido Brixianis opportunus, quod de Tanneto ne per somnium quidem ad suppeditandum Romanis amicis genus omne auxiliorum. In hac ipsa re morari non possum diutius, tum quia notulas quasdam meas heic mecum non habeo, tum ne promtam hanc occasionem negligerem celeriter atque tutò fasciculum transmittendi.

Sed jam manum è Tabulâ heic unum te deprecans, ut si minus molestum est, velis D. Comiti Antonio Simonettæ obsequentissimum animum meum recolere: atque Tibi ex penitissimo pectore me iterum addico.

XV. Kal. Aug.

Addictissimus
D. Jo. Andreas Astesatus.

Palæstinæ Parallelismus Alphabeticus ex Nicolai Sansonii, atque Hadriani Relandi, tum Abecedariis, tum Tabulis; ex Christophori verò Cellarii, Augustini Calmeti, & Philippi de la Rue, & quidem hujus una Parisiensi, Amstelodamensi altera, Tabulis tantum excerptus.

LECTORI MONITUM.

Loca, quæ ex Sansonio, & Relando sine graduum distinctione ponuntur, in eorum quidem Indice, seu Textu, sunt conscripta, sed ex alterutrius Tabula desunt. Quæ Relandus Indici suo adscribit ex adducta semel tantum alicujus sacri Codicis, vel Auctoris prophani relatione notantur, à nobis asterisco *, quemadmodum & ipse consuevit. Signum uniforme Civitatibus æque ac pagis seu vicis indiscriminatim apposuit Relandus idem in sua Tabula; At Sanson. Calm. & la Rue etiam in Parisiensi Tabula (in Amstelodamensi enim exceptis regiis urbibus æquali cetera connotat signo) urbes majori, vicos verò pagosve parvo signo distinguunt, quod tamen plerunque non perpetuo observant. Nos ut & ipsa ab invicem secerneremus, villis aut vicis, sive pagis, & quotquot ab iis parvo signo indicantur punctum . præposuimus. Sanson. præterea urbes in regias, leviticas, ac refugii partitur, de quibus nos in adnotationibus. Cellarius quoque in sua Tabula urbes, pagos, ac vicos signis triplici magnitudinis ordine inter se diversi tres in classes pulcherrimè dispexit. At nos, ut confusionem vitaremus, non curavimus hæc signa, contenti monere in nostris notis de ejus à reliquis auctoribus discrepantia, cùm sese obtulerit occasio. Quoniam præterea Calmeti, & Parisiensis Tabulæ de la Rue graduatione carent, idcirco ea loca, quæ infra Idumæam Terræ sanctæ, ut vocant, terminum meridionalem constituuntur, parva cruce †, quæ verò supra Sidonem, septentrionalem fere ejusdem terminum cruce magna ✠ à nobis designantur. Loca charactere majusculo conscripta denotant spatia quædam, seu extensiones nullis certis limitibus in Tabulis circumscriptas; atque ideo post gradus minuta ut plurimum signantur ∞. Quod si aliquando tantum oo. occurrat signum, tum argumento erit locum illum in Tabula quidem descriptum esse, at quolibet signo destitutum. Tandem litera d. dictioni alicui præposita ea loca exprimit, quæ in Relan. vel Sanson. Tabula reperiuntur, in eorum verò textu, seu Abecedariis desiderantur.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(1) A.B Jed. *long. g.* 66. 32. *lat. g.* 31. 38.						
Abane fluvius.						
Abarim. R. *g.* 67. 30. *g.* 31. 30.		Abarim montes. Abarim Jie. V. Jie Abarim.				
Abdie m. M. *g.* 66. 52. *g.* 32. 17.						
Abdon. V. Abran, Abdon, Madon.	* Abdon. V. Abran.	Abdon. V. Abran.		Abdon. A. V. Abran.	Abdon. A. V. Abran.	Abdon. V. Abran.
	Abel. N. V. Abel-maacha.					
Abel, Abella. V. Abella.	Abel-Bethmaacha. N V. Abel-maacha.			Abel. M. V. Abella. Abel-Betmaacha. V. Hobal.		
	Abel-Hassebsittim. R					
; Abel-maacha, alias Abelmain; & in textu: Abela, Abel-maacha, Abel-Beth-maacha, Beth-maacha, Abel-Domus-maacha, & Abel-maim. N. *long. g.* 67. 43. *lat. g.* 33. 5.	Abel Abel-Beth-maacha.			Abel-maacha. N.		Abel-maacha, al. Abel-main. N. *long. gr.* 69. 25. *lat. g.* 32. 10.
	Abel-main. V. Abel-maacha, &c.					Abel-main. V. Abel-maacha.
	Abel-mechola. V. Abel-mehule.					
Abel-mehola. M. *long. g.* 67. 13. *lat. g.* 32. 12. $\frac{1}{2}$	Abel-mechola. * Abel mitzeim.		Abelmeula. M.	Abelmechula. M.		Abel-mehula. M. *long. g.* 68. 51. *lat. g.* 32. 23.
						Abel-fathaim. V. Abel-fathim.
; Abel-fathim. R. *long. g.* 67. 17 $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31. 36.			Abelfetim. R.		Abel-fittim. R. *long. g.* 66. 52. *lat. g.* 31. 36.	Abel-fathaim. R. *long. g.* 68. 53. *lat. g.* 30. 50.
			Abel-fetim. V. Abel-fathim.		Abel-fittim. V. Abel-fathim.	
			Abel-vinear. R.			
Abela. V. Abel maacha.						
	Abela. *lat. g.* 30. 41.	Abela. *lat. g.* 32. 58.	Abela, seu Abilae, vel Amida. G.			
				Abelina. V. Belina.		
; Abella; int. & Abel Abella. M *long. g.* 68. 4. *lat. g.* 32. 26.				Abella, q. & Belle. M.		Abella. M. *long. gr.* 69. 43. *lat. g.* 32. 32.
Abelmain. V. Abel-maacha.						
			Abelmeula. V. Abel-mehule.			
	Abelmea.					
			Abelsetim. V. Abel-fathim.			
Aben, Boen. B. *long. g.* 66. 57. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32. 31.				Eben-Boen. B. co.		Aben-Boen. B. *long. g.* 68. 20. *lat. g.* 30. 50.
Abez Cinai Tabernaculum. V. Tabern. Abez Cinai.						Abet Cinai Tabernaculum. V. Tabern. Aber Cinai.
Abes. Is. *long. g.* 67. 22. *lat. g.* 32. 22. $\frac{1}{2}$	* Abets. Is.			Abez. Is.	Abes. Is. *long. gr.* 65. 1. *lat. g.* 31. 35.	Abes. Is. *long. g.* 68. 47. *lat. g.* 32. 36.
	Abesaros.					
	Abets. V. Abes.			Abez. V. Abes.		
	Abila Batanaeae.					Abhobi. V. Jeftel.
	Abila Peraeo.		Abilae. V. Abela.			
ABILINA, vel ABYLENE.						
Abraha Nemus. S. *long. g.* 65. 25. *lat. g.* 31. 11.						
(2) Abran, Abdon, Madon. A. *long. g.* 67. 17. $\frac{1}{2}$ *lat. g.* 33. 7.		Abdon. *lat. g.* 33. 24.		Abdon. A.	Abdon, Civ Levit. A. *long. g.* 66. 10. *lat. g.* 33. 19.	Abran, al. Abdon, & Madon. A. *long. g.* 68. 47. *lat. g.* 32. 12.
				Abran. A.	Abran. A. *long. gr.* 66. 19. *lat. g.* 33. 25.	

(1) Ager Booz.
(2) Madon, & Abdon loca duo diversa ex radicibus Hebraicis contendit Clericus; proprium tamen alterutrius situm non assignat, contentus mittere lectorem ad *Phaleg* Samuelis Bocharti; cujus insigne opus, cum ad manus modo non habeamus, propterea Tabulae adjungere nihil voluimus. Porrò locus hic, qui Sansonio urbs est levitica, parvo signo in Ruel Tabulae Parisiensi (hanc semper intelligimus, cùm graduatione careat, nisi Amstelodamensem memoremus) parvo signo depingitur, quae quidem affigendis signis discrepantia frequenter inter assertos Auctores occurrit. A nemine tamen, quod patebit infra, urbes quaecunque majoribus fuere signis indicatae.

A

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE?	RUE.	CANTELL.
		Abrona. oo.				
			Abum Promont. V. Prom. Album.			
	Abuma, q. & Ruma.			Ruma, Aduma. Jud.		
				Abuon. V. Ajal.		
			Abyia Lisaniæ. V. Hoba.	Abyla bisaniæ. V. Hoba.		
				. Abyla vinearum.G.		
Abylena. V. Abilina.						Acaim. V. Accain.
					Accaim. V. Accain.	
Accain. Jud. *long. gr.* 66.'43. *lat. g.* 31.'23.				. Accain. Jud.	Accaim. Jud. *long. g.* 66.'24. *l.g.* 31.'38.	Acaim. Jud. *long. gr.* 68.'15. *lat. g.* 30.'35.
				Accar. V. Jether.		
Accaron. D. *long. g.* 65.'42. $\frac{1}{2}$ *latit. gr.* 31.'47.	Ecron;	Accaron, Ekron. *lat. g.* 32.'4.	Accaron. D.	Accaron. D.	Accaron. D. *long. g.* 65.21. *lat. g.* 31.'46.	Accaron. D. *long. gr.* 67.'23. *lat. g.* 31.'10.
Accho. V. Achsaph, Acco, Ptolemais.						
Acco. V. Achsap, Acco, &c.	Acco. V. Achsaph, Acco, Ptolemais.		Acco. V. Achsaph, Acco, &c.	Acco. V. Achsaph, Acco, &c.	Acco. V. Achsaph, Acco, Ptolemais.	Acco. V. Achsaph, &c.
Accon. V. Achsaph, Acco, Ptolemais.						
						Accrabin. V. Acrabin.
		Ace; V. Achsaph, Acco, Ptolemais.				
	Achabara;					
				. Achach. Jud.		
Achad.						
	• Achalab; A;			. Achalab. A.		
				. Achar, Jechar, Jethira. Jud.	Achar. S. *long. gr.* 65.'22. *lat. g.* 31.'22.	
Achasib. V. Acziba.						Achasib. V. Acziba.
Achor. V. (*seu Vallis*) V. V. Achor.						Achillæ Collis. V. Collis Achilla.
(3) Achsaph, Acco, Ptolemais; in textu: Acco, Accho, Accon, Achsaph, sive Azaph, & Ptolemais. A. *long. g.* 66.'47. $\frac{1}{2}$ *lat. g.* 32.'58.	Acco; quæ & Ptolemais. *lat. g.* 32.'55.	Ace, Aco, Ptolemais. *lat. g.* 33.'26.	Acco, seu Ptolemais. A.	Acco, Ptolemais. A.	Acco. A. *long. gr.* 65.'41. *lat. g.* 33.'10.	Achsaph, al. Acco, Ptolemais. A. *long. g* 68.'18. *lat. g.* 32.'16.
Achzib. Jud. *long. g.* 66.'13. *lat. g.* 31.'27. $\frac{1}{2}$					Aczib. Jud. *long. gr.* 65.'35. *lat. g.* 31.'35.	Aczib. Jud. *long. gr.* 67.'46. *lat. g.* 30.46.
			Achziba. V. Acziba.			
		Aco; V. Achsaph, Acco, Ptolemais.				
	Acra;					
(4) d. Acrabata. M *long. g.* 67.'8. *lat. gr.* 32.'18.		Acrabata *lat. g.* 32.'21.				
ACRABATENA;		ACRABATENE *lat. gr.* 32. $\frac{00}{}$	ACRABATENE.			
		Acrabatene. V. Acrabatena.	Acrabatene. V. Acrabatena.			
	Acrabbim. *l.g.* 32.'17.			Acrabi. E.		
					Acrabbin. V. Acrabin.	
(5) ACRABIN, id. Ascensus Scorpionis. Jud. *long. gr.* 66.'25. *lat. g.* 30.'55.				Acrabi. E. Acrabbin.		
			ASCENSUS SCORPIONIS. Jud.	Ascensus Scorpionis. Jud.	Ascensus Acrabbin, seu Scorpionum. Jud. *long g.* 66.'10. *lat g.* 31.'5.	Accrabin, seu Ascensus Scorpionis. Jud. *long. g.* 67.'50. *lat. g.* 30.'7.

Acron;

(3) Acco, quæ Regia urbs est Sansonio, ab Achsaph secernitur à Clerico, & Relando: quorum hic in Tribu Aser collocat Achsaph; ambigens interea ne cum Ecdippa conveniat. At Clericus ex hebræa radice unam tantum urbem non esse asserit. Nos ergo a Sansonio non recessimus, claro deficiente lumine, nihilque in Tabula mutavimus.

(4) Locus hic in Sansonii textu desideratur, quem tamen & Cellarius memorat.

(5) Vicum in Samaria Relandus appellat, quem urbis signo in Parisiensi Tabula Rueus ornavit. At in Amstelodamensi *Acrabin* haudquaquam meminit, nisi cum Sansonio & Calmeto Scorpionis ascensum, sive quædam montium juga sic appellata designas; & quidem non in Samaria, sed in Judæa. A Rueo & Sansonio in ultimis Palæstinæ finibus Australibus, procul à mare mortuo ponitur, à Calmeto verò ad sinum maris ejusdem.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Acre, vel Arce, Auton. M.		
(6) Acron. D. long. g. 63. 50. lat. g. 32. '42.						Acron. D. long. gr. 67. '25. lat. g. 31. 6.
	Acschaph. A.					
	Actipus, al. Arce. A.					
	Aczib. V. Acziba.	Aczib. V. Acziba.		Aczib. V. Acziba.	Aczib. V. Achzib.	Aczib. V. Achzib.
(7) Acziba, Achasib, Ecdippos. A. long. g. 66. 33. lat. g. 33. 22.	Aczib, q. & Ecdippa. A. lat. g. 32. '2.	Aczib, Ecdippa. lat. g. 33. '32.	Achziba, seu Ecdippa. A.	Aczib, Ecdippa. A.	Acziba. A. long. gr. 65. '44. lat. g. 33. '17.	Achasib, al. Acziba, al. Ecdippos. A. long. gr. 68. '14. lat. gr. 32. '25.
					Ad Aquilonem lingua maris. V. Lingua maris ad Aquilonem.	
					Ad Aquilonem maris lingua. V. Lingua maris ad Aquilonem.	
				Ad Arnum castra. V. Castra ad Arnum.		
				Ad Jehabarim montes Statio. V. Statio ad Jehabarim montes.		
				Ad montes Jehabarim Statio. V. Statio ad Jehabarim montes.		
				Ad Zared Statio. V. Statio ad Zared.		
Adad-remmon. M. long. gr. 66. '39. lat. g. 32. 28.	Maximianopolis, inter & Hadadrimmon. lat. g. 30. '36.		Adadremmum, seu Maximianopolis. Is.	Adremmon. Is.		Adrademon. M. long. g. 68. 10. lat. g. 31. '42.
Adada. Jud. long. gr. 66. 8. lat. g. 30. '37.	* Adada. Jud.					Adada. Jud. long. gr. 67. '28, lat. g. 30. '21.
	* Adam.	Adam. lat. g. 32. '25.				
	* Adama. N.					
(8) Adama. Jud.	Adama.	Adama. lat. g. 31. '46.	Adama. Jud.	Adama. Jud.		
				Adama-necheb. V. Adami.		
Adami, al. Neceb. N. long. gr. 67. '52. ½ lat. gr. 33. '00.	Adami. N.			Adama-necheb. N.	Adami, quæ Nereb. N. long. gr. 66. '46. lat. g. 33. '23.	Adami, al. Neceb. N. long. g. 69. 24. lat. g. 32. 25.
	Adami. V. Damin.					
Adar. Jud. long. gr. 65. 46. lat. g. 30. '57. ½						
	(9) Adara.		Adar. V. Adrach.			
Adarsa. E. long. gr. 66. 32. ½ lat. g. 32. '7.				Adarsa. E.		Adarsa. E. long. gr. 68. '2. lat. g. 31. '19.
	(10) Adasa.		Adasa. E.			
Adassa. V. Hadassa.					Adassa. V. Hadassa.	Adassa. V. Hadassa.
					Adassa. D. long. gr. 65. '21. lat. g. 31. 41.	
				Addar. V. Addara.	Addar. V. Addara.	
	Addara.			Addar. Jud.	Addar. Jud. long. gr. 65. '3. lat. g. 31. '9.	Addar. Jud. long. gr. 66. '54. lat. g. 30. 34.
					Addar. V. Acharoeaddar.	
Addus. E. long. gr. 66. '32. ½ lat. g. 32. '5.						Addus. E. long. gr. 68. '11. lat. g. 31. '18.
			✠ Aden, seu Eden.			

Adia-

(6) Locum hunc olim in Tabula insculptum à Danitarum Accarone diversum non agnoscunt Adrichomius, Bonfrerius, Relandus, Cellarius, Calmetus, & Rueus, sed neque Sansonius ipse in Textu; quare nos a Tabula expunximus.

(7) A Calmeto pari ferme distantia Ptolemaidem inter & Tyrum infra Tyriorum scalam collocatur. A Rueo verò ponitur supra Tyriorum scalam Ptolemaidi ferè contigua.

(8) Circa lateris Orientalis dimidium à Rueo locatur; à Calmeto verò circa tertiam lateris ejusdem partem Septentrionalem.

(9) Confunditur cum Adas a Calmeto.

(10) Urbem Judææ prope Bethoron constituit Relandus minimè confundendam cum *Adaso* vico, cujus meminit doctissimus Franciscus Bacca in Josephi Hebræi Apologia lib. 2. cap. 24. & Eusebius in Onomastico apud Relandum ipsum.

A

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE:	RUE:	CANTELL.
Adiada. D. *long. gr.* 66.'5. *lat. g.* 31.'44.	Adida.					Ajada. D. *long. gr.* 67.'43. *lat. g.* 31.'2.
				Adiataim. V. Adithaim.		
	Adida. V. Adiada.				Aditaim. V. Adithaim.	
Adithaim. Jud. *long. g.* 66.'7 $\frac{1}{2}$ *lat. g.* 31.'42.	Adithaim. Jud.			Adiataim. Jud.	Aditaim. Jud. *long. g.* 65.'36. *lat g.* 31.'23.	Adithaim. Jud. *long. g.* 67.'42. *lat. g.* 31.'00.
Adjutorii Lapis. V. Lapis Adjut.						
	Admatha.					
	Adollam, V. Odollam.		Adom. G.			
Adomin Ascensus. V. Ascensus Adomin.			Adomin. V. Ascensus Adomin.			Adomin Ascensus. V. Ascensus Adomin.
					Adon. R. *long. gr.* 66.'32. *lat. g.* 31.'56	
			✠ Adonis fluvius.			
	Adora, q. & Adoraim. Jud.			Dorcon, Adora. Jud.		
	Adoraim. V. Adora.					
				Adossa. V. Hadassa		
				Adra. V. Adrach-Edrai.		
(11) Adrach-Edrai. M. *long. g.* 68.'26. *lat. g.* 32.'50.	Edrei, q. & Adraa. *lat. g.* 33. 6.		Edrai, seu Adar. G.	Edrai, & Adra. G	Edrai. M. *long. gr.* 67.'24. *lat. g.* 32.'45.	Adrach, al. Edrai. M. *long. g.* 70.'20. *lat. g.* 32.'5.
				Adiama. M.		
				Adremmon. V. Adadremmon.		
				Adron. G.		
Adullam-Socho. V. Odollam.	Adullam. V. Odollam.	Adullam. V. Odollam.				
				Aduma. V. Ruma, Aduma.		
					Adumin Ascensus. V. Ascensus Adumin.	
				Adumin Ascensus V. Ascensus Adumin.		
			Aegallim. V. Gallim.			
			Aegypte flu. V. Torrens Ægypti.			
			Ægypti fluvius. V. Nilus.			
		Ægypti flu. V. Torrens Ægypti. ÆGYPTI PARS. *lat. g.* 30.00.			ÆGYPTI PARS. *lg. g* 63.00. *lat. g.* 31.00	
Ægypti Torrens. V. Torrens Ægypti.					Ægypti Torrens. V. Torrens Ægypti.	Ægypti Torrens. V. Torrens Ægypti.
Aelath. V. Ailat.						
	Aelia. V. Jebus.	Aelia. V. Jebus.				
Aemath Introitus. V. Introitus in Æmath.						
Aen. V. Ain, Aen.						Aen. V. Ain, Aen.
Aengannim. V. Engannim.				Aengannim. V. Egannim.	Aengannim. Jud. *long. g.* 65.'36. *lat. g.* 31.'28.	
	Aenon.	Aenon. *lat. g.* 32.'35.	Aennon. M.			
			Aennon. V. Aenon.			
				Afraim. V. Hapharaim.		
Agaba, al. Gabatha.						
	Agalla.					
				Agallin. G.		
Agar Fons. V. Fons Agar.				Agar Fons. V. Fons Agar.		
Ager Boos. V. A. B.						

Ag.

(11) Altera est regia *Ogi* Regis Basan, ut inquit Sansonius in textu, & Cellarius ipse affirmat in *Edrai*. Hinc Regiæ urbis nota eam insignivimus. In Ruei Tabula locus septentrionalior, quamvis in eadem Gaditarum Tribu, quam in ea Calmeti.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				⊕ AGER Damascenus, q. & Regia convallis.		
(12) Ag Rob. B. *long. gr.* 66.' 37. *lat. gr.* 31.' 52.						
	Agla.					
	Agrippias. V. Anthedon.			Agrippias. V. Anthedon.		
Ahalab. V. Labanath.						
(13) Ahion, Ajon.						
Ahoi.						
	Ai. V. Hai.	Ai. V. Hai.				
				Aja. V. Aijn.		
				. Ajad Abuon. N.		
	Ajalin. V. Ajalon.					Afada. V. Adiada.
(14) Ajalon. D. *long. gr.* 66.' 2. *lat. gr.* 31.' 37. 1/2	Ajelin, inc. & Ajalon. *lat. g.* 32. 2.		. Ajalon. D.	. Ajalon Hieremiæ. D.	Ajalon civit. Levit. D. *long. g.* 66.' 52. *lat. g.* 31.' 47.	Anjalon. D. *long. g.* 67.' 36. *lat. g.* 30. 58.
			Ajalon. E.			
	Aija. B.					
	Aijn. Jud.			. Aja. Jud.		
	Aila. V. Ailat.					
Ailat, Ælath, Elath.	Aila, vel Elath. *lat. g.* 33.' 22.					
(15) Ain, Aen. S. *long. g.* 65.' 52. *lat. gr.* 31.' 24.						Ain, al. Aen. S. *long. g.* 67.' 30. *lat. gr.* 30. 49.
Aion. V. Ahion.						
	Aitam. V. Etam.					
(16) Akanthon-aulona. B. *long. gr.* 66. 39. *lat. g.* 31. 52.						
	Alamimelech. V. Elmelech.					
				Album Promontorium. V. Promont. Album.		
Alcat. V. Halchat.				Albyla-Sittim. R.		
				Alexandri-Schoenus V. Alexandroschoene.		
				Alexandrion. V. Alexandrium.		
Alexandrium. M *long. g.* 67. 20. *lat. g.* 32. 9.				. Alexandrion. E.		Alexandrium. M. *long. gr.* 68. 47. *lat. gr.* 31.' 23.
	Alexandroschoene. *lat. g.* 33.' 21.			. Alexandri-Schoenus. A.		
(17) Alimi. G *long. gr.* 67. 46. *lat. gr.* 31.' 7. 1/2						Alimis. G *long. gr.* 69.' 13. *lat. g.* 31.' 21.
						Alimis. V. Alimis.
Almath. V Almon, Almath.						
					Almatha Jud. *long. g.* 65.' 52. *lat. g.* 31. 24.	
(18) Almon, Almath. P. *long. gr.* 67. 3. *lat. gr.* 31.' 41.	* Almon. B.			Almon. B.	Almon. B *long. gr.* 66. 7. *lat. g.* 31. 48.	
				Alsidamus M. V. Hermon M.		

(12) Ager Robustorum.
(13) *Ajon* tantum sine aspiratione scribendum vult Clericus: at utrumque retinet Bonfrerius.
(14) Urbem hanc a Sanfonio leviticis adscriptam cum Adrichomio, parvo dumtaxat signo, quod videtur incongruum, indicavit Calmetus.
(15) Sanfonio, urbs levitica; quas inter & Adrichomius in Simeonitarum Tribu numerat.
(16) *Akanthon aulona*, corruptè in textu *Acanthalaunula*: quare Clericus qui *Akanthon aulona* legit, quod & ipsi nos incisionem corrigentes probavimus, dure nimium castigat Sanfonium soli innixus textus Typographi sphalmate corrupto, Tabulâ minimè inspectâ.
(17) *Alimis* olim in Tabula: vitio diacrim Incisoris: quod & Clericus existimavit, *Alimi* restituens; qui tamen propter frequentia hæc Incisorum & Typographorum sphalmata Sanfonium & Augustinum Lubinum in Tabulis Geographiæ Sacræ, quas non vidimus, castigat. Utinam rarius vel in ipsis facilioribus operibus id generis vitia irreperent. Interea Tabulam emendavimus.
(18) Civitas levitica Sanfonio; item & Adrichomio.

A

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(19) Alt. Test. B. *long. gr.* 67.' 16. *lat. gr.* 31.' 44.						Altare Testamenti. B. *long. g.* 68.' 47. *lat. g.* 30.' 58.
				Alter Carmelus mõs V. Carmelus alter mons.		
				Alter mons Carmelus. V. Carmelus alter mons.		
				Altera Astharoth. V. Astharoth, q. & Basan, &c.		
				Altera Dibon. V. Dibon altera.		
				Altera Jazer. V. Jazer altera.		
					Altara Zanoe: V. Zanoe.	
	Alula.					
Alus:	Alus:	Alus o o;				
(20) Amaad. A. *long. g.* 66. 57. *lat. g.* 33.' 1.	a Amad. A.			. Hamaad, Amaad. A.	Amaad. A. *long. gr.* 66. 5. *lat. g.* 33. 44.	Amaad. A. *long gr.* 68.' 29. *lat. g.* 32.' 25.
	Amad. V. Amaad.					
			Amalecitæ. V. Amalekitarum regio.			
		AMALEKITARUM REGIO. *lat. g.* 30.' 00	AMALECITÆ.			
	Amam. V. Amam-Sama.			Amam. V. Amam-Sama.	Amam. V. Amam-Sama.	
Amam-Sama. Jud. *long. gr.* 65.' 42. ½ *lat. g.* 31.' 7.	* Amam. Jud.			Amam. Jud.	Amam. S. *long. gr.* 65.' 7. *lat. g.* 31.' 37.	Amam, al. Sama. Jud. *long. g* 67. 1. *lat. g.* 30.' 33.
(21) Amana:						Amana M. V. M. Amana.
Amana M. V. M. Amana.						
				Amasiæ Petra. V. Jectehel.		
Ameth. V. AMATHIS.						
		Amath. V. Amatha.				
. Amatha. M. *long. g.* 67.' 51. *lat. g.* 32.' 27.	Amatha:	Amath. *lat. g.* 33.' 29.		Amatha. M.		Amatha. M *long. g* 69.' 20. *lat. g.* 32. 41.
	Amatha.					
				Amatheorum. V. Tiis Emath.		
AMATHIS, sive AMATH, EMATH, & HEMATH.						
(22). Amathus.	Amathus:		. Amathus. G.	Amathus. M.		
	Ameruta. V. Amerytha.					
						Amerytha. V. Amerytha.
(23) Amerytha. N. *long gr* 67. 49. *lat. gr.* 32.' 54.	Ameruta.					Amerytha. N. *long. g.* 69. 18. *lat. g.* 32.' 12.
			Amida. V. Abel-maacha.			
Amma. A. *long. gr.* 67 4. *lat. g.* 32.' 58.				. Amma. A.	Amma. A. *long. gr.* 65.' 59. *lat. g.* 33.' 2.	Amma. A. *long. gr.* 68. 39. *lat. g.* 32.' 11.
Ammaus. V. Emaus.	Ammaus. V. Emaus.					
Ammon. V. Hamon.				Ammon. V. Hamon.		
					Ammon. V. Rabat-Ammon.	
						Ammonitarum regio. V. Ammonitæ. Amon.

(19) Altara Testimonii.

(20) Urbs hæc in Aseritica Tribu *Messal* inter & *Elmelech*, quemadmodum Sansonius ipse docet: quare perperam in textu ponitur sub long. gr. 66.' 12., producenda enim est sub long. gr. 66.' 57.

(21) Vicum hunc explodit omnino Clericus, quem neque Sansonius in Tabula pinxit.

(22) Locus est ad Jordanem apud Rucum. Calmeto est ultra torrentem Jaboc longè à Jordane.

(23) *Amerytha* legebatur in Tabula, at vitium Incisoris purgavimus, ita jubente Clerico ex Josephi editione Genevensi. Verùm quis nobis persuadebit eam editionem ab omni errore puram esse, cum & Relandus ipse non *Amethyta*, sed *Ameruta* legat. Injuria ergo Sansonius à Clerico carpitur, qui totus in hoc uno videtur esse; alias enim Tabulam, alias textum Sansonii vellicat, cùm unum cum altera conferre debuisset, ne Typographi & Incisoris peccata Auctori præter æquum tribueret.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Ammonitæ. V. AMMONITIS.	Ammonitæ. V. AMMONITIS.		
		AMMONITIS. lat. g. 32.00.	AMMONITÆ. G.	AMMONITÆ. G.		
						AMMONITARUM regio. long. g. 70.00 lat. gr. 32.00
				. Amoas. G.		
Amon. V. Hamon, Amon.						Amon. V. Hamon.
(24) Amona. R. long. g. 67. 9. lat. g. 32.'2.						
		AMORRHÆI. lat. g. 32.00.		AMORRHÆI. Jud.		
Amosa. B. long. gr. 66.'20. latit. gr. 31.'57.½					Amosa. B. long. gr. 66.'00. lat. g. 31. 52.	Amosa. B. long. gr. 67.'53. lat. g. 31.'6.
Amot-Tor. V. Hamon.						
Amthar. V. Remmon Amthar.				Amthar. V. Remmon-Amthar.		Amthar. V. Remmon-Amthar.
					Amthar. Z. long. g. 66. 35. lat g. 33. 14.	
Ana; & Ava:						
Anab. Jud. long. gr. 66.'4. lat. g. 31.'12.½	Anab. Jud.			. Anab. Jud.	Anab. Jud. long. gr. 66. 10. lat. g. 32. 32.	
	Anablatha:					
	Anacharat. V. Anaharath.					
Anaharath. Is. long. g. 67.'2.½ latit. gr. 32.'32.½	* Anacharat. Is.			Anaharath. Is.	Anaharath. Is. long. g. 66.'22. lat. g. 32. 45.	Annaharath. Is. long. gr. 68.' 34. lat. gr. 31.'46.
(25) Anania. B. long. g. 66. 57. l. g. 31.'41.	* Anania. B.					Anami. V. Anania.
	Anathot. V. Anathot-Nob.		Anathot. V. Anathoth-Nob.	. Anath:		Anami. B. long. gr. 68.'26. lat. g. 30. 55.
(26) Anathoth-Nob. alias Nobe. B. long. gr. 66. 45. lat. gr. 31. 47.	Anathot. B. lat. gr. 31.' 55.	Anatoth. lat. g. 32.'12.	. Anathot. B.	. Hophat-Nobe.	Anatoth. B. long. g. 66. 2. lat. g. 31.'50.	Anathoth-Nob, al. Nobe. B long. gr. 68.'17. lat. g. 31. 00.
		Anatoth. V. Anathoth-Nob.			Anatoth. V. Anathoth-Nob.	
				Anazarbeum. V. Turris Stratonis.		
	Anea. lat. g. 31.' 30.					
Anem. V. Engannim Anem.	* Anem. Is.				Anem. V. Engannim. lat. g. 31. 27	
Aner. V. Tanac, aut Thenac.	Aner. V. Tanac, aut Thenac.					Aner. V. Tanac:
Ange Montes.						
Anim. Jud. long. g. 66. 4. lat. g. 31. 8	* Anim. Jud.		. Anim. Jud.		Anim. Jud. long. g. 65. 26. lat. g. 31. 24.	Anim. Jud. long. g. 67.'32. lat. g. 32.'30.
	Anna.					
						Annaharath. V. Anaharath.
				. Anothabor. N.		
			✠ . Antaradus.			
(27) Anthedon.	Anthedon; int. al. Agrippias. lat. gr. 31. 38.	Anthedon. lat. gr. 31.'22.	. Anthedon, seu Agrippias. S.		Anthedon. Jud. long. gr. 64 ' 31. lat. gr. 31.'16.	
			✠ Anticasius (M.)			
	ANTILIBANI PARS. lat. g. 33.00		ANTILIBANUS.	ANTILIBANUS. Prol.		
	Antilibanum int. & Libanum Vallis. V. Vallis int. Libanum, & Antilibanum.					

Anti-

(24) Hanc commentitiam urbem appellat Clericus. Sansonius locum hunc paucis in textu memorat, in Tabula verò parvo signo pinxit. Verum quoniam Scriptorum, quibus utimur, nullus *Amona* neque ut vici, neque ut urbis meminit, & congesta a Clerico probari posse videntur, eo vel maximè quod consentientem habeamus Bonfrerium; idcirco signum hoc delendum curavimus.

(25) *Anania*, non *Anania* & textus & Tabula exhibent. Sed placet amplecti monitum Clerici *Anania* legendum præcipientis, cui suffragatur & Relandus *Anania* semel quidem legens. Cellarius neutrius meminit.

(26) Et hanc urbem juxta Sansonium & Adrichomium leviticam parvo signo Calmetus connotavit.

(27) Urbs hæc & *Agrippias* appellatur, quo nomine ab Herode appellata est in Agrippæ decus. Pulchram Agrippæ nominis originem, lib. 15. cap. 16. Noctium Atticarum tradit Gellius: *quorum in nascendo non caput*, ait, *sed pedes primi extiterant (qui partus difficillimus ægerrimusque habetur) Agrippæ appellati, vocabulo ab ægritudine & pedibus conficto.*

A

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Antilibanus M. Græcis. V. Libanus Mons.		Antilibanus. V. Libanus Mons.	Anti-Libanus. V. ANTILIBANI PARS.	Anti-Libanus. V. ANTILIBANI PARS.	Antilibanus. V. Libanus Mons.	
. Antiochi Pharanx. M long. gr. 68.' 9. lat. gr. 43.' 5.	Antiochi Pharanx.					Antiochi Pharanx: M. long. gr. 69.' 55, lat. gr. 32.' 20.
Antiochia.			⊕ Antiochia.			
Antipatris. V. Caphar-Salama.	Antipatris. V. Caphar-Salama.	Antipatris. V. Caphar-Salama.	Antipatris. V. Caphar-Salama.	Antipatris. V. Caphar-Salama.		Antipatris. M. long. g. 67. 48. lat. g. 31.' 42.
Antiqua Tyrus. V. Tyrus antiqua.						Antiqua Tyrus. V. Tyrus-antiqua.
Antrum Panium. V. Panium Antrum.						Antrum Panium. V. Panium-antrum.
	Anua. V. Anuath.					
Anuath. E. long. gr. 66.' 41. l. g. 32.' 57. 1/2	Anua.					Anuath. E. long. gr. 68.' 13. lat. g. 32.' 12.
	* Apadno:					
			Apamea, seu Sephama. V. Sephama.			
	Apathos:					
Apha:	Apherema. V. Apherima.					
Aphara:						
Apharaim. V. Hapharaim.						
(28) Aphec. A. long. g. 67. 10. lat. g. 33. 3.	Aphec. A.		⊕ Aphec.	Aphec. A.	Apheca. A. long. g. 66.' 18. lat. g. 33 39.	Aphec. A. long. gr. 68. 40. lat g. 32.' 16.
(29) Aphec. Is. long. g. 66.' 47. 1/2 lat. gr. 32.' 35.		Aphec. lat g. 32.' 31.		. Asphec. Is.	Apheth Regnum. Is. long gr. 66.' 2. lat. gr. 32. 44.	Aphec. Is. long. gr. 68. 19. lat. g. 32.' 48.
					Apheca. V. Aphæca.	
					Apheca. V. Aphec A.	
					Aphera. V. Aphra.	
				. Apherba. Jud.		
				Apherema. V. Apherima.		
Apherima. E long gr. 66.' 14. lat. gr. 32. 7. 1/2	Apherema.			. Apherema. E.		Apherima. E. long g. 67. 45. lat. g 32. 21.
					Apheth. V. Aphec.	
(30) Aphæca: Jud. long. gr. 66.' 20. lat gr. 31.' 17.					Apheca Jud long. g. 66. 20. lat. g 31. 29.	Aphæca. Jud long. g. 67. 52. lat. g. 30. 31.
. Aphæci. E. long g. 66 17. lat. g. 32. 16.						Aphæci. E long. g. 67. 52. lat. g. 31. 34.
	Aphra:				Aphera. B long gr. 60. 25. lat. g. 31.' 52.	
	Aphraim. V. Hapharaim.					
	Aphsa.					
Apollonia. V. Caphar-Salama.						
	Apollonia. lat. gr. 32.' 23.	Apollonia. lat. gr. 32.' 31.	. Apollonia. E.	Asdot-Apollonias. E.		Apollonia. E. long g. 67.' 43. lat. g. 32. 32.
				Apollonias. V. Apollonia.		
				Aquæ. V. Mare Jazer.		
Aquæ Maserephot. A long gr. 67.' 11. lat gr. 33.' 37. 1/2					Aquæ Messerephot. A long gr. 66. 30 lat. g. 34 7.	

Aquæ

(28) Non parum supra Sidonam *Aphec* à Calmeto statuitur; a Rueo verò infra quoque Tyrum

(29) *Aphec*: Urbs regia Sansonio & Rueo in Amstelodamensi Tabula, quæque parvo signo in Parisiense connotatur.

(30) Hic Clericus *Aphæca* scribendum imperat: advertere tamen debuisset *Apheca* per Sansonium ipsum designari potius *Aphec* in Issachari Tribu; cum *Aphæca* urbs sexta vocetur inter illas novem, quæ septimam Tribus Judæ portionem constituunt.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(31) Aquæ Merom. N. *long. gr.* 67.' 57. *lat. g.* 33. 4.	Lacus Samochonites. *lat. gr.* 33.' 17.	Samochonitis Lacus *lat. gr.* 33.' 35.	Aquæ Merom. M.	Lacus Semethon, & Aquæ Morom.	Aquæ Merom. *long. gr.* 66.' 47. *lat. gr.* 33.' 30.	Aquæ-Meron. N. *long. g.* 69.' 24. *lat. gr.* 32.' 21.
						Aquæ-Meron. V. Aquæ-Merom.
					Aquæ Messerephot. V. Aquæ Maserephot.	
Aquæ Nemrim. Jud. *long. gr.* 67.' 14. *lat. gr.* 31. 9.				Nemrim, & Aquæ Nemrim. R.	Aquæ Nemrim R. *long. gr.* 67. 10. *lat. gr.* 31.' 30.	
			Nemrim. R.			
Aquarum viventium puteus. V. Puteus aquarum viventium.						Aquarum viventiũ puteus. V. Puteus aquarum viventium.
	Ar. V. Areopolis.	Ar. V. Areopolis.	Ar. V. Areopolis.	Ar. V. Aorer:	Ar. V. Aroer:	
(32) Ar, Aroer. G. *long. gr.* 67.' 44. *lat. g.* 31.' 47. ½	Ar, Aroer, & Aror.	Aroes. *lat. g.* 32.' 10.		Arder Arerpolis. G.	Aroer contra Rabba. G *long. g.* 66. 47. *lat. gr.* 32.' 28.	Aover: G. *long. gr.* 69.' 46. *lat. g.* 31. 7.
Ara; eadem quæ & Haran, & Charan.						
Arab. Jud. *long. gr.* 66. 22. ½ *lat. gr.* 31.' 7.	* Arab.					Arab. Jud. *long. gr.* 67.' 57. *lat. g.* 30. 21.
				Araam.		
	Araba. *lat. g.* 32.' 23.			Araba. Z.		
						Arababa. M *long. gr.* 68. 37. *lat. g.* 31. 31.
				Arabes Moabitæ. V. MOABITÆ.		
ARABIA.	ARABIÆ PARS.	ARABIA PETREA.		BOSTRA LEGIO ARABIÆ PETRÆÆ. Ptol. BOSRA.		
	Arabiæ Petrææ Metropolis. V. Petra Jecthel.					
		Arabici Sinus Lingua. V. Lingua Sinus Arabici.				
				Araboth. R.		
(33) Arad. V. Eder Hered.	Arad. V. Eder Hered.	Arad. V. Eder Hered.	Arad. V. Eder Hered.	Arad. V. Eder Hered.	Adar. V. Ered Heder.	Arad. V. Eder-Hered.
Arad Fons. V. Fo. Arad.			Arad Fons. V. Fo. Arad.			Arad Fons. V. Fons Arad.
Aradus.			✠ Aradus.			
			✠ ARAM, seu Syria Soba.			
			✠ ARAM, seu Syria Damasci.	✠ MAACHA SYRIA, seu Damascenæ.		
Aram. M. *long. gr.* 67. 59. *lat. g.* 33. 6.						Aram. M. *long. gr.* 69.' 35. *lat. g.* 32. 25.
(34) Arama-Afor N *long. gr.* 67. 24. *lat. gr.* 33.' 5.	Arama, & Kirama, sed corruptè.	Hasor-Aforus. *lat. gr.* 33.' 30.	Afor. N.	Arama. N.	Arama. N. *long. gr.* 66. 51. *lat. g.* 33. 43.	Arama-Afor. N. *long. g.* 68.' 53. *lat. gr.* 32.' 19.
	Aramatha.					
			Aranot.			
	Arath.					
Arbe. V. Cariath-Arbe, Hebron.				Arba. M.		
(35) Arbela. Is. *long. gr.* 67. 42. ½ *lat. gr.* 32.' 57 ½	Arbela.		Arbela. Is.			Arbela. Is. *long. gr.* 68. 47. *lat. g.* 31. 44.

(31) Apud Rucum Aquæ *Merom* Inferioris sphalmate pro *Merom* leguntur. Quantum hic à Calmeto distat Sansonius? Aquas Merom iste vocat cum Bonfrerio, & Ruei Tabula editionis Seminarii Patavini, quas Cellarius, Relandus, & Rucus in Parisiensi (in Amstelodamensi enim lacus est anonymus) ac Calmetus ipse *lacum* appellant *Samochonitem* in Nephtali Tribu Orientem versus. At verò Calmetus, non *lacum Semihonitem*, sed *Aquas merom* eas esse vult, quæ longè inferius per Manasses Tribum cis Jordanem fluvidi ad instar, apud Dothaim, a parvo quodam lacu effluentes, sive stagno, inde ad Doram in mare magnum influunt. Hanc sententiam unus tuetur Calmetus, qui tamen iis non innititur fundamentis, quibus jure possit à recepta communiter opinione recedere, uti cuilibet perspicuum esse potest ipsum legenti in Animadversionibus ad ejus Tabulam pag. 26. & in ejus Comment. ad Jos pag 51. & ad lib. Jud. c. 5. pag. 147.
(32) Videndus Relandus Bonfrerium, a quo ad Amonis ripam urbs huc locatur, cum Eusebio concilians, qui eam in montis vertice constituit.
(33) *Arad* ne ab *Addara* distinguamus monet Calmetus; non ita tamen Relandus.
(34) Hanc Sansonius regiam urbem insculpsit, quæ à Relando vicus dicitur. Urbibus attamen & Bonfrerius eam accenset.
(35) *Arbella* in textu legitur, forte Typographi oscitantia: quod non fugit Clericum, qui legendum advertit *Arbela*. At si præter textum Tabulam etiam adiisset, censuram hanc potuisset omnittere.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(36). Arbellis: N. *long. gr.* 67.' 44. *lat. gr.* 32.' 56.						Arbellis. N. *long. g.* 69.' 12. *lat. g.* 32. 9.
Arbi.						
	Arca. A.		⊕. Arca.			
	Arce. V. Aftipus.					
		Arce. V. Petra.	Arce. V. Petra.			
				Arce. V. Acre.		
Archelais: E. *long. g.* 67. 8. *lat g.* 31. 54.	Archelais. *lat. g.* 32.' 3.	Archelais. *lat. gr.* 32.' 13.				Archelaie. E. *long. g.* 68. 50. *lat. g.* 3e. 6.
					Archiat-areth. V. Atarot Addar.	
Archiatharoth. E. *long. g.* 66.' 50. *lat. gr.* 31. 54.						Archiatharoth: E. *long. g.* 68.' 22. *lat. g.* 31.' 8.
				Arder Arcepolis. V. Ae, Aroer.		
Arebba. Jud. *long. g.* 66.' 22. *lat g.* 31. 47.					Arebba. D. *long g.* 65. 44. *lat. g* 31.' 41.	Arebba. Jud. *long g.* 67. 53. *lat. g.* 30. 59.
Arecon. D. *long. g* 66.' 7. *lat. g.* 31.' 37. $\frac{1}{2}$				. Arecon. D.	Arecon. D. *long. g.* 65.' 31. *lat. g.* 31. 54.	
			. Areon. E.			
	Areopolis, q. & Ar, intee & Rabbat-moba.	Ar. feu Areopolis. *lat. g.* 32.' 1.	Ar, feu Areopolis, vel Rabat-Moab, vel Ariel-Moab, feu Kirhereseth. R.	Rabath-Moab, Rabath-mon. R.	Rabbath-Moab. R. *long. gr.* 66.' 49. *lat. gr.* 32. 5.	
				Arerpolis. V. Arder.		
	Arethusa.					
				Argab. V. Argob.		
(37) ARGOB. M. *long. gr.* 68.$\frac{00}{-}$ *lat. g.* 32.$\frac{00}{-}$			. Argob, feu Ragaba, vel Ergata. M.	Argab. M.		Argob. M. *long. gr.* 69. 41. *lat. g.* 32.' 11.
			Ariel-Moab. V. Areopolis.			
	Arimanon.					
	(38) Arimathaea, q. nunc Rama, intee & Ramda. *lat. g.* 32.' 6.			Rama, Arimathia. R.		
				Arimathia. V. Arimathaea.		
	Arindela.					
	Aristobulias.					
(39). Aruon. G. *long g.* 67. 52. *lat g.* 32.' 3						Aronon. G. *long. g.* 69 53. *lat. g.* 31. 33.
Arnon M. V. M. Arnon.					Arnon Mons: V. M. Arnon.	Arnon M. V. Mons Arnon.
(40) Arnon Torrens. G. *long g.* 67.' 50. *lat. g.* 31.' 56.	Arnon flumen terminus olim Regionis Moabiticæ, atque Israeliticæ. *lat. g.* 31.' 50.	Arnon flu. *lat. gr.* 32.' 28.	Arnon Torr. R.	Arnon Torr. R.	Torrens Arnon. R. *long gr* 68. 4. *lat. gr.* 32. 26.	Arnon Torrens. R. *long. g* 69.' 59. *lat. g.* 31. 18.
Aroer. V. Ar, Aroer.	Aroer. V. Ar, Aroer.	Aroer. V. Ar, Aroer.			Aroer. V. Ae, Aroer.	
			Aroer. R.	Ar, & Aroer. R.	Ar, & Aroer. R. *long. g.* 67. 3. *lat g* 31. 47.	
	Aroiles.					

Ar.

(36) *Arbellis* cum *Arbela* a Sansone in textu confunditur, quamvis utraque in Tabula impressa sit. Clericus altum silet cum tentus literulam *l* in Arbella truncasse. Eam Cellarius praeterit. Adrichomius *Arbelis* regionem & oppidum in Tribu Nephthali describit: in Zabulonis etiam, atque Issacharis Tribubus alteram Arbellin collocat. Unam agnoscit Bonfreeius, at non definit, in qua Tribu reperiatur vel Zabulon, vel Issachar, vel tandem Manasse. In hac tanta varietate quidquam in Tabula mutare ausi non sumus.

(37) Regionis dumtaxat nomen esse & Cellarius, & Sansonius ipse in textu tradit. At Bonfrerius locum quemdam in Samaria suspicatur: at lib. 1. cap. 33. pag. 149. exploditur à Relando: *in Basen erat regio* ארגב *Argob, cujus nominis vestigia in Payabà credimus nos invenisse, in qua 60. illæ urbes vel villæ* חות יאיר *Chavoth Jair dictæ*. Deuter. 3. 4. 14. Reg. 4. 13. Nos ergo, quoniam urbis signum in Tabula appositum fuerat *Argob* illud expunximus, proprio Regionum adjecto charactere. Tabula quoque Ruei in hoc peccat; sicut & illa Calmeti. hic tamen in Animad. Relando potius accedit.

(38) Hæc suo loco in litera R. à Relando indicatur.

(39) Num urbs sit, parvo notata signo, subdubitat Clericus: & Bonfrerius non urbem, sed rupem vult esse, è qua Torrens *Arnon* erumpit. Nos tamen signum retinuimus, quod Clericus vel Torrenti, vel Loco id nominis inditum neque affirmet, neque neget.

(40) A fontibus eminentioribus hunc Torrentem derivat Calmetus, secus ac Rueus. Apud ambos in mare mortuum influit, sed superius Rueo, Calmeto insertus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELR.
				Aroma. V. Horma.		
	* Aror. V. Ar, Aroer.					
	Arpha.					
Arphad eadem cum Amath, vel Emath.						
Arphas. M. *long. g.* 68.' 22. ½ *latit. gr.* 32.' 39.						Arphas. M. *long. gr.* 70. 2. *lat. gr.* 32.' 53.
	Arsane.					
ARSARETH.						
				. Arta. M.		
	* Arubboth.					
	Aruir.					
	Aruma. V. Ruma.					
d. ARUNDINETI VALLIS. E. *long. g.* 67.' 17. ½ *lat. gr* 31.' 47. ½			VALLIS ARUNDINETI. E.		VALLIS ARUNDINETI. M. *long. g.* 65.' 27. *lat. g.* 32. 44.	VALLIS ARUNDINETI. E. *long. gr.* 68.' 44. *lat. g.* 31. 2.
	Arus.					
Asa, & Asor, inter & Aza. E. *long. g.* 67. 6. *lat. g* 32. 2.						Asa, al. Asor. E. *long. g.* 68. 35. *lat. g.* 31.' 13.
	Asalea.					
(41) Asan. S. *long. gr.* 65. 58. *lat. gr.* 31.' 22. ½					Asan. *long. gr.* 65.' 7. *lat. gr.* 31.' 35.	Asan. S. *long g.* 67.' 33. *lat. g.* 30. 44.
					Asan Lacus. V. Lacus Asan.	
Asaphon. V. Asophon.						
(42) Asasor Thamar, alias Engaddi. Jud. *long gr.* 66. 52. *lat. gr.* 31.' 22.	Engaddi. *lat. g.* 31.' 45.	Engaddi. *lat. g.* 31.' 30.	. Engaddi. B.	Engaddi. Jud.	Engaddi. Jud. *long g.* 66. 39. *lat. g.* 31. 33.	Thamar, al. Asasor. Thamar, & Engaddi. Jud. *long g.* 68. 22. *lat. g.* 30. 22.
(43) Ascalon. S. *long. gr.* 65.' 22. ½ *lat gr.* 31. 58.	Ascalon. *lat. g.* 31.' 51.	Ascalon. *lat. g.* 31.' 44.	Ascalon. D.	Ascalon. D.	Ascalon. S. *long gr.* 64. 59. *lat. g.* 31.' 39.	Ascalon. D. *long. g.* 67.' 1. *lat. g.* 31. 10.
				. Ascelum.		
					Ascensus Acrabin, seu Scorpionum. V. Acrabin.	
ASCENSUS Adommim. B. *long. gr.* 66. 32. *lat. g* 31. 33.			Adommin. oo. B.	. Ascesus Adumin. B	AscensusAdummim B. *long gr.* 66 12. *lat gr* 31. 52.	Ascensus Adomin. B. *long gr* 68.' 15. *lat. gr.* 30.' 20.
						Ascensus Adomin. V. Ascensus Adommin.
					AscensusAdummim V. Ascensus Adommim.	
				ASCENSUS IN EMAT. N.		
(44) ASCENSUS Luith. R. *long g.* 67.' 32. ½ *latit. gr.* 31.' 35.		Luith. *lat. g.* 31.' 52.	. Luith. R.	. Luich. G.		ASCENSUS LUTH. R. *long gr.* 68. 47. *lat. gr.* 30. 20.
						Ascensus Luth. V. Ascensus Luith.
Ascensus Scorpionis. V. Acrabin.			Ascensus Scorpionis. V. Acrabin.	Ascensus Scorpionis. V. Acrabin.	Asceosus Scorpionis. V. Acrabin.	Ascensus Scorpionis. V. Acrabin.
				Ascesus Adumim. V. Ascensus Adommim.		

Ase-

(41) Civitas levitica Sansonius ac Adrichomius.

(42) In Beniaminica Tribu Calmetus urbem hanc locat, quæ in Tabb. Ruei, & Sanf. ei Judæ adscribitur; sed perperam in textu lat. gr. 31.' 11. loco gr. 31.' 7.

(43) Urbs litoralis æquè distans à *Gaza* & *Azoto* apud Calm. at Rueus *Azoto* proximiorem facit. Duas tamen asse hujus nominis urbes ex Legiftoto, quem Lectori vadem tradit, Clericus indigitat. Inde caparum genus quoddam dictum, *scaloque* vulgò nuncupatum, asserit hic Relandus.

(44) Affinia in pronuntiatione hæc duo *Luith* & *Luich* videntur loca: at in situ toto cœlo dissident. *Luich* apud Calmetum in Tribu Ruben circa lateris maris mortui dimidium collocatur; apud Sansonium verò in eadem quidem Tribu, sed longè supra idem mare, ubi etiam *Luith* Ruei conspicitur in Caditana tamen Tribu.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Afchan. Jud.					
				Afchap Regnum. A.	Afchaph Regnum. A. *long. g.* 66.' 15. *lat. g.* 33.' 30.	
				Afchar, q. via. Z.		
	Afcdod. V. Azotus.					
	Afcher.					
	Afchna. Jud.					
		Afdod. V. Azotus.				
				. Afdot. R.		
				Afdor Apollonias. V. Apollonia.		
		Afeca. V. Azeca.				
Afedot-Phafga: R. *long. gr.* 67. 26. *lat. gr.* 31.' 30.					Afedoth, vel Phafga. R *long. gr.* 66.' 39 *lat. g.* 31.' 57.	Afedoth-Phafga. R. *long gr.* 69. 4. *lat. gr.* 30.' 45.
					Afedoth. V. Azotus.	
				Afem. V. Azem.		
: Afem. V. Jim Efem.						
Afemona. V. Haffemon, Afemona.			Afemona. V. Hafemon, &c.	Afemona. V. Hafemon, &c.	Afemona. V. Hafemon, Afemona.	Afemona. V:
Afena. Jud. *long. gr.* 65.' 32. *lat. g.* 32.' 32.					Afena. D. *long. gr.* 65.' 37. *lat. g.* 31.' 43.	Afena. Jud. *long gr.* 67.' 30. *lat. g.* 30. 53.
Afephon, Afaphon. V. Afophon.						
Afer Tribus. V. Tribus Afer.		Afer Tribus. V. Tribus Afer.	Afer Tribus. V. Tribus Afer.			
			Afer. D.			
			Afer. V. Machmetad-Afer.			Afer. V. Machmetad Afer.
Afer-gadda. S. *long g.* 65.' 32. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.' 4.				. Afergaddo. S.	Afergadda. S. *long. g.* 65.' 1. *lat g.* 31.' 29.	Afer-gadda. Jud. *long. gr.* 66' 59. *lat. gr.* 30.' 39.
Afer-machmad. V. Machmetad Afer.						
Afer-Machmetad V. Machmetad-Afer.						
				Afergaddo. V. Afergadda.		
				Aferfual. V. Haferfual.		
				Afochim. V. Afochis.		
Afochis; inc & Azochis. Z. *long. gr* 66.' 36. *lat. g.* 32. 47	Azochis:			Afochim. Z.		Azochis. Z. *long. g.* 68. 16 *lat. gr.* 32. 1
						Afom. V. Jim-Efem
: Afophon. M *long. g.* 67.' 20. *lat. g.* 32.' 11.	Afophon:					Afophon. M. *long. g.* 68.' 47. *lat. g.* 30 15
Afor. V. Arama-Afor.			Afor. V. Arama-Afor.			Afor. V. Arama.
Afor. V. Afa.						Afor. V. Afa:
Afor. V. Balot-Afor.						Afor. V. Baloth-Afor.
Afor. V. Cades-Afor.						Afor. V. Cades-Afor.
Afor. V. Cariath-Hefron.						Afor. V. Cariath-Euron.
				. Afor-Antiopia. N.	Afor Regnum: N. *long gr.* 66. 32. *lat. gr.* 33.' 38.	
Afor-nova. V. Baloth-Afor.			Afor-nova: V. Baloth-Afor.	Afor-nova. V. Baloth-Afor.	Afor-nova. B. Baloth-Afor.	Afor-nova. V. Baloth-Afor.
					Afor-nova, q Efron. S. *long. gr* 65.' 7. *lat. gr.* 31.' 40.	
				Afor-vetus. Jud.	Afor-vetus Jud. *long. g.* 66.' 9. *lat. g.* 31.' 23.	
	Aforos:					
		Aforus: V. Arama-Afor.				

Afphar

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	EUR.	EUR.	CANTELL.
	Asphaltites Lacus. V. Mare salsissimum.	Asphaltites Lacus. V. Mare salsissimum,	Asphaltites Lacus. V. Mare salsissimum,			Asphaltites Lacus. V. Mare salsissimum.
(45) Asphar Lacus. Jud. *long g* 66. 15. *lat. g.* 31.'28.	Lacus Asphar.					
				Asphec. V. Aphec.		
	Assaremoth.					
				Assedim. V. Assedim-Ser.	Assedim. V. Assedim Ser.	
Assedim-Ser. N *long. gr.* 67. 28, *lat. gr.* 33. 14.	* Taiddim. N.			. Assedim. N.	Assedim. N. *long g.* 66 40 *lat g* 34. 00.	Assedim-Ser N *long. gr.* 69. '00. *lat. gr.* 32. '35.
				Asser. V. Tribus Aser.	Asser Tribus. V. Tribus Aser.	
				. Asser. A.	Asser. A. *long gr.* 65 59. *lat. g.* 33. 13.	
				Assur flu. E.	Assur Torr. E. *long g.* 65.'37. *lat g.* 32. 14.	
						Assaroth. V. Astharoth, q. & Basan, &c.
			Astharoth. V. Ataroth.			
(46) Astharot, q. & Basan, & Bosran. M. *long g.* 68.'17. 1/2 *lat. g.* 33.'56.	Astharoth. M.		Atharoth. M.	Astharoth altera. M.		Astaroth, quæ & Basan, & Baethra. M. *long. gr.* 70. 10. *lat. gr.* 32.' 10.
Astharoth-Carnaim. V. Carnaim.			Astharoth-Carnaim. V. Carnaim.	Astharoth Carnaim. V. Carnaim.	Astharoth Carnaim. V. Carnaim,	
	Astho.					
	Asuada.					
	Asuganrina.					
	Atabyrium, vel Itabyrium.					
	Atach. V. Athac.					
	* Atad.					
	Atargation.					
Ataroth. G. *long. g.* 67 32. *lat g.* 31. 37.	Atharus, int. & Ataroth, & Arus. G. *lat. g* 32.'29.		. Astharoth. G.	. Atharot. G.	Atharoth Gad. G. *long gr* 67. 19. *lat. gr.* 32. 14.	Atharoth. G. *long g.* 69.'09. *lat. g.* 31. 8.
				Ath matha. V. Athmata.		
Athoch.	* Atach.					
Athar. V. Ether, Athar.		Athar. V. Ether, Athar.	Athae. V. Ether, Athar.			Athar. V. Ether.
				. Atharat. B.		
				Atharataddar. V. Atharoth-Addar.		
						Atharoth. V. Ataroth.
Atharoth. E. *long g.* 67 17. *lat. g* 31.'56.						
						Atharoth. E. *long g.* 68. 51. *lat. g* 31.'14.
Atharoth Addar. E. *long g.* 67. 21. *lat. g* 32.'2. 1/2	Atrot-Adar.		. Atharot-addar. E	. Atharataddar. B.	Atharoth-addar, seu Atchiat aret. E. *long gr.* 65.'59 *lat. gr.* 32.'3.	
	Atharus. V. Ataroth					
Athmata. Jud. *long gr.* 66.'17. *lat. gr.* 31. 18.				. Ath mata. Jud.		Athmatha. Jud. *long. gr.* 67.'57. *lat. gr.* 30. 31.
	Athone.					Athmatha. V. Athmata.
	Atrot Adar. V. Atharoth Addar.					
	Atrot-Scophan. V. Ethrod,					
Ava. V. Ana:						

(45) Longitudinis gradus 66 ' 15. in textu assignatos protraximus ad gradus longitudinis 66. 33. Neque enim longe adeo a deserto Thecoæ lacus hic distat, quemadmodum ex Macchab. 1. v. 9. Sansonius ipse observat.

(46) *Astharoth, quæ & Basan, & Bosran*; non *Bathra*, ut extabat in Tabula. Urbem hanc Leviticam simul ac Regiam, Ogi videlicet Regia, quod Cellarius etiam affirmat, parvo signo notavit Calmetus, cùm plures aliæ inferioris nominis urbes singulari nota distinguantur. Hic porrò negat Clericus *Astharoth*, & *Basan*, & *Bosran* appellari posse; atque unicè intentus carpendo Sansonio Bonfrerium præterit Sansonio consentientem, cum cetera non raro soleat Bonfrerianis notis suas insuper addere.

A B

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Augustopolis.					
Avim.				.Avim. E.		Avim. B. *long. gr.* 68.'14. *lat.g.*30.'58.
				.Avin. Jud.	Avin. B. *long. gr.* 66.'4. *lat. gr.*32.'2.	
			Avoth Jair. V. Jair.			
						Auram. V. Auran.
Auran. M *long. gr.* 67.'55. *lat g.*33.'19.		Auran. *lat. g.*33.'52.	Auran. M.	Auran. M.		Auram. M. *long. gr.* 69.'24. *lat.g.*32.'32.
	Auranitis. V. ITURÆA.	Auranitis. V. ITURÆA.		Auratinis. V. ITURÆA.		
			Aurei vituli Templum. V. Templum vituli aurei.			
AUSIS.						
				Auton. V. Acre.		
Azaph. V. Acsaph, Acco, Ptolemais						
Aza. V. Asa.						
.Azanoth-Thabor. N. *long. gr* 67.'47 *lat. gr.* 32.'52.	Azanoth.		Azanot. Z.		Azanoth-Tabor, seu Hamoth Tibor, civ. Levit. N. *long. gr.*66.'38. *lat. gr.* 33.'35.	Azanoth-Thabor.N. *long gr.* 69.'28. *lat. gr.*32.'5.
	Azare.					
.Azeca Jud. *long. g.* 65.'13. *lat.g.*31.'34.	Azeca. Jud.		.Azeca. D.		Azetha. Jud. C. L. D. *long gr* 65.'44. *lat. gr.* 31.'38.	Azecha. Jud. *long g.* 67.56. *lat.g.*30.52.
						Azecha. V. Azeca.
	Azem. S.			.Asem. D.		
					Azersual. V. Hasersual.	
					Azetha. Jud. C. L. V. Azeca.	
Azmaver, Azmot, Beth-Azmot.	Azmavet.B. vel Jud					
	Azmon.					
	Azmot. V. Azmavet.					
	Azochis.V. Asochis.					Azochis. V. Asochis.
				Azor. V. Azotus.		
(47) Azotus. D *long gr.* 65.'34. *lat. gr.* 31.'40.	Aschdod, Ins. & Azotus. D. *lat. gr.* 31.'55.	Azotus, Asdod. *lat. gr.* 31.'54.	Azotus. D.	Azot. D.	Asedoth. D. *long g.* 65.'22. *lat.g.*31.44.	Azotus. D. *long. gr.* 67.'27. *lat.g.*31.'10.
	Azza. V. Gaza.					
Baal. V. Bamoth Baal.					Baal. V. Bamoth-Baal.	
Baal. V. Cariath-Baal, Carias-Jarim.						
	Baal-Chermon. V. Baal-Hermon.					
Baal Fanum. V. Fa. Baal.						Baal-Fanum. V. Fanum-Baal.
.Baal gad A *long g* 67.'24. *lat.g.*33.'32.	Baal-Gad.					
Baal hasor. V. Baalasor.						
Baal-Hermon. M *long gr* 68.'9. *lat. gr.* 33.'27.	Baal-Chermon.		Baal-Hermon. M.			
Baal maon. V. Baalmeon.						
Baal meon. R. *long. gr* 67.'39. *lat. gr* 31.'34.	Baal-meon, & * Beth Baal-meon.		Beelmeon. R.	Beon. R.	Balmeon. R. *long gr.* 67.32. *lat.g.*31.50.	Baalmeon, al. Beon. R. *long gr.* 69.36. *lat gr.* 30.'51.

Baal-

(47) Proximiorem *Ascaloni* quam *Accaron* ponit *Azotum* Rueus; viceversa verò Calmetus. Ab Herodoto lib 2. cap 157. magna Syriæ urbs appellatur *Azotus*, de qua hæc: *Psammitichus in Ægypto regnavit annos* 54. *E quibus per annos novem & viginti magnam Syriæ urbem obsedit, quam tandem expugnavit. Hæc est Azotus, quæ diutissimè inter urbes omnes, quas novimus, obsidionem sustinuit.*

SANS.	RED.	CELL.	CALM.	RUE:	RUE.	CANTELL.
	Baal-Peratzim.					
			Baal-Salifa. V. Beth-Salifa.			
			Baal Salifa. V. Baal-Schalifcha.			
	• Baal-Schalifcha.		Baal-Salifa.			
Baal-thamar. B long. gr 66.' 42. lat. gr. 32.' 52.	• Baal-Thamar.		Thamar. Jud.			Baal-Thamar. B long. gr. 68 ' 19. lat. gr. 31. 6.
					Baala. V. Cariath-Baal.	
(48) Baala. S. long g 66. 19. lat. g. 31. 49	Baala Jehuda, five Kiriathejarim lat. gr. 31.' 57.			.Bala. S.		Baala. S. long. gr. 67.' 5. lat gr. 31.' u.
Baala, Mons. Jud long gr 65. 20. lat. gr. 31.' 20.	Baala. M.					M. Bala. D. long gr. 67.' 2. lat. g 31. 38.
				Baala Promont. B.		
				Baalad mons. Jos. c. 18.		
Baalafor. E long. gr. 67.' 6. lat. gr. 31. 51.						Baalafor. E. long. gr. 68. 35. lat. g. 31.' 7.
				Baalath. V. Balaath.	Baalath. V. Balaath.	
	Baalath-Beer. V. Ramath.					
					Baalgad. V. Mons Hermon, qui & Baalgad.	
				Baalgad. V. Balgad.		
						Baalmeon. V. Baal-meon.
				Baalmon. V. Helmon.		
BAARAS VALLIS. R. long gr. 67.' 15. lat. gr. 31.' 25.						
(49) Baca. A. long g 67. 18. lat g. 33. 12.	Baca.					Baca. A. long. gr. 68. 47. lat. g. 32. 47.
						Baca. N. long. gr. 69.' 5. lat. g. 32. 47.
	Bacatha.					
	Bachurim. V. Bahurim.					
Baefalifa. V. Beth falifa.						
						Baeftra. V. Aftaroth, quæ & Bafan.
Bahurim. B. long gr 66. 49. lat. g. 31. 44.	Bachurim.			Behurim. B.		Bahurim. B. long. gr. 68.' 11. lat. g. 30. 59.
	Baetarchus.					
	Baetbafi.					
	Baether. Jud.					
Bala. V. Baala.				Bala. V. Baala.		Bala M. V. Baala M.
	Bala, int. eadem, ac Segor, & Zoava. V. Segor.					
(50). Balaath. S. long. g. 65. 3. lat g. 31. 6.				.Bala. S.	Baalath. S. long. gr. 65.' 8. lat. g. 31.' 26.	
Balaath. D. long gr. 66. 00. lat. g 31. 48.	• Bala.				Balaath. D. long. g. 65. 40. lat. g 31. 49.	Balath. D. long gr. 67.' 38. lat. g. 31.' 7.
	Balamo.					Balath. V. Balaath.
			✠ Balanea.			
			Balbec. V. Heliopolis			
						Balean. V. Beth-remmon.
	Baleth.					

Ba-

(48) Urbem hanc eamdem esse ac *Cariath-Baal*, & *Cariath Jearim* in textu Sanfonius docet, cui & Cellarius adftipulatur. Infra tamen loco fuo repetit etiam *Cariath Baal*; quam Judæ Tribui adfcribit, cujus & Bonfrerius fub nomine *Baal* meminit.

(49) Eft in Tribu Aferirica. Alteram exhibebat Tabula in Tribu Nephtali, quam tamen, cum neque Relandus, ceterique vifi Scriptores, neque Sanfonius ipfe in fuo textu ejus meminerint, delevimus, etfi Clericus hic filens nos minime monuerit.

(50) In Simeonis Tribu vifebatur; at nos expunximus è Tabula: id enim loci apud ullum Auctorem non occurrit, neque in Sanfonii textu legitur; etfi Ruei Tabulæ eum recolant.

B

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	BUE.	BUE.	CANTELL.
			. Balgad. M.	Baalgad. M.		Balgaad. A. *long. g.* 68. 36. *lat. g.* 32. 36.
					Balmeon. V. Baal meon.	
					Balot. V. Baloth. Afor.	
(51) Baloth-Afor, Afor nova Jud *long. g* 65. 52. *lat g.* 31. 8.				. Baloth. Jud.	. Balot Jud. *long g.* 66.' 17. *lat. g.* 31.' 24.	Baloth-Afor, Afor nova. Jud. *long. g.* 67.' 10. *lat. g.* 30. 34.
						Balsalisa. V. Bethsalisa.
			Bamby. V. Heliopolis.			
Bamot-Baal R. *long. gr.* 67.' 35. *lat. gr.* 31.' 39.	* Bamoth-Baal.			Bamot-Baal. R.	Bamoth-Baal. R. *long gr.* 66. 48. *lat. gr.* 31.' 56.	
BAMOT, VALLIS R. *long gr.* 67.' 20. *lat gr.* 31. 20.						
	Bamoth Baal. V. Bamot-Baal.				Bamot-Baal. V. Bamoth-Baal.	
Bane. D. *long. gr.* 66.' 2. 1/6 *latit. gr.* 31.' 53.					Bane. D. *long gr.* 65.' 21. *lat g.* 31. 44.	
Baracha V. Caphar-Baracha.				Barach. V. Caphar-Baracha.		
	Barad.				Barath. D. *long. gr.* 65. 25. *lat. g.* 31.' 46.	Barath. D. *long. gr.* 67.' 32. *lat gr.* 31. 8.
(52) Barasa. G. *long. gr.* 67. 44. *lat. gr.* 32. 2.				Barosa. M.		Barasa. G. *long. gr.* 69.' 30. *lat. gr.* 31. 16.
					Barath. V. Barad.	Barath. V. Barad.
					Barath-Hereth. S. *long gr.* 65.' 16. *lat. gr.* 31.' 13.	
	Barathsatia.					
	Bareca.					
			✠ Barradus flu. seu Chrysorrhoa.	Chrisorrhoa fluvii fontes.		
	Bartura.					
(53) BASAN *long. g* 68 10 *lat. g* 33.' 00.	BATANEA. *lat. gr.* 32.00	BATANÆA, seu Regnum Basan. *lat. gr.* 33.00	BASAN, seu BATANÆA.	BATHANEA, seu BASSAN.		BASAN. *long. gr.* 70.00 *lat. g.* 32.00
Basan. V. Astharoth.						Basan. V. Astharoth.
					Basan. V. Gaulon, in Basan.	
					Basan. V. Gessuri.	
Basan Quercus. V. Quercus Basan.						Basan Quercus. V. Quercus Basan.
	Basara.					
	Basca. V. Bascath.					
. Bascama. G. *long. g.* 67 52. *lat. g* 32.' 10.	Bascama.					Bascame. G. *long g.* 69. 19. *lat g.* 31' 24.
						Bascame. V. Bascama.
						Bascant. V. Bascath.
Bascath. Jud. *long g.* 66 23. *lat g* 31. 37.	Basca.				Bascath. Jud *long. g.* 65.' 44. *lat g.* 31. 33.	Bascant. Jud. *long g.* 67. 57. *lat g* 30. 49.
Basiothia. V. Bersabee-Sabee.						Basiothla. V. Bersabee-Sabee.

Ba-

(51) *Baloth* significare novum Clerico minus arridet: de situ convenit.

(52) Urbis hujus Gaditicæ Tribus in Sansonii Tabula depictæ, in texto non meminit Sansonius, sed neque Auctorum nostrorum ullus; si Adrichomium excipias, a quo recedentes eam Tabulâ expunximus.

(53) *Nomine Basan, vel Bascian* בשן *complectuntur Scriptores Sacri*, scribit Relandus lib. 1. cap. 33. pag 148. *illam partem regionis trans Jordanem, quæ dimidiæ Tribui Manasse data, & ad septentrionem Tribuum Ruben, & Gad sita fuit, & se extendit usque ad montem Chermon, idest, ultimos terræ Israeliticæ fines septentrionem versus*. Jos. 22. 7. „ Dimidiæ Tribui Manasse dedit Moses in Basan, & alteri dimidiæ dedit Josue possessionem cum fratribus suis ad alteram partem Jordanis occasum versus „. Subditque doctissimus vir, Samuelem Bochartum carpendo, & jure quidem: *malè itaque Bochartus in Hierozoico lib. 2. cap. 32. regionem Basan descripturus, scribit Basan, vel* Βαταναία *regio est trans Jordanem inter Torrentes Jaboc, & Arnon pascuis felicissima. Proinde Gaditæ & Rubenitæ, qui pecore abundabant, hæc sibi dari postulabant*. Numer. 32. 4. Quidquid sit de Rubenitarum Gaditarumque petitione, non iis, sed Manassitis data Basan fuit, quæ non inter Torrentes Arnon & Jaboc, sed supra hunc rectè a Sansonio nostro in Manassitarum regione trans Jordanem connotatur.

SANS.	REL.	CELL.	CALID	RUE.	RUE.	CANTEL.
				Bassan. V. BASAN.		
				Bata. A.		
			Bata. V. Segor.			
		Batanæa.V.BASAN.	Batanæa.V.BASAN.			
	Batanea.V.BASAN.					
						Bathanath.N long. g. 69 5. lat. g 32. 22.
				Bathanea. V. BASAN.		
	Bathanea.					
	Bathsama. Jud.					
Bathuel. V. Cessil, Bethel, Bathuel.						Bathuel. V. Cesil.
	Bathura.					
				Bathyra munimentum ex Josepho, q. & Castrum Iaconis. M.		
				Bathyra.V.Bathura.		
					Baziothia. S. long. g. 63. 5. lat. g. 31. 23.	
	Bean.					
	* Bealoth. Jud.					
				Beba. N.		
	Beberen. lat. g. 32. 56.					
			Becheon-Mennit.			
				Bechur. Jud.		
	Bedora.					
	Beelmaus. l. g. 31. 52.					
			Beelmeon. V. Baalmeon.			
(54) Beer. Jud. long. g. 65. 6. lat. g. 31. 6.	Beer.		Beer. E.			
	Beer. V. Ramath					
					Beer-Remoth. V. Ramath.	
Beer, i. puteus. R. long. gr. 67. 21. lat. gr. 31. 19.						
Beer-elim. R. long. gr. 67 15. lat. gr. 31. 17 $\frac{1}{2}$						
	Beeroth. B.			Beeroth. B.		
	Beerscheba, & Bersamma. V. Bersabe.					
	Beestera. M.					
	Begabar.					
				Behurim. V. Bahurim.		
	Bekiin.					
	Bela.					
	Belemoth.					
Beleus flu. A long. g. 66. 51. lat. g. 32. 54.	Belus flu. lat. g. 32. 54.		Belus flu. A.			Beleus flu. A. long. g. 66. 26. lat. g. 32. 10.
				Belina, Abelina. Z.		
				Belle. V. Abela.		
				Bellifortium-Hod. A.		
	Belmen.					
				Belmon. V. Helmondeblathaim.		
	Belsephon. E.					
	Belthem.					

(54) Urbem hanc quatuor horarum spatio ex eruditissimo Henrico Maundrellio, qui anno 1697. iter per Palaestinam fecit, ab Hierosolyma remotam, a Sansonio in textu ommissam, Relandus approbat; nosque in Tabula parvo depictam signo retinuimus. Situs tamen ejus haudquaquam cum Maundrelli distantia ab Hierosolyma consentit. Nihilominus innovare nihil voluimus, cum frequenter Typographorum vitio sphalmata occurrant, quorum bonam partem in Relandi editione Norimbergensi, quam amicè ad manus habemus, observavimus,

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Belus flu. V. Beleus flu.		Belus flu. V. Beleus flu.			
	Bemesellis.					
	• Bene-Berak. D.					
Benedictionis Vallis. V. Vallis Benedictionis.						
Benjamin Tribus. V. Tribus Benjamin.			Benjamin Tribus. V. Tribus Benjamin.	Benjamin. V. Tribus Benjamin.	Benjamin Tribus. V. Tribus Benjamin.	Benjamin Tribus. V. Tribus Benjamin.
				Benjamin Gabaa. V. Gabaa, & Gabae.		
				Benjamin Turris. V. Gitthaim.		
	Benaamacom.		Beoabris. V. Bethleem, al. Betholia.			
	Beon.					
Beon. V. Baal-meon.				Beon. V. Baal-meon.		Beon. V. Baal-meon.
			. Bera. D.			
	Berdan.			Berdan. Jud.		
	Berea.					
				Beroaldi Castrum. V. Castrum Beroaldi.		
(55) Beroth. B long. g. 66. 25. lat. g 31. 52.			Beroth. V. Berotha.	Beroth meroth. V. Berotha.	Beroth. B long. gr. 65.'56. lat. g. 31. 57.	Beroth. B. long. gr. 67. 56. lat. g. 31.' 3.
Berotha; int. & Beroth. N. long gr. 67. 37. lat. g. 33. 26.	Berotha.		. Beroth. N.	. Beroth meroth. N.		Berotha. N. long gr. 69. 7. lat. g. 32. 43.
	Bersabe. V Bersabee-Sabee.	Bersabe. V. Bersabee-Sabee.				
. Bersabee Z. long g 67.' 4. lat. g. 32. 49.				. Bersabee Zabulon. Z.		Bersabea. Z. long gr. 68. 46. lat. g. 32.' 3.
(56) Bersabee Sabee, & Basiothia. S long gr 65.' 26. lat. gr. 31.' 22.	Bersabe; Int. q. & Bersicheba. lat. gr. 31. 22.	Bersabe. lat. g. 31.' 25.	Bersabee. S.	Bersabee. S.	Bersaboe. S long g 65.' 7. lat. g. 31.'22.	Bersabee, & Sabee, & Basiothia. S. long gr. 67.' 2. lat. gr. 30.' 53.
	Bersetho.					
			✠. Berythus.			
	Bersamma. V. Bersabee-Sabee.					
. Besara. A. long. gr. 66. 52. lat. g. 32. 31.				Besec. V. Beth-seca.		Besec. V. Beth-secca.
		Besecor flu. V. Torrens Ægypti.				
			Besiesimoth. V. Beth-Jesimoth.			
	Besimot. V. Beth Jesimoth.					
	Besira.					
. Besor. V. Torrens Ægypti.			Besor Torr. V. Sorec Torr.			Besor. V. Torrens Ægypti.
					Bessur. V. Bethsur.	
	Betachora.					
			Betacini Plinii. V. Thicon.			
			Betagabris. V Bethlehem, al. Bethulia.			
			Betagla. V. Beth-Agla.			
	Betane.					
			. Betapha;			
	Betaris, & Betarus.	Betaron. V. Bethoron superior.				

Bete-

(55) Ad imum lacus Semochon. & litoralis locus hic a Rueo describitur; at Calmetus longè ab eodem lacu non parum superior constituitur.
(56) Locus apud Rueum & Calmetum in Simeonitica quidem Tribu: Rueo tamen pene ad fines Tribus ejusdem occidentales; Calmeto contra ad ejusdem terminos orientales.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE:	RUE.	CANTELL.
	Beten A.		Betbeten. V. Beten. Betbeten. A.			
Betenabrim. M. *long. gr.* 67.' 32. *lat. gr.* 32.' 21.	Bethnabris. *lat. gr.* 31.' 58.					Bethanabrim. M. *lōg. gr.* 69.' 15. *lat. gr.* 32.' 36.
Betenob. V. Veth-zehob.						
(57). Beth-abara B. *long gr* 67.' 17. *lat. gr* 31.' 39.	Bethabara.	Bethabara : *lat. gr.* 32. 26.	. Bethabara. R.		Beth. S. *long. gr* 65.' 20. *lat. gr.* 32.' 34.	
.Beth acat M. *long gr.* 66.' 52. *lat. gr.* 32. 25.	Bethacad.		. Bethacat. Is.			
.Beth-acaran Jud. *lōg. gr.* 66.' 37. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 37.						Bethacaran. Jud. *long. gr.* 68.' 9. *lat. gr.* 30.' 49.
Beth-agla B. *long gr.* 67. 4 *lat. gr.* 31. 32.	Betagla.			.Betfagla. B.	Bethagla. B. *long. gr* 66.' 30. *lat. gr.* 31.' 51.	Bethagla. B *long. gr.* 68.' 34. *lat. gr* 30.' 43.
Beth agun. M. *long gr.* 66. 46 *lat. gr.* 32. 27.						Bethagan M. *long. gr.* 68.' 34. *lat. gr.* 30.' 43.
Beth-amus V. Beth-maus.						
Beth-anat. N. *long. gr.* 67.' 33. *lat. gr.* 32.' 57.	Bethanat.			. Bethanat. N.	Bethanath. N. *long. gr.* 66.' 39. *lat. gr.* 33.' 42.	
Beth-anot. Jud. *long gr.* 66.' 26. *lat gr.* 31.' 41.				Bethanoth Jud.	Bethamoth. Jud. *long. gr.* 65.' 59. *lat. gr.* 31.' 33.	Bethanoth. Jud. *long. gr.* 67. 58. *lat. gr.* 30.' 55.
Beth-araba. B. *long gr.* 66.' 57. *lat. gr.* 31.' 28.					Betharaba. B. *long. gr* 66. 31. *lat. gr.* 31.' 53.	Betharaba. Jud. *long. gr.* 68.' 30. *lat. gr.* 30. 40.
Beth aramphta. V. Julias.						
Beth-aran. G. *long. gr.* 67.' 27. *lat. gr.* 32. 7. $\frac{1}{2}$				Betaran. G.	Batharan. R. *long gr.*' 66. 34. *lat. gr.* 31. 58.	
.Beth-aven. B. *long g.* 67.' 2. $\frac{1}{2}$ *lat. g.* 31.' 45. $\frac{1}{2}$	Bethaven.	Bethaven. *lat. gr.* 32.' 18.				
Beth-Azmot. V. Azmavet.						
	* Beth-Baal Meon. V. Baal Meon.					
Beth bera M. *long. gr* 67.' 22. $\frac{1}{2}$ *lat gr.* 32.' 21.				. Bethbera. M.		Bethbera. M. *long. gr.* 68.' 55. *lat. gr.* 32.' 25.
Beth-beraim. V. Lebaoth.						Beth-berai. V. Lebnoth.
Bet-dagon. A. *long. gr* 67.' 2. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.' 52.	Bethdagon. A.				Bethdagon. A. *long gr.* 65.' 59. *lat. gr.* 33.' 17.	Bed dagon. A. *long. gr.* 68. 34. *lat. gr.* 32.' 7.
Beth dagon. Jud. *long. gr.* 66.' 23. *lat. gr.* 31.' 47.	Bethdagon. Jud.				Bethdagon. D. *long gr.* 65.' 28. *lat. gr.* 31.' 56.	Bethdagon. Jud. *long. gr.* 67.' 49. *lat gr.* 30.' 58.
Beth-emet. A. *long. gr.* 67.' 9. *lat gr.* 32. 51.						Beth-emet. A. *long. gr* 68. 42. *lat. gr.* 32.' 8.
Beth enabra, Beth-enabris.	Bethenaabris.					
Beth enabris. V. Beth-enabra.						

Beth-

(57) Illud Joann. 1. v. 8. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem:* uti sequitur legendum existimat Sansonius: *Hæc in Beth-abara facta sunt &c.* quicum sentiunt Cellarius, Relandus, & Bonfrerius, qui etiam Origenem, Chrisostomum, atque Epiphaniem ita legentes laudat. Quare corrigenda, quæ in texta est, latitudinis graduatio 32.' 42 atque reponendi latitudinis gradus 31.' 39. secus *Beth-abara*, quæ in Sansonii Tabula, & ab Adrichomio, ac Calmeto in Tribu Ruben collocatur, in Nephtalim supra mare Galilææ transferretur;

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(58) Beth-ezebra G. *long. gr.* 67.' 31. *lat. gr.* 31. 57.						Bethzebra. G. *long. g.* 69. 8. *lat. g.* 31. 11.
Beth-jesimoth. R. *long. gr.* 67.' 22. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 25.	Bethjeschimoth.			. Bethjesimoth. R.	. Bethjesimoth. R. *long. gr.* 67. 29. *lat. gr.* 31.' 33.	Bethjesimoth. R. *long. g.* 69.' 6. *lat. g.* 30. 49.
Beth lebaoth. V. Lebaoth.						Beth-Lebaoth. V. Lebaoth.
. Beth-lehem. Jud. *long. gr.* 66.' 29 *lat. gr.* 31. 39.	Bethlechem.	Bethlehem. *lat. gr.* 32.' 5.	. Bethlehem. Jud.	Bethleem Juda. Jud.		Bethlehem Jud. *long. g.* 68. 2. *lat. g.* 30. 54.
(59) Beth lehem, al. Bethulia. Z. *long. gr.* 67.' 17. *lat. gr.* 32.' 40.			Bethuila. Z.	. Bethlehem Zabulon. Z.	Bethlehem. Z. *long. gr.* 66.' 19. *lat. gr.* 33.' 14.	Bethlehem, al. Bethulia. Z. *long. gr.* 68. 47 *lat. g.* 32.' 54.
Beth-marchaboth. V. Medemena.					Beth Marcaloth. V. Bethmarcaboth.	Beth-Marchaboth. V. Medemena.
. Beth maus, int. & Beth-amus Z *long. gr.* 67. 28. *lat. gr.* 32.' 35.	Bethmaus.					Bethamus. Z. *long. gr.* 69.' 00. *lat. gr.* 31.' 49.
Beth-nemra. G. *long. g.* 67. 26. *lat. g.* 32. 7	Bethnimra, int. & Nimra. G.			Nemra Bethnemra. G.	Beth Nemra G. *long. gr.* 66' 42. *lat. gr.* 31. 10.	Bethnimra. G. *long. gr.* 68' 57. *lat. gr.* 31.' 20.
(60) Beth phage.						
Beth-pheler S. *long. g.* 65.' 22. *lat. g.* 31. 7. $\frac{1}{2}$	Bethpeler. Jud.				Bethpheleth. S *long. g.* 65.' 4. *lat. g.* 31. 25.	Bethpheeler. Jud. *long. gr.* 67.' 2. *lat. gr.* 30' 48.
Beth-phesses. Is. *long. gr.* 66. 57. *lat. gr.* 32.' 29.				Bethphesses. Is.	Bethphesses. Is *long. gr.* 65. 49. *lat. gr.* 32.' 40.	Bethphesee. Is. *long. gr.* 68. 27. *lat. gr.* 31.' 41.
Beth-phogor. R. *long. gr.* 67. 12. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 33.			Betphegor. R.	Betphegor. R.	Bethphogor. R. *long. gr.* 66.' 45. *lat. gr.* 31.' 54.	Bethphogor. R. *long. gr.* 69. 12. *lat. gr.* 30.' 51.
Beth saida. V. Bethsaida.						
(61) Beth-salisa, al. Baalsalisa. E. *long. g.* 66. 12. *lat. g.* 32.' 13	Beth-salisa. *lat. gr.* 32.' 18.		. Baalsalisa. E.			Balsalisa. E. *long. g.* 67.' 46. *lat. g.* 32. 29.
Beth-sames. V. Bethsemes.						
Beth san Scythopolis. M *long. gr.* 67.' 31. *lat. g.* 32.' 19.	Scythopolis, olim Bethsan. *lat. gr.* 32.' 33.	Beth-san Scythopolis. *lat. gr.* 32. 46.	Bethsan, seu Scythopolis. Is. co.	Bethsan - Scythopolis. M.	Bethsan. M. *long. gr.* 66. 37. *lat. g.* 32. 48.	Bethsan, al. Scythopolis. M. *long. gr.* 69. 9. *lat. g.* 31. 34.
(62) Beth-serea, & Bezec. M. *long. g.* 67 10. *lat. g.* 32. 16.	* Bezec. *lat. g.* 32.' 31.		Beaec. E.	Beseeh. M.		Bethserea, al. Besec. M. *long. gr.* 68. 50. *lat. gr.* 31. 31.
(63) Beth semes. D. *long. gr.* 65. 48. *lat. gr.* 31.' 52.	Bethschemesch. *lat. gr.* 32. 00.	Bethsemes. *lat. gr.* 31. 6.	. Betsemes. D.	. Bethsemes. D.	Bethsames Civit Levit. D. *long. gr.* 65.' 35. *lat. g.* 31. 45	Bethsemea D *long. g.* 67. 26. *lat. g.* 32. 10.
Beth-semes. Is. *long. gr.* 66.' 31. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31. 19.	* Bethschemesch. Is.			. Bethsemes. Is.	Bethsamea. Is. *long. g.* 66. 30. *lat. g.* 32 50.	Bethsemes. Is. *long. g.* 66. 8. *lat. g.* 31. 55.

Beth-

(58) Hunc locum Tabula in Tribu Gad referebat, ac cum ab omnibus prætereatur, litura obduximus.

(59) Clericus hebraicarum radicum diversitate motus Bethulia Zabulonia Beth-lehem designari non patitur. Cui si quæsiveris; ubinam ergo Bethulia? Reponet: *nescio*. Hoc ipsum Bethuliæ nomen fictitium, aut depravatum censet etiam Cellarius lib. 3. cap. 13. § 16. 430. *sunt præterea, inquit, ficta quædam, aut pravata nomina, quæ etiam huic Galileæ tribuuntur*. Bethulia *hujus generis est*, *quam Tabulæ & Peregrinatores in Galilæa numerarunt*. Interea longitudinis gradus 62. qui in textu notantur, producantur ad gradus usque 67. nam Zabulonis Beth-lehem parum a Tiberiade ea Sansonio ipso di sita esse debet. Ceterùm *Bethuliæ* vocabulum infra à Rueo, Calmeto, & Relando comprobatur.

(60) *Beth phage* inserere debuerat Sansonius. Miratur enim Clericus, cur vicum hunc in monte Oliveti (& in plano quidem montis adhærentis ea Bonfrerio) positum omiserit Sansonius, cùm ceteroqui soleat ignobiliores vicos referre. Hoc gravissimo omissionis peccato Relandus quoque, sicut & Cellarii, Calmeti, Ruei que Tabulæ peccarunt.

(61) *Balsalisa* in Tabula Sansonii legebatur, quam dictionem commentitiam Clericus appellat. Si de solo nomine sermo sit *Balsalisa* in Sansonii textu non legitur, sed *Beth salisa*, uti & nos in Tabula reposuimus. Calmetus tamen & Cellarius *Baalsalisam* legunt. Si verò de loco agitur *Beth-salisa* nuncupato, hunc præter Sansonium Relandus etiam agnoscit. Commentum ergo est Clerici verum locum & vocabulum commentitium appellantis.

(62) Unum locum ab altero differre Clericus asseverat: certum tamen situm *Bezec* nequaquam adscribit. Adrichomius & Bonfrerius *Bezec* faciunt Regiam urbem Adonibezec, locantque in Tribu Juda: At cùm Relandus ei asteriscum * appingat in textu, & supra Samariam in Tabula pinxerit, ideo noluimus Bezec Tribui Judæ superaddere. Ceterùm quoniam urbem illam posuit Sanson cis Jordanem non procul a *Jabes Galaad* trans fluvium, propterea ampliandus est in textu latitudinis gradus 31.' 16. ad gradum 32.' 16.

(63) In Tribu Dan è regione sed infra Azotum apud Calmetum, sed per Rueum etiam supra Accaronem.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Beth-femes. N. *long. gr.* 67. 22. *lat. gr.* 32. 58.	Bethschemesch. N.			Bethsemes. N.	Bethsames. N *long. gr.* 66. 40. *lat. gr.* 31. 47.	Bethsames. N. *long. gr.* 68. 52. *lat. gr.* 32. 15.
Beth simot. V. Beth-jesimoth.			Betsimot. V. Beth-jesimoth.			
(64) Beth-fur. Jud. *long. gr.* 66. 39. *lat. gr.* 31. 42.	Bethfur; int Bethtsur. *lat. g.* 31. 38		Betsur. Jud.		Beffur. Jud. *long. g.* 65. 41. *lat. g.* 31. 32.	Bethfur. Jud. *long. gr.* 68. 9. *lat. gr.* 30. 56.
Beth Taphua. Jud *long. g.* 66. 26. *lat. gr.* 31. 16.	Beth Tapphu. Jud. *lat. gr.* 31. 18.		Bethapha. S.	Bethtapphua. Jud.	Bethtaphua. Jud. *long. gr.* 66. 17. *lat. gr.* 31. 25.	Beth-Taphua Jud. *long. g.* 60. 57. *lat. gr.* 30. 28.
	Beth-Tapphu. V. Beth Taphua.					
	Beth Tappuach. V. Taphua.					
Beth Zacara.						
				Beth-netta. M.		
	Bethabara. V. Beth abara.					
	Berhacamar.					
	Bethagabra.					Bethacara. V. Beth-acaran.
	Bethagaron.					Bethagan. V. Beth-agan.
	Bethagla. V. Beth-agla.				Bethagla. V. Beth-agla.	Bethagla. V. Beth-agla.
	Bethai.			Bethagon.		
	Bethamar.			Bethaiba d. Hierom.		
	Bethammagannim.					
					Bethamoth. V. Beth-anot.	Bethanabrim. V. Betenabrim.
	Bethanar. V. Beth-anat.			Bethanat. V. Beth-anat.	Bethanat. V. Beth-anat.	
				Bethane. B.		
	(65) Bethania. *lat. gr.* 31. 39.		Bethania. B.	Bethania. B.		
			Bethania. M.			
	d. Bethanim.					
						Bethanoth. V. Beth-anoth.
			Bethapha. V. Beth-Taphua.			
	d. Bethar.					
					Betharaba. V. Beth-araba.	Betharaba. V. Beth-araba.
						Betharad. M. *long. g.* 66. 22. *lat. g.* 31. 29.
				BETARAN.	VALLIS. BETARAN *long. g* 66 26 *lat. g* 32. 3.	
					BETARAN VALLIS. V. BETARAN.	
				Betharam. V. Beth-aran.	Betharan. V. Beth-aran.	
						Betharampta. V. Betharan-Julias.
Betharan-Julias. G. *long. gr.* 67. 26. *lat. gr.* 32. 4.	Livias. *lat. g.* 31. 54.	Livias. *lat. g.* 32. 10.	Livias, seu Betharan. R.	Livias. R.		Betharampta. G. *long. gr.* 66. 38. *lat. gr.* 31. 16.
(66) Bethaven E. *long. g.* 67. 14. *lat. gr.* 32. 1.						Bethaven E. *long. g.* 68. 41. *lat. g.* 31. 14.
	Bethaven. V. Beth-aven.					

(64) In IX. parte Tribus Judæ locatur in textu à Sansonio *Cedar* inter & *Halhul*; corrigenda igitur textus ejusdem longitudo gr. 66. 2. $\frac{1}{2}$ in gr. 66. 39. alias non Tribui Judæ, sed Danitis assereretur.

(65) Sansonius, quod Bethaniam omiserit castigatur à Clerico. Et fanè ex D. Hieronymo, uti scribit Cellarius, constat *Bethaniam villulam esse in secundo ab urbe milliario, in Oliveti montis latere*. Relandus quoque XV. stadiorum distantiam ab Jerusolyma Bethaniæ attribuit, atque in idem ferme incidit Clericus. Nos tamen, ne Jerosolymæ situm obumbraremus, eam Tabulæ non inseruimus.

(66) Locum hunc & Tabula Sansonii & Adrichomius Tribui Ephraim adjudicant, nulla cum ejus mentio fit apud Bonfrerium & Cellarium. Relandus unicum indicat in Benjamin Tribu, aut Ephraim: semel & Sansonius in Benjamin Tribu *Bethaven* locavit: at locum hunc, quem in Tribu Ephraim in Tabula Sansonius ipse posuit, non item in textu præstitit: quare a Tabula removendum censuimus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Bethbara.					
	Bethbasi.					Bethbera. V. Bethbera.
		Bethbirel. V. Lebaoth.				
	* Bethbiri. S.					
Bethcar D. long. g. 65. 52. lat. g. 31. 52.	* Bethcar.					Bethcar. D. long gr. 67. 30. lat. g. 31. 10.
	Bethcogla. S.					
	Bethcoron. V. Bethoron.			Bethdason. B.		
	Bethdagon. V. Bethdagon.				Bethdagon. V. Bethdagon.	Bethdagon. V. Bethdagon.
	Betheked.					
Bethel. V. Cesil.	Bethel. V. Cesil.	Bethel. V. Cesil.	Bethel. V. Cesil.		Bethel. V. Cesil.	
	Bethel. V. Luz.					Bethel. V. Luz.
						Bethel. V. Sichem, & Neapolis.
Bethel-Sichem, lat. & Sichem, Sichima, & Sicat. B long gr. 66. 57. ½ lat gr. 32. 9.						Bethel. E. long. gr. 68. 5. lat. g 31. 16.
	Bethelia;					
	* Bethemec. A.			. Bethemec. A.	Bethemec. A long g. 65 53 lat g 31, 15.	
				. Bethen. A.	Bethen. A. long gr. 65 44. lat g 33. 13.	Bethen. A. long. gr 68. 34. lat. g. 32. 29.
	Bethenim.					
	Bethennabrie. V. Beth-enebra.					
	Bether.					
	Bethere.					
	Bethezoba.					
	Bethgubrin.					
	Bethhatarava. Jud.					
	Bethhakkerem.					
	* Bethhammarkevoth. S.					
	* Bethharam.					
	* Bethhasschita.					
	Bethjeschimoth. V Beth-jesimoth.					Bethjesimoth. V. Beth-jesimoth.
Bethlebaot. V. Lebaoth.	Bethlebaoth. V. Lebaoth.					
	Bethlechem. V. Bethlehem.					
		Bethlehem V. Bethlehem.	Bethlehem. V. Bethlehem,	Bethleem Juda. V. Bethlehem.		Bethlehem. V. Bethlehem.
				Bethleem Zabulon. V. Bethlehem, al. Bethulia.	Bethlehem. V. Bethlehem, al. Bethulia.	Bethlehem V. Bethlehem, al. Bethulia.
	Bethlephtepha.					
	Bethmaaca. V. Abel-Maacha.					
	Bethmaela,					
				. Bethmarchaboth S.	Beth-marcaloth. S. long gr. 65 14. lat. gr 31. 37.	

:Be-

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Bethmarcavoth.					
	Bethmaus. V. Beth-maus.					Bethamus. V. Beth maus.
	Bethmeon.					
	Bethmilo.					
	Bethnabris. V. Betnabrim.					
	Bethnamar.					
				Bethnemra: V. Beth-nemra.		
	Bethnetopha.					
	Bethnimra. V. Beth nemra.					Bethnimra: V. Beth-nemra.
	Bethom.					
	Bethoma.					
			Bethhonnaba. V. Cesil.			
	Bethora.					
Bethoron infer. B. *long gr.* 66.' 32. *lat. gr.* 31.' 58.	Beth-horon inf. *lat. g.* 31.' 59.	Bethoron. *lat. gr* 32.' 25.	Bethoron inferius. D.	Bethoron inferius. B.	Bethoron inferior B. *long. gr.* 65.' 55 *lat gr.* 32.' 50.	Bethoron inferior. B *long. gr* 68.' 2. *lat gr.* 31.' 22.
Bethoron ſuperior. E. *long gr.* 66.' 34. *lat. gr.* 32.' 13.	Bethchoron ſuperior.	Betthar, Bethazon. *lat. gr.* 32.' 35.	Bethoron ſuperius. E.	Bethoron ſuperius. E.	Bethoron ſuperior Civit. Levit. E. *long gr.* 65. 49. *lat. gr.* 32.' 5.	Bethoron ſuperior. E *long gr.* 68.' 3. *lat. gr.* 31.' 17.
				Bethovim. V. Betonim.		
	Bethpatzezeta. Is.					
	Bethpelet. V. Beth phelet.					
	Bethpeor.					
	Bethphage.		Betphage. oo B.			
			Betphegor. V. Bet-phogor.	Bethphegor: V. Beth phogor.		
					Betphelet. V. Bet-phelet.	Bethpheelet: V. Beth-phelet.
					Betpheſes. V. Bet-pheſes.	Bethpheſ's. V. Beth-pheſes.
					Bethphogor. V. Bet-phogor.	Bethphogor. V. Beth-phogor.
	Bethrima.					
(67) Bethſaida. Z. *long. gr* 67.' 38. *lat. gr.* 32. 44.	Bethſaida.	Bethſaida Julias. *lat. gr.* 33. 7.	Julias, ſeu Bethſaida. M.	Bethſaida. Z.		Bethſaida. Z *long g.* 69 9. *lat g* 31. 59.
Bethſaida Deſertum. V. Deſertum Bethſaida.						Bethſaidæ Deſertũ. V. Deſertũ Bethſaidæ.
	Bethſaliſa. V. Beth-ſaliſa.					
Bethſames: V. Beth-ſemes.					Bethſames: V. Beth-ſemes.	
	Bethſamos.					
	Bethſan. V. Beth-ſan Scytopolis.		Bethſan. V. Beth-ſan, ſeu Scytopolis.	Bethſan. V Beth-ſan, ſeu Scytopolis.	Bethſan. V. Beth-ſan Scytopolis.	Bethſan V Bethſan, Scytopolis.
					Bethſan. N. *long g.* 66. 46. *lat. g.* 33.' 30.	
	Bethſchean. M.					
	Bethſchearim.					
	Bethſchemera.					
	Bethſchemeſch. V. Beth-ſemes.					

(67) Vide quæ adnotamus in Juliade.

Be-

B

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Bethfemes. V. Beth-femes.		Bethfecca. V. Beth-fecca.
				Bethfemes. R.		Bethfemes. V. Beth-femes.
	Bethappuach. V. Beth-Taphua.					
						Bethfur. V. Beth-fur.
	Bethpur. V. Beth-fur.					
	Bethuel. V. Cefil.					
	Bethul. V. Cefil.			Bethul. V. Cefil.	Bethul. V. Cefil.	Bethul. V. Cefil.
Bethul. V. Cefil.			Bethulia. V. Bethlehem, al. Bethulia.			Bethulia. V. Bethlehem, al. Bethulia.
Bethulia. V. Bethlehem, al. Bethulia.	(68) Bethulia.			. Bethulia. Z.		
			Bethzacac. V. Beth-zacharia.			
	Bethzacharia.		. Bethzachar. Jud.	Bethzeta. B.		
				Bethzeta. M.		
	Bethzeto.					
	Betoanea.					
	Betoannaba.					
	Betomefthen.					
Betonim. G. long g. 67.'39. lat. g 32. 9.	* Betonim.			Bethovim. G.	Betonim. G. long g. 67. 30. lat. g. 32. 10.	Bethonim. G. long. gr. 69.'7. lat. gr. 31.'26.
			Betphage. V. Bethphage.			
				Betfagla. V. Beth-agla.		
			Betfemes. V. Beth-femes.			
			Betfur. V. Beth-fur.			
				Bettfelluza. B.		
		Betthar. V. Bethoron superior.				
	Betzaanim;					
						Bethzebea. V. Beth-excbea.
	Betzer. R.					
		Betzua. lat. g. 31.' 57.				
	Bezara.					
Bezec. V. Beth-fecca.	Bezec. V. Beth-fecca.		Bezec. V. Beth fecca.			
	Bezedel.					
	Bezeth.					
			Bezoc. Torr. V. Torr Ægypti.			
	Bileam. M.					
	Bilha. S.					
	Bithiemes.					
	Bitfama. V. Beth-femes.					
	Bither. V. Bether.					
	Bitherebin.					
	Bitulion.					
Bituminis putei. V. Putei bituminis.						
	* Bizioteja. Jud.					
		Bne Jaakan. oo.				
				Boel Mons. M.		
Boen. V. Aben Boen.				Boen. V. Aben. Boen.		Boen. V. Aben-Boen.
Booz Ager. V. Ager Booz.						
(69) Bofor. R. long. gr 67.'37.$\frac{1}{2}$ lat. gr. 31.'43.	Bofor.	Bofra. lat. gr. 32.'5.	Bozra. R.		Bofor, Civic Conf. & Levit. R. long. gr. 67.'5. lat. gr. 32.'7.	Bofor. R. long. gr. 69'31. lat g. 30. 55.
						Bofra.

(68) Ad mare Tiberiadis fupra Tarichaeas Bueo, Calmeto infra.
(69) *Bofor*: afilt urbe. Autumat Calmetus *Bofor*, *Bofra*, & *Bozra* diverfa effe unius ejufdemque urbis nomina. Aliter opinatur Relandus, a quo *Bofra* Arabiae Metropolis conftituitur. A Sanfonio *Bofor* Tribui Ruben afferitur, cui & *Bofra* Cellarius adjicit.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Boſorra.					
				Boſra. V. Boſtra.		
Boſra. V. Aſharoth.						
	Boſtra. *lat. gr.* 33.'24.			Boſtra legio Arabiæ Petreæ. Ptol. & Bolra. M.	Bozra, ſeu Boſtra, Civit. Leer. M. *long. gr.* 67. 40. *lat. gr.* 32.'46.	
	Bothnia. G.					
			⊕. Botrys.			
	Botzcath. Jud.					
			Bozra. V. Boſor.			
			Bozra. V. Boſtra.		Bozra. V. Boſtra.	
		Bſaol flu. *lat. g.* 31 '30.				
			Bucca Machara Vallis. V. Vallis Bucca Machata.			
	Bucolon.					
				Butriſdion. V. Pella.		
			Byblos vetus. V. Vetus Byblos.			
			⊕ Byblus.			
				Byſanis Abyla. V. Hoba.		
				. Caain Naid. Is.		. Cain. Is. *long. gr.* 68. 10. *lat. g.* 31. 58.
	Cabbon. Jud.					
			Cabioſa Laodicea. V. Laodicea Cabioſa.			
Cabſeel Jud. *long. g.* 66. 33. *lat. g.* 30. 54.	Cabtzeel. Jud.			. Cabſeel. Jud.	Cabſeel. Jud. *long. g.* 66. 0. *lat. g.* 31. 8.	Cabſeel. Jud. *long. g.* 67.' 28. *lat. g.* 30. 26.
	Cabtzeel. V. Cabſeel.					
	Cabul.			. Kabul. A.		Cabul, al. Chabalon. A. *long. g.* 68. '27. *lat. gr.* 32. '20.
Cademoth. V. Cedemoth.			Cademot. V. Cedemoth.	Cademoth. V. Cedemoth.		
Cades. V. Cades Cedeſſa.						
Cades V. Cheſeleth, & Carthan &c.						
(70) Cades-Aſor. Jud. *long. gr.* 66. 2. *lat. gr.* 30.' 50.				Aſor vetus.	Cades. Jud. *long. gr.* 66.' 6. *lat. g.* 31 25.	Cades-Aſor; Jod. *long. gr.* 67.' 10. *lat. gr.* 30. '26.
(71) Cades-barne.		Cadesbarnea. *lat. g.* 31.' 12.	. Cadesbarne. Jud.	. Cadesbarnæ. Jud.	Cadesbarne. Jud *long. gr.* 65. 22. *lat. gr.* 31.' 6.	Cades barne. *long. g.* 66 55. *lat. g* 30.'20.
(72) Cades Cedeſſa. A. *long gr* 67. 12. *lat. gr.* 33. 11.	Cadeſch, int. & Chadeabarnea. *lat. g.* 33.' 23.	Cedeſa. *lat g* 33.'51.		Kedeſa. A.		Cades Cedeſſa. A. *long. gr.* 68 43. *lat. gr.* 32.' 27.
		Cades deſertum. V. Zin.				
			Cadesbarne. V. Cades-barne.	Cadesbarne V. Cades barne.	Cadesbarne. V. Cades-barne.	
		Cadesbarnea. V. Cades-barne.				
	Cadeſch. V. Cades Cedeſſa.					
	Cadeſch in Nephtali					
			Cadmon. V. Camon.			
	Cadytis.					
Caeſarea. V. Turris Stratonis.	Caeſarea. V. Turris Stratonis.	Caeſarea-Palæſtinæ. V. Turris Stratonis.	Caeſarea-Palæſtinæ. V. Turris Stratonis.	Caeſarea Palæſtinæ. V. Turris Stratonis.		Caeſarea. V. Turris Stratonis.
Caeſarea Philippi. V. Dan.	Caeſarea Philippi. V. Dan.	Caeſarea Philippi. V. Dan.	Caeſarea Philippi. V. Dan.			Caeſarea Philippi; V. Dan.

(70) Vult Clericus legamus *Cades & Aſor*: ſed frequentiſſimè, ut optimè monet Cellarius lib. 3. cap. 13. pag. 501., nec de nomine vicorum, aut oppidorum certi ſumus.

(71) Infra Mare mortuum à Calmeto pingitur, altiùs à Rueo: ab utroque parvo ſigno ſive urbis, ſive vici connotatur; at Relando lib. 1. cap. 25. pag. 84. eſt regio ſeu deſertum tantum in finibus auſtralibus terræ Canaan in extremitate auſtrali Maris mortui Occidentem versùs.

(72) Urbs regia in Aſer Tribu; ſed ſi graduationem textus gr. 67.' 38. lat. gr. 33.' 4. attenderes, in Nephtali Tribum referenda foret. Verùm cum & *Kedeſa* Rueus eidem Aſer Tribui adſcribat; ideo long. in gr. 67.' 12. lat. gr. 33. 11. commutavimus.

C

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE;	RUE.	CANTELL.
Cain, inter & Henoch. Z. *long. gr.* 66. 36. *lat. g.* 32. 44.	Cain. Jud.					Cain. V, Caain.
			Calpha. V. Elpha.	Calphar Porphirion. V. Porphireon.		
	Calamon.					
	Caleb. Jud.			Caleb. Monumentum. Jud.		
Callirhoe. V. Lasa.	Callirhoe. V. Lasa.	Callirhoe. V. Lasa.				Callirhoe. V. Lasa;
				Calliride. V. Lasa.		Calvaria Mons. B. *long. gr.* 68.' 2. *lat. gr.* 30.' 58.
Camon. M. *long. gr.* 68.' 3. *lat. g.* 32. 34	* Camon. M.		Camon, seu Cadmon. Z.			Camon. M. *long. gr.* 69.' 45. *lat. g* 31.' 42.
CAMPESTRIA DESERTI. B. *long. g.* 67.' 5. *lat. g.* 31.' 31.						
CAMPESTRIA JERICHO. B. *long. g.* 67. 5. *lat. g* 31.' 37. $\frac{1}{2}$						
		CAMPESTRIA MOAB. *lat. gr.* 32.' 00	CAMPESTRIA MOAB. R.			
	CAMPESTRIA SARONÆ. *lat. gr.* 32.' 00		CAMPESTRIA SARONÆ. *M.*			
			CAMPESTRIA SARONNÆ. E.			
	Campestria Sephelæ. V. Sephela Regio.					
	CAMPUS JIZREELIS. *lat. gr.* 32.' 00					
					Campus Libani. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.	
CAMPUS MAGNUS.	CAMPUS MAGNUS. *lat. g.* 32.' 00					
CAMPUS MASPHA A. *long g.* 67. 17. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 33.' 27. $\frac{1}{2}$					MASPHAT TERRA. *long g* 66. 18. *lat. gr.* 34.' 00.	CAMPUS MASPHA A. *long. gr.* 68.' 51. *lat. gr.* 32.' 50.
	CAMPUS PTOLEMAIDIS. *lat. gr.* 33.' 00					
	CAMPUS ZEBULONIS. *lat. gr.* 32.' 00					
(73) Cana. A. *long. gr.* 67.' 10. *lat. gr.* 33.' 29.				✠. Cana-major. A.	Cana. A. *long. gr.* 66. 20. *lat. g* 34.' 8.	Cana. A. *long gr.* 68. 50. *lat. g.* 32.' 53.
(74). Cana Galilææ. Z. *long. g.* 66.' 57. $\frac{1}{2}$ *lat gr.* 32. 49.	Cana.	Cana. *lat. g.* 33.' 23.	Cana. Z.	Cana-minor, & Galilææ. Z.		Cana Galilææ. Z. *long. gr.* 68. 27. *lat. gr.* 32. 4.
				Cananei Gozer. V. Gozer.		
			Canat. V. Canath.			
(75) Canath, int. & Nobe. M. *long g* 68.' 19. *lat. g.* 33.' 20.	Canatha, & Canotha.	Canatha. *lat. g.* 33.' 27.	Canat, seu Nobe, vel Neve. M.	Canatha Traconitidis. M.		Chanath-Nobe. M. *long. gr.* 70. 14. *lat. gr.* 32.' 24.
	Canatha. V. Canath.	Canatha. V. Canath.		Canatha. V. Canath.		
				Canin. Naid.		
			Cannæ Torrens. V. Gaas Torrens.			
	Canotha. V. Canatha					

Ca-

(73) Rueus in utraque Tabula supra Sidonem, Sansonius infra ponunt. Cellarius, & Relandus prætereunt, Calmetius uti commentitiam rejicit.

(74) A Rueo ad lacum Cendeviam, cui & Sansonii situs respondet, locatur: à Calmeto longè ab eo & proxima lacui Tiberiadis dicitur. Etsi non ibi; replicandam esse *Canam* asserit in Jos cap. 19. pag. 87

(75) Quamvis in nomine duæ hæ urbes *Canath*, & *Canatha*, ac *Neve*, & *Nobe* aliquantulum convenire videantur, in situ tamen non parum discrepant. Nam *Neve* Rueo ejusdem est altitudinis ac Tyrus; Calmetius verò eam longè infra Tyrum è regione *Aczibæ* describit. Sed neque *Canat* Calmeti cum *Canatha-Traconitidis* Ruei convenit. Etsi enim utraque in Tribu Manasse trans Jordanem collocetur; *Canat* tamen è regione lacus Semochonitis visitur: *Canatha* verò infra etiam Tiberiadis mare. Calmeti Index neque *Canat*, neque *Neve* memorat. [illegible] verò duplicem asserit cap. 21. lib. 1. Reg. pag. 347. aliam cis, aliam trans Jordanem.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Canthala, seu Ethalon. V. Hettalon.			
	Capernaum. N.& Z.			Capelle. D.		
		Capernaum. V. Capharnaum.				
			Capernaumi Fons. V. Fons Capernaumi.			
			Capernoma. V. Copharnoma.			
(76) Caphar-Baracha. Jud. *long. g.* 66.43. *lat. g.* 32.'14.						
				Caphar-Saba. V. Caphar-Salama.		
(77) Caphar-Salama, & Apollonis, & Antipatris. E. & M. *long. g.* 66.'12 $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.'19.	Antipatris. *lat. gr.* 32.'25.	Chabarsabe Antipatris. *lat. gr.* 32. 32	. Antipatris. E.	Caphar-Salama, Caphar-Saba, & Antipatris. E.		
				Caphar Sorec. V. Capharsarech.		
			Caphar-Sorec. V. Capharsarech.			
Caphara. B. *long. g.* 66.28. *lat. g.* 32.'54.					Caphara. B. *long. g.* 66.'0. *lat. g.* 32.'1.	Caphara. B. *long. g.* 67.'59. *lat. g.* 31.'8.
	Capharabis.					
	Capharacco. V. Capharath.					
	Capharachim.					
				Capharaim. V. Chapharaim.		
	Caphararia.					
	Capharat. V. Capharath.					
(78) Capharath. Z. *long. gr.* 67.'22. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.'38.	Capharat, & Capharacco, & Acco.					Capharath. Z. *long. gr.* 68 56. *lat. gr.* 32.'56.
	Capharazin.					
	Capharbarem.					
	Capharbarica.					
	Capharbiseh, & Caphardiern.					
	Capharchanaam.					
	Capharchanania.					
	Capharchieraja.					
	Capharcotia.					
	Caphardago.					
	Capharderom.					
	Caphardierin. V. Caphardisch.					
	Capharetaea.					
	Caphargamala. V. Capharsalama.					
				. Capharham-cha. Jud.		
	Capharjama. V. Jabneel.					
	Capharlakitia.					

Ca-

(76) Locum hunc, qui in Tribu Juda visebatur, spongiæ subjecimus, quod nulla ejus mentio à Sanfonio, ac reliquis Scriptoribus nostris fiat.

(77) *Caphar-Salama*, & *Antipatrida* unam esse urbem duplici nomine indigitatam Adrichomius etiam sentit, quod minus placuit Bonfremeti; etenim ejus Index T. 2. non tantùm *Caphar-salama* suum in textum non retulit. A Relando & Rueo *Antipatris* ab *Apollonia* distinguitur; sicut & in Tabula Calmeti; etenim ejus Index T. 2. non tantùm *Caphar-salama*, sed nec *Antipatrida*, neque *Apolloniæ* meminit; & tempus negat, ut integrum opus evolvamus. At Clericus ad Joannem Lightfootum, quem præsto non habemus, Lectorem amandans, Sanfonio videtur partim assentiri. Quare in dubio religio est Tabulam innovare.

(78) Urbem hanc in Tribu Zabulon Sanfonius in Tabula depinxit, atque in eadem Tribu haud longè a *Jotapata* statuit Adrichomius: corrigenda quapropter in textu latitudo gr. 32. 59. in gr. 32.'38. alias ad Tribum Nephtali spectaret.

C

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Capharnachum. V. Capharnaum.					
(79) Capharnaum. N long. gr. 67.' 48. lat. gr. 32.' 44.	Capharnachum, & Capernaum.	Capernaum. lat. g. 33.' 5.	Caphernaum. N.	Caphernaum. Z.		
	Capharnebona.					
	Capharnimra.					
	Capharnoma.					
	Capharorsa.					
	Capharsaba.					
	(80) Capharsalama, & Capharsgamala.					
	Capharsamai.					
	Capharsarama.					
	Capharschiealim.					
	Capharsecania.					
	Capharsemelia.					
	Capharsigna.					
	Capharsarech.		. Caphar forech. D.	Caphar-force. D.		
	Capharranchumin.					
	Caphartebi.					
	Caphartecuba.					
	Caphartoba.					
	Caphartzemach.					
	Capharutnai.					
			Capherdag-on. E.			
	Capheramis.					
				Caphira. B.		
	Capitolias. lat. gr. 32.' 53.			. Zumetha Capitolias.		
				Caphora.		
Carcan.	Carcaa. Jud.		. Carcaa. S.		Carcaa. Jud. long. g. 64. 56. lat. g. 30.' 56.	Carcaa. Jud. long. g. 66. 52. lat. g. 30. 42.
	Carem. Jud.					
				Careth. V. Carthan.		
	Cariada.					
			Cariataim. V. Cariath-aim.			
Cariath. B. long. g. 66 46. lat. g. 31. 39.	* Kiriath. B.	Cariath. lat. g. 31.' 40.		. Cariath.		Cariath. B long. g. 63 23. lat. g 30 49.
Cariath-aim. R. long. gr. 67.' 34. lat. gr. 31. 22.	Kiriathaim. R.		Cariataim. R.		Cariath-aim R long gr. 67 '0. lat. gr. 31.' 49.	Cariathaim. R. long. gr 69.' 13 lat. gr. 30. 44.
Cariath-aim, al Carthan. N. long gr. 67.' 38. latit gr. 32.' 52 ½	* Cartan. N.	Cariathaim. lat. gr. 32 ' 23.		Carthan Cariathaim. N.	Carthan Civit. Levit N. long g 66. 32 lat. gr. 33. 31.	Cariathaim. R. long. gr. 69.' 13. lat. gr. 30. 44.
(81) Cariath-Arbe, Hebron. Jud long. gr. 66 23. lat. gr. 31. 22.	Chebron, & Kiriatarba; sub hac voce.	Hebron. lat g. 31.' 54.	Hebron. Jud.	Cariatharbe. Jud.	Hebron Ci. conf & Sacerd., & sors Caleb. Jud long gr 65.' 38. lat. gr. 31. 30.	Cariath-Arbe, al. Hebron Jud long. gr 67 56. lat. gr. 30 36.
Cariath-Baal, Cariath Jarim. Jud. long gr 66 19. lat. gr. 32. 49.	Baala Jehuda, sive Kiriathjearim, & Kiriathiarim, & Kiriath-baal. lat gr. 31.' 57.	Kiriathiarim. lat. g. 32.' 20.	Cariathjarim. B.	Cariathiearim. D.	Cariath Baala. Jud long gr 65. 46. lat. gr. 32.' 43.	Cariath Bala, al. Cariath-Jarim. Jud. long. gr 67 '54. lat. gr. 31.' 1.

Ca-

(79) Maxime dissident in Capharnai situ Sansonius cum Rueo, & Cellarius cum Calmeto. Illi cum Bontrerio ad confluentes Jordanis in mare Tiberiadis collocant: hi verò ad latus ejusdem maris supra *Taricheam*; & quidem Calmetus ad *Capernaumis fontis* aquas in eumdem lacum confluentes. A Clerico interseritur *Tiberiadi* & *Taricheæ*. Relandus parcior hic urbem tantum Galilææ maritimam *Capharnaum* appellat. At lib. 1. cap. 28. pag. 118. *Capernaum*, ait, *sita erat in finibus Zabulon, & Nephtali*: quæ si ita sint longè a verò Calmetus & Cellarius *Capharnaum* locarunt. Quamvis Calmetus parvo signo *Capharnaum* notet, & *Caphar* hebraicè vicum significet; non propterea inde colligendum ait Relandus *Capharnaum* urbem non esse, cum plurimis etiam urbibus *Caphar* præponatur.

(80) Non eadem hæc est cum *Antipatride*, seu *Apollonia* Sansonii in finibus Ephraim & Manasse, sed potius, ut Relandus putat, *Caphargamala* est in Hierosolymorum regione.

(81) Regia & Levitica Civitas est Sansonio, cujus situs parum ab eo Calmeti differt; à quo tamen *Hebron* Clerici longissimè distat.

BAND	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE;	CANTELL.
						Cariath Bala. V. Cariath Baal.
Cariath-Hefron, q. & Afor. Jud long. gr. 65.'47.½ latit. gr 31.'4.	Afor?		Afor eadem ac Hefron, ut ipse ait. Jud.	Efron. Jud.	Efron. Jud. long. g. 65.'14. lat. g. 31.'9.	Efron, Cariath-Efron, quæ & Afor. Jud. long. g. 66. 53. lat. g. 30.'27.
Cariath-Jarim. V. Cariath Baal.						
					Cariath Senna. V. Cariath Seuna.	Cariath Senna. V. Cariath Seuna.
Cariath-Sepher. V. Cariath-Seuna.			Cariath-Sepher. V. Cariath-Seuna.	Cariath-Sepher. V. Cariath-Seuna.	Cariath Sepher. V. Cariath-Seuna.	Cariath Sepher. V. Cariath-Seuna.
(82) Cariath-Seuna, Chariath-Sepher, Dabir. Jud. long. gr. 65.'58. lat. gr. 31.'10.	Debir, & Debira, Kiriathsanna, & Kiriathsepher. Jud.		Cariath-Sepher, seu Dabir. Jud.	Dabir, & Cariath-Sepher.	Dabir, Cariath-Senna, & Cariath-Sepher Civ Levit Jud. long. g 65.'45. lat. gr. 31. 23.	Dabir, Cariath-Senna, Cariath-Sepher. Jud long. g. 67. 43. lat. g. 30. 33.
		Cariathaim. V. Cariath-aim, al. Cathan.				
						Cariathaim. V. Cariath-aim.
	Cariathamaum.					
				Cariatharbe. V. Cariath Arbe.		
			Cariathjarim. V. Cariath-Baal.			Cariathjarim. V. Cariath-Baal.
				Cariathjearim. V Cariath-Baal.		
				Cariatijaim. R.		
		Carii Jovis Templum. V. Jovis Carii Templum.				
				Carioth. D.	Carioth. S. long. gr. 65. 13. lat. g. 31. 39.	
						Carioth-Efron. V. Cariath Efron.
Carith. Torr. E. long. g. 67.'12.½ lat. gr. 31.'47.½			Torrens. Carith.			Carith Torrens. B. long gr 68.'47. lat. gr. 31.'9.
Carmel, & Camelus. Jud. long. gr. 66.'32.½ lat g. 31.'7	Carmel. Jud.	Camel. lat. g. 31.'23.	Carmelus. Jud.	Carmel. Jud.	Carmel Jud. long g 66. 00. lat. g. 31. 18.	Charmel. Jud. long. g. 68.'2. lat. g. 30. 10
Carmeli Vallis. V. Vallis Carmeli.						
Carmelon.						
				Carmelum Ecbatanis. Is.		
Carmelus. V. Carmel.			Carmalus. V. Carmel.			
				Carmelus alter Mōs. V. Carmelus Mōs.		
(83) Carmelus Mons. E. long. gr. 66. 46. lat gr. 32. 50.	Mons Carmelus. lat. gr. 32.'50.	Carmelus. M. lat. gr. 33.'15.	Carmelus. Mons.	Carmelus Mons. Z.	Carmelus Mons. Z. long. gr 65.'46. lat. gr. 33.'7.	
			Carmelus Mons. Jud.	Carmelus alter Mōs. Jud.		
					Carmelus Mons. Is. long. gr 65.'6. lat. gr. 33.'58.	
				Carmelus Mons alter. V. Carmelus Mons.		
(84) Carnaim, inter Astaroth-Carnaim. M. long. g. 68. 2. lat. g. 32.'22.			Astharoth Carnaim G.	Astharoth-carnaim. M.	Astaroth Carnaim Regnum. M. long gr 67.'4. lat. gr 33.'6.	Cornaim. M. long. g. 69. 38. lat. g. 31.'35.
	Carnaim. V. Carnion.					

(81) Denuo urbem, quæ Sansonio regia est, parvo charactere signat Calmetus.

(83) Non in Ephraim Tribu, uti vitio fortasse Typographi in Sansonii textu, Clerico ferulam non adhibente, legitur; sed ex Tabulæ graduatione in Issachar Tribu Zabulonis conterminus poni debet cum Cellario, Calmeto, & Rueo: neque joga montis ad Aser, seu ad Septentrionem, sed Meridiem versùs vergunt; quare textus longitudo gr. 66 '46. contrahenda est ad gradus 66 34. ne a recta Tabulæ positione mons hic amoveatur. Juxta Bonfrerium Carmelus mons a tribus attingitur Tribubus, ab Occidentali & Boreali plaga ab Aseritis; Orientem versùs à Zabulonis; ab Austro tandem à dimidia Manasse cis Jordanem, quemadmodum ex Josepho argumentatur, & in Tabulam retulit suam, quæ nihil tamen Sansonianæ officiunt.

(84) Contraximus in textu longitudinis gradus ad 68.'2. qui prius excurrebant ad 68.'22. ne cogeretur *Carnaim* extra Tabulam vagari.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Carnaim, Carnion. V. Carnion.		
	Carnea. V. Carnion.					
(85) Carnion. M. *long. gr.* 67. 54. *lat. gr.* 32. 20.	Carnea, q. & Carnaim.			Carnaim, Carnion. G.		Carnion. M. *long. g.* 69. 30. *lat. g.* 32. 34.
	* Carta. Z.				Cartha Civ. Lev. Z. *long. gr.* 66. 16. *lat. gr.* 33. 3.	
	Cartan. V. Cariath-aim, al. Carthan.				Cartha. V. Carta.	
Carthan. V. Cariath aim, al. Carthan.				Carthan. V. Cariath-aim, al. Carthan.		
Carthan. V. Chefelet Thabor.						Carthan. V. Chefelet-Thabor.
				Carthan Caret. V. Chefelet-Thabor.		
Casaloth. Is. *long. g.* 66. 36. *lat. g.* 32. 35.					Casaloth. Is. *long. g.* 66. 18. *lat. g.* 32. 43.	Casaloth. Is. *long. g.* 68. 6. *lat. g.* 31. 49.
				Casbadan.		
Casbon Casphor. G. *long. gr.* 67. 52. ½ *lat. gr.* 32. 17.						Casbon, al. Casphar. G. *long. g.* 69. 20. *lat. gr.* 31. 38.
			✠ Casimir flu.			
		CASIOTIS. *lat. gr.* 30. 00				
Casis Vallis. V. Vallis Casis.				Casis. V. Vallis Casis.		Casis-Vallis. V. Vallis-Casis.
		Casius Mons. *lat. g.* 30. 54.	† Mons Casius.		Cassius Mons. *long. g.* 63. 35. *lat. g.* 31. 20.	
			Casolet-Thabor V. Chefelet Thabor.			
	Cason.					Casphar. V. Casbon.
Casphin. D. *long. g.* 65. 58. *lat. g.* 31. 57.				Casphon, Casphin. M.		
				Casphon. V. Casphin.		
Casphor. V. Casbon Casphor.						
		Castellum Masada. V. Collis Hachila.				
				Castium. V. Doch.		
Castra.						
				Castra ad Arnon. R.		
		Castra Chabria. V. Chabria Castra.				
Castra. Dan.				Castra Dan. D.		
				Castrum Beroaldi Hod. D.		
				Castrum Lamberti Hod. A.		
				Castrum Massada V. Collis Hachila.		
				Castrum Peregrinorum. Is.		
				Castrum Reg. Hoo. A	Cateh. V. Cateth.	
(86) Cateth Naalol. Z. *long. gr.* 67. 8. *lat. gr.* 32. 47.					Cateh. Z. *long. gr.* 65. 53. *lat. g.* 33. 8.	Cateth-Naalol. Z. *long. gr.* 68. 36. *lat. gr.* 32. 2.
	Catonith.					
	Cattath. Z.					
				Cava Syria. V. Introitus in Emath.		
			Cazbi. Jud.			
					Cebbon. V. Chebon.	
Cedar. M. *long. gr.* 68. 7. *lat. g.* 32. 34.						Cedar. M. *long. gr.* 69. 43. *lat. g.* 32. 54.
Cedar Tabernacula. V. Tabernacula Cedar.						Cedar Tabernacula. V. Tabernacula Cedar.
		Cedasa: V. Cades Cedessa.				

Ce-

(85) Non apparet in Sansonii textu. Meminit illius Adrichomius tanquam Præsidii. Rueus cum *Carnaim* jungit. Quæ in Tabula hic nihil mutavimus.

(86) Urbem hanc Leviticis unus Sansonius accensuit, quibus fanè *Naalol* à *Cateth* disjunctam, Adrichomius, & Ruel Amstelodamensis Tabula tribuunt. Nihil tamen reponente Clerico, nihil & nos detruncare voluimus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE:	CANTELL.
(87) Cedemoth, al. Jethson. R. *long. gr.* 67.'37. *lat. gr.* 31.'32.	Kedemoth. R.		. Cademoth. R.	Cademoth, & Cedimoth. R.	Cedimoth Civ. Levit. R. *long. g.* 67.'37. *lat. gr.* 31.'0.	Cedemoth, al. Jethson. R. *long. g.* 69.'26. *lat g.* 32.'42.
(88) Cedes. N. *long. g.* 67.'32. *lat. g.* 33.4.			Cedes Nephtali. N.	Kedes. N.	Cedes Regnum Civ. Conf. & Levit. N. *long g.* 66.'37. *lat. gr.* 33.'25.	Cedes-Neptalim. N. *long. gr.* 69.'3. *lat. gr.* 32.'19.
Cedes. V. Cesion.						Cedes. V. Cesion.
				Cedes Chasoreth.		
Cedessa. V. Cades Cedessa.						Cedessa. V. Cades-Cedessa.
					Cedimoth. V. Cedemoth.	
			✠ Cedri libani.			
(89) Cedron Torr. B. *long. gr.* 66.35. *lat. gr.* 31.'42.	Kedron Torr. *lat. g.* 31.'53.	Kidron flu. *lat. gr.* 32.'7.	Cedron Torr. B.			
(90). Ceila. Jud. *long. gr.* 66.'17. *lat. gr.* 31.30.	Keila. *lat. g.* 31.'49.	. Kegila, f. Ceila. *lat. gr.* 31.'50.	. Ceila, seu Eccela. Jud.	. Ceila. Jud.	Ceila. Jud. *long. gr* 65.'35. *lat. g.* 31.34.	Ceila. Jud. *long. gr.* 67.'47. *lat. gr.* 30.49.
			Cendevia lacus, V. Palus Cendevia.			
	Cendevia Palus. V. Palus Cendevia.			Cendevia Palus. V. Palus Cendevia.		
Cenereth. V. Genesareth.				Cenereth. V. Genesareth.	Cenereth. V. Genesareth.	
Cenereth. N *long. g.* 67.36. *lat. g.* 33.10.	Kinnereth. N.			Chinereth. N.	Cenereth. N. *long g* 66.'43 *lat. g.* 33 45.	Cenereth. N. *long. g.* 69.'7. *lat. g.* 32.24.
					CENEROTH. N. *long. g.* 66.'30. *lat. gr.* 33. 46.	
					Ceneroth Mare. V. Mare Galilææ.	
(91) CENI. Jud *long. gr.* 66.'5. *latit. gr.* 31.'7.½						
				Cenis Thacones. V. Batura.		
(92) Cepharnoma. M. *long. g.* 67.'54. *lat. gr.* 32.'33.			. Capernoma. M.			Cepharnoma. M. *long g* 69.'21. *lat. gr.* 31.'47.
	Certa.					
				Cesarea Philippi. V. Dan.		
Cesil, Bethel, Bathuel. S. *long. gr* 65.39. *lat g.* 32.17.	Bethel. *lat. g.* 32.'2.			Chesil-Bethul. S.	Chesil, seu Bethul. S. *long. g* 65.'10. *lat. gr.* 32.'30.	Cesil, al. Bethul, & Bathuel. S. *long. gr.* 67.'13. *lat. gr.* 30.'44.
			Bethel, seu Bethhounaba. B.			
(93) Cesion, al. Cedes. Is. *long. gr* 67.'22.½ *latit. gr.* 32.'27.				. Cesion. Is.	Cesion Civ. Lev. Is. *long. gr* 65.'58. *lat gr.* 32.'53.	Cesion, al. Cedes. Is. *long. gr.* 68.'51. *lat. gr.* 31.'39.
				Cesion Torr. V. Cison Torr.		
					Ceslon. B. *long. gr.* 65.'52. *lat. g* 31.44.	
				Cession Torr. Is.		
				Cesuleth. V. Cheseleth Thabor.		
Cethlis. Jud. *long gr.* 66. 21. *lat. gr.* 31.'42.½					Chetlis. D *long. gr* 65.27. *lat. g.* 31.47.	Cetlis. Jud *long g.* 67. 53. *lat. g.* 30.56.

Ce-

(87) Civitas Levitica.

(88) In Nephtali Tribu à Rueo, & Calmeto urbs hæc ponitur; à Rueo quidem non parum infra, à Calmeto verò non parum supra Semechonitem lacum. Si 20. passuum millia tantum a *Tyro* distet, ut ait Calmetus, ab ejus Tabulæ situ urbs hæc non videtur removenda. Et hæc Levitica urbs.

(89) Torrentem hunc in Sansonii textu non legimus.

(90) Hujus latitudo, qualis in textu assignatur, est grad. 30.'31. quibus respondens situs cum extra Tabulam cadat, quæ initium sumit a gr. 30. 40. ideo corrigenda est in lat. gr. 31.'29.

(91) In Tabula olim legebatur *Cene*. Locus hic *Cene Ægypti* oppidum Cellario est. Sansonius eum præterit in textu. Quare nos elei signum cassavimus, notam regionis, sive districtus, ut vocat Sansonius, CENI apponentes.

(92) Vicum hunc, qui & apud Adrichomium occurrit, Tabulâ erasimus; cum neque a Bonfrerio laudetur, neque ab ullo, quibus utimur, si Calmetum excipias, qui *Capernoma* memorat; & quidem ex Josepho, quo hic delatus fuit ex vulnere prope Juliadem, ait ille, accepto. Verùm nomen *Capernoma* ceteris ignotum, fortasse loco *Capernas* in editis irrepsit: &, arbitramur, simile illi *Caparcotes* commentis apud Cellar. lib. 3. cap. 13. pag. 430. quod etsi in latinis versionibus legatur, adeò ut & Carolus a Sancto Paulo in Geographiæ Sacræ provincia Palæstina secunda, *Caparcotiam* sedem tertiam Episcopalem nominaverit, *Capernao* præterito; in Græcis attamen versionibus, teste eodem, ibid. *Caparcotes* non legitur, sed *Caparnaum*.

(93) Levitica apud Sansonium, & Adrichomium Civitas.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE:	RUE.	CANTELL.
Cetron . V. Chesepeth Thabor.						
Cetthim.						
		Chabarsabe. V. Caphar-Salama.				
	Chabole.					Chabolon. V. Cabul.
		Chabria Castra. *lat. gr.* 30.' 59.	. Chabud. A.		Chabul. A. *long. gr.* 66. 23. *lat. g.* 33.' 32.	
CHABUL.		TERRA CABUL.			Chabul. V. Chabud.	
	• Chadascha. Jud.					
	Chadarta. Jud.					
	Chadia.					
	Chadid. B.					
	Chalab. V. Gusim.					
	Chalamis.					
			✠ : Chalcis:			
			Chalcis.			
	• Chalcul. Jud.					
Chali. A. *long. gr.* 67. 8. *lat. g.* 33.' $17.\frac{1}{2}$	• Chali.				Chali. A. *long. gr.* 66.' 19. *lat. g.* 34.' 1.	Chali. A. *long. gr.* 68.' 39. *lat. g.* 32.' 36.
	Chammath. M.					
	Chammon. A.					
				Chamo. Is.		
	Chamothdor. M.					Chanath-Nobe. V. Canat, & Nobe.
	• Channaton. Z.					
	• Chapharain. Is.			Chapharaim. Is.		
	Chaphrata.					
Charabe. N. *long. g.* 67.' $27.\frac{1}{2}$ *latit. gr.* 33.' 22.	Charabe.					Charabe. N. *long. g.* 68.' 58. *lat. g.* 32. 21.
	Characmoba.					
						Charmel. V. Carmel
	Charod.					
	Charran. V. Ara.					
	Charri.					
	Chasalus.					
	Chasle.					
	Chaslon.					
				. Chaseret: N.		
	Chasphoma.					
	Chatsar-Addar.					
	Chatsar-Enam.					
	• Chatsar - Gadda. Jud.					
	Chatsar-Schual Jud.					
	• Chatsar-Sasa. S.					
	• Chatsar-Susim. S.					
	Chatsatson Tamar.					
	Chatsor. N.					
	• Chatsor Jitnan.					
Chebbon: Jud. *long. g.* 66.' $17.\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' $37.\frac{1}{2}$					Cebbon: D. *long. gr.* 65. 27. *lat. g.* 31.' 59.	Chebbon: Jud. *long. gr.* 67.' 48. *lat. gr.* 30. 53.
	Chebron. V. Cariath-Arbe Hebron.					

SANS.	REL.	ORLE.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Ghelam.					
	* Chelba. A.					
	Chelcath. A.					
	* Chelcath Hatturim.					
	* Cheleph. N.					
	Chellus.					
			Cheneus flu. M.			
	Chepha.					
	Chephar.					
	Chepher.					
	Chenes. V. Timnath-Cheres.					
	Cheria.					
	Chermon Mons V. Mons Chermon.					
	Chesbon, & Chesebon. V. Hesebon.					
	Chesebon. V. Hesebon.					
	* Chesemon. Jud.					
(94) Cheselet-Thabor, & Carthan, & Cades, & Cetron. Z. long. gr. 67.' a. $\frac{1}{2}$ latit. gr. 32.' 57.	* Kisloth-Tabor. Z.			Cheselet-Tabor. Z.	Cheseleth-Thabor. Z. long gr. 66.' 11. lat. gr. 32.' 53.	Cheseleth-Thabor; al. Carthan. Z. long g. 68.' 36. lat. gr. 31.' 52.
				Chesil. V. Cesil.		
				Chesis. V. Kezib.		
					Chetlis. V. Cethlis.	
	Chetzron. Jud.					
	* Chilen. Jud.					
	Chilzon.					
				Chinereth. V. Cenereth.		
	Choba.					
	* Chodschi.					
	Cholon. Jud.					
	Cholon. V. Cola.					
	Chorazin. V. Corosaim.	Chorazin. V. Corosaim.				
	* Chorem. N.					
				Chorifilo. B.		
	Chorma. V. Zephat.					
	Choron.					
	Chosa. A.					
Christi Mons. V. Mons Christi.						Christi-Mons. V. Mons-Christi.
				Chryforchoa-fluvii Fontes. V. Barradus flu.		
			Chryforoa flu. V. Barradus flu.			
	Chuccoc. N.					
	* Chumta. Jud.					
(95) Cibsaim, & Gibsan, & Jecmaan. E. long. gr. 66.' 56. lat. gr. 32. 4.	Kibtzaim. E.		. Cibsaim. M.	Jeblaham Cibsaim. M.	Jeblaam, quæ & Cibsaim. M. long. gr. 65.' 52. lat. g. 32. 25.	Gibsaim, & Gibsan. E. long. gr 68. 26. lat. gr. 31.' 16.
Cidoessa. A. long. gr 67.' 16. lat. gr. 33.' 4.	Oydoessa, Cydossus.					Cidoessa. A. long. g. 68.' 42. lat. g. 32. 18.

(94) Item iisdem urbs Levitica.
(95) Et hæc Levitica. Olim *Jecmoam* legebatur; *Jecmaan* reposuimus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Cina. Jud. *long gr.* 66. 18. *lat. g.* 31.' 1.	Kina. Jud.			Cina. Jud.	Cina. Jud. *long. gr.* 65.' 43. *lat. g.* 32.' 14.	Cina. Jud. *long. gr.* 67.' 42. *lat. g.* 30.' 15.
Cinai Aber Tabernaculum. V. Tabernaculum Aber Cinai,						Cinai Aber Tabernaculum. V. Tabernaculum Aber Cinai.
			Cineret. V. Genesareth.			
				Cineret Mare; V. Mare Galilaea.		
				Cineret. V. Genesareth.		
				Ciprion. V. Doch.		
					Cis-Jordanina dimidia Manasse Tribus. V. Tribus dimidia Manasse Cis-Jordanina.	
(96) Cison Torrens. Z. *long. gr.* 67. 25. *lat gr.* 32.' 32. $\frac{2}{3}$	Kiscon flu. *lat. gr.* 32.' 38.	Kison flu. *lat. g.* 33.' 0.	Cison Torrens. Z.	Cesion Torr. Z.		
Cison Torrens. *long. gr.* 68.' 49. *lat. gr.* 32. 40.						
Cisterna Joseph, ini. Vetus Z. *long. g.* 67.' 17. $\frac{2}{3}$ *latit. gr.* 32.' 43.						Cisterna Joseph. Z. *long. g.* 68.' 50. *lat. gr.* 31.' 58.
Cisterna Vetus. V. Cisterna Joseph.						
Civitas Salis, inter Salis Urbs. Jud. *long. gr.* 66.' 52. $\frac{1}{2}$ *lat. gr* 32.' 12. $\frac{2}{3}$					Civitas Salis; Jud. *long. g* 66.' 40. *lat. gr.* 31.' 29.	Civitas-Salis. Jud. *long. g.* 68.' 23 *lat. gr.* 30.' 27.
Civitas Solis. V. Hirsemes.						Civitas Solis. V. Hirsemes.
	Coabis;					
	Cobe.					
	Cochaba;					
COELESYRIA;			COELESYRIA.			
	Cola, & Cholon, Calon.					
				Colles Thracones. V. Galaad M.		
(97) Collis Hachila Masada. Jud. *long. g.* 66.' 42. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.' 12.	Masada;	Massada Castellum. *lat. g.* 31.' 15.	Massada. Jud.	Massada Castrum. Jud.		Collis-Achillae. Jud. *long. g.* 63.' 25. *lat. gr.* 30.' 26.
Collis Sis. V. Sis Collis.						Collis-Sis. V. Sis-Collis.
				Colonia flavia prima. V. Turris Stratonis.		
				Colonia prima flavia. V. Turris Stratonis.		
	* Comoscana.					
					Contra Rabba Aroer V. Ar, Aroer.	
				Convallis Regia. V. Ager Damascenus.		
	Corasehan.					
	Corea. V. Correa.					Corea. V. Correa.
						Cornaim. V. Carnaim.
				Corosaim. V. Corozaim.		
(98) Corozaim. M. *long gr* 67.' 49. *lat. gr.* 32.' 42.	Chorazin;	Chorazin; *lat. gr.* 33.' 18.	. Corozaim. N.	Corosaim. M.		Corosaim. M *long. gr.* 69.' 20. *lat. gr.* 31.' 58.

Cor-

(96) Geminum hujus nominis Torrentem statuit Sansonius, secus ac visum est Relando & Calmeto, ut hujus Tabula indicat. Unus in mare Occiduum, uti consentiunt & ipsi, influit: alter verò in mare Galilaeae Orientem versùs excurrit. Clericus Sansonii sententiam non improbat; & Cellarius de Torrentis hujus in mare Tiberiadis delapsu dubitat quidem, non tamen negat.

(97) Munitissimum fuisse oppidum ex Josepho lib. 14. cap. 15. de bello apertissimè colligitur: *Herodes*, ait, *Hierosolymis relictis suos secum milites cum Feminis ducens Massadam munitissimum oppidum se recepit*.

(98) Urbs Decapoleos. Extendatur ergo textus latitudo grad. 31.' 42. ad latitud. grad. 32.' 42. Rueus cum Sansonio eam ad latus Orientale Jordanis ad Tiberiadis lacus caput, ubi fluvius ille in hunc influit lacum, collocat: Calmetus contra cum Cellario non parum intra lacus principium ponit ad ejus Occidentale latus.

SANS.	REL.	CELL.	SALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Correa. M. *long. gr.* 67. 10. *lat. g* 32.'10.	Corea.					Correa. M. *long gr.* 68. 39. *lat. g.* 31. 20.
	Cosmus;			Cosmos. V. Socoth.		
	Coscba. Jud.					
				Crocodillorũ Urbs. V. Crocodilon.		
	(99) Crocodilon.					
				Crocodillorũ Urbs. Z.		
	Crommion.					
	Culon. V. Cola.					
			✠ Cun, seu Conna.			
			Conna. V. Cun.			
		Cupiditatum Sepulcra. V. Sepulcra Cupiditatum.				
	Cyamon.					
	Cydida.					
	Cydis.					
	Cydoessa. V. Cidoessa					
	Cydossus. V. Cidoessa					Cydoessa. V. Cidoessa
	Dabarista.					
	Dabbascher. Z.					
					Dabbaseth. V. Debbaseth.	
				Dabbereth; V. Dabereth.	Dabbereth. V. Dabereth.	
(100) Dabereth. Z. *long g.* 67.'10. *lat. gr.* 32.'32.				Dabbereth. Z.	Dabbereth. Z. *long. gr.* 66.'19. *lat. gr.* 32.'53.	Dabereth. Is. *long. gr.* 68 '40. *lat. gr.* 31.'46.
Dabir. V. Cariath-Seuna.			Dabir. V. Cariath-Seuna.	Dabir. V. Cariath-Seuna.	Dabir. V. Cariath-Seuna.	Dabir. V. Cariath-Seuna.
Dabir. G. *long. gr.* 67.27. *lat. g.* 31.55.	Dabira;			Dabir. G.	Dabir. G. *long. gr.* 66.'43. *lat. g* 32.'16.	Dabir. G. *long. gr.* 69.00. *lat. g.* 31.'8.
	Dabira. V. Dabir.					
				Dagon; V. Doch.	Dalean. V. Delean.	
				Dalmanuta. V. Dalmanutha.		
(101) Dalmanutha M. *long gr.* 67. 49 *lat gr.* 32 33.	Dalmanutha.		Medan, seu Dalmanutha. *M.*	DALMANUTA.		Dalmanutha. M. *long. gr* 69.'27. *lat. gr.* 31.'49.
				Damascenus Ager. V. Ager Damascenus		
			Damasci Syria. V. Aram.			
Damascus.	Damascus. *lat. gr.* 33.'42.		✠ Damascus.	✠ Salecha, seu Damascus.	Salecha, seu Damascus Regnum *long. g* 67. 43 *lat g* 34 4.	
	Damin, & Adami. Z					
Damna. V. Remon Amthar.	* Dammim. Jud.					
	* Damnaba. D.			Damna. V. Remon Amthar.	Damna Civ. Lev. Z. *long g.* 66.'26. *lat. g.* 32.'59.	Damna. V. Remon-Amthar.
				Damons. M. o.		
			Damor flu. V. Tamires flu.			
Dan Tribus. V. Tribus Dan.		Dan Tribus. V. Tribus Dan.	Dan Tribus. V. Tribus Dan.	Dan Tribus. V. Tribus Dan.	Dan Tribus. V. Tribus Dan.	Dan Tribus. V. Tribus Dan.
DAN. *long g.* 67.'40. *lat. gr.* 33.'26.			DAN, seu LESEN.	LESEN. DAN.		
					Dan. V. Lesen-Dan.	
Dan, al. Lais, & Paneas, & Cæsarea Philippi. N *long g.* 67.45. *l g* 33.'17. ½	Paneas, q. & Cæsarea Philippi. *lat. gr.* 33. 24.	Paneas Cæsarea Philippi. *lat g.* 33.'56.	Paneas, seu Cæsarea Philippi. M.	Cesarea Philippi. N.	Lais. N *long gr.* 66 50. *lat. g.* 34.00.	Dan, al. Lais, Paneas, & Cæsarea Philippi. N. *long. gr* 69.'14. *lat gr.* 31 '34.

Dan-

(99) A Rueo *Crocodillorum urbs* parvo signo notatur. Hinc perspicuum est in hac Rusi Tabula urbes & oppida à vicis pagisque signo sive parvo, sive magno haudquaquam distingui.

(100) Civitas Levitica in Zabulonitarum Tribu Sansonio ac Rueo; in ea Issacharitarum numeratur ab Adrichomio. Calmetus hanc Leviticam fatetur, nil aliud superaddens.

(101) Locum hunc ad mare Galilææ unà cum Relando Sansonius statuit, at Calmetus eum prope Phialæ fontem longè etiam supra Samochonitem lacum. Rueus existimat *Dalmanuthæ* nomine regionem non urbem designari: *Dalmanutham* tamen & ipse majore indicat charactere ad mare Galilææ. Cellarius tandem & majorem vicum, & regionem etiam ad mare itidem Galilææ positam, *Dalmanutha* nomine intelligendam esse visus innuere.

D

SANS.	REL.	CELD.	CALM.	RUE:	RUE.	CANTELL.
	(102) Dan, inter & Lajiseh, & Ulamis. *lat. g.* 33.'25.			. Lais Dan. N.		
				Danaba. Jud.		
Danna. Jud. *long. g.* 65.'57. *lat. g.* 31. 14.	* Danna. Jud.				Danna. Jud. *long. g.* 65. 43. *lat. g.* 31.'21.	Danna. Jud. *long. g.* 67.'29. *lat. g.* 30. 38.
			DAPHNE.			
				. Daphne. N.		
Daphnis fons. N. *long. g.* 67.'50. *lat. g* 33.'1.						
	Darabista.					
			DAROMA. Jud.	DAROMA. Jud.		
	Dathema. V. Datheman.					
. Datheman. G. *long. gr.* 68.'4. *lat. gr.* 32.'24.	Dathema.					Datheman. G. *long. gr.* 69. 43. *lat. gr.* 31.'27.
						Debb feth. V. Debbafeth.
. Debbafeth. Z. *long. gr.* 66.'49. *lat. gr.* 32. 48.				Debbafeth. Z.	Dabbafeth. Z. *long gr.* 65.'49. *lat. gr.* 33.'5.	Debb-feth. Z. *long. gr.* 68.'12. *lat. gr.* 32.'6.
. Debbera. Jud. *long. gr.* 66. 52. *lat. gr.* 31. 33.					Debera. B. *long gr.* 66.'28. *lat. g* 31. 56.	Debera. B. *long gr.* 68.'16. *lat. g.* 30. 50.
Debbore Palma. E. *long. gr.* 67.'1. *lat. gr.* 31.'57. $\frac{1}{2}$						
	Debir. V. Cariath-Seuna.				Debera. V. Debbera.	Debera. V. Debbera.
	Debira. V. Cariath-Seuna.					
			Deblataim. V. Deblathaim.			
; Deblathaim ; R. *long. g* 67.'24. *lat. g.* 32.'12.			. Deblataim. R.			Deblathaim R. *long. gr.* 69.'27. *lat. gr.* 30.'47.
DECAPOLIS.		DECAPOLIS : *lat. gr.* 33.^{00}	DECAPOLIS.	DECAPOLITANA.		
				Decapolitana. V. DECAPOLIS.		
Dedan.		Dedan. *lat. g.* 30.'45.	. Dedan. Jud.			
Delean. Jud. *long. g.* 66.'28. *lat. g* 31. 34.					Dalean. D. *long. gr* 65. 33. *lat. g.* 31. 46	Delean. Jud. *long. g.* 66.'00. *lat. g.* 30. 47
Delos.						
			Denaba. R.		Denaba. Jud. *long. g* 65. 32 *lat. g* 31. 1.	
	Dephela:					
DESERT.						
Deserti Campestria. V. Campestria deserti.						
					Deserti mare. V. Mare salsissimum.	
				Deserti pars Septentrionalis. V. Hac est.		
Deserti Spelunca. V. Spelunca deserti.						Deserti Petra. V. Petra divisionis.
			Deserti Torrens. V. Torrens deserti.	Deserti Septentrionalis pars. V. Hac est.		
				Deserto. V. Idumææ pars.		
						DESERTUM. *long. g.* 66.^{00} *lat. g.* 31.^{00}
						DESERTUM. *long. g* 69.^{00} *lat. g.* 30.^{00}

DE-

(102) Nomen urbis olim *Lesem* dictæ in finibus borealibus terræ Israeliticæ prope Jordanis fontes, ac Cæsaream, a qua distinctam esse docet Relandus. *Dan* Tabulæ non inseruimus, ne Incisori confusionem pareremus, hic eam indicasse satis esse arbitrati: neque superiori *Dan*, al *Lais* titulum Sansonianum detruncavimus, ut & ipsismet oculis ejus opinio pateat; quam & Bonfrerius ex D. Hieronymo tuetur; & ejus silentio etiam Clericus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE;	CANTELL.
DESERT. BETHSAIDÆ. M long. gr. 67.'50. lat. gr. 32.'40.						DESERT. BETHSAIDÆ. M. long. gr. 69.'19. lat. gr. 31.'57.
		Desertum Cades. V. Zin, sive Cades desertum.				
		DESERTUM ETHAM. lat. gr. 29.$\frac{00}{-}$				
DESERTUM JUDÆ. Jud. long. g. 66.'37.$\frac{1}{2}$ latit. gr. 31.'00.				DESERTUM JUDÆ. Jud.		DESERTUM SIN, sive DESERTUM Judæ. Jud. long. gr. 67.'30. lat. gr. 30.'18.
						Desertum Maon V. Solitudo Maon.
				Desertum Mare. V. Mare falsissimum.		
DESERTUM SIN. long. gr. 66. $\frac{1}{6}$ lat gr. 31.'00.		SIN DESERTUM. lat. g 29.$\frac{00}{-}$			DESERTUM SINA long gr. 65.'2. lat. gr. 31.'5.	Desertum Sin. V. Desertum Judæ.
					Desertum Sina. V. Desertum Sin.	
		DESERTUM SINAI. lat. g 32.$\frac{00}{-}$		SINEI DESERTUM. Jud.		
		DESERTUM SUR. lat. g. 30.$\frac{00}{-}$				
		DESERTUM ZIPH lat. g. 31.$\frac{00}{-}$				DESERTUM ZIPH Jud. long. gr. 68 9. lat gr. 30. 26.
	Dessau.					
Diaboli M. B. long. g. 66'47 $\frac{1}{2}$ lat. gr. 31.'47.$\frac{1}{2}$						
Dibon. G. long. gr. 67.29. lat g. 31. 50.	Dibon. G.	Dibon. lat. g. 32.'8.		Dibon. R.	Dibon. R. long. gr. 67.43. lat. g. 31. 57.	Dibon. G. long gr. 64.'11. lat. g. 31. 4.
				(103) Dibon altera. R.		
(104) Dibongad. R long. gr. 67'22. $\frac{1}{2}$ lat. gr. 31. 7.$\frac{1}{2}$			. Dibongad. R.	. Dibongad. R.		Dibongad. R. long. gr 89'21. lat. gr. 32.'04.
	* Dilan:					
Dimidia Tribus Manasse cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.		Dimidia Tribus Manasse. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Dimidia Tribus Manasse cis. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.		Dimidia Tribus Manasse cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis jordanem.	Dimidia Tribus Manasse cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.
Dimidia Tribus Manasse trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.		Dimidia Tribus Manasse. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Dimidia Tribus Manasse trans V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.		Dimidia Tribus Manasse trans Jordanem V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Dimidia Tribus Manasse trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.
	* Dimaa. Z.					
	* Dimona. Jud.			Dimona. Jud.	Dimona. Jud. long g. 65.'36. lat. g. 31. 18.	Dimona. Jud. long. gr. 67.'36. lat. gr. 30.'18.
	Diocæsarea. V. Sephoris.		Diocæsarea. V. Sephoris.	Diocæsarea. V. Sephoris.		
	Diocletianopolis.					
Dion. V. Dium.						
	Diospolis. V. Lydda.	Diospolis. V. Lydda.	Diospolis. V. Lydda	Diospolis. V. Lydda.		
Divisionis Petra. V. Petra divisionis.						Divisionis Petra. V. Petra divisionis.
Dium, lat. & Dion.						
	Dobrath. Z.					
Doch E long. gr. 67 14. lat. g. 31.'54.				Dogon, seu Doch, Castium, & Cipion. M.		Dooch. E. long. gr. 68.46. lat. g. 31.12.
				Dogon. V. Doch.		

(103) *Dibon altera*, è Reco expressa, primam connotat, quam Tabula non prodit. Nam *Dibon R.* rivum designat, quemadmodum in Tabula depingitur.
(104) *Dibongad*; Stationem dumtaxat facit Sansonius, non vicum, ut pinxisse videtur in ejus Tabula Calmatus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
						Dooch. V. Doch.
	Domo. V. Domes.					
	Domo.					
(105) Domes.						
DÓMMIM. Jud. *long. gr. 66.'* 10. *lat. gr.* 32.'28.						
Domus Levitæ. V. Levit. Domus.						
			Domus Tican. V. Tichon.	Domus Ticon. V. Tichon.		
		Dophna.				
Dor. V. Hamon.						Dor. V. Ham[illegible]
(106) Dor. M. *long. gr. 66.'* 28. *lat. gr.* 32.'44.	Dora, int. & Dor, M, vel A. *lat. gr.* 32.'44.	Dora. *lat. g.* 32.'55.	Dora. M.	Dora. M.	Dor Regnum. M. *long. gr.* 65. 34. *lat. gr.* 32.'49.	Dor. M. *long. r.* 68.'1. *lat. gr.* 32. 59.
	Dora. V. Dor.		Dora. V. Dor.	Dora. V. Dor.		
				Dorcon-Adora. V. Adora.		
						Dotaim. V. Dothaim.
Dothaim.	Dothaim, Dothain, & Dothan. *lat. gr.* 32.'31.		Dothaim. M.			Dotaim. Z. *long. g.* 68. 54. *lat. g.* 32. 58.
	Dothain. V. Dothaim.					
	Dothan. V. Dothaim.					
				Drusia. V. Drusias.		
	Drusias.	Drusias. *lat g.* 32.'27.		Drusia. Z.		
Drusias. M. *long gr.* 66. 20. *lat. g.* 32. 37.						
	Duma.	Duma. *lat. g.* 31.'4.	Duma. Jud.	Duma. eo. Jud.	Duma, & Ruma. Jud. *long. g* 65.'3. *lat. gr.* 31.'25.	
Duplex Spelunca. V. Spelunca duplex.						Duplex spelunca V. Spelunca duplex.
	Dura.					
	Ebal Mons. V. Mons Pisc.	Ebal M. V. M. Pisc.				
				Eben-Boen. V. Aben-Boen.		
		Eboda. *lat. g.* 30.'40.	Oboda, Eboda, seu Oboth.			
	Ebron. A.					
			Ebron. Jud.			
	Ecbal M. V. Hebal M.					
	Ecbatana. V. Ecbathana.					
(107) Ecbathana.	Ecbatana.			Ecbatanæ Carmelum. V. Carmelum Ecbatanæ.		
			Eccela. V. Ceila.			
	Ecdippa. V. Acsiba.	Ecdippa. V. Acsiba.	Ecdippa. V. Aciba.			
Ecdippos. V. Acsiba.						Ecdippos. V. Acsiba.
	Echeba. V. Ceila.					
	Ecrebel.					
	Ecron. V. Accaron.					
					Edama. V. Edema.	
Edema. N. *long. g.* 67.'28. *lat. g.* 33. 10.				Edema. N.	Edama. N. *long. g.* 66. 45. *lat. g* 33. 43.	Edema. N. *long g.* 69. 00. *lat g* 32. 25.
			Eden. V. Aden.			

Eder,

(105) *Loci hujus, cujus in vita sua meminit Josephus, necdum positio data est*, inquit Sansonius. Si *Domes* locus idem ac *Doma* hic Relando vicus est in Galilæa prope Tiberiada in loco montano. Hunc vicum non addidimus, cum & plures alii à Sansonio prætereantur, ne ejus Tabula nimia confusione laboraret.

(106) *Dor*: urbs Regia.

(107) Oppidum, Castrum, Civitas, & Mons à Sansonio dicitur; sed acriter repugnat Clericus, qui locum Efdra à Sansonio prolatum longè aliter interpretatur. Manet in ancipiti Bonfrerius. Cellarius tamen Civitatem, atque Oppidum *Ecbathanam* dicit, in eaque obiisse Cambysem Persarum Regem, cui fatalis sibi locus *Ecbathana*, & illa quidem Syriæ, prædictus fuerat, quod ipse de urbe Mediæ intellexerit, ut tradit Herodotus lib. 3. cap. 64. Eadem repetit & Calmetus cap. 19. Jos. pag. 86. quam putat Gabbaton, eamque ad Carmelum montem collocat; & pag. XXXII. in Animadvers. ad Tab. ab Arphaxad Rege constructam dicit.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUB.	CANTELL.
	* Eder. Jud.			. Eder. Jud.	Eder. Jud. *long. gr.* 66. '2. *lat. gr.* 31. '3.	Eder, Hered, Arad. Jud. *long gr* 67. 20. *lat. gr.* 30. 24.
	Eder. V. Migdal-Eder.					
(108) Eder. Hered, int. & Arad. Jud *long gr* 66.' 31. *lat. gr.* 30. '55.	Arad. *lat. g.* 31. '26.	Arad. *lat. gr.* 31. '28	Arad.	Harad, Hered. Jud.	Arad Regnum. Jud. *long gr* 65. 49. *lat. gr.* 31. '27.	
			Edessa. V. Haliopola.			
EDOM, q. & IDUMÆA. *long. gr.* 65. 30. *lat. g* 30. 00.	MONTANA IDUMÆORUM. *lat. gr.* 31. 00	IDUMÆA. *lat. gr.* 30. 00	IDUMÆI.	EDOM. & IDUMÆÆ pars.	EDOM. *long. g* 65. '1. *lat. g.* 31. 00.	EDOM, q & IDUMÆA. *long. gr.* 66. 30. *lat g* 31. 00.
	Edomia. V. Edumia.					
Edrai. V. Adrach.			Edrai. V. Adrach.	Edrai. V. Adrach.	Edrai. V. Adrach	Edrai. V. Adrach.
(109) Edrai M *long g* 67.' 57. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32. 17.	Edrei. M.	Edrai. *lat. gr* 33 '16		Edrai. N.	Edrai. N. *long gr* 66.' 44. *lat g.* 33. 31	Edrai. M *long. gr.* 69. 30. *lat. g* 31. '52.
(110) Edrai Enhasor N. *long gr.* 67.' 38. *lat gr.* 33. '3.				. Enhasor. N.	Enasor. N. *long gr* 66. 46. *lat. g.* 33. '48	Edrai, Enhasor. N. *long gr.* 64 10. *lat. gr.* 32. '14.
	Edrei. V. Edrai.					
	Edumia, int. Edomia. *lat. g.* 32. 18.					
			Egallim. V. Gallim.			
			. Eganna. G.			
				Ægypti Torrens. V. Torrens Ægypti.		
(111) Eglon. Jud. *long. gr.* 66.' 21. *lat. gr.* 31. '34.	Eglon. Jud.			Eglon. Jud.		Eglon Jud. *long g.* 67. 53 *lat g.* 30. 51.
	Eipan. Jud.				Eglon. V. Odollam.	
		Ekron. V. Accaron.				
	El. V. Migdal-El.					
	Elale.					
	Elana. *lat. gr.* 29.' 48.				Elan. D *long gr.* 65 '26. *lat g* 31. 37.	
	Elanitici sinus pars. V. Sinus Elanitici pars.					
		Elaniticus sinus. V. Sinus Elanitici pars.				
	Elas. V. Ailath.					Eliph. V. Heleph.
Elath. V. Ailath.	Elat. V. Ailath.			Elasium V. Eleale.		
				Elba. V. Helba.		
(112) Elcece. N *long gr.* 67.' 29. *lat. gr.* 32. 54.	Elcesi.					Elcece. N *long gr.* 69 00 *lat g* 32. 10.
	Elcesi. V. Elcece.					
Eleale. R *long. gr* 67.' 31. *lat g.* 31. 41.	Elealu. R		. Eleale. R.	. Eleale Elasium. G.	Eleale. G *long. gr* 67.' 4. *lat. g* 32.' 16.	Eleale. R. *long. gr.* 69 23. *lat g.* 30. 59.
	Eleasa.					
(113) Eleph. R. *long gr.* 66 40. *lat. gr* 31. 46.				. Eleph. B.	Eleph. R *long. gr.* 66 '2. *lat. g* 31. '49	Eleph. R *long gr.* 68. '22. *lat g.* 31. '00.
					Eleph. V. Heleph.	
				Elere. M.		
				Eleuteropolis. V. Eleutheropolis.		

Elim:

(108) Urbs Regia in prima parte Tribus Juda. Emendanda igitur latit. grad. 30.' 7. $\frac{1}{2}$, quæ extra Tabulam aberrat, in latit. grad. 30. '55. ut in *Ader*, (quæ eadem est) in Sansoniano textu profertur.

(109) In textu Regia urbs dicitur *Ogi* Regis. Consentit Cellarius; quare Regium ei signum in Tabula adjunximus.

(110) *Enhasor* ab *Edrai* discriminat Clericus. At Cellarius *Enhasor* ne meminit quidem.

(111) *Eglon*. Regia urbs.

(112) Hujus Sansonius in textu non meminit; ex ejus tamen positione eumdem esse vicum intelligimus ac *Elcesi* Relandi, quem vocat Galilææ vicum, & Patriam Nahum Prophetæ.

(113) Sansonius in textu *Eleph* cum *Heleph* confundit: at perperam. *Eleph* enim Sansonii Tabula optimè cum Cellario in Tribu Benjamin exhibet. *Heleph* verò ad Nephtalim spectat in ipsius Sansonii textu & Tabula. Hic sanè castigandus fuerat Sansonius, sed bonus Clericus dormitavit.

E

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	BUE.	CANTELL.
	(114) Eleutheropolis. *lat. gr.* 31.' 54.	Eleutheropolis. *lat. gr.* 31. 54.	Eleutheropolis. D.	Eleuteropolis. Jud.		
		Eleutherus fluvius (Flu.) *lat. g.* 34. 0.	Pseudo-Eleutherus flu. A.			
			⊕ Eleutherus flu.			
					Elhul. V. Halhul.	
				Elia Spec. Is.		
Elim.		Elim. *lat. gr.* 29.' 44				
Elmelech, inter & Helba. A. *long g* 67. 2. *lat. gr* 33.' 3.	Alammelech. A.			. Elmelech. A.	Elmelech. A. *long. gr.* 66 ' 25. *lat. gr.* 33.' 46.	Elmelech. A. *long. gr.* 68.' 34. *lat. gr.* 32. 20.
	Elom. Jud.					
	Elom. D.					
Elon, al. Helo.						
Elon. D. *long gr.* 65.' 52. *lat. g.* 31. 41.				. Elon. B.		
				Elon. V. Helon.	Elon. V. Helon.	Elon. V. Helon.
(115) Elpha, al. Sicaminum. Z. *long. gr.* 66 41. *lat. gr.* 32.' 53.	Sycaminos. *lat. gr.* 32.' 48.	Sycaminum. *lat. gr.* 33.' 9.	Sycaminos, Epha, seu Caipha. Z.	Ephat Sycaminum. Z.	Ephat. Z. *long. gr* 65.' 45. *lat. g.* 33. 4.	Elpha, al. Sicaminum. 32. *long gr.* 68.' 6. *lat. g.* 32. 5.
	Elteke. V. Eltheko.					
	Eltekon. V. Elthecon.			Eltekon. V. Elthecon.		
Elthece. V. Eltheco.						
(116) Eltheco, Elthece. D *long g* 65 54. *lat. g.* 31.' 45	Elteke.					Helsece. D. *long g.* 67.' 31. *lat. g.* 31. 5.
					Eltheco. V. Elthecon.	
Elthecon. Jud. *long. gr.* 66.' 32. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 38.	Elteko.			Eltecon. Jud.	Eltheco Civ. Levit. Jud *long gr.* 65.' 54. *lat. gr.* 31.' 36.	Elthecon. Jud *long. gr.* 68.' 5. *lat. gr.* 30.' 52.
Eltholad, Tolad. S *long gr* 65. 33. *lat gr.* 31.' 19.	Eltolad, int. & Tolad. S.					
	Eltolad. V. Eltholad-Tolad.					
	Elusa.	Elusa. *lat. gr* 30.' 50.		. Elusa. Jud.	Elusa. Jud *long. gr.* 65. 1. *lat gr* 31. 14	
(117) Emath, int & Æmath, & Amat N *long gr.* 67 ' 33 *lat. gr.* 33.' 24.		Emath. *lat. g.* 33.' 59.	⊕ Emath, seu Emesa.		Emath N *long gr.* 66 40 *lat. g.* 34. 3.	Emath. N *long gr.* 69 2. *lat g.* 32. 40.
					Emath. V Introitus in Æmath.	Emath V. Introitus in Æmath.
			Emath Transitus V. Introitus in Æmath.	Emath Transitus V. Introitus in Æmath.		
. Emaus, int. & Emmaus, & Ammaus. B. *long gr* 66 ' 29 *lat. gr.* 32.' 52.	* Emmaus.		. Emmaus. D.			Emaus. B. *long. gr.* 68.' 1. *lat. gr.* 31. 4
			Emesa. V. Emath.			
	Emmu.					
	Emmatha.					
Emmaus. V. Emaus.	Emmaus. V. Emaus.		Emmaus. V. Emaus.			
(118) Emmaus, int. & Emaus, & Ammaus. Z *long. gr.* 67.' 30. *l. g.* 32 ' 32 $\frac{1}{2}$	Emmaus, postea dicta Nicopolis. *lat. gr.* 32.' 3.	Emmaus-Nicopolis. *lat. gr.* 32.' 25.	Emmaus, seu Nicopolis. D.			Emaus. Z. *long. gr.* 69.' 2. *lat. g.* 31. 46.

. Ens-

(114) Urbem hanc, cujus, Relando teste, neque Josephus meminit, Sansonius in Tabula, & in Textu praeteriit. Hanc in Tribu Dan, Judae ad Orientem conterminam pingit in sua Tabula Calmetus; Rueus verò ponit in Tribu Juda Danitis finitimam. Ab *Eleutheropoli* ad *Gazam* in Calmeti Tabula recta Orizontalis linea duci potest: at in ea Ruei Orizontalis recta ad *Ascalonem*, *Gaza* longe superjacens, potius ducetur. In hac positionis *Eleutheropolis* diversitate, quidnam certi ab ea ad aliarum urbium australium situs definiendos, quod Calmetus facit, erui potest?

(115) Locum hunc a reliquis Auctoribus nostris memoratum, & in ipsis Sansonii Tabulis impressum omisit in textu Sansonius; neque id tamen deprehendit Clericus.

(116) Urbs Levitica Tribus Dan *Azaran* inter & *Gabbathon* ex Sansonio ipso. Gradus itaque longitud. 65.' 44. latit. 32.' 47. $\frac{1}{2}$, qui in textu leguntur, mutentur, quemadmodum in Tabula sunt, in longit. grad. 65.' 54. latit. verò 31.' 45.

(117) Hanc collocat Sansonius in Tribu Nephtalim, quae propterea non eadem est cum illa, quae ponitur à Calmeto ad Orontem Syriae Sobae fluvium. Profectò & ipse Calmetus plures urbes *Emath* appellatas, affirmat.

(118) Duo tantùm loca hujus nominis Emmaus agnoscit Sansonius, hunc nempe, qui in Galilaea prope Tiberiadem; alterum verò, qui in Judaea non longè ab Hierosolyma. Duo pariter & Calmetus admittit; at primùm a Galilaea abjudicat, illumque constituit non procul ab Occidentali mare infra Joppen. Relandus tria *Emmaus* loca distinguit, de duobus primòre relatis non repugnat Sansonio. Pro tertio, etiam *Nicopolis* appellato, non nomine, sed situ multum dissentitur a Calmeto; huic enim penè litoralis est, & infra Jamniam: Relando verò supra eamdem, atque mediterraneus. De *Emmaus* enim *Nicopolis* dicta lib. 2 cap. 34. pag. 155. sic habet: *Nicopolis condita vel restaurata potius anno IV. Imperii Elagabali, teste Eusebio in Chron. Hac creditur eadem, quae olim in Novo Testamento Emmaus vocabatur. Sozomenus lib. v. 21.* „ Urbs „ est Palaestinae nunc dicta Nicopolis; hujus meminit sacer Evangeliorum codex, & Emmaus vocat. Romani verò excisa Hierosolyma, & „ [illegible] Judaeis Nicopolim appellaverunt „. *Sed fallitur. Alia est Emmaus in Novo Test. memorata, alia Emmaus, quae dicta est Nicopolis, & [illegible] ab Hierosolymis, XXII. nempe milliaribus Romanis.* Haec attamen nihil Calmeti positioni *Emmaus*, sive *Nicopolis* officiunt, nisi ejus [illegible] ab Hierosolymis indicetur plaga.

E

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
					Emona. V. Hemona.
. Enabris, int. & Senabris. Z. *long gr.* 67.' 22. *lat. g.* 32. 33.	Enabris, & Senabris int. *lat. gr.* 32.' 48.				
			Enada. V. Enadda.		
	Enadda.				
			. Enadda. Jud.		
Enaim. Jud. *long. g.* 66.' 7. *lat. g.* 31. 27.	* Enaim.	Enaim. *lat. g.* 32.' 36.		. Enaim. Jud.	Enaim. Jud. *long. g.* 65. 37. *lat. g.* 31. 26.
Enam. N. *long. gr.* 67. 48. *lat. g.* 33.' 24.	* Enam. Jud.				
					Enasor. V. Edrai Enhasor.
	* Enchadda. Is.				
	* Enchalzor. N.				
Endor. M. *long gr* 66. 31. *lat. g.* 32 21.	Endor. M. *lat. gr.* 32.' 36.		. Endor. Is.	. Endor. M.	Endor. M. *long gr* 66. 22. *lat. g* 32. 47.
(119). Endor. Is. *long gr.* 66.' 56. *lat. gr.* 32. 35.					
	Eneglaim.				
Engaddi. V. Affa-for-Thamar.	Engaddi. V. Affa-for-Thamar.	Engaddi. V. Affa-for-Thamar.	Engaddi. V. Affa-for-Thamar.	Engaddi. V. Affa-for-Thamar.	Engaddi. V. Affa-for-Thamar.
				Engaddi Montes V. Montes Engaddi.	
(120). Engallim. B. *long. gr.* 67.' 8. *lat. gr* 31.' 27.	Gallius. B.		Engallim. B.		
Engannim, int. & Ængannim. Jud. *long gr.* 66.' 1. *lat. gr.* 31.' 26.	Engannim. Jud.				Anem. Jud. *long g.* 66. 17. *lat g.* 31. 27.
(121) Engaonim-Anem. Is. *long. gr.* 67. 7. *lat. g.* 32. 25.	Engannim. Is.				Engannim, Civ. Levit. Is. *long. gr.* 65. 52. *lat. g.* 33. 46.
	Engedi. Jud.				
				Enhada Regnum. V. Dor.	
Enhadda. Is. *long g* 66. 59. *lat g* 32. 16					Enhadda. Is. *long g.* 65 49. *lat g* 33. 41.
Enhasor. V. Edrai-Enhasor.				Enhasor. V. Edrai Enhasor.	
	En-Mischpat, seu Cadetch.				
(122) Ennon, int. & Ænnon M. *long gr* 67 25. *lat. gr* 32. 14.			. Ennon, seu Inna. M.	. Ennon. M.	
				Ennon Regio. V. Regio Ennon.	
	* Eo-Rimmon. Jud.				
				Enon. M.	
	* En-Rogel. V. Fo. Rogel.				En-Rogel. V. Fo. Rogel.
				En roger. V. Fo Rogel.	
	En-Schemesch. V. Ensemes.				
Ensemes i. Fo. Solis. B. *long gr* 66.' 50 *lat. gr.* 32.' 36.	Enschemesch.			. Eusemes. Jud.	Ensemes. B. *long. gr.* 66. 17. *lat. g* 31. 50.
	En-Tappoach. V. Taphua.				
	* En-Tappuach. M.				

(119) Hunc Tribus Issachar vicum non recensat in textu Sansonius. Innotuit quidem Calmeto, sed respuit Bonfrerius. der alia supra scripta urbs est in Manasse Tribu; & quamvis Manassitis eam vindicet Relandus, ab eorum tamen regione opinionum varietate Tabulam attingere ausi non sumus.

(120) Adrichomius & Sansonius ad confluentes Jordanis in Mare Mortuum statuunt hunc locum, quem Sansonii Tabula min repraesentat una cum ea Calmeti; in Adrichomii verò Tabula & Textu in Tribu Juda reperitur.

(121) Urbs Sansonio, & Adrichomio Levitica.

(122) E regione, sed supra Sidonem ponit Calmetus; Rueus verò infra.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUB.	RUB.	CANTELL.
	En-Teena.					
			Epha. V. Elpha.			
				Ephaim, & Ephron. V. Ephroo.		
		Ephanta. oo.				
				Ephat. V. Elpha.	Ephat. V. Elpha.	
	Ephesin Damira.					
Ephra. M. *long. gr.* 67.16. *lat.g.*32. 9.	Ephra.			Ephra, Ephro. M.		Ephre. M. *long. gr.* 68.43. *lat.g.*31.22.
			Ephrem.V.Ephron.			
Ephraim Tribus. V. Tribus Ephraim.		Ephraim. V. Tribus Ephraim.	Ephraim Tribus. V. Tribus Ephraim.	Ephraim. V. Tribus Ephraim.	Ephraim Tribus. V. Tribus Ephraim.	Ephraim Tribus. V. Tribus Ephraim.
(123) .Ephraim. E. *long gr.*66 49. *lat. gr.* 32.' 56.	* Ephraim. *lat. gr.* 32.' 58.					Ephraim. E. *long.gr.* 68.19. *lat g.*32.12.
			Ephraim lucus. V. Ephraim saltus.			
Ephraim Mons.					Mons Ephraim. E *long.gr.*65.' 45. *lat. gr.* 32.' 15.	
Ephraim Saltus.			Lucus Ephraim.			Saltus Ephraim. G. *long.gr.*69.' 9. *lat. gr.* 31.' 29.
				Ephrata. oo. Jud.		
	Ephrat, q. & Betlechem.					
Ephrem. E. *long gr.* 66.' 57½ *latit. gr.* 32.' 53.		Ephrem. *lat.g.*32.'5.	.Ephrem. E.	.Ephrem. B. oo.		Ephrem. E. *long g.* 68.' 30. *lat.g.*31. 8.
		Ephrem Bethlem. V. Beth leem.				
			Ephro. V. Ephron.			
(124). Ephron. E. *long gr.*66. 54. *lat. gr.* 32.' 57.	Ephron. B.		Ephrem, seu Ephro. B.			Ephron. E. *long. g.* 68.24. *lat.g.*32.13.
(125) Ephron. M *long. g* 67. 44. *lat g.*32. 22½	Ephron ;	Ephron. *lat.g.*32.'40.	.Ephron. G.	Ephaim, & Ephron. M.		Ephron. M. *long. g.* 69.12. *lat. g.*32.'36.
					Ephron Mons ; V. Mons Ephron.	Ephron M. V. Mons Ephron.
	Epicaerus.					
			✠.Epiphania.			
	Erebinthonoecos.					
	Erembon.					
	Eremintha.					
			Ergata. V. Argob.			
Esaan. Jud. *long g.* 66.24. *lat g* 31.12.						Esaan. Jud. *long g.* 67.'58. *lat g.*30.25.
Esbon. V. Hesebon.						
				Esbuta. V. Hesebon.		
	* Eschan. Jud.					
Escol.V.Neel-Escol.						Escol.V.Neel-Escol.
Esdrelon. Is *long g.* 66.' 42.½ *latit. gr.* 32.' 31.			Jezraelel, seu Esdrelon. Is.	oo. Esdrelon. Is.		Esdrelon. Is *long.g* 68,12. *lat.g.*32.46.
	Esdrin ;					
			Esebon. V. Hesebon.			
			Esebon Lacus. V. Lacus Esebon.			
Esen. V. Jim Esen.						Esen. V. Jim - Esen.
					Esen ; D. *long. gr.* 65.'29. *lat.g.*31. 38.	
			Esmon.V.Hasemon.			
Esna. Jud. *long. gr.* 66.16. *lat.g.*31.'22.						Esna. Jud. *long. gr.* 67.'46. *lat.g.*30. 34.
	Esora.					
					Esron. V. Cariath-Hesron.	Esron. V. Cariath-Esron.
	Essa.					
					Essaan. Jud *long gr.* 65. 47. *lat.g* 31.29.	
				Essamo. V. Esthemo.		

Es-

(123) *Ephraim* in Sansoniano textu Tribum duntaxat, Montem, & Saltum indicat; at in Tabula vicum etiam exprimit Tribui cognominem. Hunc urbem facit Relandus: Bonfrerius rem esse obscuram fatetur.

(124 Si in Ephraim Tribu cum Sansonio & Bonfrerio contre Relandi & Calmeti opinionam statuatur; pro depravata in textu longitudine grad. 66.' 27., & latit. 31.' 88. restituenda erit longitudo grad. 66 ' 54., & latit 31.' 57., ut in ipsa Tabula cernere est

(125) Urbem hanc, quæ magna ac munitissima Sansonio & Relando dicitur, parvo signo notavit Calmetus: A Relando trans Jordanica quidem asseritur; sed utrum Manassitis, uti Sansonius & Rucus; Gheladitis, uti Calmetus, adjudicanda sit, non liquet. Ipsum adi ad Jos. c.2. pag 62.

E F

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	
	Estaol. V. Esthaol.		Estaol. V. Esthaol.	Estaol. V. Esthaol.	Estaol. V. Esthaol.	
(126) Esthaol. D. *long. g.* 65.'45. *lat. gr.* 31.'38. $\frac{1}{2}$	Estaol. D.		. Estaol. D.	. Estaol. D.	Estaol. D. *long. gr.* 65.'34. *lat g.* 31.'41.	Esth 67
			Estaon. V. Hasemon.	Estamo. V. Isthemo.		
	Esthemo. V. Isthemo.				Estemo. V. Isthemo.	
	Estemoa. Jud.					
				Esthemonicion. R.		
	Etam. Int. Aitam. Jud. *lat. gr.* 31.'46.					
		Etam. V. Ether.				
Etham. V. Ether.			Etham. V. Ether.			
		Etham Desertum. V. Desertum Etham.				Etha
	* Eth-Catzin. Z.					
(127) Ether, Athar, Etham. S. *long. g.* 65.'57. $\frac{1}{6}$ *lat. gr.* 31.'18.	Ether. S.	Etam. *lat. gr.* 31.'29.	. Etham. D.		Ether. S. *long. gr* 65.'12. *lat. g.* 31.'33.	Ethe S. *lat*
(128) Ethrod. G *long. g.* 67.'37. *lat. gr.* 31.'38.	* Atrot-Scophan. G.			Etholad. S.	. Etholad. S. *long. gr.* 65.'25. *lat g.* 31.'32	
				. Etroth. G.		Ethr 69.
				Etroth. V. Ethrod.		
				Etuicorum Templum. V. Templum Etuicorum.		
	* Etzem. S.					
				Eusemes. V. Ensemes.		
	Eeydra.					
	Exalus.					
		Ezeongeber. *lat. gr.* 29. 53.				
		Falsus Eleuterus flu. V. Eleuterus Falsus.				
Fa. Baal. R. *long. g.* 67.'37. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.'39.						
Fanum Baal. E. *long. gr.* 62. 2. *lat. gr.* 32.'7. $\frac{1}{2}$						Fanum gr 6 31.'
(129) Fanum Baal. *long. g.* 68.'10. *lat. gr.* 33.'27.						
				Flavia Colonia prima. V. Turris Stratonis.		
				Flavia prima Colonia. V. Turris Stratonis.		
				Fluvii Chrysorrhoas fontes. V. Barradus flu.		
			Flu. Adonis. V. Adonis Flu.			
			Flu. Ægypti. V. Torrens Ægypti.			

(126) In Tribu Dan describunt Rueus & Calmetus, hic quidem in linea Orizontali ab *Ascalone* deducta, ille verò medium i *Ascalonem* inter & *Azotum*.

(127) Postremam hanc ab *Ether* distinguens Relandus concedit *Ether* Tribui Judæ, *Etham* verò Simeonis Tribui, cui eamden detulerat Sansonius, unam ratus urbem triplici nomine nuncupatam. Hanc ipsam in Tribu Dan longè a finibus illius Simoneitai vit in Judic. cap. 15. pag. 202. *in Simeon Tribu, in finibus Dan Etham* scribat, delineavit Calmetus; & Cellarius cum *Asan*, *Ether*, confessam Tribui adjunxit Simeonis. Dubitat Clericus, an plura nomina tantùm, an etiam plures urbes sint. Philippe mi, quid t Profectò nihil. Non adeò mihi præcordia tument.

(128) Incisoris culpâ Tabula ostendebat *Ethron*, in ipso enim Sansonii textu legitur *Ethrod*; quare nos eam hoc vitio sanavim tamen, qui *Ethron* vocem hebraicam esse negat, *Atroth-Sophan* legendum cum Cellario contendit. Paululum ab his declinat Re *Aroth Sophan*, præposito tamen asterisco * legit. Nos hic pluris facimus Rueum & Bonfrerium, qui ambo cum *Ethrod* commen sonium non deferimus.

(129) Ter in Tabula, bis tantùm in textu *Fanum-Baal* occurrit. Unum ad ultimos Tabulæ terminos Septentrionales, extra nam; de quo nihil in Sansonii textu. Invisitur alterum in Ephraim Tribu, & omnium primum exponitur in textu a Sansonio. tandem ex ipsa Tabula in Tribu Ruben inspicitur. Advertendum hic gradationem, quæ in textu attribuitur *Fano-Baal* in Trib re aeuti, ex Typographi fortassis oscitantia, convenire ei, quod est in Tribu Ruben, & contra.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Flu. Ægypti. V. Torrens Ægypti.	Flu. Ægypti. V. Nilus.			
	Flu. Arnon. V. Arnon flumen, sive Torrens.	Flu Arnon. V. Arnon flumen, sive Torrens.				
				Flu. Affar. V. Affar flu.		
			Flu. Barradus. V. Barradus flu.			
Flu. Beleus. V. Beleus flu.						Fluvius Beleus. V. Beleus flu.
	Flu. Belus. V. Belus flu.		Flu. Belus. V. Belus flu.			
		Flu. Besor. V. Torrens Ægypti.				
		Flu. Bseol. V. Bseol Flu.				
			Flu. Casimir. V. Casimir flu			
			Flu. Cherseus. V. Cherseus flu.			
			Flu. Chrysoroas. V. Barradus flu.			
			Flu. Damar. V. Tamiras flu.			
			Flu. Eleuterus. V. Eleuterus flu.			
Flu. Gheon; V. Gihon flu.						
	Flu Hierimax. V. Jeboc Torr.					
		Flu. Jabok. V. Jeboc Torr.				
Flu. Jordanis. V. Jordanis flu.	Flu. Jordanis. V. Jordanis flu.	Flu. Jordanis. V. Jordanis flu.	Flu. Jordanis major. V. Jordanis flu.		Flu. Jordanis; V. Jordanis flu.	Fluvius Jordanis. V. Jordanis flu.
			Flu Jordanis minor. V. Jordanis flu.			
		Flu. Kidron. V. Cedron Torr.				
	Flu. Kiscon. V. Cison Torr.					
		Flu. Kison. V. Cison Torr.				
			Flu. Leon. V. Leon flu.			
			Flu. Letumis. V. Letumis flu.			
			Flu. Lycus. V. Lycus flu.			
Flu. Nehel-Escol. V. Nehel-Escol flu.						
			Flu. Neher Il. Melec. V. Neher Il. Melec. flu.			
			Flu. Orontes. V. Orontes flu.			
			Flu. Pseudo-Eleuterus. V. Eleuterus falsus flu.			
			✠ Flu. Sabbaticus.			
		Flu. Sihor; V. Sihor flu.	Flu. Sihor. V. Sihor flu.			
			Flu. Sobar. V. Sobar flu.			
		Flu. Sorec. V. Sorec Torr.				
	Fluvius Thabore. V. Torrens Ægypti.					
			Flu. Tamiras. V. Tamiras flu.			
			Flu. Tenneris. V. Tenneris flu.			
		Flu. Zared. V. Zared flu.				

F G

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	
Fo & Torr M. *long. gr.* 67.'17. *lat. gr.* 32. 7.						
Fons Æthiopis. D. *long gr.* 65.'43. *lat. gr.* 31. 47.$\frac{1}{2}$						
Fons Agar. Jud. *long. gr.* 65.'12. *lat. gr.* 30.'19.				Fons Agar. Jud.		
Fo. Arad. M. *long. gr.* 67.'4. *lat. gr.* 31. 22.			Fons Arad. Is.			
			Fons Capernaumis. M.			
Fo Daphnis. V. Daphnis Fo.						
Fons Hortorum.						
Fons Jezrael.						
			Fons Jordanis. V. Phiala.			
Fons Jordanis verus. V. Phiala.						
					Fons Nephtoa. V. Nephtoa Torr.	
F. Phiala. V. Phiala F.						
				Fons Philippi; D.		
Fons Rogel. B. *long. gr* 66.'47. *lat. gr.* 31.'35.	• En Rogel. Jud.		En roger. Jud.		En Rogel. B. *long g.* 66. 12. *lat. g* 31. 42.	
Fons Samsonis. V. Sepulcher, & Fo. Samsonis.						
Fo. Solis. V. Enfemes.						
Fo. verus Jordanis. V. Phiala F.						
				Fontes Chrysorroa fluvii V. Barradus flu.		
				Fontes fluvii Chrysorroa V. Barradus flu.		
Gaas M. E. *long. g* 66.'30. *lat. g* 32.'2.					Gaas M. E. *long. g* 65.'32. *lat. g.* 32. 15.	
(130) Gaas Torrens E. *long. gr.* 66.'30. *lat. gr.* 32.'2.			Torrens Cannæ.	Gaas Torrens. E.	Gaas Torrens. E. *long gr.* 65.'36. *lat. gr.* 32.'5.	
	Gaba. V. Gabaath.					
			Gaba. V. Gaba, & Gamala.			
.Gaba, & Gamala. Z. *long. gr* 66.'48. *lat. gr.* 32.'31.			.Gaba. M.	.Gabea. Is.	Gabaa. Is. *long. gr.* 65.'45. *lat. g.* 32. 46.	G
(131) Gabaa, int. & Gabae. B. *long. g.* 66. 42. *lat. g.* 31.'50.	Gabaa. B.	Gabaa. *lat. g* 32.'11.	.Gabaa. B.	Gabaa Benjamin. B.	Gabee, Civ. Lev. B. *long gr.* 65. 59. *lat. gr.* 31.'55.	G
Gabaa. Jud. *long g.* 66. 38. *lat. g.* 31.'30.					Gabaath. Jud. *long g* 66. 8. *lat. g* 31. 41.	G
Gabaath B. *long g* 66. 42. *lat. g.* 31. 42				Gabaa Saulis. B.	G.baath. B. *long g* 66. 2. *lat g.* 31. 59	G
					Gabaath. V. Gabaa	
Gabae. V. Gabaa, int. & Gabae.						G.
(132) Gabala. A. *long. g* 67.'20. *l. g* 33. 22.	Gabala, aut Gamala.	Gabala. *lat g.* 33.'55.	Gabala. oo. A.			G.

Tom. IV. z

(130) Parum equidem distat Sansonii *Gaas* a *Canna Torrente* Calmeti.

(131) Urbs Levitica. Clericus geminam *Gabaa* in Tribu Benjamin suspicatur, & tertiam in Ephraim agris. Sanè Sanso etiam Rucus sequitur, meminit in textu *Gabaa Saulis*. Cellarius tamen opinatur, *Gabaam Benjamin*, & *Saulis* unicam urbi sides Boniteria, nec *Gabaa*, nec *Gabaa*, seu *Gaba*, ad quam vocem Lectorem remittit, in Hebræorum vocabulis reperiuntur

(132) A Relando *Gabala* cum *Gamala* confunditur, secus ac opinatur Sansonius, a quo *Gamala* suo loco subtus exprimetur cujus quidem non meminit in suo textu; in Tabula tamen collocavit in Tribu Aser una cum Adr chunio, quamvis eam non rus, & Clericus eam silentio prætereat. Calmetus *Gabalam* congeminat; sed non propterea Sansonio videtur assentiri. Cum *Gabalam* in *Aram*, seu Syria, recenset; deinde eam absque ullo scribit signo in eadem Aser Tribu; sed perpetuò ad maris O

G

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE?	RUE?	CANTELL.
			⊕ Gabala.			
(133) Gabaon. B. *long g.*66.' 34. *lat. gr.* 31.' 52.	Gabaoth.		Gabaon. B.	Gabaon-vetus. B.	Gabaon Civ. Lev. B. *long. gr.* 66.' 3. *lat. gr.* 31.' 58.	Gabaon. B. *long g.* 68.' 4. *lat. g.* 31. 6.
	Gabaopolis.					
	Gabaoth. V. Gabaon.					
Gabara Z. *long g.* 67. 18. *lat. g.* 32. 35.	Gabara.					Gabara. Z. *long. g.* 68.' 49. *lat. g.* 31.' 50.
Gabaragana. A. *long gr* 67.' 8. *lat. gr.* 33.' 8.						Gabaragana. A. *long. gr.* 68.' 38. *lat. gr.* 32.' 29.
	Gabaroth.					
Gabath. V. Gibbethon-Gabath.						Gabath, al. Gibbeton. V. Gibbethon Gabath.
	Gabath.					
(134) Gabatha. E. *long. gr.* 67.' 14. *lat. gr.* 31.' 56.	Gabatha.			Gabatha. Z.		Gabatha. E. *long g.* 68. 43. *lat g.* 31. 12.
	Gabatho. V. Gibbethon.	Gabathon. V. Gibbethon.			Gabbathon. V. Gibbethon.	
Gabbethon. V. Gibbethon.	Gabbo.					
	Gabe.					
				Gabea. Is.		
					Gabee. V. Gabaa, int. & Gabae.	
Gaber, int. & Gaver. M. *long gr.* 66.' 42-½ *latit. gr.* 32.' 25.						
Gad Tribus. V. Tribus Gad.		Gad Tribus. V. Tribus Gad.	Gad Tribus. V. Tribus Gad.	Gad. V. Tribus Gad.	Gad Tribus. V. Tribus Gad.	Gad Tribus. V. Tribus Gad.
	Gad. V. Migdal-Gad.					
Gadae.						
(135). Gadara. M. *long. gr.* 67.' 52. *lat. gr.* 32.' 26.	Gadara, int. Pereae.		Gadara. oo. M.	Gadara. M.		Gadara. M. *long. g.* 69. 20. *lat. g.* 31. 39.
(136). Gadara. A. *long gr.* 67.' 8. *lat. gr.* 33.' 4.	Gadara, int. Palaestinae. *lat. g.* 32. 43.					Gadare. A. *long g.* 68.' 38. *lat. g.* 32.' 23.
						Gadare. V. Gadara.
	* Gadda.					
Gaddi, int. & Gadi. G. *long. gr.* 67.' 32. *lat. gr.* 32.' 2.						Gaddi. G. *long. gr.* 69.' 5. *lat g.* 31. 14.
					Gader Regnum. D *long gr.* 65.' 49. *lat. gr.* 32.' 49.	
			Gadera. V. Geder.			
Gadgad.						
Gadi. V. Gaddi.						
	Gadora.					
	Gaduae.					
	Gaeba.					
	Gaja.					
GALAAD. *long gr.* 68. 00. *lat. g.* 32.' 00.		GILEAT. *lat. gr.* 32.' 00		GALAAD.	GALAAD. *long. gr.* 66. 40. *lat g.* 33.' 00.	GALAAD. *long. gr.* 69. 40. *lat. g.* 31. 22.
(137) Galaad. M. *long. gr.* 68.' 1. *lat. gr.* 32.' 29.						

Ga-

(133) Leviticam urbem potentissimam appellat Sansonius, quam tamen Calmetus, quemvis & ipse pag. 45. regionis urbem praecipuam dicat, parvo notavit signo, & Relandus in Tabula & Textu neglexit, nisi fortè, ut innuere quidem videtur, appelleverit *Gabaoth*.

(134) Tabula Sansonii, qui nihil de hoc loco in Textu, stationis potius cujusdam signum in Tribu Ephraimitica *Gabatha* praefigit; quae tamen Relando vicus est 12. mill. *Eleutheropoli* distans, & Prophetae Abacuchi sepulchro celebris.

(135) Haec nisi cum *Hippos* misceatur, cùm tamen ab invicem differant juxta Sansonium, Rueum, & Relandum, *Gadara* in Calmeti Tabula relata, in qua etiam cum *Gazer* confunditur, signo caret.

(136) Hujus non meminit in Textu Sansonius; est autem in Aseritica Tribu, omnino ab ea Pereae diversa.

(137) Urbis *Galaad* nulla penès Relandum mentio. Calmetus montes dumtaxat hujus nominis, ec regionem agnoscit. Bonfrerius & Sansonius ambigunt, num Regio tantùm sit. Sit tamen Sansonius, etsi dubius, eam in Tabula expressit in Tribu Manasse trans, ut a Clerico castigatur. Semel itaque signum orbis Galaad è Tabula delevimus, & semel approbavimus, eam silentio Clerici donantes, & simul assentientes Adrichomio, a quo in ead in Tribu collocatur.

TELL	SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Galaad M long gr. 67. 58. lat. g 32 24						Galaad. M. long g. 69. 39. lat. g 32. 44.
	Galaad. M long gr 68 20 lat. g 32. 30.			Montes Galaad.	Galaad Mons, Hippos, Ptol. Thracones Colles Strab. M.	Galaad Mons. M long. gr 67. 20. lat. gr. 32. 54.	Mons-Galaad. M. long. gr 70. 00. lat. gr. 32. 00.
	Galaad. V. Jabes.			Galaad. V. Jabes.	Galaad. V. Jabes.		Galaad. V. Jabes-Galaad.
					Galaad. V. Masipha in Galaad.		
	Galaad. V. Ramoth-Galaad.			Galaad V. Ramoth-Galaad.	Galaad. V. Ramoth-Galaad.	Galaad V. Ramoth-Galaad.	Galaad. V. Ramoth-Galaad.
					Galaad V. Tumulus Galaad.		
		Galhaath.					
		Galem.					
	(138) Galgal. M. long gr 66 22. lat. gr. 32. 22.		Galgal. lat. g 32. 38.	Galgal. E.		Galgal Regnum M. lo g gr 65. 34. lat. gr. 32. 22.	Galgal. M. long gr. 67. 13 lat g 32. 45.
			Galgal. V. Galgala.				
	Galgala B. long g. 67. 12. lat. g. 31. 43.	Galgala.	Galgal. lat. g. 32. 5.		Galgala. B.	Galgala. B long. g. 66. 25. lat g. 32. 55.	Galgala. B. long g. 68. 44. lat. g 32 56
		Galgulis. lat. g. 32. 20.			Galgala. A.		
	(139) GALILÆA.	GALILÆA. lat. gr. 33. 00	GALILÆA superior al. Gentium. lat. gr. 33. 00	GALILÆA superior seu Galilæa Gentium.	GALILÆA.		GALILÆA. lat gr. 68. 00 lat. g. 32. 00
			GALILÆA. lat. gr. 33. 00	GALILÆA inferior.			
					Galilea. V. Cana Galilææ.		
			Galilea gentium. V. Galilæa.	Galilea gentium. V Galilæa.			
				Galilea inferior. V Galilæa.			
				Galilea superior. V. Galilæa.			
	Galilææ. V. Cana Galilææ.						Galilææ Cana. V. Cana-Galilææ.
	Galilææ Mare. V. Mare Galilææ.						Galilææ Mare. V. Mare Galilææ.
	Gallim.		Gallim. lat. g. 32. 1.	Gallim, seu Ægallim. B.			
	Gamala. V. Gaba.						
	(140) Gamala. M long gr 67. 59 lat. gr. 32. 50.	Gamala.	Gamala. lat. g. 33. 12.	Gamala. M.	Gamala. M.		Gamala. M. long. g. 69 34. lat. g. 32. 47.
					Gamzo Gazor. B.		
	(141) Garisima Z. long. gr 67. 2. lat. gr 32. 45.	Garisime.					
		Garisime. V. Garisima.					
	Garizim Mons. E. long gr. 66. 57. ½ lat g. 32. 7. ½	Mons Gerizim. lat. gr. 32. 57.	Garizim Mons. lat. gr. 32. 30.	Garizim M. E.			
		Garob.					

Gan-

(138) Hanc pariter urbem Sansonio & Bonfrerio regiam, parvo signo Calmetus ornavit.

(139) De hac Relandus lib. 1. cap. 31. pag. 136. *Clarum*, inquit, *nomen adepta est Galilæa, postquam Servator noster à loco educationis Nazareth Galilæus nomine dictus est, & Christiani esse Galilæi à Gentibus & Judæis nuncupati*. Arrianus lib. 4 Dissertat. Epicteti cap 7 „ alicet potiùs quispiam sic possit (ut mortem intrepidè subeat): per insaniam & consuetudinem quamdam, uti Galilæi.

(140) Hæc, uti supra dictum, cum *Gabala* à Relando confunditur, sicut & Sansonius *Gamalam Galilææ* in Tabula omissam cum *Gaba* coniungit, quemadmodum sentit etiam Cellarius. Ut ut tamen sit de Sansonii sententia, certum est, longissimè distare *Gabalam* a *Gamala*. Hæc uti dictum jam est, ad Occidentalem plagam ex Sansonio & Calmeto. Parvo signo *Gamalam* Sansonius in Tabula ornavit, sicut & Calmetus, qui eam penè ad imum lacus Tiberiadis sigit, cùm Sansonius ipsam statuat ferme è regione medietatis ejusdem lacus. Ruæus ad summitatem locum eam statuit, & signum urbis appingit; & rectè quidem; Cellarius enim neutri in illius definiendo situ conveniens, *Gamalam* appellat præcipuam *Gaulonitidis inferioris* urbem Josepho teste lib. 4. de Bello cap. 1. ita scribente: *Gamala urbs contra Taricheas supra lacum posita*. *Erat natura urbs inexpugnabilis*. An hæc situationum discrepantia, quoniam situs, ubi *Gamalam* Sansonius collocavit contra Taricheam, Josepho respondere & convenire potest, idcirco Tabulam non tetigimus, contenti solam textus longitudinem grad. 67. '45., sic enim penè incideret in lacus Tiberiadis medium, ad longitud. grad. 68. '00 producere.

(141) Pro textus longitudine grad. 61. 2. reponenda est long. grad. 67. '2. Tabula enim à grad. 64. '5. longitudinis inchoatur.

G

REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Garsis.					
Gath. V. Geth.	Gath. V. Geth.				
Gath Hachepher. Z.					
Gath-Rimmon. D.					
					Gavee. M. long. gr. 68.'17. lat.g.31.'37.
Gaulademan.					
			Gaulan. V. Gaulon.		
				Gaulan. V. Gaulonitis.	
Gaulane. V. Gaulon.					
Gaulanitica Julias. V. Julias					
			Gaulanitis. V. Gaulonitis.		
Golan.	Gaulon-Golan. lat. gr. 33.'5.	Gaulon. M.	. Gaulan. M.	Gaulon in Basan. Civ. Conf., & Lev. long. gr. 67.'3. lat. gr. 33.'44.	Gaulon. M. long. g. 70.'1. lat. g. 32. 20.
GAULONITIS. lat. gr. 33. 00	GAULONITIS. lat. gr 33. 00	GAULONITIS.	GAULANITIS, q. Batanaeae avulsa.	GAULAN. long. g. 66. 50. lat. g. 33. 30.	
Gaza. Jud. lat. gr. 31.'38.	Gaza. lat. gr. 31.'34.	Gaza. D.	Gaza. D.	Gaza. S. long. gr. 64.'55. lat. g 31. 25.	Gaza. D. long. gr. 66.'55. lat. g. 31.'1.
			Gaze Introitus. V. Introitus Gaze.		
			Gazae Portus. V. Majumus.		
Gazeorum Portus. V. Majumus.	Gazeorum Portus. V. Majumus.				
Gazara. V. Gazer.		Gazara. V. Gazee.			
Gezer, q. & Gazara.	Gazara. lat. g. 32.'21.	Gazara, seu Gazeroth. E.	Gazer. B.	Gazer Cananaei Regum. M. long g. 66.'55. lat. g. 32. 59.	Gazee. E. long. gr. 67. 54. lat. g. 32.'15.
				Gazee. R. long. gr. 67. 34. lat. g 31.'40.	
		Gazera. V. Gedor.			
		Gazeroth. V. Gazer.			
Gazonus.			Jazer, Gazonus Ptol.		
			Gazoe. V. Gamzo-Gazor.		
Geba. B. lat g 32.'9.					
Gebath.					
* Gebim.					
* Geder.					
* Gedera. Jud.				Gedeea. Jud. long g. 65. 36. lat g. 31.'21.	Gedera Jud long. g. 67. 49. lat. g 30.'55.
Gederoth.			. Gederoth. D.		Gederoth. Jud. long. gr 67.'51. lat. gr. 30.'58.
* Gedeeothaim. Jud.			. Gederothaim. Jud.		Gederothaim. Jud. long gr. 67. 44. lat. gr. 30.'58.

Ge-

...ica & Adrichomio.
...i & novam dividit Claricus, illum dieutam, hanc longo tempore subsistensem. Gazenses populos tradit Usserius in An... p. Anton. Pagium in Apparatu Chronol. num. 56. pag. 11. postremae editionis; ab anno tertio a Judaeorum potestate libe... numerare coepisse.
...a.
...s neque à Sanfonio in textu, neque ab ullo alio memorata. At Clerici silentium effecie, ut in Tabula eetiuererue.
...ut & Relandus recensent, Sanfonio in textu & ceteris praeeeuntibus. Calmetus unam eamdemque cum *Gederothaim* ju...

...na ad secundam Judicae Tribus partem spectans à Sanfonio traditur. Quod si verum sit, commutanda textus latitudo ...d. 31.'41. ut optime in Tabula visitur.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(148) Gedor. Jud. *long. gr.* 66.' 24. *lat. gr.* 32.' 42. $\frac{1}{2}$	Gedor Gedrus. Jud.		Gedor, seu Gadera, vel Gazera. D.		Gedor. D. *long. gr.* 65.' 25. *lat. g.* 31. 51.	Gedor. Jud. *long. g* 68. 00. *lat. g.* 30. 56.
Gelboe Mons.		Gelboe. M. *lat. gr.* 32.' 46.	M. Gelboe. M.	Montes Gelboe. M.	Gelboe Mons. M. *long. gr.* 66.' 03. *lat. gr.* 32.' 35.	
				. Gelboe. M.		
	Gelbus.		Gelbus. M.			
				. Gelgel. E.		
	* Geliloth.					
				. Gelim. M.		
Gelo. V. Gilo.						
	Geman.					
				Gembara. M.		
	Gemmaruris.					
(149) Genesareth, & Cenereth, & Tiberias. Z. *long g.* 67. 12. *lat. g.* 32. 35.	Tiberias. *latit. gr.* 32.' 45.	Tiberias. *latit. gr.* 32.' 59.	Cinereth, seu Tiberias. N.	. Genesareth. Z.	Cenereth. Z. *long. g.* 66.' 35. *lat. g.* 32. 55.	Genesareth; al. Tiberias. Z. *long gr.* 69.' 3. *lat. g.* 31.' 50.
		Genesareth Lacus. V. Mare Galilaeae.				
				Genesareth Mare. V. Mare Galilaeae.		Genesareth - Mare. V. Mare-Galilaeae.
				Gens Ituraeorum. V. Ituraea.		
		Gentium Galilaea. V. Galilaea.	Gentium Galilaeae. V. Galilaea.			
Gentium Haforeth. V Haforeth Gentium.			Gentiom Haforeth. V. Haforeth Gentium.			Gentium-Haforeth. V. Haforeth Gentium.
				Georgia. V. la Georgia.		
	Gephras.					
	Gerar. V. Gerara.					
(150) Gerara. S. *long. gr.* 65.' 37. $\frac{1}{2}$ *latit. gr.* 31.' 2.	Gerar. *lat. g.* 31.' 35.	Gerara. *lat. g.* 31.' 10.	. Gerara. Jud.	Gerara. Jud.	Gerara Regnum. S. *long. gr.* 65.' 25. *lat. gr.* 31.' 18.	Gerara. Jud. *long g.* 67.' 2. *lat. g.* 30. 27.
(151) Gerasa, al. Gergesa, int & Gerasa. M. *long g* 67 30 *lat gr.* 32. 31.	Gerasa.	Gerasa, sive Gergesa. *lat. gr.* 33.' 2.	. Gerasa. M.			
			. Gerasa. M.	. Gerasa, & altera Gesara. M.	Gergesa, seu Geresa. M. *long. gr.* 67.' 10. *lat g.* 32. 55.	Gerasa, al. Gergesa. M. *long. gr.* 69.' 16. *lat. gr.* 31.' 44.
				Gerseni. V. Gergesei.		
					Geresa. V. Gerasa.	
Gergesa. V. Gerasa.		Gergesa. V. Gerasa.				Gergesa. V. Gerasa.
	(152) Gergesa.					
GERGESAEI.						
				GERGESEI; GERASENI.	GERGESAEUS. *lat. gr.* 66.' 59. *lat. gr.* 33.' 00.	
				Gergesi. V. Gergesaei.		
					Gergesaeus. V. Gergesaei.	
	Gerizim Mons. V. Garizim Mons.					

(148) Ab Adrichomio in Tribu Dan, à Bonfrerio & Relando in Tribu Juda constituitur. Eidem Tribui affigit Sansonius *Bethur* inter & *Mareth*. Quare longitudinis grad. 66.' 24. latit. 31.' 42. $\frac{1}{2}$, qui in textum irrepserunt, emendentur in longitud. grad. 66.' 29. latit. 31.' 40. qui rectè in Tabule numerantur.

(149) Non parum inter se se diffident Auctores de Tiberiadis situ. Collocat eam Sansonius circa lateris Occidentalis dimidium lacus Tiberiadis supra ostium Cison fluvii in eum influentis; Relandus verò non parum infra lateris ejusdem dimidium. Calmetus tandem cum Rueo in ultimo lacus angulo, unde Jordanes effluit.

(150) Huic eumdem situm attribuunt Sansonius & Calmetus. Ruens eam ponit longè à *Carmelo altera Monte*, cui tamen *Gerara* in Calmeti Tabula ferè perpendicularitas supereminet; sic etiam, quamvis Relandi *Gerar* eadem sit cum *Gerara*, ut ex ejus Indice colligi videtur, illius tamen positio longè ab ea Sansonii & Calmeti distat.

(151) Hæc a Calmeto recensetur ad Tiberiadis lacum, Orientem versùs, ejusque litorea, Sansonio tamen potius mediterranea. Alteram ponit Calmetus longè ab eodem lacu è *Bethsaida* regione nempe supra lacum, cui *Gerasa* & *Gesara* Ruei respondet, parum tamen intra lacus principium. Unicam in textu agnoscit Relandus, quam in Cava-Syria, vel Arabia locat, longe omnino distantem ab ea Ruei & Sansonii, ac ab utraque Calmeti.

(152) Sansonio & Bonfrerio *Gergese* eadem ac *Gerasa*; Relando autem diversa.

G

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
					Garotain . Jud. *long. gr.* 65.' 52. *lat. gr.* 31.' 20.	
				Gerre . V. Gessur.		
				. Gerai . Jud.		
				Gesara altera . V. Gerasa.		
GESSEN.			TERRA GESSEN.			
Gessur. M *long. gr.* 68.' 6. *lat. g.* 33.' 14.		Gessuri . *lat. g.* 33.' 48.		Gessur, Gerre, Ptol. M.	Gessuri . M. *long gr.* 67. 22. *lat. g* 33 24.	Gessur. M. *long. gr.* 69. 47. *lat. g* 32. 29.
GESSURI.			GESSURI.	GESSURI.	GESSURI, seu Batan. *long g* 66. 50. *lat. gr.* 33.' 25.	GESSURI. *long. gr.* 69.' 00 *lat. g.* 32.' 00
		Gessuri . V. Gessur.				
(153) Gessuri.		Gessuri . *lat. g.* 31.' 25.		Gessuri . Jud.		
Geth . D. *long. gr.* 65. 52. *lat. g.* 31.' 55.	Gath. *lat. gr.* 31.' 57.	Geth. *lat. g.* 31.' 56.	Geth. D.	Geth. D.	Geth : D. *long. gr.* 65.' 31. *lat. g.* 31. 50.	Geth . D. *long. gr.* 67.' 30. *lat. g.* 31.' 13.
	Geth. V. Geth-hepher Jotapata.					
Geth-hepher-Jotapata. Z. *long. gr.* 67.' 27. ½ *latit. gr.* 32.' 37. ½	Geth. *lat. gr.* 32.' 44.		. Gethepher, seu Jotapata. Z.	. Gethsepher. Z.	Gethsepher. Z. *long. gr.* 66.' 33. *lat. gr.* 33.' 6.	Geth-hepher, al. Jotapata. Z. *long g.* 68.' 59. *lat g.* 32. 54.
(154) Geth-remmon. D. *long. gr.* 65.' 58. *lat gr.* 31.' 54.	Gethremmon.		Getremon. D.	. Gothremon. D.	Gethremon. D *long. gr.* 65.' 34. *lat. gr.* 31.' 48.	Gethremmon . D. *long gr* 67.' 33 *lat. gr.* 31.' 10.
(155) Geth-remmon. E. *long. gr.* 66.' 57. *lat. gr.* 31.' 59.						Gethremmon . E. *long gr* 68. 29 *lat. gr* 31.' 25.
(156) Geth-remmon & Balaam, & Jeblaan. M *long. gr.* 66.' 53. *lat. g.* 32.' 21.				. Gethremon. M.	Gethremon. M. *long. gr.* 66.' 3. *lat. gr.* 32.' 32.	Bethremmon, Balean, & Jeblaan. M. *long gr.* 68.' 23. *lat. gr.* 31.' 35.
				Gethaim . V. Gittaim.		
	Gethla.					
				Gethoem. Jud.		
				Gethremmon . V. Geth-remmon.		Geth-remmon . V. Geth-remmon.
				Gethsepher . V. Geth-hepher.	Gethsepher : V. Geth-hepher.	
			Getremmon . V. Geth-remmon.			
	Getta:		Getta. E.			
	Gezara.					
	Gezer.					
Gheon flu.						
	* Giach.					
(157) Gibbethon, Gabat. D *long. gr.* 65.' 58. *lat. g.* 31.' 43.	Gibbethon. D.				Gabbathon Civ. Hierem. D. *long gr.* 65.' 15. *lat g* 31.' 45.	Gabath, al. Gibbethon. D. *long gr.* 67. 35. *lat. g.* 31.' 3.
	Gibea. B. *lat. gr.* 31.' 59.					
	* Gibeath. B.					
	Gibeon. B. *lat. gr.* 31.' 55.					

Gib-

(153) Populum vel Regionem, non verò vicum vel urbem *Gessuri* nomine indicari vult Clericus; Hoc ipsum sentire Calmetum pluribus in locis habemus, & ex apposito *Gessuri* in Tabula signo apparet. Cellarius verò populos quidem significari mavult, sed neque tamen loca excludit; inquit enim: *Si quis verò oppida omnino tueri malit, per nos licebit conjectura sua frui, quam argumentis utrimque destitutam, neque adprobabimus, neque refellemus*. Hæc Cellarius in textu pag. 498., qui in Tabula sua *Gessuri* oppidum, non modò in Ituræa haud longè à monte Hermon, verùm & aliud in Judæa pinxit, quod etiam Rueus approbavit.

(154) Levitica in Danitarum Tribu Civitas ex Adrichomio.

(155) Apud Ephraimitas in Sansonii Tabula quidem occurrit, at in textu nusquam apparet. Clerico silente eam è Tabula non abrasimus.

(156) Hæc quoque ex Adrichomio Levitica Civitas in Manasse Tribu cis. Hujus in textu graduatio longitud. grad. 67.' 40. latitud. grad. 34.' 25., quæ Tabulam superat, decurtatur ad longitud. grad. 66. 53. latitud. grad. 32.' 21., quæ in Balaan in Sansonii textu proditur.

(157) Sansonius inquit in textu: *Gebbethon*, al. *Gabbethon*, & *Gebbethon* Urbs est in Tribu Gad inter *Eltheca*, & *Balaath*. Sed Typographi fortassis incuria *Gad*, cùm *Dan* (in qua Tribu urbs est Levitica) legendum sit, irrepsit. Quod minus advertit Clericus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Gibsaim.V.Cibsaim.		Gibsaim.V.Cibsaim
Gibsan . V. Cibsaim.						Gibsan . V. Cibsaim
Gideroth.					Gideroth . D. long.g 65. 40. lat g 32. 52.	
	* Gidom.					
					Gigantes . V. Vallis Rapham.	
		Gilead . V. Galaad.				
	Gilgal.					
Gilo , Int. & Gelo. Jud. long g 66. 14. lat gr. 31. 9.	Gilo . Jud.			. Gilo . Jud.	Gilo . Jud. long. gr. 65. 58. lat. g. 32. 25.	Gilo . Jud. long. gr 67. 47. lat g. 30. 26
	Gimzo . Jud.					
. Ginnea . M. long. gr. 67. 00. lat. g. 32. 21.	Ginnea .					Ginnea . M. long gr 68. 29 lat g 31. 36
	Ginnabris.					
				Ginum . M.		
. Giscala . A. long g. 67.' 25. lat. g. 33. 4.	Giscala.			. Giscala . A.		Giscala . A long gr 68.' 45. lat g 32. 18
	Gitta.					
	Gittaim . B.			Gethaim T. Benjamin . E.		
	Gob.					
	Golan . V. Gaulon.					
		Golon . V. Gaulon.				
	Gomorra.	Gomorra . latit. gr. 31. 37.	Gomorra . B.	Gomorrha . co. R.		Gomorra Jud long gr 68. '22. lat. gr 30. ' 13.
				Gomorrha . V. Gomorra .		
	Goparata.					
(158). Gophna . E. long. gr. 66. 24. lat. gr. 32. 8.	Gophna . lat. g 32.' 5.	Gophna. lat. g. 32. 22.	. Gophna . E.	. Gopima . E.		Gophna . E. long gr. 67. 55. lat g. 32. 22.
	Gophnit.					
				Gopima.V.Gophna.		
				Gorhremmon . V. Geth - Remon.		
Gosen. Jud. long gr. 66.' 6. lat. g. 31. 6.				. Gosen . Jud.	Gosen . Jud. long gr. 65. 59. lat g 31. 29.	Gozen . Jud long. gr. 67.' 36. lat. g. 30. 26.
					Gosen Terra . V. Terra Gessen.	
				Gozer Cananei . E.		Gozen . V. Gosen.
Gregis Turria . V. Turris Gregis.						Gregis Turris . V. Turris - Gregis.
	Gusch Chalab.					
Habor.				Habac . A.		
				HACEST , seu Deserti pars Septentrionalis , q. Sina d. Josu cap. 15. Psal. 3. Jud.		
Hachila Collis . V. Collis Hachila.						
	Hadadrimon . V. Adad-Remon.					
Hadar.						
Hadassa . Jud. long. g 66 27. lat g 31. 30.					Adassa . Jud long gr. 65.' 27. lat. g. 31. 14.	Hadassa . Jud long g. 67.' 57. lat g 30. 45.
. Hadid. B. long gr. 67. 12. lat g. 32. 38.						Hadid . B. long gr. 68.' 44. lat. g. 30. 50.
(159) Hai . B. long. gr. 67. 2. lat. gr. 32.' 42. $\frac{1}{2}$			Hai . E.	Hai . B.	Hai Regnum . B. long. gr 66.' 13. lat. gr. 32.' 57.	Hay . B. long. grad. 68.' 35. lat g 32.' 3

Hala.

(158) Sculptoris culpa legi *Gopima Gopina* loco in Tabula Ruei putamus. Statuitur in Tribu Ephraim à Calmeto & Rueo; atque hic est unicus hucusque fortasse locus, de quo utraque Tabula conveniat.
(159) Urbs Regia .

H

REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Halaac Mons. Jud.		
				Elhul. Jud *long. gr.* 66.'21. *lat* g.31.'39.	Halhul. Jud. *long g.* 68.'15 *lat. g.* 30 52.
			Halmôdiablathaim. V. Helmondeblathaim.		
			Hamaad, Amaad. V. Amaad.		
				Hamat-Tabor. V. Aznoth-Tabor.	
			Hamon. A.	Hamon. A. *long. g.* 66. 18. *lat. g.* 34.'4.	Hamon, Amon. A. *long g* 68. 49. *lat. gr.* 32.'40.
					Hamon, al Hamot-Doc. N. *long gr.* 68. 52. *lat. g.* 32. 9.
					Hamot Doc. V. Hamon.
			. Hanathon. Z.	Hanathon. Z. *long gr.* 66.'20. *lat gr.* 33.'9.	Hanathon. Z *long. gr* 68.'41. *lat. gr.* 32. 4.
Hannekeb. N.					
Haphraim. *lat gr.* 32.'44.		. Hepharaim. Is.	. Hafraim. Is.	Hapharaim. Is. *long. gr.* 65.'49. *lat gr.* 33.'49.	Hapharaim. Is *long. gr* 68.'16. *lat. gr.* 32.'54.
				Harabith. V. Rabbit.	
			Harad. V. Eder-Hered.		
	Harada. oo.				
			Haradith. V. Sephoris.		
			Herma. S.	Horma Regnum. S. *long gr.* 65.'11. *lat. gr.* 31.'26.	Harma. S *long gr.* 6[illegible]. 24. *lat g* 31.47.
		Haroset Gentium. V. Haforeth Gentium.			
	Hasemona. V. Hassemon.				
			. Asersual. S.	Azersual. S. *long g.* 65.'10. *lat. g* 31 24.	Hasersual. S. *long g.* 67. 7. *lat. g* 30. 49.
					Hasersual. V. Hasec-sual.
		. Haroset Gentium. N.			Haforeth-Gentium. N. *long gr* 69.'17. *lat gr.* 32. 14.
Hasschacat. V. Inegetis.					
	Hasemona: oo.	Asemona, seu Esmon aut Hesmona, vel Jesimon. S.	. Asemona. Jud.	Hassemon, & Asemona. Jud. *long. g.* 64.'49. *lat. g.* 31.'4.	Hassemon, al. Asemona. Jud. *long g.* 66.'55. *lat. g.* 30. 46.
Hasta.					
Hattolim.					

Ha-

hunc cum *Emath* congruere Sansonius ipse in textu docet. Non erat igitur, cur in Tabula, ut melius sive clarius se expli- & illum locum repeteret, eo vel maximè quòd a ceteris Scriptoribus nostris, in parallela collatione nostra nuncupatis, haud- ttur. Urbem tamen hanc Leviticam in Tabula retinuimus, quod eam Adrichomius & Bonfrerius in eadem Nephtali Tribu, anionio Leviticam agnoscant.

Jrbi Sansonio. Vel semper *Harma*, vel semper *Horma* legendum edicit Clericus. At Adrichomius, Bonfrerius, & Cellarius re sibi liberum putarunt. Hinc nobis religio fuit vel minimum Sansonii Tabulam attingere.

gentium vocatur a Calmeto, non in Tabula tantùm, sed & in cap. 4. Judic. pag. 145. Sansonius in Tabula & in textu con- *aforeth*. Bonfrerius legit *Harozet* & *Afiroth*.

Simonenticæ adscribit eam Calmeto & Adrichomius.

SANS.	RELL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Havaus.					
Hazar-fuhal. V. Hazer-fual.					Havoth Jair. V. Jazir.	
						Hazarfufini. V. Senfenna.
		Haseroth; ea.				
						Hazerfufa. V. Senfenna,
		Hasor. V. Afor.				
(164) Hebal Mons E. *long. gr. 66.'52. lat. gr. 32.'6.*	Mons Egbal;		M. Ebal;			
Hebron. V. Cariath-Arbe.		Hebron. V. Cariath-Arbe,	Hebron. V. Cariath-Arbe.	Hebron. V. Cariath-Arbe.	Hebron. V. Cariath-Arbe.	Hebron V Cariath-Arbe.
Helba. V. Elmelech.						
(165) Helcath, Hucoc. A. *long. gr. 67.'22. lat. g. 33.'24.*					Helceth, Civ. Levit. A. *long gr 66.'21. lat. gr. 34.'59.*	Helcath-Hucoc. A. *long. gr 68. 46. lat. gr. 32.'46.*
	Helenopolis.					
Heleph. N. *long gr. 67.'42. lat. g. 33. 22.*					Eleph. N *long. gr. 66. 49. lat. g. 33.'44*	Elaph. N. *long. gr. 69. 20. lat. g 32. 27.*
(166) Heliopolis.			✥ Heliopolis, seu Balbec, vel Edessa, & Bamby.			
			Helmon. M.			
Helmondeblathaim R. *long gr. 67. 24 lat. gr. 32.' 12 $\frac{1}{2}$*			Helmon - Deblathaim. R.	Haimódiablathaim, Belmon, & Baalmon. R.		Helmondeblathaim. R. *long. gr. 69. 25. lat. gr. 30. 26.*
Helon. N *long g. 67. 54. lat. g. 33. 8.*				Elon. N.	Elon. N. *long gr. 66.'47. lat g 33. 42.*	Elon. N. *long. gr. 69. 20. lat. g. 32. 18.*
Helon. R. *long. g. 67.'22. $\frac{1}{2}$ lat. gr 31.'47. $\frac{1}{2}$*				Elon. R.		
						Heltece.
(167) Hemona. B. *long gr. 66.'51. lat. g. 31.'42. $\frac{1}{2}$*					Emona. B. *long gr. 66. 15. lat. g. 31. 54.*	Emona. B. *long gr. 68. 21. lat. g. 30. 55.*
(168) Henoch. A. *long gr 67. 29. lat. gr. 33.' 31.*						Enoch. A. *long. gr. 68. 55. lat g. 32. 51.*
	Hepha.					
Hered. V. Eder Hezed.				Hered. V. Eder-Hezed.		Hered. V. Eder-Hezed.
HEREDH. SALT. Jud *long g 66.'14. lat. gr. 31. 10.*						
					Hereth. V. Barach-Hereth.	
Hermon. V. Baal Hermon.				Herma. V. Harma.		
Hermon Mons. Is. *long gr 67.'00. lat gr 32. 30.*	Mons Hermon. *lat. gr. 32.'36.*	Mont Hermon. *lat. gr. 33.'30.*	M. Hermon. Is.			
Herman Mons, & Sanir. M *long g. 66 20. lat. g. 33 20*		Hermon. *lat. g. 34.'8.*	M. Hermon. M.	Hermon Mons, Ituræorum Montana Plin. Alfadamu Mons Ptol. M.	Sarion, seu Sanir Mons M. *long g. 67.25. lat. g. 33. 40.*	Hermon, five Sanir. M. *long. gr. 70.'20 lat gr. 32.'00*

(164) Juxta Sanionium mons hic Occidentalior est, & è regione *Garizim*: Relando verò *Garizim* mons inferior est, & Occidentalior *Hebal* monte.

(165) Levitica Civitas Sanfonio. Adriehomius hanc in Aferitis urbem Leviticam *Hucoc*, ni mendum irrepsit, appellat. Et sanè *Hucoc* Clerico nomen est respectum: sed neque *Helcath*, aut *Helcath*, five *Hucoc* Cellarius & Relandus agnoscunt.

(166) Non est sanè confundenda *Heliopolis* a Sanfonio in textu memorata, cum ea Calmeti; illa enim est Ægypti Civitas; hæc verò non parum est *Damasco* superior Occidentem versùs. De hac urbe, quæ modò *Balbek* dicitur, extas Dissertatio Historica Domini de la Roque edita Parif. ann. 1722, in qua probat hodiernam *Balbek* esse antiquam Syriæ *Heliopolim*.

(167) Typorum sphalmate legitur in textu latitudo grad. 13.'42. $\frac{1}{2}$ pro 31.'42. $\frac{1}{2}$

(168) In Tribu quidem Afer locum hunc statuit Sanfonius, fatetur tamen in textu sibi de ejus situ non satis constare.

H

REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Hermon Mons. V. M. Hermon.		Harmon Mons. V. Mons Hermon, qui & Baalgad.	
			Hermon Mons, Ituraeorum Montana Plin. V. Hermon Mons, & Sanir.		
			Hermovia. V. Seir Mons.		
Herodium.	Herodium. *lat. gr.* 32.'4.	. Herodium. Jud.	. Herodium. Jud.		Herodium. Jud. *long. gr.* 68.'15. *lat. gr.* 30.'47.
	Herodium. *lat. gr.* 32.'11.				
	Hesbon. V. Hesebon.				
	Hesbon. *lat.g.* 32.'18.	. Esebon. G.	. Hesebon, Esbuta. G.	Hesebon Regnum, & Levit. Civit. G. *long gr.* 67.'3. *lat. gr.* 32.'12.	Hasebun. R. *long.g.* 69. 29. *lat.g.* 31. 3.
		. Hethaa. Jud.			
		Hethalon. V. Hettalon.	Hethalon. V. Hettalon.		Hethalon. V. Hettalon.
		Hethan. V. Hettan.			
		⊕. Canthala, sive Hettalan.	⊕. Hettalon.		Hettalon. A *long.g.* 68.'59. *lat.g.* 32.47.
					Hetham. V. Hethan.
					Hetham. E. *long g.* 68. 22. *lat.g.* 32.14.
			HETTEJI. Jud.		
			HEVÆI: SEDI ex Jud. c. 3. M.	HEVÆI. c. 11. M. *long.g.* 66.'54. *lat. gr.* 33.'50.	
			HEVES. Jud.	HEVÆUS. c 11.v.8. Jud. *long.g.* 64.'00. *lat. gr.* 32.'5.	
			Hezebon. V. Hesebon.		
			Hieremiæ Ajalon. V. Ajalon.		
	Hiericus. V. Jericho.				
Hierimax flu. V. Jeboc Torr.					
	Hierusolyma. V. Jebus.				
Hipha. *lat. g.* 32.'51.			Hippon. V. Hippos.		Hippos. M. *long. gr.* 69. 20. *lat. g.* 32.40.
Hippos. *lat.g* 32.'42.	Hippos. *lat. g.* 33.'2.	. Hippos. oo. M.	Hippon. M.		
			Hippron Legio. V. Legio.		
Irschemech.					Hirsemes, al. Civitas Solis. D *long. gr.* 67.'26. *lat. gr.* 31.'00.

Ho-

Tabula referebat: sed quia Bonfrerius vel *Hermonium*, vel *Hermonjim* legit; & Cellarius *Hermonjim* in plurali duntaxat
ndum censet, ideo reposuimus in Tabula *Hermonium*. *Montes autem Hermon*, ait Sansonios, *ut & Hermonji, qui putantur*
a est demonstratio ex Scriptura Sacra.

hoc a Sansonio in Tribo Juda expressum in texto graduatione caret: quod si loco suo addictum est, habebit longitudi-
tit. 32.'32.

vitas Levitica; quæ in Gaditarum Tribu ab Adrichomio non numeratur.

in textu Sansonius dicit; at in Tabula vici signum apponit. Bonfrerio tamen, Calmeto, & Rueo locus est in finibus terræ
onalibus. Rueo quidem est *Sidoni* contiguos; at Calmetus adeò eum à Sidone removet, ut sit totius ejusdem Tabulæ

i Tabula, ut aliàs dictum, unicum apparet signum, quo indicatur *Hippos*, & *Gadara* subditur, perinde ac si cum *Hippos*
t Sansonius, Rueus, & disertè Relandus *Hippos* a *Gadara* distinguunt; quorum hic scribit *Tiberiadem* ab *Hippos* 30 a *Ga-*
e. Dicendum ergo etiam Calmetum *Hippos* à *Gadara* distinguere (locus enim hic ab operis indice non ostenditur) quæ
itu nullo signo insculpta sit.

ca Sansonio (non Adrichomio) quam eamdem esse cum *Bethsemes* ad cap. 15. Jos. pag. 68. vult Calmetus. Cellarius ta-
legitur, unam ab altera constanter distinguit.

SANS.	REL.	BELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			⊕ Hoba, seu Hebal, fortè Abyla Lysaniæ, & Abel-Bethmaaca, Soba, seu Sobal. M.	⊕ Hebal-Soba.		
				Hod. V. Bellifortium.		
				Hod. V. Castrum Beroaldi.		
				Hod. V. Castrum Lamberti.		
				Hod. V. Monfort-Hod.		
(175) Holon, Olon. Jud. *long.g.*66. 11. *lat.gr.* 31.'5.				. Olon. Jud.	Holon, Civit. Levit. Jud. *long.g.*65.'53. *lat.gr.* 31.'38.	Holon; al. Olon. Jud. *long g.*67.'43. *lat.gr.* 30.'24.
(176) Homonaea. Z. *long.gr.*67.'31. *lat. gr.* 32.'35.	Homonaea.					Homonea. Z. *long. gr.* 69 '2. *lat. gr.* 32.'53.
						Homonea. V. Homonaea.
			Hoorah, seu Naaratha. V. Naaratha.			
				Hophar Nobe. V. Nobe.		
Hor. M.		Hor Mons. *lat. gr.* 30.'16.		Hor Mons. Jud.		
Horeb. V. Oreb.		Horeb. V. Oreb.				
Horem. V. Magdalel-Horem.						Horem. V. Magdalel-Horem.
Horma. V. Harma, Horma.		Horigidgad. ∞			Horem. N. *long.gr.* 66.'43. *lat g.*33 56.	
					Horma. V. Harma.	Horma. V. Harma.
			Horma, seu Sephaat. Jud.	Horma, & Arama, & Harma. Jud.	Horma. Jud. *long. gr* 65.'5. *lat. gr.* 31. 6.	
(177) . Horma. A. *long.gr.*67.'5. *lat. gr.* 33.'20.				. Sepharrama, Horma. A.	Horma. A. *long gr.* 66. 15. *lat.g.*33.'52.	Horma. A. *long gr.* 68. 37. *lat.g* 32.45.
				Horma. N.		
				HOREB. Jud.		
. Hosa. A. *long. gr.* 66. 56. *lat.g.*33 9.				. Hosa. A.	Hosa. A. *long gr.* 65. 56. *lat. g* 33. 24.	
Hucoc. V. Helcath-Hucoc.	Chucuoc.					Hucoc. V. Helcath-Hucoc.
Hucuca. N. *long.gr.* 67.28. *lat.g.*32. 5.				. Hucuca. N.	Hucuca. N. *long. g.* 66. 15. *lat.g.*33. 16.	Hucuca. N. *long g.* 68. 55. *lat.g.*32 '6.
Hus Terra. V. Terra Hus.			Hus Terra. V. Terra Hus.			Hus Terra. V. Terra Hus.
				Hylatha. V. Ulatha.		
Hyrcanium. E. *long. gr.* 66.'35. *lat. gr.* 32.'9.						Hyrcanium. E. *long. gr.* 68.'6. *lat. gr.* 31.'23.
		Jaakan. V. Bne-Jaakan.				
	Jabore.					
(178) Jabes-Galaad. M. *long g.*67.57. ½ *lat.gr.* 32.'26.	Jabesch.	Jabes. *lat. g.* 32.'56.	Jabes-Galaad. M.	Jabes-Galaad. M.		Jabes-Galaad. M. *long.gr.*69. 32. *lat. gr.* 32. 40.
	Jabesch. V. Jabes.					
	* Jabne. V. Jamnia.					

Ja-

(175) Civitas Levitica & Adrichomio.

(176) Hanc 30. tantùm stadiis a *Tiberiade* distare debere Sansonius docet: quare longitudo in textu grad. 67.'14. & lat. grad. 32.'47. sub qua duplo, & fortasse triplo ampliùs à *Tiberiade* abesset, emendata a nobis est in longitud. grad. 67.'31. latit. grad. 32.'35.

(177) Locus est in Aseritica Tribu, cujus & Bonfrerius meminit.

(178) Calmetus in sua Tabula parvo indicavit signo urbem hanc, quæ Sansonio, non tamen Adrichomio, Levitica est. In Tabula *Jabes* tantùm legebatur, at in textu *Jabes-Galaad*, ut & nos adjecimus. Igne ferroque vastata Civitas hæc fuit, scribit Calmetus in Judic. cap. 21. pag. 228., quòd ejus Cives arma capere in Benjamitas noluerint; fratribus suis haudquaquam adhærentes.

I

REL.	GELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Jaboeel olim, modo Caphar-Jama.					
			Jaboc Torr. V. Jeboc Torr.	Jaboc Torr. V. Jeboc Torr.	
	Jabok flu. V. Jeboc Torr.	Jabok Torr. V. Jeboc Torr.			
			Jabucel Jamnia Portus. D.		
Jachate. V. Jachiza.					
Jachiza. R.		Jacob Pons. V. Pone Jacob.			
			Jacob Puteus. V. Puteus Jacob.		
* Jaeberz. Jud.					Jaeta. V. Jeta.
Jaezer. D.					
Jague. Jud.			Jagur. Jud.	Jagur. Jud. *long. gr.* 65. 52. *lat. g.* 31. 11.	Jagur. Jud. *long. gr.* 67. 15. *lat. g.* 30. 51.
		AVOTH-JAIR. M.		HAVOTH-JAIR, seu vici Jair 60., qui Gaulan Meridionalem, & Galaad Septentrionalem occupabant. N. *long gr* 66. 55. *lat. gr.* 33. 5.	Jair. M. *long grad.* 68. 37. *lat g.* 32. 56.
			Jammia. V. Jamnia.		
			Jammia Portus. V. Jabucel.		
Jabne, quæ & Jamnia. *lat g.* 31. 59.	Jabne Jamnia. *lat. gr.* 32. 14.	Jamnia. D.	Jemmia. D.		Jamnia. D. *long gr.* 67. 32. *lat. g.* 31. 17.
Jamnia.					Jamnia. N *long gr.* 69. 22. *lat. g.* 32. 3.
Jano.		Janoe. E.			
Janoach. V. Janoe.					
Janoach. E.		Janoe. E.	Janoe Janum. E.	Janoe. E. *long. gr.* 66. 16. *lat. g* 32. 4.	Janoe. E. *long. gr* 68. 44. *lat. g.* 32. 15.
		Janoe. V. Janua.			
Janua.		Janoe. Ie.	Janua. Is.		
				Janum. Jud. *long. g.* 65. 19. *lat. g.* 31. 36.	Janum. Jud. *long g* 67. 51. *lat. g.* 30. 29.
			Janum. V. Janoe.		
Japha.			Japha. V. Japhie.	Japhcha. *long. gr.* 65. 20. *lat g* 31. 30.	
Japhia. V. Jephie.					
* Japhia.			Japhia-Japha. Z.	Japhie. Z. *long. gr.* 66. 19. *lat. g.* 33. 2.	Japhie. Z. *long. gr* 68 49. *lat g* 31. 47
* Japhleti. B, & E.					
Japho. D.					
Jarmuth. Jud.		Jessa. R.	Jaffa. R.	Jaffa, & Jafer c. 11. Civ Lev. R *long g.* 67. 24. *lat. g* 31. 51.	Jaffa. R. *long. gr.* 69. 16. *lat g* 30. 58.

Je-

...otius, *quam urbs*, inquit Sansonius ipse in textu; sive castella dicta *Avoth-Jair*, ut in *Argob* memoravimus: quepropter vic... proprium Regionum characterem adjecimus. Eusebius tamen, & D. Hieronymus *Jair* asserunt urbem Manassiticæ Tribus.
... & quidem grandem vocat Sansonius in textu, quam tamen in Tabula parvo distinxit signo. Calmetus urbis signum affinxit.
... Epiphanium, qui apud Relandum ad vocem *Jabne* (in ejus Tabula Incisoris culpa *Japhne* legitur) Macrini filius urbis Ep... Sansonius verò in Tabula adhæsit torre Straboni, a quo *vicus* apud *Joppem*, ubi ab utroque *Jamnia* collocatur, dicitur. A... meto Litoralis, à Relando verò Mediterranea potius in Tabulis ponitur.
... hunc Tabula, parvo signo depictum, detraximus, quòd neque à Sansonio in textu, neque ab ullo alio laudetur.
...richon in Levitica Civitas.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
					Jafer. V. Jaffa.	
		Jafer. V. Jazer.				
			Jafon. E.			
				Jaffa. V. Jafa.		
				Jaffa. R.		
	Jattir. Jud.	Jathata. oo.				
			Jazer. B.	Jazer, Gazonus Prol. R.		
(183) Jazer, int. & Jezer. G. *long. g.* 67. 46. *lat. g.* 31. 53.	Jazer.	Jafer. *lat. gr.* 32.' 38.		Jazer Altera. G.	Jazer Ammonitar. Civit. Levit. G. *long. gr.* 67.' 22. *lat. gr.* 32. 24.	Jazer. G. *long. gr.* 69. 50. *lat. g.* 31. 13.
Jazer Mare. V. Mare Jazer.						Jazer Mare. V. Mare Jazer.
			Jazer Torrens. V. Torrens Jazer.			
Idumaea. V. Edom.		Idumaea. V. Edom.				Idumaea. V. Edom.
			Idumaea vetus. V. Montes-Seir.			
				Idumaea pars. V. Edom.		
			Idumaei. V. Edom.			
				Jeabarim ad Montes Statio. V. Statio ad Montes Jeabarim.		Jeabarim. V. Statio ad Montes Jeabarim.
				Jeba. V. Jebba.		
	Jebba.			Jeba Jebepli. D.		
				Jebepli. V. Jebba.		
					Jeblaam. V. Cibsaim.	
Jeblaam. V. Gethremmon.						Jeblaam. V. Gethremmon.
				Jeblaam Gibsaim. V. Cibsaim.		
(184) Jeblaam. M. *long gr* 66.' 35. *lat. gr.* 32.' 21.						
(185) Jebnael. N. *long gr* 68. 00. *lat. gr.* 32. 50.				Jebnael. N.	Jebnael. N. *long g.* 66.' 42. *lat g* 33 24.	Jebnael. N. *long g* 69. 27. *lat g* 32. 9.
(186) Jebneel. D. *long. gr.* 65.' 13. *lat. gr.* 31.' 15.					Jebneel. D. *long g.* 65. 30 *lat g.* 31.' 50.	Jebneel. D. *long g.* 67.' 2. *lat g.* 31. 4.
(187) Jeboc, int. & Jaboc Torr. M *long gr.* 67' 55. *lat. gr.* 32.' 20.	Hierimax flu. *lat. g.* 32.' 43.	Jabok flu. *latit. gr.* 33.' 3.	Jabok Torrens. G, & M.	Jaboc Torr. M.	Torrens Jaboc *long. gr* 67. 28. *lat gr.* 32.' 39.	Jeboc Torrens. G. *long gr.* 70 00. *lat. gr.* 31.' 31.
(188) Jebus, al. Jerusalem. B *long. gr.* 66 35. *lat. g.* 31. 45.	Jerusalem, & Jebus. *lat. gr.* 31.' 53.	Hierosolyma, Aelia. *lat. gr.* 32.' 8.	Jerusalem. oo.	Jerusalem. B.	Jebus, & Jerusalem. B. *long gr* 65.' 39. *lat. gr.* 31.' 45.	Jerusalem. B *long. gr.* 66 '4. *lat. gr.* 30.' 57.
	* Jecabtzeel. Jud.					
				Jecha. Jud.		
				Jechar. V. Accar.		
					Jechonam. V. Jeconam.	
				Jechonan. V. Jeconam.		
Jecman. V. Cibsaim.						Jecmaa. V. Jegbaa.
				Jecman. M.		
(189) Jeconam. Z. *long gr* 65. 52. *lat. gr.* 32.' 50.				Jechonan. Z.	Jechonam Regnum, & Civit Levit Z. *long gr* 65. 45. *lat. gr.* 33.' 7.	Jeconam. Z. *long g.* 68. 23. *lat. g* 32. 5.
			Jectael. V. Petra.			

(183) Urbs Levitica non solùm Sansonio & Adrichomio, sed & Bonfrerio.
(184) Locus hic in Manasse Tribu non longè a *Gaver*, & *Mageddo* ponitur à Sansonio; Quare, quæ in texto eft long. grad. 65.' 53. retrahatur ad long gr. 66.' 35. numeris Typographi oscitantia ordine inverso commutatis, quod non rarò a nobis in Sansoniano texto observatum.
(185) Ad occiduam Jordanis ripam locanda, proindeque hic etiam emendanda longitudo, quæ in texto eft gr. 67 52. cum esse debeat gr 68. 00.
(186) In Sansoniano texto desideratur. Clerico silente, & Rueo in Amstelodamensi Tabula locum memorante, eum adprobavi nos.
(187) A *Canatha* Traconitidis Rueus, a *Maspha Galaad* Calmetus, à *Carnaim* Sansonius Torrentem hunc derivant, qui apud Calmetum & Rueum in Jordanem, apud Sansonium verò in mare influit Tiberiadis.
(188) Urbs Regia, de qua nihil quam pauca dicere præstat.
(189) Urbs Regia.

I

CELL.	CALM.	RUE:	RUE:	CANTELL.
		Jectecla. V. Petra-Jecteel.		
			Jectel. V. Jecthel.	Jectel. V. Jecthel.
			Jectol. D *long. gr.* 65. 36. *lat* g. 31. 52.	Jectel-Abhobi. Jud. *long gr.* 68.' 3. *lat. gr.* 30.' 50.
		Jepheri. B.	Jephleti. B *long. gr.* 65. 55. *lat.* g. 31. 59.	Jefleti. E. *long. gr.* 68. 8. *lat.* g. 31. 10.
			Jegbaa. G. *long. gr.* 66. 56. *lat* g 32.' 15.	Jecmaa. G. *long. g.* 69. 2. *lat.* g 31. 24.
			Jehiman. D *long. gr* 65. 27. *lat. gr.* 31.' 49.	
		Jehud. V. Jud.		
Jehuda. V. Tribus Juda.				
				Jemlal. M *long. gr.* 68.' 27. *lat* g. 31. 30.
		Jepheri. V. Jefleti.		
			Jephleti. V. Jefleti.	Jephleti. V. Jefleti.
		Jephtael. V. Vallis Jephtael.	Jephtael Vallis. V. Vallis Jephtael.	
		. Jerala. Z.	Jerala. Z *long. gr.* 66. 21. *lat.* g 33. 6.	Jerala. Z. *long. gr.* 68. 40. *lat* g. 31.' 55.
			Jeramoth. V. Rameth.	
		. Jeramoth. Is.		
		. Jeremioth. D.		
		. Jeresa. G.		
	Jerich. V. Jericho.			
Hiericus. *lat. grad.* 32.' 10.	Jerich. B.	Jericho. B.	Jericho Regnum. *long. gr.* 66 23. *lat. gr.* 31. 55.	Jericho. B. *long gr.* 66. 30 *lat* g 30.' 51.
				Jerimoth. V. Ramoth.
	. Jerimoth. Jud.		Jerimoth Regnum. D. *long. gr* 65. 27. *lat. gr.* 31. 40.	Jerimoth. Jud *long. gr.* 67. 15. *lat gr.* 30.' 51.
		Jeron. N.	Jeron. N. *long gr.* 66. 40. *lat* g. 33.' 32.	
			Jeruel. Jud. *long g.* 66. 12. *lat.* g 31. 34	
	Jerusalem. V. Jebus.	Jerusalem. V. Jebus.	Jerusalem. V. Jebus.	

Jets;

usit per montes Ephraim, & per terras Salisa, Salem, Jemini, & Supo. Hic terræ procul dubio fuit familiarum Benjamin, & Ephraim, inquit Sansonius. *Salem* attamen, & *Jemini* in ejus Tabula in Manasseur, ut & Adrichomius statuit. Quare Sansonius, etiamsi ad scutica non vocetur a Clerico, lapsus potius Incisoris Typographive oscitantiam accusare velimus.
Herodes Joppe capta Massadam ad liberandam obsidione domesticos properavit, eàque & Ressa castello captis pecontulit, &c.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Jesimon. V. Hassemon.			
		Jesrael. V. Jezrael.		Jesrael. V. Jezrael.		
			Jessa. V. Jafa.			
(193) Jeta, vel Juta, Jute & Jote. Jud. long. gr. 66.'34. lat. gr. 31.'12. ½	Jettan. lat. g. 31.'39		Jethan, seu Jethnan, vel Jota. Jud.	Jota. Jud.	Jota. Jud. long. gr. 66.'13. lat. g. 31. 25.	Jaeta, al. Jute, Jud. long. gr 66. 4 lat. gr. 30. 25.
			Jethan. V. Jota.			
Jethela. D. long. gr. 65. 56. lat g 31. 41.				Jethela. D.		Jethela. D. long. gr. 67. 12. lat. g 31. 1.
(194) Jether. Jud. long. gr 65.'48. lat gr. 31.'14.	Jether. lat. g 31.'38.		Jether, Ether, seu Athar. S.		Jether. S. long. gr. 65.'12. lat. g. 31. 32.	Jether. Jud long g. 67. 21. lat g 30. 39.
Jethnam Ziph. Jud long gr. 65. 56. lat. gr. 31. 1.	Ziph.	Ziph. lat gr. 31.'42			Jethnam. Jud. long gr. 66.'21. lat. gr. 31.'21.	Jethnam Ziph Jud. long. gr 67. 18. lat. gr. 30.'29.
			ethnan. V. Jeta.			
Jethson. V. Cedemoth.						Jethsou. V. Cedemoth.
	Jettan. V. Jeta.					
(195) Jezrael. Is. long. gr 66.'49. lat gr. 32.'28.	Jizreel. Is. lat. gr. 32.'14.	Jesrael. lat g. 32. 52.	Jezrael, seu Esdrelon. oo. Is.	Jezrael. Is.	Jezrael. Is. long gr. 66. 15. lat. g. 32. 42	Jezrael. Is. long gr. 68. 20. lat g. 32. 45.
Jezrael. Jud. long g 66. 37. ½ latit. gr. 32.'17.						Jezrael. Jud. long. gr. 68. 8. lat. gr. 30.'29.
	Jibleam.					
	Jidala. Z.					
		Jie Abarim. oo.				
	Jim. V. Baala.					
(196) Jim-Esem, al Asem, & Asom. S. long. gr 65.'29. lat. gr. 31.'22.					Jim. S. long grad. 65.'22. lat. g. 31. 35.	Iim-Esem, al. Asem, & Asom. S long. gr 67.'10. lat. gr. 30.'54.
	Jion, seu Joannis urbs.					
	* Jiphtar. Jud.					
	* Jitou. N.					
	Jirpeel. B.					
	* Jithla. D.					
	* Jithnam. Jud.					
	Jizreel. V. Jezrael.					
	Jizreelis Campus V Campus Jizreelis					
				ILLUSTRIS VALLIS. M.		
				In Æmath ascensus. V. Ascensus in Æmath.		
In Æmath Introitus. V. Introitus in Æmath.						
Inferior Bethoron. V. Bethoron inferior.					Inferior Bethoron. V. Bethoron inferior.	Inferior Bethoron. V. Bethoron inferior.
			Inferior Galilæa. V. Galilæa.			
			Inferius Bethoron. V. Bethoron inferius.	Inferius Bethoron. V. Bethoron inferior.		

IN.

(193) Urbs Levitica, quæ in Tribu Juda à Bonfrerio urbs Sacerdotalis dicitur.
(194) Inter Leviticas enumerat hanc etiam Adrichomius.
(195) Regia Urbs.
(196) Quanquam contendit Clericus *Jim* & *Esem* duas esse Tribus Juda distinctas urbes: & Adrichomius, Sansonius, & Rues in Amstelodamensi Tabula Simeonis Tribui adscribit, & Bonfrerius Juda; nos tamen in hac sententiarum varietate a Sansonio, majorique Auctorum numero non declinavimus, eo vel maxime quod Clericus ipse cuinam parti Judaicæ Tribus conveniant duæ illæ urbes, non definivit.

I

CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELII.
		Inferioc pars tranfitus Emath. V. Introitus in Æmath.		
	Inna, Ennon. V. Ennon.			
		INTROITUS GAZÆ. D.		
		AMATHEORUM, feu Tris Emath pars inferior, q & Cava-Syria.	EMATH. *long. gr.* 66.25. *lat. g.* 34.12.	EMATH: *long gr.* 69.'00 *lat.g.* 32.'00
	Iobi Patria. V. Terra Hus.			
Ioppe. *lat g.* 32.'22.	Ioppe. E.	Ioppe. B.	Ioppe. D. *long gr.* 65.20. *lat. g.* 31.59.	Ioppe. D. *long. g.* 67.39. *lat. g.* 31.22.
	Ior., feu Iordanes minor.			
	Iordanes major. V. Iordanis flu.			
Iordanis flu. *lat. gr.* 34.'3.	Iordanes-major.		Iordanis flu. *long g.* 66.50. *lat. g.* 33.59.	Iordanis flu. *long g.* 69.'21. *lat. g.* 32.40
				Ioseph Cisterna. V. Cisterna Ioseph.
			Iosue Sepulcrum. V. Sepulcrum Iosue.	
	Iota. V. Ieta:	Iota. V. Ieta.	Iota. V. Ieta.	
	Iotapata. V. Gethhepher.			Iotapata. V. Gethheter.
Iovis-Casii Templum. *lat g.* 30.59.				
		Irsemes. V. Hirsemes.		
Issachar: V. Tribus Issachar.		Issachar. V. Tribus Issachar.		
				Issachar. Is. *long. g.* 66.59. *lat. g.* 31.18.

. Isca-

la, quàm in textu urbem & quidem non minimam appellat, indicavit Sanfonius: ideoque urbis signum, e fuli, repofuimus.
ait Sanfonius. Urbem tamen Tribui cognominem admittit Adrichomius. Clericus intactam Sanfoniam. da explofum.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	Iſanee.				
(199) Iſcarioth. E. *long. gr.* 67.'6. *lat. gr.* 32.'7.				Iſcharioth. M.	
				Iſcharioth. V. Iſcarioth.	
			Iſſachar Tribus. V. Tribus Iſſachar.		Iſſachar Tribus. V. Tribus Iſſachar.
Iſthemo. Iud. *long. gr.* 66.'8. *lat. gr.* 31.'7. ½	u Eſthemo. Iud.			Eſtamo.	Eſtemo, Civ. Levit. Iud *long. g.* 65.'26. *lat. gr.* 31.'27.
	Itabyrion. V. Atabyrion.				
		Itabyrius Mons. *lat. gr.* 33.'7.			
		ITER TRIDUI. oo.			
ITURÆA. *long. gr.* 67.40. *lat. g.* 30.00	ITURÆA, quæ & Auranitis. *lat. gr.* 33.00	ITURÆA. *lat. g.* 33.00	ITURÆA.	ITURÆA.	
				Ituræorum gens. V. Ulathæ.	
				Ituræorū Montana. V. Hermon Mons.	
Iucadam. Iud. *long. gr.* 66.'37. *lat. gr.* 31.'21.				Iucadam. Iud.	Iucadan. Iud. *long. gr.* 66.'18. *lat. gr.* 31.'35.
					Iucadan. V. Iucadam.
Iud. D. *long. grad.* 66.'2. ½ *latit. gr.* 31.'47.	Iehud. D.			Iehud, Iuda. Iud.	
Iuda Tribus. V. Tribus Iuda.			Iuda Tribus. V. Tribus Iuda.	Iuda. V. Tribus Iuda.	Iuda Tribus. V. Tribus Iuda.
				Iuda. V. Iud.	
				Iuda Bethlem. V. Beth-leem.	
				Iuda Montana. V. Iudææ Montana.	
Iudæ Deſertum. V. Deſertum Iudæ.				Iudæ Deſertum. V. Deſertum Iudæ.	
IUDÆA. *long grad.* 67.00 *lat. gr.* 32.00		IUDÆA. *lat g* 31.00		IUDÆA.	
					Iudææ Mons. V. Iudææ Montana.
Iudææ Montana.				Montana Iudæ.	Iudææ Mons. *long. gr.* 65.'51. *lat. gr.* 31.'17.
Iulias V. Bethoron-Iulias.					
		Iulias. V. Bethſaida.	Iulias. V. Bethſaida.	Iulias. V. Bethſaida.	
(200) Iulias. M. *long. gr.* 67.'42. *lat. gr.* 32.'38.	Iulias Gaulanitica, int. Gaulanitidia. *lat. gr.* 32.'58.	Livias, ſeu Iulias Betampta. *lat. gr.* 32.'22.		Iulias. M.	
	Iulias Peræe, olim Betarampta. V. Betharan Iulias.				

(199) In Ephraim Tribu locat Adrichomius; ambigit Sanſonius num in Samaria, an in Simoneitarum Tribu aptari debea... ſextus longitud. grad. 67.'4. latit. grad. 30.'20. attendatur, longe infra Idumæam extraque univerſam Palæſtinæ terram deter... Tabula ſitus eſt hic locus ſub longitud. grad. 67.'6. latit. grad. 32.'7., qui locus cùm in Ephraim Tribu ſit aptè cum Adricho... ab eo non amovimus hunc vicum.

(200) Cellarius vult *Juliadem Galilææ* ab Herode conditam vel exornatam fuiſſe; Philippum verò ejus fratrem *Juliadem a*... xiſſe, *Bethſaidam* antea appellatam. Clericus duplicem agnoſcit *Bethſaidam*, unum ad Occidentem lacus Tiberiadis, ibique ca... collocat; alteram verò ad Orientem, ubi eam deſcribunt Relandus in poſtremo lacus angulo, & Calmetus paullo tamen ſu... autem hanc urbem ſimpliciter *Juliadem* appellat, quemadmodum etiam Sanſonius; à quo ad Orientalem quidem lacus plagi... ſed infra ad fluvium quemdam vel Torrentem anonymum: atque hanc à Philippo reparatam dicit, atque *Juliadem* deincep... quod negat Calmetus in Animadverſ. pag. XXVI. contendens unicam *Bethſaidam* & *Juliadem* a Philippo dictam, amnemque, d... fluvio in duas interſectam. Tot inter diſſenſiones neque hic, neque ad vocem *Bethſaida* quidquam in Sanſonii Tabulis audere... ſaluimus.

K

	CELL.	GALM.	BUR.	BUR.	CANTELL.
Afla.			Kabul. V. Cabul.		Juta. V. Jota:
			Kedes. V. Cades Nephtali.		
			Kedefa. V. Cades-Cadeffa.		
e. V. ens.	kegila. V. Ceila.				
a.	keheláta. ee.				
na.					
mo-					
l.					
-Be-					
s.					
Cib-			. Chefis. Jud.		
l.	kidron flu. V. Cedron Torrens.				
;					
ath.			Kir-harefet. V. Areopolis.		
. Ca-					
. Ca-					
. Ca-					
. V.	kiriathjarim. V. Carath-baal.				
V. Ca-					
V. Ca-					
V. Ci-					
. V. bor.	kifon, flu. V. Cifon Torr.				
l.					

La-

L

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CA
				. la Georgia. A.		
(201) Labana. Jud. long. gr. 66.'6. lat. g. 31.'17. 1/8					Labana. Jud. long. gr. 65.'59. lat. gr. 31.'35.	Laban gr. 6 30.'
Labanath-Ahalab. A. long. g. 66.'57. 1/2 lat. gr. 32.'52.						
Labaoth, V. Lebaoth.				Labaoth. V. Lebaoth.		
Labathan. V. Lodabar.						Labeth daba
	Laccum. V. Lecum.					
(202) Lachis. Jud. long. gr. 66.'38. lat. gr. 31.'37.	Lachis, int. Lachisch. lat. gr. 31.'51.	Lachis. lat. g. 31.'38.	Lachis. Jud.	. Lachis. Jud.	Lachis, Regnum. Jud long. gr. 65.'31. lat. gr. 31.'31.	Lachis gr. 6 30.'5
	Lachisch. V. Lachis.					
	* Lachmas. Jud.					
			Lacus. M.			
					Lacus Asfan. S. long. g. 65.'2. lat. g. 31.'36.	
	Lacus Asphaltites. V. Mare salsissimum.	Lacus Asphaltites. V. Mare salsissimum.	Lacus Asphaltites. V. Mare salsissimum.			Lacus. V. M mum
Lacus Asphar. V. Asphar Lacus.						
			Lacus Cendevia. V. Palus Cendevia.			
			Lacus Eschon. R.			
		Lacus Genesareth. V. Mare Galilææ.				
		Lacus Phiala. V. Phiala F.				
	Lacus Samochonites. V. Aquæ Merom.					
		Lacus Samochonitis. V. Aquæ Merom.				
			Lacus Semechon. V. Aquæ Merom.			
				Lacus Semechon. V. Aquæ Merom.		
					Lacus Sirbon. V. Sirbonis Lacus.	
		Lacus Sirbonis. V. Sirbonis Lacus.				
	Lacus Tiberiadis. V. Mare Galilææ.		Lacus Tiberiadis. V. Mare Galilææ.			
				Lacus Trisasphaltites. V. Mare salsissimum.		
				Læsa. V Lasa, al. Callirhoe.		
	Lajisch. V. Dan.					
Lais. V. Dan.				Lais. V. Dan.	Lais. V. Dan.	Lais. V.
				Lamberti Castrum. V Castrum Lamberti.		
			✠. Laodicea.			
			✠. Laodicea Cabiosa.			
Lapis Adjutorii. D. long. gr. 65.'52. 1/2 lat. gr. 31.'52. 1/2						
Lapis Ezel.						
Lasa, al. Callirhoe. R. long. gr. 67. 17. lat. gr. 31.'22. 1/2	Callirhoe.	Lasha, seu Callirhoe. lat. gr. 31.'58.		. Læsa, & Calliride. R.		Lasa, al R. long lat. gr.
	* Lascha.					
		Lasha. V. Lasa, al. Callirhoe.				
	* Lasscharon.					

(201) Urbs Levitica, quæ ab Adrichomio non memoratur.
(202) Regia Urbs.

L

CELL.	CALM.	RUE:	RUE:	CANTELL.
.	Lebana. V. Lebna.			
	. Lebana. A.			
			Lebanath. A. oo. *long. gr.* 65.' oo. *lat. gr.* 33.' 13.	
			Lebanath. V. Lebana.	
			Lebaoth. Jud. *long. gr.* 65. 26. *lat. gr.* 31.' 33.	Beth-lebaoth, & Lebaoth, & Beth-berai.S. *long g* 67. 20. *lat gr.* 30.' oo.
Libna. *lat. gr.* 32.' oo.	Lebna. Jud.			
			Lebna Jud. reg. *long. gr* 65.' 29. *lat. gr.* 31.' 34.	
	Lebana. oo. E.	. Lebona. E.		
				Lebna. Jud. *long. g.* 67.' 45. *lat g.* 31. oo.
		Lebona. V. Lebna.		
	Lechi. D.			
		. Lekum. N.	Lekum. N. *long gr.* 66. 44. *lat. g.* 33. 28.	Lecum. N. *long. gr.* 69.' 28. *lat. g.* 32.' 4.
Legio. *lat gr.* 33.' 4.	. Legion. Is.	Hippron-Legio. Is.		
		Legio. V. Bostra.		
	Legion. V. Legio.			
				Leheman. Jud. *long. gr.* 67.' 57. *lat. gr.* 30.' 52.
		Lekum. V. Lecum.	Lekum. V. Lecum.	
	⊕ Leon, flu.			
	⊕ Leontopolis.			
	Lesa. V. Lussa.			
	Lesem. V. Dan.			
		Lesen. V. Dan.		
			Lesen-Dan. A. *long gr.* 66.' 5. *lat. gr* 33.' 23.	
	⊕ Letumis, flu.			
	Leussa. V. Lussa.			
			Libani Campus. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.	
	Libtni Cedri. V. Cedri Libani.			

Li-

, Adrichomio quoque.
Tribu Ephraim ponit. Sansonius in textu omittit, & Relandus eam palam à Samaria removet.
m etiam appellat.
on, valde inter sese situ discrepant. Relandus enim eam statuit ad Occidentem è regione *Nazaret* ...
cear.
contendit; at Bonfrerius Sansonii lectionem tuetur. Sed pudeat jam tandem Clericum minuta hæc castiganda literula quærere. Pædagogi est in hujusmodi errata toties animadvertere, quod obscurum sibi jam attributum legere poteris in tertio Ephemeridum Literatorum ultra Montes Tomo pag 96.

Lebona solùm retenta. Sic etiam Bonfrerius *Lebna*, aut *Labna*, vel *Labana* tantùm dici posse existimat, quæ cùm à Rege Assyriorum Senacherib obsidione premeretur, ejus 180m. milites fuere nocte una ... amque lectionem laudat in Tribu Ephraimitica.
attamen in universa Samariæ leprosorium legi, scribit Sansonius in suo textu.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUR.	CA[…]
	Libani pars. V. Libanus M.	Libani pars. V. Libanus M.				
			Libani Planities. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.			
Libani Turris. V. Turris Libani.						
	Libanum inter, & Antilibanum Vallis. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.					
(210) Libanus M. Græcis Antilibanus. *long g.* 67. 00 *lat g.* 33. 00	Libani pars. *lat. gr.* 33. 00	Libani pars, seu Antilibanus. *lat. gr.* 34. 00	Libanus M.		Libanus Mons. *long. gr.* 66. 15. *lat. gr.* 34. 5.	Libanus *gr* 28. 33. 00
	(211) Libna. V. Lebna.	Libna. V. Lebna.				
Lidda. V. Lydda.				Lidda. V. Lydda.		Lidda.
LINGUA maris salsissimi. Jud. *long gr.* 66 37. *lat. gr.* 30. 34.				LINGUA MARIS. Jud.	LINGUA MARIS. Jud. *long. g.* 65. 58. *lat. gr.* 31. 00.	LINGU[…] salsissimi *gr.* 68 30. 7.
LINGUA maris salsissimi. Jud *long gr* 67. 1. *lat. gr.* 31. 25.					LINGUA maris ad Aquilonem. Jud. *long gr* 66. 32. *lat. gr.* 31. 49.	
		LINGUA sinus Arabici. *lat. gr.* 29. 00				
	Livias. V. Betharan Julias.	Livias. V. Betharan Julias.	Livias. V. Betharan-Julias.	Livias; V. Betharan-Julias.		
		Livias, sive Julias Betamphta. V. Julias.				
	Lobna.			Lobna. Jud.		
(212) Lod B. *long. gr.* 67 13. *lat. gr.* 31. 42.						Lod B. l[…] *lat. gr.*
	Lod. V. Lydda.					
Lodabar Labathan. G. *long gr* 67. 34. *lat. gr.* 31. 17.	Lodebar.			Lodabar. G.		Lod ba[…] than. 67. 24
						Lodada[…] d.d.
	Lodebar. V. Lodabar.					
(213) Lodhadid *long. gr.* 67 12. *lat. gr.* 31. 37.						Lodadi[…] 66. 4[…]
				Lohna. V. Lobna.		
	Lokira. N.					
Loth Spelunca. V. Spelunca Loth.						
		Loti Spelunca. V. Spelunca Loth.				
			Lucus Ephraim. G.			
				Luith. V. Ascensus Luith.		
Luith ascensus. V. Ascensus Luith.		Luith. V. Ascensus Luith.	Luith. V. Ascensus Luith.			

(210) Acriter Clericus Sansonium corripit in voce *Hermon*, quòd in Indice non docuerit *Libanum* à Græcis *Anti-libanum* a[…] cùm semel in Tabula hoc prodiderit Sansonius majoribus characteribus; sibi in vitium vertat Clericus si Tabulam diligenter n[…] Resendur tamen & Calmetus *Libanum* ab *Antilibano* valle interjecta distinguunt. Quorum primus lib. 1 cap. 11 pag. 194 ex lib[…] Plinii quædam refert ex quibus unius ab altero discretio, ni fallimur, deduci posse videtur: *Calamus odoratus*, ait Plin. *in* [...] *communis Indis atque Syriæ est: in qua vincit omnes à nostro mari CL. stadiis, inter* Libanum *montem aliumque ignobilem*, non (*ut quidam* […] Antilibanum, *in convalle modica juxta lacum, cujus palustria æstate siccantur, tricenis ab eo stadiis calamus & juncus odorati gignuntur*, [...] omnino non rei quæstionem hanc existimat; inquit enim: *Scriptura autem hebraica utrumque montem* Libanum *dicit, tum eum* [...] *Plinio, Ptolemæo est* Antilibanus, *quam qui proprie vocatur* Libanus. Cæterùm ex Strabone *Libanus* mons prope Tripolim; *Antiliban*[…] donem appellatur. De *Libano* & *Antilibano* descriptionem accuratissimam novissimè tradit Dominus de la Roque in relatione su[…] montemque *Libanum* itineris edita Parisiis an. 1722. in qua præ cæteris duos distinctos sibique oppositos montes esse probat. Ju[…] tum apud Rueum ab Occidente in Orientem, apud Calmetum a Septentrione, apud Relandum verò potius ab Austro ad Se[…] extenduntur. Medium tenet Sansonius a Septentrione ad Orientem ea ducens.

(211) In Arabia Petræa eam constituit Cellarius extra Judæam.

(212) Cum *Lydda* confundunt *Lod* Cellarius & Relandus. At *Lydda* tum apud eos, tum apud Calmetum aberrat à loco *Lo*[…] Hic enim in Tribu Benjamin, ubi & Bonfrerius eum collocat, situs est ad Jordanem; *Lydda* verò non procul à mari magno [...] Tribu Ephraim.

(213) Apud unum Adrichomium & Sansonium reperitur, cique videtur suffragari Clerici silentium.

L M

CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Bethel-Luz. *lat. gr.* 32.' 20.	Luza, seu Lesa, sive Loussa. S.	Luza. co. Jud.	Bethel. B. *long. gr.* 66.' 10. *lat. g.* 31.' 58.	Luth ascensus. V. Ascensus Luith. Bethel, al Luza. R. *long. gr.* 68.' 17. *lat. gr.* 31.' 2.
	✠ Lycus, flu.			
Lydda - Diospolis. *lat. gr.* 32.' 19.	Lydda, sive Diospolis. E.	Lidda Diospolis. E.		
	Lysaniæ Abyla. V. Hoba.			
		Maacha Syriæ. V. Aram.		Maacha; V. Abel-maacha.
Maachati. V. Machati.				
	✠ MAACHATI.			
		MAARA Sidoniorũ. A.	MAARA Sidoniorũ. A. *long. gr* 65. 50. *lat. gr.* 34. 2.	MAARA Sidoniorũ. A. *long. gr.* 68. 49. *lat. gr.* 32.' 58.
	MACCATI. M.		MACHATI. M *long. gr* 67 ' 30. *lat. gr.* 34.' 00.	
Makeda, *lat g.* 32.' 2.	Maceda. Jud.	Maceda. Jud.	Maceda Regnum. Jud *long g* 65.' 38. *lat. gr.* 31.' 57.	Maceda. Jud *long. gr* 67.' 46. *lat. gr.* 32.' 4.
	Macelot, seu Mala... ... oo S.			
Machærus. *lat. gr.* 32.' 8.	Machærus. R	..chærus. R.		Machærus. R. *long. gr.* 68 ' 45. *lat. gr.* 30.' 40.
		Machanæ. R.		
			Machanaim. V. Mahanaim.	
		Machaneim. V. Mahaneim.		
			Machati. V. MACCATI.	
				Machati. M. *long. gr* 69.' 29. *lat. gr.* 32.' 26.
	Machma. B.	Machmas. B.		
				Machmad. V. Machmetad Aser.
		Machmas. V. Machma.		

Ma-

...uendo dissentiunt Relandus & Calmetus. Adseribit ille Regioni proximæ Ephraimiticæ haud longe a ...inibus Meridionalibus Judææ conterminis. Luzam Ephraimiticæ Tribus omnino reprobat Sansonius, ...uza dictam, & *Luz* a Relando nuncupatam in Palæstina admittis; nisi fortassis in Macedonia. Sed con... ad cap. 16. Jos. pag. 75. ad Orientem positam, *Luza* verò locum ad Occasum in finibus Ephraim & ... facta est apparitio. Ad cap. verò 1. Judic. pag. 133. optimè, ut & ex ipso textu apparet, *Luzam* aliam ...tendit; *Luza* enim simpliciter dicta ædificata fuit in terra Hetthim a Chananæo illo, qui filios Joseph ..., docuit. *Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. Nam cum obsiderent urbem, ...nem egredientem de Civitate, dixeruntque ad eum; ostende nobis introitum Civitatis, & faciemus tecum mise... ...serunt urbem in ore gladii; hominem autem illum, & omnem cognationem ejus dimiserunt. Qui dimissus abiit ...vitatem, vocavitque eam* Luzam: *quæ ita appellatur usque in præsentem diem*. habemus ex Judic. textu fu... *Hetthim* Macedoniam intelligat Sansonius, *Luzam* a *Bethel* diversam omnino admittere debet.

...s, & ferme litoralis in Ephraim Tribu; à Calmeto verò & Sansonio in eadem quidem Tribu retine... ...us Mediterranea.

...supra *Eleutheropolim* statuit; Rueus verò infra. Ille ex Euseb 8. mill. Orientem versùs ab *Eleutheropoli* ... non repugnat, nisi ad Austrum quoque vel Septentrionem versùs *Maceda* locanda sit, perspicuum fiat. ...itidem confluentes a Calmeto & Sansonio *Machærus* describitur; a Relando autem multo longiùs.

M

SANS	RELI	CELL	CALM	RUE.	RUE.	CAN
Machmas, int. Mechmas, & Machmas. E. long. gr. 66. 46. lat. g 31. '57.	Machmasch, & Michmasch, int. Machmas. latit. gr. 31. '59.		Machmeta. E.	Machmetat. E.	Machmetath. E. long. gr. 65. '47. lat. gr. 32. '13.	Machme gr. 68. 31. '10
				Machmerat. V. Machmas.		
Machmetad-Afer-machmad. M. long. gr. 66. 41. lat. gr. 32. 17.	Afer. lat. gr. 32. '32.		Afer. M.			Machma Mache gr. 64. 31. 33
					Machmetath. V. Machmas.	
	Machpela.	Macpelah. latit. gr. 31. '51.				
		Macpelah. V. Machpela.				
	Macuar.					
						Madian; nitis.
(218) Madian; R. long. gr. 67. 21. lat. gr. 31. '21.		Madian. latit. grad. 29. '46.	Madian. R.	Madian. d. Hieron. R.		Madian. 69. 2.
			Madianitæ. V. Madianitis.			
		MADIANITIS. lat. gr. 29. 00	MADIANITÆ. R.			MADIAI 68 00
	Madmanna. Jud.					
	Madmena. B.					
Madon. V. Abran, Abdon, Madon.				Madon. V. Abran, Abdon, Madon.		Madon.
					Madon, Regnum. Z. long. gr. 66. '00. lat. gr. 33. '2.	
	Maefaloth.					
				Magdal-fenin. V. Magdalfenna.		
	Magdala. V. Magdalum.	Magdala. V. Magdalum.	Magdala. V. Magdalum.			
				Magdalel. V. Magdalel-Horem.	Magdalel. V. Magdalel-Horem.	
Magdalel-Horem. N. long. gr. 67. 31. lat. gr. 32. 59.				Magdalel. N.	Magdalel. N. long gr 66. 35. lat. gr. 33. '10.	Magdalel. N long lat. gr.
(219) Magdalgad. Jud. long. gr. 66. '32. 1/2 lat. gr. 31. '32.					Migdalgad. D. long gr. 65. '14. lat. gr 31. 42.	Magdalga gr. 66. 30. '45.
				Magdalon. V. Magdalum.		
	Magdalfenna.			Magdal fenin. E.		
MAGDALUM.						
(220). Magdalum Z. long gr. 67 '30. lat. gr. 32. '38.	Magdala.	Magdala; latit. gr. 32. 57.	Magdala. N.	Magdalon. Z.		
	Magdiel. V. Mageddo.		Magdiel. V. Mageddo.			
Magedan. M. long. gr. 67. '54. lat. gr. 32. '32. 1/2			Majeddo, seu Magedan. M.			Magedan gr. 69 31. '44.
(221) Mageddo. M. long gr 66. 29. lat. gr. 32. 27.	Magdiel.		Mageddo, seu Magdiel. M.	Mageddo. M.	Mageddo, Regnum. M. long gr 65. '41. lat. gr. 32. '32.	Mageddo gr. 68. 32. '37.

(218) Nihil de hac Regia urbe habet Santonius in suo textu, in quo Regionem tantùm *Madian* describit. Nam tamen praeter commemorat etiam Bonfrerius, qui in hoc uno carpitur à Clerico, quòd non aptè addiderit textui Græco 'E·ἰς; cùm Hieronym quidem *Urbs unius principum*; at hoc græcè redditur πόλις ἀρχοντος. Verum hæc ad rem nostram non faciunt. Apud Calmetum ab sunte lambitur *Madian*, quæ longiùs certè ab eo describitur a Sanfonio.

(219) In Juda Tribu & Bonfrerius eam recenses.

(220) Quod in textu describitur sub long grad. 63. '30. latis. grad. 27. '25. est Ægypti urbs, ut ipsemet Sanfonius ait, non Palæ aut castellum in Tabula sub long grad. 67. 30. latit grad. 32. '38. delineatum. Castigat hic Sanfonium Clericus, *quia*, inquit, *vulgata vox hæc (Magdolum) præter morem declinatur, estque tantum in accusativo, posuit bonus vir* Magdolum *in recto; cùm debuisset scr* dolus; *nam Græci dicunt* Μάγδωλος. At Sanfonius neque in Tabula, neque in textu (quod & fortasse ne somniavit quidem) unqu. *Magdolum*, bene verò *Magdalum*: *Magdalus* autem Clerici in versione nostra, Bonfrerio teste, *Magdalum* redditur, uti *bonus* ille *vir* in textu appellavit explicans illum Ægypti locum, quem & Bonfrerius memoravit, & *bonus Clericus* in suæ ad Bonfrerium notis præterit; cùm in sua Tabula Sanfonius indices castellum Tribus Zabulonis. *Magdalum* Sanfonius ad superiores lacus Tiberiadis p fluvium quemdam anonymum locat: *Magdala* verò a Calmeto ad Jordanis è lacu Tiberiadis effluentes aquas collocatur; prope Ga tem a Cellario. Quare suspicamur *Magdalam* Calmeti locum esse diversum a Sanfonii *Magdalo*; quod a Cellario non memoratur, lem Magdalenæ patriam dicat, incongruum nimium dicta de *Magdalo* Sanfonii.

(221) Quæ Regia urbs est Sanfonio in Tribu Manasse, parvo signo indicatur à Calmeto: & sanè si *Mageddo* nunc & idem locu *Magdiel* hic e Relando vicus exiguus appellatur, & tamen a Calmeto in Jos. cap 12. pag. 56. & cap 5. Judic. pag 254. & iterum cap 23. pag. 658. semper urbs dicitur, & quidem in Issacharis sorte cessa Manassi, ubi para Sisaræ exercitus trucidatus fuit, & Juda interfectus, sive, ut ipse interpretatur, lethaliter vulneratus.

M

CELLI	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Mageddo Torr. E.		
		Mageth. M.		
				Mageth. G. *long.g.* 69. 25. *lat.g.*32.21.
Magnum Mare. V. Mare magnum.	Magnum Mare. V. Mare magnum.		Magna Sidon. V. Sidon.	
			Magnum Mare. V. Mare magnum.	Magnum Mare. V. Mare magnum.
Mahanaim. *lat. gr.* 32. '47.	Manaim. G.			
			Manaim, & Machanaim, Civ. Levit. G. *long. gr* 67. '19. *lat. gr.* 32. '38.	
	Majeddo. V. Magedan.			
		Major Cana. V. Cana.		
	Major Jordanes. V. Jordanis flu.			
			Majorcon. V. Mejercon.	
Portus Gazzorum. *lat gr.* 31. '30.		Gazæ Portus. S.		
Makeda. V. Maceda.				
Makhelata. eo.				
	Malatis. V. Molada.			
		Mamphis. Jud.		
Mamre. *lat.g.* 31. '53.				
Manah. eo.				
	Manaim. V. Mahanaim.		Manaim. V. Mahanaim.	
		Manasse. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.		
		Manasse. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.		
Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.			
Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.			

Ma-

uio. *Manaim, Mahanaim posterius nomen*, inquit Clericus, *est rectè scriptum, prius pravè. Nam hebraicè* …
, *duplicia castra. Nescio qui Samson & Labinus de Geographia Sacra scribere aggressi sint, cùm, præ imperitia*…
num à rectis secernere non possent. Temeritatem sane non excuset apud Lectores titulus honorificus Geographorum…
eres hisce de rebus in Gallia editos consuluerint, quod satis mirari non possum. Hactenus Clericus; injuria …
in hebraica lingua, hujus unicè callentissimus Clericus, accusare velit, in cujus Tabula non *Mahanaim*…
ùm, sed & in Jos cap. 15. pag 61. legitur; & in cap. 22. pag 96. *Manaim* replicatur.
…us, *in Tribu Ephraim, an vere?* Nemo sanè ex nostris hujus *Alenaeth* meminit, si Adrichomium excipi…
… appellata, atque in ea castrum fuisse fortissimum sub Ephraim monte situm haud longè a monte…

M

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
Manasse dimidia Tribus cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.					
					Manasse dimidia Tribus, & cis Jordaniana. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.
					Manasse dimidia Tribus, & trans Jordaniana V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.
Manasse dimidia Tribus trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.					
		Manasse Tribus dimidia. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Manasse Tribus dimidia. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.		
		Manasse Tribus dimidia. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Manasse Tribus dimidia. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.		
Manasse Tribus dimidia cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.					
					Manasse Tribus dimidia, & cis Jordaniana. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.
					Manasse Tribus dimidia, & trans Jordaniana. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.
Manasse Tribus dimidia trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.					
	Mandra.				
	Manginea.				
	Maniathe.				
	Manocho. Jud.				
(224) Maon. Jud long. gr. 66. 36. lat. gr. 32. 3.	Maon. Jud.	Maon. lat. gr. 32. 25.	Maon, sive Moconis. Jud.	Maon. Jud.	Maon. Jud. long. gr. 66. 4. lat. g. 32. 22.
		Maon Solitudo. V. Solitudo Maon.			
	Mapses.				
	Marala. V. Metala.				
	Maraphis.				
			Marathos. V. Raphanea.		
					Marcaloth. V. Bethmarcaboth.
					Mare Cenereth. V. Mare Galilææ.
			Mare Cinereth. V. Mare Galilææ.		

(224) In utraque Calmeti & Ruei Tabula locus hic Judæ Tribui, cum Sansonio, adscribitur; sed Rueus è Gaza seg ferme recta Orizontali Mari mortuo potius propiorem ponit; Calmetus verò Simeonis Tribui facit conterminum, & lon am in ultimis Australibus Palæstinæ finibus.

M

	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Mare deserti. V. Mare falsissimum.	
			Mare desertum. V. Mare falsissimum.		
is.	Lacus Genesareth. lat. g. 33. 00	Lacus Tiberiadis, seu Mare Cinereth.	Mare Genesareth, & Tiberiadis.	Mare Ceneroth. long. gr. 66.'15. lat. gr. 33.'10.	Mare Galilææ, sive Genesareth, & Tiberiadis. long. gr. 69.'2. lat. g. 32. 00.
			Mare Genesareth. V. Mare Galilææ.		Mare Genesareth. V. Mare Galilææ.
			Aquæ. G.		Mare-Jazer. G. long. gr. 69.'47. lat. gr. 31.'14.
nei 00	Mare Magnum, sive Mediterranei pars lat. gr. 34. 00	Mare Magnum, seu Mare Mediterraneum.	Mare Palæstinorum.	Mare Magnum. long. gr. 61. 00 latit. gr. 34. 00	Mare-Magnū, quod & Occidentale. long. gr. 63. 00 lat. gr. 33. 00
		Mare Mediterraneū. V. Mare Magnum.			
			Mare Mortuum. V Mare falsissimum.		
					Mare Occidentale. V. Mare-Magnum.
			Mare Palæstinorum. V. Mare Magnum.		
ce.	Asphaltites Lacus. lat. gr. 32. 00	Mare salsum, seu lacus Asphaltites.	Lacus Trifasphaltites, Mare desertum, seu Mare Mortuum.	Mare deserti, & Mare falsissimum. long. gr. 20. 31 lat. gr. 31.'50.	Mare Mortuum, jam Lacus Asphaltites long. gr. 68.'6. lat. gr. 30.'45.
		Mare salsum. V. Mare falsissimum.			
			Mare Tiberiadis. V. Mare Galilææ.		Mare Tiberiadis. V. Mare Galilææ.
& gr.		Maresa, seu Morasthi. 00. Jud.	Marisa. Jud.	Maresa. Jud. long. gr. 65.'31. lat. gr. 31.'36.	Maresa. Jud. long. gr. 67.'42. lat. gr. 30. 42.
Ma-					
				Mareth. Jud. long gr. 65.'48. lat. gr. 31.'32.	Marath. Jud. long. gr. 67.'57. lat. gr. 30.'57.
			Mariboth. Jud.		
			Maris lingua. V. Lingua Maris falsissimi.	Maris lingua V. Lingua Maris falsissimi.	Maris lingua falsissimi. V. Lingua Maris falsissimi.
				Maris lingua ad Aquilonem. V. Lingua Maris falsissimi.	
nel re					
					Maris falsissimi lingua. V. Lingua Maris falsissimi.
			Marisa. V. Maresa.		
esa.					
			. Marsaloth. Z.		
llis-	Masada. V. Collis-Hachila.				

Ma-

ud Rucum, Calmetum, Sansonium, ac Relandum penitus diversa. Admodum late cujusdam, ut ita tenditur; ad cujus mucronem nullus vicus oppidumve depingitur. In ea Calmeti, angusta initio appa- tà postea patet, tandem in culpidem terminat, non paucis vicis, atque nonnullis oppid s ornatam. In- gularium gibbosa Occidentem versùs, infra medium in acumen definit ceteris acutius, infraque illud ue vici Occidentem versùs inspiciuntur. In ea tandem Relandi primùm acuta est æqualiter potius tractu obtusum terminum habet; atque non infra modò, verùm & supra medium nihil præter asperrimos

io, ac Calmeto, quam tamen hic in Tabula nullo signo connotavit.

M

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
					Masal. V. Messal.
Masaloth. N. *long.* g. 67.' 37. ½ *lat. gr.* 32.' 59.					
Masepha. Jud. *long.* gr. 66.' 36. *lat. gr.* 31.' 33.	Maspha.		Maspha. Jud.		
Maserephot Aquae. V. Aquae Maserephot.					
				Maspha. V. Mesphe, & Masphat.	
	Maspha. V. Masepha.		Maspha. V. Masepha.	Maspha. V. Masepha.	
				Maspha. V. Mesphat.	
(227) Maspha, int. & Masphe. G. *long.* gr. 68.' 7. ½ *lat. gr.* 32.' 16.			Maspha Galaad. G.	Masphah in Galaad. G.	Masphe. G. *long.* g 67.' 10. *lat.* g 32. 21
Maspha Campus. V. Campus Maspha.					
				Masphah in Galaad. V. Maspha, & Masphe.	
Masphat. V. Masphe, & Masphat.					
					Masphat Terra. V. Campus Maspha.
Masphe. V. Maspha, & Masphe.					Masphe. V. Maspha, & Masphe.
		Massa. V. Raphedit.			
Massada. V. Collis Hachila.			Massada. V. Collis Hachila.	Massada. V. Collis Hachila.	
	d. Mathane. *lat. gr.* 31.' 50.				Mathna. R. *long gr.* 67.' 32. *lat* g 31.' 37.
					Mathna. V. Mathane.
	Maximianopolis. V. Adadremmon.		Maximianopolis. V. Adadremmon.		
	Mazaena.				
	Meallon. N.				
	* Meara.				
Mechmas. V. Machmas.	Mechanum.				
	Mechona. Jud.				
(228) Medaba. R. *long* gr 67. 42. *lat.* gr. 31.' 39.	Medaba, int. Medeba. *lat. gr.* 31. 52.	Medaba. *lat* g. 32.' 24.	Medaba. R.	Medaba, Medona, Ptol. R.	Medaba. R. *long gr.* 67.' 17. *lat.* g. 31. 47.
			Medan, seu Dalmanutha. V. Dalmanutha.		
Meddin. Jud. *long.* gr 66.' 52. *lat. gr.* 31.' 26.				Meddin. Jud.	Meddin. Jud. *long.* gr. 66.' 25. *lat. gr.* 31.' 48.
	Medeba. V. Medaba.				
Medemena, Bethmarcaboth S. *long.* gr 65.' 32. *lat. gr.* 31.' 27.	* Bethmarcavot. S.			Medemena. S.	Medemena. S. *long* gr. 65.' 12. *lat. gr.* 32.' 35.
	Mediterranei Maris pars. V. Mare Magnum.	Mediterranei Maris pars. V. Mare Magnum.			
			Mediterraneum Mare. V. Mare Magnum.		
				Medona. V. Medaba.	

(227) *Maspha, int. & Masphe*, è regione dimidii lateris Maris Tiberiadis in Rusi Tabula; at verò in ea Calmeti est supra Orizontali ad *Betsaidam* producta.

(228) Hanc Iscanus, de qua lib. 1. Machab. c. 9. v. 36 non sine labore sexto demum mense vi cepit, ut habet Josephus l de Bello.

M

CELLI	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Megiddo. *lat.g.*33.'4.				
				Mejarcon. D. *long. gr.* 67. 39. *lat. gr.* 31.'15.
				Mello. E *long. gr.* 68.'39. *lat.g.* 31.'10.
		Memnonis sep. Z.		Memnonis sepulcr. A. *long gr.* 68. 22. *lat. gr.* 32.'13.
	Mennit. V.Mennith.	Mennit. V.Mennith.		
Mennith. *latit. gr.* 32.'27.	Mennit. R.	Mennit. G.		Mennith. G. *long g.* 69.'56. *lat g* 32.'24.
			Mephaat, Civit. Levit. R. *long grad.* 67.' 6. *lat.g* 31.'53.	Mephaat. R. *long. gr.* 69. 44. *lat g* 30. 57.
		Merala. Z.	Merala. Z. *long. gr.* 65. 48. *lat.g.* 33. 00.	Merala. al. Meroth. Z. *long. gr.* 68. 14. *lat. gr.* 32.'10.
Meriba. V. Rephidim.				
				Meroh. A *long. gr.* 68.'35 *lat.g* 32. 16.
	Merom. V. Merome.			
	Merom Aquæ. V. Aquæ Merom.			
	. Merom. M.			
				Meron - Aquæ. V. Aquæ - Meron.
				Meroth. V. Merala.
		Mescha H. V. Ramech-Mescha.		
		. Maspha. B.	Mesphe. B. *long gr* 65. 56. *lat. g.* 31.'43.	Masphe, al. Masphu. B *long. gr* 67. 47. *lat. gr.* 31.'7.
		. Mesphat, Maspha. R.		
				Messada. Jud. *long. g.* 68. 6. *lat. g.* 30. 27.
		Messal. A.	Messal, seu Masal, Civ. Levit. A. *long. gr.* 66.'4. *lat gr.* 33.'11.	Messai. A. *long. gr* 68.'29. *lat. g.* 32. 10.
			Messerephot Aquæ. V. Aquæ Messerephot.	

MI-

hebraicum est מי הירקין *Me-hajarkon*. Ita legit & Relandus. Sed *Mejarcon* Bonfrerius.

nfrerius apud Sichimitas. Sansonius & Adrichomius in Ephraim Tribu collocant. Quapropter corri-
2.'57., quæ Tribui Aser responder, & reponenda latit. grad. 32.'57.
io.

c Aser Bonfrerius etiam interponit.

nem longitud. grad. 66.'42. $\frac{1}{2}$ latit. grad. 32.'54. Sansonius adscribit *Merale*, & *Meroth*. Sed *Meralam* fi-
nare: *Meroth* verò vicum, quem in textu prætefit, recenset cum Adrichomio in Aser Tribu.
Tribu Benjamin. Mutetur ergo in textu longitudo grad. 66.'35 latit. grad. 31.'32. nam sic ad tertiam
long t. grad. 66.'16. latit. grad. 31.'58. ut ipsa in Tabula cernitur.
Levitica.

M

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CA…
			Metallaphauon. V. Phanon.			
	Metopa;					
	Metrocomia.					
	Metropolis Arabiæ Petrææ. V. Petra.					
	Metropolis Palæstinæ tertiæ. V. Petra.					
	Metropolis Petrææ Arabiæ. V. Petra					
	Metropolis tertiæ Palæstinæ. V. Petra.					
	Mezohecha.					
	Mia.					
	Michmasch. V. Machmas.					
	Michmetad. M.					
	* Midlin. Jud.					
	* Migdal-Eder.					
	Migdal El. N.					
	* Migdal Gad. Jud.					
	Migdal-Zebaja.					
	Migron. B.					
	Minnith. V. Mennith.					
	Minois.					
				Minor Cana. V. Cana-Galilææ.		
			Minor Jordanes. V. Jordanis flu.			
	Mischal. A.					
MISOR solitudo. R. *long. gr.* 67. 45. *lat. gr.* 31. 42.½						
		Mitka. oo.				
	Mitzpa. B.					
	Mitzpe. Jud.					
		Mizpa. *lat. g.* 32.' 40.				
		Mizfa. *lat. g.* 32.' 14.				
MOAB. *long. grad.* 66. 00. *lat. g.* 31. 30.	PRISCÆ Sedes Moabitarum. *lat. gr.* 31. 00	MOABITIS. *lat. gr.* 31. 00	MOABITÆ.	MOABITÆ.	MOABITÆ. *long g.* 67. 00 *lat. g.* 31. 00	MOAB… REG… *g.* 68. …
		Moab Campestria. V. Campestria Moab.	Moab Campestria. V. Campestria Moab.			
					Moab. V. Ramoth-Moab.	
			Moabitæ. V. Moab.	Moabitæ. V Moab.		
				MOABITÆ ARABES.		
	Moabitarum priscæ Sedes. V. Moab.					
						Moabit… V. …
	Moabitarum Sedes priscæ. V. Moab.					
		Moabitis. V. Moab.				
	Moba. V. Areopolis.					
			Moconis. V. Maon.			Moddin

M

	CELA.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		. Modin . D.	Modin . D.		Moddin . D. *long. g.* 67.' 40. *lat g.* 30.' 59.
					Mojarcon . V. Mejercon .
Iula- . *gr.*		. Molada, seu Molata . S.	. Molada . S.	Molada . S. *long gr.* 65.' 9. *lat. g.* 31. 34.	Molada . S. *long gr.* 67.' 5. *lat. g.* 30.' 41.
		Molata . V. Molada .			
			. Monfort-Hod . A.		
			Mons Alsidamus. V. Mons Hermon .		
			Mons alter Carmelus . V. Mons Carmelus .		
					Amana Mons . M. *long. gr.* 69.' 30. *lat. gr.* 32. '40.
				Arnon Mons . G. *long. gr.* 68.' 00. *lat. gr.* 32. '26.	Mons Arnon . *long. gr.* 69. '50. *lat. gr.* 31. '20.
			M. Baalad . V. Baala M.		
				M. Baalgath. V. Hermon M.	
					M. Bala . V. Baala M.
			M. Boel . V. Boel M.		
					M. Calvaria . V. Calvaria M.
V.	M. Carmelus ; V. Carmelus M.	M. Carmelus . V. Carmelus M.	M. Carmelus . V. Carmelus M.	Mons Carmelus . V. Carmelus M.	
		Mons Carmelus . M.	Carmelus Mons .		
			M. Carmelus . V. Mons Carmelus .		
			M. Carmelus alter . V. M. Carmelus .		
	M. Casius ; V. Casius Mons .	Mons Casius . V. Casius Mons .			
		✠ Mons Casius .			
. *lat.*				Mons Cassius . V. Casius Mons .	
					Mons Christi . N. *long. gr.* 69.' 10. *lat. gr.* 32. '1.
. M.	M. Ebal . V. M. Pisc.				
				Mons Ephraim . V. Mons Pisc.	
				Mons Ephron . Jud. *long gr* 65. 59 *lat. gr.* 31. '41.	Mons - Ephron . B *long gr.* 67.' 57. *lat. gr.* 31. '2.
				M. Gaas. V. Gaas M.	
			M. Galaad . V. Galaad . M.		Mons - Galaad . V. Galaad M.
	M. Garizim . V. Garizim M.	M. Garisim ; V. Garizim M.			
		M. Gelboe . V. Gelboe M.			

M. He-

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	M. Gerizim. V. Garizim M.				
				M. Halaach. V. Halaach M.	
M. Hebal. V. Hebal M.			M. Hebal. V. Hebal M.		
					Mons Hermon, qui & Baalgad. M. *long. gr. 67.' 14. lat. gr.* 33.' 32.
M. Hermon. V. Hermon M.	M. Hermon. V. Hermon M.	M. Hermon. V. Hermon M.	M. Hermon. V. Hermon M.	M. Hermon. V. Hermon M.	
			M. Hermon. V. Hermon M.		
M. Hermon, & Sanir. V. Hermon M., & Sanir.			M. Hermon. V. Hermon M., & Sanir.	M. Hermon. V. Hermon M., & Sanir.	M. Hermon. V. Hermon M., & Sanir.
M. Hermoniem. V. Hermonium M.					
		M. Hor. V. Hor M			
		M. Horeb. V. Horeb M.			
		M. Itabyrius. V. Itabyrius M.			
					Mons Judæ. Jud. *long. gr. 65.' 52. lat. gr.* 31.' 37.
M. Larin. V. Larin M.					
M. Libanus. V. Libanus M.					Mons Libanus. V. Libanus M.
M. Nebo. V. Nebo M.		M. Nebo. V. Nebo M.			
					Mons Nephtali. N. *long gr. 66.' 33. lat. gr.* 33.' 30.
				M. Olivetus. V. Olivetus M.	
			(136) ✠ Mons Paneus.		
M. Phasga. R. *long. gr.* 67.' 27.½ *lat. gr.* 31.' 31.		Pisga Mons. *lat. gr.* 32.' 15.			
			M. Phegor. V. Phegor M.		
M. Phogor. V. Phogor M.					
Mons Pisc. E. *long gr.* 66.' 53. *lat. gr.* 32.' 6.	Mons Ebal.	M. Ebal.			Mons Ephraim. E. *long gr. 65. 45. lat. gr.* 32.' 15.
		M. Pisga. V. Mons Phaige.			
					Mons, qui ascendit in Seir. V. Montes Seir.
M. Sanir. V. Hermon M., & Sanir.					M. Sanir. V. Hermon M., & Sanir.
					M. Sarion. V. Hermon M., & Sanir.
M. Saron. V. Saron M.			M. Saron. V. Saron M.		
		M. Seir. V. Hermon M.		M. Seir. V. Hermon M.	
		Mons Seir. V. Montes Seir.			
M. Selmon. E. *long. gr.* 66.' 59. *lat. gr.* 32.' 10.					

(136) Miratur Clericus, quòd Montem Oliveti Sanfonius prætererit, cùm tamen Montis hujus nec in Relandi, nec in Calmeti, neque in Amstelodamensi Ruei Tabulis vestigium ullum appareat.

M

	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Semeron M.		Mons-Semeron. E long gr. 68. 26. lat. gr. 31. 21.
	M. Sepher. V. Sepher M.				
			M. Seron. V. Saron M.		
	M. Sinai. V. Sinai M.				
			M. Tabor. V. M Thabor.		
at. gr.	Thabor Mons. lat. gr. 33.' 9.		Tabor Mons.		Mons-Thabor. Z long gr. 68.' 32. lat. gr. 31.' 52.
				Mons Zared. V. Zared Mons.	
. Ziph					
			Monspisgo. R.		
mmo-lom.			Montana Ituræorū. V. Hermon M.		
			MONTANA JUDA. Jud.		
		Montes. Jud.	Montes.		
	Montes Abarim. V. Abarim Montes.				
			Montes Engaddi. Jud.		
		Montes Galaad. G.			
			Montes Gelboe. V. Gelboe Mons.		
				Montes saltuum. V. Montes Seir.	
	Mons Seir. lat. gr. 30.' 55.	Montes Seir. Jud.		Mons, qui ascendit in Seir Jud. long. gr. 66.' 31. lat. gr. 31.' 16.	
		Montes Seir, seu Idumæa vetus. R.		Montes saltuum, seu sylvarum R. long gr. 67.' 00. lat. gr. 31.' 18.	
				Montes sylvarum V. Montes Seir, seu Idumæa vetus.	
		(a37) ⊕ Montes Tracones Strabonis.	Tracones Colles Strabonis.		
			Monumentum Caleb. Jud.		
					Morasthi. Jud. long gr. 67.' 45. lat. gr. 30.' 54.
chem.		Morasthi. V. Maresa.			
			Mortuum Mare. V. Mare salsissimum.		Mortuum Mare. V Mare salsissimum.
	Moseret. oo.				
			Munimentum Batyra. V. Bathura.		

Nas.

se se Rueus & Calmetus in designandis iis Montibus, qui a Strabone Tracones appellantur. Calmetus enim us verò longè infra eam eosdem collocat. Reliquos autem innumeros Montes in Tabulis memoratos (idem atur inter se se comparare.

N

SANS.	REL.	CELD.	CALM.	RUE.	RUE.
(238) Naa. Z. *long. gr.* 67. 21. *lat. gr.* 32.'46.					
Naalol. V. Caeth-Naalol.					
					Naalol, Civit. Lev. Z. *long. gr.* 66. 00. *lat gr.* 33.'2.
Naama. Jud. *long. g.* 66.' 22. ½ *lat. gr.* 31.'52.	* Naama. Jud.			. Naama. E.	Naama D. *long. gr.* 65. 46. *lat. g.* 31. 55.
Naamath. M. *long. gr.* 68.'6. *lat. gr.* 33.'7.					
			Naar-at, seu Naaroth. B.		
	* Naaran. E.				
(239) Naaratha. E. *long. gr* 67.' 17. *lat. gr.* 31.'51.	* Naaratha. E.		Hoorah, seu Naaratha. E.	Noarathat. E.	Naaratha. E. oo.
			Naaroth. V. Naar-at.		
Naason. N *long. g.* 67.' 17. ½ *latit. gr.* 32.'51.				Naasson. Z.	
				Naasson. V. Naason.	
				Naasson. E.	
	Nabalu.				
	Nabaea.				
			Nabata. V. Nabatha.		
. Nabatha. G. *long. gr.* 67. 53. *lat. gr.* 31. 46.			. Nabata. M.		
	Nabau.				
			Nabo. Jud.		
Nabo, Nebo.	* Nebo. R.				
Naboth vinea. V. Vinea Naboth.				Nabolla. R.	
	Naepapha.				
	Nahalal. Z.				
				. Nahaliel. R.	
				Naid. V. Caanin.	
. Naim. Is. *long gr* 66. 47. *lat. g.* 32. 39.	Nain. *lat. g* 32.' 37	Naim. *lat. gr.* 33.' 4.	. Naim. Is.	. Nain. Is.	
	Nain. V. Naim.			Nain. V. Naim.	
	Najot. V Najoth.				
(240) Najoth E. *long gr.* 66.' 51. *lat. gr.* 31.'51.	Najot, Nota, & Rama.			Najoth. B.	
	Nais.				
	Naphat-Dor.	Nephet. *lat g.* 32.'52.	Nephet-Dor, seu Regio Dor. M.	Nephat-Dor. M.	
		Naphtalim. V. Tribus Nephtalim.			
	Narbata. V. Narbatha.				

(238) *Naa*, aliàs in Tribu Zabulon. Obelo jugulavimus, quòd neque Sansonius ipse, neque ceteri Scriptores locum hunc
(239) In limite Orientali Tribus Ephraim jacet, propria cujus graduatio non est latit. grad. 32.' 51., qualis in textu exit grad 31.' 51. confundebatur cum *Noara*, verùm hanc vocem, cùm ignota sit Scriptoribus, Tabulâ abrasimus.
(240) Urbs in *Ramatha*, ut & Calmetus ad 1. Reg cap. 19. pag. 341. docet, ad sortem Ephraimiticæ Tribus spectans. Hic in textu est ejus latit. grad. 32.' 51. cui assignabis latit. grad. 31.' 51.

N

CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		. Narbatha. M.		Narbatha. M *long. gr.* 67.' 59. *lat. gr.* 31.' 44.
		NARBATHENA. M.		
	Nasib. D.			
	Nauplousa. V. Sichem, q. & Neapolis.			
. Nazareth. *latit. gr.* 31. 6.	. Nazareth. Z.	Nazareth. Z.		Nazareth. Z. *long. gr.* 68.' 24. *lat. gr.* 31.' 55.
. Neapolis. V. Sichem, q. & Neapolis.		Neapolis. V. Sichem, q. & Neapolis.		
	Neba. V. Nebo.			
	⊕ Neber - ilmelec flu.			
				Nebo. V. Nabo.
	Neba. R.	. Nebo. R.	Nebo. R. *long. gr.* 66.' 49. *lat. g.* 31.' 54.	
. Nebo. M. *latit. gr.* 32.' 15.	Nebo M. R.			
		Nebsan. Jud.	Nebsan. Jud. *long. gr.* 66.' 30. *lat. gr.* 32.' 34.	Nebsan. Jud *long. gr.* 68. 19. *lat. gr.* 30.' 30.
				Neceb. V. Adami.
				Neel-Escol. V. Nehel-Escol.
				Neel-Escol flu. Jud. *long. gr.* 67.' 40. *lat. gr.* 30.' 53.
		Nehjal. V. Nehjel.		
		Nehial. A.	Nehiel. A. *long. gr.* 66.' 19. *lat g.* 33.' 33.	Nehiel. A. *long. gr.* 68.' 46. *lat. g.* 32.' 12.
		Nelaza. M.		
		Nemra. V. Beth-nemra.		
	Nemrim. R.			
	Nemrim - Aquæ. V. Aquæ - Nemrim.	Nemrim - Aquæ. V. Aquæ - Nemrim.	Nemrim - Aquæ. V. Aquæ - Nemrim.	
		Nephat-Dor. V. Naphat - Dor.		
		Nephat - Nobe. B.	Nepher. B. *long. gr.* 65.' 49. *lat g.* 31.' 58.	
			Nepher. V. Nephat-Nobe.	
Nephet. V. Naphat-Dor.				
	Nephet-Dor. V. Naphat-Dor.			

Ne-

m esse docet Sansonius, sed Adrichomius, & singillatim Relandus etiam Urbibus accenset. Hic enim
s 60. stadiis à Cæsarea, unde toparchia Narbatene *nomen accepit*. Quare urbis signum ei in Tabula appo-

u Sansonius.
is hic.

N

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	Nephis.				
			Nephtali. V. Nephtalim.	Nephtali. V. Nephtalim.	
			Nephtali Tribus. V. Tribus Nephtalim.		Nephtali Tribus. V. Tribus Nephtalim.
					Nephtali Mons. V. Mons Nephtali.
Nephtalim Tribus. V. Tribus Nephtalim.				Nephtalim Tribus. V. Tribus Nephtalim.	
Nephtalim. N. *long. gr.* 67.' 29. *lat. gr.* 32.' 49.			Nephtali. N.	Nephtali. Z.	
					Nephtoa Fons. V. Neptoa Torr.
	Nephtoach. Jud.				
				Neptoa Torr. B.	Nephtoa Fons. Jud. *long. gr.* 65.' 53. *lat. gr.* 31.' 41.
					Nereb. V. Adami.
(244) Nesib. Jud. *long. gr.* 66.' 17. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 25.	* Netzib. Jud. *lat. gr.* 31.' 49.				Nesib. Jud. *long. gr.* 65.' 33. *lat. g.* 31.' 32.
	Netopha. V. Netophati.				
(245). Netophati. Jud. *long. g* 66.' 53. *lat. gr.* 31.' 31.	Netopha.			. Netophati. Jud.	
	Netzib. V. Nesib.				
	Neve.			Neve. M.	
			Neve. V. Canath.		
	* Nibschan. Jud.				
	Nicopolis. V. Emmaus.	Nicopolis. V. Emmaus.	Nicopolis. V. Emmaus.		
			† Nilus, seu flu. Ægypti.		
	Nimra. V. Bethnemra.				
Noa.				. Noa. Z.	Noa Z. *long. g* 66.' 27. *lat. gr.* 33.' 14.
				Noarathat. V. Naarata.	
Nob. V. Anathot-Nob.	Nob. V. Anathot-Nob.				
	Nobach.				
Nobe. V. Anathot-Nob.			Nobe. B.	Nobe. V. Anathot-Nob.	
Nobe. V. Canar.			Nobe. V. Canar.	Nobe. V. Astharoth.	
	Nomba.				
Nophet.					

(244) Urbs est in quarta parte Judaicæ Tribus inter *Esnam*, & *Ceilam*. Nimia hujus in textu lat. gr. 32.' 25. uno integro gra

(245) Locum esse negat Clericus, sed loci incolas designare. Locum tamen esse Tribus Judæ Adrichomius & Bonfrerius Ruæus Tabulæ suæ adjecit. A Relando quidem scribitur *Netopha* נטפה estque *Urbs memorata inter Bethlehem, & Anatot*. I situ non multùm abest *Netophati* positio Sansoniana.

O

CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Nova-Afor. V. Baloth-Afor.	Nova-Afor. V. Baloth-Afor.	Nova-Afor. V. Baloth-Afor.
	Oboda. V. Oboth.			
	† Oboda, Eboda, seu Oboth.			
OBOTH. *lat g.* 30.$\frac{00}{}$				
				Occidentale-Mare V. Mare-Magnum.
Odolla. V. Odollam.				
Adallam, seu Odolla. *lat. gr.* 31.' 57.	Odollam. Jud.	Odollam-Eglon. Jud	Odollam, & Eglon Reg. Jud. *long gr.* 65. 48. *lat g.* 31.' 35.	Odullam-Socho Jud. *long gr* 67. 41. *lat. gr.* 30.' 52.
				Odullam. V. Odollam.
		Olivetus Mons. B.		
		Olon. V. Holon.		Olon. V. Holon.
	. Ono. E.			Ono. B *long g* 68.' 9. *lat gr.* 30.' 46.
		Ophera. B.	Ophera. B. *long gr.* 66. 18. *lat g* 31. 56.	Ophera. B *long gr.* 68 27 *lat g* 30. 30
			Ophni. B. *long gr.* 66. 14. *lat. g* 31.' 53.	Ophni. B. *long gr* 68.' 20. *lat g* 30 33
				Oreb. V. Petra Oreb
			ORIENTALIS PLAGA excepta. *long gr.* 68.$\frac{00}{}$ *lat. gr.* 33.$\frac{00}{}$	
		Ornychompolis. A.		
	. Oronaim. R.			
	✠ Orontes, flu.			
	✠. Orthosia.			
				Ostracena. V. Ostracine.

Ozen-

tionem tantùm Ifraelitarum appellat. Calmetus verò Urbem fatis grandem in ultimis finibus Meridio- Reg. cap. 28 pag. 369. docet vocem *Oboth* hebraicè fæpius fignificare *utrem*, vel *faccum è corio*, ubi h-

.egiam effe contendit Sanfonius; at vicum dumtaxat prægrandem appellat Eufebius apud Relandum.; *Ἀδολλὰμ κώμη*.

r à Sanfonio; at longè ab ea à Calmeto, qui locum hunc ferè in totius Mediterranei fpatii umbilico nftituit; & fortè non fine fundamento; cùm & Relandus afferat Urbem hanc tribus tantum milliar. a de fitu noftri univerfim non conveniant, Tabulam maluimus intactam.

differentia. Sanfonius locum hunc fupra Torrentem *Arnon* ad non paucas leucas affignat; Calmetus is milliaribus infra eumdem fluvium depingit pæne ad lacus Alphaltites fines. Relandus urbem *Ha-*

OP

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
			Ostracina. V. Ostracine.		Ostracina. V. Ostracine.
		Ostracine. latit. gr. 31.'4.	. Ostracina. S.		Ostracina. long. gr. 63.'58. lat. g. 31.24.
	Oulatha.				
(251) Ozen-fara, int. & Ozen-zara. E. long. gr. 66.'27.$\frac{1}{6}$ lat. gr. 32.'6.					
Ozen-zara. V. Ozen-fara.					
		Palæstinæ Cæsarea V. Turris Stratonis.	Palæstinæ Cæsarea. V. Turris Stratonis.	Palæstinæ Cæsarea. V. Turris Stratonis.	
	Palæstinæ tertiæ Metropolis. V. Petra.				
				Palæstinorum Mare. V. Mare Magnum.	
	Palætyrus. V. Tyrus-antiqua.	Palætyrus. V. Tyrus-antiqua.	Palætyrus. V. Tyrus-antiqua.	Palætyrus. V. Tyrus-antiqua.	
	Palandresin.				
Palma Debboræ. V. Debboræ Palma.					
Palmyra.	Palmyra.				
	Palus Cendevia.				
			Lacus Cendevia. Z.	Cendevia Palus. Z.	
			✠ Paltos.		
			Palus Sirbonis. V. Sirbonis Palus.		
Paneas. V. Dan.	Paneus. V. Dan.	Paneas. V. Dan.	Paneas. V. Dan.		
			Paneus Mons. V. Mons-Paneus.		
Paniam Antrum N. long. gr. 67.'45. lat. gr. 33.'27.$\frac{1}{6}$					
	Paphta.				
	* Para.				
		PARAN. lat. g 31.$\frac{00}{}$			
	Parembolæ.				
	d. Paria. lat. g 32.'7				
					Pars Ægypti: V. Ægypti pars.
	Pars Arabiæ. V Arabia.				
				Pars Deserti Septentrionalis. V. Haecsi.	
	Pars Elanitici Sinus. V. Sinus Elanitici pars.				
				Pars Idumææ. V. Idumæi.	
				Pars inferior transitus Emath. V. Introitus in Emath.	
	Pars Libani. V. Libanus Mons.	Pars Libani. V. Libanus Mons.			
	Pars Maris Mediterranei. V. Mare Magnum.				
		Pars Mediterranei. V. Mare Magnum.			
	Pars Mediterranei Maris. V. Mare-Magnum.				

(251) Unicè *Ofen fara* vult legi Clericus; quia nomen *mulieris, à qua oppidum conditum fuit, erat hebraicè* שארה *Sheer.* *& Z sint litera ...., præsertim in lingua Gallica non sunt miscendæ*. Hactenus putaveram Sansonium latinè, non gallicè, scrip

P

REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Pars Septentrionalis Deserti. V. Haceft.		
rs Sinus Elanitici. V. Sinus Elanitici pars.					
s Dammim.			.Paselis.		
		Patria Jobi. V. Terra Hus.			
	Pavol. *lat.g.*32.'43.				
lla.	Pella. *lat.g.*33.'0.	Pella. G.	Pella-Butsifdion. M.		Pella. M. *long. gr.* 69.'53. *lat.g.*32.'42.
		† Pelusium, seu Damieta. oo.			
ntacomia.					
nuel. V. Phanuel.					
ERÆA. *lat.g.*32.00			PEREA.		
					Peræa. V. Ituræa.
			Perea. V. Peræa.		
creche.					
			Peregrinorum Castrum. V. Castrum Peregrinorum.		
	Perez. V. Rimon-Perez.				
			Petra-Amasiæ. V. Petra Jecteel.		
					Petra Deserti. V. Petra Divisionis.
					Petra Divisionis, seu Petra Deserti Jud. *long. gr.* 67.'55. *lat. gr.* 30.'15.
			Jecteele, seu Petra-Amasiæ.		
etra Metropolis Arabiæ Petrææ, & deinde Palæstinæ tertiæ. *latit. gr.* 30.'34.	Petra, Arce. *lat. gr.* 30.'27.	† Petra, seu Jectael, vel Arce, sive Rekem.			
reb.					Petra-Oreb. E *long. gr.* 68.'51. *lat. gr.* 31.'10.
					Petra-Remmon. V. Remmon, vel Remmon-Petra.
			Petrææ Arabiæ Legiu. V. Bozra.		
etrææ Arabiæ Metropolis. V. Petra.					
haeno.					
		† Phanon, seu Metallophanon.			
hanuel, int. & Penuel. G.		.Phanuel. G.	.Phanuel. G.		Phanuel. G. *long. g.* 69. 14. *lat. g* 32. 31.
					Phanuel. E. *long g.* 68. 18. *lat g.* 32. 22.

Pha-

ad positus à Calmeto trans Torrentem Jabok longè à Mari. Sansonius & Rucus adscribunt Manassæ Tribui; & hic dam anonymi ramum non procul a Mari.
s Ephraim Tribu, pro latit. grad. 31. malè in textu deprompta; eam corrigendam censuimus in latit. grad. 32.
tem Jabok in Tribu Gad.
ne, cujus Adrichomius meminit, & spectat in Tabula ad Tribum Ephraim, rejicit Bonfrerius, prætereuntque Sanso- ceteri; quare eumdem non dubitavimus expungere.

P

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	
	Phaora.					
		Phara. *lat. gr.* 29.'45.				
Pharan.	Pharan.		. Pharan. Jud.			
Pharanx Antiochi. V. Antiochi Pharanx.						Ph
	Pharato.					
.Pharaton. E *long. gr* 66. 47. *lat. gr.* 32. 12.	Pharatos. E.			.Pharaton. E.		Ph
	Pharatos. V. Pharaton.					
	Phasælis. V. Phaselum.	Phaselis. V. Phaselum.				
				Phaselis. V. Phaselum.		
(256) Phaselum. E *long gr* 67.'11. *lat. gr.* 31.'52.	Phasælis.	Phasælis. *lat. g.* 32.'15.	. Phazelum. E.	Phaselis. M.		Ph
						Ph
Phasga. V. Asedoth.			Phasga. V. Asedoth.		Phasga. V. Asedoth	Ph
Phasga M. V. M. Phasga.						
	Phatura.					
				Phaura. V. Phogor.		
			Phazelum. V. Phaselum.			
			Phegor M. V. Phogor M.			
Phiala F. M *long. gr.* 67.'52. *lat. gr.* 33. 24.	Lacus Phiala verus fons Jordanis. *lat. gr.* 33.'30.	Phiala Lacus. *latit. gr.* 33.'2.	Phiala fons Jordanis. M.			Phi
Philadelphia. V. Rabba.		Philadelphia. V. Rabba.	Philadelphia. V. Rabba.	Philadelphia. V. Rabba.		
Philippi Cæsarea. V Dan, al. Lais.	Philippi Cæsarea. V. Dan, al. Lais.	Philippi Cæsarea. V. Dan, al. Lais.	Philippi Cæsarea. V. Dan, al. Lais.	Philippi Cæsarea. V. Dan, al. Lais.		Phi
		Philistæi. V. Satrapiæ Philistinorum.	Philistæi. V. Satrapiæ Philistinorum.			
				Philistini. V. Satrapiæ Philistinorum.		
Philistinorum Satrapiæ V. Satrapiæ Philistinorum						
	Philoteria.					
						Phi V
Phison flu.						
(257) PHOENICE. *long. gr.* 67. $\frac{00}{-}$ *lat. gr.* 33. $\frac{00}{-}$			PHOENICII. A.			
			Phœnicii. V. Phœnice.			
	Phogor. Jud.			. Phogor. Phaura. Jud.		
Phogor M. R. *long. gr.* 67.'27. *lat. gr.* 31. 35.			M. Phegor. R.			Pho gr 3
		PHUNON.				
	Pira.					
	* Pirathon. E.					
Pisc. M. V. M. Pisc.						
		Pisga M. V. M. Phasga.				
					Plaga Orientalis. V. Orientalis Plaga.	

(256) Ab Adrichomio in Tribu Ephraim collocatur, sicut & à Calmeto, & Sansonio, & ab hoc equidem ad Torrentem ... git igitur grad 67.'31., & latit. grad 32.'51. trahatur ad longit. grad. 67.'11., & latit. grad. 31.'51. Cellarius in vertice C... erigit *Phaselum*.

(257) Calmeti *Phœnicii* dissita longè loca à *Phœnice* Sansonii.

P

REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Planities Libani. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.			
		PLANITIES SARONÆ. A.			
Platane.		Plinii Betucini. V. Tichon.			
	Pompeji Tumulus. *lat. gr.* 32.' 2.				
		Pons Jacob. M.			
			Caiphas Porphirion. E.		
Porphireon.					
			Porphirion. V. Porphireon.		
			Portus Gazæ. V. Majumas.		
Portus Gazæorum. V. Majumas.	Portus Gazæorum. V. Majumas.				
			Portus Jammia. V. Jabucel.		
			Portus Raphia. V. Raphia Portus.		
			Portus Sebastes. V. Turris Stratonis.		
		⊕ Posidium.			
			Prima Colonia Flavia. V. Turris Stratonis.		
			Prima Flavia Colonia V. Turris Stratonis.		
Priscæ Moabitarum Sedes. V. Moab.					
Priscæ Sedes Moabitarum. V. Moab.					
		Promontorium Album. A.	Album Promontorium. A.		
			Promontorium Album. V. Promontorium Abum.		
			Promontorium Banla. V. Baala Promontorium.		
					Prophetarum-Mons. V. Mons Propetarum.
		Pseudo-Eleutherus flu. V. Eleutherus falsus.			
Ptolemaidis Campus. V. Campus Ptolemaidis.					
Ptolemais. V. Achsaph, Acco, &c.	Ptolemais. V. Achsaph, Acco, &c.	Ptolemais. V. Achsaph, Acco, &c.	Ptolemais. V. Achsaph, Acco, &c.		Ptolemais. V. Achsaph.
Aquarum viventiũ Puteus.					Puteus aquarum viventium. A *long. gr.* 68.' 24. *lat. gr.* 32.' 36.
			Puteus Jacob. E.		
			Puteus viventis Jud.		
			Puteus viventis. V. Puteus videntis.		

QUA-

xtus longit. grad. 66.' 52. $\frac{1}{2}$ nam sic extra Tabulam incideret, & repone longit. grad. 66.' 59.

Q R

SANS.	BEL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CA
QUARANTANA. *long. gr* 67. 00. *lat. gr.* 31. 28.						
(259) Quercus. E. *long. gr.* 66. 49. *lat. gr.* 32. 9.						
(260) Quercus Basan. M. *long. gr.* 68. 1. *lat. gr.* 32. 35.						Querc *long. gr.* 3
Quercus fletus.						
				. Rabasaulae. E.		
			Rabathmoab. V. Areopolis.	Rabathmoab, Rabat'mon. V. Areopolis.	Rabbath-Ammon. G. *long gr.* 67. 33. *lat. gr.* 32. 18.	
				Rabathmon. V. Areopolis.		
	Rabba. Jud.					
Rabba, int. post Philadelphia. G. *long. gr.* 68. 8. *lat. gr.* 32. 20.		Rabba, l. Philadelphia. *lat. g.* 32. 48.	Philadelphia, seu Ammana, vel Rabbat-Ammon. G.	Rabbat Ammon, & Philadelphia. G.	Rabbath-Ammon. V. Rabba.	Rabba. 69. 54
			Rabbat-Ammon. V. Rabba.	Rabbat Ammon. V. Rabba.		
	Rabbat-moba. V. Areopolis.					
				Rabbath. V. Rabboth.	Rabbath. V. Rabboth.	
					Rabbath-Moab. V. Areopolis.	
	Rabbit. Is.					
					Rabbith, & Harabit. Is *long. gr.* 65. 57. *lat. g* 32. 58.	
					Rabbith. V. Rabbit.	
Rabboth. Is. *long gr.* 67. 12. ½ *latit. gr.* 32. 28.				. Rabbath. Is.	Rabbath. Is. *long gr.* 66. 1. *lat. g.* 32. 51.	Raboth. 68 43
				Rablath. N.		
	Raccath. N.					Raboth. both.
	* Raccon. D.					
	* Rachal. Jud.			Rachal. Jud.		
Rachelis Sepulcrū V. Sepulcrum Rachelis.			Rachelis Sepulcrū. V. Sepulcrum Rachelis.			
	Ragab. V. Ragaba					
. Ragaba. M *long gr.* 67. 57. *lat gr.* 32. 12.	Ragab.		. Argob, seu Ragaba, vel Ergata.			Ragaba. 69. 33.
(261) Rama. B *long gr.* 66. 41. *lat. gr.* 31. 47.	Rama. B. *latit. gr.* 31. 58.	Rama. *lat. gr.* 32. 7.	. Rama. B.	Rama Benjamin. B.	Rama. B. *long. gr* 66. 6. *lat. g.* 31. 55.	Rama. B 68. 11.
	Rama. N.					
	Rama. A.					
	Rama. E.					
			Rama. Jud.	Rama. Jud.		
				Rama. Z.		
	Rama, int. & Ramola. V. Arimathaea.					
				Rama Benjamin. V. Rama.		
(262) Ramath. S. *long gr.* 65. 12. *lat.* 31. 4.	Ramath, quæ & Baalath Beer. S.			Ramath. R.	Beer-Ramoth; S. *long gr.* 65. 11. *lat. gr.* 31. 15.	

(259) In textu *Quercus Sichem*.
(260) Desideratur in textu, ubi Sansonius describit *Quercum fletus*, sub qua Debbora, Rebeccæ nutrix sepulta est.

(261) Inter *Jerusalem* & *Gabaa*; quare non cohæret in textu long. gr. 66. '27. lat. gr. 31. '52. ½ cui suppones long. gr. 66. '41. lat. g

(262) Hac textus Sansonianus caret, sed eam exhibet Bonfrerius unà cum *Balaath Beer-Ramath*, sicut & Relandus; & quidem nis Tribu. Calmetus hanc absque signo in Tribu Dan sculpsit in ejus Tabula; quam attamen in Montibus Ephraim in suo Indic graphi fortasse sphalmate, paginam non indicante, collocat.

SANS.	REL.	CELL.	GALAL.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				RAMATH GALAAD.		
				Ramath Galaad. V. Ramoth-Galaad.		
	* Ramath - Hammitzpe. G.					
					Ramath in Galaad. V. Ramoth - Galaad.	
Ramatha. E. *long. gr.* 66.'32. *lat. gr.* 32.'2.	Ramatha.	Ramatha. *latit. gr.* 32.'17.	Ramatha. oo. D.			Ramatha. E. *long. gr.* 67.'47. *lat. gr.* 32.'21.
	Ramathaim Tsophim. E.					
	Ramathon.			Ramech-Mescha H. V. Rameth, Jaramoth.		
(263) Rameth, Jaramoth. Is. *long gr.* 67.'25. *lat. gr.* 32.'22.				Ramech-Mescha H. Is.	Jeramoth, & Ramoth, Civ. Lev. Is. *long. gr.* 66.'00. *lat. gr.* 32.'39.	Ramoth, al. Jerimoth. Is. *long. gr.* 68.'38. *lat. g.* 31.'59.
					Rameth. Is. *long. gr.* 66.'00. *lat. g.* 33.'48.	
					Ramoth. V. Ramath.	
					Ramoth. V. Rameth.	Ramoth. V. Rameth - Jaramoth.
	Ramoth. V. Ramoth - Galaad.	Ramoth. V. Ramoth - Galaad.				
(264) Ramoth - Galaad. G. *long. gr.* 68.'1. *lat g.* 32.'17.	Ramoth.	Ramoth. *lat. grad.* 32.'44.	Ramoth - Galaad. G.	Ramath - Galaad. G.	Ramath in Galaad. G. *long. gr.* 66.'54. *lat. gr.* 32.'22.	Ramoth-Galaad. G. *long. gr.* 69. 35. *lat. gr.* 31.'31.
				(265) Ramoth - Vicus. G.		
					Raphaim Gigantes. V. Vallis Raphaim.	
Raphaim Vallis. V. Vallis Raphaim.						
			⊕. Raphanea, Marathos.			
	Raphia. *lat. g.* 31.'24.	Raphia. *lat. g.* 31.'19.	Raphia. S.	Raphia. Jud.	Raphia, Jud. *long gr.* 64.'40. *lat. g.* 31.'17.	
				Raphia, Portus. D.		
		Raphidim, Massa, & Merita. oo.				
	Raphon.			Raphon. G.		
	Rebbo.					
Rebla, int. & Reblata. V. Reblata.						
(266) Reblata. N. *long gr.* 67. 50. *lat. gr.* 33.'5.			Antiochia, seu Reblata.			Reblata. N. *long. g.* 69.'19. *lat. g.* 32.22.
Reccath. N. *long. gr* 67.'32. *lat. gr.* 33.'24.					Reccath. N. *long. gr.* 66.'44. *lat. gr.* 33.'51.	Reccath. N. *long. gr.* 69.'11. *lat. gr.* 32.'30.
Recem. B. *long. gr* 66. 27 *latit. grad.* 31. 57. $\frac{1}{3}$					Recem. B *long. gr.* 66. 10. *lat. g.* 31. 46.	Recem. B. *long. gr.* 67. 33. *lat g.* 31. 10.
	Rechob. A.					

Re-

(263) Urbs Levitica ab Adrichomio quoque, & Bonfrerio memorata.
(264) Refugii Urbs.
(265) Vicus hic oppidi signo à Rueo in Tabula indicatur, quod rursus argumento est, non solere Auctorem hunc vicos & pagos peculiaribus signis ab urbibus oppidisve distinguere.
(266) Praeteritur à Sansonio in textu; at in Tabula non paucis milliaribus infra *Sidonem* visitur. Eam habet & Adrichomius, neque rejicitur a Bonfrerio; de ejus tamen situ non convenit. Sanè si *Reblata* una eademque sit cum Calmeti *Antiochia*; hæc in hujus Tabula non paucorum dierum itinere supra *Sidonem* collocatur. Mirum etiamen Calmetum in Animadvers. ad ejus Tab. pag. XXV. *Reblatam* appellare urbem hodie incognitam, & nihilominus eam cum *Antiochia* conjunxisse, & in Tabula ejus locum situmve selegisse.

R

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
				Regia Convallis. V. Ager Damascenus.	
				Regio Convallis. V. Ager Damascenus.	
		Regio Amalekitarum. V. Amalekitarum Regio.			
			Regio Dor. V. Napoat Dor.		
				REGIO ENNON, circa Jordanem. M.	
				Reg Castrum. V Castrum Reg.	
					Regnum Aphet. V Aphec.
					Regnum Arad. V. Eder, Hered.
				Regnum Aschaph. V. Aschaph Regnum.	Regnum Aschaph. V. Aschaph Regnum.
					Regnum Asor. V. Asor-Antiopia.
					Regnum Astharoth-Carnaim. V. Carnaim.
		Regnum Basan. V. Basan.			
					Regnum Cedes. V. Cedes.
					Regnum Dor. V. Dor.
				Regnum Enhada. V. Dor.	
					Regnum Gader. V. Gader Regnum.
					Regnum Galgal. V. Galgal.
					Regnum Gazer Cananæi. V. Gazer.
					Regnum Hai. V. Hai.
					Regnum Hesebon. V. Hesebon.
					Regnum Horma. V. Harma.
					Regnum Jechonam. V. Jeconam.
					Regnum Jericho. V. Jericho.
					Regnum Lachis. V. Lachis.
					Regnum Lebna. V. Lebna.
					Regnum Maceda. V. Maceda.
					Regnum Madon. V. Madon Regnum.

SANS.	BEL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
					Regnum Mageddo. V. Mageddo.	
					Regnum Odollam. V. Odollam.	
					Regnum Sabecha. V. Damascus.	
					Regnum Saron. V. Saron.	
					Regnum Semeron. V. Semeron Regnum.	
					Regnum Siceleg. V. Siceleg.	
					Regnum Sichem. V. Sichem, q. & Neapolis.	
		REGNUM SICHONIS. *lat. gr.* 32. 20				
					Regnum Soba. V. Soba.	
					Regnum Taphna. V. Taphua.	
				Regnum Taffa. V. Thersa.		
					Regnum Thanac. V. Thanac.	
				Regnum Thersa. V. Thersa.	Regnum Thersa. V. Thersa.	
				Regnum Topsa. V. Thersa.		
			Rekem. V. Petra.			
				Remman. V. Remmon.		
	Remmod; V. Ramoth-Galaad.					
Remmon, vel Petra Remmon.						Petra Remmon. R. *long. gr.* 68.'41. *lat. gr.* 31.'1.
	Remmon.			Remman. R.		
Remmon, int & Remon. S. *long gr.* 65.'52. *latit. gr.* 31.'22. $\frac{1}{2}$	Rimmon. S.				Remmon agri Lev. S. *long. gr.* 65.'19. *lat. gr.* 31.'34.	Remon. S. *long. gr.* 67. 29. *lat. g.* 30. 43.
(267) Remmon-Amthar, al. Damna. Z. *long. g.* 67.'27. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 32.'44.	Rimmono. Z.			Remmon-Amthar. Z.	Remon. Z. *long gr.* 66. 43. *lat. g.* 33. 15.	Remon-Amtar, al. Damna. Z. *long. gr.* 66.'58. *lat. gr.* 32.'12.
	Remmus. Jud.					
Remon. V. Remmon, & Remon.						Remon. V. Remmon, & Remon.
					Remon. V. Remmon-Amthar.	Remon. V. Remmon-Amthar.
	Remphtis. V. Ruma.					
	Reuga.					
	Rephaim Vallis. V. Vallis Raphaim.					
			Resin Torr. V. Torr. Resin.			
Ressa.	Ressa.	Rissa. oo.				
	Rhinocolura. Jud. *lat. gr.* 31.'15.	Rhinocolura; sive Rhinocomra. *lat. gr.* 31.'12.	Rhinocomra. S.		Rhinocolura. Jud. *long gr* 64.'19. *lat. gr.* 31.'24.	Rhinocolura. *long. gr.* 66. 2. *lat. gr.* 31.'5.
		Rhinocomra. V. Rhinocolura.	Rhinocomra. V. Rhinocolura.			
				Rhinocorus; V. Torr. Deserti.		

(267) Urbs Levitica Adrichomio etiam.

Ro-

SANS.	RELL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	Rimmon . V. Remmon, & Remon.				
	Rimmono. V. Remmon-Amthar.				
		Rimon - Perez. eo.			
		Riffa. V. Reffa.			
		Ritma. *lat. g.* 31.'7.			
				R. Dibon : V. Dibon R.	
				. Rochoath. N.	
				Rochob Torr. A.	
				Rocohath . V. Rohab.	
Rogel Fo. V. Fo. Rogel.					Rogel. V. Fo. Rogel.
Rogelim. G. *long. gr.* 67.'58. *lat. gr.* 32.'11.	Rogelim.			Rogelin. G.	
				Rogelin. V. Rogelim.	
				Rohab. V. Rehob.	
(268) Rohob A. *long. gr.* 67.'11. *lat. gr.* 33.'16.	Roob.		✠. Rohob.	Rohab, Rocohat. A.	Rohob, Civ. Lev. A. *long. gr.* 66.'30. *lat. gr.* 33.'53.
					Rohoboth. Jud. *long. gr.* 65.'26. *lat. gr.* 31.'17.
	Roob. V. Rohob.				
Ruben Tribus. V. Tribus Ruben.		Ruben . V. Tribus Ruben.	Ruben Tribus. V. Tribus Ruben.	Ruben . V. Tribus Ruben.	Ruben Tribus. V. Tribus Ruben.
Ruma. E. *long. gr.* 66. 44. *lat. g.* 32. 1.					
(269) Ruma. Jud. *long. gr* 66.'19. *lat. gr.* 31. 9.				Ruma-Aduma. Jud.	
(270) . Ruma. Z. *long. gr* 67.'12. *lat. gr.* 32.'42.	* Ruma, inter & Remphtis.				
	Ryda.				
(271) Saab, int. al. Sabel. Z *long. gr.* 67. 13. *lat. g.* 32. 36.	Saab.				
				Saalo Tyriorum. V. Scala Tyriorum.	
					Saanaim. V. Saananim.
				. Saananim. N.	Saanaim. N. *long. gr.* 66.'40. *lat. g.* 31. 17.
SAANANIM.					
	Saara.				
				Saba. V. Caphar-Salama.	
				. Saba. Is.	
	Sabaja.			. Saba. S.	
Sabam. V. Salama.					

(268) Urbs est Levitica Adrichomio, ac Sanfonio; hicque infra *Sidonem* eam locat; sed vicum facit Relandus, parvoç Calmetus connotat supra *Sidonem*.

(269) Hanc & eam in Ephraim Tribu explicat Sanfonius in textu.

(270) Et hanc in textu praterit Sanfonius, quæ ab Adrichomio & Bonfrerio comprobatur:

(271) Unam cum altera confundendam negat Clericus; neutrius meminit Cellarius; Relandus *Zeid* in Galilea collo triam Eleazari filii Samai dicit, ex Josepho de Bello lib. 3. cap. 9. In textu *Saab* cum *Sarid* conjungit Sanfonius, quas in dicetur loco, disjungit. Nos nihil exponimus, quia ab Adrichomio & Bonfrerio (qui tamen *Saab* reticet) *Sarid* memor Sanfoniano nulla *Saab* graduatione ornatur; nec ea *Sared*, vel *Sarid*, si *Saab* apponatur, Tabulæ congruet. Quinimmo quæ *Sared*, vel *Sarid* aptatur, penitus repugnat situationi, quam *Saab* occupat in Tabula. *Sared* enim habet longit. grad 77 31. 00. *Sarid* verò longit. grad. 78.'00. latit. grad 31.'00., quæ ambæ Tabulam excedunt.

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Sabama, & Saban, al. Sabam.						
Saban. V. Sabama.						
Sabarim. V. Samaraim.						
(272). Sabarim. N. *long. gr.* 67.' 42. *lat. gr.* 33.' 27.			✠ Sabarim. oo.	. Sabarim. M.		Sabarim. N. *long. g.* 69. 12. *lat. g.* 32. 43.
				Sabbaticus flu. V. Flu. Sabbaticus.		
				SABE. R.		
				SABE SINEI. Jud.		
Sabee. V. Bersabee-Sabee.						Sabee. V. Bersabee.
	Sabura:					
Sachacha. Jud. *long. gr.* 66.' 50. *lat. gr.* 32.' 22.				Sachacha. Jud.		
				Sachesima. V. Schesime.		
Saharim. V. Selim.						Saharim. V. Selim.
	Salaba:					
Salama. V. Caphar-Salama.				Salama. V. Caphar-Salama.		
	Salamin.					
	Salamine.					
	Salca. V. Selcha.					
Salchin. V. Selebin.						
Salecha. V. Selcha.						
				Salecha. V. Damascus.	Salecha. V. Damascus.	
(273) Salem. M. *long. gr.* 67.' 29. *lat. gr.* 32.' 16.	Salem, & Schalem.			Salim. M.		Salem. M *long. gr.* 68.' 59. *lat. g.* 32.' 29.
			Salem. V. Salim.			
					Salemin. D *long. gr.* 65.' 15. *lat. g.* 31. 42.	
				Salim. V. Salem.		
	Salim;	Salim: *lat. g.* 32.' 31.	Salim, seu Salem. E.			
				. Salimias vicus. M.		
Salinarum Vallis. V. Vallis Salinarum.			Salinarum Vallis. V. Vallis Salinarum.			Salinarum Vallis. V. Vallis Salinarum.
Salis Civitas. V. Civitas Salis.					Salis Civitas. V. Civitas Salis.	Salis-Civitas. V. Civitas-Salis.
		Salis statua: *lat. gr.* 31.' 21.				
	Sallis:					
	Salmaida:					
Salsissimi linguæ Maris. V. Linguæ Maris salsissimi.						Salsissimi linguæ Maris. V. Linguæ Maris salsissimi.
Salsissimi Maris lingua. V. Linguæ Maris salsissimi.						Salsissimi Maris lingua V. Linguæ Maris salsissimi.
Salsissimum Mare. V. Mare salsissimum.					Salsissimum Mare. V. Mare salsissimum.	
			Salsum Mare. V. Mare salsissimum.			
Salt-Heret. V. Heret-Salt.						
					Saltuum Montes. V. Montes Seir.	

(272) In Tribu Nephtali; Rueo in ea Manassitarum. Calmeto absque signo supra *Sidonem*.
(273) Penès Jordanem in citeriori parte contra *Socoth* ponitur a Sanfonio. Textus itaque longit. grad. 76.' 28. latit. grad. 22.' 16. mutetur in longit. grad. 67.' 28. latit. grad. 32.' 16. Typographus in longitudine prævertit numeros; in latit. verò pro 3. impressit 2.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	Salumias.				
Sama. V. Amam-Sama.					
					Sama: S. long. gr. 65.'9. lat. g. 32.'36.
(274) Samaraim, int. & Sabarim. B. long. gr. 67.'7. lat. gr. 32. 44.	Tsemaraim. B.				Samaraim. B. long. gr. 66.'17. lat. gr. 32.'58.
SAMARIA. long. gr. 66. 50. lat. g. 32. 10.	SAMARIA. lat. gr. 32. $\frac{00}{—}$	SAMARIA. lat. gr. 32. $\frac{00}{—}$			
Samaria. E. long. gr. 66. 59. lat. g. 32.'9.	Samaria, int. & Sebaste. lat. g. 32. 27.	Samaria, Sebaste. lat. gr. 32.'36.	Samaria. E.	Sebaste. M.	
				Samariæ Semeron. V. Semeron Samariæ.	
	Samega.				
(275) Samir. E. long. gr. 66. 24. lat. gr. 32.'13.				Samur. E.	
(276) Samir. Jud. long. gr. 65.'44. lat. gr. 32.'12. $\frac{1}{2}$					
	(277) Samochonites Lacus. V. Aquæ Merom.				
		Samochonitis Lacus. V. Aquæ Merom.			
	Sampho.				
Samsonis fons, & sepulcher. V. Sepulcher, & fons Samsonis.					
Samsonis sepulcher, & fons. V. Sepulcher, & fons Samsonis.					
				Samulre. N.	
				Samur. V. Samir.	
Sanan. Jud. long. gr. 66.'22. $\frac{1}{2}$ latit. gr. 31.'12.				. Sanan. D.	. Sanan. D. long. gr. 65.'35. lat. g. 32. 47.
				. Sandalium. A.	
	Sanim.				
Sanir M. V. M. Hermon, & Sanir.					
	Sanfanna. V. Sensenna.				
	Saphee.			Saphet. Z.	
				Saphet. V. Saphee.	
	Saphir. V. Scaphir.				
(278) Sephon. G. long. gr. 67. 42. lat. gr. 32.'17. $\frac{1}{2}$	* Tsaphon. G.		Saphon. G.	Saphon. G.	

(274) *Samaraim & Sabarim idem esse nomen* צמרים *tsemarajim &* שברים *schebarim facilè sibi non persuadebunt hebræ* ait Clericus. *Ad*, subdit, *Andream Masium* (non est ad manus) *& Jacobum Bonfrerium*. Hunc adivimus ita dicentem: *Tribu Benjamin*, *Josue XVIII. v.* 22. & nihil amplius neque in Notis addit. At Sansonius ipse quoque *Samaraim*, quam etiam ad differentiam alterius *Sabarim* de Tribu Nephtali, collocat in Tribu Banjemin.

(275) Bonfrerius putat nomen Montis in Ephraim Tribu. Sed locus etiam in Monte situs clarè satis intelligi potest e v. 1. a Sansonio relato; qui est hujusmodi: *Post Abimelech surrexit Dux in Israël Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de* vit in Samir *Montis Ephraim*. Et v. 2. *Judicavit Israelem* 23. *annis: mortuusque est, ac sepultus in* Samir. Poterat itaque tuti suam ornare Tabulam.

(276) Urbs Tribus Judæ etiam apud Bonfrerium.

(277) Eam aquarum stagnantium Jordanis congeriem, quæ à Calmeto, Cellario, & Relando *lacus Samochonitis* appella Ruens *Aquas-Merom* vocant, quibus & Clericus annuit, quamvis Calmetus *Aquas-Merom*, ut alias observatum, in Manassi in Mare Magnum, parvo veluti è lacu effluentes, constare facias.

(278) Locum *Sephon* in Calmeti Tabula Jordanes præterfluit; at in ea Sansonii urbs est *Sephon*, à qua aliquantum flu quo non discedimus, cùm ipse Calmetus in cap. 25. Josue pag. 61. partem Septentrionalem Regni *Sehon* malit nomine S Latit. statuit grad. 37.'17. $\frac{1}{2}$ decurretur ad grad. 32.'17. $\frac{1}{2}$ Reliqua contra Sansonium a Clerico ibi congesta ad rem nostram

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELR.
Sara. V. Oren-sara.						
Sara. V. Saraa.						
Saraa, int. & Sara, & Sarea. D. *long. gr* 65.'44. *lat. gr.* 31.'36.	Sara.		Saraa. D.	Saraa. D.	Saraa. D. *long. gr.* 65.'40. *lat. g.* 31.'41.	Saraa. D. *long. gr.* 67.22. *lat. g.* 31.'00.
				Saraa. V. Thamnatsare.	Saraa. V. Thamnatsare.	
	Sarabatha.					
	Sarafa.				Saraim. Jud. *long. gr* 65.'38. *lat. gr.* 31.'24.	Saraim. Jud. *long. gr.* 67.'43. *lat. gr.* 30.'56.
Saraim. Jud. *long. gr.* 66.'9. *lat. gr.* 31.'37. ½	Saraim. Jud.					
	Sarafa.					
Sarath-asar. R. *long gr* 67.'17. ½ *latit. gr.* 31.'39.				Sarathosar. R.	Sarathasar. R. *long. gr* 66. 42 *lat. gr.* 32.'4.	Sarathasar. R. *long. gr.* 68.'57. *lat. gr.* 30.'55.
					Sarathasar. V. Sarath-asar.	
				Sarathosar. V. Sarath-asar.		
Sarea. V. Saraa.						
Sared. V. Sarid.						
Sareda. E. *long gr.* 67. 22. *lat. g.* 32.'2.						
				Saredatha. V. Sarthana.		
Sarephta V. Sarepta.	Sarephta. V. Sarepta.			Sarphat, Sarepta. A.		Sarepta. A. *long gr.* 68.46. *lat. g.* 32 55.
(279) Sarepta, int & Sarephta. A *long. gr* 67.'4. *lat.* 33.'27. ½	Sarephta.	Sarepta. *lat. g.* 34.'5.	Sarepta. A.			
	Sarera.					
Sarid. Z. *long grad.* 66.46. *lat g.* 32.43.	Sarid. Z.			Sarid. Z.	Sarid. Z. *long grad.* 66.'16. *lat. g.* 32.'58.	Sarid. Z. *long grad.* 68.'16. *lat. g.* 32.'2.
					Sarion Mons. V. Hermon Mons, & Sanir.	
	Sariphaea.					
	Saris. Jud.					Sarohen. V. Selim.
Sarohen. V. Selim.						
Saron. V. Sarona.						
(280). Saron G *long gr.* 67.'37. *lat. gr.* 32.'4.			Saron. M.			Saron. G. *long. gr* 69.16. *lat. g.* 31.'17.
	SARON. *lat. g.* 32.'00	SARON REGIO. *lat. g.* 32.'00				
Saron M. A. *long gr.* 66.55. *lat. g.* 33. 5.			Mons Saron.	Seron M. A.		
				Saron. A.	Saron Regnum. A. *long gr.* 65.'47. *lat. gr.* 33.'22.	
(281) Sarona, al. Saron. E. *long gr.* 65.'18. *lat g.* 32.11.						Sarona. E. *long. gr.* 67.49. *lat. g* 31.25
			SARONÆ ACRABATENE.			
	Saronae Campestria. V Campestria Saronae.		Saronae Campestria. V. Campestria Saronae.			
			Saronae Planities. V. Planities Saronae.			
				Sarphat. V. Sarepta.		
		Sarra. V. Tyrus-antiqua.				
			Sartan. V. Sarthan.			

Sar-

(279) Postremum tantùm legit Clericus, & adprobat: utrumque Cellarius & Calmetus.
(280) Adrichomius urbem dicit in Tribu Gad; etsi Sansonius parvo signo *Saron* notavit. Cellarius praeterea oppidum hujus nominis trans Jordanem agnoscit.
(281) Urbs Regia in Ephraim Tribu: Josue enim v. 18. Regibus, quos ipse percussit, etiam Rex *Saron* adjungitur.

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
(282) Sarthan, int. & Sarthana. G. *long gr. 67.' 17. lat. gr. 32. 19.*			. Sartan. Is.	. Sarthan. G.	Sarthan. N. *long g. 66.' 44. lat. g. 32. 43.*
Sarthana. V. Sarthan.				Sarthana. V. Sarthan, & Sarthana.	
				Sarthana, Sareda-tha. M.	
					Safacha. Jud. *long. gr 66.' 27. lat. gr. 32.' 45.*
SATRAPIÆ PHILISTINORUM. *long. gr. 65.* $\frac{00}{—}$ *lat. gr. 31. 00.*		PHILISTÆI.	PHILISTÆI.	PHILISTINI.	
(283) Save. R. *long. gr. 67. 15. lat. gr. 32.' 25.*					
				Saulis Gabaa. V. Gabaa-Saulis.	
Saul Spelunca. V. Spel. Saul.					
Scala-Tyriorum. A. *long g. 66.' 55. lat. gr. 33.' 5.*	Scala Tyriorum. *lat. gr. 33.' 8.*	Scala-Tyriorum. *lat. gr. 33.' 30.*	Scala-Tyriorum. oo.	. Saalo Tyriorum.	
	* Schaalabbin, & Schaalbim.				
	Schaalbin. V. Schaalabbin.				
	Schaarim. Jud.				
	Schachataima. V. Schefima.				
	Schalem. V. Salem.				
	Schamir. E.				
	* Scaphir.				
	* Schatruchen. S.				
	Schazur.				
	* Scheba. S.				
	* Schebam. R.				
	Schebarim.				
	Scheera. V. Ufferi-Scheera.				
	Schechem. V. Bethel-Sichem.				
	* Schema. Jud.				
	Schepham.				
	Schichin.				
	Schilchim. Jud.				
Schilo. V. Silo.	Schilo. V. Silo.				
	Schimron. Z.				
	* Schimron-Merom. V. Schimron.				
	Schion. Is.				
	Schiphmot.				
				Schoenus-Alexandri. V. Alexandri-Schoenus.	
				. Scopos. B.	
	Schunem. Is.				

(282) Locum hunc Sanfonius ad Jordanis latus Orientale locat in Gaditarum Tribu. Calmetus verò eum in illa Iſſ. quantulum a Jordane diſſitum in regione Occidentali. Ab hoc adducta in cap. 3. Jof. pag. 14. tanti non funt, ut is exiſti Sanfonii ſitu amoveamus; & fortaſſis aquarum tumuli retrocedentium in Hebræorum tranſitu Jordanis, meliùs explicat Sanfonii loco non amoto.

(283) In textu Vallem potius exiſtimat Sanfonius; ſed Cellarius urbem Arabiæ nominat; quare Tabulam non attigim

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Scorpionis Afcenfus. V. Accrabin.			ScorpionisAfcenfus. V. Accrabin.	ScorpionisAfcenfus. V. Accrabin.		Scorpionis Afcenfus. V. Accrabin.
					Scorpionum Afcenfus. V. Accrabin.	
Scythopolis.V.Bethfan.	Scythopolis.V.Bethfan.	Scythopolis.V.Bethfan.	Scythopolis.V.Bethfan.	Scythopolis.V.Bethfan.		Scythopolis.V.Bethfan.
				Seb. V. Sebet-Seb.		
					Seba. S. long. grad. 65.'6. lat. g. 31.' 18.	
(284) Sebama. R. long gr. 67. 22. lat. gr. 31.' 42.			Sebama. ea. R.	Sebama. R.	Sebama. R long. gr. 67.' 14. lat. g. 32.' 3.	Sebama. R. long gr. 68. 59. lat. g 30. 58.
	Sebafte. V. Samaria.	Sebafte. V. Samaria.		Sebafte. V. Samaria.		
				Sebaftes Portus. V. Turris Stratonis.		
	Sebei.					
				Sebet-Seb. G.		
			Seboim. V. Zeboim.	Seboim. V. Zebaim.		
				Seboim. E.		
	Sebut.					
	* Sechacha. Jud.					
	* Sechu.					
			Secoth. V. Socoth.			
(285). Secrona. D. long gr 65.' 55. lat. gr. 31. 37.				. Serrona. D.	Secrona. D. long. gr. 65.' 24. lat. g. 31. 48.	Secrona. S. long gr. 67.' 25. lat. g 31. 5.
. Sedada N long gr. 67.' 59. lat. g. 33. 23.				. Sedada. A.		Sedada. N. long gr. 69.' 8. lat. g. 32.' 39.
	Sedes Moabitarum prifcæ. V. Moab.					
	Sedes prifcæ Moabitarum. V. Moab.					
				Sedi. V. Herei-Sedi.		
Segor. Jud. long gr. 66' 50. lat g. 30. 44.	Segor, int. Bala, & Zoara. lat. g. 30. 52.	Zoar. lat. gr. 32.' 19.	. Bara, feu Segor.	Segor. Jud.		
Segor fec. alios. long. gr 66.' 55. lat. gr. 30.' 31.						
Sehefima. Is. long. gr. 66.' 44. lat. gr. 32.' 37. $\frac{1}{2}$	* Schachatzima. Is.			. Sachefima. Is.	Sehefima. Is. long. gr. 66.' 23. lat. gr. 32.' 52.	Sahefina. Is. long gr. 68.' 22. lat. g. 32. 3.
						Schefina. V. Schefima.
Sehon, int. & Seon. Is. long. gr. 66. 52. lat. gr. 32.' 57. $\frac{1}{2}$				. Seon. Is.	Seon. Is. long. gr. 66.' 12. lat. g. 32.' 50.	
			SEIR.			
Seir MM. V. Montes-Seir.		Seir M. V. Montes Seir.	Seir MM. V. Montes Seir.	Seir MM. V. Montes Seir.		
	Seirath.			. Seirath. E.		
(286) Sela. B. long. gr. 66.' 45. lat. gr. 31. 52.					Sela. B. long. grad. 65. 59. lat. g. 31.' 43.	Sela. B. long. grad. 68.' 15. lat. g. 31. 4.
Selama.						
	Selamin.					
. Selcha, int. & Salecha. M. long. gr. 68.' 11. lat g. 35. 22.						Selcha. M. long gr. 69. 58. lat g. 32. 37.
Selebin, int. & Salebin. D. long. gr. 65. 55 lat. g. 31.' 54.						Selebin. D. long. gr. 67 32. lat. g. 30. 56.

Se-

(284) Auctoribus nostris atque adeò Sanfonio ipfi in textu ignota nifi eadem fit cum Sabama; fi unam excipias Calmetum, qui eam nulla tamen figno, quamvis in Jof. cap. 15. pag. 60. Sabamam, five Sebamam urbem dicat viribus fuis celeberrimam, Tabulæ fuæ [illegible].
(285) Inter Azotum, & Afcalonem olim in Sanfonii Tabula delineatam, textum fequuti Accaronem inter & Azotum tranftulimus.
(286) Ab Adrichomio & Bonfrerio memorata; & a Rueo in Amftelodamenfi Tabula infra Jerofolymam depicta.

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
Seleucia. M *long.* gr. 67.'57.$\frac{1}{8}$ *latit.* gr. 33.'7.$\frac{3}{8}$	Seleucia.	Seleucia. *latit. gr.* 33.'42.	Seleucia. M.	Seleucia. M.	
(287) Selim, Sarohen, & Saharim. S. *long gr* 65 '45. *lat. gr.* 31.'27.$\frac{5}{8}$					
Selmon M. V. M. Selmon.					
Selo. V. Thanath-Selo.				Selo. V. Thanath-Selo.	Selo. V. Thanath-Selo.
(288) Semeron. Z. *long gr* 67.'6. *lat. gr.* 32.'43.			Semeron, sive Simoniades. Z.		Semeron. Z. *long. gr* 66.'10. *lat. gr.* 33. 6.
					Semeron Regnum. M. *long. gr* 65. 59. *lat. gr.* 32.'28.
Semeron M. V. M. Semeron.				Semeron M. V. M. Semeron.	
				Semethon lacus. V. Aquæ Merom.	
			Semochunites lacus. V. Aquæ Merom.		
	Senaa.				
Sene. R.					
Sennabris. V. Enabris.	Sennabris. V. Enabris.				
Sennim Vallis. V. Vallis Sennim.					
Sensenna, Hazer-susa, Hazar-susim. S *long grad.* 65. 35. *lat. g.* 31. 31	* Sansanna.			. Sensenna. S.	Sensenna. Jud. *long. gr.* 65.'21. *lat. gr.* 31.'29.
Seon. V. Sehon.				Seon. V. Sehon.	Seon. V. Sehon.
	Seph.				
			Sephala. V. Sephela.		
(289) Sephama. N. *long gr* 67. 32. *lat. gr.* 33 10.			✠ Apamea, sive Sephama.		
				. Sephamar. Jud.	
Sepharvaim.					
SEPHATA VALLIS. Jud. *long gr.* 66. 15. *lat. g.* 31. 25.					
				Sephatrama-Horma V. Horma.	
SEPHELA REGIO.	CAMPESTRIA SEPHELÆ. *lat. gr.* 32. ∞		SEPHELA. S.		
	Sephela Campestria. V. Sephela Regio.				
Sepher. V. Cariath-sepher.				Sepher. V. Cariath-sepher.	
Sepher. M.		M. Sepher. *lat. gr.* 30. 40.			
(290) Sepher.					

(287) *Selim* ad Tribum Juda, *Sarohen* ad Simeonis ex Bonfrerio spectat. Sansonius in textu aliquantum implexè loquitur enim *Sarohen*, inquit: *Sarohen*, *Saharim*, *Selim varia diversaque sunt unius ejusdemque urbis nomina*, *aut saltem quæ variè est in Tribu Juda Josue* 25 *v.* 32. *Sarohen eadem Jos v* 6 *in Tribu Simeonis*, *ubi decimatertia & ultima nominatur inter urbes in Tribus partis*. Saarim, *aliàs* Saharim 1. *Paralip.* 4. *v* 31. *etiam ultima & decimatertia inter urbes primæ partis Simeonis Tribus* Clericus; & jure, si enim diversis in regionibus urbes illæ sitæ sunt, sanè eædem esse non possunt solo tantùm nomine di... tum illi ad nos.

(288) Urbs Regia in Tribu Zabulonis etiam Bonfrerii calculo.

(289) Terminum Judææ ad Solis ortum statuit D. Hieronymus apud Bonfrerium inter Jordanis fontes, & Samochoniticum etiam ... Si hæc vera sint neque *Sephama* eadem est, ac *Apamea*, ut in Animadvers. pag 25. ait Calmetus, neque Tabula *Sephama* attributus, ei convenire potest. Ponitur enim ultra 100. milliaria supra Sidonem.

(290) Hujus loci Adrichomius & Bonfrerius meminere.

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
				Sephim. R.		
				Sephon.		
(291). Sephoris. Z. *long. gr.* 66.' 58. *lat. gr.* 32.' 44.	Sepphoris, int. & Diocæsarea, & Zipporis. *lat. gr.* 32.' 43.	Zipporis, Sepphoris. *lat. gr.* 33.' 25.	Sephoris, seu Diocæsarea. Z.	Haradis-Sephoris, Diocæsarea. Z.		
	Sepphoris. V. Sephoris.	Sepphoris. V. Sephoris.				
				Septentrionalis deserti pars. V. Hac est.		
				Septentrionalis pars deserti. V. Hac est.		
		Sepulcra cupiditatū. *lat. gr.* 30.' 49.				
Sep. Deb. R. *long. g.* 66.' 52. *lat. g.* 31.' 47.						
Sep. & Fons Samsonis. D. *long. gr.* 65. 52 *lat. g.* 31. 39.						
					Sepulcrum Josue. M. *long. gr* 65.' 37. *lat. gr.* 32.' 21.	
Sep. Memnonis. V. Memnonis sep.				Sep. Memnonis. V. Memnonis sep.		Sepulcrum Memnonis. V. Memnonis sepulcrum.
Sep. Rachelis B. *long. gr.* 66.' 26. *lat. gr.* 31. 42.			Sepulcrum Rachelis. Jud.			
Ser. V. Affedim-Ser.						Ser. V. Affedim-Ser.
				. Ser. N.	Ser. N *long. g* 66.' 37. *lat gr.* 33.' 55.	
				. Seraa.		
	Serach. V. Timnath-Serach.					
				Seron M. V. Saron M.		
				Serrona. V. Seerona.		
						Sesenna. V. Sesenna.
						Sethim. V. Setim.
. Setim. R. *long. gr.* 67.' 17. *lat. g.* 31. 31.						Sethim. R. *long. gr* 68 51. *lat g* 30. 44.
Senna. V. Cariath-senna.						
	Siagon?					
	Sibma. R.					
Sicaminum. V. Elpha.						Sicaminum. V. Epha.
Sicar. V. Bethel-Sichem.						
				Sicar. E.		
Siceleg. S. *long. gr* 65.' 38. *lat. g.* 31. 25.	Tziclag.	Ziclag. *lat. g.* 31.' 35.	Siceleg. S.	Siceleg, Siclag. S.	Siceleg. S. *long. gr* 65.' 17. *lat. g.* 31.' 32	Siceleg. S. *long. gr* 67.' 14. *lat. g.* 30. 34
Sichem, Sichima, Sichar. V. Bethel-Sichem.						
	Sichem, quæ & Neapolis. E. *lat. gr.* 32.' 23.	Sichem-Neapolim. *lat. gr.* 32.' 28.	Sichem, seu Naplousa. E.	Neapolis. E.	Sichem Regnum, C. Conf & Lev. E. *long. gr.* 66.' 00. *lat. gr.* 31.' 58.	Bethel-Sichem. E *long. gr.* 68.' 25. *lat. gr.* 31.' 21.
				. Sichem-vetus. E.		
Sichima. V. Bethel-Sichem.						
		Sichonis Regnum. V. Regnum Sichonis.				
		Sichor, flu. Ægypti. *lat. gr.* 31.' 5.				
				Siclag. V. Siceleg.		

(291) Hanc Brochardus apud Relandum duabus leucis à *Cana* Galilææ removet, totidemque a *Nazaret*.

Si-

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE:	RUE.
Sidon. A. *long. gr.* 67. '7. ½ *latit gr.* 33. '36.	Sidon, int. & Tzidon. *lat. gr.* 33. '39.	Sidon. *lat. g* 34. '10.	Sidon. A.	Sidon. A.	Sidon-magna. A. *long. gr.* 66. '10 *lat. gr.* 34. '2.
				SIDONII.	
Sidoniorum Maara. V. Maara Sidoniorum.				Sidoniorum Maara. V. Maara Sidoniorum.	Sidoniorum Maara. V. Maara Sidoniorum.
	Sigo.				
Sihor. A. *long. gr.* 66 56 *lat. g.* 32. 56.					Sior. A. oo. *long. gr.* .... *lat. gr.* ....
Sihor, & Sior. V. Sior.					
			Sihor flu. A.		
. Silo. E. *long. gr.* 66. '57. *lat. g.* 31. 59.	Silo, & Schilo.	Silo. *lat. gr.* 32. '18.	. Silo. E.		Silo. B. *long. grad* 66. 10. *lat. g* 31 58.
Simeon Tribus. V. Tribus Simeon.		Simeon. V. Tribus Simeon.	Simeon Tribus. V. Tribus Simeon.	Simeon. V. Tribus Simeon.	Simeon Tribus. V. Tribus Simeon.
			Simoniades. V. Semeon.		
. Simonias. Z *long. gr.* 66. 30. *lat. gr.* 32. '43.	Simonias.				
			✠. Symisa.		
Sin Desertum. V. Desertum Sin.		Sin Desertum. V. Desertum Sin.			
					Sina Desertum. V. Desertum Sin.
Sina M. V. Sinai M.					
		Sinai Desertum. V. Desertum Sinai.			
Sinai M. aut Sina.		Sinai. M. *latit. gr.* 30. '24.			
					Sinei. V. Sabe-Sinei.
				Sinei Desertum. V. Desertum Sinai.	
		Sinus Arabici lingua. V. Lingua sinus Arabici.			
	SINUS ELANITICI PARS. *lat. g* 30 00	SINUS ELANITICUS. *lat g.* 29 00			
		Sinus Elaniticus. V. Sinus Elanitici pars.			
	Sinus pars Elanitici V Sinus Elanitici pars.				
	Sion. R.				
Sior, int. & Sihor. Jud. *long. g* 66. 27. *lat gr.* 31. '27.	Sior, & * Tzior.				Sior. Jud. *long. gr.* 65. '45. *lat. g* 31. '36.
Sira, p. (idest puteus). Jud. *long gr.* 66. '34. *lat. gr.* 31. 42.					
					Sirbon lacus. V. Sirbonis lacus.
		Sirbonis lacus. *lat. gr.* 30. '58.	† Sirbonis palus.		Sirbon lacus. *long. gr* 63. '42. *lat. gr.* 31. 21.
			Sirbonis palus. V. Sirbonis lacus.		
Sis collis, int. Sis clivus. Jud. *long. gr.* 66. 55. *lat. gr.* 31. '26.					
					Sittin. V. Abel-sittin.
SOBA:			✠ SOBA.		Soba Regnum. *long. gr.* 67. '20. *lat. gr.* 34. 2.
				Soba. V. Hoba.	

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			Soba-Syria.V.Aram.			
			Sobal. V. Hoba.			
			◆ Sober, flu.			
				Soccoth. V. Socoth.	Soccoth. V. Socoth.	
	Socho. V. Sochoth.					
			Soco. V. Socoth.			
						Soco. V. Odollam.
Soca. V. Odollam-Soco.						
Socoth. G. *long. gr.* 67.'32.$\frac{1}{2}$ *latit. gr.* 32.'14.				.Soccoth-Cosmos.G.	Soccoth. G. *long. gr.* 66.'44. *lat. gr.* 32.'26.	Socoth. G. *long. gr.* 69.'1. *lat.g.*32.'29.
Socoth. Jud. *long.gr.* 65.'52.$\frac{1}{2}$ *lat. g.*...	Socho.		Soco. Jud.	.Socoth. B.	Soccoth. D. *long gr.* 65.'37. *lat. gr.* 31.'41.	Socoth. Jud. *long. gr.* 67.'24. *lat. gr.* 30.'41.
Sodoma. Jud. *long. gr.* 66.'50. *lat. gr.* 31.'00.	Sodoma.	Sodoma: *lat. grad.* 31.'25.	Sodoma: Jud.	Sodoma. Jud.		Sodoma. Jud. *long. gr.* 68.'36. *lat. gr.* 30.'33.
(292). Sogana. Z. *long. gr.*67.'26. *lat. gr.* 32.'14.						Sogana. Z. *long gr.* 68.'41. *lat g.*32.'48.
				Sogana. V. Sogana.		
.Sogane. M. *long. gr.* 68.'3. *lat. gr* 33.'1.	Sogane.	Sogana. *latit. grad.* 33.'16.		Sogana. M.		Sogane. M. *long gr.* 69.'36. *lat g.*32.'16.
Solima. M *long gr.* 68.'20. *lat.g.*32.'43.	Solyma.					Solima. M. *long gr.* 70.'12. *lat.g.*32.'57.
Solis-Civitas. V. Hirsemes.						Solis-Civitas. V. Hirsemes.
Solis Fo. V. Fo. Solis.						
	SOLITUDINES VASTISSIMÆ. *lat.g.* 31.$\frac{00}{-}$					
					SOLITUDO.cap.12. *long.gr.*68.00. *lat. gr.* 34.'00.	
	SOLITUDO. *latit. gr.* 31.$\frac{00}{-}$	SOLITUDO. *latit. gr.* 31.$\frac{00}{-}$				
		SOLITUDO BERSABÆA. *lat. gr.* 31.$\frac{00}{-}$				
		SOLITUDO MAON *lat. g.* 31.$\frac{00}{-}$				DESERTUM MAON. Jud. *long. gr.* 68.$\frac{00}{-}$ *lat.g.*30.$\frac{00}{-}$
Solitudo Misor. V. Misor solitudo.						
	Solyme. V. Solima.					
Somer Mons.						
	Sonna.					
	Sopha.					
Sophan.G. *long gr.* 67.'41. *lat.g* 32.'1.					Sophan. G *long gr.* 66.44. *lat g.*32.21.	Sophar. G. *long. gr* 69.'15. *lat g.*32.'13.
						Sophar. V. Sophan.
Soph'im M. E. *long. gr* 66.'16. *lat. gr.* 32.00.						
					Soraim. V. Saraim.	
				Soree. V. Capharfarech.		
(293) Soree, Torr. Jud. *long.g* 66.'3. *lat.gr.*32.'26.		Sorec; flu. *lat. gr.* 31.'48.	Torrens Besor. S.			

Spe-

(292) Locum hunc in Zabulonis Tribu à Cellario, Bonfrerio, Relando, Calmeto, Rueo, atque ipso Sansonii in textu omissum Tabulæ depulimus, quamvis ab Adrichomio in eadem Tribu recipiatur.

(293) Sansonii *Sorec*, & Calmeti *Besor* non valde discrepant in situ; etsi in 1. Reg. cap. 30. pag. 374. Calmetus *Besor* potius cum *Torrente Deserti*, falsò Ægypti nuncupato, convenire velit. Ut ut sit: Graduatio longit. grad. 65.'41. latit. grad. 31.'34. nisi *Sorec* fontem cum Torrente *Nebel-Escol* dicto confundere velimus, mutanda est in longit. grad. 66.'3. latit. grad. 32.'26.

S

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
	Sozusa.				
Specula, al. Spelunca. V. Spelunca Deserti.					
Spelunca Deserti. Jud. *long. g.* 66.'49. *lat. gr.* 31.'31.					
Spel. duplex. Jud. *long. gr.* 66.'22. ½ *lat. gr.* 31.'22.					
				Spel. Eliæ. V. Eliæ Spel.	
(894) Spel Loth. Jud. *long. gr* 66.'5. *lat. gr.* 30. 50.		Spel. Loti. *lat. gr.* 31.'26.			
		Spel Loti. V. Spel. Loth.			
Spel Saul. Jud. *long. gr.* 66. 42. *lat. gr.* 31.'12. ½					
				Statio ad Jehabarim Montes. V. Statio ad Montes Jehabarim.	
				STATIO ad Montes Jehabarim. R.	
				Statio ad Zared. R.	
		Statua Salis. V. Salis Statua.			
	Stradela.				
Stratonis Turris. V. Turris Stratonis.	Stratonis Turris. V. Turris Stratonis.	Stratonis Turris. V. Turris Stratonis.	Stratonis Turris. V. Turris Stratonis.	Stratonis Turris. V. Turris Stratonis.	
	Succoth. G.				
Sueta, Suita, Suhita. M *long. grad.* 68. 5. *lat. g.* 32.'50.					
Suhita. V. Sueta.					
Suita. V. Sueta.					
	Sulem.				
Sunam. V. Sunem.	Sunam. V. Sunem.		Sunam. V. Sunem.		
Sunem, int. & Sunam. Is. *long gr.* 66.'33. *lat. g.* 32. 42.	d. Sunam. *lat. gr.* 32 '33.	Sunem. *lat. g.* 32.'58.	Sunam. Is.		Sunem. Is. *long. gr.* 66.'20. *lat. g.* 32.'44.
Superior Bethoron. V. Bethoron superior.					Superior Bethoron. V. Bethoron superior.
		Superior Galilæa. V. Galilæa.	Superior Galilæa. V. Galilæa.		
			Superius Bethoron. V Bethoron superior.	Superius Bethoron. V. Bethoron superior.	
	Sur.				
		Sur Desertum. V. Desertum Sur.			
Susa. V. Sensenna.					
Susim. V. Sensenna.					
	Susita.				
	Sycamazon.				
	Sycaminon. V. Elpha.				
			Sycaminos. V. Elpha.		

(894) Hanc quemadmodum & *Segor* ad Orientalem plagam Maris Mortui Clericus vult esse collocandam: quare eam sub latit. grad. 30.'50. in eo loci, ad quem & a Cellario revocatur, habita ad graduationis alterutrius Tabulæ anomaliam respec

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		Sycaminum. V. Elpha.		Sycaminum. V. Elpha.		
	Sychar. V. Bethel-Sichem.					
					Sylvarum Montes. V. Montes Seir.	
	Symbatha.					
				Syres Vallis. V. Vallis Syres.		
				Syria-Cava. V. Introitus in Emath.		
				Syria Damascene. V. Aram, seu Syria Damasci.		
			Syria Damasci. V. Aram, seu Syria Damasci.			
				Syria Maacha. V. Aram, seu Syria Damasci.		
			Syria-Soba V. Aram, seu Syria-Soba.			
	Taanach. M.					
	Taanath-Schilo. V. Tanath-Selo.					
	Tabac.					
			Tabata. V. Thabatha.			
				Tabatha. V. Thabatha.		
	Tabathæ flu. V. Torrens Ægypti, qui & Besor.					
	* Tabbath. M.					
		Tabeera. eo.				
Tabernacula Cedar. M. *long. gr.* 68.'21. *lat. gr.* 32.'46.						Tabernacula Cedar. M. *long. g.* 69.'3[illegible] *lat. g.* 32.'00
(295) Tab. Ab. Cinai. N *long. gr.* 67.26. *lat. g.* 33.'1.						Tabernaculum Abr Cinæi N. *long. gr.* 68.'39. *lat. g.* 32.'16
					Tabitha. V. Thabatha.	
	Tabor. V. Thabor.		Tabor. V. Thabor.			
					Tabor. V. Aznoth-Tabor.	
					Tabor. V. Chesleth-Thabor.	
	Tabor M. V. M. Thabor.			Tabor M. V. M Thabor.		
	Tachara.			Tacasin. V. Thacasin.		Tacasin. V. Thacasin
		Tahath. V. Thahath.				
				. Talassar. Z.		
	Taicha, int. Thalchallar. S. *lat. gr.* 31.'40.					
Talem. V. Talem.						
			✠ Tamiras, seu Damar, flu.			
Tamna. Jud. *long. gr.* 66.'46. *lat. gr.* 31.'28.	Timna. Jud.				Thamna. Jud. *long gr.* 66.'18. *lat. gr* 31.'34.	Thamma. Jud *long gr.* 68.'20. *lat. gr* 30.'42.
						Tamna. V. Themna, Thamna.

(295) *Tabernaculum Aber Cinai* in Tribu Nephtalim ab Adrichomio etiam admittitur; quare ne ad Aleritas excurrat, textus latit. gr. 31.'27. ad latit. grad. 31.'1. retrahatur.

Ta-

T

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
				Tamna. V. Thamnatsare.	
				Tamna, q & Thamnathuraa. V. Thamnatsare.	
			Tanac. Is.		
				Tanat-Selo. V. Thanath-Selo.	
			Taphaa. V. Taphua.		
Taphua; V. Beth-Taphua.					
(196) Taphua. E *long gr* 67.' 19. *lat.* *gr.* 32.' 6.	Tappuach, & Beth-Tappuach, & En-Tappuach. E.		Taphna. E.		Taphua, Regnum E *long gr* 66. 13 *lat* *gr* 31. 15.
Taphua. Jud. *long.* *gr.* 66.' 5. *lat.* *gr.* 31.' 21.					Taphua. Jud *long* *gr* 65.' 40. *lat.* *gr* 31. 35.
	Tarala. B.				Tarela. B. *long* *gr.* 66.' 16. *lat.g.* 31.' 55.
	Tarba.				
					Tarela. V. Tarala.
(197) Tarichaa. Is. *long gr* 67.' 3. *lat.* *gr.* 32.' 28.	Tarichaa, int. Tarichaea *latit.* *gr.* 32.' 48.	Tarichaa. *latit.* *gr.* 31. 2.	Tarichaa. N.	Tarichaa. Z.	
	Tarichaea. V. Tarichaa.				
				Taffa. V. Thersa.	
	Taram.				
	Tebetz. V. Thebes.				
	Tecoa. V. Thecua				
	Telaim, & Talem. V. Telem.				
Telem, int. & Talem Jud *long gr* 65. 57. *lat.g.* 31. 6.	* Telaim, & Telem Jud.			Telen.	Telem. Jud. *long* *gr.* 66.' 24. *lat.gr.* 31. 20.
				Telea. V. Telem.	
		Tamplum Casii Jovis. V. Jovis-Casii Templum.			
				Templum Etuicorū. d. Hieronym. M.	
		Templum Jovis Casii. V. Jovis Casii Templum.			
			Templum vituli aurei. N.		
	Tena. V. Thenath.			Tenac. V. Thenath.	
	Tephon.				
Terebinthi Vallis. V. Vallis Terebinthi.					
					TERMINUS.
		TERRA CHABUL. *lat.gr.* 31.$\frac{00}{}$			

(196) Urbs Regia Ephraim ad confinia Manassis. Bonfrerius tamen invertens, Manassitis adtribuit, Ephraimque conterminis finibus ponit.
(197) Relandus & Calmetus in Tarichææ situ concordant, eam paullo infra Tiberiadis Maris dimidium describentes. Sanson ipsius Maris statuit infra Torrentem *Cison*. Neque valde discrepat Rueus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE:	CANTELL.
			† TERRA GESSEN.		TERRA GOSEN. *long. gr.* 65.00 *lat. gr.* 33.00	
						TERRA HUS. *long. g.* 69.00 *lat. gr.* 32.00
(298) TERRA HUS. *long. gr.* 68. 10. *lat. gr.* 32.' 55.			TERRA HUS, Patria Jobi. G.			
					Terra Masphat. V. Campus Maspha.	
						TERRA THOB. *long. gr.* 69.00 *lat. gr.* 31.00
TERRA THOB. *long. gr* 67.' 45. *lat. gr.* 32.' 2. ½						
	Tertiæ Palæstinæ Metropolis. V. Petra.					
	Tetracomia.					
						Testamenti Altare. V. Altare Test.
Testamenti Altare. V. Altare Test.						
	Thabatha.		Tabata. S.	Tabatha. Jud.	Tabitha. Jud. *long. gr* 64.' 59. *lat. gr.* 31.' 18.	
						Thabor. V. Aznoth-Thabor.
Thabor. V. Aznoth Thabor.						
Thabor. V. Chesleth-Thabor.						Thabor. V. Chesleth-Thabor.
Thabor. Is. *long. gr.* 65.' 53. *lat. gr.* 32.' 32. ½	Thabor.		Tabor.			Thabor. Is. *long. gr.* 68. 25. *lat. g.* 31. 46.
Thabor M. V. M. Thabor.						Thabor M. V. M. Thabor.
Thacasim. Z. *long. gr* 67.' 33. *lat. gr.* 32. 42.					Thacasin. Z *long. gr.* 66.' 31. *lat gr.* 33.' 8.	Tacasim. Z *long. gr.* 69.' 2. *lat. gr.* 31.' 56.
				Thacones Oenie. V. Bathura.		
	Thaelam.					
Thahath.		Tahath: co.				
	Thala.					
	Thalcha. V. Talcha.					
	Thalpiot.					
	Thamaa.			Thamaa. Jud.		
	Thamana, & Thamara, & Thamaro.					
Thamar. V. Asasor-Thamar.						Thamar. V. Asasor-Thamar.
Thamar. V. Baal-Thamar.			Thamar. V. Baal-Thamar.			Thamar. V. Baal-Thamar.
	Thamara. V. Thamana.					
	Thamaro. V. Thamana.					
			Thamath.			
				Thamma. V. Themna.		
						Thamma. V. Tamna.
				Thammata: V. Themna.		
					Thamna. V. Tamna.	
Thamna. V. Themna.			Thamna. V. Themna.		Thamna. V. Themna.	
	Thamnasachar. V. Thamnatsare.					

Tham-

(298) Lib. 1. cap. 12. pag. 52. sic Relandus de Jobi patria: *Quæ* („ Gebalena idest Idumæa „) *secundum opinionem cujusdam Auctoris, est regio Jobi. Secundum alium verò regio Job est Arabia* („ verùm ipse Eusebius, Arabiam & Gebalenen pro eadem habet, Petram modò scribens esse „ urbem Arabiæ, modò Gebalenes, & Gebalenen collocans circa Petram „) *Alii autem dicunt, regionem Zeon* („ Sichonis regis „) *esse regionem Jobi.* „ Quod ad Uzitida attinet, Jobi patriam ארץ עוץ *terram Utz* „ dictam in Sacris Literis, quia nos eò ducit Scriptor „ Græcus, posset credi Idumææ pars fuisse quandoquidem „ *Thren.* 4 21. „ dicitur „ *filia Edom habitare in terra Utz* „ & „ *Jer.* 25. 20. „ reges terræ Utz junguntur cum regibus terræ Philistæorum, Ascalonis, Ecronis, &c. & medii interponantur inter Ægyptios & Philistæos. „ Sed ibidem distinguitur terra „ *Utz* „ ab „ *Edom*, „ quæ recensetur cum „ *Ammon*, *Moab*, *Tyro*, adeòque eadem non fuit: & si fuisset, „ Jobus non fuisset accensitus filiis Orientis, sed Austri. „

T

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.
Thamnata. V. Themna.					
				Thamnath - Saraa. V. Thamnasfare.	Thamnath - Saraa. V. Thamnasfare.
	Tamnatha: V. Themna.				
Thamnasfare.	Thamnasachar.				
				Tamna, q. & Thamnas-saraa. E.	Thamnath-saraa M. *long. gr.* 65. 39. *lat. gr.* 33. 18.
(299) Thanac-Aner, int. & Thenac. M. *long. gr.* 66.' 33. *lat. gr.* 32.' 30.	Thanac.				
					Thanac Regnum M *long. gr* 65. 42. *lat. gr.* 32. 41.
			Thanat: V. Thanath-selo.		
	Thanath. V. Thanath-selo.				
Thanath - selo. E. *long. gr.* 67. 20. *lat. gr.* 32.' 5.	Thanath.		. Thanat. E.	. Tanat- selo. E.	Thanath - selo. E. *long. gr* 66.' 14. *lat. gr.* 32.' 7.
	Thapsa.				
		Thara. *lat. g.* 30.' 25			
	Tharabasa.				
(300) Tharela. B *long. gr.* 66.' 40. *lat. gr.* 31.' 52.					
	Tharse.				
	Tharsila.				
	Thebæ. V. Thebes.				
	Thebasa.				
(301) Thebe. G. *long gr.* 67.' 33. *lat. gr.* 32.' 4.					
Thebes. M. *long gr.* 67.' 2. ½ *latit. gr.* 32.' 18.	Tebera, int. Thebæ, & Thebes. *latit. gr.* 32.' 32.		. Thebes. E.	. Thebes. M.	
	Theco. Jud.				
.Thecua, int. & Thecue Jud *long gr* 66 42. *latit. grad.* 31.' 42 ½	Tecoa. Jud. *lat. gr.* 31.' 44.	Thecua. *lat. g.* 31.' 4.	. Thecue. Jud.	. Thecua. Jud.	Thecua. Jud *long. gr* 66.' 12. *lat. gr.* 31. 36.
Thecue. V. Thecua.			Thecue. V. Thecua.		
	Thelam.				
Thella.	Thella.				
(302). Theman. M. *long. gr.* 68.' 23. *lat. gr.* 33.' 2.		Theman. *lat. grad.* 30.' 59.		Theman. M.	
			. Theman. Jud.		
(303) Themna, Thāna, int. & Thamnata. D. *long gr.* 65.' 46. *latit. grad.* 31. 47. ½	Timnata. D.		Thamna. D.	Thammata. D.	Thamna. D. *long gr.* 65.' 19. *lat. gr.* 32.' 39.
		Thena. V. Thenath.		Thena. V. Thenath.	
	Thenath, int Tena. *lat gr.* 32. 20.	Thena. *lat. g* 32.' 25.	. Tenac. M.	. Thena. M.	
			(304) Thennaris flu. M.		
				Thenton. M.	
		Thermæ Tiberiensis. *lat. gr.* 32. 55.			

(299) Urbs Regia.
(300) Urbs XXI. ex XXVI. Tribus Benjamin à Josue cap. 18. memorata *Jarephel* inter & *Sela*: quare exorbitans textus in latit., reducatur ad latit. grad. 31.' 52.
(301) In hanc urbem, quam Tabula in Tribu Gad exhibebat, litura animadvertimus, quòd nemini cognita, ab ipso etiam textus silentio repudietur.
(302) Arabiæ visum est Bonfrerio adjudicare.
(303) Hanc *Accarons* & *Beth-semes* propinquam Sansonius in suo exponis textu; quapropter eùm in Tabula ad grad. 32.' 40. la foret, longitudina immota grad. 65.' 46. ad latit. grad. 31.' 47. ½ uti rectè in textu, eam reposuimus.
(304) In Ruei quoque Tabula quidam inspicitur anonymus rivus, qui in Jordanem, ut & in ea Calmeti cernitur, supra lacu r influit; diversimodè tamen derivatus.

T

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
(305) Thersa. M long. gr. 67.'7.$\frac{1}{2}$ lat. gr. 32.'15.	Tirtsa.	Thirza. *lat.g.*32.'40.	Thersa. E.	Topsa, Tassa, & Thersa Regnum. M.	Thersa Regnum. M. *long. gr.* 66.'10. *lat. gr.* 32.'31.	Thersa. M. *long. gr.* 68.'32. *lat.g.*31.22.
				Thersa Torr. M.		
Thesbe.				Thesbe. G.	Thesbe. G. *long. gr.* 67.'2. *lat. g* 32.'18.	
	Thesbone.					
Theuca.						
		Thimna. eo.				
	Thisbe. N.					
	Thobes. Jud.					
Thobiæ Terra. V. Terra Thob.						Thob Terra. V. Terra Thob.
(306). Thocen. S. *long. gr* 66.'2. *lat. gr.* 31.'21.	* Tochen. Jud.					Thocen. S. *long gr.* 67.35. *lat g.*30.42.
Thalad. V. Eltholad, Tolad.						
Thophel. R. *long.gr.* 67.'16. *lat g.*31. 34.						
				Thracones Colles Strab. V. Montes Galaad.		
				Thraconitidis Canatha. V. Canat.		
				Thraconitis. V. Traconitis.		
	Thressa.					
	Tiberiadis lacus. V. Mare Galilææ.		Tiberiadis lacus. V. Mare Galilææ.			
				Tiberiadis Mare. V. Mare Galilææ.		Tiberiadis-Mare. V. Mare-Galilææ.
Tiberias. V. Genesareth.	Tiberias. V. Genesareth.	Tiberias. V. Genesareth.	Tiberias. V. Genesareth.	Tiberias. V. Genesareth.		Tiberias. V. Genesareth.
		Tiberienses Thermæ. V. Thermæ Tiberienses.				
(307). Tichon. N. *long gr.*67. 47 *lat. gr.* 33.'22.$\frac{1}{2}$			Betacini Plinii, seu Domus Tichon. Ezech. 46. 16. M.	Domus Tichon.		Tichon. N. *long gr.* 67. 16. *lat. g.*32. 31.
	Timna. V. Tamna.					
	Timnath-Cheres. E					
	Timnath Serach. E.					
	Timnatha. V. Themna.					
	Tirathaba.					
	Tirtsa. V. Thersa.					
	Tochen. V. Thocen.					
	Tolad. V. Eltholad, Tholad.					
	* Toloha.					
						Tophel. R. *long gr.* 68.'49. *lat.g.*30.47.
				Tophna. M.		
				Topsa. V. Thersa.		
	Tornagia.					

Tor-

(305) Regia Urbs & Adrichomio & Bonfrerio.

(306) Vicum hunc, quem in Tabula insculpsit Sansonius, absolutè rejicit in textu. Cellarius etiam eum præterit; Relandus asterisco * signat. Bonfrerius tamen Villam appellat de Tribu Simeonis muris minimè septam. Nos, cum pleraque alia Oppida Pagique in hac Sansoni Tabula desiderentur, & *Thocen* expungendum censuimus, vel eo maximè cum neque a Calmeto, aut Rueo in nostra Tabula memoretur.

(307) Domus est in extremis terminis ad Aquilonem trans Jordanem in finibus *Damasci* & *Emath*, ut ex Ezech. XLVII. v. 16. scribunt Bonfrerius, & Calmetus in Tabula, in qua ferme ad altitudinem, & è regione *Tyri*, aut parum supra urbem eamdem ad Orientalem Palæstinæ plagam *Domus Tichon* collocatur; a Rueo verò in eadem quidem Orientali plaga, sed tamen, & quidem parum, infra *Sidonem*.

RUE.	CASTELL.
Regnum. M. gr 66. 12. lat. 32.	Thecla. M. lng 66. 31. lat. g 32.
. G. lng gr. lat. g 32. 18.	
	Thob Terra V. 24 Thob.
	Thocua. S. lng 67. 35. lat. g 32.
	Tiberiadis Mar Mare Galilaeae
	Tiberias. V. Genesareth.
	Tichon. M. lng 65. 16. lat. g 3
	Tophel. R. lng 68. 49. lat. g 30

Tu-

prewerit ; Relandus asseribit Oppida Pagique in hac ... in nostra Tabula memorare . Ezech. XLVII. v. 18. ... em eandem ad Orientalem ... sam partem, infra Salem.

Flavus Thebaeo

Torrens

T

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CAN
(308) Torrens.					Torrens M long. gr. 65. 39. lat g. 31. 15.	
Torrens Ægypti, qui & Besor. long. gr 65. 10. lat. gr. 31. 10.	Fluvius Thabate. lat. gr. 31. 34.		Torrens Deserti, falsò flu. Ægypte.	Torrene Ægipti, q. Rhinocorus d. Hieron.	Torrens Ægypti. long. gr. 64. 45. lat. gr. 30. 57.	Torrene qui & gr 67 30. 2
Torrens Arnon. V. Arnon Torr.			Torr. Arnon. V. Arnon Torr.	Torr. Arnon. V. Arnon Torr.	Torrene Arnon. V. Arnon Torrens.	Torrens Arno
					Torrens Assue. V. Assur Torrens.	
Torr. Besor. V. Torr. Ægypti.						
			Torr. Besor. V. Soree Torr.			
			Torr. Bezor. V. Bezor Torr.			
			Torr. Cava. V. Gaas Torr.			
Torr Carith. V. Carith-Torrens.			Torr. Carith. G.			Torrens Carit
			Torr. Cedron. V. Cedron Torr.			
				Torr. Cesion. V. Cison Torr.		
Torr. Cison. V. Cison Torr.			Torr. Cison. V. Cison Torr.			
			Torr. Deserti. V. Torr. Ægypti.			
				Torrene Ægipti, q. Rhinocorue d. Hieron. V. Torrens Ægypti.		
Torr. Gaas. V. Gaas Torr.				Torr. Gaas. V. Gaas Torr.	Torr. Gaas. V. Gaas Torr.	
Torr. Jaboc. V. Jeboc Torr.				Torr. Juboc. V. Jeboc Torr.	Torrens Jaboc. V. Jeboc Torr.	
			Torr. Jabok. V. Jeboc Torr.			
Torr Jeboc. V. Jeboc Torr.						Torrens Jeboc
			Torr. Jaser. G.			
Torrens Jeruel. V. Jeruel Torr.						
	Torrene Kedron. V. Cedroo Torr.					
				Torrens Mageddo. V. Mageddo Torr.		
				Torrens Neptaa. V. Neptaa Torr.		
			Torrens Resin. Jud.			
				Torrens Rochob. V. Rochob Torr.		
				Torrens Roma. V. Roma Torr.		
Torrens. Soree. V Soree Torrens.						Torrens Soree
						Torrens Jeruel Vallis

(308) Queritur Clericus, quòd, cùm è tot Judææ Torrentibus neque ullus κατ' ἐξοχὴν vocaretur, hîc tamen *Torrentis* quasi appe mi unum Sansonius velit secernere, ex quo quinque limpidissimos lapides legerit Davides. Verùm quinque sanè lapides ex vici Torrente David sustulit, Torrenti tamen illi nomen non additur, neque vocatur הנחל hannahhal *Torrens* quasi ac Torrens ei cibus reliquis insignior; ibi enim sermo dumtaxat est de vicino quodam Torrente. Sed fortasse Torrens ille proprio nomine *Torr* batur, quemadmodum, ut ipse ait, accolæ fluvii cujusvis in Gallia non tantum nomine proprio, verùm etiam appellativo voca vere fluvium videlicet, quia subaudiunt vicinum. Nos etiam Itali rivulos quosdam vocamus appellativo nomine, uti proprio *rio* niani vernaculo sermone *il rio*: quod propterea de illo quoque Torrente intelligi potest. *Nemo tamen*, subdit Clericus, *Dictionaria ex illorum sermone nomen proprium faciens* la Riviere. Sed apage hoc censuræ genus: si enim Tabulæ Topographicæ frequenter hab in parte *rio*, vel sermone vernaculo *ru valle*, & hujusmodi ad rivos designandos, cur hoc in Tabulis Corographicis reprehenditu parvi nimium, minimique ponderis sunt istæc, ut vel tantillum Sansonii gloriam deprimere valeant.

SANS.	REL.	GELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
Torrens Zared. V. Zared Torrens.			Torrens Zared. V. Zared Torrens.	Torrens Zared. V. Zared Torrens.	Torrens Zared. V. Zared Torrens.	Torrens Zared. V. Zared Torrens.
	Torus.					
			Tracones Montes. V. Montes Tracones.			
TRACHONITIS. *long. gr.* 68.' 00. *lat. gr.* 33.' 00.	TRACHONITIS. *lat. g.* 33. $\overset{00}{-}$	TRACHONITIS. *lat. g.* 34. $\overset{00}{-}$	TRACHONITIS.	THRACONITIS.		TRACONITIS. *long. g* 69. $\overset{00}{-}$ *lat g* 31. $\overset{00}{-}$
				Traconitis. V. Trachonitis.		Traconitis. V. Trachonitis.
			Transitus Emath. V. Introitus in Emath.	Transitus Emath. V. Introitus in Emath.		
Tribus Afer: *long. gr.* 66.' 40. *lat. gr.* 33.' 15.		Afer Tribus. *latit. gr.* 33. $\overset{00}{-}$	Tribus Afer.	Affer.	Affer Tribus. *long. gr.* 65.' 52. *lat. gr.* 34.' 12.	Tribus Afer. *long. gr.* 68.' 10. *lat. gr.* 33.' 00.
Tribus Benjamin. *long. gr* 66. 23. *lat. gr.* 31.' 45.		Benjamin. *lat. gr.* 32. $\overset{00}{-}$	Tribus Benjamin.	Benjamin.	Benjamin Tribus. *long. gr.* 65.' 20. *lat. gr.* 32.' 2.	Tribus Benjamin. *long gr.* 67.' 40. *lat. gr.* 31.' 11.
Tribus Dan. *long. gr.* 65. 00. *lat. gr.* 32.' 15.		Dan Tribus. *latit. gr.* 31. $\overset{00}{-}$	Tribus Dan.	Dan.	Dan Tribus. *long gr.* 65.' 6. *lat. gr.* 32.' 34.	Tribus Dan. *long. gr.* 66.' 51. *lat gr.* 31.' 11.
Tribus dimidia Manasse cis Jordanem. *long grad.* 66.' 15. *lat. g.* 32. 45.		Manasse dimidia Tribus. *lat. grad.* 32. $\overset{00}{-}$	Dimidia Tribus Manasse.	Manasse.	Manasse dimidia Tribus, & cis Jordaniana. *long gr.* 65.' 15. *lat g.* 32.' 50.	Tribus dimidia Manasse cis Jordanem. *long. grad.* 67' 40 *lat g.* 32. 00.
Tribus dimidia Manasse trans Jordanem. *long grad* 67.' 50. *lat. g.* 33.' 28.		Manasse dimidia Tribus. *lat. grad.* 33. $\overset{00}{-}$	Dimidia Tribus Manasse.	Manasse.	Manasse dimidia Tribus, & trans Jordaniana. *long g.* 66.' 47. *lat. g.* 34. 00.	Tribus dimidia Manasse trans Jordanem. *long grad.* 69' 5 *lat. g.* 32. 44.
Tribus Ephraim. *long gr* 66.' 10. *lat. gr.* 32.' 10.		Ephraim. *lat. grad.* 32. $\overset{00}{-}$	Tribus Ephraim.	Ephraim.	Ephraim Tribus. *long. gr.* 65. 22. *lat. gr.* 32.' 19.	Tribus Ephraim. *long gr* 67.' 40. *lat.* 31' 41.
Tribus Gad. *long. gr.* 67.' 40. *lat. gr.* 32.' 18.		Gad Tribus. *latit. gr.* 32. $\overset{00}{-}$	Tribus Gad.	Gad.	Gad Tribus. *long gr.* 66.' 35. *lat. gr.* 32.' 38.	Tribus Gad. *long. gr.* 68. 53. *lat. gr.* 31.' 35.
Tribus Issachar. *long. gr* 66.' 30. *lat. gr.* 32.' 50.		Issachar. *latit grad* 32. $\overset{00}{-}$	Tribus Issachar.	Issachar.	Issachar Tribus. *long. gr.* 65.' 34. *lat. gr.* 33.' 59.	Tribus Issachar *long. gr.* 68.' 1. *lat gr.* 32.' 8.
Tribus Juda. *long. gr* 65.' 00. *lat. gr.* 31.' 40.		Jehuda. *latit. grad.* 31. $\overset{00}{-}$	Tribus Juda.	Juda.	Juda Tribus. *long. gr.* 64.' 17. *lat. gr.* 31.' 48.	Tribus Juda. *long. gr.* 66.' 45 *lat. gr.* 31.' 6.
Tribus Manasse cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.		Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Manasse. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.	Manasse dimidia Tribus, & cis Jordaniana. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanẽ.	Tribus Manasse dimidia cis Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse cis Jordanem.
Tribus Manasse trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.		Manasse dimidia Tribus. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Manasse dimidia Tribus V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Manasse. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Manasse dimidia Tribus, & trãsJordaniana. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.	Tribus Manasse dimidia trans Jordanem. V. Tribus dimidia Manasse trans Jordanem.
Tribus Nephtalim. *long. gr* 67.' 27. *lat. gr.* 33.' 30.		Nuphtalim. *lat. gr.* 33. $\overset{00}{-}$	Tribus Nephtalim.	Nephtali.	Nephtali Tribus. *long. gr.* 66.' 15. *lat. gr.* 34.' 5.	Tribus Nepalim. *long. gr.* 68' 45. *lat. gr.* 32.' 52.
Tribus Ruben. *long. gr* 67.' 00. *lat. gr.* 31' 45.		Ruben. *latit. grad.* 31. $\overset{00}{-}$	Tribus Ruben.	Ruben.	Ruben Tribus. *long. gr.* 65.' 32. *lat. gr.* 32.' 8.	Tribus Roben. *long. gr.* 63.' 20. *lat. gr.* 31.' 5.
Tribus Simeon. *long. gr.* 65.' 8. *lat. gr.* 31.' 32.		Simeon. *latit. grad.* 31. $\overset{00}{-}$	Tribus Simson.	Simeon.	Simeon Tribus. *long. gr.* 64.' 18. *lat. gr.* 31.' 41.	Tribus Simeon *long. gr.* 67.' 00. *lat. gr.* 31. 8.
(309) Tribus Zabulon. *long g* 66.' 40. *lat gr.* 32.' 48.		Zabulon. *latit. gr.* 33. $\overset{00}{-}$	Tribus Zabulon.	Zabulon.	Zabulon Tribus. *long gr.* 65. 45. *lat. gr.* 33.' 16.	Tribus Zabulon. *long. gr.* 68' 10. *lat. gr.* 32.' 10.
	Tricomias.					
	Tricomis.					
		Tridui iter. V. Iter tridui.				
			✠ Tripolis.			
				Trisasphaltites Lacus. V. Mare salsissimum.		

(309) Namo in Tribuum Senographia alteri convenit.

Tur-

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
			TUBIANAEI. G.			
				Tumulus Galaad Tran Jordanem, contra Solis ortū terminus erit vestr. Jos. 1. G.		
		Tumulus Pompeji. V Pompeji tumulus.				
				T Benjamin. V. Githaim.		
Turris Gregis. Jud. long gr 66. 34. lat. gr. 31.' 38.						Turris-Gregis. Jud. long gr. 67. 7. lat. gr. 30.' 55.
Turris Libani. M. long gr. 67.' 53. lat. gr. 33.' 27. $\frac{1}{6}$						
(310) Turris Stratonis, al. Cæsarea. M. long g 66.'22. $\frac{1}{2}$ lat. gr. 32.' 17. $\frac{5}{6}$	Cæsarea. lat. grad. 32.' 38.	Turris Stratonis, Cæsarea Palæstinæ lat. gr. 32.' 47.	Cæsarea Palæstinæ, seu Turris Stratonis. M.	Anazarbeum, Turris Stratonis, Cæsarea Palæstinæ, Port Sebastes, Colonia Prima Flavia. M.		Turris Stratonis, al. Cæsarea. M. long. gr. 67.' 54. lat. gr. 32.' 53.
Tyriorum Scala. V. Scala Tyriorum.	Tyriorum Scala. V. Scala Tyriorum.	Tyriorum Scala. V Scala Tyriorum.	Tyriorum Scala. V. Scala Tyriorum.	Tyriorum Scalo. V. Scala Tyriorum.		
Tyrus antiqua. A. long. gr 66.' 56. lat. gr. 33.' 17.	Paletyrus. latit. gr. 33.' 16.	Palætyrus Sarra... lat. gr. 33.' 53.	. Palætyrus. A.	. Palætyrus. A.	Tyrus. A. long. gr. 65. 56. lat. g. 33. 40.	Tyrus-Antiqua. A. long gr 68. 32. lat. gr. 32.' 43.
(311) Tyrus-nova. A. long gr. 66.' 55. lat. gr. 33.' 18.	Tyros, int & Tsor, & Tzur. lat. gr. 31. 20.	Tyrus. lat. g. 33.' 54.	Tyrus. A.	Tyrus. A.		Tyrus. A. long gr. 68.' 32 lat. g. 32.' 43.
	* Tzaanaim.					
	* Tzaanan.					
	* Tzaanannim. M.					
	Tzaphon. V. Saphon.					
	Tzarpath.					
	Tzartan.					
	* Tzartana.					
	Tzeboim. B.					
	* Tzela.					
	* Tzelzach.					
	Tzemaraim. V. Samaraim.					
	* Tzenan. Jud.					
	* Tzephtt, quæ & Chorma. S.					
	* Tzer. N.					
	* Tzeredatha.					
	* Tzereth-Hasschacar. R.					
	Tzeriphin.					
	Tziadatha.					
	Tziclag V. Siceleg.					
	Tziddim. V. Assadim.					
	Tzidon. V. Sidon.					
	Tzinna. V. Cina.					

VALA

(310) Longius è regione infra Tiberiadis lacum à Calmeto quam à Rueo locatur. Sansonius eam designat ferè è regione dimidii lateris ejusdem; Cellarius medius inter situm Ruei & Calmeti eam locat, quæ ab Herode anno ab U. C. circiter 712. uti vult Pagius in Apparatu Chronologico num. CXXII pag 28. recentioris editionis, fuit condita.

(311) Nulla a Sansonio in Tabula indicata signo eam adjunximus ductore Cellario. Clericus quidem in sua ad Atlantem sæpesæpius memorata Prolusione nullo confitetur Tyrum-novam signo indicare voluisse, ne Tabulas veteres mutaret. In hac parte Clerico obsequi ineptum judicavimus.

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
	Tzior. V. Sior.					
	Tzor. V. Tyrus-nova.					
	Tzora. Jud.					
	* Tzur. V. Tyrus-nova.					
				Vadum. G.		
VALLIS ACHOR. B. *long. gr.* 67.' 7. $\frac{1}{2}$ *lat. gr.* 31.' 44.						
	Vallis Antilibanum inter & Libanum. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.					
Vallis Arundineti. V. Arundineti V.			Vallis Arundineti. V. Arundineti V.		Vallis Arundineti. V. Arundineti V.	Vallis-Arundineti. V. Arũdineti-Vallis.
Vallis Baaras. V. Baaras V.						
Vallis Bameth. V. Bamoth Vallis.						
VALLIS Benedictionis. Jud. *long. gr* 66.' 45. *lat. gr* 31.' 25.						
					VALLIS Betharan. *long gr.* 66. 26. *lat. gr.* 30. 3.	
			⊕VALLIS BUCCA.			
Vallis-casis. B. *long. gr.* 67.' 4. *latit. gr.* 31.' 27. $\frac{1}{2}$					Casis. B. *long grad.* 66.' 31. *lat. g.* 31.' 30.	Vallis-casis. B. *long. gr.* 68 30. *lat. gr.* 30. 45.
VALLIS Ennon.	VALLIS Ennon.					VALLIS ENNON. Jud *long g.* 67 37. *lat. gr.* 30.' 37.
VALLIS Jephtael. *long gr.* 67.' 00. *lat. gr* 32.' 50.					VALLIS Jephtael. *long gr.* 65.' 43. *lat. gr.* 33.' 10.	
				Vallis illustris. V. Illustris Vallis.		
	Vallis inter Antilibanum, & Libanum. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.					
	VALLIS inter Libanum, & Antilibanum. *lat. g.* 33 00		PLANITIES Libani.		CAMPUS Libani, cap. 12. *long. grad* 66.' 54. *lat. g.* 34 00.	
VALLIS Josaphat.						
	Vallis Libanum inter, & Antilibanum. V. Vallis inter Libanum, & Antilibanum.					
VALLIS Raphaim.	VALLIS Rephaim. *lat. gr.* 31. 00				RAPHAIM Gigantes.	
VALLIS Salinarum Jud *long g.* 66.' 17. $\frac{1}{2}$ *lat gr* 31.' 17. $\frac{1}{2}$			VALLIS Salinarum. Jud.			VALLIS Salinarum Jud *long g* 68.' 17. *lat. gr.* 30.' 34.
VALLIS Sennim.						
Vallis Sephata. V. Sephata V.						
				VALLIS Syves. Jud.		
VALLIS Terebinthi.						
	Vastissimae solitudines. V. Solitudines vastissimae.					

SANS.	REL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
					Ubi mortuus Moses. R. *long. gr.* 67.' 5. *lat. gr.* 31.' 56.	
	Verus fons Jordanis. V. Phiala F.					
	VerusJordanis fons. V. Phiala F.					
	• Veterocaria.					
				Vetus Afor. V. Afor-vetus.	Vetus Afor. V. Afor-vetus.	
			⊕ Vetus Byblos.			
			Vetus Idumea. V. Montes Seir.			
				Vetus Sichem: V. Sichem-vetus.		
Vetuehob, vel Betenob.						
VIA BASAN. M. *long gr.* 68.' 10. *lat. gr.* 32.' 50.						
				Vicus Ramoth. V. Ramoth.		
				Vicus Salimias. V. Salimias.		
				Vinearum Abyla. V. Abyla vinearum.		
			Vituli aurei Templum. V. Templum vituli aurei.			
				Viventis puteus. V. Puteus videntis.		
Viventium aquarũ puteus. V. Puteus aquarum viventium.						Viventium aquarũ puteus. V. Puteus aquarum viventium.
	Ulamis. V. Dan.					
	Ulamma. *latit. gr.* 32.' 43.					
	Ulatha.			. Ulatha. M.		
				ULATHÆ, seu HYLATHÆ Ituraeorum gens Phn.		
				Ulmaa. E.		
	• Umma.					
				Urbs Crocodillorum V. Crocodilon.		
	Usha.					
	Uffen-scheera. R.					
. Xaloth: M. *long. gr.* 66.' 37. ½ *lat. gr.* 32.' 31.	Xaloth.					Xaloth. M. *long gr.* 68.' 7. *lat. g.* 32.' 43.
						Yeruel Torrens. V. Jeruel Torrens, & Vallis.
Zabulon Tribus. V. Tribus Zabulon.		Zabulon. V. Tribus Zabulon.	Zabulon Tribus. V. Tribus Zabulon.	Zabulon. V. Tribus Zabulon.	Zabulon Tribus. V Tribus Zabulon.	Zabulon Tribus. V. Tribus Zabulon.
(312). Zabulon. Z. *long gr.* 66.' 44. *lat. gr.* 32.' 52.	Zabulon:		Zabulon.	Zabulon. Z.		Zabulon. Z *long. gr.* 68.' 15. *lat. gr.* 32.' 7.
				Zabulon Bersabee. V. Bersabee.		
				Zabulon Bethlem. V. Beth-lehem, al. Bethulia.		

(312) Urbs Calmeto praegrandis parvo a Sansonio notabatur signo, quod nos idcirco in proprium urbium characterem mutavimus. Cellarius etiam ex Josepho *Zabulon* de virorum nomine appellatam validam afferit esse Civitatem Galilaeae.

Z

SANS.	BEL.	CELL.	CALM.	RUE.	RUE.	CANTELL.
		ZALMONA. *lat. gr.* 30.' 35.				
				Zana. V. Zanoe.		
	Zanoach. V. Zanoe.					
Zanoe. Jud *long. gr.* 65. 37. *lat. g.* 31. 30.	Zanoach.			Zana. Jud.	Zanoe. D. *long. gr.* 65.' 37. *lat. gr.* 31.' 48.	Zanoe. Jud. *long. gr.* 67.' 33. *lat g* 30.' 50.
Zanoe. Jud. *long. gr.* 66. 35. *lat. g.* 31. 24.	Zanoach.				Zanoe altera. Jud. *long. gr.* 66.' 20. *lat. gr.* 31.' 36.	Zanoe. Jud. *long. gr.* 68. 5. *lat. g.* 30.' 38.
					Zared Mons R. *long. g* 67. 29 *lat. g.* 31. 24	
Zared Torrens. R. *long gr* 67.' 25. *lat. gr* 31.' 6.		Zared flu. *latit. gr.* 31.' 30.	Zared, Torr. R.	Zared, Torrens. R.	Zared, Torrens. R. *long gr.* 67.' 29. *lat. gr.* 31.' 17.	Zared Torrens. R. *long gr.* 69.' 32. *lat. gr.* 30.' 12.
		Zarton. *latit. grad.* 32.' 42.				
	Zebaja. V. Migdal Zebaja.					
	Zebece.					
		Zeboim. *latit. grad.* 31.' 56.	Seboim. Jud.	Seboim. Jud.		
	Zebulonis Campus. V. Campus Zebulonis.					
	Zeea. Jud.					
Zephona. N. *long. gr* 67.' 36. *lat. gr.* 33.' 20.				Zephona. M.		Zephrona. N. *long. gr.* 69.' 5. *lat. gr.* 32. 36.
						Zephrona. V. Zephona.
	Zia.					
		Ziclag. V. Siceleg.				
			Zin. Jud.			
		ZIN, sive CADES desertum. *lat. gr.* 29.$\frac{00}{}$				
Ziph. V. Jethnam Ziph.	Ziph. V. Jethnam-Ziph.	Ziph. V. Jethnam-Ziph.				Ziph. V. Jethnam-Ziph.
Ziph. Jud. *long. gr.* 66' 17. $\frac{1}{2}$ *latit. gr.* 31.' 9.	Ziph.		Ziph. Jud.	Zyph. Jud.	Ziph. Jud. *long. gr.* 66.' 26. *lat g.* 31.' 21.	Ziph. Jud. *long. gr.* 68.' 9. *lat. g.* 30.' 22.
		Ziph Desertum. V Desertum Ziph.				Ziph Desertum. V. Desertum-Ziph.
Ziph. (M.) Jud. *long. gr* 66. 40. *lat. gr.* 31. 5.	Ziph-Mons. *lat. gr.* 31.' 31.					
	* Ziphron.					
	Zipporis. V. Sephoris	Zipporis. V. Sephoris				
	Zinium.					
	Zoar, int. Zoara. V. Segor.					
	Zoara. V. Segor.	Zoar. V. Segor.				
				Zuetha, quæ Capitolius. M.		
				(313) Zyph. V. Ziph.		

(313) Hæc in summa temporis angustia adnotavimus, quod minori fortassis circumlocutione, & accuratius præstitissemus, si Tabulæ quæcunque graduatione, & utinam æquali, partitæ forent.


F I N I S.

Schema mensium Hebræorum, Atheniensium, Macedonum, & Ægyptiorum mensibus anni Juliani accommodatum.

Romani	Hebræi	Athenienses	Macedonici	Ægyptii
Januarius	שבט	Ex duabus Inscript. marm. apud Jacobum Sponium Ανθεστηριών	Αυδυναῖος	Τυβί
Februar.	אדר	Ελαφηβολιών	Περίτιος	Μεχείρ
Martius	ניסן antea dictus אביב initium anni sacri.	Μουνιχιών	Δύστρος	Φαμένωθ
Aprilis	אייר antea dictus זו	Θαργηλιών	Ξανθικός Ab hoc mense annus eorum incipit.	Φάρμουθι
Majus	סיון	Σκιῤῥοφοριών	Αρτεμίσιος	Παχών
Junius	תמוז	Εκατομβαιών Ab hoc mense annum inchoabant. Etymologicus indicat Κρονιῶνα ante appellatũ fuisse.	Δεύτιος	Παϋνί
Julius	אב	Μεταγειτνιών	Πάνεμος	Επιφί
Augustus	אלול	Βοηδρομιών	Αῶος	Μεσορί
Septemb.	תשרי antea dictus איתנים initium anni civilis.	Πυανεψιών	Γορπιαῖος	Θώθ à quo anni est initium.
October	מרשון antea dictus בול	Μαιμακτηριών	Υπερβερεσαῖος	Φαωφί
Novemb.	כסליו	Ποσειδεών	Δίος	Αθύρ
Decemb.	טבת	Γαμηλιών	Απελλαῖος	Χοιάκ



TERRA PROMISSA
in suas Tribus Partesque diuisa
auctore N. SANSON Albauilleo
pro Hist de Republica Hebreorum
CAROLI SIGONII concinnata
1754



OCCIDENS
MARE MAGNUM
Quod et
OCCIDENTALE
EDOM
quæ et
IDU
Satrapiæ Philistinorum
TRIBUS DAN
TRIBUS SIMEON
Joppe
Gaza
Ascalon

CAROLI SIGONII

MUTINENSIS

DE REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBRI SEPTEM

CUM NOTIS CLARISSIMI VIRI

ABBATIS LAURENTII

MAFEI

IN CAROLI SIGONII

D E

REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBROS SEPTEM

L A U R E N T I I   M A F E I

P R Æ F A T I O.

Quod mihi propositum fuit in illustranda Sigoniana Hebræorum Republica, operæ pretium est, Lector benevole, tibi paucis exponere; ut qualemcumque laborem meum, non alia de caussa, quàm utilitatis tuæ susceptum, illico perspectum habeas, atque exploratum. Plurimas inter bujusce Reipublicæ formas ab eruditis hactenus in lucem editas, illa proculdubio, quam Carolus Sigonius, Scriptor egregius, primus omnium exposuit, eo semper loco habita fuit, ut sive ordinem specles, sive in scribendo elegantiam consideres, nulli unquam secunda fuerit existimata. Ita in septem libros rem omnem digessit, ut universa cum ad Religionem, tum ad Regimen illius Reipublicæ spectantia diligentissimè complectatur: ad illam referens Sacrorum omnium, & Sacerdotum descriptionem: ad hoc Consiliorum rationem Judiciorum, & Magistratuum; addita insuper Belli, & Pacis disciplina; quæ omnia explicat tanta concinnitate, & verborum nitore, ut aureo Latinorum sæculo proximè videatur accedere.

Verùm illa ætate vixit Sigonius, qua deerant ipsi plurima adjumenta ad hoc opus perficiendum, quibus nos certè abundamus. Habet enim ætas nostra innumeros pene Scriptores, quorum alii in ipsis fontibus totam Hebræorum antiquitatem perlustrarunt: alii ejusdem partem aliquam accurata disquisitione sunt persecuti. Non desunt qui de vestibus Sacerdotum, qui de funeribus Hebræorum, qui de re Rituali, de successione item Pontificum, de Animalibus Sacræ Scripturæ, & de sexcentis aliis peculiares lucubrationes ediderunt, quarum ope multa illustrantur, quæ Sigoniano sæculo infelicissimis tenebris obruebantur. Extant præterea Rabbinorum scripta non pauca, quibus eorum placita, & traditiones non obscurè intelligi possunt; ita ut quæ falsa sunt ex eorum lectione facili negotio deprehendantur; quæ verò non repugnant, & antiqua sunt apud ipsos, rebus à memoria nostra longè remotis, & obscuris, præferant facem. Judæi enim, qui, teste S. Hieronymo Commentariorum in Zachariam Cap. VIII. in Prophetiis de Christo: *tergiversari solent, & veritatem celare mendacio*, in describenda historia Gentis suæ, *quæ ex præcedentibus, & consequentibus texitur*, meras nugas agere semper non sunt putandi.

In hac tanta luce nihilominus magnum mihi onus imposuisse fateberis puto, Amice Lector, quum animadversiones huic operi adjungendi cura suscepta, meam tibi fidem obstrinxi. Tale quiddam ante me Joannes Nicolai molitus est, & in aliquibus Judaicarum rerum studiosis eruditionem suam probavit. Sed ægrè ferebant Orthodoxi ab Hæretico Scriptore illud opus quandoque erroribus conspurcatum, cupiebantque vehementer, ut aliquis integerrimæ Religionis, ac Fidei Catholici Scriptoris lectionem non utiliorem modò redderet, verùm etiam ita emendatam, ut in ea posset unusquisque sinè periculo versari. Utinam ego emolumentum hoc tantum eruditorum Reipublicæ præstare potuissem! Sed virium mearum imbecillitas fecit, ut minus certè valerem. Conatus sum tamen quod potui: & in dijudicanda præcipuè Testium auctoritate laborandum mihi proposui diligentius, ut (quod in re omnium maxima plurimi faciendum est) idoneis argumentis omnia comprobarentur. Primum idcirco scrutari sedulò incœpi Sacram Scripturam, in qua Deus optimus maximus certissima bujus Reipublicæ monumenta conclusit. Hanc non raro, ut est in suis fontibus, examinare oportuit, hoc est Vetus Testamentum, ut in Hebræo; Novum, ut in Græco legitur, quo hodiernos Apellas fortius urgerem; vulgatamque versionem Latini Interpretis ipsius fontibus respondentem ostenderem contra Hæreticorum cavillationes. Veteres

ergo

ergo Paraphrafes, Scripturæque Verfiones aliquando conferuntur; ideft Paraphrafis Chaldæa *Onkelor*, & Verfio præcipue τῶν LXX.

Poft Scripturam primas meritò detuli Sanctis Patribus, quorum Doctrinâ non minus, quàm fanctimoniâ fulget Ecclefia Chrifti, latèque triumphat. Quare ex Latinis Sanctorum præfertim Hieronymi, Auguftini, & Doctoris Angelici: ex Græcis Chryfoftomi, atque Epiphanii, Origenis etiam, ac Theodoreti fcripta confului. Ufui mihi quoque fuerunt (quod ingenuè fateor) quæ olim privato ftudio, nec de iftis annotationibus quidquam cogitans, ex eruditis commentariis in Scripturam à Clariffimo Viro Auguftino Calmet Gallicè fcriptis excerpferam, & in adverfaria conjeceram. Ab iftius verò operibus in annotationes ex integro tranflati funt Catalogi Chronologici, quibus poft Ufferii Simfonis, aliorumque eruditorum labores, ordinem ftatuit fucceffionis illorum omnium, qui in Hebræorum Republica dominati funt: tum defcriptio Mufices inftrumentorum, fidicularium nempe, pneumaticorum, & crepitantium, quibus legimus Sacerdotes, & Levitas, aut in Tabernaculo, aut in Templo cecinifle.

Neque omifi Judæos ipfos, quos inter peculiarem Philonis, & Jofephi rationem habui. Pauca tamen à primo collegi, quum ipfe pauca admodum hiftoricè fcripferit, & hæc plerumque allegoricè: plurima verò Philofophici argumenti, de quibus tanta Græci eloquii fuavitate differuit, ut quibufdam cum Platone Philo certare videatur. Quum autem univerfam Judæorum antiquitatem confectatus fit, nonnulla, ut dixi, fumere ab hoc debui; fed eâ tamen diligentiâ, ut ubi eum libris Moyfis, & Prophetarum minimè confentit, firmiffimis argumentis ipfius teftimonia rejicerem. Quod attinet poftea ad Flavianæ hiftoriæ auctoritatem, neque me illis fubfcribo, qui eam plus æquo extollunt, neque iis, qui eandem nimio plus deprimunt. Nam Jofephum eximium effe Scriptorem inficiari certè non poffumus. Hic enim antiquiores Orientalium populorum Hiftoricos, quorum volumina jam penitus exciderunt, Berofum Chaldæum, Manethonem Egyptium, Megaftenem, Hecateum Abderitam, cujus fcripta *de Judæis* deperdita meritò dolent Eruditi, Nicolaum Damafcenum, aliofque perlegit. Sed partim celebrandæ plus æquo Gentis fuæ ftudium, partim probandi fe Ethnicis, quibus tunc maximè fcribebat, illum quandoque tranfverfum egit. Quare nil mirum videri debet, fi illum aliquando in annotationibus non reprehendere non potui.

Et ne tibi multa præfatione moleftus fim, Lector humaniffime, en tria loca in quibus Hiftoricus ifte laborat manifefto mendacio. Antiquitatum lib. II. Cap. ultimo: tranfitum Hebræorum per Mare Erytræum, quem divifis fluctibus, ex facris literis fcimus ipfis divinitus contigiffe, ut Ethnicis probabilem reddat, comparat illum cum tranfitu Macedonum per Mare Pamphylium: atque ita contra firmiffimam Gentis fuæ traditionem, ac fidem, in re certiffima videtur hæfitare. Falfa hæc comparatio redarguitur Columna 23. Annot. 30. Lib. IX. Cap. ultimo fcribit: Cuthæos Deorum in Samaritide fuperftitione implicatos, quum pefte conflictarentur, Oraculum confuluiffe, &, eo monente, ut vero Deo cultum exhiberent, Legatos ad Affyriæ Regem mififfe, aliquot è captivis, quos tenebat, Sacerdotes impetraturos. Quæ quum libris Regum haud confona fint, refutantur Columna 33. Annot. 61. Lib. XV. Cap. XIV. narrat: Herodem dejecto Templo Zorobabel, jactifque novis fundamentis, Templum denuo excitaffe. Qua narratione, tanquam firmiffimo argumento innixi Judæi recentiores, vim, & auctoritatem Prophetiæ Aggæi Cap. II. nec non Malachiæ Cap. III. eludere conantur. Et commentum hoc quoque de Templo Herodiano refellitur Colum. 99. Annot. 54.

Pluribus tamen in locis Jofephi teftimonium laudavi, probavique, & præfertim in iis, in quibus, aut ea narrat, quæ ætate fua, vel paullo ante contigerunt, aut exponit fententias olim, & temporibus fuis communiter à Gente fua receptas. Quibus ego fum ufus contra recentes Judæorum Magiftros, quorum ftudia fequioribus fæculis in deterius converfa à veteribus difcrepant longè nimis. Cujus rei teftimonium unum dumtaxat hoc loco afferre fufficiat. Teftatur Flavius lib. X. Cap. XII. Danielem non fuiffe modò Prophetam, fed excellentiffimum Prophetarum, & certa Oraculorum interpretatione non folùm apud Judæos, fed etiam apud Gentes Prophetæ fidem obtinuiffe. Contra verò Judæorum novi Magiftri, levibus innixi ratiunculis, Danielem Prophetarum choro movere contendunt. Neque alia profectò de cauffâ, nifi quia de Adventu Chrifti nimiùm apertè locutum vident, & ea clarè, atque diftinctè prædixiffe, quæ poft adventum fecit ipfe Jefus: & quia numerum annorum definit, & calamitates prænuntiat, quas patrato tandem iniquo fcelere Judæi paffi funt. Sed hæc clariùs patebunt Colum. 157. Annot. 70. & Colum. 327. Annot. 82.

Postremi mihi tandem fuerunt isti Neoterici quoque Judæorum Magistri, quos non putavi mihi negligendos omnino, quum Sigonius noster, licèt non ab ipsis, sed à Petro Galatino, præclaro Minorum Ordinis Scriptore, illorum hauserit opiniones, quibus ad ea fulcienda, quæ dicit, usus est aliquando. Itaque Rabbi Maimonidem, qui in hoc genere, quantum ego intelligere possum, princeps est Judæorum, præ cæteris attentiùs legi, ut ab illo sensa aliorum, qui de ipsius grege sunt, rectiùs perciperem. Quædam etiam adduxi sumta ex eorum Talmude opere cæteroquin nugis, & hallucinationibus ubique referto; immo & blasphemiis, tum adversùs Christum, quem obcœcati Judæi tanquam hostem aversantur, tum adversùs Deum Creatorem Cœli, & Terræ, quem fatentur se unicè colere, turpi, & execrando. In quo Domus Hillel, & Schammai, idest eorum discipuli, pugnantes more Andabatarum, altercationibus utranque paginam infarciunt, & tenebras tenebris offundunt. Idcirco cavendum mihi perpetuò fuit, tum ne mores serius in eorum Rempublicam invectos pro antiquis, tum ne quosdam alios commentitios pro certis haberem: quum hoc habeat peculiare præ cæteris Judæorum natio, ut tempora confundat, & falsis narrationibus oblectetur; fabularum videlicet fœcundissima parens, quibus suam modò superstitionem, modò infidelitatem confirmat.

Ubi verò mihi aliunde persuasum fuit, mores, à Magistris descriptos, florente eorum Republica, re ipsa tales extitisse; iis ad quædam Scripturæ loca illustranda usus sum: quorum unum hoc loco attingam, copiosius explicatum Columna 147. & sequenti Annot. 64. Describitur in Misna cæremonia gestandi singulis diebus Tabernaculorum fasciculum ex ramis palmæ, salicis, & myrti, quam Hebræi judaizantes appellant *Lulabum*: Hellenistæ *Oschophoriam*, de qua sermo est etiam apud Josephum, neque Ethnicis incognita, ut manifestò liquet ex Plutarci Symposio. Octava, sive ultima die Tabernaculorum hauriebant aquam è Siloë, & deferebant in Templum, eamque vino mixtam Sacerdotes ad basim Altaris offerebant, dum interim à Cantoribus illud Isaiæ IV. canebatur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Mos hic hauriendæ aquæ institutus dicitur, auctoribus Aggeo & Zaccharia, post Babilonicam servitutem, tantâque lætitiâ singulis annis instaurabatur, ut apud Judæos in proverbium iverit: *Qui nunquam vidit gaudium haustionis aquæ, hic omnibus vitæ suæ diebus gaudium non vidit*. Hinc ope hujus cæremoniæ descriptæ sensum interpretor illorum verborum Christi, quæ leguntur in VII. Joannis: *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat dicens: si quis sitit veniat ad me & bibat*.

Hactenus de testibus, quos ego adhibui, & de loco, quo quisque apud me fuit. Nunc eorum, quæ adjeci Sigonianæ Hebræorum Reipublicæ de aliquibus saltem præmonere Lectorem non supervacaneum duco. Hæc ad quatuor veluti classes referuntur: ad vindicandam latinam, eandemque autenticam translationem Bibliorum: ad convincendam Judæorum perfidiam: ad infringendam recentium Hæreticorum pertinaciam: ad emendandos demum errores Sigonii, summi equidem viri, sed hominis tamen. Modò igitur, ut si nihil aliud, voluntatem saltem erga te meam perspectam habeas, Amice Lector, ex qualibet classe bina loca dumtaxat, & quidem pressius indicabo, ne, ut est in proverbio, crambe recocta tibi fastidium pariam.

Columna 8. Annot. 7. Verba benedictionis, quam Geneseos IX. Noëmus Japheto impertitus est: *Dilatet Deus Japhet*, ex vi verborum Hebraicorum contendo, ita probè translata fuisse; neque omnino legendum, aut *condecoret*, aut *alliciat*, ut est in versionibus quorundam. Columna 10. Annot. 9. Enos primum fuisse affirmo, qui ritus, & preces pro divino cultu instituit, quæ à filiis Seth statis temporibus adhiberentur. Atque idcirco sustineo versionem Vulgatæ Geneseos IV. *Iste cœpit invocare nomen Domini*. Invocare, inquam, & non *profanare*, ut solent explicare Hebræi ob verbum ambiguum, quod legitur in fonte. Cujus rei caussa Enos Idololatriæ Antediluvianæ auctorem astruunt. Et quod illud verbum verè significet *Invocare*, ostenditur clarè, collatis variis locis ex Pentateucho. Hæc ad primam classem.

Ad secundam spectant ea, quæ Columnis 96. 97. 98. habentur, & quibus ostendo, Messiam, stante secundo Templo, mittendum fuisse. Quapropter pluribus explico celeberrimam Aggei Prophetiam, quæ ab hodiernis Judæis pertinaciter impugnatur, & est: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, & ego commovebo Cœlum, & Terram, & Mare, & aridam; & movebo omnes gentes, & veniet DESIDERATUS cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria &c.* Columna 370. ut inveteratum illud Magistrorum præjudicium refellam, qui audacter non

minus, quàm impiè negant Messiam diris tormentis fore moriturum; expono præcipua Prophetarum vaticinia, quibus non solùm mors Messiæ, sed ipsum mortis genus, & omnia quæ pati debuit, apertè adeò, & distinctè prænuntiantur, ut historicorum potiùs munere, quàm Propbetarum functi videantur.

Ad tertism ea referuntur Scripturarum testimonia, quæ producta sunt Columna 39. Annot. 5. tum ad profligandam hæresim Lurberanorum de justificatione impii; tum ad vindicandum Sigonium ipsum ab illa gravi calumnia, quam ipsi infert Joannes Nicolai, qui in eo loco, in quo de justificatione catholicè scribit, pravè ipsius verborum sensa pervertens, eum immeriro cum Sectariis esse contendir. Itidem Columna 65. Annor. 102. errorem explodo Perri Cunæi, qui è cineribus, quibus jamdudum obruebatur, idem ferme delirium excitans, quod Melebisedechiani secundi sæculi Hæretici propugnabant, asserit, Melcbisedecb ipsum Dei Filium fuisse, qui eodem corpore, quo postea nobiscum in terris vixit, Regis personam, ac Sacerdoris præseferens, Abrahamo apparuit.

Ad quartam denique referenda sunt, quæ Columna 51. Annot. 84. sunt contra Sigonium, quem etroris arguo, eo quod Psalmum secundum, qui torus de Christo prophericus est, de Davide sir interptetatus. In quem errorem lapsum puto, qund ipsi in hac re foriasse minus attento fucum Judæi fecerint, qui maliriosè hunc Psalmum de Davide exponunt, ur apertissimum testimonium Divinitatis Messiæ, qua omni possunr arte, nobis eripiant. Ipse pariter Columna 278. vult Altare Aureum in adyto fuisse collocarum, atque in illud quotidie, incensi causâ, penerrasse Pontificem Maximum. Cujus opinio quamvis aliquor ex veteribus habeat gravissimos Patronos, nunc tamen eadem erudirorum suffragiis minus probatur. Quare Columna 235. Annot. 77. demonstro, Altare Aureum situm fuisse in Sancto, ad ostium Sancti Sanctorum, inter mensam Panum Propositionum, & Candelabrum: quum jam Columna 135. Annot. 18. ostenderim, innixus auctoritate Divi Paulli ad Hebræos, Pontificem semel tantum quotannis, hoc est die solemni expiationis, in adytum iogredi consuevisse.

Hæc, & quædam alia, quæ suis locis reperies, in Sigonii Republica emendantur. Non quidem ea mente, ut tanti Scriptoris nomini, qui omnigeoa eruditiooe apud nationes omnes famæ immorralitarem sibi comparavit, cupiam vel minimum esse detractum. In huc enim argumento *posuit vestigia princeps*: quum nemo aote illum, ut ipse in præfatione sua testatur, in boc lucubrationis genere laboraverir. Præterquamquod non me latet, quod scitè admodum monet Venusinus in Poëtica:

Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut bumana parum cavit natura.

Sed ea castiganrur, quæ veritati minus consentanea videntur: ut quicumque rerum Hebraicarum notitiam è Sigonianis scriptis haurire cupit, illam in hac omnium ipsius operum collectione, bonarum artium incremento, Mediolani adornata, pro modulo ingenii mei, magis habeat incorruptam. Taoii est, fateor, apud me veritatis amor, ad quam unicè indagandam studia nostra conferre omnia, præclarissimum puto, ut si quis magis emendata protulerit, & errores cotrexerit, qui fortasse in hoc opus, me minus cauto, irrepserunt, magnam illi gratiam sim babiturus: quoniam nec tanta me sapientia, neque eruditione tanta instructum sentio, quanta opus erat ad hanc tem dignè, atque utiliter pertractandam.

Cur igitur, inquies, quum videris quàm *sit tibi curta supellex*, tantum tibi onus imposuisti, quod alii, & ingenii viribus, & rerum cognitione muniriores majori cum omnium utilitate suscepissent? Ita planè. Velim tamen tibi persuadeas, me, quo ad potui, tale onus detrectavisse: sed me reluctantem, & fugientem quodammodo magnis officiis devinxerunt, coëgeruntque illi, quibus, quum mihi essent singulari prope amicitia conjuncti, non obsequi, in re præcipuè tam honesta, non potui. Et, ut verum fatear, qui me præsertim movit, Vir equidem fuit, & dignitate, & auctoritate præ cæteris colendus mibi summopere, & cui, pro summis in me beneficiis, humanitate, atque benevolentia, dum anima spitabo mea, tantum debebo semper, quantum hominem homini debere vix licet. Dico Carolum Archintum Mediolanensem. Jam iotelligis quaotum Virum nomino. Comitem illum videlicet amplissimum, illum Velleris Aurei Equitem ornatissimum, illum ex Optimatibus Hispaniarum summum, atque clarissimum, qui præclariores virtutes omnes cum antiquissima generis nobilitate conjunctas præseferens, mirum in modum Patriam suam illustrabat. Illum dico Virum eximium, & omni prædicatione dignum, in quo, præter nobiliora animi ornamenta, quæ rarò in aliis repetiuntur,

cum

cum exquisita rerum omnium scientia, tanta ioerat erga literatos Homines liberalitas, & munificentia, ut quemadmodum nemo unquam sapiens, & eruditus ad ipsum divertit (qui equidem non minus fuere quàm plurimi) quin ipsius humanitatem, & elegantiam cum incredibili eruditione conjuoctam admiraretur: ita nemo eorum est, qui in ipso jam mortuo, decem & octo menses ouoc sunt, doctissimi Viri, splendidissimi Equitis, & alterius Mœcenatis munificentissimi exemplar extioctum non doleat vehemeoter. Vide igitur, ad has animadversiones lucubrandas quanto à Viro fuerim cohortatus. Cohortatus dico? Immo & opere adjutus: nam mihi, quo id commodius perficere possem, ea singulari benevoleotia, qua me certè prosequebatur, suam illam magnificentissimè instructam Bibliothecam aperuit, cujus si aliquando index typis vulgabitur, ut spero, tunc intelligent profectò justi rerum æstimatores, & quanta Librorum copia, & qui MSS. delectus, & quæ raritas editionum pulcherrimarum, Archintæis Ædibus contineantur.

De his, erudite Lector, te monitum volui, antequam ad percurrendam Hebræorum Rempublicam te conferres. Cujus lectionem si industriâ meâ utiliorem, quàm antea judicabis, id præsertim Saoctis Ecclesiæ Patribus, quorum lectione eruditus fui, acceptum referas volo. Si in aliquo verò peccatum est, rogo id tribuas imbecillitati ingenii mei, à quo neque digna hoc argumento, neque commendatione tua proficisci potuerunt. Vale.

BEATISSIMO PATRI
GREGORIO XIII.
PONTIFICI MAXIMO

CAROLUS SIGONIUS.

Cum magna omnibus iis debetur laus hominibus, Beatissime Pater, qui curas & cogitationes suas ad hominum salutem & commoda contulerunt, tum potissimùm ingentem illi sibi apud omnes honorem & gratiam pepererunt, qui constituendis Civitatibus, ferendis legibus, atque obstringendis religione atque officio populis studuerunt. Itaque animadvertere licet, præclara ac magna in omni memoria sæculorum ingenia vehementer in hoc studio elaborasse, atque hujus præcipuè laudis cupiditate flagrasse. Siquidem qui sapientia atque eruditione cæteris præstiterunt, ferme aut novas Civitates instituerunt, aut sese administrandis veteribus tradiderunt, aut certè illarum optimè gerendarum sibi præcepta relinquenda putarunt. Ex quo tantum honoris ac dignitatis adepti sunt, ut in hunc usque diem præclaris mortalium vocibus illorum memoria celebretur. Quod cùm ita sit, nemo tamen omnium contra dubitat, quin multo illorum industria humano generi utilior, atque ad commendationem posteritatis illustrior futura fuerit, si, quod ipsi humano ingenio ac studio adumbrare conati fuerunt, id ipsum ab initio singulari ac præcipua Summi Dei cura, ac sapientia expressum fuisse intellexissent; atque ita ad ejus unius juris, quod ille statuisset, rationem & ipsi sua sive in formanda, sive in administranda Civitate consilia convertissent. Neque enim aut Solon, aut Lycurgus, aut Charondas, aut Plato, aut aliquis eorum alius, qui populos Institutis & Legibus instruxerunt, Rempublicam Hebræorum, quod ex eorum liqueat monumentis, cognitam habuerunt; quæ tamen omnium non solùm antiquissima, sed etiam præstantissima fuit: quippe quam ardens præsentis ipsius Dei consilium verbumque descripsit, & perspecta diligenter ac tradita mirifica ad vitam constituendam ornamenta, atque ad Sacras Literas intelligendas allatura præsidia fuit. Hoc ego jam tum intelligere cæpi, cùm quarto ab hinc anno jussu Sanctitatis Vestræ ad Ecclesiasticam Historiam perlustrandam, atque, ubi res postulare videretur, supplendam me contuli. Quod ipsum cùm acriter obsequendi magis studio, quàm perficiendi spe adhuc curaverim, sumsi initium edendi ab eo, quod præclarum hujus mihi operis fundamentum est visum; quippe Hebraicam, quam cæterè neglexerunt, Rempublicam mihi pro virili pluribus describendam suscepi, quæ ut insignis fuit forma Ecclesiæ Christianæ, atque expressa ad vivum imago beatæ vitæ in Cælesti Civitate degendæ, sic principium esse debet totius Historiæ, quam intendimus, Ecclesiasticæ contexendæ. Quod meum consilium cùm ego ad Illustrissimum Cardinalem Paleotum, Episcopum nostrum, atque alios summos Viros, ac summo judicio, pietateque præditos detulissem, maximum cepi fructum laboris mei, cùm ipsum gravissimo eorum sensi testimonio comprobari. Quare extrema eò alacriore animo persecutus, faciendum mihi duxi, ut opus augustissimo Sanctitatis Vestræ nomini consecrarem, ut quæ non solùm hujus, quam describo, Reipublicæ principatum in terris tenet, sed in summis etiam suis laudibus hanc maximam habet, quòd veteri instaurandæ Ecclesiæ mirificè studet. Nam, ut omittam singularem in recuperanda antiqua ejus ditione industriam, hæc varia doctrinarum Collegia ad sublevandas inopum ejectarumque nationum ærumnas instituit, ac vectigalibus magnis instruxit; hæc menses diesque temerè præcurrentes opportunè retraxit, ac labantem festorum dierum rationem solerti adhibita correctione constituit; hæc jus Pontificium superiorum hominum incuria aliqua ex parte corruptum recognovit, emendavit, & illustravit; ac sacra denique Biblia ad pristinam redigere integritatem decrevit. Quamobrem S. vestram imis, ut debeo, precibus oro, ut meum quoque non alienum ab hac ratione laborem hilari, quemadmodum spero, fronte recipiat, qui vestra omnium gravissima auctoritate confectus ad studia eorum, qui divinis aluntur literis, excitanda ab homine jampridem nomini familiæque vestræ deditissimo divulgatur; cujus consilia actaque omnia utinam Deus ad Ecclesiæ suæ incrementum fortunet, ac vitam ad eam rem longissimam largiatur.

Bononiæ, Anno Salutis MDLXXXII. X. Cal. Sept.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Qui de Forma Reipublicæ inscribitur.

LIBER II.

Qui de Locis Sacris inscribitur.

LIBER III.

Qui de diebus Sacris inscribitur.

LIBER IV.

Qui de Sacris Ritibus inscribitur.

LIBER V.


Qui de Personis Sacris inscribitur.

LIBER VI.

Qui de Consiliis, & Judiciis inscribitur.

LIBER VII.

Qui inscribitur de Magistratibus.



CAROLI
SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM
LIBER PRIMUS,
Qui de **FORMA REIP.** inſcribitur;

CUM NOTIS

CL. VIRI ABBATIS LAURENTII
MAFEI.



Ropoſitũ eſt mihi hoc loco, veterem Hebræorum Remp. à Deo antiquitus inſtitutam, atq; intimis penetralibus ſacrarum literarum incluſam inveſtigare, atq; inventam quoquo modo in lucem poſterorum memoriæ prodere. Res eſt enim, ut omnes fatentur, cum per ſe ad cognoſcendum A præclara, tum ad ſacros libros intelligendos uſque adeo opportuna, ut jure mirari quiſque poſſit, veterum adhuc neminem in hoc genere lucubrationis elaboraſſe, quos conſtat magno atque excellenti ingenio, doctrinaque fuiſſe, atque incredibili quodam divinarum rerum exponendarum ſtudio exarſiſſe. Utinam autem hoc & ipſe aliquanto ante vidiſſem; neque enim aliunde prima probandæ operæ atque induſtriæ meæ rudimenta ſumſiſſem. Quod quidem & temporum ordinem ineunti, & propriæ ſalutis rationem habenti fuit magnopere faciendum. Verum voluntati Dei obtemperare oportuit: qui occulto, credo, conſilio graviores fortaſſe annos meos tractationi omnium ſanctiſſimæ reſervavit: quodque adoleſcens ſtudio ad ſcribendum incitato non cogitavi, quem ille ſibi populum delegiſſet, quamque ejus

Remp. lege data instituisset, jam grandem natu, viribus in dies magis ad lucubrandum elanguescentibus, ostendere voluit. Est enim mihi, ut dixi, consilium, his libris Hebraicorum Sacrorum, Sacerdotumque descriptionem, Consiliorum, Judiciorum, & Magistratuum rationem, totiamque pacis bellique disciplinam ex sacris literarum monumentis erutam aperire. Feci hoc idem olim juvenis in Atheniensibus & Romanis, ut eorum Leges, Instituta, Civitatem, & Remp. variis eorum voluminibus abdita palam facerem: verum, ut nunc sentio, conatu aliquanto ad scriptionis commendationem insigniore: quod illorum Commentarii, ut majorem verborum ad scribendum facultatem suppeditarunt, sic firmiora ad conjiciendam ex tanto temporum intervallo antiquitatem adjumenta subministrarunt. Adde, quod res hæ minora quoque orationis ornamenta ferunt, neque enim elegantia verborum, ut illæ, sed sanctitate Mysteriorum hominibus commendatæ sunt. Quin etiam in ipsis veteris Latini interpretis, ut oportet, vestigiis insistenti ea sæpe adhibenda dicendi genera sunt, quæ elegantes & eruditæ fortasse multorum aures aspernari merito possint. Verum in re magna, ac maxime necessaria, quemcunque conatum opinor esse laudandum, &, si facultas fortasse desit perficiendi, non improbandam tamen esse voluntatem experiendi. Quam ob rem accedamus ad rem, Deo ipso in nostrum auxilium invocato, qui per Prophetam dixit: *Beati qui scrutantur testimonia mea, & in toto corde exquirunt me*: neque enim aliud est testimonium Dei, quam Christus ipse, filius ejus, qui totius Hebraicæ historiæ finis est, ad quem omnia Legis mandata, omnia Prophetarum vaticinia, omnia Hebræorum acta per arcana quædam Mysteria referuntur. Hic est enim Moyses, qui verum hominibus Deum, veramque illius legem ostendit: hic est Josue, qui devictis adversariis cœlestem eis Chananæam distribuit: hic est David, qui Cœlestem Hierusalem à Deo sibi ab initio destinatam ædificavit: hic est Salomon, qui Cœleste Templum, Templum, inquam, non manu factum, eisdem credentibus præparavit: hic est demum Rex ille, qui Judæos, & Proselytos ejus æque in Cœlo compotes Reipub. fecit, cujus adumbrata imago à Deo Moysi in terris tradita fuit. Ut enim in hac terrestri Rep. David Rex cum XII. Principibus Tribuum Israëlitarum populum judicavit: sic in illa Cœlesti Jesus Rex cum XII. Apostolis populum fidelium judicabit: Quoniam autem sic sermonem hunc disposuimus, ut duas ejus partes, Religionem, Civitatemque fecerimus: placet, antequam ad eas explanandas veniamus, rei illustrandæ caussa, vetustam Hebræorum originem demonstrare, ac Legis traditæ, Reipublicæ institutæ, & Urbis illi imperio destinatæ in universum historiam enarrare, Lectore harum antiquitatum admonito, utilem admodum frugiferamque operam suscepturum, si prius, quam se ad hæc cognoscenda contulerit, aliquam ex Sacris Historiis actionum Hebraicarum haustam animo notionem habuerit, cui officio nos quoque pro virili nostra servivimus in eo Commentario, in quo sacram B. Sulpicii Severi historiam explicuimus.

CAPUT PRIMUM.

De Populo Hebræorum.

QUoniam vero hic populus primum Hebræorum, deinde Israëlitarum, tum Judæorum nomen tulit, ac varias sibi subinde sedes & formas adscivit, sane res poscit, ut ante omnia, quis ac qualis extiterit, & unde has ille mutationes acceperit, videamus.

Primum igitur omnium satis constat, quatuor à principio hominum quasi stirpes, aut propagines extitisse; quas Scriptura Sacra *γενέσεις*, id est, generationes, appellat: unam vero à primo homine Adam usque ad Noë, alteram à Noë ad Abraham, tertiam ab Abraham ad Davidem Regem, quartam à Davide ad eum, de quo diximus, Christum pertinuisse; (1) ac secunda quidem ætate Hebræos, (2) tertia Israëlitas, (3) quarta vero Judæos emersisse. Hebræi vero gens fuit omnium, qui-

(1) Gentem, cujus Reip. historiam hic scribit Sigonius, Hebræam appellatam fuisse ab Heber abnepote Sem filii Noe sensit Josephus antiq. L. p. c. 6. Lingua enim, quæ humano generi ante diluvium facile fuit communis; antequam confunderetur in varias Nationes divisa, in Heber familia, ut dicunt, remansit; atque adeo in posteris Heber servata, Hebræa cœpit nuncupari. Huic sententiæ Josephi accedunt magni nominis viri, qui innituntur præsertim Geneseos capiti X 21., ubi dicitur: *De Sem quoque nati sunt* אבי כל־ בני עבר *patre omnium filiorum Heber*; quo loci quum LXX. Hebræam vocem retineant: πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ, Sem intelligunt omnium Hebræorum Patrem fuisse. At alii, ut Origenes, S Hieronymus, S. Jo. Chrysostomus, Theodoretus &c. eo versiculo dicunt significari Sem patrem fuisse omnium populorum trans Euphratem degentium; atque ab Abrahamo Hebræi nomen derivant, quum non ante posteri Heber Hebræi sint vocati, quam Abraham Euphratem transierit, & ex Mesopotamia in terram Chanaan pervenerit. Geneseos caput XIV. huic sententiæ suffragatur, nam versiculo decimotertio Abramo העברי cognomen adjicitur: *& ecce unus, qui evaserat, nuntiavit* לאברם העברי *Abram Hebræo*; Vertunt LXX. Ἄβραμ τῷ περάτῃ. Περάτης autem est *transitor*; vel ut habuit Italica Vetus translatio, quæ erat teste S. Augustino verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ, *ad Abram transfluvialem*, hoc est, *transeuphratensem*. Quare idem S. Doctor quæstione 29. in Genesim scribit: *Transfluvialem Abraham appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur caussa, quod ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, & transfluvialis appellatus est ex ea regione, unde venerat: unde Jesus Nave dicit Israëlitis: Quid vultis servire Diis patrum vestrorum, qui sunt trans flumen? Josue 24. 15.* Sed pluribus hoc argumentum agitare superfluum est: quandoquidem, ut scite monet Theodoretus quæst. in Genes. 60. *nullum ex eo pietatis rationibus detrimentum accedit, sive hoc, sive illud accipiamus*.

(2) Videlicet à Jacob, cui, postquam è lucta victor evasit, Angelus de Jacob in Israel nomen mutavit, quod ejus posteris potissimum cessit dictis Israelitis, & non Jacobitis. At nomen Israel modo universam Hebræorum gentem, modo partem ejus significavit: universam an-

quibus literis fit proditum, antiquissima, cum Assyriam, quæ Regin in primis icriptis Gentilium celebratur, secunda ætate tenuerit. Cum autem in prioribus stirpibus alii natura duce Deum unum ac verum, alii vero simulacra falsorum deorum coluerint; Hebræi progenies eorum fuere, qui ultro Deum cognoverunt, ac cognitum adorarunt. Iraque succedente tempore eosdem sic Deus dilexit, ut non solum eis se præcipue patefecerit, sed ad extremum ex eis quoque filium suum Jesum Christum nasci ad salutem generis humani voluerit. Quæ omnia pluribus sacrorum librorum voluminibus explicata nos hic breviter complectemur.

B Adam igitur, qui ut primus homo à Deo creatus, primus Deum Creatorem suum perspexit, sic primus mandata Dei violato, se cum tota hominum posteritate pessundedit, tres præcipue filios habuit, Caim, Abel, & Seth, ex quibus Caim fratri Abeli vitam adeA mit, ac prorsus à Deo defecit, & progeniem ex se impiam propagavit, quæ Deos plures & falsos adscivit: & propterea Scriptura illius rationem non habuit, ut quæ ad unam Christi Salvatoris progeniem ex piorum genere prodituram incumberet. Seth vero in paterna Dei cognitione ferme cum sua progenie perstitit: & ob id Scriptura eam usque ad extremum recensuit, tanquam eam, cui se Deus indicaturus, & unde salutem perditis hominibus esset missurus. Fuit vero ejus posteritas talis: Seth, Enos, Cainas, Malaleel, Jared, Enoch, Mathusala, Lamech, & Noë. (4) Hujus vero ætate cum pii homines, nempe ex progenie Seth, cum filiabus impiorum, omnium B eorum, qui à Caim originem ducebant, connubia contraxissent, ac malitiam in terras invectam cumulavissent, Deus nefario facto illorum accensus, genus humanum ulcisci constituit; ac Diluvio aquarum super universas terras immisso (5) omnes utriusque sexus homines

se Salomonem, partem post. Quum enim mortuo Salomone Regnum Hebræorum divisum fuerit inter Roboam, & Jeroboam, decem Tribus, quæ Jeroboamo parebant, Israelis nomen retinuerunt; duæ vero reliquæ, nempe regia Tribus Juda omnium nobilissima, atque Beniamin, Roboamo obedientes regnum Judæ fuerunt vocatæ. Sed de nomine Israël vide sis, quæ dicam in fine hujus capitis.

C (3) Ita dicti à Juda quarto Jacob ex Lia uxore filio, à quo deinde Judæi nomen tam maxime inclaruit, ut non solum suos populus a Jacobo ortus, sed etiam cognati sanguine, sociique in religione, Judæi fuerint appellati. Quare hoc Judæi nomen aliquando latius, aliquando angustius sumitur. Latius, quum universos complectitur ejusdem originis, & religionis, aut saltem in religionis societatem admissos, Jerosolymitanos, Galilæos, Peraitas, Idumæos, Alexandrinos, Babylonios, omnesque, qui à Græcis Judaicarum rerum Scriptoribus dicuntur οἱ ἐκ τῆς διασπορᾶς, hoc est *ex dispersione* Judæi. Angustius vero accipitur, quum cives dumtaxat Hierosolymitanos complectitur, nec non Toparchias circa Jerusalem sitas, in D quarum medio, ut in clypeo umbilicus, Urbs Sancta eminebat.

(4) Optime Sigonius explicat ver. 2. cap. VI. Geneseos: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Hic locus enim a Josepho Antiquit. lib. 1. cap. 4. de Angelis explicatur, quod essent πολλοί ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες *multi Angeli Dei cum mulieribus mixti*. Quod idem fere senserunt S. Justinus, Athenagoras, S. Clemens Alexandrinus, aliique, quam sententiam fortasse veteres Sancti Patres hauserant ex libro Henoch, cujus etiam ætate nostra quædam supersunt fragmenta, in quorum uno dum homines hortatur, ut caveant a feminarum blanditiis, E hæc ad rem nostram leguntur: Οὕτω γὰρ ἔθελξαν τοὺς Ἐγρηγόρους πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ. κἀκεῖνοι συνεχῶς ὁρῶντες αὐτὰς ἐγένοντο ἐν ἐπιθυμίᾳ ἀλλήλων, καὶ συνέλαβον τῇ διανοίᾳ τὴν πρᾶξιν, καὶ μετεσχηματίζοντο εἰς ἀνθρώπους, καὶ ἐν τῇ συνουσίᾳ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν συνεφαίνοντο αὐταῖς, κἀκεῖναι ἐπιθυμοῦσαι τῇ διανοίᾳ τὰς φαντασίας αὐτῶν, ἔτεκον Γίγαντας. *Ita enim seduxerunt Vigiles ante diluvium, & illi continuo videntes eas, affecti sunt desiderio ad invicem, & conceperunt mente operationem, & transfigurati sunt in homines, & in concubitu virorum suorum apparuerunt eis, & illæ desiderantes mente imaginationes eorum, pepererunt Gigantes*. Quum enim C veterum nonnulli putarent ex subtili quadam materia, auraque tenuiore Angelos constare, facile illis fuit persuasum, corporeis perturbationibus eosdem subjectos, potuisse expetere feminarum connubia.

Verum, qui secuti sunt Patres, rem altius investigando absurdam hanc opinionem rejiciunt, Angelosque docent substantias esse omnino spirituales, atque adeo infici non posse terrenis concupiscentiis, dicente Christo Domino de Angelorum natura: *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. *Math. XXII.* 30. & *Luc. XX* 35. Qua de re legatur D. Jo. Chrysostomus Hom. XXII. in Gen., ubi multis id probat; inter quæ illam S. Patris interrogationem: *Ostendant ubi Angeli filii Dei appellati sunt*? inepte quis ex eo vellicaret, quod Job cap. 1. v. 6. Angeli dicti sunt *filii Dei*. Chrysostomus namque LXX. D unice utebatur Versione, in qua nullibi Angeli *filii Dei* nominantur; & hoc capite Job, ubi Hebræus habet ויבאו בני האלהים vertunt LXX.: καὶ ἰδοὺ ἦλθον οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ: *& ecce venerunt Angeli Dei*. Non est, inquam, vellicandus Chrysostomus, quum ejus ratiocinatio bene apud Græcos concludat; solideque præterea ex sacris Scripturis ostendat *filios Dei* in laudato Geneseos capite Angelos non esse reputandos. Igitur dicto capite VI. *Videntes* בני האלהים את בנות האדם, filii האלהים sunt filii Seth, qui cum filiabus Cain connubia contraxere. Quamquam enim nomen אלהים E unum sit ex decem nominibus Dei; tamen in sacris Hebræorum fontibus aliquando Diis Angelis, Principibus, virisque insigni auctoritate pollentibus tribuitur. Insuper quæ singularem quandam præ ceteris habent excellentiam, ea ex indole Hebræi sermonis Dei dicuntur. Unde בני האלהים apposite Targum Onkelos exponit Chaldaice hoc modo בני רברביא *filii Principum*.

(5) Isaac Vossius cum Eduardo Stillingfleto, Jo. Clerico, aliisque Acatholicis, negat Diluvium, quod contigit diebus Noëmi, universale fuisse, asseritque particulare in illis terris, in quibus humanum genus erat propagatum; ne frustra illud in universam orbem inducat, cujus omnes

mines perdidit, (6) uno Noë, viro justo, cum familia ejus excepto, qui in arca jussu Dei à se constructa servatus est. Reliquit autem Noë tres filios, Sem, Cham, & Japhet.

Ut autem progenies Sem in patrio Dei cultu, quanquam non universa, perseveravit; sic soboles (7) Cham & Japhet prorsus ab eo defecit. Quare Scriptura posteritatis Sem tantum-

nas angulos filii Adæ, eo opinante, non pervaserant. Alter Isaac Pereyrus auctor fabulosi Præadamitarum systematis, Noe Diluvium, tantum illas regiones commentus est inundasse, quas Judæi incolebant; ceteris parcens, quas habitabant Gentiles, Pereyro somniante, Ada antiquiores. Verum hos omnes Sacra Scriptura manifestæ falsitatis evincit, nam illius verbis conficitur universam telluris superficiem obrutam aquis remansisse, cui veritati tum monumenta omnium Gentium, tum natura ipsa suffragantur. Profecto hæc Moyses Gen. cap. VII. 18. & seq. de Diluvio refert: *aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat; consumptaque est omnis caro &c.* Quæ lane verba complecti ideam universalis Diluvii aperte constat, quum hoc loco vox omnes absolute sit accipienda, ita aliis historiæ suadentibus circumstantiis.

Confirmat Moysis dicta constans cum Judæorum, tum Christianorum de universali Diluvio consensus, quod antiquissimi auctores etiam, qui literis barbarorum res commisere, testati sunt, Berosus scilicet Chaldæus, Hieronymus Ægyptius, aliique apud Josephum antiq. l. p. c. 3. & Eusebium præp. Evan. l. IX. c. 4. In Eupolemi pariter, & Artabani scriptis universalis Diluvii extabat memoria: & inter Latinos diligentissimus omnis antiquitatis indagator Varro, omne ævum in tria tempora dividit ἄδηλον, μυθικὸν, καὶ ἱστορικὸν, *incognitum, fabulosum, & historicum*, ἄδηλον vocans quidquid ante magnum cataclysmum evenit. Quare merito ait Lactantius div. Inst. l. II. c. 10. *factum esse Diluvium inter omnes constare: id enim & Philosophi, & Poetæ, Scriptoresque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum Prophetarum sermone consentiunt.* Viget etiam apud Sinenses, & in novo, ut dicunt, orbe vetusta hæc de Diluvio fama, ut legi potest apud Martinium hist. Sinicæ l. p. p. 12., & Jo. de Laet de orig. gen. Americ. l. p. p. 115.

Tandem natura monumentis etiamnum superstitibus divinam universalis Diluvii probat historiam. Conchas in remotissimis a mari montibus repertas, in hujus rei argumentum Tertullianus adducit, & nostra ætate *Herbarium Diluvianum* typis prodiit excusum, ubi plura invenies, cui vacat, magni cataclysmi testimonia à naturalibus rebus desumta.

Universale igitur fuit Diluvium; nec frustra universale, quum omnem animam viventem deberet delere. Contra vero frustra Arcam fabrefieri Deus jussisset, ut illuc animantia cogeret, compelleretque eò octo homines à Diluvii vastitate servandos, Noe nimirum familiam, à qua postea quidquid humani generis est, propagatum fuit, atque in universam terram diffusum. Divina quippe significatione potuissent in eas regiones concedere, quæ in Vossiana hypothesi nondum erant habitatæ, & quò, hujus ergo, cataclysmus non debebat pertingere.

At unde, inquies, tanta aquarum vis, qua universa terræ facies ita obrueretur, ut editos montes quindecim cubitis aqua superaret? Inde profecto, quo illas in principio, ut appareret arida, Deus compulerat Gen. I. a. 9., idest ex reclusis immensis promptuariis aquarum, ut iterum obruerent terram, quod Moyses etiam testatur; *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, eodem Deo, qui jusserat aquas in unum locum recedere, imperante, ut converterentur ætate Noe terram operire. His maximæ pluviæ è cœlo ingruentes commixtæ potuerunt sane illud Diluvium efficere, quod totum, qua patet, orbem inundans juga montium excederet.

Quod si difficultates adhuc supersint: Sit ita. Non enim ea rerum ordine, sed Dei Omnipotentis miraculo id factum fuit, cujus opera investigare ac mente complecti quis potest?

(6) Gen. cap. VI. 9. *Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis*, quod S. Hieronymus quæst. Hebr. in Gen. ita explicat: *Signanter ait in generatione sua, ut ostenderet non juxta justitiam consummatam; sed juxta generationis suæ justitiam fuisse eum justum. Et hoc est, quod in Hebræo dicitur: Noe vir justus perfectus erat in generationibus suis: cum Deo ambulabat Noe; hoc est illius vestigia sequebatur.* Quamquam vero Noe justitia non esset consummata (hoc enim efficere, Evangelicæ dandum erat ætati) maximæ tamen illi verti debet celebrationi, qualiscunque ea fuerit: siquidem S. Gregorius initio Moralium sapienter affirmat: *non admodum laudabile esse, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis.*

Num autem præter Noe ejus quoque familia justa fuerit, an secus; atque adeo ob solatium tantummodo capitis, hominumque ad faciliorem reparationem eadem fuerit à Diluvii calamitate servata, quæstio est apud Interpretes satis obscura. Hanc in medio relinquo, quum non possim eam ex sacris literis certo explicare: & solum observo aliquam saltem justitiam in familia Noe domestica exempla, & disciplinam posse suadere.

(7) Cham prorsus à Deo defecisse sacræ literæ ostendunt; quippe qui Patris Noe contra fas nuditatem evulgans maledictioni se fecit obnoxium; excidensque ab honore, quem (si primogeniti jura excipias) parem habuit cum fratribus, condemnatus est, ut illis serviret. At de Japheth diversum sentiendum videtur; quem benedictione, Noe fuit prosequutus, quod una cum Sem corpus dormientis obtexit. Verba benedictionis in Hebraico fonte concinnam nomini Japheth allusionem habentia hæc sunt: יפת אלהים ליפת *Japheth Elohim Lejapheth*: quod optime vertit Vulgata: *Dilatet Deus Japheth*. Eadem significationa LXX. πλατύναι ὁ θεὸς τῷ Ἰαφεθ. Eadem etiam Targum Onkelos, idemque habet textus Samaritanus.

Quare non bene vertunt יפת, qui hoc loco Latine reddunt *condecoret*, ac si esset à יפה, nam יפה in futuro est ייפה, vel ייף: neque qui vertunt יפת *alliciat*, quod habet Junius, & Tremellius, quia פתה in hiphil pro *allicere* plane apud Hebræos insolens est, & quum allicere denotat, postulat Accusativum; & hic habet Dativum, ut patet ex ל nota Dativi. יפת אלהים ליפת

Benedixit igitur Noë Japheth, a Deo illi deprecans amplissimas regiones, atque posteritatem ita frequentem, ut ea in tabernaculis Sem aliquando habitaret. Benedictionem justi prophetantis comprobavit eventus. Etenim ad Japheth portionem tota Europa pertinuit, Asia itidem minor, Media, Iberia, pars Armeniæ, & vastissimæ illæ regiones ad Boream, quas olim Scythæ, hodie Tartari obtinent, a Jornande merito dictæ officinæ Gentium, ac veluti nationum vaginæ. Habitavit præterea Japheth *in tabernaculis Sem*, sive temporalis, sive æterna Sem spectetur felicitas: quam in Gentibus posteris Japheth, impletam videmus. Primam, quum Græci, & Romani posterorum Sem potiti regionibus, late in Asiam imperii fines posuere: alteram, quum in Judæorum religionem, verique Dei cultum Gentes sunt subsequutæ, & ingressæ in Jesu Christi Ecclesiam, qui a Sem secundum carnem originem duxerat, frui iis cœperunt, quæ Judæis erant parata.

A tummodo meminit, quæ secunda ætate floruit: nempe Sem, (8) Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, qui desciscens à Deo (9) primus dicitur Deorum simulacra fe-

(8) Sequitur hoc loco Sigonius textum Hebræum, & Vulgatum, in quibus legitur: *Arphaxad genuit Sale, de quo natus est Heber*: at LXX inter Arphaxad, & Sala *Cainan* collocant generationem: καὶ Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν, καὶ Καϊνᾶν ἐγέννησε τὸν Σαλά. Cujus generationis additio quũ etiam in S. Lucæ Evangelio habeatur capite III. 33.; eadem inter Eruditos difficultatem maximam parit, quibusdam illam expungentibus, propugnantibus aliis.

B Qui irreptitium Cainan putant, sequentia adducunt in medium. 1. Generationis Cainan mentio non fit neque in textu Hebraico, neque in Samaritano, neque in Orientalibus Versionibus, neque in Vulgata, cujus tanta est auctoritas, ut ex Tridentino pro authentica præ cæteris Latinis Bibliis sola habeatur. 2. neque additum Cainan à LXX. idem existimant, quod Josephus, & Philo, quos constat versione τῶν LXX usos, illorumque epilogismum sequutos fuisse, numquam Cainan hujus meminere. 3. neque à S. Luca Cainan positum autumant capite laudato Evangelii, quum prisci Ecclesiastici Scriptores decem tantum a Noë ad Abraham generationes enumerent, Origenes, Julius Africanus Origeni σύγχρονος, Eusebius, & Theophilus Alexandrinus in exemplaribus Græcis libro III

C ad Antolyc., quamquam mendose legitur Cainan in interpretatione Latina. 4. S. Irenæus ab Adam usque ad Christum duas supra septuaginta generationes solum recenset, quum tres supra 70 illi fuissent computandæ, si Cainan rationem habuisset. Item S. Epiphanius duas supra viginti generationes enumerat ab Adam ad Jacob usque, quæ essent tres & viginti, Cainan computato. Quid igitur? Circa quartum Ecclesiæ seculum sentiunt Cainan tum in Translationem LXX., tum in S. Lucæ Evangelium irrepsisse sphalmate librariorum, qui Cainan legentes in genealogia Patriarcharum ante Diluvium, hunc alium Cainan præter rem invexerunt, qui error deinde in omnia fere exemplaria τῶν LXX., & S. Lucæ obrepsit. Hinc Cantabrigiensem Codicem

D prædicant hujus labis immunem, antiquissimis membranis compactum, literis majusculis sine spiritibus & accentibus exaratum, quatuor Evangelia, & Actus Apostolorum G. L. complectentem. Codex hic a Gallia in Gallias allatus, servatus fuit in Cœnobio S. Irenæi prope Lugdunum; unde sublatus bellorum civilium tempore anno 1562., tandem Cantabrigiensis Academiæ Bibliothecam ditavit. Ibi autem in S. Lucæ Evangelio de Cainan nulla fit mentio: τοῦ Φαλεκ, τοῦ Εβερ, τοῦ Σαλα, τοῦ Αρφαξαδ.

At contra Pater Pearon pro virili contendit, Patres omnes, qui ante Origenem vixerunt, Cainan filium Arphaxad cognovisse. Unde

E alii inter Arphaxad & Sale genuinam Cainan generationem admittunt, atque oppositæ sententiæ momenta puris negativis probationibus nixa nihili reputant: quum antiqua MSS. omnia τῶν LXX., & S. Lucæ, ad nomen Cainan quod attinet, ad unguem conveniant: & Codex Cantabrigiensis, quem, ut dixi, expunctores Cainan pluribus laudant, multis erroribus scatet, quod Millius in variis lectionibus in Novum Testamentum non uno loco, sed passim observat.

(9) Idololatriam ætate Sarug incœpisse S. Epiphanius l. p. adversus hæreses cap. 6. testatur: *Hoc tempore*, inquit, *idololatria inter homines, ac gentium superstitionis initium est factum .... Tametsi nondum ad simulacra cælatosque lapides, aut ligna, aut argenteas aureasque statuas, ulterioresve materia superstitiosus ille cultus adhæserat: nec aliud præter colores, atque effigies erat, in quo hominum mentes novum per se sese nequitiæ genus excogitarent, ac sponte sua, propriique animi ac rationis impetu pro honestate sibi sceleris turpitudinem adsciscerent.* Et paullo post de Thare loquens Sarug nepote hæc subdit: *Simulacra primum ex argilla, figlinoque opere reperta sunt, artifice Thare.* Addens deinde illum debitas facinoris pœnas Deo dedisse, quum in tanto hominum numero nullus filius usque ad illud tempus naturali morte ante patrem è vita migraverit; primusque fuerit Thare, cui funus Aran filii, luctus extitit caussa, quod divino consilio factum a Moyse his verbis putat expressum. *& mortuus est Aran coram Thare patre in terra nativitatis suæ.* Quæ res ex Hebræorum traditionibus sublestæ plerumque fidei fortasse desumta, parum soliditatis habere videtur; quandoquidem constat Lamech ante Matusala patrem ejus aliquot annis obiisse.

Quare alii Nembrod antiquiorem Sarug, qui dicitur primus omnium ignem esse veneratus, idololatriæ faciunt auctorem. Quod ex sacris literis constat, hoc unum est, idololatriam invaluisse, antequam Abraham jussu Dei à patria concederet. A Josue XXIV. nu. 2. *Trans fluvium*, dicitur, *habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, servieruntque Diis alienis.* Præterea verosimile est cultum Solis, & Lunæ mortalium animos omnium primum occupasse. Id innuitur haud obscure ex Jobi cap. XXXI. u6. 27., ubi dicit se reum non esse idololatriæ, qua alii Solem, & Lunam colebant: *Si vidi Solem, quum fulgeret; & Lunam incedentem clare; & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Ubi vero per idololatriam cœlestium cœperunt homines a Deo recedere, sensim terrenis rebus, à quibus vel aliquam utilitatem capiebant, vel sibi metuebant, cultum exhibuere, omnem in hac re stultitiæ numerum absolvendo. Ridet Juvenalis Ægyptios canem, porrum, & cæpe divino honore prosequentes:

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam,
Porrum, & cæpe nefas violare, & frangere morsu.
Ob sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Imo, ut ex Veterum lectione intelligimus, idololatria in Ægypto originem habuit; nam Ægyptios Deorum cultum primos invenisse ferme uno ore prisci omnes testati sunt. Luciani de Syria Dea hæc referibere auctoritatem sufficiat:

Πρῶτοι μὲν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ ἐσσασθαι, καὶ τεμένεα, καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι. *Primi hominum, quos scimus, Ægyptii dicuntur, & Deorum percepisse notitiam, & templa statuisse, & lucos, ac solemnes edidisse conventus.*

At major inter Eruditos est controversia, an idololatria ante Diluvium obtinuerit. Difficultatem nõ prætereundam ingerunt verba, quæ in fine capitis IV. Geneseos in fonte Hebræo de Enos leguntur: אז הוחל לקרא בשם יהוה Est enim ambiguum verbũ הוחל, & *cæptum est*, vel *profanatum est*, reddi potest. Communior Rabbinorum sensus vertit *profanatum est*, atque affirmant, homines in diebus Enos erravisse post idola, pollutosque hoc pacto nomine divini invocationem. *Temporibus Enos*, inquit R. Maimonides de idololatria in principio, *gravissime homines erraverunt, & stupore obruti sunt animi*

fecisse, Nachor, & Thare, qui pariter in patris avique suscepta impietate mansere. Hæc vero progenies prima Hebræorum nomen gessit; siquidem post diluvium, cum arca in montibus Armeniæ constitisset, Noë, ac filii ejus Sem, Cham, & Japhet in Oriente habitarunt; ea vero regio fuit ratione illorum cis Tigrim amnem, magna ex parte post Assyria nominata. Sem autem genuit Arphaxad, qui Tigrim transivit, & in Chaldæa consedit, ut S. Hieronymus etiam confirmavit. Itaque sunt qui putent, eos qui cum Arphaxad trajecere, nempe filios, & nepotes ejus, primum Hebræos dictos esse, quod ultra flumen venissent: nam apud Hebræos Heber significat ultra: unde illud est Genesis decimo, *Sem pater fuit omnium filiorum Heber*, id est, omnium, qui ultra flumen venerunt. Inde postea quoque Cham & Japhet aliis adire terras statuerunt, cumque in Chaldæam tempore Heber, qui fuit filius Sale, nepos Arphaxad, concessissent, (10) & campos Senaar tenuissent, antequam inde cederent, (11) auctore Hebrod, Cham nepote, (12) gloriæ caussa statuerunt ur-

Sapientum illius ævi. Etiam ipse Enos inter errantes erat. Hic autem fuit error eorum. Quandoquidem, inquiebant, Deus creavit stellas in sphæras istas ad regendum Mundum, easque in sublimi posuit, & honoris participes fecit, & illis Ministris utitur: merito profecto laudemus eas, atque extollamus, & honorem iis impertiamur.

Verū ad laudata verba capitis IV. בראשית revertamus. Antiquus Vulgatæ Auctor ita interpretatus: *Iste cœpit invocare nomen Domini*. In qua Versione reprehendi non potest, quod *iste* habeat, & non *tunc*, nam dubio procul legit זה, non vero אז, ut etiam eorum tempore legerunt LXX., & sua ætate S. Hieron. in Quæst. Hebr. Nec etiam sugillandus est, quod הוחל, *cœpit* restituit, & non *cœptum est*, quod juxta formam verbi חלל in Pohel erat faciendum: si enim זה legit, magis sensus, quam verbi rationem habens *cœpit* debebat interpretari, & non *cœptum est*.

Nunc vero הוחל pro *incipere*, ut vertit Vulgatus Interpres; non pro *profanare*, ut impotenter contendunt Judæorum Magistri, hoc loco positum esse oportet ostendere. Quum חלל significat *profanare* regit post se nomen aliquod rem ipsam exprimens, quæ profanatur. Ne a Moyse recedamus, idem nobis Num. XXX. 3. exemplum suppeditat: לא יחל דברו *non polluet verbum suum*. At quando חלל regit verbum infinitivum, significat *incipere*. In Genesi exempla præsto sunt. VI. 1. כי החל אהדם לרב *Quum cœpit homo ad multiplicandum*, vel quod in idem redit *quum cœpissent homines multiplicari*; & XLI. 54. והחלינה שבע שני הרעב לבוא *& inceperunt septem anni famis venire*.

Tandem consequitur horum verborum *iste cœpit invocare nomen Domini* sensum esse, vel ab Enos divinum cultum instauratum fuisse, ritus ac preces concipiendo, quibus Deus statis temporibus coleretur: vel tunc homines pios ex semine Seth vocari cœpisse בני אלהים *filios Dei*, ut contra impii ex stirpe Cain *filii hominum* בני ארם sunt appellati. Ex quibus patet, Geneseos caput quartum, quod urgent oppositæ sententiæ fautores, nihil conficere ad probandam idololatriam ante Diluvium, quam obtinuisse scite admodum negas S. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 4. ad secundum, quem vide.

(10) Senaar terram esse, quæ à Ptolemæo Βαβυλωνία dicitur, vel saltem campos Senaar fuisse in Babylonia, & sacris, & profanis documentis potest ostendi. Hinc multis etiam persuasum est, Senaar idem esse ac Singaram, vel Singarenam Urbem Mesopotamiæ, cujus meminere Plinius, Eutropius, Ptolemæus, Ammianus, & Geographus Nubiensis sexta parte climatis quarti. In שנער enim si litera ע mutatur in g, ut in צנער *Segor*; עזה *Gaza*, & עמורה *Gomorrha* quoque contingit; Singaram dabit, vel Singarenam, ut patet.

(11) Magis receptæ sententiæ inter Eruditos Noster adhæret, auctore scilicet Nembrod filio Chus, Noemi nepotis, qui à radice מרד *rebellavit*, apposite interpretatur *Rebellis*, urbem Babel, & in ea inusitatæ magnitudinis turrim ædificari cœpisse. *Erat*, de Nembrod inquis Moyses, גבור ציד *robustus venator*: quibus verbis fortasse nobis modus innuitur, quo ad tyrannidem in homines occupandam sibi viam aperuit. Venationis nempe prætextu juvenum collegit manum, ut feras occideret, à quibus homines sub dio viventes palantesque erant vexati. Illos vero postquam ad labores venatione obduravit, armaque tractando fecit idoneos, eorum gratia & potentia fretus, vi primus omnium super alios usurpavit imperium.

Venationem enim militiæ tyrocinium fuisse, ac veluti bellorum prolusionem Xenophon tradit in Cyropædia libro primo: ubi ostendit venaticam artem a Chirone antiquissimos Heroas institutos fuisse, atque evasisse in ea maxime celebres, qui insignes fuerunt vetustatis Imperatores Cephalum, Nestorem, Pallamedem, Ulyssem, Castorem &c. unde venandi studium Julius Pollux in Præfatione l. V. ad Commodum Cæsarem ἠρωϊκὸν, καὶ βασιλικὸν vocat, & ante ipsum Cicero de Nat. Deorum l. 2. *Immanes*, scripsit, *feras, & belvas nanciscimur venando, ut & vescamur iis, & exerceamur in venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ*. Ceterum sunt qui Nembrod confundunt cum Belo Nini patre, qui tamen multo post Assyriorum iniit Regnum, ut in recentiorum Chronologicis Tabulis licet videre.

(12) Narrat Josephus Antiq. l. p. c. 4. hominibus, quum multiplicari cœpissent, Deum jussisse colonias deducere, ut qua continentem, qua insulas, inhabitarent, ne ob angustias agrorum ulla umquam paterentur dissidia. Ipsi vero à priore clade haud in meliorem mentem profecti, rati ad colonias deducendas ideo Deum eos impellere, quo facilius illos opprimeret, turrim auctore Nembrod cœperunt extruere, cujus verticem nulla aquarum vis posset pertingere, in quam se reciperent, si terram operiret nova aquarum illuvie. Verum contra Josephi opinionem stat solennis Dei promissio, ob quam amplius de universali Diluvio non poterant homines esse solliciti: cujus promissionis si eos fingamus oblitos, cur non supra editos Montes (quos tamen quindecim cubitis aquam excessisse non ignorabant), sed in ima tellure vastissimorum amnium Euphratis & Tigris inundationibus maxime obnoxia ædificavere? Crescente insuper humano genere in dies, qui omnes in una turri potuissent servari, si universæ terræ facies denuo aquis obruta fuisset? Ulterius neque ob incendii metum turris extructa fuit, quo orbem aliquando conflagrandum cele-

urbem cum turri condere, quæ altitudine sua Cœlum attingeret. Erat adhuc, ut inquit Scriptura, terra unius labii, id est, une tantum lingua omnes utebantur, quam ab Adami ore hauserant. Deus autem fœdam eorum audaciam aversatus, linguarum diversitatem immisit, ut alter alterius intelligere mandata non posset; itaque cum ex gloria, quam affectabant, confusionem nacti fuissent, quæ Babel dicitur; & turris, & urbs, & regio inde (13) Babel, Babylonis, & Babyloniæ nomen invenit. Heber autem, quod expers consilii ædificandæ turris fuerat, veterem sermonem retinuit, quo Hebræi ex posteritate Sem usi fuerant. Quare S. Augustinus in libris de Civitate Dei, Hebræos prorsus ab ipso Heber dictos fuisse asserit. Abraham certe, qui sextus ab Heber fuit, capite XIV. Hebræus vocatur. Inde divisis inter se terris, Heber in Chaldæa, & Oriente remansit. Japhetis vero posteritas Occidentem occupavit; Cham autem, quæ intermedia sita sunt. Atque hæc quidem Hebræorum non minus vera, quam vetus, origo, & prima gentis incunabula celebrantur, primis decem capitibus Genesis explicata.

Cum porro Thare filius Nachor, abnepos Phaleg, adhuc in Chaldæa vitam traduceret, & in (14) Ur urbe agens eos Deos coleret, quo-

---

celebris erat traditu, quæ ad Ethnicos etiam, ut patet ex Ovidio, profluxit:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Metuentes quippe cælitus ignem, non in turribus, sed in aliis substructionibus, & cuniculis quærere solent perfugium.

Quare non Josephum, sed Moysem audiamus, qui hujus ædificii certam caussam exponit: *Celebremus*, inquit, *nomen nostrum, antequam dividamur*. Urbem & turrim de numine nostro constituamus, monumentum posteris gloriæ nostræ in furam ætatem exactum. Hebræi tamen ex hoc loco aliam caussam comminiscuntur, constructam scilicet turrim fuisse, ut Belo (quem idem esse cum Nembrod putant) consecraretur, essetque idolum, quod venerarentur construentes. Textus Hebræus habet: נעשה לנו שם *faciamus nobis nomen*.

Hic שם pro *Deo* positum Judæi volunt, ut est Levit. XXIV. 11. *Blasphemavit* את השם *nomen*, idest *Deum*, & alibi etiam. Sed שם pro *idolo* numquam usurpatur, & quum pro *Deo* sumitur, ה habet semper præfixum.

Næ brevitati studens magnum anachronismum Judæis, quo eorum ruit sententia, minime oppono; nam Ninus a Nembrod aliquot post seculis vixit; aut nisi post mortem non cœptus est coli.

Ergo *facere sibi nomen* est propriam famam factis extendere phrasi Sacræ Scripturæ notissime. Dum vero turrim ædificantes gloriam sibi studuerunt comparare, superbia nimiumque fastu eos peccavisse, divinæ in perduelles animadversio est argumento; & præsertim judicium Dei, qui dum dicitur descendisse, ut ædificium videret, jam locutio ultricem justitiam impios male mulctaturam significat: ut præter S. Jo. Chrysostomum, & S. Augustinum Maimonides etiam notavit.

(13) Babel sive sit ab Hebraica voce בלל, sive à Chaldæa בלבל dempta compendii ergo una ל, semper confusionem significat: quo fit ut origo urbis Babylonis repetenda sit è linguarum confusione, quam non minorem faciunt scripta de hac urbe ab exoticis, Græcis, Latinisque auctoribus, qui nulla ratione possunt in concordiam adduci. Qua magis perspecta, veroque similia reputantur, sunt sequentia.

Urbs a Nembrod primum posita octo circiter post seculis à Nino aucta, & a Semiramide, quæ χώματα extruxit, idest aggeres, quibus Euphratem antea restagnantem coërceret. Post hanc alia illustris femina Nitocris pontem in medio flumine urbem in duas partes dirimente construxit, supra quem sublices quadratas interdiu extendebat, per quas Babylonii transirent, easdemque tollebat noctu, ne per noctem transeuntes mutua furta exercerent. Verum urbem vetustate fatiscentem Nabuchodonosor ita restituit, ampliavitque, ut apud Danielem IV. 27. se Babylonem, veluti ex integro, ædificasse glorietur: *Nonne*, inquit, *hæc est Babylon illa magna, quam ego ædificavi?* Babyloni enim veteri novam adjecit, muro triplici utramque circumdedit, & hortos pensiles Scriptorum prædicatione celebres fecit in uxoris gratiam, quæ Meda genere, montium, & nemorum unico oblectabatur aspectu.

Ad tantam vero pulchritudinem atque frequentiam Urbs nobilissima crevit, ut *regnorum domina*, & *gloria superbiæ Chaldæorum* appellata, ulla humana vi destrui se posse nequaquam putaret, hæc ipse de se apud Isaiam jactando cap. 47. *Ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.* At Propheta ultimam cladem & solitudinem gravissimis verbis illi minabatur, tum ob magicas artes, quibus operam impendebant Chaldæi, tum ob durius exceptum populum Judæorum apud ipsos captivum. *Venient tibi hæc duo subito in die una, sterilitas, & viduitas*: prophetico lumine Cyrum designans, qui cum exercitu per Euphratis alveum ex improviso urbem ingressus, Balthassar Regem, Chaldæos, eorumque filios interfecit. Ceterum qui plura scitu digna de florenti Babylone desiderat, legat Herodotum lib. 1. c. 178. & seqq., cui præ ceteris fidee haberi potest, quandoquidem eorum, quæ narrat, est testis αὐτόπτης.

(14) Quum vox אור communiter *ignem*, & etiam *fornacem* aliquando significet, vetusta est apud Hebræos fabella, cujus etiam meminit S. Hieronymus, Abrahamum à Chaldæis in ignem, quem ipsi colebant, projectum fuisse, ut numen ejus divinitatis comburendo sentiret, quam venerando colere contemnebat. Sinas hoc loco, benignus *Lector*, me quanquam Rabbinicas nugas summopere fastidientem, fabellam istam ex eorum fontibus repetere, ut si quis minus calleat cui Judæorum commenta, aut facilitatem in accommodandis eorum sermoni Bibliorum testimoniis; specimen habeat felicis dexterique eorum ingenii, quod miretur, si Superis placet, suspiciatque. Ita scribitur in Middrasch Bereschit & Schalsch. Hakkaba p. 8.

„ Ferunt Therachum statuarium fuisse, imaginumque & artificem & adoratorem. Contigisse autem, ut domo abiturus Abramo illas traderet vendendas, & servandas. At Abramum omnes emtores risisse, exprobrantem, quod quum annos haberent viriles, statuam recens factam adorarent. Venisse autem quandam vetulam, quæ modium farinæ simulacris in officina offerret; At id non tulisse Abramum, imo omnium crura & brachia fregisse, relicta tamen maxima statua, cujus manui baculum indiderit. Therachum vero reversum cogitasse; quis Deos fregisset; & responsum tulisse ab Abramo: vetula quædam venit, ut omnibus Diis modium farinæ offerret. Illi vero quod quisque sibi farinam arrogaret, pugnare acriter inter se cœperunt. Surgens autem maximus ceteros baculo adortus est, & confregit. Therachus ubi hæc audiit, increpat illum, dicens cum mentiri, quum ligna & lapides id facere nequirent. Itaque Abramus ad patrem: cur tu adoras ergo? At pater illum defert ad Nimrodum. Quid fit?

„ Ille

quorum simulacra Sarugavus suus instituisset, venit inde cum filio Abraham, & Lot nepote in Mesopotamiam, regionem inter Tigrim & Eufratem fluvios sitam, & sedes (15) in urbe Charris posuit.

Ab hoc porro tempore Hebræorum cum prisca, tum sancta Historia incipit: quæ Abraham præcipuum & gentium & rerum gerendarum auctorem est consecuta. Thare enim vita functo (16) Abraham à Deo monitus, & promissis ingentibus excitus cum Lot, fratris filio, inde Eufratem, (17) Jordanemque trajecit, & in terram Chanaam venit, quæ postea Judææ nomen accepit, & oppidum Sichem tenuit in ea parte, quæ postea Samaria nominata est. Promissa vero Dei Abrahæ facta, ac sæpius repetita hæc fuerunt: *Vade in terram, quam tibi monstravero* (monstravit autem Chananæam) *ibi faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentibus te, & maledicam maledicentibus te, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*. Tria vero promissa fuerunt; terra Chananæa, quam posteri ejus cum imperio & gloria possiderent; gens Israelitarum secundum carnem; & omnes gen-

„ Ille jubet Abram ignem adorare. Sed, ait, „ præstat adorare aquam, quæ extinguit ignem. „ Nimrod illi præcipit, ut aquam adores: at „ Abram; præstat adorare nubes, quæ eum retinent. Mandat igitur, ut nubes adores; sed „ alter: præstat adorare ventum, qui illas dispellit. Vult ergo ut ventum adores: verum „ excipit Abram; potius adorandus est homo, „ qui vento resistit. Tum Nimrod ludis me, „ & protinus jubet conjici in fornacem ignis „ ardentis dicens: videbo an Deus tuus sit te liberaturus. Porro interrogat Haranem Abrami fratrem, in quem crederet? ille respondet: si vincat Abram, ipsius Deum ego credam; si non, in tuum Deum. Ambo igitur „ conjecti in fornacem ignis: at Haran fuit statim combustus, quia dicitur: mortuus ante „ faciem patris sui Therachi; Abram vero salvus evasit, & hoc est quod dicitur; Deus „ eum ipsum vocavit ex Ure (אור ignis est) „ Chaldæorum.

Verum אור כשדים *non ignem* hoc loco, sed urbis nomen proprium significare ex capitis XI. Gen. duobus versiculis 28. & 31., ubi profectio Abraham ex Ur Chaldæorum narratur, liquido constat: *Mortuusque est Aran*, vers 28., *ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum*: si Ur terra est בארץ *in terra*, fornax certe, aut ignis esse non potest. Et 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui*, ויצאו אתם מאור כשדים *& egressi sunt una de Ur Chaldæorum*. Si ויצאו plurali numero *egressi* dicuntur, non singulari ויצא *& egressus est*, sequitur, Ur Chaldæorum locum notare, quem non tantum Abraham, sed Thare, Lot, & Sarai incolebant; nam hos omnes in fornacem datos præcipites, atque ab ea servatos divinitus, veterum Hebræorum nullus asseruit. Non nego tamen in Ur Chaldæorum ignem excultum fuisse, sive is cultus proprius fuerit, sive symbolicus, & hujus ergo legi Esdræ IX. 7. Abraham ab igne (Heb. de Ur) Chaldæorum eductum: nego a Chaldæis Abraham in ignem conjectum, quod ex laudatis Geneseos versiculis satis ostenditur.

At ubi Ur Chaldæorum sita fuerit, Eruditi inter se valde dissentiunt. Quidam in Babylonia eam collocant sub Euphrate & Maasare fluvio, circa paludes & desertam Arabiam, & Orchoe a Ptolomæo l. V. Geogr. c. 20., & ab aliis Urchoa appellata. Quidam vero in Mesopotamia illam ponunt, asserentes esse Uram Marcellini l. XXV. 26, quæ sex dierum itinere abest a Corduenu Nisibim versus, quæ bidui hinc distat itinere. Hic locus quum multo sit propior Cordyæis montibus, in quibus Arca substiterat, verosimilius videtur Thare patriam fuisse, quandoquidem ejus majores cum insanis conditoribus Turris non fuere dispersi. Obstat, quod dicente Moyse Ur Chaldæorum, Ur in Mesopotamia sita videtur excludi. Sed antiquitus Chaldæam complexam fuisse etiam Mesopotamiam, hasque voces eandem regionem significasse, ex Actis Apostolorum VII. 2. potest intelligi. S. Stephanus enim postquam dixit, Deum apparuisse Abrahæ dum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, subdit ex ea profectionem exponens: *tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan*.

(15) Charan sive Haran Hebraice חרן creditur esse Urbs Charris, vel Carræ in Mesopotamia sita ad fluvium Chaboram juxta Ptolemæum, vel ad fluvium cognominem, si Stephano credimus. Est Charris ob necem M. Crassi nobile oppidum, in cujus interfecti os liquatum aurum Parthi infuderunt, de quo Lucanus l. 1. v. 104.

Postquam crudeli funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras.

Pater Harduinus asserit Charan esse Palmyram, aut aliam quampiam Syriæ Urbem, quum Mesopotamiam, de qua Scriptura loquitur, non eam regionem putaverit, quæ jacet inter Euphratem, & Tigrim; sed illam, quæ Euphrate & Jordane continetur. Sed novam hanc Cl. Viri sententiam confutavit Cellarius Asiæ l. III. c. 15.

(16) Abraham primus est, cui Deus nomen immutavit: Abram enim antea dicebatur, quod nomen ex אב *Pater*, & רם *altum*, sive *excelsum*, Pater excelsus interpretatur. Deinde à Deo dictus fuit אברהם. ה primo ejus nomini addita, quam ה dicunt Hebræi Deũ ex ejus nomine tetragrammaton יהוה desumsisse; alii vero magis ad rem ex nomine המון *multitudo*, credunt desumtam. S. Hieronymus in quæst. Hebr. *Dicebatur primum*, inquit, *Abram, quod interpretatur Pater excelsus, & postea vocatus est Abraham, quod transfertur Pater multarum; nam quod sequitur gentium, non habetur in nomine, sed subauditur*. Quare hallucinatur Philo, qui asserit *Abram Patrem* μετέωρον h. e. *excelsa intuentem* significare, Abraham vero notare *Patrem* ἐκλεκτὸν ἠχοῦς *electi sermonis*. Hallucinatur etiam Sal. Jarkus, qui Abram nomen compositum vult ex אב, & nomine proprio ארם, ac si ejus nomen illum Aramæum significaret: quia in compositione nominis non omittitur litera initialis, præsertim nominum propriorum, quod in אברם fieret, ut putet.

(17) Fluvius hic secat medius Chananæam, atque regiones, quæ olim Ogi, & Sihonis fuerunt, ac per mare Gennezareth defluit in mare Mortuum. Ejus origo vulgo credita fuit è duobus rivis *Jor* & *Dan* ex Libani montibus profluentibus. Sed Josephus de Bello Judaic. l. III. c. 17. scribit, Jordanis originem fontem esse, qui ex lacu *Phiala* manat centum & viginti stadiis super Paneadem; sed apparere duntaxat ex inferiore urbis parte: atque id deprehensum testatur a Philippo Tetrarcha, qui immissas in lacum paleas rursus invenit apud Paneadem, unde nasci Jordanis fluvius ante putabatur.

gentes secundum fidem: quod ad Jesum Christum ab illo multis post sæculis ortutum omnes constantissime referunt, qui dicitur filius Abraham. Post autem querenti Abrahæ, quod filiorum compos factus non fuisset, & servum suum heredem habiturus esset (nam uxor ejus Sara sterilis erat) dixit Deus: *Suspice Cœlum, & numera Stellas, si potes: sic erit semen tuum*: & alio loco iterans idem promissum ait, se multiplicaturum semen ejus, sicut arenas maris. Suscepit inde ex Agar ancilla filium Ismaël, ex Sara vero conjuge Isaac, ex quibus duo populi prodierunt, Ismaëlitæ, qui à Deo defecerunt; & Hebræi, qui in avita religione manserunt. Isaac inde duos filios genuit, Esau, (18) qui & Edom, & Jacob, qui à Deo (19) Israël appellatus est. Ab Edom Idumæi populi, à Deo aversi manarunt; ab Israële Israëlitæ, qui veterem Dei notitiam conservarunt, de quibus nobis præcipue differendum est.

CAP. II.

De Populo Israëlitarum, & XII. Tribubus eorum.

CÆterum ipsum Israëlem Deus in primis dilexit, eique promissa avo Abrahæ facta redintegravit. Ille vero (20) genuit filios duodecim, nempe ex Lia uxore sex, Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, & Zabulon, inde ex ancilla Bala duos, Dan, & Nephtalim, tum ex altera ancilla Zelpha totidem, Gad, & Aser, postremo ex secunda conjuge Rachele Joseph, & Benjamin. Fratres inde decem Josephum, quod (21) patri carus in primis esset, & sapientiæ laude præstaret, invidia, depravati, ipso insciente patre, (22) Mercatoribus Ægyptiis vendiderunt: illi vero eum Putiphari curatori regio tradiderunt. Joseph autem

(18) Idest *rufus*; cur autem ita vocatus sit Esau caussam dat Moyses Gen. XXV. 29. & 30. *Coxit autem Jacob pulmentum, ad quem quum venisset Esau de agro lassus ait: da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob caussam vocatum est nomen ejus Edom*. In Hebræo vox *rufa* duplicatur מן האדם האדם, quæ duplicatio profecto aut summam in coctione rubedinem, aut gulæ aviditatem in Esau ostendit. Coctionem vero hanc lenticularum fuisse ex v. 34 laudati capitis constat, quæ lentes natura rufæ, potuerunt præterea misceri condimento rufo, ut croco, quod illis colorem adderet, essentque ob id *rufa, rufa*.

(19) Præstat S. Hieronymum de nomine Israel in Quæst. Hebr. in Gen. differentem audire, ubi ita splendide solideque nomen Israel exponit, ut frustra quidam vitilitigator nodos in scirpo quærens illum vellicare præsumat. *Josephus*, inquit S. Doctor, *in primo Antiquitatum libro, Israël ideo appellatum putat, quod adversus Angelum steterit. Quod ego diligenter excutiens in Hebræo penitus invenire non potui. Et quid me necesse est opiniones quærere singulorum, quum etymologiam nominis exponat ipse qui posuit?* Non vocabitur, *inquit*, nomen tuum Jacob, sed Israël erit nomen tuum. *Quare? interpretatur Aquila*: ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ; *Symmachus*, ὅτι ἦρξω πρὸς θεόν; *Septuaginta & Theodotion*, ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ. Sarith *enim, quod ab Israel vocabulo derivatur*, Principem *sonat. Sensus itaque est: Non vocabitur nomen tuum* Supplantator, *hoc est Jacob; sed vocabitur nomen tuum* Princeps cum Deo *hoc est* Israel. *Quomodo enim Princeps ego sum; sic & tu, qui mecum luctari potuisti, Princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, sive Angelus (quoniam plerique varie interpretantur) pugnare potuisti: quanto magis cum hominibus, hoc est cum Esau, quem formidare non debes? Illud autem quod in libro Nominum interpretatur Israel* vir videns Deum *omnium pene sermone detritum, non tam vere, quàm violenter mihi interpretatum videtur. Hic enim Israël per has literas scribitur*, Jod, Sin, Resch, Aleph, Lamed (ישראל) *quod interpretatur* Princeps Dei, *sive* directus Dei, *hoc est*, εὐθύτατος θεοῦ. Vir *vero* videns Deum *his literis scribitur* Aleph, Jod, Sin, *ut vir ex tribus literis scribatur, & dicatur* IS (איש). *Videns autem ex tribus*, Resch, Aleph, He, *& dicatur* RA (ראה). *Porro* EL *ex duabus*, Aleph *&* Lamed (אל) *& interpretatur* Deus, *sive* fortis. *Quamvis igitur grandis auctoritatis sint* (Philonem innuit Hieronymus, Origenem, Eusebium Cæsariensem, & Didymum Alexandrinum) *& eloquentiæ ipsorum umbra nos opprimat, qui Israël virum, sive mentem videntem Deum* transtulerunt: *nos magis Scripturæ, & Angeli, vel Dei, qui ipsum Israël vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ secularis*.

(20) Ex duodecim filiis Jacob, duodecim florentissimæ familiæ prodierunt, quæ in Tribus divisæ universam Hebræorum Rempublicam constituerunt. Quum vero Jacob morti proximus duos filios Josephi Ephraim, & Manassem in familiam adoptaverit, interque Israelitas illis assignaverit locum; tredecim constitutæ sunt Tribus, duabus in sorte Josephi computatis. Josue tamen in divisione terræ Chanaan in duodecim tantum portiones respondentes totidem Tribubus jussu Dei illam discrevit, Tribusque Levi Tabernaculi ministerio destinata agro caruit, ejusque loco Levitis urbes quasdam in sedem; primitiæ, decimæ, & oblationes in sustentationem cesserunt.

(21) Cur Jacob præ ceteris dilexerit Joseph, Gen. XXXVII. versiculo tertio caussa assignatur: *eo quod in senectute genuisset eum*: כי בן זקנים הוא לו. Sed præter illam virtutes etiam, quæ in Josepho elucebant, amoris caussam fuisse affirmat S. Jo. Chrysostomus Hom. 61. in Gen., qui solide æque ac facunde rationem exponit prætermissæ illarum mentionis. *Magis amabiles*, inquit, *videntur filii, qui in senectute ipsa generantur, majoremque patrum benevolentiam assequuntur. Sed ut sciamus non hoc solum fuisse, quod patrem illi conciliabat ita, ut eum aliis præferret, docet nos Scriptura etiam post illum alium quoque natum esse filium* (idest Benjamin), *& si secundum naturalem amorem dilectio fuisset, post enim fuisset magis dilectus, utpote vera senectutis filius, & tunc natus quando ad postremam senectutem pervenit justus. Quid igitur est dicendum? Supernam quandam gratiam fuisse, quæ juvenem amabilem reddebat, & propter animæ virtutem, ut cunctis præferretur, faciebat: hanc autem in Scriptura propius caussam, quod filius senectutis fuerit, & ideo magis eum dilexerit, ut non manifeste odium augeret fraternum*.

(22) Noster ob lapsum memoriæ, loco Madianitarum Mercatorum, habet Ægyptios. Madianitæ vero populi Arabiæ Petrææ in Palæstinæ confinio regionem Madian ad Orientem maris Rubri incolebant, quò Moyses aufugiens Sephoram filiam Jethronis uxorem duxit; quæ quum Numer. XII. p. Chusitis הכושית appelletur, aliqui sentiunt Madian Madianitarum Patrem filium Chus extitisse. Alii vero a Madian Abrahami filio ex Cetura Gen. 25. 2. Madianitarum originem petunt. הכושית Æthiopissam vertit Vulgata, consentientibus LXX.; est namque duplex Æthiopia, ex Herodoto l. 7., & Plinio l. 5. c. 8; una Orientalis, quæ

autem propter egregiam somniorum interpretationem (23) Regi cognitus primum, deinde (24) summis honoribus cultus, ab eodem annonæ curandæ cum summa auctoritate præfectus est, quo tempore per septem annos terra ipsa præmonente extremâ inopiâ rei frumentariæ laboravit. Qua compulsus Jacob filios decem in Ægyptum ad frumentum coëmendum misit, quod ibi Josephi prudentia in multos annos congestum ad levandas Ægyptiorum angustias diceretur. Eos vero Joseph agnitos, neque ab eis agnitus (25) varie primum illusit, deinde, ubi se patefecit, metu trepidantes fraternam in gratiam amoremque recepit: atque, ut ad se patrem cum familia universa deducerent, imperavit: nam penuriam per multos adhuc annos terras esse conflictaturam. Hac igitur occasione Jacob terram Chananæam, in qua vixerat peregrinus, reliquit, & (26) cum septuaginta capitibus ex familia in Ægyptum

---

quæ in Arabia, cujus regionis Sephora erat; altera Occidentalis, quæ supra Ægyptum, ubi nunc regnum Abissinorum, sita est. Fuerunt autem Madianitæ inter septem populos internecioni devotos, qui integro septennio presserant gravi jugo Israelitas, donec Gedeon eos liberavit.

(23) Regum Ægypti commune nomen, saltem usque ad subactam à Chaldæis regionem, פרעה *Pharao* est; quod nomen Bocharto ex pluribus Lexicis tum Arabicis, tum Copthicis significat Crocodilum animal, a cujus nomine non pudebat Reges vocari, quod summa religione, tamquam Deum, prosequebantur. Videtur huic Crocodili nomini Ezechiel alludere, dum ad Regem Ægypti sermonem convertens, ait: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum* &c. Ezech cap. XXIX. & XXXII.

Josephus tamen in Antiquit. Pharaonis nomen asserit secundum Ægyptios *Regem* significare: ὁ Φαραὼν κατ᾽ Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει; *Pharao Regem Ægyptiis sonat*. Quæ interpretatio suspecta videtur Bocharto, quod Rex ab Ægyptiis, sacra saltem ipsorum lingua, multo aliter vocabatur, ipso Josepho teste, qui libro I. contra Appionem Ὑκσώς, interpretatur βασιλεῖς ποιμένας, *Reges Pastores*. τὸ γὰρ ὑκ, *subdit*, καθ᾽ ἱερὰν γλῶτταν βασιλέα σημαίνει. *HYC enim lingua sacra Regem significat*.

(24) Videlicet I. *annulo* signatorio, qui à Rege datus supremam in negotiis auctoritatem collatam significabat, tum apud plures populos, tum præsertim apud Ægyptios. Quare aut Plinius errat, dum Hist. lib. 33. c. p. scribit usum annulorum apud Ægyptios in signando non fuisse, aut ejus verba de seris admodum temporibus debent intelligi.

II. *Veste byssina* שש, quæ vestis creditur texta fuisse è candidissimo filo Xylino, à communi lino longe diverso, & ex bysso, qui ob raritatem longe pluris fiebat. De voce שש *Schesch* sermo recurret, quum de vestibus Summi Pontificis dicendum erit.

III. *torque aureo*, quo colla Regum ac Magnatum ornata fuisse nedum apud Ægyptios, sed apud Chaldæos etiam aliasque nationes dubitari non potest.

IV. *magnifico curru*, idest curru secundo, qui proxime currum Pharaonis vel antecederet, vel sequeretur. Tantæ vero pulchritudinis & ornatus erant currus Pharaonis, ut Sponsa Canticorum equitatui ברכבי פרעה *in curribus Pharaonis* assimiletur. שיר השירים capite primo.

V. *Solemni proclamatione*, dum enim Joseph circumductus per Urbem erat, Præco clamabat אברך *Abrech*, quam vocem alii compositam volunt ex אב *Pater*, & רך *tener*, ac per eandem vulgasse credunt Præconem, esse Josephum tenerum Ægypti patrem: alii arbitrantur אברך vocem esse bene ominantis gratulantisque, quasi esset ברוך à רך *benedictus*. Alii denique interpretantur אברך *flectite genua*, ita ut sit prima persona futuri in Hiphil ab eadem radice ברך, quæ in Hiphil significat *genua flectere*, quam interpretationem Auctor Vulgatæ est sequutus.

VI. *novi nominis impositione*, Rex enim voluit Joseph Ægyptiaca lingua vocari צפנת פענח *Zophnath Pahaneach*, quæ verba scripsit S. Hieronymus reddi posse *Servatorem Mundi*, alii vero censent significare *occultorum interpretem, vel revelatorem*.

VII. denique *nobili conjugio* ducta Aseneth filia Putipharis, quem alium esse à priore Putiphare, qui Josephum emit, non pauci sentiunt, tum ex diversa nominum utriusque scriptione, nam Putiphar Josephi dominus est פוטי פר, hic vero est פוטי־פרע; tum ex munerum diversitate; ille enim erat Præfectus Satellitum, hic vero Sacerdos און *On*, urbis, ut creditur, Heliopolis; tum denique quod primus Eunuchus erat, alter autem filios habebat. At utrobique eandem personam significari alii statuunt, opposita probabilibus infirmantes responsis: & Divus Augustinus in Psal. 77. 12. fatetur, utramque quæstionis partem sustineri posse, quin Scripturarum fides, & veritas lædatur.

(25) Eos Joseph quasi Exploratores semel & iterum traduxit, omnes in carcerem conjecit, eduxitque tertia die; Simeonem tamen in vinculis retinuit, atque ea lege dimisit ceteros, ut ad se Benjamin natu minimum adducerent. Adducunt, atque in sacco Benjamin revertentis ponitur scyphus argenteus jussu Joseph, qui fratres ad se reduci imperat, eos excipit tamquam fures, ob furtum damnat Benjamin servitutis, in quam pro Benjamin Juda se offert.

(26) Geneseos cap. XLVI. à versiculo 8. ad 26. numerantur filii Israel, qui cum patre ingressi sunt in Ægyptum, & filii egressi de ירכו *femore illius* fuere sine ipsorum uxoribus sexaginta sex. Huic autem numero sexaginta sex si addas ipsum Jacob, & Joseph cum filiis ejus Ephraim & Manasse, constabit numerus septuaginta, qui habetur versiculo 27. Ex S. Hieronymo in Quæst. Heb. in Gen. *Manifestum est omnes animas, quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob fuisse 70.; dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus. Septuagesimus autem ipse fuerat Jacob.* LXX. hoc loco, & S. Lucas Actorum VII. 14. ajunt animas in Ægyptum ingressas fuisse ἑβδομήκοντα πέντε *septuaginta quinque*; quod Hebraico textui, & Vulgatæ non adversatur; numerant enim LXX. in filiis Jacob Machir filium Manasse, Galaad filium Machir, & præterea Suthalaam, & Thaam filios Ephraim, & Edom filium Suthalaam, quos desumserunt partim ex Numer. XXVI. 29., partim ex I Paralip. VII. 14. Quum autem hi omnes nati sint Josepho adhuc in humanis agente, LXX. honoris caussa erga Josephum tum hic, tum Exod. c. I., tum etiam in pluribus exemplaribus Deuteronomii c. X., cum filiis Jacob Ægyptum ingressis eos collocant.

ptum se contulit, ubi magno honore à Josepho filio exceptus aliquot annos egit, ac demum moriens duos Josephi filios Manassem, & Effraim adoptavit, ac duodecim filiis suis adjunxit, & solemni benedictione affecit. Illo inde ea humanis rebus exemto, Joseph Principatum familiæ gessit, ac post aliquot annos & ipse naturæ concessit, relictis in Ægypto undecim fratribus, & duobus filiis, qui subinde, ut Deus promiserat, ingentem ac numerosam nepotum sobolem procrearunt, quæ à Jacob, qui Israël dicebatur, Israëlitarum nomen accepit. Hic autem populus, ubi succrevit, divisus est in partes tredecim, quas Tribits vocarunt, prout XIII. Principes generis fuerunt, Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dan, Nephtalim, Gad, Aser, Benjamin, Manasses, & Effraim, qui iidem Tribubus nomen imposuerunt. Cum autem Josepho morte extincto Israëlitæ in Ægypto (27) à Rege novo indigna servitute atque intolerabili premerentur, Deus illorum misericordia motus, ut promissa superiora præstaret, (28) Moysi, Levi pronepoti, oves in solitudine Arabiæ pascenti, ex ardenti rubo se obtulit, præcipiens, ut eos ex Ægypto educeret, & in terram Chananæam, quam illis antiquitus sedem propriam ac perpetuam destinasset, adduceret; nam se illi affuturum, atque assidue auxilium allaturum. Ita Moyses Divinis Præceptis obediens, fratre Aaron adjuvante, Regem Ægypti omni ope exitum inhibentem (29) variis plagis affectum elusit, ac sexcenta hominum millia ax Ægypto eduxit. (30) Inde Rubro mari

(27) Scribit Josephus Antiqu. l. II. c. 5. post mortem Pharaonis, quo imperante Joseph & Jacob vixerant in Ægypto, Regnum migrasse in aliam familiam εἰς ἄλλον οἶκον, quod juxta morem veterum Ægyptiorum, quem Diodorus Siculus lib. II. c. p. testatur, Reges à populo renunciarentur, qui de Republica erant apprime meriti, nulla Regiæ sobolis ratione habita. Potuit igitur aliquis evehi ad id honoris, qui beneficia Joseph minus haberet perspecta, atque adeo Josephum ipsum ignorare, ut dicitur Exodi I. v. 7. *Surrexit interea Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph*. Quis autem hic novus Rex fuerit, hanc rem antiquissimam, deficientibus tabulis, inutile est investigare.

Marshamus in Can. Chron. seculo VIII., cui Clericus accedit, contendit, Regem hunc fuisse Salatim advenam primum Regem Pastorum, qui Ægypto inferiora potiti, in ea dominati sunt annis undecim supra quingentos. At non probatur Marshami sententia. Constat enim ex Exodi historia unum in Ægypto Regem fuisse, & quidem Pharaonem antiquo nomine; nec præterea credibile est: novum Regem Pastorem tantas persecutiones excitasse in Israelitas, qui etiam erant viri pastores ovium, curamque habentes alendorum gregum ex Gen. XLVI. 32., quum debuissent potius contra antiquos Ægyptios, & fugitivos Reges, ipsorum ope novum Regnum firmare.

(28) Moyses inclytus Judæorum Dux & Legislator, omniumque, quos habemus, Scriptorum antiquissimus, Amrami filius fuit ex Jochabed. Universa ejus vita tribus periodis continetur: quadraginta annis in aula Pharaonis vixit, ubi omni sapientia Ægyptiorum fuit instructus: quadraginta vitam privatam egit in Madianitide pastor ovium Jethronis soceri sui: & quadraginta præfuit Israelitis, duxque populi Dei, multis editis prodigiis cum à servitute liberavit. Ergo centum & viginti annorum quum esset obiit in Monte Nebo, qui est in Moabitide, nullo prius morbo conflictatus; neque inventum est corpus ejus, quod sepelivit Dominus per Angelos, ne eum pro Deo colerent Hebræi ad idololatriam maxime proni. Itaque nemo unquam ejus monumentum novit. At Judæi optimi, si Superis placet, mysteriorum scrutatores, norunt Moysis sepulchrum esse in Tribu Gad, ex Deuteronomii cap. XXXIII. ver. 21. *Qui prospexit de principiis ei, quia ibi in portione Legislatoris protectus est*. Quam bene ex quocunque quodcunque probant Magistri!

De invento sepulchro Moysis anno Christi 1655. quæstio non sine turbis agitata est inter Maronitas, Græcos, & Armenios; quæstioni occasionem præbente mira quadam suaveolentia ex aperto quodam tumulo longe lateque diffusa. Tandem vicit sententia Judæi Jecomas Ben Gad, non Moysis servi Dei, sed alterius longe recentioris id sepulchrum fuisse. Notissimus etiam Ethnicis Scriptoribus Moyses fuit, licet ea, quæ referunt, pluribus fabulis sint corrupta, ob Judaicarum præcipue rerum imperitiam. Videri potest Apologia Josephi contra Appionem, in qua tum suæ Gentis, tum Moysis honorem tuetur. De Judæis loquens Juvenalis Satyr. 14. v. 101.

Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quocunque volumine Moses.

(29) Decem fuere plagæ, quibus Ægyptus percussa fuit, prodigiis scilicet in Cœlo, in Terra, in Aere, in Nilo, & ceteris aquis, in Hominibus, in brutis, in frugibus, & in arboribus. Plagæ autem sunt sequentes. 1. Aqua in sanguinem mutata. 2. Ranæ in campis & domibus reptantes. 3. Ciniphes vel pediculi. 4. Muscarum examina. 5. Pestis pecorum. 6. Dira ulcera. 7. Horrenda tonitrua cum grandine & fulminibus. 8. Locustæ gramina depascentes. 9. Caligo. 10. Cædes primogenitorum. Quas singulas sequentibus Carminibus memoriæ caussa complexus sum:

Niliaci fluctus primum fluxere cruenti;
Rana frequens campos aulasque agreste coaxat;
Inde phalanx cinyphum, hinc muscarum examina morsu
Cuspidis exacuunt; sævit grassata per omne
Inde genus pecudum pestis; dira ulcera tabo
Inficiunt artus; horrenda tonitrua cœlo
Displodunt trifidos ignes & grandinis imbres.
Cultaque mordaces prædantur sata Locustæ;
Palpantur piceæ jugi sub nocte tenebræ;
Pœna dein primo genitis fert ultima cædem.

(30) Legitur apud Eusebium Præp. Evang l. IX. c. 27. hoc Artapani fragmentum de transitu maris Rubri: Quum tanta Moses prodigia patraret, dicunt Ægyptii domos, fanaque plurima corruisse: Regem vero tot cladibus fractum Judæos tandem dimisisse, qui collectis, corrogatisque multis in Ægypto thesauris, magno itinere ad mare Rubrum pervenerunt. Atque a Memphitis ait narrari: *Mosem totius regionis peritissimum, observato reciprocationis æstus tempore, sicco mari universam sui populi multitudinem transmisisse: At secus ab Heliopolitanis; quippe qui referebant.... Mosem divinitus monitum virga aquas tetigisse, ac discedentibus statim fluctibus copias sicco transitu deduxisse.*

Memphitarum assertio omne miraculum removens in transfretatione Erythræi, mirum quam sapiat Incredulorum palato! Vellent enim Moysem naturalium rerum scientem, scientem etiam litoris Erythræi, quod non semel ambivit, captata opportunitate recedentium fluctuum jussisse Israelem transire in extremo illius recessu, quem insequi volentes Ægyptii refluentibus undis fuerunt demersi: quod rudi & imperito populo maximum visum fuit prodigium. Sed profecto dum ista asserunt, neganique à Moyse divinitus mare Rubrum divisum, perspecti omnino arguuntur mendacii. Qui enim sex horarum spatio, quo tempore mare æstuat, aut refluit tot hominum millia potuissent transire, qui de Ægypto in alias terras cum universa familia, gregibus, & impedimentis migrabant? Aut si Moyses fremendo fluxu mare transivit, cur Ægyptii non subsisterunt, donec post sex horarum refluxum eadem opportunitate

A mari ope Dei trajecto, cum persequentium Ægyptiorum manus evasisset, per solitudinem Arabiæ longo instituto itinere transiit, atque ibi, ita volente Deo, populum, licet reluctantem atque invitum, annos quadraginta retinuit. Ibi primo anno Deus Moysi iterum se ostendit, atque homini ad se (31) in montem Horeb solitudinis Sinai advocato Legem incisam (32) duabus lapideis tabulis dedit, eamque in posterum ab Israëlitis servandam esse præscripsit: ea vero (33) universam Reipublicæ rationem, qua uti eos vellet, continuit. Moyses autem omnia populo à Deo mandata denunciavit, isque se dicto audientem fore, spopondit. Inde anno XL. in campis Moab prope Jordanem amnem eam latius repetivit, atque in volumen redegit, quod (34) Deuteronomium dixit: ac paulo post moriens Ducatum Israëlitarum Josue Nave filio ex Tribu Effraim tradidit. Is demum, Jordane trajecto, terram Chananæam obtinuit, ac Reges ejus XXXI. devicit, atque armis regionem ferme totam ab Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Hevæis, Jebusæis, & Pherezæis habitatam subegit. Quo facto Dei jussu illam duodecim Tribubus (35) partim arbitrio, par-

B nitate vadarent, Hebræosque insequerentur, qui tanta multitudine laborantes longis itineribus nequibant contendere? An æstus maris Erythræi credi potest ignotus fuisse viciniis Ægyptiis, rerumque naturalium haud ignaris, a quibus Moyses sapientiam, teste S. Stephano, fuit eruditus? Cur si Ægyptii a refluentibus aquis fuerunt submersi, a naufragio nemo ad unum evasit, fluctibus quidem paulatim, & non momento horæ revertentibus?

Verum, ut prodigio minuant fidem, ad Josephum confugiunt, qui postquam incolumem trajecisse Israelem, obrutosque aquis Ægyptios narravit, hæc subdit Antiq. l. II. cap. ultimo: *Nemo autem mirari debet, tamquam incredibilia, si priscis hominibus ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus, via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive natura sponte; quandoquidem heri, & nudius tertius, Alexandri ducti Macedonibus Pamphilium mare cessit: id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt.*

C Et primum, quis in historico religioni, & veritati studenti id ferre possit, ut ad narrationem probabilem efficiendam Lectori, contra constantem suæ Gentis traditionem, & contra fidem divinorum librorum, de re certissima videatur hæsitare? Deinde quænam comparatio sit inter transitum Hebræorum per mare Rubrum, & Macedonum per mare Pamphilium? Judæi per discissum mare ictu Mosaicæ virgæ sicco transierunt vestigio, quod & ipse Joseph agnoscit eodem capite; Alexander quum arduum per montes transitum offendisset, secundum regiones litora deduxit suos, qui tamen aquam ad pectus usque transfretarunt.

D Enimvero quid de Alexandri transitu testantur, qui ejus gesta literis commiserunt, præstat audire, quo tum fides in hac re Josepho, tum factis similitudo ipsa videantur deesse; possitque benignus Lector unico veluti obtutu rem totam complecti. Strabo ait: *apud Phaselidem esse ad mare angustias, per quas copias Alexander traduxit. Nam est ibi mons Climax Pamphilio imminens mari, & propter litus arctum relinquens transitum, qui tranquillo mari nudatur, & a viatoribus perambulari potest, & mari exundante fluctibus admodum obtegitur. Alexander vero antequam defluerent undæ profectus est. Itaque contigit, ut totum diem milites per aquam iter facerent usque ad umbilicum in eam demersi.* Sed neque Plutarchus in transitu Alexandri agnovit miraculum, illumque in vita Alex. dixit: *ad pompam elegans argumentum, quasi divina forte cessisset Alexandro mare.* Quin addit insuper neque Alexandrum in suis epistolis in hac re quidquam portenti jactavisse.

E Arianus vero de Exped. Alex. lib. pr. scribit Alexandrum secus mare exercitum duxisse; quæ quidem via aliter confici non poterat, nisi ventis ex Aquilone spirantibus; nullo modo si invalesceret Auster. At eo tempore vendo si invalescere Australes nostros esse admodum vehementes. En transitus Alexandri, quem comparat Joseph cum transitu Judæorum.

(31) Horeb situs est in Arabia Petræa, atque ita prope montem Sinai, ut illius pars Horeb censeretur; quamquae Horeb sit ad Occidentem Sinai, oriente Sole Sinai umbra penitus obtegitur. Percussione virgæ, Moyses aquas elicuit de petra Horeb, quæ, si aliqua viatoribus fides, etiam num uberem aquam reddit adjacentes campos fœcundantem. Alii scribunt aquam è rupe non fluere: at levia tantum superesse vestigia ab aqua olim effossa, quæ per duodecim ora, unum super aliud æquis intervallis disposita, erumpebat.

Ceterum fabulantur Judæi exaruisse fontem hunc ea die, qua obiit Maria soror Moysis, quod esset donum populo datum propter illius merita: unde solent appellare fontem Horeb באר מרים *Puteum Mariæ*.

(32) Primas tabulas digito Dei exaratas Moyses indignatione succensus, ob vitulum aureum à Judæis conflatum, ad radicem montis confregit; quæ res, monente S. Augustino qu. 114. in Exod. Symbolum fuit, & quædam prophetiæ species abrogationem prænuncians Veteris Fœderis, ut novo fieret locus. An vero posteriores tabulæ a Moyse jussu Dei paratæ, quæ postea in Arca servatæ fuerunt, à Deo, vel a Moyse fuerint scriptæ: scriptas fuisse etiam hasce divinitus nullus dubito; nam Moysi dixit Deus: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.* Exod. XXXIV. v. 1. Quod Deuteronomii caput X. v. 4. confirmat: *Scripsitque in tabulis juxta id, quod prius scripserat.* Unde verba versiculi 28. Exodi laudati mox capitis: *scripsit in tabulis verba fœderis decem*, quæ memoo litet in oppositam sententiam quosdam adducere, ita sunt intelligenda, ut in illis *Deus* subaudiatur nominativi loco, & non *Moyses*.

(33) Quæ in duabus lapideis tabulis erant exarata, non universam Reipublicæ rationem, qua uti debebant Judæi, continebant. Nam solum Decalogus, sive Lex naturalis, in illis fuit conscriptus; non vero cærimoniæ, & judicia, quibus jussu Dei debebant etiam uti in eorum Republica. Universa enim Lex Judæorum tria genera præceptorum continebat, præcepta moralia, ritualia, & judicialia, de quibus infra sermo recurret.

(34) ἀπὸ τοῦ δευτέρου, καὶ νόμου dictus est hic Liber à Græcis *secunda Lex*, quum in eo omnes fere Leges à Moyse præscriptæ in aliis Pentateuchi Libris, repetantur, explicenturque. Hebræi tamen juxta morem apud eos receptum inscribendi Libros Legis è voce in principio occurrente, hunc Librum nominant אלה הדברים *Hæc sunt verba*. Quæ repetita fuerunt in gratiam illorum potissimum, qui quum primum Leges rogatæ sunt, vel nondum nati, vel ea fuerunt ætate, ut rationis compotes esse nequiverint.

(35) Datis à Moyse regionibus trans Jordanem Tribui Ruben, Gad, & dimidiæ Tribui Manasse, quas precoci voto expetiverant; à Josue populi Duce facta est divisio Palestinæ per sortes juxta præceptum Moysis Num. XXXIV. 13., coram Tabernaculo, Eleazaro Sacerdote, & duodecim Principibus Tribuum. Deus vero peculiari providentia sortes moderatus fuit, ut in Theocratica Republica pro ratione tum multitudinis capitum in qualibet Tribu, tum dignitatis illarum, tum etiam majoris minorisve fœcunditatis agrorum, quædam æqualitas servaretur, maxime conducens ad optimum Reipublicæ statum.

partim sorte divisit. Regio trans Jordanem, quam Moyses armis pepererat, atque (36) Rubenitis, (37) Gaditis, & dimidiæ parti (38) Manassensium distribuerat, eisdem est confirmata. Inde (39) Judæ, (40) Effraim, & alteri parti Manassis regionis pars inter Jordanem, & mare est assignata. Reliquam inde æquis portionibus diviam septem, quæ reliquæ erant, Tribus in sortem conjecerunt, (41) Simeon, (42) Benjamin, (43) Dan, (44) Issachar, (45) Zabulon, (46) Nephtalim, (47) & Aser, ita ut Juda vicina Arabiæ loca, Nephtalim, & Aser

(36) Inter Jordanem, torrentem Arnon, & mare Mortuum, seu lacum Asphaltitem in regione Sehon, & Amorrhæorum, ubi præcipuæ urbes Areopolis, Medaba, & Hesebon.

(37) A Rubenitis in Boream recedens, juxta Jordanis ripam ulteriorem, fines Ammon, & Sehon in terra Galaad inter Hesebon, & Ramoth. Urbes præcipuæ Galaad, Socoth, & Ramoth.

(38) Cis, & trans Jordanem. Pars trans Jordanem erat ultra Gad, inde in Boream recedens, inter Socoth & Corozain ex adverso Capharnaum, ac inter Ramoth ad Austrum, & Rabbath in Cæciam, apud fines Ammonitarum: Inter urbes Jabes erat, & Zeb juxta fines Amorrhæorum. Pars cis Jordanem inter Cæsaream & Maggeddo, campum Samariæ incolebat.

(39) Hæc utrumque mare Mortuum & Syrium, Idumæam, & torrentem Ægypti attingebat. Urbes habebat supra quinquaginta, in quibus Hebron, Gaza, Ascalon, Azotus, & Accaron. Habet ad ortum montes Seir, & Edom regionem ulterius Petram deserti, & Hor montem.

(40) Extenditur inter mare Syrium ad Occasum, & Jordanem ad Ortum, & terminatur a Septentrione dimidia Tribu Manasse cis Jordanem, & à Meridie Tribu Benjamin; ibique pars est Samariæ tractus. Urbes fuere Samaria, Gazer, Lidda, & Najoth.

(41) Ad Austrum inter fines Ægypti, & Tribus Juda. Habuit Urbes septem supra decem, in quibus Sceleg Orientem versus, Bersabee ad Austrum, Ramath ad Occidentem, & Cades erat magis ad Orientem.

(42) Inter Tribum Juda ad Meridiem, & Tribum Manasse ad Septentrionem. Habuit Urbes viginti quinque, in quibus erat Hierico, Bethleem, & Jerusalem.

(43) Erat inter Hierosolymam, & oram maris Occiduam, ubi Joppe Urbs. Urbes habuit viginti, in quibus Thanna, Emmaus, Modin, & Arimathia.

(44) Ab ora litorali, ubi mons Carmelus est, extendebatur usque ad Jordanem, Samariam habens ad Meridiem, & terram Zabulon ad Septentrionem, inter montes Gelboe ad Austrum, & Thabor ad Boream. Urbes habuit octo supra decem, in quibus Jezrael, & Dor.

(45) Inter mare Galilææ, & mare Syrium apud montem Carmelum extendebatur, montem Thabor, & magnam Galilææ partem occupando. Habebat Urbes duodecim, in quibus Nazareth, Bethsaida, Cana, & alteram Bethlem.

(46) Occupabat partem Galilææ & Cœlesyriæ inter Tribum Aser, & Jordanem, habens Zabulon ad Austrum. Possidebat Urbes decem & octo, inter quas Nephtali, & Cedesa. Finitimum habuit ultra Jordanem Regnum Basan, cum regione Trachonitide.

(47) Extendebatur ab ora maris apud montem Carmelum Sidonem usque, & interius usque Canam Galilææ, ubi fines Tribus Zabulon. Ibi regio Cabul, & Ptolemais inter alias Urbes. Hæc Tribus erat omnium maxime Borealis; sicut Tribus Simeon maxime Australis.

Ceterum familiæ antiquæ, & præclaræ in magnis urbibus, nomine Tribus appellatæ sunt. Ita apud Athenienses ætate Cecropis quatuor Tribus, seu familiæ floruerunt: Cecropis, Autochthon, Actæa, & Paralia. Romulus vero ex Dionysio Halicarnasseo lib. II. in tres partes universam civium multitudinem divisit, quas Tribus vocavit: Ramnensia a Romulo dicta, Titiensis a Tito Tatio Sabinorum Rege, & Luceres à Lucumone, vel a Lucretino, vel etiam a Luco asyli, in quem multi fuga delati civitate donati sunt.

Quoniam vero possessionem indicavi filiorum Jacob in terra Chanaam, vel Palæstina; Non inutile erit hic subjicere ea, quæ habet Pater Pezron in Dissertatione de Antiquis Terræ Promissæ finibus. Ac primum quidem in ea est Sententia Viri Docti, terram Israelitis promissam ab ea, quam possiderunt, distingui oportere. Quæ ab iis possessa fuit monte Libano, & Idumæa, & mari continetur: quæ autem promissa est Patriarchis, longius ad Septentrionem patet: Sed ob crebras Israelitarum prævaricationes, & idololatrias has regiones, ea parte tantummodo occuparunt: Genesis cap. 15. 18. *Pepigit Deus fœdus cum Abraham dicens, semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti usque ad fluvium Euphratem, Cineos* &c. Deuter. cap. 1. idipsum Deus Israëlitis denuo promittit: *Venite ad montem Amorrhæorum .... Terram Chananæorum, & Libani usque ad flumen magnum Euphratem*. Item cap. 11. 22. *Si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis .... omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit, à Deserto, à Libano, à flumine magno Euphrate usque ad mare Occidentale erunt termini vestri*. Mare illud est mare Mediterraneum ad Euphratis Occidentem.

Fines quidem Terræ Promissæ a Chananæis tum occupatæ versus Septentrionem, ad Euphratem usque porrecti erant: Sed quo usque regio illa pateret, explicatu difficile est, & quidem Terræ Promissionis, Israelitis destinatæ limites Numer. 37 & sequ. a quatuor Mundi plagis sic definiuntur, ut qui ab Austro, ab Occasu, & ab Ortu sunt præscripti, vix ullum ambiguitati locum relinquant, qui vero sunt ad Septentrionem positi, designari ægre possunt: *Porro*, inquit Sacer Textus, *ad Septentrionalem plagam à Mari magno termini incipient, pervenientes usque ad Montem altissimum*, & quæ sequuntur.

Ita quidem Vulgata, in Hebræo *usque ad montem Hor, à quo venient in Emath, usque ad terminos Sedada*. Hieronymus scribens in cap. 47 Ezechielis montem illum altissimum vel Taurum montem, vel Amanum ex Hebræorum mente interpretatur. Idem, inquit, Hebræi autumant, vel Amanum montem significari, vel Taurum, quod nobis videtur verius: neque id persuasum fuit Hebræ, montem Hor fuisse Libanum, ex quo Jordanis profluit.

Ubi ergo, inquies, mons ille altissimus situs est? & quidem non procul ab illo monte positæ fuere Urbes Emath, & Sedada, quarum posterior hæc Civitas penitus est incognita. Missis cum Hieronymi, tum aliorum de Urbe Emath conjecturis, an fuerit Antiochia, an Epiphania, an Emesa, in Theodoreti sententia acquiescit Pezronius: Ille Cyri Episcopus non procul ab iis locis, omnem eam regionem melius perspectam habuit, quam quivis alius. In suis ad Jeremiam Commentariis magnam Emath Emesam esse identidem docet, ut minorem Emath Epiphaniam: utraque ad fluvium Orontem sita erat. Quæ fuerit Reblatha in Scripturis identidem memorata simul aperit: hanc fuisse in territorio Urbis Emath ostendit scribens in caput 4 Jeremiæ: *Pagus est ejus, quæ nunc dicitur Emesa*.

Jam ut ad montem illum altissimum, seu ad montem Hor Terræ Promissæ Israelitis veniamus, non alium esse quam montem Libanum Syriæ admodum est probabile, qui ita appellatur, ut ab Antilibano distinguatur. Hic incipit non procul Tripoli prope ostium fluminis Eleutheri: hinc versus Orientem longè porrigitur, ac versus Orontis fontes desinit: nam ex eo monte manat Orontes. Cum autem hic fluvius non procul Emesa suum ducat initium, Syriæ Libanum a mari Mediterraneo versus Emath, seu Emesam porrigi Sacer Textus insinuat Numer. capite 34. Montem igitur Hor esse Libanum Syriæ videtur manifestum. Hunc Syri dicere Hor, seu Album, quod sit opacus nivibus vertente pene anno: ob eamdem potius rationem Chananæi hunc Libanum dixere, isque ab Antilibano

Afer à contraria parte Syriæ finitima obtinuerint, ac longitudo Provinciæ à Dan Urbe ad Bersabee pervaserit, quarum illa Syriam, hæc Arabiam attigit. Tribus autem Levi, quæ tertiadecima erat, jussu Dei ab hac sortitione summota est: neque enim eis pars ulla terræ est data, sed Sacerdotia, primitiæ, decimæ, oblationes, & victimæ attributæ: præterea (48) sex Refugii Civitates, quarum una erat in Tribu Naphtalim, altera in Effraim, tertia in Juda, reliquæ trans Jordanem in Ruben, Gad, & Manasse, in quas confugere posse Deus reos cædis non voluntariæ sanxit, atque his alias inde in omnibus novem dispersas Tribubus adjecerunt, ita ut XLVIII. Civitates incolerent unà cum suburbanis earum locis, quibus jumenta sustinere propria possent. Hæc in Libro Josue. Quare Levitæ Tribum propriam non confecerunt, sed ei Tribui adscripti sunt, in cujus finibus habitarunt. Unde Numerorum primo scriptum est: *Tribum Levi noli numerare, nec pones summam eorum cum filiis Israel*: & XVII. Judicum: *Fuit puer ex Bethleem Juda, ex cognatione populi Judæ, & Levites, & habitavit ibi, egressusque de Civitate Bethleem peregrinari voluit, ubicumque sibi commodum reperisset. Cum venisset in montem Effraim, & declinasset parumper in domum Michæ, interrogatus est ab eo, unde venisset, qui respondit, Levita sum de Bethleem Juda, & vado, ut habitem, ubi potero.* Fuit porro lege cautum, (49) ne puella heres nuberet nisi viro ex eadem Tribu & cognatione, ut Numerorum ultimo in Hebraica veritate: *Omnis filia, quæ possederit hereditatem ex Tribubus filiorum Israel, erit in uxorem uni ex cognatione Tribus patris sui, ut possideant filii Israel unusquisque hereditatem patrum suorum.* Quamobrem sacris placet Evangelii Expositoribus, quoniam Maria Virgo heres esset, Joseph viro ex eadem Tribu & cognatione nupsisse, ac propterea S. Matthæum, & S. Lucam, cum Mariæ progenitores afferre deberent, Joseph majores, tanquam eosdem, exposuisse. Ab his tamen lege Levitæ excepti fuut: his enim cum ceteris omnibus jus connubii jam inde ab initio fuit. Unde scriptum est XIX. Judicum: *Vir Levites habitans in monte Effraim accepit uxorem de Bethleem Juda*. Et Jojada Pontifex ex Tribu Levi in matrimonio habuit Jesabeth sororem Ochoziæ Regis Judæ, XXII. secundi Paralip. Quo factum, ut S. Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, teste S. Luca, id est, ex genere Levitico, (50) cognata esse potuerit Mariæ Virginis, quæ erat ex Tribu Juda; neque necesse sit dicere, Mariam ex Tribu Levi fuisse, quod S Augustinus, & S. Gregorius Nazianzenus scripsere: sic enim futurum

---

libano in Palæstina diversus est: cavendum porrò ne hinc montem Hor cum alio cognomine in Arabia posito cum Oleastro confundamus, in quo quidem Aaron diem suum obiit.

Ex iis palam fit Terræ Promissæ limites Septentrionem versus non procul ab Euphrate sitos esse. Has quidem regiones possederunt Chananæi à Jordanis fontibus ad Orontis usque fontes, à Libano Palæstinæ seu ab Antilibano ad Libanum Syriæ, & Emesam usque Chananæorum, populi è Chanaan oriendi undecim, vel duodecim Geneseos cap. 10. & aliis in Scripturæ locis numerantur: ex iis septem Palæstinam ab Idumæa Sidonem usque, & ad Jordanis fontes insederunt: alii ad Orontis originem & Emesam usque interjectas regiones occuparunt, Cinæi nempe, Aradæi, Samaræi, & Amorrhæi una cum Sidoniis & Tyriis Syriam invasere, qui propriè Phœnices sunt appellati. Id præter cetera observandum, hos Terræ Promissionis limites Num. cap. 34. versic. 7. & sequentibus assignari, mare Magnum, seu Mediterraneum prope ostium fluminis Eleutherii, tum montem Hor, seu Libanum Syriæ, qui ab Ostio prædicti fluminis ad fontes usque Orontis versus Palmirenam protenditur. Urbem quoque Emath designat Moses, quæ est ipsa Emesus, ex Theodoreto, ad Orontem posita non procul à Libano Syriæ; Moses deinde Sedada, Zephrona, & Enan appellat loca prorsus incognita, nisi forte Enan sit Epiphania, aut Larissa ad Orontis Occasum: sic Siphama ex Hieronymo & Hebræis erit Apamea.

Cur autem hæ regiones Israëlitis promissæ fuerint, non traditæ, rationem habebis ex Hieronymo, Epistola ad Dardanum: *Et ego*, inquit, *fatebor tibi promissa, non tradita: si observasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses; si & pro Omnipotente Deo non coluisses Beelphegor, & Baalim, Beelzebub, & Chamos, quos prætulisti Deo. Omnia quæ tibi promissa sunt, perdidisti*. Concludit demum: *& mihi in Evangelio promittuntur regna Cælorum, quæ Instrumentum Vetus non nominat: sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me, qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est*. Quod argumentum fusè persequitur idem Doctor.

(48) Tres ultra Jordanem Moyses, & tres alias Josue in terra Chanaan. Æquali spatio hæ dissitæ erant, ut omnibus æqua commodum esset, quum necessitas urgeret, ad unam illarum confugere. Viæ ad has urbes complanatæ erant, ne homicida fugæ se committens quidquam offenderet, quod illum moraretur; atque in biviis, triviisque stipes erat erectus cum scripta voce מקלט *Miklat* indicante viam ad civitatem refugii. Erant hæ urbes asylum reis solius homicidii casu patrati; mœchis, furibus, vel addictis pœnæ cujusvis alius criminis, nihil proderant. Omnibus cognatis occisi licebat interficere homicidam extra asylum deprehensum, etiam ante Judicis sententiam: post sententiam vero, si homicidium decernebatur voluntarium fuisse, cogebantur reum occidere; nec poterant precibus vel pretio cum homicida, etiam innocente, transigere, ut ex urbe asyli securus excederet. Id ad incutiendum horrorem meditantibus homicidium, summopere conferebat. Interim caussa confugientis ad urbem refugii cognoscebatur in porta civitatis cædis patratæ, à quo loco asyli reus deductus, si innocens sententiis Judicum pronunciabatur; remeabat ad eundem locum asyli, mansurus ibi ad mortem usque Summi Pontificis: sin reus, tradebatur cognatis occisi, qui statim tenebantur illum privare vita, quam nulla ratione poterant illi condonare. Ceterum dum adhuc in deserto iter facerent Judæi, asylum habebant ad Altare Tabernaculi.

(49) Lata Lex est Numerorum capite ultimo v. 6. ut hæreditas permaneret in familiis, atque vitaretur Tribuum confusio, quæ ita permanerent, sicut separatæ erant à Domino.

(50) Quum Levitæ, & Levitarum filiæ, quorum neutri hæreditatem habebant, vel uxorem, vel virum ex quacunque Tribu eligere possent; Sancta Elisabeth parens Præcursoris, quamquam esset de Tribu Levi, affinis fuit Sanctissimæ Virgini, quæ erat ex Tribu Juda. Potuit enim Elisabeth esse de genere Sacerdotali respectu patris, & ex Tribu Juda matris respectu. Sicut Beatissima Virgo, quæ ex genere paterno erat de domo David, & genere materno potuit esse de Tribu Levi. Sanctus Joannes Chrysostomus tamen in Ep. ad Hebr. videtur sentire, Mariam nulla parte generis sui genus Sacerdotale attigisse, quæ sententia arridet nonnullis.

rum erat, ut Christus non (51) ex Juda, & sanguine Davidis, sed ex Levi carnis originem traheret, contra omnia Sacrorum voluminum testimonia.

Hæ vero Tribus omnes, postquam sedes firmas in Chananæa locarunt, Republicâ, quam Deus præscripserat, institutâ, primum Judicibus paruerunt, deinde Regibus, Sauli Benjamitæ, & Davidi Judæo, qui sedem Hierosolymis Urbe Judæ posuit, ac Salomoni Davidis filio, qui Templum Hierosolymis condidit, quo tempore Regnum Israëlitarum gloriâ inter mortales excelluit, prout Deus aliquando spoponderat eventurum. Atque hæ Tribus sunt, quarum nos sumus Remp. descripturi.

CAP. III.

De Populo Judæorum, Effraimitarum, & Samaritarum.

SAlomone inde ex humanis rebus exemto Tribus duæ, Juda & Benjamin, (52) Ro-
A boam Salomonis filium Regem sequutæ Regnum Judæorum constituerunt; aliæ decem, cum ad (53) Hieroboam filium Nabath ex Tribu Effraim se contulissent, alterum Regnum Effraimitarum, sive Israël, condiderunt: unde Hieremias VII. *Projeci omnes fratres vestros, universum semen Effraim*, id est, decem Tribus Israël; & Osee sæpe nominat Effraim, & Judam pro Judæis, & Effraimitis. Quoniam vero magna inter Judam & Benjamin conjunctio intercessit, propterea ambæ pro una tantum Tribu à Scriptura acceptæ, atque uno Judæorum nomine nuncupatæ sunt, ut postea demonstrabitur, atque ita Respub. ad Judæos solos redacta est. Hoc divortio facto magnæ
B inde inter Judæos & Effraimitas contentiones ac dira odia exarserunt. Etenim Hieroboam decem Tribus à cultu Dei ad (54) simulacra veneranda avertit, ne populus suus ad Templum Hierosolymorum quotannis ex lege conveniens aliqua ratione à se defectionem iniret. Quo scelere perpetrato (55) Levitæ Urbes, quas

(51) In Veteri Testamento frequenter promittitur Christus nasciturus è Tribu Juda, & speciatim ex stirpe Davidica omnium nobilissima Isaiæ XI. dicitur: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*. Et versiculo decimo: *in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur*. Præterea in Psalmo LXXXIII. *Ponam*, inquit Deus de David loquens, *in sæculum*
C *sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœli*. Et Psalmo CXXXI. jusjurandum promissioni adjicitur: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. In Novo Testamento S. Matthæus ita Evangelium suum inchoat: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Apud S. Lucam Angelus Gabriel ad Mariam Virginem parituram: *Dabit ei*, inquit, *Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Et demum S. Paulus ad Hebræos capite VII. *Manifestum est*, inquit, *quod ex Juda ortus sit Dominus noster*. Tum ad Romanos capite primo de Christo loquens: *Qui factus est*, ait, *ex semine David secundum carnem*. Tum denique secunda ad Timotheum: *Memor esto Dominum Jesum resurrexisse à mortuis ex semine David*.
D Ex quibus Sacræ Scripturæ testimoniis nemo non videt manifestam falsitatis evinci Christianæ religionis hostes, qui non ex Tribu Juda, sed ex Levitica, Christum Dominum natum fuisse commenti sunt: Celsum dico, contra quem Origenes; Porphyrium, contra quem Hieronymus; & Julianum Apostatam, contra quem Cyrillus scripsere. Ceterum quamquam D. Augustinus lib. secundo de Consens. Evang., & S. Gregorius Nazianzenus in Carm. de Genealogia Christi à Sigonio laudati, asserunt Christum ortum ex genere Sacerdotum; nihil tamen adversariis nostris horum Patrum auctoritas suffragatur: agnoscunt siquidem utrumque genus in Christo Sacerdotale, & Regium, quod Regium in sola Tribu Juda perennavit. S. Paulus vero rem altius investigans, solide probat Jesum novæ Legis Sacerdotem, & Veteris consummatorem, ex
E alia, quam ex Tribu Levi, ortum fuisse, hac ratiocinatione: *Si consummatio per Sacerdotem Leviticum erat, quid adhuc necesse fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici*? Verum de Apostolica ratiocinatione vide quæ infra a me erunt notata Libro V. Capite III. in fine.

(52) Caussa, cur à Roboamo decem Tribus secesserint, aliumque sibi constituerint Regem, fuit adolescentum nimis acre consilium, quod Roboam seniorum opportunis monitis prætulit. Etenim dum universæ Tribus in Sichem convenissent, ut Roboam Regem primo salutarent, Israëlitæ enixè ab eo petierunt, ut ab oneribus recrearet populum, quæ gravissima Salomon pater imposuerat, tum ut uxorum luxui velificaretur, tum etiam ut Jerusalem novis operibus exornaret, quod aliarum urbium invidiam, & indignationem conflaverat. Senes ab rerum magistra experientia edocti auctores fuere, ut Roboam facile annueret postulatis. At adolescentes, quibuscum Orientalium principum more Roboam nutritus erat, Regi duram hanc suadent responsionem, qua deinde usus fuit: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei*. קטני עבה ממתני אבי Hoc hyperbolico adagio Roboamum potentiorem Salomone patre juvenes indicabant, novoque superbienti principi adulantes novos audaciæ stimulos addidere: *Et nunc Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum, pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus*. Scorpiones autem sunt virgæ spinea ubique aculeatæ ex S. Isidoro Orig. V. 27. *Virga si levis fuerit, virga est; si nodosa, vel aculeata, scorpio rectè vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur*. Scribit Plinius Cretenses scorpionem in tormentis primos invenisse, legiturque non raro supplicium scorpionum, quibus cæsi sunt Martyres in eorum Actis.

(53) Quum Jeroboam vectigalium Præfectus, & novandarum rerum cupidus concitare populum vellet contra Salomonem, in Ægyptum ad Sesac Regem concessit, ne Salomoni daret perduellionis debitas pœnas. Salomone autem è vivis sublato admonitus a suis, quos foverat secretis rationibus, ut quamprimum adesset; inde reversus est, obtinuitque Regnum supra decem Tribus à familia Davidis descíscentes.

(54) Ea posuit in duobus finibus Regni Israël in Dan, & in Bethel, priore Meridiano, altero Septentrionali, quo a Templo Hierosolymitano averteret populum. Constituit igitur Jeroboam unum ex aureis vitulis in Bethel, quod locus ille omnium opinione celebris esset ob scalam, quæ menti Jacob peregrinantis in Mesopotamiam, ibique sub dio pernoctantis, per quietem obversata est; quare à Judæis circumquaque confluentibus Bethel erat frequentatum. Dan etiam inter religiosa loca habebatur, quod multo ante in ea urbe Danitæ suos Teraphim posuissent, Micha Sacerdote electo Judic. XVIII. 30. Unde locus illustris erat ob Teraphim Michæ, simulacrum, ut sentiant nonnulli ex Eruditis, figura vituli; atque adeo Jeroboam delegit hunc locum pro altero vitulo constituendo, quod ibi Sacerdotes beculi invenirentur novo vitulo rite ministraturi.

(55) Vel ex hoc facto, quod Regum III. c. XII. 31. narratur, Levitas scilicet nolentes Regis impietati inservire è finibus pulsos, in sedem Juda, & Benjamin concessisse; inferri potest Jeroboamum aureorum vitulorum cultu verum

A quæ in decem Tribubus incolebant, reliquerunt, seque in Tribum Judam & Benjamin contulerunt, atque ita Sacra sibi à Deo commendata, viciniores Templo Hierosolymitano facti, diligentius coluerunt: quemadmodum XI. secundi Paralip. scriptum est. Contendere autem armis cum his sæpe Judæi, ac Galilæam regionem eorum, ex qua incolas (56) Teglatphulassar Assyriæ Rex, Phacee regnante, dejecerat, atque in Assyriam transportarat, ipsi regnante Achazo sibi vindicavere: XV. & XVI. quarti Regum. Neque ita multo post Effraimitæ ceteri, qui se tanta impietate obstrinxerant, Deo volente, bello subacti in Assyriam regnante Osee à (57) Salmanassare Rege translati sunt.

Eorum vero vacuam regionem subinde homines de Babylone, (58) Cutha, Ava, Emath, & Sepharvaim, eo traducti, expleverunt; qui cum Urbem in Tribu Effraim, nomine Samariam, unde etiam regio ipsa (59) Samaria dicebatur, obtinerent, (60) Samaritæ vocati sunt.

---

ram idololatriam intulisse in decem Tribus: nec solummodo fuisse illi propositum, ut sub B vitulorum specie Deum eundem venerarentur, qui adorabatur in Jerusalem, quod Monecjus *de vitulo aureo* opinatur, cui Jeroboam magis schismaticus videtur, quam idololatra, contra apertissime, tum Scripturarum testimonia, tum SS. Patrum præjudicia. Equidem brevitati studens duo vel tria loca ex sacris literis indicabo; & ex Patribus unicam Sancti Hieronymi sententiam in medium proferam.

Primus locus est II. Paralipomenon XI, ubi Sacerdotes ejecti dicuntur a Jeroboamo: *ne Sacerdotio Domini fungerentur*; & constituisse *sibi Sacerdotes Excelsorum, & Dæmoniorum, Vitulorumque, quos fecerat*. Alter locus est Ezechielis cap. XLIV. 10., ubi Propheta Levitas illos numero minores, qui in Jeroboami regno permanserunt, idololatria pollutos testatur: *Sed & Levitæ qui longe recesserunt à me* C *in errore filiorum Israel, & erraverunt à me post idola sua*. Ut silentio præteream a Sacra Scriptura vitulos hosce aliena, & conflatilia numina appellata fuisse: *Fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares: me autem projecisti post tergum tuum*. III. Regum XIV. 9.

Confirmatur hæc veritas contra Monecjum ex S. Hieronymi sententia, qui non uno loco, sed pluribus scribit Jeroboamum in Samaritis eidem idololatriam invexisse. In Commentario in Osee hæc habet capite IV. *Fornicatæ sunt & decem Tribus cum idolis Jeroboam filii Nabath; & reliquerunt Dominum Deum suum, non custodientes quæ jusserat dicens*: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies. Et in capite V. *Cœpit Ephraim, idest Jeroboam, abire post idola, & Deum derelinquere. Ipse enim aureos fabricatus est vitulos*. Et in capite D VI. *Quid enim horribilius, quam decem Tribus ad idolorum cultum repente transgressas? Unde ad Metropolim earum dicitur*: Aufer Vitulum tuum Samaria, in qua primus fornicatus est Ephraim, *idest Jeroboam de Tribu Ephraim*, & illo fornicante contaminatus Israel est, *Populus videlicet Samariæ, qui magna ex parte commune Israelis nomen obtinuit*. His non dissimilia habet S. Doctor capite VII. & VIII. ejusdem Commentarii, ex quibus potest intelligi quanta certitudine in ea sententia, quæ Jeroboamum non schismatis solum, sed etiam idololatriæ facit auctorem, perstiterit.

(56) Ex *Dighta*, vel *Tigil*, quod accolis nomen est Tigris, *Phul* nomine ilius Avi, & *Assar*, quod Assyriam significat, nomen Theglathphalassar compositum est. Ussérius credit hunc Regem esse Ninum juniorem, qui Sardanapalo successit dicto ab Æliano l. 12. cap. 21. E Tiglamo, quod nomen certe non multum recedit a Theglathphalassar. Subegit autem hic Rex urbes omnes Israelitarum trans Jordanem, eisque fluvium terram etiam, quæ Nephtali contigit, eicitque omnes in Assyriam abduxit, ut Regnum vastatum bellis (ex sententia Usseriana Arbacie, & Belesi contra Sardanapalum) denuo hisce colonis frequentaretur. Primo enim Paralip. V. 26. legimus Theglathphalassar transtulisse Roben, Gad, dimidiamque Tribum Manasse, easque in Lahelam, Habor, Aram (quæ aliquibus est *Aria regio*, de qua Strabo l. XI., & Plinius l. VI. 34.) atque ad fluvium Gozam deduxisse.

(57) Qui Salmanassar eundem putant ac Theglathphalassar, hunc faciunt binomium: sed magis placet cum aliis sentire, qui ejus filium, successoremque in Assyriæ Regno Salmanassarem constituunt. Regnante autem in Israel Osee Samariam obsedit Salmanassar, quam triennio expugnavit, & reliquas Tribus, quibus Pater pepercerat, trans Euphratem abduxit. Samaria penitus excisa, quæ diu jacuit in ruderibus suis. Quare à Jeroboami schismate, postquam viginti quinque supra ducentos annos Regnum Israel stetisset, tandem Osee imperante deletum est, translato populo universo de terra sua in Assyriam, partim jam à Theglathphalassar, partim demum à Salmanassar. Scilicet Tribus Nephtali, Ruben, Gad, & dimidia Manasse, quæ Transjordanicam regionem incolebant, fuerunt à Theglathphalassar in captivitatem deductæ. Post annum vero ab hac expeditione vicesimū Salmanassar, qui proxime patri successit, capta Urbe post triennii obsidionem, reliquas Tribus Regni Israel trans Euphratem deportavit.

Non leguntur hæ decem Tribus è captivitate rediisse; sed in Assyria permanentes scleribus computruerunt; donec cum Ethnicis confusæ, omnisque patriæ religionis oblitæ in nihilum penitus evanuerunt, juxta clarissima illa verba Isaiæ VII. 8 יחת אפרים מעם *Atteretur Ephraim, ut non sit populus*, hoc est, ut habet Vulgata: *desinet Ephraim esse, populus*. Et etiam juxta vaticinium Osee, de quo infra hoc capite.

(58) Colonia hinc in Samariam regionem deducta, Cuthæorum nomen dedit universis; vel quia Cuthæi numero plures erant, vel quia inter translatas habebantur nobiliores. Quidam sentiunt Cuthæos eosdem esse ac ceteres Scythas ad Araxem incolentes: & in montanis Mediæ Cussæi aderant, de quibus Polybius, Diodorus Siculus, & Plinius, quos Ptolemæus lib. VI. c. 3. in Susiana collocat.

(59) Aut sero Cuthæis in mentem venit veterem Samariam è ruinis excitare, aut id factum fuit post reditum Tribus Juda è captivitate Babylonis. Secundam enim Samariam Hircanus Pontifex per filios Antigonum, & Aristobulum acerrime oppugnavit, & tandem cepit, ac solo æquavit, inductis etiam eò torrentibus, quorum eluvie ita fœdaretur, ne vestigium quidem urbis superesset. At A. Gabinius Syriæ Proconsul eam instauravit, dixitque a suo nomine Urbem Gabinianam. Demum Herodes Magnus magnificis sumptibus denuo Samariam extruxit, eamque in Augusti honorem, cui Regnum acceptum deferebat, Sebasten vocavit.

(60) Versipelles animos Samaritarum ita graphice describit Josephus Antiquit. l. IX., ut opportunum sit ejus verba hic referre: *Permanent*, inquit, *nunc quoque in ea regione Cuthæi vocati Hebræis, Græcis vero Samaritæ, qui pro præsenti semper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Judæos viderint, cognatos se eorum appellant, utpote à Josepho ortundos, & hac ratione sanguine illis conjunctos. Quando vero in rebus adversis eos adspiciunt, nihil ad se pertinere ajunt, nec illis quidquam deberi benevolentiæ; quum ipsi ex longe remotis Gentibus ad ea loca pervenerint*. Hinc tanto odio Judæi prosequebantur Samaritas, ut edere, vel bibere cum Samarita Judæis nefas extiterit; semperque Samaritæ nomen perosi sunt Judæi,

sunt. Hi vero cum patriam deorum superstitionem tuentes passim (61) à leonibus vorarentur, edocti, id fieri, quod verum Deum Judæorum non colerent, nec Legem ejus tenerent, accito ex Assyria permissu Regis Sacerdote, Legem quidem Dei susceperunt, sed simul (62) cum vero Deo propriis etiam deis cultum adhibuerunt. Quare de eis ita scriptum est XVII. quarti Regum: *Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam, usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum, non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias ejus, atque judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israël, & percusserat cum eis pactum, & mandaverat eis dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis, sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti. Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes: nam & filii eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.*

Interjecto inde aliquot annorum intervallo Judæi quoque à Nabucdonosore Babyloniorum Rege subacti, urbe Hierosolymorum, Temploque incenso (63) in Babyloniam traducti Rempub. amiserunt: verum post annos LXX. Israëlitis, sive Effraimitis in Assyria remanentibus in patriam redierunt, (64) juxta illud Osee primo: *Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum: & domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo*: ac mox Cyro Rege Persarum copiam faciente, Templum & Urbem instaurare cœperunt. Verum, quod Judæorum in Samaritas odium stimulavit, ne tum opus perficere possent, à Samaritis inhibiti sunt. Inde Dario Rege Persarum rerum potiente non solum invitis illis consummaverunt, sed eos etiam Galilæam sibi in exilio ademtam reddere coëgerunt, & Rempub. recuperare cœperunt, ut Jose-

(61) Contra Cuthæos immisit Deus leones vindices hæreditatis suæ, & possessionis antiquæ. Josephus vero Antiqu. l. IX. cap. ult. à Scripturæ veritate longe recedit. Scribit enim Cuthæos peste conflictatos, (λοιμὸς γὰρ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν, *nam pestis ipsos invasit*) quum nullam morbo medelam invenirent, Oraculum consuluisse; à quo moniti, ut cultum exhiberent Altissimo, miserunt Legatos ad Regem Assyriæ, qui Sacerdotes aliquot, quos impetrarunt, è captivis, sibi dari efflagitarent. Hæc autem an consona sint sacris literis, ex subjectis verbis IV. Regum XVII. 25. 26. & 27. quicumque potest cognoscere: *immisit in eos* (idest in novos Samaritas) *Dominus leones, qui interficiebant eos. Nuntiatumque est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in Civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem Rex Assyriorum dicens: Ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & vadat, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ.* Nihil hic de pestilentiæ clade, nihil de monitu Oracoli, & unus tantum Sacerdos ab Assyria ad Samaritas remittitur. Præterea nullum oportet Oraculum comminisci, ut illius monitu pristinum cultum in Samaria Deo instaurarent, quo cessaret calamitas. Ex lectione namque sacri Textus pronum est intelligere, Cuthæos putasse pro eorum ruditate Deum Israëlis Deum esse regionalem, contra ipsos iratum, quod religione illius terræ propria eum non colerent. Quare ut numen Samaritidis Cuthæi possent demereri, Rex Assyriorum ad eos remittit Sacerdotem unum de captivis, à quo legitimum ritum regionis docerentur.

(62) Cultus, quem vero Deo subinde præstiterunt Cuthæi, in eo positus fuit, ut circumcisionis notam in se reciperent, Sabbatum sanctificarent, observarentque nonnullos alios Judaicos ritus. Ceterum singuli suos patrios Deos finxerunt, quos divino idololatricum cultum miscentes venerabantur. Babylonii fabricati sunt *Suchoth Benoth*, quod quidam explicant *Gallinam cum pullis*, Plejadum asterismum intelligentes: sed alii magis Hebraice סכות בנות *Tabernaculum puellarum* exponunt, afferentes tentoria Puellarum in honorem Veneris Babylonios ædificasse patrio more, de quo Herodotus l. I. Cuthæi fabricati sunt *Nergel*, qui colebatur sub forma gallinæ silvestris. Emathitæ *Asima* sub forma Hirci. Hevæi *Nebahaz* sub forma Canis æmolantes Ægyptiorum Anubim, de quo Virgilius:

Omnigenumque Deûm monstra, & latrator Anubis. & *Tartach* in forma Asini. Sepharavitæ tandem *Adramelech* sub forma Muli, vel Pavonis, & *Anamelech* sub forma Equi. At quæres, cultus hic Samaritarum adeo permistus, atque impurus potuit ne avertere leonum incursiones, quos Deus in eorum terras immisit? Minime vero. Sed illa plaga fuit non tam peccatorum animadversio, quam divinæ potentiæ manifestatio, ut ostenderet indocili populo se Dominum esse & vitæ ipsorum, & regionis, quam incolebant, sibique integrum esse & illis parcere, & illos delere.

(63) Postquam Nabuchodonosor Rex Monarchiæ Chaldæorum semel iterumque Judæos subegisset, tandem Jerusalem, & Templum igni succendit, ac penitus diruit, abductis in Babyloniam Sedecia Rege cum primoribus urbis, nec non plurimis incolis illius regionis, direptisque præterea universis opibus Templi Salomonis. Abstulit vero Nabuchodonosor vasa aurea, omnemque Templi thesaurum, non una vice, sed tribus diversis temporibus. Primo quum capta Urbe Joakimo Regi Juda tributum imperavit. Secundo quum altera vice Jerusalem potitus fuit regnante Jechonia. Tertio demum quum imperante Sedecia Judæos in Babyloniam abduxit. Hæc vasa Evilmerodach filius ejus, proprio nomine Balthassar à Daniele dictus (Merodach enim commune nomen erat Regum Chaldæorum) profanavit non impune, ac demum Cyrus reddidit Esdræ, ac remisit Jerusalem, quum Judæi post LXXII. annos suis sedibus fuerunt restituti.

(64) Versiculum Osee hunc sensum habet ex Sanctis Patribus. Significat regnum Israëlis, quamquam regno Juda florentius, deportandum fuisse per Salmanasar in Assyriam, nec unquam è captivitate rediturum. Regnum vero Juda, quando Israel Assyriis traditum est, servandum de manu Sennacherib per Angelum, qui de ejus exercitu centum octoginta quinque millia virorum una nocte percussit. Sufficiat referre verba S. Hieronymi ad hunc locum Osee: *Et consideranda*, inquit, *Domini indignatio, quod nequaquam domui Israël se dicat misereri ultra; sed eos de memoria sua æterna oblivione delere; quia usque hodie Persarum Regibus serviunt, & nunquam est eorum soluta captivitas. Domui autem Juda misericordiam pollicetur* &c. Et quamquam procedente tempore Regnum Judæ Babyloniam fuit deportatum; Deus tamen erga Judam fuit misericors, quem de Babylonis captivitate reduxit in patrias sedes, illius publicas res ita restituit, ut pristinum splendorem exæquaverint, & vota Piorum (quod rei caput est) adveniente plenitudine temporum Messiæ Nativitate complevit. Verum de captivitate X. Tribuum vide infra annot. 75.

Josephus literis prodidit. Inde multis interpositis annis res ad Darium ultimum pervênit, quem Alexander Magnus devicit, quo regnante (65) Manasses frater Jaddi Pontificis, cum ex lege alienigenam uxorem repudiare compelleretur, nempe Sanabalat Samaritæ, Præfecti Darii Regis filiam, ad socerum ipsum confugit, qui se illum Pontificem effecturum promisit. Alexander autem victor mirificis (66) Judæos honoribus extulit, ac religionem eorum magnifecit. Sanabalat autem defectione ad Alexandrum inita, permissu ejus Templum Hierosolymitano simile in monte Samariæ celsissimo, nomine Garizin, extruxit: atque ei Manassem ipsum generum Pontificem declaratum præfecit. Hinc Samaritæ sublatis animis æquales jam se Judæis factos existimantes progeniem se esse Joseph patris Ephraim, id est, veros Effraimitas, prædicarunt, & se pariter cum eis Dei cultores dixerunt: atque eos, qui criminum aliquorum apud Judæos convicti ad se confugerent, excipere benigne consueverunt. Inde res Judæorum aliquot post annos ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege afflictæ, lex, & sacra eorum eversa sunt. Quare animadversa Samariæ perterriti, se non Deum, sed Deos colere asseruerunt, nec se Israëlitas, sed Sidonios esse dixerunt, ac Templum ipsum (67) Jovi Cretensi se dedicaturos esse professi sunt: atque ita præsentem armati Regis iracundiam eluserunt. Ea vero tempestate perfuncti, inde ambo & Judæi, & Samaritani rursus opibus florere cœpere, ita ut armis aliquando inter se decertarent. Demum Samaritani à Joanne Hyrcano Rege Judæorum subacti, & Templo exuti Judæis subjecti sunt. Fuit autem illud semper Judæis incommodi, quod (68) in Galilæam provinciam suam euntes, atque inde redeuntes ferme per Samariam terram à sacris suis aversam transire eogebantur. Ad extremum autem uterque populus variis seditionibus agitatus Romanorum in potestatem concessit. Hæc ex Libris Esdræ, & Josephi.

CAP. IV.

De Lege Israëlitis à Deo data.

EXpositis iis, quæ ad populi, de quo acturi sumus, notitiam pertinebant, redeo ad Legem huic populo à Deo latam, quæ Rempublicam à nobis describendam continuis. Hæc igitur Lex per Moysem à Deo data duo præcipue capita est complexa, vitam religiosam, & disciplinam civilem. Quarum ratio duobus potissimum jussis est comprehensa, (69) cultu Dei, & caritate proximi; unde illud: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut teipsum.* Ea vero dilatata ad decem numerum pervenerunt: quorum (70) tria Deum attigerunt: ut unus Deus colere-

(65) Manasses Pontificis Jaddi frater duxerat contra legem Ethnicam uxorem; unde vel Pontificatum, vel uxorem debebat dimittere. Uxorem vero dimittere nolens, & Pontificatum desiderans simul, confugit ad Socerum, a quo Pontifex electus est, Templique Samaritano eum ædificandi occasio fuit, de quo plura infra suo loco.

(66) A Josepho Antiqu. lib. XI. cap. 8. dicitur, Alexandro Judæis vehementer irato, quod requisiti opem, commeatum, & tributa Persis pendi solita denegassent; Darii amicitiam prætulissent, & jam infestis signis Hierosolymam petenti, Jaddus obviam processisse infulatus, una cum Sacerdotibus, & populo candidato. Id agmen è longinquo videns Alexander, religione motus Pontificem adiit venerabundus, Deique nomen יהוה in clara scriptum adoravit. Stupentibus ad rei novitatem comitibus, professus est eum se honorem Summo Sacerdoti exhibuisse, quod in Dio Macedoniæ urbe hoc ipso habitu videndum idem Pontifex se illi præbuerat, & ad Persicam expeditionem hortans victoriam illi promiserat.

(67) Post Alexandrum Macedonem, ejusque in Asia successores, numen solius Jovis e Judæis agnitum fuit. Antiochus Epiphanes Jovem Cretensem, vel Olympium in Templo Hierosolymitano, & in Templo Montis Garizim Jovem Hospitalem erexit.

(68) Christus Dominus de Judæa in Galilæam proficiscens per Samariam transiit juxta prædium datum a Jacob Josepho filio suo, ubi erat fons Jacob, quo loci Samaritanam mulierem ad bonam frugem traduxit. Johan. IV. 4. Quamquam vero Judæi stante secundo Templo Samaritidem, sive Samariam, inter regiones terræ Israeliticæ non numerarent; illam tamen non reputabant immundam, sed domus, viæ, atque aquæ mundæ habebantur. Docent enim Magistri pulverem iniquum terræ Ethnicæ immundum esse, & polluere, atque adeo venientes è terris גוים *Gentium* Jerusalem, pulverem excutere debuisse atque se mundare, antequam ad sacra se conferrent.

(69) Egregie S. Thomas prima secundæ quæstione C. articulo V. caussam investigat, cur omnia præcepta a Deo hominibus data, vel ad cultum Dei, vel ad caritatem proximi debeant referri: *Sicut præcepta legis humanæ* (ita ratiocinatur Angelicus) *ordinant hominem ad quamdam communitatem humanam; ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad quamdam communitatem seu Rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur, quorum primum est, ut bene se habeat ad eum, qui præest communitati: aliud autem est, ut homo bene se habeat ad alios communitatis consocios, & comparticipes. Oportet igitur quod in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum; & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos simul convenientes sub Deo.*

(70) Quoniam Sigonius Noster ita ordinat præcepta Decalogi, ut tria ad primam tabulam, septem ad alteram referantur, quam distinctionem communius receptam S. Augustinus ante omnes in bono lumine collocavit; non pigebit benevolum Lectorem a me verba S. Patris referri hoc loco, desumta ex Sermone IX de decem chordis cap. V. & sequentibus:

„ Decalogus Legis, *inquit*, decem præcepta habet, quæ decem præcepta ita sunt distributa, ut tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines. Tria ad Deum: Unus est Deus noster, ei nullam similitudinem debemus facere, & non fornicari post Deum qui unus est: Quia Deus & Christus Filius Dei unum est cum Patre; & ideo non debet à nobis accipi in vanum, ut putemus eum factum, idest creaturam aliquam, per quem facta sunt omnia: Quia ipse unus Deus Pater est, & Filius, & Spiritus Sanctus; in Spiritu Sancto, hoc est in dono Dei, requies nobis sempiterne promittitur. Inde modo pignus accepimus. Sic enim dicit Apostolus: *Qui dedit nobis pignus Spiritum.* Si pignus accepimus, ut incipiamus in Domino, & in Deo nostro tranquilli esse, ut simus in Deo nostro mites, simus in Deo patientes, erimus etiam in illo, unde pignus accepimus, in æternum quieti; quod erit Sabbathum Sabbathorum, propter ipsam requiem pertinentem ad donum Spiritus Sancti. Tertium itaque præceptum de Sabbatho, quod diximus, quod carnaliter Judæi celebrant, nos spiritaliter agnoscamus. Nam quia Spiritus Sanctus dicitur, propterea septimum diem sanctificavit Deus, quan-

leretur, ne in vanum nomen ejus appellaretur, & ut honos Sabbatis haberetur, quod eo die ipse ab opere quievisset: sæpe autem hæc repetita sunt: *Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, & non immoletis eis, sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti.* Septem vero proximum spectarunt, ut parentes honorarentur, ne cædes, furtum, atque adulterium fieret, ne falsum testimonium diceretur, neque uxor, neque res alterius cuperetur, atque ea duabus lapideis sunt incisa. Hæc vero decem latius inde atque uberius explicata (71) ad quatuor tantum jussa redacta sunt, quorum duo Mandata & Præcepta, duo Justificationes & Judicia nominata sunt, atque ut priora Deum; sic posteriora proximum attigerunt, multisque partibus singula constiterunt. De quibus postea, & quid singula fuerint, & unde originem traxerint, dicam, si prius loca aliquot Legis, in qua hæ voces, tanquam præcipuæ ejus partes, repetitæ sunt, proferam: nam in hoc maxime & Legis, & Reipublicæ hujus ratio continetur. Exodi XV.: *Constituit ei Deus præcepta ac judicia dicens: Si audieris vocem Dei tui, & obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta ejus.* XXI. *Facite præcepta mea, & judicia custodite.* XXVI. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis.* Et in extremo: *Hæc sunt judicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se & filios Israël in monte Sinai per manum Moysi.* Inde in fine Numerorum: *Hæc sunt mandata, atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel in campestribus Moab.*

A Quare Moyses quarto Deuteronomii repetivit:
Mandavit mihi Dominus, ut docerem vos justi-
ficationes, & judicia. Idem: *Scitis, quod ego*
docuerim vos præcepta, atque justitiam, sicut
mandavit mihi Dominus Deus. Postremo con-
cludens: *Hæc est lex, quam proposuit Moyses*
coram filiis Israël, & hæc testimonia, & justi-
ficationes, atque judicia, quæ loquutus est ad fi-
lios Israël. Et VI. *Hæc sunt præcepta, justifi-*
cationes, atque judicia, quæ mandavit Deus no-
ster, ut docerem vos. Atque hæc quidem in
Lege ita usurpata sunt. Inde vero qui post
consequuti sunt, eodem etiam modo Legem
sequentes loquuti sunt, ut Josuë XXIV. *Pro-*
posuit populo præcepta, & judicia: & secundo
B tertii Regum dixit David ad Salomonem: *Fac,*
ut custodias Dei mandata, & justificationes, &
judicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege
Moysi. Et VII. quarti: *Custodite præcepta, &*
justificationes, & omnem legem, quam manda-
vit nobis Deus. Et XIX. secundi Paralip. *Jo-*
saphat constituit Judices Sacerdotes, qui judica-
rent lites de mandato, ceremoniis, justificationi-
bus, & judiciis. Et XXIV. *Percussit Josias Rex*
fœdus coram Domino, ut ambularet post eum,
& custodiret præcepta, & testimonia, & justifi-
cationes ejus in toto corde suo. Jam vero David
in Psalmo CXVIII. repetit sæpe, se observasse,
aut præteriisse, aut doceri cupere, quæ in
Lege continentur, nempe mandata, præcepta,
C justificationes, judicia, & testimonia Dei, ut
cum ait: *Tu mandasti mandata omnia custodiri*
nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodien-
das justificationes tuas. In via testimoniorum tuo-
rum delectatus sum. In justificationibus tuis medita-

---

quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi dicitur: *requievit Deus ab operibus suis.* Non enim fatigatus erat Deus, ut diceretur: *requievit ab operibus suis*: Sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit, ut quia fecit omnia bona valde, & sic dicitur: *requievit Deus,* intelligas etiam, te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Nam dies superiores habent vesperam: septimus iste dies non habet vesperam, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi: *factum est mane,* ut inciperet ipse dies. Non dictum est: *factum est vespera,* ut finiretur dies; sed dictum est: *factum est mane,* ut fieret sine fine dies. Sic incipit ergo requies nostra quasi mane; sed non finitur, quia in æternum vivemus. Ad hanc spem quidquid facimus, si facimus, Sabbathum observamus. Ipsa est tertia chorda hujus Decalogi, idest Psalterii decachordi: in tribus enim chordis ad Deum pertinent præcepta. Tota lex in duobus præceptis est. In dilectione Dei, & dilectione proximi. Ad duo itaque præcepta, idest ad dilectionem Dei & proximi pertinet decalogus. Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus est Trinitas. Ad alterum vero præceptum, idest ad dilectionem proximi, septem chordæ, quomodo vivatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius tamquam septem chordarum incipit ab honore parentum. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Ad parentes enim suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Et dicit Apostolus: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum.* Quomodo primum, quando quartum est mandatum, nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in altera tabula: nam ideo duæ tabulæ legis datæ sunt. Deus enim famulo suo Moysi in monte duas tabulas dedit, in quibus duabus tabulis lapideis

conscripta erant decem præcepta Legis; trin
in una tabula ad Deum pertinentia; septem
in altera tabula ad proximum. In altera ergo
tabula primum est: *Honora patrem tuum, &*
matrem tuam. Secundum: *Non mœchaberis.*
Tertium: *non occides.* Quartum: *non furabe-*
ris. Quintum: *non falsum testimonium dices.*
Sextum: *non concupisces uxorem proximi tui.*
Septimum: *non concupisces rem proximi tui.*
D Hæc jungamus illis tribus ad dilectionem Dei
pertinentibus, si in Psalterio decem chorda-
rum volumus cantare canticum novum.

(71) Si ad brevia quædam capita velimus adducere universa antiquæ Legis præcepta, omnibus numeris absoluta est illa divisio, quam statuunt cum S. Thoma omnes Theologi; in præcepta scilicet Moralia, Ritualia, & Judicialia. Moralia immutabilem recte vivendi normam, veramque morum bonitatem præscribunt. Ritualia cultum Dei externum ordinabant, qualem Deus sub Veteri Testamento observari voluit. Judicialia ad politiam Israelitici populi spectabant, in eum finem à Deo data, ut inter cives justitia obtineret, & tranquillitas publica. Qua præceptorum distinctione nulla melior potest excogitari. Ad distinctionem vero Sigonianam, quod attinet, observandum est, quod sicut Lex variis
E vocibus in literis appellatur divinis; ita non raro illæ inter se confunduntur, atque una pro alia solet usurpari; imo in Psalmo CXVIII. reperiuntur decem vocabula, quæ Legem, aut præceptum important; & sunt Lex, mandatum, testimonia, justificationes, via, sententia, judicia, sermones, eloquia, & verba, in quæ si quis vellet Veterem Legem dividere, rationemque, ob quam unum ab alio nomine differt, assignare, is plane, ut adagium fertur, tereret tempus. Hinc Sigoniana Legis divisio nulla ratione potest admitti, nisi hoc modo explicetur, ut mandatorum nomine intelligat primam Tabulam; justificationum secundam; præceptorum Legem cæremonialem; judiciorum denique Legem forensem. Sed nulla caussa est, cur a communi Theologorum divisione recedamus.

ditabor. *Testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ. Viam justificationum tuarum instrue me.* Et Psalmo XVII. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli à me*: & CIV. *Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant*: & CXLVII. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, & judicia sua Israel*: & Nehemiæ decimo: *Juraverunt, ut ambularent in lege Dei, ut facerent, & custodirent universa mandata Domini Dei nostri, & judicia ejus, & justificationes ejus*; & Ezechielis XLIV. *Justificationes meas justificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus festis meis custodient.*

Hæc ex pluribus Testamenti Veteris locis pauca protulisse, sufficiat. Nunc venio ad singularum harum vocum explicationem. Mandata, quæ Græcus interpres ἐντολὰς vertit, verba fuisse videntur, quibus Deus jussit, aut prohibuit aliquid fieri, quod præcipue se ipsum attingeret. Præcepta, quæ ille προστάγματα vertit, quibus rationem, qua id fieret, ordinavit: nam in illa voce πρόσταγμα ordinatio quædam insita est: unde pro ea aliquando Latinus interpres cæremonias edidit; neque enim solum jussit Deus, ut se supra omnia colerent, sed etiam sui colendi ritum demonstravit, nempe cum de Tabernaculo, Sacrificiis, diebus Festis, Sacerdotibus, & eorum Officiis tradidit, atque hæc quidem duo ad Deum relata sunt. Justificationes vero & Judicia ad proximum; Justificationes enim, quas Græci δικαιώματα vertunt, jussa fuerunt, quibus Deus docuit, quo modo de proximo ad absolutionem judicare, & quos innocentes ac justos habere, & pronunciare deberemus; juxta illud Psalmi VII. *Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Neque vero hæc cœlestis illa justificatio est, de qua post in Evangelio disseretur, sed judicialis, atque terrena. Id ita esse probatur ex ipso verbo δικαιῶ, quod iidem in sacris literis usurpavere (72) pro justifico, id est, justum innocentemque pronuncio; ut Exodi XXIII. in ipsamet Lege, ubi de justificationibus agitur: *Non justificabis impium*, id est, non absolves, Græce οὐ δικαιώσεις. Unde Isaias: *Væ, qui justificatis impium pro muneribus*: & Levitici secundo: *Æquum judicium sit civi, & advenæ*: Græce δικαίωσις μία: id est, pariter absolve peregrinum, ac civem. Et Deuteronomii XXV. *Si fuerit controversia inter homines, & ad judicandum venerint, & justificaverint illum, & condemnaverint impium*: Græce δικαιώσωσι. & Proverb. XVII. *Qui justificat impium, & condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Et apud S. Matthæum XII. *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Judicia porro jussa fuerunt, quibus Deus ostendit, quemadmodum condemnationis sententiam ferre, & quos sontes, & injustos habere, ac pronunciare oporteret; etenim κρίνειν, id est, judicare, usurparunt pro condemnare; ut XV. Genesis: *Gentem, cui servituri sunt, ego judicabo*: & secundo Paralip. XXXVI. *Ammonitæ nos nituntur ejicere de possessione, quam tradidisti nobis Domine Deus noster, ergo non judicabis eos?* id est, non condemnabis. S. Matthæus VI. *Nolite judicare, & non judicabimini.* S. Johannes quarto: *Non veni, ut judicem Mundum, sed ut salvum faciam*: & VII. *Nunquid Lex nostra judicat, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid egerit?* Judicii porro in Lege præscripti hoc sit exemplum: *Nocturnum furem occidito*: justificationis, *Diurnum dimittito*: item judicii, *Qui prudens hominem occiderit, capite pœnas luet*: justificationis, *Qui imprudens, vite exul erit.* Testimonia vero, quorum sæpe supra est facta commemoratio, fuere verba, quibus Deus ipse testatus est, se eos, qui mandata, præcepta, justificationes, & judicia à se in Lege tradita custodissent, bonis variis, sed ad hanc vitam spectantibus, affecturum; qui vero secus, malis. Unde dixit Hieremias IX. *Non attendunt mandata tua, & testimonia tua, quæ testificatus es in eis*: & quarto Regum XVII. *Abjecerunt legitima Dei, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus*

(72) Lætus excipit hunc locum Nicolaus, putatque hisce verbis Sigonium favere hæresi Sectariorum, qui justificationem illam, qua à Deo impius justus efficitur, volunt nihil quidpiam in anima ponere, esseque vel solam peccatorum remissionem, vel imputationem justitiæ Christi, per quam impius nihil animo ejus mutato dicitur justus. Hinc justificare apud ipsos est solum aliquem justum pronunciari. Sed neque Sigonium trahet Nicolaus in suas partes, neque hæresim suam cuiquam reddet probabilem. Noster enim justificationem distinguit in cœlestem unam, & in judicialem vel terrenam alteram. De cœlesti dicit se hoc loco non habere sermonem. Judicialem vero ita definit, ut ea sit, qua quempiam justum innocentemque pronunciamus. Quid quæso suffragatur Sectariis? Quæ quum ita sint, quamobrem Nicolaus de Sigonio scribit sequentia? *Quamvis auctor Pontificius egregie tamen explicat vocem justificare, quæ nihil aliud significat, quam justum aliquem pronunciare. Quod notandum contra Pontificios, qui justificationem cum sanctificatione confundunt; namque explicant per infusionem justitiæ inhærentis, urgentque justificationem secundam, uti vocant, qua homo justitia inhærente justior & sanctior redditur; quum tamen verbum hoc nihil aliud possit, quam absolvere aliquem à peccato, & justum pronunciare.* Sentiunt profecto, Nicolae, Catholici cœlestem justificationem impii illam esse, in qua & vere peccata remittuntur, & illi gratia in eo divinitus infunditur, & illi inhæret. Sed ita firmiter sentiunt, quod ita nec aliter fidelibus ex Scriptura Sacra credendum est. Si enim aut peccata solum tegerentur, nec vere delerentur ab anima impii, quomodo Deus sapientissimus æque ac rectissimus posset, dum impium justificat, pronunciare illum justum esse, qui non esset justus revera, sed peccatorum nexibus post pronunciationem etiam irretitus? Si autem vere in justificatione peccata tolluntur; sed gratia non infunditur, quomodo Apostolus I. ad Corinth. 6. post graves peccatores recensitos, vere dicere potuit: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis?* Quomodo ad Romanos cap. V.: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, idem Paulus scribere potuit, si dum impius justificatur, Spiritum Sanctum in se manentem, & inhabitantem non habet? Et ad Titum capite III cur dixit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum?* Denique dum sacræ literæ de impii justificatione loquuntur, passim illum lavari docent, mundari, renovari, sanctificari; quomodo Nicolae, quis lotus, mundatus, renovatus & sanctificatus esse potest, nisi deletis sordibus, justitiam habeat sibi inhærentem, à qua & talis fiat, & vere talis denominetur? Hæc ad obiter convellendum errorem Nicolai, ejusque gregariorum dicta sint satis; plura, qui volet, consulat Theologos, & præsertim Polemicos, apud quos videre poterit unanimem sensum Sanctorum Patrum de justificatione nobiscum sentientium.

flatus est eos. Eorum vero hoc sit exemplum, Exodi XIX. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta*. Et Deuteronomii XI. *Si custodieritis mandata mea, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum nostrum, & ambuletis in viis ejus, adhærentes ei, disperdet Dominus gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ majores & fortiores vobis sunt*. Inde multa alia bona pollicetur, & mala comminatur, quas vocat benedictiones, & maledictiones. In Evangelio porro eædem etiam voces eodem modo usurpatæ sunt à Sancto Luca capite primo: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Quippe significat, Zachariam & uxorem custodisse Legem Domini, quoniam partes ejus duas præcipue coluerunt, Mandata, & Justificationes: quorum illa Deum, hæc proximum attingunt. Ac de summa quidem Legis hæc dicta sint, quæ ita proponere libuit, quoniam ex his quatuor vocibus, tanquam ex summa Legis, universa hæc nostra de Repub. disputatio deducetur: redeo ad Legis historiam.

Hæc igitur Lex primum duabus lapideis tabulis à Deo, deinde volumine scripto à Moyse consignata est. Jussit autem Deus, ut secunda legislatio à Regibus legeretur, & cognosceretur, item à Pontifice in solemnitate Tabernaculorum populo traderetur. De primo scriptum est Deuteronomii XVII. *Rex postquam sederit in solio Regni sui, describet Deuteronamium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & justificationes ejus, quæ in lege præcepta sunt*. De secundo XXXI. *Post septem annos anno Remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israël in loco, quem elegerit Dominus*, (73) *leges verba Legis hujus coram omni Israël, audientibus eis, ut audientes discant, & timeant Dominum, & custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus*. Profectis ergo Israëlitis in Chananæam diu in hoc instituto perseveratum est. Inde sub Regibus ejus obliterata memoria est. Quod cum Josaphat Rex Judæ cognovisset, ut erat summa pietate ornatus, *misit de principibus, qui docerent in Civitatibus Juda, & erudiebant populum*, ut XVII. secundi Paralipomenon scriptum est. Deinde vero res eò aut malitiæ, aut negligentiæ venit, ut volumen etiam Legis scriptum è memoria Judæorum exciderit. Tum casu inventum in Templo, dum instaurabatur, ab Helcia Pontifice ad Josiam Regem delatum est. Quod ut ille legit; *subito discissis vestibus dixit: Magna ira Domini accensa est adversus nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis*. Unde Librum populo recitari jussit, & se observaturum spopondit; sic enim XXIII. quarti Regum: *Percussit fœdus coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & justificationes in omni corde, & in tota anima sua, & suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo; acquievitque populus pacto*. Inde paucis interjectis annis cum Judæi in Babyloniam traducerentur, Legis quoque volumen evanuit. Reversis autem illis in patriam, Esdras scriba, & Sacerdos eam (74) aut amissam restituit, aut corruptam emendavit eo modo, quo nunc habemus; unde ipse scripsit: *Esdra paravit cor suum, ut investigaret Legem Domini, & faceret, & doceret in Israël præceptum, & judicium*: Atque ab illo Scribæ, id est, Legis Doctores, in Repub. dimanarunt, ut postea ostendetur. Hi deinde Libri jussu Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti (75) per LXX. Interpretes Græce conversi sunt.

(73) Quolibet Sabbathico anno ineunte Lex universo populo audienti legenda erat: quod munus quamquam videtur fuisse Sacerdotum, & præcipue Summi Pontificis; scribunt tamen Magistri, Regem ipsum, Regibus Juda imperantibus, prælegisse Legem è suggestu ligneo in atrio mulierum, tum quia illud erat capacissimum, tum quia mulieres etiam huic lectioni debebant interesse; nam sequenti versiculo duodecimo hujus capitis XXXI. Deuter. a Nostro laudari dicitur: *Et in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis*.

(74) Narrat Auctor quarti Libri Esdræ libros sacros ante captivitatem scriptos, incensos fuisse, aut incognita quapiam calamitate deperditos, qui deinde ab Esdra divino spiritu afflante fuerunt restituti. In hanc sententiam plures ex Ecclesiasticis Scriptoribus abiere. Sed quoniam tertius, & quartus Esdræ inter Canonicas Scripturas locum non habet; hinc nonnulli putant Babylonicæ captivitatis tempore non fuisse sacros libros prorsus amissos, sentiuntque Esdram Sacerdotem vetera originalia restituisse solummodo ad antiquam lectionem, eademque in unum corpus compegisse, quæ res etiam Spiritus Sancti operationi jure tribuitur, ne aliquid in sacris literis habeatur, cui divina fallere, & falli nescia auctoritas desit. Quis enim sibi in mentem potest inducere Zorobabelem, Summumque Sacerdotem Josue caruisse ante adventum Esdræ in Judæam, exemplaribus Legis, Annalibus Gentis suæ, Psalmis, & scriptis saltem illustriorum Prophetarum? Fuitne unicum tantum in tota Gente Israëlitica divinarum Scripturarum exemplum, quo combusto illarum nihil superesset; quum in captivitate sciamus viros fuisse studio Legis addictissimos, Ezechielem, Danielem, Mardochæum, Ester, Tobiam, celebresque alios captivos, apud quos nihil profecto esse debuit solennius, quam sacros libros rebus omnibus præstantiores salvos rectos retinere? Quid? Nonne Baruch laudat Babylonis exulibus, revocatque in memoriam Moysis Legem, & populi tunc captivi universam historiam? *Baruch I. 19. & alibi*. Nonne Daniel Jeremiæ legens oracula, sensus in illis scrutabatur penitiores? *Daniel IX.* Nonne demum Nehemias post captivitatem solutam, Hierosolymæ Bibliothecam instruxit, in qua ut II. Macchabæorum capite secundo legere est, *congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis*? Videlicet libros, ex omnibus illis regionibus, in quibus Judæorum populus jam erat dispersus, ex Ægypto, Babylone, Perside, Nehemias curavit ad se deferri.

Non igitur libri sacri periere, neque eos ex integro Esdras de memoria restituit: sed potius ex conquisitis exemplaribus sacrorum librorum Esdras Scriba velox in lege Moysis, & in Sermonibus Domini eruditus, illos non sine Numinis afflatu a mendis repurgavit, quas aut injuria temporum, aut captivitatis squallore forte contraxerant; Canonemque, quem habemus, Scripturarum primus digessit. Consonat vero hæc sententia iis, quæ S. Johannes Chrysostomus scripsit Homilia VIII. in Epistolam ad Hebræos, ubi S. Doctor significat Esdram admirabilem virum ex reliquiis Scripturam composuisse.

(75) Ex Historia Versionis Sacrorum librorum à Septuaginta Interpretibus ab Hebræo in Græcam linguam adornatæ, quæ a Judæis Josepho, & à Philone, & etiam ab Aristæa, fusius narratur,

tur, summatim hæc refero, quæ ab Eruditis reputantur certiora. Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem, Lagi filium, & ab Alexandro tertium, quum magno desiderio libros undique conquirendi teneretur, quibus Bibliothecam suam ditaret, suasu Demetrii Phalerei Grammatici, & Philosophi probatissimi, regiæque Bibliothecæ Præfecti, Judæorum sacros libros desiderasse, ut in Græcam linguam omnium longissime propagatam verterentur. Missam à Rege honorificam legationem Jerusalem ad Eleazarum Judæorum Pontificem, qui fuit Oniæ primi filius, Simeonis Justi frater, & Jeddi, qui Macedoni ad Urbem venienti occurrit, nepos, cum magnificis in usum Templi donariis, petiisseque ut libros sacros ad ipsum mitteret, una cum viris doctrina & ætate idoneis accurandæ illorum Versioni. Eleazarum coacto Concilio viros LXXII. senes ex qualibet Tribu, (quæ tamen circumstantia aliquibus suspecta est, & de ea in fine annotationis hujus dicemus) allegasse ad Regem, cum librorum Gentis suæ exemplari aureis literis exarato, in membranis admodum subtilibus, & latentibus commissuris artificiose contexto. Regem eorum adventu admodum lætum, illos per septem dies convivio recreasse, & in insulam Pharon septem stadiis Alexandria distantem eosdem duci jussisse, ubi regiis ædibus excepti Versionem duorum & septuaginta dierum spatio absolverunt, anno ante Christum ducentesimo septuagesimo octavo, ut sensit Clarissimus Petavius magni judicii Vir, & in Chronologicis rebus cum primis eruditus.

Hanc autem Versionem tanto Judæorum Ægyptiorum assensu exceptam fuisse refert Philo de Vita Moysis lib. II., ut ejus memoriam anniversario festo instituto renovaverint. *Spectare licet*, ait ille, *singulis annis affluentem, non ex Judæis tantum, sed ex advenis pariter turbam in insulam Pharon, obsequii sui specimen exhibituram loco illi, ubi Versio Septuagintа primum paruit, & gratias pro accepto beneficio, veluti si tum primum exciperent, xlturi. Postquam factum religioni suæ satis est, plena gaudii & pietatis convivia instruunt, alii sub iis tentoriis in littore maris, alii sub dio, majore plane voluptate, quam si in palatiis magnificentissime celebrarent*. Quæ lætitia ob LXX. Versionem non solum Judæos Ægyptios, sed omnes alios linguam Græcam callentes primis pervasit temporibus; nam Patrum lingua apud eos obsoleta, paucorumque studio reservata, Græca hæc obtinuit per aliquot secula in eorum Synagogis, & Scholis. Hinc serius tandem Judæis Palæstinis, Chaldæisque de Versione Græca horror insedit, audaciam LXX. execrantes, qui sacra scripta profanis literis, ut ipsi ajunt, tradidere.

Serius item commenti sunt tenebras propter hoc facinus toti orbi per triduum incubuisse, quod detestantes, jejunium octava die Thebet Decembri nostro ferme respondentis indixerunt. Nugæ, nugæ. Illæ veræ sunt tenebræ, quæ è misero Magistrorum cerebro,

—— cui lumen ademptum,

prodiere. Quum enim per istam Versionem, veluti per ostium, innumeras Gentes ad Christi fidem viderent deduci; odio in eam flagrare, invidia ringi, atque iram omnem in illam cœperunt concipere. Quanto melius sibi consulerent, si à maledictis cessantes providam Dei benignitatem, quæ manifeste illuxit in ista Versione, venerarentur.

Etenim non sine admirando divinæ providentiæ consilio Versio divinarum Scripturarum tum edita fuit, quum plenitudo temporis appropinquabat, in qua universæ Nationes ad unam fidem erant vocandæ: fuit nempe adornata Versio *in linguam per orbem notissimam*, inquit Tertullianus in Apologetico cap. 19., *qua paratiores factæ sunt Gentes ad Evangelium amplectendum*. Eandem Dei providentiam quoque S. Augustinus agnoscit *de Doctr. Christiana l. II. c. 15., ut libri, quos Gens Judæa ceteris populis, vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus ministra Regis Ptolemæi potestate ante proderent*. Imo rarum & singulare miraculum S. Johannes Chrysostomus *Hom. IV. in Genesim* Versionem hanc merito appellat, ut à Rege barbaro, alieno, & populo Dei inimico veritas divina inter Gentes dispergeretur.

Age vero pauca subjiciamus de Interpretibus missis ab Eleazaro senis ex singulis XII. Tribubus, quæ circumstantia, quamquam a Veteribus plerisque asserta, à Recentioribus quibusdam nimium Arti Criticæ indulgentibus sæ vapulat, ut ob illam in dubium vocent universam Versionis historiam. Quum Versio, inquiunt, τῶν LXX. adornata dicitur, non aliæ Tribus erant in Judæa, quam Juda, & Benjamin unà cum Leviticæ parte: nam decem reliquæ, jam olim ab Assyriæ Regibus in Mediam deportatæ, numquam in pristinas sedes (quod nos etiam supra indicavimus) rediere. Qui ergo seni ex qualibet Tribu ad Ptolemæum poterant ablegari, ut sacros Hebræorum libros in Græcam linguam transferrent?

Huic exceptioni, ut occurramus, duo ex Scriptura oportet ostendere, ex quibus in bono lumine collocatis consequetur, potuisse Eleazarum mittere ex singulis Tribubus senos Interpretes. Primum est, non ita Theglathphalassar, & Salmanassar quoscunque abduxisse ex Israelitico regno, ut nemo ad unum in illo permanserit: Alterum, cum Tribu Juda, & Benjamin è Babylonia captivitate redeunte, aliquos etiam ex decem Tribubus in Chananæam reversos esse: unde quum dicantur decem Tribus ex Assyriaca deportatione numquam dimissæ, sensus est, easdem Tribus collectas revera minime revertisse; licet aliqui ex illis in Palæstinam fuerint reduces.

Ad primum quod spectat, non ita universalis fuit decem Tribuum abductio, ut nullæ penitus ipsarum reliquiæ in Samaritide extiterint. Primo enim Paralipomenon IV. 24. 18. & seq. de Simeonitis refertur, eos tempore Ezechiæ Regis Juda novas terras occupasse, delevisse incolas occidione, pascua gregibus suis assumpsisse, eorum quingentos excidisse Amalecitarum reliquias, quæ e manibus Saulis, & Davidis jam effugerant, & incoluisse illorum terras *usque ad diem hanc*, scilicet usque ad solutam Babylonis captivitatem, quo tempore scripti sunt libri Paralipomenon, ab Esdra, ut creditur, opus dirigentibus Aggæo, & Zacharia Prophetis. Me quidem non præterit, inter Chronologos non convenire, an Simeonitarum gesta ante, vel post Assyriacam deportationem sint edita. Horum dubia examini non subjicio, quod paucis absolvi non posset; quum præsertim alius locus sit in Paralipomenis, ex quo liquido constat nonnullas decem Tribuum reliquias in Regno Israelis superfuisse. Etenim II. Paralipomenon XXXIV. 6. 9 21., & 33. legitur Josias Rex Juda, & Ezechiæ pronepos, multis annis post abductos a Salmanassare Israelitas, repurgasse ab instrumentis idololatriæ urbes Manassis, Simeonis, Ephraim, & Nephtali, sacrum item tributum ab reliquiis Israel exegisse, fecisseque *omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo*. Aliqui ergo Israelitæ in eorum sedibus remansere, à Salmanassare in Assyriam haud deportati.

Soluta etiam captivitate Babylonia multos ex Israelitis, partim cum Zorobabele, partim cum Esdra, partim cum Nehemia, in patriam rediisse, vel ex Edicto Cyri, universo populo veniam revertendi in patriam concedente, pronum est intelligere. Cyrus enim, qui super Medos etiam dominabatur (nam clausum erat ejus imperium ad Orientem Erythræo mari, ad Boream Ponto Euxino, ad Meridiem Æthiopia, & ad Occasum Cypro insula, & Ægypto, ut patet ex Xenophontis Cyrop. libro VIII.) Judæis omnibus regno ejus subjectis, copiam fecit in patrias terras redeundi. I. Esdræ cap. I. edictum legitur: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum . . . . . Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus eum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, ut ædificet domum Domini Dei Israel*. Credi ne potest Israelitarum nullos se se comites addidisse revertenti Judæ & Benjamin, quorum gratia cuncto populo integrum erat redire? Quum præsertim Hebræi, si quis alius popu-

font. Post aliquot inde annos Antiochus Epiphanes, Rex Syriæ, coëgit eos à Lege hac Dei deficere, & Legem ipsam comburere. Locus est in principio Maccabæorum: *Scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus; & relinqueret unusquisque Legem suam, & multi ex Israël consenserunt servituti ejus, & sacrificaverunt idolis, & coinquinaverunt Sabbatum, & misit Rex libros per manum nuntiorum in Hierusalem, & in omnes civitates Judæ, ut sequerentur Leges gentium terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in Templo Dei, & prohiberent celebrari Sabbatum, & dies solemnes, & jussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel: & jussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas,* B *& pecora communia, & relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immunditiis & abominationibus, ita ut obliviscerentur Legem, & immutarent omnes justificationes Dei; & quicunque non fecissent secundum verbum Regis Antiochi, morerentur;* & paulo post: *Per universas civitates Judæ in circuitu ædificaverunt aras, & ante januas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant, & libros Legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quencunque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicunque observabant Legem Domini, secundum edictum Regis trucidabant eum.* Hoc malo paullo ultra biennium Judæa misere laboravit; successit enim C mox Judas Maccabæus, qui recepta Urbe, & Legem, & Legis disciplinam in statum pristinum revocavit. Assamonæis inde posteris ejus regnantibus multæ subinde hæreses emersere, ut Scribarum, Sadducæorum, & Pharisæorum, qui fermè Scribæ, id est, Legis Doctores fuerunt, qui Legem varie interpretantes populum vanis erroribus imbuerunt, quos subinde excepit Christus, qui prædicatione sua cum veritatem docuit, tum in primis inanem eorum doctrinam elusit, ac novam Legem intulit, novoque Testamento sedes hominibus se non in Chananæa, sed in Cœlo daturum, qui vocibus suis paruissent, ostendit, denuncians, se venisse, (76) non ut Legem solveret, sed adimpleret, recte; nam cum Lex exempli gratia homicidium vetuisset, ipse non solum occidere, sed etiam succensere fratri prohibuit: cum Lex adulterium sustulisset, ipse non modo adulterium, sed etiam petulantem mulieris intuitum interdixit, adjiciens: *Nisi justitia vestra abundaverit plus quam justitia Pharisæorum, aut Scribarum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Ac de Lege quidem, quod ad propositum nostrum attinet, in universum hæc dicta sint.

CAP. V.

De forma Reipublicæ Israëlitarum.

SEquitur, ut de (77) forma Reip. disseram, quam Deus aut superiore Lege præscripsit, aut post induci, neglecta Lege, permisit. Ceterum cum de forma Reip. quæritur, nihil aliud quæritur, nisi penes quem principatum summa rerum fuerit constituta. Hæc vero apud Hebræos

---

populus, amore patriæ summopere tenebatur; quippe qui promissa Majoribus expectabant, non alibi ex Prophetarum oraculis, quam in terra Chanaan implenda? Præterea nonne liquet ex Esdræ I. cap. VI. 17. in Dedicatione Secundi Templi obtulisse filios transmigrationis *hircos caprarum pro peccato totius Israël duodecim juxta numerum Tribuum Israel?* Quomodo autem duodecim victimæ immolatæ essent, si inter filios transmigrationis, non adfuissent aliqui ex singulis Tribubus, tum consortes Templi, tum sacrificiorum participes, quæ in Dedicatione offerebantur? D

Accedit his Josephi testimonium *Antiqui. lib. XI. cap. V.* disertis verbis confirmans nonnullos ex decem Tribubus in patriam tunc temporis reversos esse: *Esdras*, inquit, *literis acceptis* (quibus potestas redeundi in patriam a Rege Persarum facta fuerat) *advocata Judæorum concione, qui apud Babylonem degebant, & perlecta Epistola, ipsam quidem retinuit: exemplar vero ejus in Mediam ad omnes suæ Gentis homines transmisit. Qui cognita Regis erga Deum pietate, & erga Esdram benevolentia, omnes vehementer sunt lætati. Multi vero ex eis assumptis suis facultatibus Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolymam.*

Reliquum est igitur, decem Tribus collectas, instar Tribus Juda & Benjamin, in Chananæam non revertisse; nam illarum pars major in moribus & sceleribus Gentium computruit, quod ex Oseæ vaticiniis supra demonstravimus. Rediere tamen aliqui amore patriæ incitati, ex quibus per tria interjecta secula multiplicatis, potuit certe Eleazarus ætate sua ad Ptolemæum senos ex qualibet Tribu ablegare, qui Scripturarum scientes, & utriusque sermonis periti, sacras literas de Hebræo in Græcum transferrent. E

(76) S. Augustinus libro XIX. contra Faustum cap. XXVI. ita graphice hanc Christi sententiam exponit; ut ejus aurea verba merito hic sint adscribenda. *Vides quam sit aliter intelligendum quod ait: non se venisse legem solvere, sed adimplere: scilicet ut non quasi semiplena ipsis verbis integrarentur; sed ut quod litera jubente propter superborum præsumptionem non poterat, suadente gratia propter humilium confessionem impleretur, opere factorum, non adjectione verborum. Fides enim, sicut Apostolus ait, per dilectionem operatur. Unde idem dicit: qui enim diligit alterum, Legem implevit. Istam caritatem quia venien Christus per Spiritum Sanctum, quem promissum misit, in manifestatione donavit, qua illa caritate justitia Legis posset impleri. Propterea dixit:* Non veni solvere Legem, sed adimplere. *Hoc est novum Testamentum, quo huic dilectioni hereditas regni Cœlorum promittitur, quod in figuris Veteris Testamenti pro temporum distributione tegebatur. Unde idem dicit:* Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. *Itaque vel omnia, vel pene omnia, quæ monuit, seu præcepit, ubi adjungebat:* Ego autem dico vobis, *inveniuntur, & in illis veteribus libris.*

(77) Tres sunt Reipublicæ formæ ex Politicorum sententia; Monarchia, Aristocratia, & Democratia. Omnes enim Respublicæ aut unius, aut paucorum, aut plurium summa auctoritate continentur. Si unus imperat, & ceteri parent, Monarchia dicitur: à μόνος *solus*, & ἀρχὴ *imperium*. Si minor vel excellentior civium pars, supremæ potestatis jus habet, est Aristocratia: ab ἄριστον *optimum*, & κρατέω *impero*. Si demum summa Reipublicæ potestas est penes populum, qui tam Patricios, tum Plebejos complectitur, vocatur Democratia: à δῆμος *populus*, & κρατέω item, *impero*. Polybius Hist. libro sexto optimam affirmat Rempublicam, quæ sit ex omnibus illis composita, qualis fuit Romana. Monarchia enim facile degenerat in tyrannidem, nisi restringatur potestas Principis, aut Aristocratia, aut Democratia. Aristocratia facile ad Oligarchiam (idest ad paucorum utilitatem) se flectit, atque adeo in tyrannidem, nisi Democratia intercedat. Democratia etiam facile fit Anarchia, (idest status Reipublicæ sine capite) nisi illi Aristocratia se opponat.

bræos primum penes optimates posita fuit, deinde penes Reges, quorum principatuum illum Aristocratiam, hoc Regnum Græci vocarunt. Aristocratia fuit sub Moyse, Josue, Senioribus, & Judicibus; Regnum sub Regibus.

De (78) Aristocratia sub Moyse significat Moyses XII. Deuteronomii, cum dixit: *Non facietis in terra Chananæa, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur: non enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*. Ac multis quidem, iisque bonis, & prudentibus viris Moyses rem totam commisit, ut alii sacra, alii profana curarent, (ex iis autem, qui operam rebus sacris dederunt, (79) unus fuit Pontifex, reliqui Sacerdotes & Levitæ; qui vero profana administrarunt, alii consultationibus, alii judiciis vacaverunt; nonnulli pacis, quidam belli studia coluerunt) omnes vero non ex arbitrio voluntatis, sed ex præscripto Legis suo fungi munere, in primisque Judicia & Justificationes exercere constituit. Atque ita deinde (80) tempore Josuë & Judicum in terra Chananæa, dispertitis possessionibus, est servatum. Etenim ad Josuë dixit Deus capite primo: *Confortare, & esto robustus valde, ut custodias, & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus, nec declines ad dextram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis*. Et post præcipienti illi (81) respondere Israëlitæ: *Omnia quæ præcepisti*

(78) Aristocraticam fuisse Hebræorum Remp. ante Reges, post Reges vero Monarchicam Noster affirmat; quum nulla alia ex formis Reip. a Politicis constitutis, illi magis accedat. Sed si Judæorum Rempublicam penitius introspiciamus, illam neque Aristocraticam, neque Monarchicam nominabimus, quum nulla ex Reipublicæ formis, quas Græci nobis descripsere, satis conveniat Judæorum Reipublicæ. Omnes enim illæ formæ, de quibus mox diximus, penes homines summam potestatem constituunt. At in Hebræorum Republica summa potestas fuit penes Deum illius Reipublicæ auctorem. Hinc Theocraticam oportebit asserere, quum penes Deum ipsum summa facultas rerum in ea gerendarum extiterit. Isaias capite XXXIII. hæc dicit de Deo: *Deus est judex noster, Deus est legislator noster, Deus est Rex noster, ille liberabit nos*. Si igitur Judex, Legislator, Rex, atque custos Judæorum extitit Deus, non Aristocratia, aut Monarchia, sed Theocratia in eorum viguit Republica. Θεοκρατίας nomine illam appellavit Josephus libro secundo contra Appionem, cujus sequentia sunt verba: *Alii Monarchiis, alii vero paucis, alii autem multitudini potestatem Reipublicæ commisere. Noster vero legislator* (idest Moyses) *nihil horum intendens, veluti si quis hoc dicendo mensuram verbi transcendat, divinam Rempublicam θεοκρατίαν declaravit, Deo in primis assignans principatum, & potestatem, & suadens omnes in eum respicere, ut omnium bonorum omnibus, & cuique caussam: & quæcunque contingit eos in angustiis supplicasse, illum non latuisse voluntatem, neque quidquam eorum quæ gessere, vel si quid aliquis apud semetipsum potuit cogitare*.

(79) Idest Maximus, Hebraice הכהן הגדול *Sacerdos Magnus*, vel *Maximus*, cujus dignitas quanta fuerit, satis admodum a Philone declaratur: *Quanto*, scribit ad Cajum Imperatorem, *Deus antistat homini; tanto Pontificatus regno est excellentior. Ad illius enim curas divinæ res, ad hujus humanæ spectant*. Sed de Summo Pontifice plura dicentur suo loco.

(80) Quo ordine Judices administraverint Hebræorum Rempublicam, sequens Catalogus Chronologicus benevolo Lectori exhibebit.

CATALOGUS CHRONOLOGICUS JUDICUM.

An. Mundi.

2570. Mors JOSUE.
2585. Quindecim circiter annis Seniorum administratio.
2592. Anarchia per septennium circiter usque ad 2592.
    Hoc intervallo contigit Michæ Historia; oppugnatio, qua nonnulli ex Tribu Dan Urbem Lais consequuti fuere; & undecim Tribuum bellum adversus Benjamin.
2591. Prima servitus sub Chusan Rasathaim Mesopotamiæ Rege ab anno 2591. ad 2599.

An. Mundi.

2599. OTHONIEL, anno post pacem ab Josuë terræ allatam 40., Israelem liberavit.
2662. A liberatione per Othonielem an. 2599. pax continuata 62. annis usque ad 2662. quo incidit.
    Secunda servitus sub Eglone Moabitarum Rege, cui Hebræi duodeviginti annis paruere.
2679. AOD Israelem liberat.
    Post quem judicavit SAMGAR, & à prima per Othonielem liberatione pax perstitit octoginta annis.
2699. Tertia sub Chananæis servitus per annos viginti ab 2699. ad 2719.
2719. DEBORA, & BARAC Israelem liberarunt. A liberatione per Aod, usque ad finem Deboræ, & Barac 40. anni interfuere.
2752. Quarta sub Madianitis servitus per septennium a 2752. ad 2759.
2759. GEDEON Israelita, libertati restituit.
    A liberatione per Deboram, & Barac, usque ad prædictam Gedeonis anni 40.
2768. ABIMELECH, filius spurius Gedeonis, quem Sichimitæ Regem salutarunt. Hic 70. Fratribus interfectis, imperavit 3 annis.
2771. à 2768. usque ad 2771. obiit in obsidione Thebes in Palæstina
2772. THOLA, tribus & viginti post Abimelech annis judicavit a 2772. ad 2795.
2795. JAIRUS post Tholam præfuit annis viginti duobus a 2795. ad 2816.
2799. Quinta sub Philisthæis servitus per duodeviginti annos a 2799. ad 2817.
2817. Mors Jairi.
2817. JEPHTE Israelitarum ultra Jordanem Princeps eligitur. Ammonitas, à quibus Hebræi opprimebantur, avertit. Sex annis judicavit a 2817. ad 2823.
2823. Mors Jephte.
2830. ABESAN, septem annis judicavit à 2823. ad 2830.
2840. AHIALON, post Abesan imperavit à 2830 usque ad 2840.
2848. ABDON, 8 annis judicavit à 2840. ad 2848.
2848. Sexta sub Philisthæis servitus, per annos 40. a 2848 ad 2888.
2848. HELI PONTIFEX, ex progenie Ithamari toto servitutis sub Philisthæis intervallo, per annos 40. judicavit.
2849. SAMPSONIS nativitas
2887. Mors Sampsonis, qui Israëlem judicavit, quem adhuc Heli Pontifex judicabat.
2888. Mors Heli, cui successit SAMUEL.
2909. Electio, & unctio SAULIS primi Hebræorum Regis.

(81) Non Israelitarum hæc fuit responsio: *Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunque miseris, ibimus* &c. Sed Rubenitarum, Gaditarum, & dimidiæ Tribus Manasse, qua responsione polliciti sunt Josue se facturos, quod vivanti Moysi jam promiserant, quum partem hæreditatis eorum acceperunt trans Jordanem. Promiserant vero se armatos (eos scilicet qui tractandis armis erant idonei) in terram Chanaan profecturos, ut suppetias fratribus ferrent ea regione potituris. Vide supra c. I., & Numer. XXXII.

pisti nobis faciemus, & quocunque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi. Inde Josuë moriturus, advocatis Israëlitis, eadem verba reperiit, quæ ad se Deus tradens imperium fecerat, de Lege Dei custodienda, cap. XXXIII. promisitque populus, se Dei præceptis obediturum.

De Seniorum imperio significatur secundo Judicum: *Servierunt Israëlitæ Domino cunctis diebus Josue, & Seniorum, qui post eum vixerunt, & noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat Israël*. Judicibus inde rerum potientibus eodem modo Aristocratia fuit; siquidem illis principatum administrantibus & Lex, ut ante, valuit, & Deus ipse imperium tenuit. Hoc autem ita esse, probatur etiam ex Josepho, qui libro IV. Antiquitatum Legem Dei ad hunc locum pertinentem explicuit, sic loquentem faciens Moysem: *Aristocratia, & vita, quæ ex ea degitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius Reip. sed hanc amate Leges habentes dominas, ex iis omnia facientes; satis enim est, ut Deus præsit. Quod si regis cupiditas vos incesserit; is ex eadem gente sit*.

Hanc vero Aristocratiam, in qua Lex potissimum cum Deo dominata est, Regnum ipsum excepit. Regnum autem appellarunt imperium summum (82) unius hominis non ex Lege, sed ex arbitrio imperantis, quem à Samuele Judice postularunt his verbis VIII. primi Regum: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, ut universæ habent nationes*. Quod ut ille audivit, subito Deum, quid opus esset facto, consuluit, qui ita respondit: *Audi vocem popul. in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*; & addit: *Verumtamen contestare eos, & prædic is (83) jus Regis, qui regnaturus est super eos*. Signi-

(82) Duo scribit Sigonius hoc loco, quæ partim absurda sunt, partim Scripturæ sacræ contraria. Unum est; regnum appellatum fuisse imperium summum unius hominis *non ex lege, sed ex arbitrio* imperantis. Alterum; imperio ad Regem, Gentium more, translato *Deum non regnaturum*, sed penes voluntatem unius hominis *summam rerum* futuram. Absurda sunt: nam Regem omnem justum, & legitimum oportet, tum naturali jure, tum fundamentalibus, ut ajunt, legibus regni teneri; contra quæ si quis ierit, ille tyrannidem exercet potius, quam regnum. Insuper Regi apud Judæos Deus leges mox adducendas præscripserat, per quas Legi morali, cærimoniali, & forensi erat subjectus. Has quum Deus indixisset in Theocratica Hebræorum Republica, nemo eas abrogandi habere potuit facultatem: & licet aliqui ex Regibus contra expressam Legem Dei quædam ausi sunt facere; non inde tamen consequitur, Reges apud Judæos non ex Lege, sed ex arbitrio imperasse, penesque unius hominis voluntatem rerum summam fuisse.

Sacris etiam literis hæc adversantur. Deuteronomii enim capite XVII. Deus Leges edixerat, quibus Rex debebat parêre, si quando consueta fastidientes Judæi, rerumque novandarum cupidi, Regem voluissent eligere. Verba Deuteronomii sunt adscribenda, quibus, veluti freno imposito, arbitrium Regum fuit arctatum: *Quum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Quumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus; præsertim quum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus. Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos; neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël*. Quis non videt talem Regem prædici constituendum, qui a Deo eligendus sit, qui Legum præscripto, non libidine imperet, qui a Sacerdotibus, non ab aliis, Jura Legis deposcat? Igitur in Judæorum Republica imperantibus quoque Regibus Deus erat regnaturus, nec penes unius hominis voluntatem summa rerum posita fuit. Semper enim Deus illius populi Legislator, & Rector fuit, quum Lex quid agendum, aut omittendum esset, sanciret; Regesque non arbitratu suo, sed Dei mandatis ad imperandum moverentur. Etenim norma regiminis Lex erat, quæ neque ad hos, neque ad illos transferri poterat, quum ex unius Dei voluntate penderet. Quæ forma sane Judæorum Reipublicæ formæ nullius ex Rebuspublicis, quæcunque sint, potest accommodari; quum istæ gubernentur judicio eorum, qui præsunt, & ad illorum arbitrium pro variis rerum eventibus immutentur: illa à Deo sui regiminis habuit regulam, eandem semper, sive Judicibus parêret, sive Regibus; quum Judices, & Reges non suo arbitratu, sed certis legibus gubernarent Judæos.

Ergo Saul verus Rex fuit, ut I. Regum cap. X. illi commendantur, qui ipsi Regi paruerunt. Fuit verus Rex David secundum cor Dei adinventus. Verus Rex Josaphat, qui ambulavit, ex II. Paralip. XVII., in viis David patris sui primis. Verus Rex Josias, cui similis non fuit, ex IV. Regum XXIII, qui juxta omnem Legem Moysis reverteretur ad Dominum. Fuerunt veri Reges alii plures, qui Legis præscripto, & non libidine imperabant, & quorum facta celebrantur in sacris literis.

Quare Dominus I. Regum cap. VIII. pronunciat durum, & difficile Regum dominatum, ut populum suum à postulatione deterreret, & ab ea cogitatione ad præstantiorem traduceret. Neque enim Dominus ideo regnum improbabat, quasi non esset ab eo, per quem Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt, constitutum; sed quia melius a Judicibus, quam a Rege gubernanda erat Respublica, in qua per Judices, tamquam per Præfectos, qui eum consulebant, manifestius Deus regnabat. Hinc multis in locis Scriptura sacra Reges commendat, ut Sap. VI. *Rex sapiens stabilimentum populi; & omne malum*, Prov. XXX., *ab eo dissipatur*. Quod sane non diceretur, si Reges arbitratu eorum, & non Lege gubernavissent.

Denique quum Dominus dicit I. Regum eodem capite VIII. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: non significat Legem Domini a Regibus omnino contemptam iri: Sed ideo dixit *me abjecerunt*; quia petebant Regem, Deo inconsulto, cujus injussu nihil in Theocratica Republica innovari oportebat: vel quia Regem petebant, ut reliquis Gentibus similes essent, quibus eos dissimiles Deus voluerat *Numer.* XXIII. 9; & facta illis quidem erat potestas Regem petendi ex laudato Deuteronomii XVII., sed non qualem habebant Asiæ nationes, quarum Reges revera ex nutu suo, non ex Lege gubernabant. Titus Livius bene ait ad rem nostram: *Syros servituti natos de libertate nihil cogitare*.

(83) Jus Regis, quod Samuel populo Regem flagitanti annunciavit, *Regum I cap. VIII.* non legitimum jus fuisse, sed usurpatum, tum ex iis constat, quæ antecedenti annotatione sunt dicta, tum ex eo, quod Samuel illud proposuit, ut Judæos ab inconsulta petitione deterreret. Deinde nomen משפט המלך non

Tom. IV. G

Significavit enim aperte, Judicibus rerum summam ex Lege habentibus regnasse Deum super Hebræos, quia Lex dominata esset; imperio vero ad Regem gentium more translato, Deum non regnaturum, cum non penes Legem, sed penes voluntatem unius hominis summa rerum esset futura, probe, etenim, ut optime dixit Aristoteles in Politicis, *Qui Legem vult imperare, Deum vult imperare; qui Regem, id est hominem, belluam: quod non semper ratione, sed plerumque cupiditate ducatur*. Hoc autem arbitrarium Regis imperium expressit Deus, cum addidit: *Filios & filias, & prædia, & servos vobis auferet, & greges vestros addecimabit, & vos eritis ei servi, neque clamantes audiemini à Deo*. (84) Unde dixit David Psalmo II. *Ego constitutus sum Rex à Deo super montem Sanctum Sion. Dixit Dominus ad me: Postula à me, dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Hæc autem duo Regis imperia, ejus inquam, qui Lege tenetur, & qui Legibus est solutus, Aristoteli quoque nota fuerunt, atque illud nullum proprium Reipubl. genus facere, atque in omni Repub. reperiri posse, hoc vero proprie Regnum appellari, putavit; sic enim inquit: *Deinceps disputandum est de Rege, qui omnia ex voluntate gerit; nam qui ex Lege Rex dicitur, non est Resp. species, quia in omnibus Rebus publicis dux belli perpetuus esse potest, ut in Democratia, & Aristocratia, & multi creant unum dominum administrationis. Plenum autem Regnum vocatur, quo cuncta Rex sua voluntate gerit*. Hoc ergo modo Hebræi, postquam sedes in terra Chananæa locarunt, primum Judicibus paruerunt, qui ex Lege præfuerunt; deinde more aliarum gentium Regibus, qui ex voluntate imperarunt; (85) quorum primus Saul, secundus

non solum *jus Regis*, sed *morem*, sive *consuetudinem Regis* etiam importat, qua significatione vox משפט in Scriptura sacra sæpius occurrit; atque adeo unice denotat modum, quo aliqui Reges in populum exercuissent imperium. Sed extra omnem controversiam rem Moyses collocat, qui si quando Rex constitutus ab Hebræis fuisset, illi jura quædam servanda præscripsit Deuter. cap. XVII. cujus verba superiore annotatione adducta sunt, quæ toto cœlo ab iis sunt diversa, quæ Samuel enumerat I. Regum capite octavo.

Quare optime de Rege a Judæis postulato scripsit S. Clemens Alexandrinus Pædag. l. III. 4. *petenti Regem populo non humanum pollicetur dominum, sed quendam insolentem ipsis minatur tyrannum*. Et in eandem sententiam S. quoque Cyprianus Ep. LXV. ad Rogat. *Iratus Dominus dixit; non te spreverunt. Et ut hoc ulcisceretur, excitavit ipsis Saul Regem, qui illos injuriis gravibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbus calcaret, & premeret*.

(84) Male Sigonius Psalmum secundum, qui Propheticus est de Christo, interpretatus de Davide. De Christo enim illum explicant Apostoli, & Discipuli in Actibus IV. 25., & XIII. 33., & præterea S. Paulus ad Hebræos, tum capite primo v. quinto, tum cap. V. v. 5., quibus omnes Ecclesiæ Patres accedunt. Ex his S. Hieronymus in Epist. ad Hebræos cap. I., audaciorem vocat, qui aliud sentire post Apostolos velit: & S. Augustinus lib. XIII. contra Faustum cap. VII, id convinci etiam contra pertinacissimos, ait, ex illis verbis: *Filius meus es Tu, ego hodie genui Te*. Præterea neque Davidi contigit, ut in Gentes exerceret imperium, neque ut terminos terræ ditioni ejus subjiceret. Postremo Beati dicuntur omnes, qui in hoc Rege confidunt אשרי כל חוסי בו *Beati omnes qui confidunt in eo*: quod certe de Davide dictum esse non potest, vel quia confidens in homine a Scriptura Beatus non dicitur; vel quia verbum חסה ad Deum refertur, quod pluribus exemplis a textu Hebræo desumptis potest ostendi.

Veterum etiam Rabbinorum unanimis fuit sententia Psalmum למה רגשו גוים de Messia esse intelligendum.

Sunt moderni Judæorum Magistri, qui illam interpretantur de Davide, at nobis eripiant, si Superis placet, Psalmum Messiæ divinitatem aperte testantem. Consilium prudentum explicat R. Salomon, cujus sunt verba: *Doctores nostri ad regem Messiam Psalmum hunc referebant: expedit tamen eum referre ad Davidem propter Minæos*. Hoc nomine Christianos indicat.

(85) Post mortem Salomonis scisso regno Hebræorum, alii parent Regibus Juda, sive Jerusalem, alii Regibus Israel, sive Samariæ. Salomoni viginti Reges Juda successere, Israël vero novem supra decem. Nomina Regum Juda sunt sequentia:

LATERCULUM CHRONOLOGICUM
Regum Juda, sive Jerusalem.

Anno M.
3029. ROBOAM filius Salomonis 17. annis regnavit usque ad 3046.
3046. ABIA triennio Rex.
3049. ASA 41. annis præfuit.
3090. JOSAPHAT 25. annis regnavit.
3115. JORAM regnavit quinquennio.
3119. OCHOZIAS uno tantum anno regnavit.
3120. ATHALIA ejus parens regnavit sexennio.
3126. JOAS regnavit annis quadraginta.
3165. AMASIAS viginti novem annis regnavit.
3194. OZIAS, qui & AZARIAS annis viginti septem, idest usque ad 3221. regnavit, quo tempore in pœnam oblati thymiamatis in Templo lepra percussus, regno abstinere coactus est. Obiit post annos viginti quinque.
3221. JOATHAM filius Oziæ Regni administrationem suscepit: solus autem regnavit ab anno 3246 usque ad 3262.
3262. ACHAZ regnavit annis 16.
3278. EZECHIAS regnavit annis 28.
3306. MANASSES regnavit annis quinquaginta quinque.
3361. AMON duobus annis regnavit.
3363. JOSIAS regnavit annis 29.
3394. JOACHAS regnavit mensibus tribus.
3394. ELIACIM, sive JOAKIM regnavit annis duobus.
3405. JOAKIM, sive JECHONIAS regnavit mensibus tribus & diebus decem.
3405. MATTHANIAS, sive SEDECIAS regnavit annis undecim, idest usque ad annum 3416., & postremo ejus regni anno Jerusalem ab hostibus capta, Templum incensum, ac tandem Judæi trans Euphratem captivi deportati sunt, quò etiam Sedecias excæcatus abductus est.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM
Regum Israelis, sive Samariæ.

Anno M.
3030. JEROBOAM regnavit annis 22.
3051. NADAB regnavit anno tantum.
3052. BASA regnavit annis 22
3074. ELA regnavit annis duobus.
3075. ZAMBRI regnavit diebus septem.
3075. AMRI regnavit annis undecim.
3086. ACHAB regnavit annis 21.
3107. OCHOZIAS regnavit annis duobus.
3108. JORAM filius Achab duodecim annis regnavit.
3120. JEHU occupatum Regnum tenuit annis 28.
3141. JOACHAS regnavit annis 17.
3163. JOAS quatuordecim annis regnavit.
3179. JEROBOAM Secundus regnavit annis 41.
3220. ZACHARIAS regnavit annis duodecim.

3233.

dus David fuit, à quo inde beredimarium Regnum inter Judæns evasit, donec res ad Sedeciam pervenit, qui à Nabucdonosore Rege cum populo captivus in Babyloniam est abductus. Reversis vero in patriam post annos septuaginta Judæis, res iterum ad optimatum statum est adducta; quo tempore, ut inquit Josephus libro XI., Pontifices, qui pro tempore fuerunt, & Sacerdotum, & Judicum partes impleverunt, donec populo ab Antiocho servitute oppresso, Levitica (86) Assamonæorum familia insurrexit, qui primum sub titulo Principis, deinde sub nomine Regis manentibus veteribus institutis rem Judæorum universam administrarunt. Quibus extinctis Reges Proselyti Ascalonitæ successere, qui rectius appellari tyranni potuissent; ex quibus (87) Herodes Magnus Antipatri filius, & Archelaus filius.

3233. SELLUM mansa occisus est.
3233. MENAHEM decennio regnavit.
3243. PHACEJA regnavit biennio.
3245. PHACEE regnavit annis viginti.
3265. OSEE regnavit annis duodeviginti usque ad 3283., quo anno finem habuit regnum Israelis spatio annorum 253. conclusum: nam Osee regnante Samaria excisa est, abductis à Salmanassar decem Tribubus in captivitatem perpetuam, in Colchos, Iberos &c.

Judæi è captivitate reduces anno Mundi 3468 dominium Persarum, spatio annorum 104., passi sunt usque ad Regnum Alexandri Magni, qui Hierosolymam venit anno 3672 Post ejus obitum anno 3681., Judæa primum Regibus Ægypti, deinde Syriæ paruit; donec ab Antiocho Epiphane Judæi coacti sunt arma capere pro defensione Religionis anno 3836 & Macchabæis Ducibus paulatim jugo servitutis relevati, tandem sub Johanne Hircano alienum imperium excusserunt anno 3874. Postremo Romanorum armis Judæa capta, in Provinciam redacta est.

(86) Vox Assamonæi, vel Asmonæi cognomen est Macchabæorum ex genere Matthathiæ. Sed de origine hujus nominis inter Scriptores non convenit. Alii illam repetunt è vico Judææ *Assamon*, ex quo fortasse Macchabæorum familia ortum habuit. Alii ex monte *Asamon*, quem Josephus de Bello Jud. l. 2. cap. 23. collocat in meditullio Galilææ juxta Sephorim. Alii vero hoc nomen reputant titulum honoris, qui in Matthathiam collatus ad posteros ejus derivavit. Matthathias pater fuit quinque filiorum, è quibus Judas, Jonathas, & Simeon ei successerunt. Hos sequuti Pontifices & Reges Judæorum Johannes Hircanus, Aristobulus primus, Alexander, Hircanus, Aristobulus secundus, Antigonus, & Aristobulus tertius ab Herode sublatus. Ex initialibus literis lemmatis Assamonæorum vexillo intextis desumpti ex Exodi XV. derivatum esse מכבי *Macchabi* nomen sententia est vulgo recepta. Verba sunt: מי כמכה באלם יהוה *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Verum sit.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM PRINCIPUM MACCHABÆORUM, quibus Sacerdotii & Principatus auctoritas delata est.

Anno M.
3836. Judæi Macchabæis Ducibus paulatim relevantur jugo servitutis, quo ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ opprimebantur.
3838. Hoc anno obiit MATTHATHIAS pater Judæ Macchabæi sub initium persecutionis Antiochi Epiphanis.
3838. JUDAS Macchabæus rerum potitus est quinquennio.
3843. JONATHAS Macchabæus annis 17.
3860. SIMON Macchabæus annis 9.
3869. JUANNES HIRCANUS annis 29. hic post obitum Antiochi Sidetis regis Syriæ externum a Judæis imperium excussit anno 3874. regnavitque usque ad annum 3898.
3898. ARISTOBULUS omnium primus, qui Regis titulum assumpserit, anno regnavit.
3899. ALEXANDER JANNÆUS regnavit annis 27.
3926. SOLOME, sive ALEXANDRA uxor Jannæi novennio rerum potita est, Hircano interim ejus filio natu majore Summum Sacerdotium obtinente.
3935. ARISTOBULUS frater Hircani Regnum & Summum Sacerdotium sibi vindicavit, quibus triennio, & tribus mensibus potitus, nempe usque ad annum 3940., tandem capta Jerusalem à Pompejo exauctoratus est, Sacerdotii & Regis dignitate in Hircanum translata, diadematis tamen insigne illi interdictum.
3940. HIRCANUS Antigono nepoti suo, & filio Aristobuli, qui ope Parthorum regnum invaserat, cedere coactus est anno 3964., ne autem impostetum Sacerdotium tentaret, auribus mutilatus est Hircanus, ductusque Babylonam captivus, tandem anno 3968. libertati restitutus est. Demum ab Heroda occisus est anno 3973.
3964. ANTIGONUS nepos ipsius, regno & Sacerdotio vi potitus biennio & septem mensibus circiter rebus Judæorum præfuit. Captus enim in urbe a Sosio anno 3967, deductusque inde Antiochiam capitali sententia damnetus est.

(87) De Gente Herodum, quæ ultimis temporibus rei Judaicæ præfuit, quædam hic non piget subjicere ea Josephi præsertim Antiquitatum libris desumpta, quo illorum successio, & fata unico veluti obtutu dignoscantur. Antonius in Syriam adventans Herodem cum Phasaelo fratre tetrarchas constituit, Judæorum eis committens gubernacula, quod Antipatro eorum patre uteretur familiarissime, Phasaelo deinde à Parthis occiso Herodes Judæa cedere coactus Romam proficiscitur, & a Senatu, favore potissimum Antonii, Regis titulum consequutus est. Antonio vero ab Octaviano Cæsare ad Actium superato, Herodes præter spem a Cæsare in regia dignitate confirmatur. Hic in ultimis tabulis, quas sæpius mutavit, Archelaum heredem scripsit honoris regii, Antipam tetrarcham Galilææ, & Peræe, Philippum vero tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis, & Paneadis.

Ortis post Herodis interitum in Judæa turbis, Cæsar non Regem Archelaum voluit, sed Ethnarcham, tributa illi dimidia parte regni Herodis, Judææ scilicet, Idumææ, & Samariæ, partemque alteram inter Philippum, & Antipam divisit. At Archelaus ob tyrannidem Judæis invisus, decimo sui principatus anno a Cæsare Viennam in exilium pellitur; & regione ejus Syriæ adjecta, Quirinus eò missus est, & cum eo Coponius, qui res Judaicas administraret. Successerunt M. Ambivius, Annius Rufus, Valerius Gratus, Pontius Pilatus, & alii, quorum agmen claudit Gessius Florus. Anno imperii Tiberii vicesimo, Philippi sine liberis mortui tetrarchia, Syriæ attribuitur, adeoque ex Herodum familia solus Antipas erat Tetrarcha. Quum Agrippa filius Aristobuli, quem Herodes pater supplicio tradiderat, Romæ à Cajo Cæsare Rex salutatur, donaturque tetrarchia Philippi, adjectâ etiam Lysaniæ tetrarchiâ. Quod indigne ferens Herodias Agrippæ soror, & uxor Antipæ tetrarchæ, ut dictum est, Galilææ, & Peræe, una cum marito Romam proficiscitur, ut fratrem regia dignitate spoliaret, cui impotenter superbiens femina invidebat, quod eum in celsiore, quam meritum, fastigio cerneret.

Sed contra quam animo concepit, res fuit. Se enim, & maritum perpetui apud Lugdonum exilii pœna damnavit, regno Agrippæ illius adjectâ tetrarchiâ. Nec multo post Agrippa Judæam & Samariam obtinuit à Claudio, atque per ultimum vitæ triennium, universam regionem Herodis Magni Avi sui possedit. Agrippa, ab humanis erepto, Cuspius Fadius Cæsaris Procurator Judæam administravit, quod Agrippæ filio ejus minorenni regnum com-

filius, & Agrippa nepos in Judæa, Herodes Antipa Tetrarcha in Galilæa, ac subinde duo Herodes Agrippæ Reges in Chalcidica potiti rerum sunt, qui potestatem à Romanis Judæam illo tempore obtinentibus creandorum pro arbitrio Pontificum acceperunt; inde pulsis demum Ascalonitis Romani subactæ Judææ Magistratum & tributum imposuerunt: ac Legibus eorum magna ex parte servatis regionis imperium & procurationem sibi vindicarunt: ac postremo rebellantibus eis, Urbem cum Templo inflammaverunt, ac gentem prope totam profligaverunt.

Est porro illud quoque tenendum, Remp. Hebræorum quodammodo tripartitam fuisse; una enim fuit, quæ universum populum, idest XII. Tribus, complexa est; altera, quæ singulas ipsius populi Tribus; tertia, quæ singulas singularum Tribuum Civitates. Primæ Reip. sedes in ea collocata Urbe fuit, quam Deus religionis caussa sibi ascivit, (quæ vero ea Urbs fuerit, post dicetur) ibi enim summus Magistratus, summus Senatus, populus judiciumque consedit. Fuit tamen interim aliquando Interregnum, quod significatur in libro Judicum, cum scribitur: *Erat Israël sine Regibus, & quisque faciebat quod rectum videbatur*, innuens, non Tribus singulas, aut Civitates suis Principibus vacavisse, sed universam duodecim Tribuum Remp. summis Præsidibus, & Tutoribus caruisse.

Secunda Resp. Præfectum unum habuit, qui Princeps Tribus dictus est; itemque alios, qui familiarum Principes nominati sunt, qui tamen omnes summo Principi, penes quem tota erat Respublica, paruerunt.

Tertia vero hoc modo constituta fuit. Unaquæque Civitas suum habuit Senatum, qui de rebus ad ipsam præcipue pertinentibus decerneret, & caussas privatas, capitalesque cognosceret, & suos Magistratus, qui Senatum haberent, & judicia exercerent. Quamobrem Resp. Hebræorum populum habuit, Senatum, Judices, & Magistratus. Unde apud Josuë cap. XXIII. scriptum est: *Convocavit filios Israel, & Senatum eorum, & Principes eorum, & Judices eorum, & Scribas eorum*. Arma etiam, quæ publico populi nomine extra fines ferenda erant, à solo Rege, & summo Senatu decreta sunt, adjuvantibus singulis Tribuum & familiarum Principibus, & Civitatibus, quemadmodum post suo loco probabitur.

CAP. VI.

De Cive Israëlita, & Proselyto.

EXplicata Hebraicæ Reipublicæ forma, sequitur, ut qualis hujus Reip. (88) Civis fuerit, demonstretur. Censuit igitur Aristoteles, varios pro varietate Rerumpublicarum Cives existere: qui vero optimæ Reip. Civis esset, eum & consiliorum, & judiciorum compotem esse. Quæ definitio ad Civem quoque

committere tutum non videret. Sed defuncto Herode Jenioris Agrippæ fratre, dynasta Chalcidis, qui potestatem in Templum & Sacrum Ærarium, jus item eligendi Summos Pontifices a Claudio impetraverat, universum principatum junior Agrippa adeptus est.

Huic titulus Regis datur a Josepho Antiquitatum vicesimo libro capite octavo, & in sacris literis Actuum XXV. 13. Hic excidio Urbis, & Gentis Judæorum superstes fuit, illumque tertio anno imperii Trajani mortuum scribit Photius; adeoque post eum nulla tetrarchiarum in Palæstina fit mentio.

LATERCULUM CHRONOLOGICUM HERODIORUM.

Anno M.

1964. HERODES MAGNUS filius Antipatri ex Idumæa oriundus Regnum a Senatu Romano obtinuit; regnavitque annis 36 sive 37.; Annum agens septuagesimum obiit anno Mundi 4001., idest anno primo Chr. ante Æram tertio. Post ejus obitum regnum inter filios divisum, Archelaum, Herodem, Antipam, & Philippum.

HERODI ANTIPÆ Galilæa & Peræa cessit. Lugduni exulavit an. Chr. 43. Ær. 39. inde in Hispanias translatus, ibi tandem occubuit. Regnavit 42. annis sub anno 4001. usque ad 4042. Chr 42 Ær. 39. ejus Tetrarchiam Cajus Imperator Agrippæ I. concessit.

PHILIPPUS totam Batanæam, Trachonitidem, & Auranitidem obtinuit usque ad obitum an Chr. 37. Ær. 33. Ejus deinde Tetrarchia in Provinciam redacta est.

ARCHELAUS Regnum Judææ Etharchiæ titulo habuit, an. 4001. Chr. 1. ante Ær. 3. Viennæ in Gallia exulavit an. Chr. 9. Ær. 6. Inde Judæam in Provinciam redactam Præsides administrarunt usque ad an. Chr. 40. Ær. 37.

AGRIPPA I. filius Aristobuli, & nepos Herodis Magni & Mariamne, cui Judææ pars cum Regis titulo a Cajo concessa an. Chr. 40 Ær 37. Quadriennio post, Claudius Imperator reliquam Judææ ejus ditioni addidit, quam deinde C. Caligula Tetrarchia Herodis Antipæ ejus patrui, Lugduni una cum Herodiade exulantis, auxit. Obiit Agrippa an. Chr. 47. Ær. 44. eoque vita functo, Judæa Præfectis Romanorum iterum administrata est, usque ad ejus excidium an. Chr. 73. Ær. 70.

AGRIPPA II. ejus filius, JUNIOR dictus, quo impari adhuc ad Regnum ætate (obeunte enim patre annum ætatis 17. agebat) Provinciæ administrationem Cuspio Fadio Claudius Imperator commisit. Interim tamen Agrippa jus ab Imperatore aliquod obtinuit in Templum, in Sacrum Ærarium, & in Pontifices, quos eligere, vel amovere posset; quæ illi auctoritas usque ad excidium Urbis, & Templi mansit. Continendis in Officio, & in obsequio Romanorum Judæis plurimum laborans, opera sua frustratus, Hierosolymæ obsidioni una cum Tito adfuit, copiis suis ad perduelles reducendos adhibitis. Regnum Chalcidis a Claudio an. Chr. 52. & Ær. 49. obtinuit, quod deinde an. 53 eodem concedente, cum Trachonitide commutavit. Prorogatum ejus Imperium ad aliquas Galilææ Urbes à Nerone an. 54. Obiit eo annorum spatio, quod ab an. Ær 77. usque ad 93. intercessit; incertum tamen quo potissimum anno.

(88) Civis definitur à Politicis, & Jureconsultis, homo liber, qui juris fruendi, vitæque feliciter agendæ gratia, cum aliis sub eadem potestate sociatus est. E civibus dictæ sunt civitates, quæ vel per se ipsas, vel una cum aliis fœdere quodam conjunctæ Rempublicam formant. Hujusmodi vero fuit Hebræorum Respublica, quæ ex populo varias civitates constituente coaluit. Sed Hebræorum civium conditio, quorumcunque aliorum longe fuit præstantior; quandoquidem Theocratica erat eorum Respublica. Nam primo illorum subjectio erat Deo, qui solus esse voluit eorum Dominus; Magistratibus autem subjiciebantur, tanquam Dei administris. Secundo leges omnes à Deo erant definitæ, quibus ipsi Magistratus omnino erant subjecti. Tertio tandem præcipua tutela Dei fruebantur, qui ita in rebus afflictis præsto erat Judæis, ut nulla alia esset natio, quæ Deum sibi ita appropinquantem haberet.

que accommodari Hebræum poteſt, ut is demum in eorum Rep. Civis fuerit, qui particeps conſiliorum judiciorumque extiterit. Nam ſacra non omnibus communia, ſed propria Levitarum fuerunt. Eſt præterea illud etiam admonendum, Hebræorum populum (89) bipartitum fuiſſe, unum indigenarum, qui Græce αὐτόχθονες, alterum advenarum, qui προσήλυτοι dicti ſunt, quo nomine Proſelytorum uſi ſunt etiam, qui Latine ſacras Hiſtorias converterunt. Indigenæ fuere omnes, qui ab Iſraële genus, ut dixi, trahentes cum Lege Circuncitionem ſumpſerunt: quam Deus Abrahæ mandaverat XVIII. Geneſis, his verbis: *Infans octo dierum circuncidetur in vobis; maſculus, cujus præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. (90) Proſelyti fuere alienigenæ, qui ex gentibus procreati, ſed ab idolorum ad Dei cultum traducti Circuncitione donati ſunt: quos Deus pro indigenis haberi mandavit Exodi XII. loquens de Inſtitutione Paſchæ *Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circuncidetur prius omne maſculinum ejus, & ſic rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ; ſi quis autem circunciſus non fuerit, non veſcetur ex eo; eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos*; ſic Latinus: at Græce aptius: *indigenæ, & Proſelyto, qui acceſſerit ad vos*; & Levitici XVII. *Homo quilibet de domo Iſraël, & de advenis qui peregrinantur inter vos, qui obtulerit holocauſtum, ſive victimam, & ad oſtium Tabernaculi Teſtimonii non adduxerit eam, ut offerat Domino, interibit de populo ſuo*; & ſecundo: *Æquum judicium ſit civi, & advenæ*, id eſt, Proſelyto. Quemadmodum autem Gentiles Circunciſi ad Judæos tranſirent, extat exemplum Sicimitarum in Geneſi tempore Jacob: item Achior, Judith XIV. *Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſraël, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circuncidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſraël, & omnis ſucceſſio generis ejus uſque in hodiernum diem*. Joannes inde Hircanus Rex Idumæos ſubactos ad Circuncitionem accipiendam adegit. (91) Quare Herodes Idumæus Proſelytus fuit, non antiqua ſtirpe Judæus. Ita-

(89) Bipartitus revera fuit populus Judæorum: alii enim erant indigenæ, Proſelyti alii. Inter indigenas primo loco cenſebantur, qui utroque parente, & longo ordine Hebræi ex Hebræis nati erant: ſecundas vero obtinebant nati vel patre Hebræo, & matre Ethnica, vel viceverſa, ſique cenſebantur quibuſdam differentiis, fuſius per Judæorum Magiſtros exagitatis; ſed quas nihil eſt, cur hic referemus.

Proſelyti autem illi erant, qui Hebræorum religionem cum Circumciſione ſuſceperant. Hi Proſelyti *juſtitiæ* dicebantur, ſtatimque a Circumciſione ad ſacra Hebræorum erant admiſſi. Imo ſecundum Schammæos eodem die, quo factus erat Proſelytus, cum Judæis poterat Paſcha manducare: *Proſelytus*, inquiebant. *Juſtitiæ*, טובל ואוכל את פסחו לערב *lavat ſe, & comedit Paſcha veſpera*.

Sed de Proſelytis ſequenti annotatione. Interim obſervare oportet, perperam contra Sigonium, tripartitum conſtitui Judæorum populum a Nicolao collocante tertio loco Proſelytos *Portæ*, qui Proſelyti *portæ*, quum jure civium Hebræorum non fruerentur, ſolumque illis conceſſum eſſet inter Hebræos habitare, nullo modo ſpectabant ad conſtituendam Hebræorum Rempublicam, quam adminiſtrare non poterant, & cujus ſacrorum minime erant participes.

(90) A verbo προσέρχομαι *accedo*, quod in Aoriſto ſecundo habet προσήλυθον, Proſelyti derivant: unde qui ex Gentibus Hebræorum legi accedebant, Proſelyti Græca voce dicebantur, Hebraica vero גרים *Peregrini*. Proſelyti erant duplicis generis: alii vocabantur גרים cum additio צדק. vel ברית *juſtitiæ*, vel *fœderis*: alii גרי תושב, vel שער, *domicilii*, vel *portæ*.

Proſelyti juſtitiæ illi erant, qui ejurata idololatria religioni Hebræorum nomen dabant, Circumciſione, Baptiſmo, & Sacrificio, ſi maſculus eſſet; ſin femina Baptiſmo, & Oblatione. Docent Rabbini antequam nota circumciſionis inureretur Proſelytis, eos interrogatos fuiſſe, quibus de cauſſis vellent religionem mutare, an timore aliquo, utilitate, vel ambitione. Si purum putum amorem veræ religionis cognoſcerent in Proſelytis, docebant illos præcipua Legis præcepta, ac ſubinde circumcidebant. Obducto vulnere circumciſionis totum Proſelyti corpus immergentes in vaſe aqua pleno baptizabant coram tribus Judicibus, qui actus quum eſſet judiciarius, die feſto præſtari non poterat. Baptiſmum ſemel collatum renovare nefas erat; ſive in Proſelyto, etiamſi poſt baptiſmum defeciſſet a fide, ſive in filiis natis, poſtquam Pater Judaica religione erat initiatus; dummodo filii ex Ethnica matre non eſſent orti, tum enim matris ſequebantur conditionem: licet ſolemnis ſit regula apud Magiſtros, *Familia matris non facit familiam* משפחת אם לא משפחה:

Tandem admittebant Proſelytos ad ſacrificium, quod erat holocauſtum ex pecore, aut par turturum, aut duo columbarum pulli (quod ſacrificium pauperum erat) utrique tamen in holocauſtum.

Proſelyti domicilii illi advenæ erant, qui ſolenniter coram tribus teſtibus ſe obſervaturos pollicebantur ſeptem præcepta, quæ tradita dicunt Magiſtri Adæ, & Noemo, videlicet: de Judiciis, de non maledicendo Numini, de idololatria vitanda, de revelatione turpitudinum, de ſanguinis effuſione, de rapina, & de non comedendis artubus vivi animalis, de quibus qui plura vult, Rabbinos adeat, in quorum libris hæc ſæpenumero inveniuntur vexata, atque non raro recentia ipſorum commenta pro veris Hebræorum antiquitatibus obtrudunt:

Qualiacunque voles, Judæi ſomnia vendunt.
Juven. Satyr. VI.

Iſti autem Proſelyti domicilii dicebantur etiam Proſelyti portæ, quod portas urbium admiſſi in illis poterant habitare, licet prohibita eiſdem eſſet habitatio Jeruſalem, propter urbis, ut ajunt, ſanctitatem. ירושלים הקדושה *Jeruſalem Civitas ſancta*. Habitabant ad portas urbium, non autem in medio illarum: & ſi Judæa ſeptem præcepta rite obſervabant, vocabantur *ex piis Gentium Mundi, quibus pars erat in futuro ſeculo*, ut ſcribit R. Maimonides, a quo tum in tractatu *de vetito concubitu*, tum in libro *de Regibus* iſta delibavi.

(91) Eam ſententiam Sigonius ſequitur, quam Sanctorum Patrum ſenſus tum Latinorum, tum Græcorum confirmat; Herodem nimirum alienigenam, aut, ut habent Græci, ἀλλόφυλον fuiſſe, ſive Aſcalonita, ſive Idumæus extiterit. Horum autem ſententias quum ſuperfluum eſſet hic repetere, unius Sancti Epiphanii Hæreſi XX verba referam, quibus diſſonantia, an Idumæus Herodes fuerit, vel Aſca-

A Itaque ut ipse Regnum Judæorum Proselytus cepit, sic Pontificatum etiam Proselytis tradidit. Quantum vero studium poneretur à Judæis in eo, ut Proselytos facerent, id est, ut gentiles circuncidérent, docuit Christus alloquens eos Matth. XXIII. *Vos circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum Proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos*. Hinc secundo Paralip. XXX. *Hilaritate perfusa est omnis turba Juda tam Sacerdotum & Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel Proselytorum quoque de terra Israël, & habitantium in Juda*; & Ezechielis XIV. *Homo de domo Israël, & de Proselytis, quicunque advenæ fuerunt in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idola in corde suo*; & Actuum II. *Judæi, & Proselyti*.

CAP. VII.

De Urbe Reipublicæ Sede.

REgio porro, in qua hæc constituta Respubl. fuit, Magnæ pars Syriæ fuit: cujus longitudo à Syria Antiochena ad Ægyptum & Arabiam, latitudo à mari Syriaco ad Cœ-

B Ascalonita, conciliatur: *Herodes*, inquit, *Antipatri cujusdam Ascalonitæ, atque Apollinis æditui filius fuit; cujus insuper Antipatri parens Herodes nomine filius Antipæ fuit. Antipater ab Idumæis captus, & in Idumæa degens Herodem suscepit, qui in regione diu admodum in servitute vixit, quod eum Herodes Pater ob inopiam redimere non posset. Tandem à popularibus collata pecunia una cum Herode filio liberatus postliminio in patriam revertitur. Quam ob caussam ab aliis Idumæus, ab aliis Ascalonita fuisse proditus est.*

Verum oppositæ sententiæ auctores id potissimum urgent, ut Herodem statuant genere Judæum fuisse, quod ille ab Judæorum non paucis pro Messia habitus fuerit, qui Herodiani propterea fuerunt nuncupati. Incredibile enim videtur illos Herodem Messiam reputaturos fuisse, nisi illius Judaicum genus fuisset perspectum & exploratum, quum nihil C in sacris literis sit magis solenne, quam Judæum genere, & de Tribu Juda, imo de stirpe David Messiam oriturum. At ex vilissimorum hominum secta, atque Judæis ipsis odiosissima, quis firmum argumentum ad originem Herodis ex Tribu Juda repetendum desumet? Quis ab Herodianorum errore, improba animi excitare Herodem tamquam Messiam colentium, ad investigandam ejus familiam quid certi capiet?

Nonne (quod mirandum magis est) Josephus vir ceterum eruditione pollens, & aliunde veritatis non inimicus, vaticinium, illo teste, in sacris libris repertum: *illis*, nempe, *circiter temporibus quendam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum*: seu subdola assentatione quadam, ut se a vinculis liberaret, seu ex animi sententia, Vespa- D siano accommodavit? ἐδήλου δ' ἄρα περὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. *Significabat nempe*, ita Josephus de Bello Judaico libro VI. capite V. editionis Havercampi, *Oraculum Vespasiani principatum, qui in Judæa declaratus est Imperator*. Quis autem sanæ mentis hinc inferre poterit Vespasianum genere, aut religione Judæum fuisse? Tacitus Histor. l. V. de Prophetarum vaticinio Vespasiano, & Tito accommodato ita scribit: *Pluribus persuasio inerat antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum, & Titum prædixerant*. Nempe sublesta hac interpretatione E aliis præivit Josephus, ut in Svetonio legere est: *Et unus*, inquit, *ex nobilibus captivis Josephus, quum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore, ut ab eodem brevi solveretur; verum jam Imperatore*.

Est etiam egregius locus de hac re apud Johannem Zonaram in Annalibus, pagina editionis Regiæ 575. Tami primi, quem opinor Lectori non ingratum futurum, si illum ex integro huc transferamus: Ὁ γὰρ Ἰώσιππος, ὡς αὐτὸς ἐκεῖνος ἱστόρησε, χρησμόν τινα ἐν γράμμασιν ἱεροῖς εὑρηκὼς, δηλοῦντα ὡς ἄρξει τις ἀπὸ τῆς χώρας αὐτῶν τῆς οἰκουμένης, διὰ τὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ στάσεις, καὶ τὰς ἐκεῖ Βασιλέων τὰς συνεχεῖς ἀλλαγὰς, εἰς τὸν Οὐεσπασιανὸν τείνειν ὑπείληφε τὸν χρησμὸν, καὶ οἱ τὸ κράτος προεμαντεύσατο. Τούτου δὲ χρησμοῦ μέμνηται, καὶ Ἀππιανὸς ἐν τῷ εἰκοστῷ δευτέρῳ λόγῳ τῆς ἱστορίας αὐτοῦ Ῥωμαϊκῆς. Δικαιότερον δ' ἂν, ἢ ἀληθὲς μάλιστα νομισθείη, τὸ ἐπὶ τὸν Σωτῆρα τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν χρησμὸν ἐκληφθῆναι. Οὐ γὰρ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης Οὐεσπασιανὸς ἐβασίλευσε, κατὰ τὸν χρησμὸν, ἀλλὰ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίους μόνης· πολὺ δὲ τῆς οἰκουμένης ἦν, ὃ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς ἦν ἐκτός. Ὁ δὲ Κύριος συμπάσης τῆς οἰκουμένης ἐβασίλευσε τε, καὶ βασιλεύει, ᾧ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐῤῥέθη, Αἴτησαι παρ' ἐμοῦ, καὶ δώσω σοὶ ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὴν κατάσχεσίν σου τὰ πέρατα τῆς γῆς.

Josephus enim, ut ipse narrat, quum in sacris literis Oraculum reperisset, fore ut quidam ex Judæa orbi terrarum imperaret: id Oraculum, ob Romanorum seditiones, & Imperatorum frequentes mutationes, ad Vespasianum retulit, eique vaticinatus est imperium. Ejus Oraculi meminit etiam Appianus historia Romana libro XXII. Rectius autem ac verissime id Oraculum de Servatore humani generis, Domino Jesu Christo, intelligetur. Neque enim toti terrarum orbi Vespasianus imperavit; sed Romanis provinciis duntaxat, extra quas multa alia regna fuerunt. At Dominus toti orbi dominatus est, & dominatur; cui à Patre dictum est: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Verba autem, quibus ad Vespasianum usus fuit Judæus, extant apud eundem libro III. de Bello Judaico capite VIII. editionis ejusdem Havercampi. Josephi verba sunt: *Tu quidem, Vespasiane, putas Josephum duntaxat ipsum captivum cepisse: at ego rerum majorum venio tibi nuncius*: μὴ γὰρ ὑπὸ θεοῦ προπεμπόμενος, *nisi enim à Deo missus essem, Judæorum consuetudinem novissem, & quemadmodum Duces exercituum mori deceret. Ad Neronem me mittis? Quid enim? Num qui Neronem usque ad te successuri sunt, manebunt? Tu Cæsar eris, Vespasiane, & Imperator tu, & filius iste tuus. Vincito autem me aliquanto arctius, & tibimet adservato: nam tu quidem non mei solius dominus eris, verum etiam terræ marisque & omnis generis humani. Ego vero in supplicium arctiore* dignus

Cœlen, Syriam, Arabiamque alteram prodiit. Hanc mediam ferme (92) Jordanes fluvius secuit, qui, (ut inquit Plinius) ortus è fonte Paneade, ubi primam convallium occasionem est nactus, in lacum se fundit, quem plerique Genesaram nominarunt: (in Evangelio vero stagnum Genesareth, & mare (93) Tiberiadis appellatur) inde velut invitus (94) Asphaltitem lacum (quod etiam mare mortuum dicitur) dirum natura petit: à quo postremo absorptus aquas laudatas pestilentibus miscet. Universa regio antiquitus in sacris literis terra, ut dixi, Chanaam, sive (95) Chananæa dicta est, tum cum Abraham jussu Dei huc ex Mesopotamia transiit, atque per ea tempora à septem populis habitata fuit, Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Hevæis, Jebusæis, & Pherezæis, quibus etiam Philistæi sive Palæstini adjungi possunt. Inde posteri Israël, cum hanc armis occupavissent, terram Israël appellarunt, atque in XII., ut dixi, partes diviserunt, quas Tribus vocarunt; trans Jordanem, (96) Ruben, Gad, & Manasse; cis Jordanem, Judam, Benjamin, Simeon, Effraim, Dan, Aser, Issachar, Zabulon, & Nephthalim. Decem inde Tribubus à duabus avulsis, & post in Assyriam transportatis, partes hujus regionis hæ celebrari cis Jordanem cœperunt; Judæa, Samaria, Galilæa interiores, Palæstina vero maritima, Ituræa, Thrachonitis, & Chalcidica trans Jordanem. Judæa à Tribu Juda vocata ferme his insignita Urbibus fuit, Hierosalem, Bethel, Hierico, Arimathia, Emmaus, sive Nicopoli, Bethleem, Hebron, Cariathiarim, & Eleutheropoli. Samaria ab Urbe ejus nominis appellata, quam in monte Somer Tribus Effraim Amri Rex condidit, hæc oppida habuit, Silo, Sichem, sive Sichar, & Samariam. Galilæa hoc nomine jam tum, cum Israëlitæ trajecerunt, nuncupata, oppida amplexa est, Nazareth, Naim, Capharnaum, Bethsaidam, quæ post Julias, & Paneadem, quæ post Tiberias appellata est; eaque duplex fuit, superior ad mare Syriacum pertinens, & inferior ad mare Tiberiadis. Palæstinæ urbes celebratæ Geth, Gaza, Azotus, Accaron, & Ascalon. Inde prævalentibus Judæorum opibus tota regio (97) Judææ nomen invenit, quam post Christum etiam (98) Palæstinam & Terram Sanctam nominaverunt. Cum ergo, ut ad priora redeam, totius populi Israëlitici una communis duodecim Tribuum esset Resp. statuendus etiam locus fuit unus, quo omnes ex suis Tribubus atque Oppidis convenirent, ubi Deo sacrificia facerent, primitias offerrent, consilia in commune agitarent, judicia tractarent, & is demum sederet, qui summæ rerum sacrarum & profanarum

dignus sum custodia, si quid temere etiam in Deum mentitus fuero.

(92) Fluvius hic in sacris literis, tum miraculorum pompa, tum rerum in eo gestarum gloria, est maxime celebris. Hunc pleno fluentem alveo Deus divisit, ut per eum sicco vestigio Josue traduceret populum. Elias item cum Eliseo nunc pallio percussum divisit, vaduvitque; quod Eliseus deinde renovavit miraculum ejusdem pallii ministerio. Johannes prædicans baptismum pœnitentiæ ejus aqua turbas lavabat, ut Christi Præcursor Baptismo novæ Legis Sacramento viam pararet. Verum nihil magis nobilitavit undas Jordanis, quam Christi Servatoris Baptisma, in quo Pater Unigeniti divinitatem testatus est voce de cœlo lacta: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

(93) Ab urbe Tiberiade sita in optimo agro Galilææ ad litus lacus Gennesareth, unde Tiberias urbis & lacus nomen fuit. Teste Josepho Antiqu. l. XVIII. 3. de nomine Tiberii Imperatoris urbs dicta fuit ab Herode Antipa. At Joël in Chronographie tradit, Tiberium ipsum hanc urbem condidisse, & de suo nomine appellasse; quod etiam legitur apud Michaëlem Glycam in Annalibus part. III.

(94) Ab exundante bitumine, quod à Græcis ἄσφαλτος dicitur, huic lacui nomen inditum est, quem Tacitus V. Histor. eleganter ita describit: *Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur. Incerta unda superjecta, ut solido feruntur; periti, imperitique nandi perinde attolluntur.* Dicitur Vespasianus, qui ejus visendi caussa illuc concesserat, jussisse quosdam nandi inscios, vinctis post terga manibus, in altum projici; omnesque, quasi quadam vi sursum repulsos, desuper fluitasse.

(95) Dicta est à Chanaan possessore antiquissimo; fuit enim nepos Noemi ex Cham, & multis post illum seculis Chananæi hanc terram possederunt. Moyses Gen. X. 15. hæc habet de Chananæis: *Chanaam genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, & Jebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum, & Hevæum, & Aracæum, Sinæum, & Aradium, Samaræum, & Hamathæum, & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. Factique sunt termini Chanaan, venientibus à Sidone, Geraram usque ad Gazam; donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, usque Lesa.*

(96) Non universa Tribus Manasse suam obtinuit hereditatem trans Jordanem; sed solum dimidia portio data fuit Transjordanica; ut habetur Numer. XXXII. 33. *Dedit itaque Moyses filiis Gad, & Ruben, & dimidiæ Tribui Manasse filii Joseph regnum Sehon Regis Amorrhæi, & regnum Og Regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum.* Et dimidiæ Tribui Manasse assignatus est cis Jordanem tractus terræ inter Tribum Ephraim ad Meridiem, Issachar ad Septemtrionem, Jordanem ad Orientem, & Mediterraneum ad Occidentem. Vide Josue XVI. & XVII.

(97) De nomine Judæorum jam dictum est: solum hic superest observandum, quam falsa de hoc nomine ob Judaicarum rerum imperitiam scripserunt Græci, & Latini. Summa est. Judæos Creta profugos novissima Lybiæ insedisse, qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus regno cessit. Ab Ida Cretæ monte primum dicti Idæi, sed aucto in barbarum cognomento Judæi procedente tempore sunt appellati. Aristoteles putavit Judæos ab Indiæ Sapientibus derivasse, & Philosophos, qui apud Indos Calani nuncupantur, in Cava Syria Judæos dictos fuisse. Laus tamen Dioni Cassio tribuenda est, qui lib. XXXVII. unde Judæum nomen desumptum sit, ingenue se fatetur ignorare: *Habent autem* (de Palæstinis loquitur) *aliud præterea adscititium nomen: regio enim ipsa Judæa, gens Judæi appellantur. Id cognomentum unde originem ceperit, haud scio.*
Videtur Nicolaus hoc loco D. Ambrosium vellicare, quod Judæos à Juda Macchabæo vocatos dicat cap. I. Epist. ad Rom. *Judæi*, ibi legitur, *ex tempore Judæ Macchabæi dici cœperunt, qui in caussa cladis restitit sacrilegis gentium, & fiducia Dei collegit populum, & defendit genus suum.* Sed quem latet illud opus D. Ambrosii genuinum fœtum non esse, quod eruditi viri, tum a stilo ab Ambrosiana facundia longe recedente, tum a sententiis cum solida S. Doctoris eruditione doctrinaque non congruentibus, jam dudum demonstrarunt; unde merito sub Ambrosiastri nomine opus in lucem prolatum est?

(98) Philo libro de Abrahamo scribit à Syriis ortum habuisse nomen Palæstinæ, quod idem significat ac terram Chanaan. Voce Palæstinæ usi sunt Judæi non minus, quam Græci, Latinique, ut in eorum libris videre est.

tum præesset. Hunc vero Deus statuit esse illum, quem ipse invocando suo nomini delegisset; sic enim in Lege loquutus est cap. XII. Deuteronomii: *Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis Tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in eo holocausta, & victimas vestras. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, sed coram Domino Deo tuo in eo loco, quem ipse elegerit*; & cap. XVII. *Si Judicum sententiam in portis tuis videris variari, ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evoces*. Elegit autem eas Urbes, in quibus Tabernaculum & Templum suum est constitutum; hæ vero fuere duæ, (99) Silo in Samaria, & finibus Effraim; deinde, illa reprobata, Hierusalem in Judæa, ac Tribu Judæ. De Silo hæc habemus testimonia. Cum Josuë mandato Dei (100). Tabernaculum cum Arca in Silo posuisset, ibi etiam sedem Religionis & Reipub. collocavit. Unde illa sunt in illius Historia capite XXII. *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Testimonii*; & XXIII. *Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent, & dimicarent contra eos, qui trans Jordanem erant*; & Judicum XXI. *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu ejus sedentes usque ad vesperum levaverunt vocem*; & paulo post: *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria quæ sita est ad Septentrionem Urbis Bethel ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam*. Inde Deus rejecta Silo delegit (101) Jerusalem, & montem Sion in Tribu Juda, eoque domum suam transferri cum tota Rep.

(99) Ab Josuë Tabernaculum cum Arca fœderis in Silo persistit, donec sulis cassisque Israëlitis abducta est a Philistæis. At Philistæi suppliciis attriti, eam rursus miserunt in Israel; non revecta tamen fuit in Silo, quamvis adhuc Tabernaculum ibi persisteret: sed domi Abinadab in Gabaa posita fuit, ac deinde in Nobe translata, ubi etiam ætate Saul, & David servabatur. David illam transtulit in Tabernaculum Sion, ubi stetit annos quadraginta quatuor, donec Salomon eam magnificentissimo intulit Templo abs se nuper extructo.

(100) Quidam sentiunt Tabernaculum Silo sub tecto erectum fuisse, quum verisimile non videatur illud tanto tempore, cœli terræque viribus sub dio, sine necessitate relictum. Alii longe probabilius existimant Tabernaculum Silo nil aliud fuisse, quam Tabernaculum Moysis, pellium integumentis, quæ in deserto primum perfecta erant, ac deinde, quum res posceret, renovatis coopertum. Id probant ex II. Regum VII. 2, ubi David quum Templi ædificandi iniisset consilium dixit Prophetæ Nathan: *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?*

(101) Jerusalem ירושלם nomen hoc sub forma duali *Jeruscholaim*, saltem hoc tempore, solet pronunciari, ad significandum urbem ea duabus partibus coaluisse; superiore scilicet, quæ montem Moriam, & Sion altitudine ceteros urbis montes superantem; & inferiore, quæ collem Acra, & convalles complectebatur. Antiquum urbis nomen erat יבוס *Jebus* à Jebus Chananæis filio, tum etiam שלם *Salem*, & deinde ex compositione nominum ירושלם *Jerusalem*, quod nomen *visionem pacis* significare magis receptum est inter Eruditos. Magistri de nomine Jerusalem lepidam hanc habent historiolam prudenti urbanitate conditam. Abraham vocavit nomen Urbis יראה *Jere* (quum scilicet in monte Moria filium Isaac imolaturus appellavit nomen loci illius יהוה יראה *Dominus videt*, Genes. XXII. 14.) & Sem (quem Rabbini Melchisedech fuisse dicunt, de sequenti annotatione verba faciam) שלם *Salem* vocavit. Dixerunt ergo majores nostri: si urbem nominamus יראה, id displicebit Semo; si שלם, id ingratum erit Abrahamo. Igitur demus urbi nomen ex utroque compositum, dicamusque ירושלם *Jerusalem*. Vide Magistrorum urbanitatem!

Verum in qua sorte filiorum Jacob sita esset Jerusalem, Eruditi disquirunt; alii Tribui Benjamin, alii Tribui Juda Urbem hanc vindicantibus. Nos supra annotatione 42. eam in sorte Benjamin collocavimus, sequuti descriptionem antiquæ possessionis Benjamin, quæ Josue XVIII. definitos. Nunc rationes pro utraque sententia satis sit indicare. Primo, facit vel maxime pro Tribu Benjamin caput Josuë decimus octavus mox laudatus. Secundo, quod Judicum I. 21. Benjamitæ dicuntur non potuisse expellere Jebusæos. Tertio, quod Moyses moriturus Deuteronomii XXXIII. 12. præcinit fore, ut Deus inter humeros Benjamin conquiesceret; *Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur* (quod hinc est intra fines hujus Tribus sit ædificatum Templum, veluti thalamus Dei, qui ut sponsus in eo esse voluit) *& inter humeros illius requiescet*.

Tribui Juda suffragantur sequentia. Primo, filii Juda narrantur Judicum primo vers. octavo cepisse Jerusalem. Secundo, dicitur Psalmo LXXVII. 68. Deus elegisse Tribum Juda, montem Sion, quem dilexit. Tertio denique legitur Jeremiæ XXXVII. 12. Propheta ex urbe Jerusalem egressus esse in terram Benjamin. Sunt tamen qui utramque sententiam ita conciliant. Lineam divisionis inter Tribum Juda & Benjamin, concipiunt in Jerusalem incidisse, partemque urbis Septemtrionalem Benjamitis assignant, & Australem Tribui Juda. Imo Thalmudistæ referunt per atrium Templi hanc divisionis lineam transiisse. Quod mihi probabilius videtur, hoc est. Veterem urbem in sorte Benjamin sitam fuisse; sed accessiones ei factas ad Meridiem in sorte Judæ extitisse.

Nonnullis vero privilegiis, Rabbinis testantibus, Jerusalem fruebatur, quibus illa supra alias urbes Palæstinæ eminebat. Sequentia à Maimonide in Tractatu *Beth Habbechira* recensentur, quæ tum primum cœperunt obtinere, quum Templo a Salomone ibidem extructo, Urbs religionis sedes evasit. „ In ea ne pernoctato hominem mortuum; neve per illam hominis ossa transferri sinunto. Domum in ea ne locanto; nec Proselyto inquilino locum præbento. Sepulchrum ne servanto, præter illa Gentis Davidicæ, & Oldæ Prophetissæ sepulchra, quæ in ea fuerant ab primorum usque Prophetarum temporibus. Horti nulli, nulla pomeria inferuntor; illam neque seminanto, neque aranto, ne forte fœteat; nullam in ea arborem servanto, præter rosetum; id enim à primorum memoria Prophetarum in ea fuit. Sterquilinium in eadem ne tenento, propter immundos animantes, qui fere gignuntur ex eo. Trabes, aut podia publicum in locum ne prominento, ne videlicet inquinamenti fiat tentorium. Nulla præter fumum in ea fornaces sunto. Gallinas in ea propter sacra ne nutriunto. Similiter Sacerdotes, ut se puros conservent, in omni Israëlitica terra gallinas non aluoto. Domus ne cujusque propria sunto. „

Hæc autem caussa assignatur, cur nullius propriæ erant domus urbis Jerusalem.

Ter saltem quotannis, ut alias dicturi sumus, in Urbem veniendum erat Judæis. Si in cauponas, & tabernas se debuissent recipere, vix aut ne vix quidem, potuissent se mundos servare; quum in illis multa avare fierent, multa per fraudem item, & flagitiose. Erga Urbe me-

Rep. voluit, ac demum Silo quoque evertit; sic enim loquitur VII. apud Hieremiam: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël*; & alibi: *Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, sicut feci Silo*. Elegit autem Jerusalem tempore Davidis Regis: is enim Jebusæos, quos Judas & Benjamin olim ejicere inde non potuerant, profligavit, atque ibi primus jubente Deo sedem posuit, arca in montem Sion translata. Qua de re scriptum est VI. secundi Paralip. ubi Deus ita loquitur: *A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi Civitatem de cunctis Tribubus Israël, ut ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quempiam alium virum, ut esset dux in populo meo Israël, sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea*; & quarto Regum XXI. *In Templo hoc, & Jerusalem, quam elegi de cunctis Tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum*. Hinc Josephus Legem hanc Dei sic concepit: *Sancta una Urbs sit terræ Chananæorum in loco pulcherrimo, & virtute illustri, quem Deus illi elegerit, & Templum unum in ea sit, & Altare unum ex lapidibus non politis, in alia vero Urbe neque Templum, neque Altare sit. Deus enim unus est, & unum Hebræorum genus; ter vero quotannis in eam ad Templum ex finibus terræ conveniant, quam Hebræi possederunt, & Deo offerant ex eis quæ habent, & de futuris adhortentur, & convenientes inter se, & convivantes amici sint. Est enim honestum, non ignorare, se inter se contribules esse, & eorundem participes studiorum existere*. Itaque David huc alludens dixit Psalmo LXXVII. *Et repulit Tabernaculum Joseph, neque Tribum Effraim elegit, sed elegit Tribum Juda montem Sion, quem dilexit, & ædificavit instar Excelsorum sacrarium suum, sive sicut unicornium sanctificium suum*. Significat enim Deo non placuisse, ut Templum ædificaretur in Silo in Tribu Effraim, & Tabernaculo Joseph patris Effraim, qui illam terram extra sortem à patre acceperat, ut scriptum est XLVIII. Genesis, & post in ea Urbe sepulturam acceperat, ut Josuë XXIV. sed voluisse, ut extrueretur in Jerusalem in Tribu Judæ. Huc etiam, credo, pertinent verba illa Samaritanæ mulieris apud S. Joannem, quæ Christum ita allocuta est: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Patres enim suos vocavit Effraimitas, à quibus se Manasse Samaritæ jactabant, eosque adorasse ait in monte Effraim, de quo Josuë XX. *Sichem in monte Effraim*: nempe per eos annos, quibus domus Dei fuit in Silo; Judæos vero eam laudem sibi vindicare, & locum adorationis esse in Juda, non in Effraim, quod esset in Urbe Hierosolymitana, contendere. Hanc vero religionis & Civitatis translationem in Jerusalem à Davide factam ipse etiam Psalmo CXXI. cecinit, inquiens: *Jerusalem, quæ ædificatur, ut Civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David*. Significat enim Tribus, id est, populum ascendisse Jerusalem, primum, ut laudarent Deum: deinde, ut poscerent jus sive à Magistratibus, sive à Judicibus, tum cum à se ædificata, & in formam Civitatis redacta est.

Ceterum Urbs Jerusalem, ut latius, qualis fuerit, explicemus, primis temporibus Salem dicta fuit, & (102) Regi Melchisedec paruit, qui, Sacerdos cum esset, Abrahamo à bello re-

metropolis Judæos omnes liberali hospitio excipiebat, civibus reserantibus gratis cœnacula, & triclinia, in quibus advena, tamquam in propriis ædibus, versari poterat; atque ibi exempli caussa Pascha suum parare, & comedere. In Tractatu de Patribus Rabbi Nathane auctore ista leguntur capite XXXV. *Non dixit quis socio suo: non inveni furnum ad assandum Paschata Hierosolymis à seculo. Non dixit quis socio suo: non inveni lectum, ubi dormirem Hierosolymis à seculo. Non dixit quis socio suo: angustus nimis est locus mihi, quam ut Hierosolymis pernoctem*.

(102) Variæ fuerunt de Melchisedecho sententiæ. Judæi eundem putant fuisse ac Sem Patriarcham, ut hominem mirifice in Scripturis laudatum, prælatumque ipsi Abrahæ, a suo genere faciant extraneum: quarum opinio nec heri aut nudius tertius invaluit, sed ab antiquis profecta temporibus, etiam num obtinet apud Judæos. Melchisedechiani secundi seculi Hæretici Melchisedech asserebant virtutem fuisse Jesu Christi superiorem virtuti, ut testatur S. Epiphanius hær. 55. Hieras Ægyptius dicebat illum fuisse Spiritum Sanctum, Origenes Angelum, alii alium. Asserit Petrus Cunæus Melchisedech fuisse ipsum Dei filium, qui sub humana specie, habitu Regis, & Sacerdotis indutus, illi corpori similis, quod postea gessit in terris, Abrahamo apparuerit. Relictis aliorum opinationibus mihi res est cum Cunæo, qui quanta potest facundia, exquisitisque verborum fucis, conatus errorem hunc probabilem reddere in ejus Repub. Hebræorum l. III. c. 3. per totum. Ut autem ordine procedat oratio, primum ejus rationes ad tria capita, veluti ad rei summam, redactas in medium proferam. Secundo quisnam Melchisedech fuerit, ex communi dicam Patrum sententia, ostendamque. Tertio demum refellam argumenta Cunæi, quæ omnia brevi perstringam, ne plus æquo annotationes scribendi modum excedam.

Et primum Cunæus nullum ex duobus nominibus, quæ Melchisedecho Geneseos XIV tribuuntur, *Melchisedech* nimirum, & *Melech Salem*, nomen personæ proprium opinatur, hoc uno permotus, quod à S. Paulo ad Hebr. VII., ubi ex nominum interpretatione argumentatur, Melchisedech dicitur *Rex justitiæ*, deinde etiam Rex *Salem* idest *pacis*: unde Cunæo nec *Melchisedech* nomen proprium est viri, nec *Salem* proprium nomen est urbis. II. Probat Christum esse Melchisedech ex Psalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, sicut Melchisedech. Ita enim ex interpretatione R. Aben Ezra legit Cunæus. III. Tandem ex laudata Epistola Pauli quatuor considerat, quæ ulli, præter Christum, convenire non possunt. Primo Melchisedech a Gentium Doctore fuisse dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia. 2. Sacerdotium ejus constituit perpetuum, nam neque initium dierum, neque vitæ finem habens manet Sacerdos jugiter. 3. eum adhuc affirmat viventem, ὅτι ζῇ. 4. demum eum majorem dicit Abrahamo, à quo hic benedictionem suscepit, & cui decumas ex omni præda divisit.

Sed hæc profecto tanti non sunt, quæ receptam à SS. Patribus labefactent de Melchisedecho sententiam: illum nempe hominem mortalem fuisse, Chananææ incolam, Salemensium Regem, & veri Numinis cognitione imbutum Sacerdotem Altissimi, qui veluti imagine quadam & figura Jesum Christum maximum itidem Regem, & Sacerdotem, repræsentavit. Moyses enim laudato capite illis characteribus describit Melchisedech, ut verum hominem illum fuisse dubitare non sinat. Ejus nomen narrat, & dignitatem, domicilium item, & humanitatis officia: *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi*. Hic Abrahamo è cæde fœderatorum Regum oc-

redeunti, quod pro Lot captivo suscepit, oc-
currit, ac panem & vinum obtulit, ut narra-
tur XIV. Genesis. Populus autem, qui illam
incoluit, jam tum Jebusæus dicebatur: quem
Judas & Benjamin extrudere Urbe non potuit
usque ad tempora Davidis. Itaque Urbs in
utraque Tribu fuit: nam XV. Josuë scriptum
est, Judam Jebusæos incolas Jerusalem exigere
non potuisse; in vaticinio vero Moysis Deu-
teronomii XXXIII. *Benjamen amantissimus Do-*

A *mini habitabit confidenter in eo, quasi in thala-
mo tota die morabitur, & inter humeros illius
requiescet*, prædicitur, fore, ut Benjamin in-
ter humeros Domini requiescat, quod Tem-
plum esset condendum in Tribu ejus; & XVIII.
Judicum additur, Benjamin non potuisse eji-
cere Jebusæum habitatorem Jerusalem, sed in-
ter eos sedes posuisse. Ex quibus intelligi po-
test, Urbem Jerusalem magnitudine sua utri-
que Tribui communicatam. Quocirca sunt
etiam

---

occurrit reverenti, illum benigne excipit, illi gratias agit de beneficio in totam regionem collato, panem & vinum, profert (in typo scilicet Christi panem, & vinum obtulit, quorum puro simplicique sacrificio mysterium Christianum in Salvatoris Sanguine, & Corpore dedicavit, ut inquit S. Hieron. Epist. 126, cui Patres tum Latini, tum Græci consentiunt; perperam obtrectantibus Lutheranis, & Calvinistis, ut negent oblationem hanc panis, & vini Sacerdotalem fuisse) ac tandem benedictionibus cumulat. Abraham vicissim, ut beneficiis beneficia rependeret, decumas ex manubiis offert Melchisedecho. Quid quæso in hac narratione supra mortalium conditionem elucet? Quænam divinæ majestatis emicant in Melchisedecho testimonia? Unum quæro à Cunæo. Si sub Regis & Sacerdotis specie Christus latitabat, aut Abraham illum cognovit, aut illum non intellexit adesse. Si primum, cur Dominum universorum non est veneratus, qui tres Cœlites videns eos pronus adoravit in terram? Gen XVIII. Sin alterum, cur tanto munere Abraham cumulare, quod illi futurum erat incognitum? Reliquum est igitur non Christum Jesum Melchisedech, sed Christi Jesu Sacerdotii typum fuisse, quod Sacramentum absconsum a seculis S. Paulus, ut dicam haud multo post, manifestavit.

Age vero, quæ contra obtrudit Cunæus, refellantur. Ad primum quod attinet, confundere non debet Cunæus historiam, & ejus mysterium. Historia a Moyse scribitur, mysterium a Paulo enucleatur. Paulus, ut mysterium explicet narrat nobis Mosaica, utitur nominum Melchisedech, & Melech Salem interpretatione, quæ ad mysticam significationem omnino spectabat. Cunæus, ut Christum faciat Melchisedech, historiam eum mysterio confundit, vultque habere eadem ratione nomina *Melchisedech*, & *Melech Salem* apud Moysem, qua sunt apud Paulum. Sed ita hæc nomina sunt apud Moysem, ut nullo pacto a sensu historico possint divelli, & citius Cunæus de manu Herculis, ut adagio fertur, clavam eripiet, quam verba Moysis ad alium sensum traducat. *Melchisedech* instar nominum propriorum unum est nomen: *Melech* vero & *Salem* ita sunt duo, ut nequeant, velis nolis, in unum compingi. Genes. 18. מלכיצדק *Melchisedech* scribitur, nomen compositum plane eadem forma, qua nomen אדניצדק *Adonisedech* Josue X. 1. compositum est, quod aliquot post seculis nomen fuit Regis Jerusalem, & אדניבזק *Adonibezech* Judicum I., nomen proprium illius Regis, cui manuum ac pedum amputatæ fuerunt summitates. מלך vero & שלם ita scribuntur, ut nullum penitus compositionis appareat indicium, imo quum in *Melech* Caph finale ך appingatur, nec ulla nota *Melech* cum *Salem* conjungat, liquido constat *Melech* Regem significare, *Salem* vero illam urbem, cujus Rex erat Melchisedech. Quamquam ubi hæc urbs sita fuerit, Eruditi non conveniunt, quæ tamen dissonantia Cunæo ne minimum quidem suffragatur. Mihi eodem loco videtur Salem collocanda, quo postea fuit Jerusalem, quod ex Psalmi LXXV vers. secundo satis apte poteo confirmari: *Et factus est* בשלם

locus ejus, & habitatio ejus בציון, nam in eo versiculo de locis fit sermo, & in comate altero aliud nomen proprium, idest Sion, respondet. Ceterum S. Hieronymus in Ep. *ad Evangelium* illam alibi collocat; quo fit, ut cum ansitatione seorsim Salem sitam fuisse, ubi postea fuit Jerusalem: *Salem*, inquit Sanctus Doctor, *oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam*. Sed de diverticulo in viam, ad alterum scilicet argumentum Cunæi.

Non *Tu es Sacerdos in æternum* sicut Melchisedech, in Psalmis Cunæe legitur; sed *secundum ordinem Melchisedech*: nec tu ex nugacibus Rabbinorum commentariis, sed ex ipso fonte Scripturas, ut jacent, debes recitare. In Psalmis dicitur על דברתי, quod non *sicut*, vel *quemadmodum* debet exponi; sed *secundum ordinem* debet interpretari: nam דבר non tam *loqui* significat, quam *jubere*, & ab illo דברה non solum *verbum*, sed etiam *jussum*, & ex eo *ordinem* institutum importat. Quare optime reddiderunt LXX. κατὰ τάξιν *secundum ordinem*, quam interpretationem legit, & probavit Apostolus. Si autem *secundum ordinem Melchisedech* est Christus Sacerdos, jam Christus Melchisedech esse non potest, quoniam non cum se ipso, sed cum alio instituitur comparatio. Secundum ordinem Melchisedech est Christus Sacerdos, non secundum ordinem Aaron, in quo, inquit Paulus, *plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere: Christus autem quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium*, Sacerdos instar Melchisedech, cujus Sacerdotium non migravit in posteros, quum ex eo progenies non legatur fluxisse, quæ sicut progenies Aaron, per plures generationes, Sacerdotii dignitatem possederit.

Et quoniam ad S. Pauli doctrinam scribendi ordo processit, ex Ep. ad Heb. illa quatuor explicentur, quæ Cunæus sibi vel maxime putat favere, ibique tandem qualicunque dissertationi sit finis. Et ante omnia advertere debebat Cunæus, a Paulo, ut ostenderet Christi typum fuisse Melchisedech, hanc de illo phrasim adhibitam: *assimilatus est filio Dei*, atque hinc intelligere Melchisedech cum filio Dei confundi non posse; nam typus alius profecto est ab antitypo, nec quisquam sibi ipsi potest assimilari. Deinde facilis rerum intelligentia consequitur, si ea Sacerdotio Melchisedech distinguantur, & quæ Paulus opponit Sacerdotio Levitico, & quæ cum Christi comparat Sacerdotio. Sine patre, matre, & genealogia à Paulo Melchisedech dicitur, non quod iis reapse caruerit, sed quod de illis silet Scriptura. Id opponit Sacerdotio Levi, in quo a Sacerdotio arcebantur, qui genealogiam non habebant Leviticam: & id comparat cum Sacerdotio Christi, qui non ex ordine Aaron factus Sacerdos, Sacerdotium Aaron debebat delere. Neque initium dierum, neque vitæ finem Melchisedech habere dicitur, quum literis proditum non sit, neque quo tempore cœperit esse Sacerdos, neque quo tempore esse desierit. Ordini Levi id Paulus opponit, à quo chronologica Sacerdotum signabatur successio: & id comparat cum Sacer-

A etiam, qui censeant, partem ipsius Templi in Tribu Beujaminis fuisse. Hæ certè duæ Tribus propter vicinitatem, & conjunctionem pro una tantum habitæ sunt; quemadmodum post etiam in divortio Tribuum factum est, cum Judat & Benjamin Roboamum sequutæ unum Judæ nomen adeptæ sunt. David autem spiritu divino instinctus (nam Deus illam sibi, id est, Templo suo, sedem delegerat) ubi primum Regnum adeptus est, Jebusæos Urbe exterminavit, atque ea extructa, murorum ambitum prolatavit: atque sibi arcem in uno colle montis Sinn condidit, quæ Urbem despectaret, ac munitam Civitatem David vocavit: atque eò domicilium suum cum Arca fœderis transtulit; post autem, cum in altero B ejusdem Sionis colle, (103) Moria vocato, condere Templum vellet, non probante Deo, eam gloriam filio Salomoni reliquit, qui Regnum adeptus opus perfecit, atque in ejus præsidium arcem in tertio ejusdem montis colle construxit, teste Josepho V. Belli, & VII. Antiquitatum. Roboamo inde Salomonis filio regnante Sisac Rex Ægyptiorum Urbem

cepit, & thesauros Regios asportavit. Ezechia vero rerum potiente Sennacherib Rex Assyriorum acri obsidione, sed frustra, fatigavit. Inde Nabucdonosor Rex Babyloniorum semel sub Rege Joacim, iterum sub Rege Joachim cepit, ac tertio sub Sedecia receptam evertit, atque unà cum Templo succendit, populumque in Babyloniam captivum abduxit. Populo inde post LXX. annos in Judæam permissu Cyri Persarum Regis reverso, (104) Templum per Zorobabelem, Urbs per Neemiam, Lex per Esdram est restituta, arx quoque in tertio colle non longè à Templo refecta. Mox ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege Urbs direpta, Lex cremata, Templum profanatum est. Neque ita multo post omnibus his per Judam Assamonæum receptis, ac novo opere restitutis, florere opibus Civitas cœpit; donec pravo duorum fratrum Regum, Hircani, & Aristobuli dissidio, Cn. Pompejus dux Romanus bellum in Syria gerens adductus ipsam occupavit, ac (105) Templo pepercit, quam paulo post Antigonus Aristobuli filius Parthorum ope recepit. Antigono vero Herodes Ascalonita

cerdotio Christi, qui æternus Sacerdos quum sit, sibi successorem habere non potest. At sempiternum, inquies, ab Apostolo statuitur Sacerdotium Melchisedech. Ita sane. Æternitas quidem in illo figurate, in Christo autem C reipsa. Eadem ratione est æternum Sacerdotium Melchisedech, qua David regnum in sacris literis æternum asseritur. In Christo æternum est Davidis regnum, non in Davide ipso; in Christo etiam æternum est Sacerdotium Melchisedech, non in ipso Melchisedech. Hinc Melchisedech vivit etiamnum in ejus antitypo, nam Christus postquam surrexit à mortuis vivit advocatus, mediator, & Pontifex noster, duobus Sacerdotis fungens muneribus, quæ sunt preces fundere, & *hostias offerre*.

Christus, ut homo nimirum, semper apud Patrem interpellat pro nobis, semper Patri cum laude, tum gratiarum actione Passionis suæ offert sacrificium in Cœlis, quod incruentum offert de manu Sacerdotum etiam in terris, in quo & principalis offerens, & victima oblatu Christus existit.

D Quæ denique ex S. Pauli doctrina quum ita se habeant, nil mirum si æterni hujus Pontificis Melchisedech gerens figuram, Abrahamo major est, atque præstantior, in eo majorem dignitatem ostendens, quod illum benedixit, decumasque ab eo recepit; per Abraham decumatus etiam à Levi moranti in lumbis paternis eo pacto, quo per concubitum venturus arat in matrem; non autem decumatus à Christo, qui ineffabili Spiritus Sancti virtute de Virgine Matre conceptus, diversa plane ratione erat in illis.

Manum equidem à re non subducam, antequam audaciæ reprehendam Cunæum, qui de Melchisedecho male sutum commentum, & fabulosis narrationibus scatens, quod inter opera S. Athanasii legitur, Sapientissimo Patri voluit asserere, ut, dum in eo numerum ineptiarum absolutum exaggerat, tanti Doctoris auctoritatem imminuat. Verum hoc opusculum S. Athanasii non esse; sed nugacissimi cujusdam Græculi, qui ut apud imperitos fidem aucuparetur, Athanasianum nomen illi præfixit, solum eum potest latere, qui scripta Eruditissimi æque ac Sapientissimi Patris, nec a limine, quod io adagiis est, salutavit. Legatur admonitio PP. Monach. S. Mauri ad hoc Opusc. Tom. II. Oper. S. Athan. pag. 238

(103) הר המוריה *Mons Moria* distingui debet ab ארץ המוריה *regione Moria*, ubi erant plures montes, & in qua Deus dixit se Abrahamo ostensurum montem, ubi filium immolaret. Mons erat non admodum editus ex *Philone de Monarchia*, & magnitudo hujus montis hine seta colligi potest, quod ambitus ejus, & adjectæ turris Autoniæ sex stadiorum fuisse a Josepho dicatur Antiq. l. XV. cap XIV., & de Bello Judaico libro VI cap sexto.

Ceterum Mons Moria המריה *Homoriah*, sive derivetur à radice ירא *metuit*, vel *reveritus est* cum Chaldæo Paraphraste, qui in Targum *terram divini cultus* exposuit; sive à radice ראה *vidit* cum Volgato Interprete, qui *terram visionis* Latine restituit; etymon vocis *Hamoriah* non caret mysterio. Etenim in illo monte, tum veri Dei cultus obtinuit, quoad cærimoniæ Veteris Fœderis debebant persistere, tum pluribus signis se Deus præsentem Judæo populo ostendit, & se videndum præbuit Christus filius Dei, qui quotidie, ut in Evangelio legitur, erat in Templo.

Imo gravissimi Scriptores asseruere, hunc montem, in quo Templum sequentibus seculis à Salomone fuit excitatum, Abrahæ a Deo monstratum fuisse, quum illum tentavit, ut super D unum montium regionis Moria filium Isaac mactaret. Geneseos XXII 2. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade* אל ארץ המריה: in terram Hamoriah, legit Hebræos, Latinus Interpres, *in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi*. Hinc mirari subit, quam sapienter in Veteri Lege omnia à Deo fuerunt ordinata. Isaac patris deliciæ, in monte Moria oblatus in sacrificium, Christi Jesu, ut Christiani omnes fatemur, manifestus extitit typus: Christus deliciæ Æterni Patris, in quo sibi bene complacuit, damnatus est in Templo a Sacerdotibus; in eodem scilicet loco, ubi Abraham jubente Deo filium suum debebat offerre.

E (104) Ob promotam à Zorobabele secundi Templi constructionem, illi promissum fuisse Messiam ex semine ejus nasciturum, sentiunt sacrarum literarum Interpretes ex cap. II Aggæi v. ultimo: *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.*

(105) Præter Josephum Antiq. L. 14. c. 8. hujus rei meminit etiam Cicero pro L. Flacco: *At Cn. Pompejus, captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, ut multa alia, sapienter. In tam suspiciosa, ac maledica civitate, locum sermonis obtrectatorum non reliquit: non enim credo religionem & Judæorum, & hostium impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse.*

nita Rex à Romanis declaratus, C. Sosio Syriæ Proconsule opem ferente, ademit, ac tandiu posteritas ejus tenuit, quoad in potestatem Judæorum beneficio Romanorum reversa defecit. Quo tempore à Tito Cæsare Vespasiani Imp. filio rursus io ditionem adducta, & cum Templo solo æquata, atque combusta est. Ad

A extremum Christiana jam fide ascita, per Hadrianum, (106) sed sine Templo, refecta, ab eo (107) Ælia est nominata.

Atque hæc quidem sunt, quæ in universum de Rep. Hebræorum præponenda censuimus, ut his fundamentis jactis deinceps expeditius ad reliqua pergeremus.

(106) Quum è regione Templi Hierosolymitani à Tito jam eversi, Templum Jovis extruxisset Hadrianus, & Judæos insuper prohibuisset circumcidi; isti ab Imperatore defecerunt, B fuitque perduellionis princeps Barchocheba, qui juxta nominis interpretationem בר כוכבא *filius stellæ* vocabatur, dicebatque se esse stellam Jacob, de qua Baalam vaticinatus erat. Huic adhæsit R. AKibha, quem viginti quatuor millia discipulorum audiebant. Posuit in Urbe Bitera sedem regiam Barchocheba, de quo AKibha vociferans: *hic*, ait, *est Rex ille Messias*. Sed factio ab Hadriano oppressa fuit cæsis L. Judæorum millibus, ac mandatum ne cui Hebræo Jerusalem liceret introire. Unde qui antea dicebatur: בר כוכבא *filius stellæ*, pseudo-Christus inventus בר כוזיבא *Bar cozeba*, *filius mendacii* cœpit appellari ex Judæorum more, qui ubi res contra quam vellent, contingunt, nomen rebus, vel personis solent mutare.

(107) Quamquam antiquum nomen Jerusalem Geographi retinuerint; in vulgari tamen sermone ita nomen Æliæ obtinuit, ut vetus nomen per recentius fuerit pene deletum, traditumque oblivioni. Narrat Eusebius de Martyrib. Palæstinæ cap. XI. Judicem Cæsareæ in Palæstina habitantem, quum quidam de patria rogati, se ortos in urbe Jerusalem dicerent, ignorantem, de qua urbe loquerentur, interrogavisse aliquoties, ubinam ea urbs sita esset, sibique persuasisse illam esse urbem in Oriente, quam Christiani contra Romanos, uti arcem, munirent.

Explicit Liber Primus.

CA.

CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM
LIBER SECUNDUS,

Qui de Locis Sacris inſcribitur.

CAPUT PRIMUM.

De Religione.

EXpoſita propoſitæ Reip. forma, ſane ſequitur, ut partes ejus eo, quo inſtituimus, ordine perſequamur. Quoniam autem Reſp. Hebræorum religioſa & civili vita, ut diximus, continetur, præcipue illud agemus, ut primum de Religione, deinde de Civitate loquamur. In hac vero diviſione conſtituenda verba ipſa Legis ſectabimur, cujus hæ, ut dixi, partes fuere; Mandata, Præcepta, Juſtificationes, & Judicia: quorum Mandata & Præcepta ferme ad Religionem pertinuerunt, Juſtificationes vero & Judicia ad Civitatem. Quoniam vero Religio, id eſt, Dei colendi ratio in Lege præſcripta, & ſæpe poſt repetita, in quatuor item partes fuit diviſa, in loca ſacra, dies ſacros, ritus ſacros, & perſonas ſacras (ſiquidem Deus certis ſe in locis coli voluit, & certis diebus præcipuum ſibi honorem haberi, ac certis ritibus, & à certis perſonis) propterea illud quoque curabimus, ut deinceps ſigillatim de his omnibus diſſeramus.

CAP. II.

De Locis Sacris.

LOca ergo ſacra, id eſt, terreſtria ipſa ſanctitatis domicilia, multa fuerunt. A principio enim Deus Tabernaculum, atque in eo Sanctum Sanctorum, Arcam, & Altaria ſibi inſtituit, deinde pro Tabernaculo Templum in Urbe Hieroſolymorum conſtrui voluit. Interim vero paſſus eſt etiam ſibi ſacrificari extra Tabernaculum & Templum in collibus ſub opacis arboribus, quæ illi Excelſa dixerunt. Poſt autem injuſſu Dei Templa alia duo, unum in Samaria, alterum in Ægypto, ſunt condita. Quin etiam & in Urbe Jeruſalem, & in provinciis quædam conventicula inſtituta ſunt, quas Synagogas vocarunt: quæ poſtea, deletis Templis, ſolæ remanſerunt. Quæ cum ita ſint, ſatis apparet, ſi huic parti ſatiſfacere cumulate velimus, neceſſe eſſe, ut hæc ſingula declaremus. Quamobrem à Tabernaculo exordiamur.

CAP. III.

De Tabernaculo, Sancto Sanctorum, Arca fœderis, Altaribus, & ornamentis eorum.

CÆterum (1) Tabernaculum, quod etiam Sanctuarium dictum eſt, fuit hujuſmodi. Ædificium erat inſtar Templi ex lignis confectum, quod per partes compingi, ac diſſolvi, ac quòcunque deferri potuit; in quo locus erat ſanctior velo diſtinctus, Sanctuarium Sanctuarii, ac (2) Sancta Sanctorum appellatus; ibi vero (3) Arca Fœderis ſervabatur: quæ operculum habebat, (4) Propitiatorium & Ora-

(1) *In caſtris Iſraëlitarum ſub Moyſe duo fuerunt Tabernacula, Conventus, & Teſtimonii. Tabernaculum conventus Exodi XXX. 13. dicitur* אהל מועד *quod ad publica negotia peragenda eò populus conveniret: Tabernaculum vero teſtimonii Numerorum XVIII. 2. dicitur* אהל עדות *quod tabulas legis, in quibus Deus de ſua voluntate teſtatus erat, Tabernaculum contineret, ibique ſua oracula pronuntiaret; eratque locus divino cultui, cærimoniis, & ſacrificiis deſtinatus. Hæ igitur cauſſæ fuerunt, cur à Moyſe extructum fuit Tabernaculum teſtimonii; non vero, ut nugantur Magiſtri, Moyſes illud conſtruxit, ut* שכינה *ScheKina ejus ætate in aëre volitans, & requiem pedi ſuo non inveniens ſuper terram, in intima Tabernaculi parte habitaret, neque deinceps cogeretur, ut hoſpes de loco in locum ſemper migrare.*

(2) *Penetrale, ſeu aditus intimus Tabernaculi, ubi ſuper Arca inter Cherubinos erat Thronus Dei, ex quo oracula fundebantur, Sancta Sanctorum dicebatur, diſtinctumque erat a Sancto quodam velo, quod Apoſtolus ad Heb. IX. 3. vocavit* τὸ δεύτερον καταπέτασμα*: ſecundum velamentum. Velum autem conſtabat ex byſſo, hyacintho, purpura, & coccino, inſpeſſis opere Phrygio floribus, & Cherubinis.*

(3) ארון ברית *Arca fœderis, cujus longitudo fuiſſe dicitur duorum cubitorum & ſemiſſis, latitudo vero & altitudo cubitus, & ſemi, conſtabat ex lignis Setim, auroque obducta erat, ſupra habens coronam auream circumquaque, & ad utrumque latus duos annulos, per quos duo vectes traducebantur ad eam deportandam. Quatuor, ut Judæis placet, è Sacerdotibus Arcam geſtabant humero, ita oblique incedentes, ut facie ad faciem oppoſiti, numquam terga verterent Arcæ, hujus ritus neque ſacris literis, neque vetuſto aliquo Auctore quidpiam innuente. Summa religione illa colebatur ob divinæ majeſtatis præſentiam, nec Deus ſinebat populum illam propius, & curioſius intueri: & patet quanti ſteterit Bethſamitis eam denudatam adſpexiſſe Reg. I. 6., atque Ozæ eam tetigiſſe Reg. II. 6.*

(4) *A* כפר*, quod verbum tum obtegere, tum expiare ſignificat, eſt* כפרת *Propitiatorium.*

& Oraculum appellatum, duobus (5) Cherubin alas super extendentibus insignitum; extra velum autem erat (6) mensa cum XII. panibus sacris, qui dicebantur Propositionis; præterea (7) candelabrum (8) cum lucernis septem, & labrum aureum; extra vero Tabernaculum (9) cum labro æneo, (10) Altare æneum Holocausti, ac præterea (11) atrium, & tentorium. Hæc vero omnia Deus Moysi facienda præscripsit, cum esset in monte Sinai, XX. Exodi his verbis: *Facite mihi* SANCTUARIUM, *& habitabo in medio vestri, juxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud*. Inde sic orditur de ARCA dicere, & ornamentis ejus: ARCAM (12) *de lignis Setim compingite, & deaurabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesque supra coronam auream per circuitum, & quatuor annulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos; duo circuli sint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque* VECTES *de lignis Setim, & operies eos auro, inducesque per circulos, qui sunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, ponesque in Arca testificationem, quam dabo tibi. Facies &* PROPITIATORIUM *de auro mundissimo; duo quoque* CHERUBIN *aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero; utrunque latus Propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes Oraculum, respicientesque se mutuo ver-*

sic

quod utramque exprimeret significationem, & obtegendi, quum Arcæ esset operculum, & expiandi, quum super illud Deus majestatis suæ solium collocasset. Hinc LXX. utramqua verbi כפר significationem conjunxere, ubi appellant Propitiatorium ἱλαςήριον ἐπίθεμα.

(5) De forma, qua prædití erant Cherubini à Beseleele fabreíacti, variant Scriptorum sententiæ. Philo lib. 5. de Vita Mosis, imagines volucrum illos fuisse non dubitat asserere. Josephus etiam Antiq. l. III. c. 6. illos fuisse scribit animantia volucria nova specie, nec unquam cuiquam mortalium visa, præter Moysem, qui illa in solio Dei conspexit figurata. Libro tamen VIII. cap 2. affirmat, neminem conjicere posse, aut eloqui quanam specie Cherubicæ effigies extiterint. Sentiunt alii Cherubin imaginem Leonis exhibuisse, alii juvenum humanam formam, alii buculam; nec desunt, qui formam illis tribuunt mixtam, atque compositam ex humana, leonina, aquilina, & bucula; ut humana conspiceretur in ore, & manibus; leonina in cervice, armis, & pectore jubatis; aquilina in alis; & bucula in ungulis bifidis. Judæi, quibus incognita sunt explorata, utriusque sciunt sexus maris, & feminæ Cherubos fuisse.

Si vero nominis כרוב originem & significationem scrutemur, certe non minor est inter Eruditos varietas. Philo Cherubim *cognitionem* & *scientiam* dicit significare, à quo non dissentit S. Hieronymus, qui a multitudine scientiæ Cherubinos scripsit appellatos. Qui in hanc eunt sententiam, aut כרוב esse putant à verbo נכר *cognoscere*, & רב *multitudo*; aut censent כ notam esse similitudinis, ceteras vero consonantes eandem originem habere ac vocem *Rabbi*, ut per illas significentur Cherubi sapientes, sicut Rabbini, *Doctores*, scilicet, vel *Magistri*. Alii à radice כרב, quæ licet apud Hebræos est inusitata; in lingua tamen Chaldaica, & Syriaca *arare* significat, Cherubos derivant, quod quum bubus proprium existat, buculam inde formam inducunt Cherubinis. Alii denique à radice quadrata כרבל, quæ *tangere*, vel *velare* significat, Cherubos repetunt; & proinde hac voce denotant eorum officium, qui alis Arcam tegebant, ut habetur Exodi XXV. 20.

(6) Exodi XXV 23. a Moyse hæc mensa describitur, latitudinis unius cubiti, altitudinis unius, & semi, longitudinis vero duorum cubitorum. Illi imponebantur quolibet die Sabbathi panes sacri dicti לחם הפנים *panes facierum*, vel *propositionis*, quod in conspectu Dei ponerentur, erantque numero duodecim pro numero duodecim Tribuum, quas repræsentabant.

(7) Errat Josephus Antiquitatum libro III. capite septimo, dum Candelabrum Tabernaculi conflatum scribit ex auro fusili, aperte sacris literis testantibus illud ex auro מקשה *solido* fuisse: atque adeo opus maxime pretiosum erat candelabrum.

(8) Hæ solutæ erant à Candelabro, ut tolli possent, tum ad oleum olivæ infundendum, tum ad eas purgandas à Sacerdotibus, quum nigredinem à fumo contrahebant.

(9) Hujus descriptio habetur apud Moysem Exodi XXX. 18.; Ejus materia collecta fuit ex speculis mulierum turmatim confluentium ad portam tentorii conventus. Ex lævigato enim ære, ut & chalybe, fiebant nitidissima specula, quæ vitrea imitabantur, illorumque apud Veteres usus erat, tum ad faciei munditiam promovendam, tum ad fovendam vanitatem mulierum. In hoc labro Sacerdotes manus & pedes lavabant, tanta necessitate lotionis illis imposita, ut ea neglecta pœnam mortis subirent: unde nobis licet intelligere, quanta conscientiæ puritas requiratur in Sacris obeundis, quum etiam corporis sordes essent abstergendæ.

(10) Item in Exodi capite XXVII. Altare æneum describitur, ad cujus decus refertur, quod ignis cœlitus in id delapsus perpetuo arderet magna Sacerdotum diligentia nutritus.

(11) Unius tantum atrii meminit Moyses Exodi capite XXVII., licet deinde quum Arca in Silo fuit collocata, additum fuerit atrium commune populi. Fuit autem atrium locus quadrangularis centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis, qui ab omni parte cortinis byssinis cingebatur. Sed quæres, unde Judæis tanta opum vis esse potuit, ut tam pretiosum excitare potuerint Tabernaculum? Respondeo primo ex propriis divitiis in Ægypto comparatis: secundo ex auro Ægyptiorum, quando abierunt, collectum: tertio tandem ex spoliis hostium, qui in mari Rubro demersi sunt.

(12) S. Hieronymus in Commentário in Joël, quid sint ligna שטים ita explicat: *Nulli dubium est, omnia quæ in Tabernaculo Dei legimus, de lignis Setim fuisse perfecta, quæ LXX. interpretati sunt ligna imputribilia. Est autem genus arboris in eremo, spinæ albæ simile colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur, & incredibilis levitatis ac pulchritudinis, ita ut ex his etiam vasa torcularium, quæ* ἄρσενας, *&* θηλύκας *vocant, ditissimi quique, & studiosissimi faciant: quæ ligna in locis cultis, & in Romano solo, absque Arabiæ solitudine, non inveniuntur*. Et libro secundo in Michæam Prophetam capite VI. asserit, etiam sua ætate hasce arbores in eremo Montis Sina repertas fuisse. Ex hac autem descriptione lignorum Settim, videtur S. Doctor, dum illa scriberet, ante oculos *Acaciam* habuisse, quæ sola arbor teste Bellonio Obser. l. 2. cap. 56. & 80. in Arabiæ desertis invenitur.

sit vultibus in Propitiatorium, quo operienda est Arca, in qua pones Testimonium, quod dabo tibi. Quibus dictis, inde pergit loqui de mensa, & instrumentis ejus: *Facies & MENSAM de lignis Setim, & inaurabis eam auro purissimo. Faciesque illi* LABRUM *aureum per circuitum, & ipsi labro* CORONAM *interrasilem, atque super illam, alteram coronam aureolam. Parabis quoque* ACETABULA, *&* PHIALAS, THURIBULA, *&* CYATHOS, *in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. Et pones super mensam* PANES PROPOSITIONIS *in conspectu meo semper. Facies &* CANDELABRUM *ductile de auro purissimo, hastile ejus, calamos, scyphos & sphærulas, ac lilia ex ipso pendentia. Facies &* LUCERNAS *septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.* EMUNCTORIA *quoque, & ubi, quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant auro purissimo.* His demonstratis inde TABERNACULUM de lignis Setim fieri præcepit, atque in eo partem unam sanctiorem, quam Sanctum Sanctorum vocavit: & Tabernaculi ipsius formam, magnitudinem, ornatumque ostendit. Quæ, quia longa oratione texuntur, recitare supersedebimus, locum indicasse contenti. Quo sermone absoluto, ita de Velo & Propitiatorio subdit: *Facies* (13) VELUM *de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta; inseretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam Testimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuarium dividentur. Pones &* PROPITIATORIUM *super Arcam Testimonii in Sancto Sanctorum, mensamque extra velum, & contra mensam candelabrum in latere Tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte Aquilonari.* Inde de Tentorio, Altari Holocausti, & Atrio loquitur ita: *Facies &* TENTORIUM *in introitu Tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta. Facies &* ALTARE *de lignis Setim, & operies illud ære, faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula; omnia vasa ex ære, craticulamque in modum retis æneam. Facies &* ATRIUM *Tabernaculi cum columnis viginti.* Postremo de Altari thymiamatis, labro æneo, oleo sacro, & thymiamate sic concludit: *Præcipe filiis Israel, ut offerant tibi* (14) OLEUM *de arboribus olivarum purissimum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo Testimonii extra velum, quod oppansum est Testimonio. Facies quoque* ALTARE *ad adolendum thymiama de lignis Setim, vestiesque illud auro purissimo, ponesque Altare contra velum, quod ante Arcam pendet Testimonii, coram Propitiatorio, quo tegitur Testimonium. Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans. Facies &* LABRUM *æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter Tabernaculum Testimonii, & Altare. Sume tibi aromata myrrhæ, cinnamomi, calami, casiæ, olei, faciesque* (15) *unctionis* OLEUM *sanctum, & unges ex eo Tabernaculum Testimonii, & Arcam Testamenti, & mensam cum basibus suis, & omnia sanctificabis. Sume quoque aromata, stacten, onycha, & galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, faciesque* (16) THYMIAMA, *& pones coram Tabernaculo Testimonii, quo in loco apparebo tibi.* Hæc in Exodo à capite XXV. usque ad XXX. ita præcipiuntur. Sacrificia inde omnia ad Altare Holocausti ad ostium Tabernaculi facienda mandavit Levitici XVII. *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Homo de domo Israël, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum, sive victimam, & ad ostium Tabernaculi non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.* Hæc autem omnia subinde (17) perfecta sunt

(13) Velum hoc maxime pretiosum tum materia, tum textura, tum coloribus, quatuor digitis crassum fuisse, Rabbini dicunt, ne per illud quisquam posset introspicere: Sed quum lux minime peraderet Sanctuarium, frustra ita densum velum asseritur: oculorum enim acies illuc penetrare non poterat, licet simplici velo locus esset obductus.

(14) Oleo primo, quod sponte sua fluit, antequam prælo, aut mola subacta sit olea, ardebant septem lucernæ candelabri. Quod enim mola expressum est, amurca abundat, & fæcibus. Et Columella lib. XII. cap. 50. *longe*, loquit, *melioris saporis est, quod minore vi præli, quasi lixivium defluxerit*.

(15) Hoc oleo, quod in proprium usum vel convertere, vel componere audebat nemo, non solum instrumenta Tabernaculi, & suppellex, sed Aaron etiam, & filii ejus inuncti fuerunt. Eodem etiam Reges Juda fuisse consecratos usque ad Josiæ regnum aliqui scribunt; hoc tamen discrimine: dum Pontifices consecrabantur, oleo Χ *Chi* Græcum ter in eorum fronte signabatur: dum Reges, figura diadematis unctione exprimebatur. Sacerdotes vero non ungebantur, quod totus ordo Sacerdotum in Aarone fuerit consecratus, super cujus caput effusum fuit à Moyse tantum olei in die consecrationis suæ, ut non solum comu & barba illius maduerit, sed defluxerit etiam ad superiorem illius vestis hiatum, quo collum inseritur, ut Theodoretus scribit, quem non pauci sequuntur.

(16) Quamquam ex quatuor odoramentis Moyses constare jussit Thymiama, stacte, onyche, galbano, & thure; videtur tamen Josephi ætate ex tredecim diversis aromatibus Thymiama compositum fuisse, quum libro VI. de Bello Jud. c. 6. ita scripserit: *Altare incensi* διὰ τῶν τρις καὶ δεκα θυμιαμάτων *per tredecim thymiamata, quibus replebatur ex mari, ex inhospito, & habitabili, designabat omnia Dei esse, Deoque servire.* Nempe ex omni loco, terra marique, Judæi curabant odores afferri in usum Templi Jerusalem.

(17) Spencerus ex Gentium, & præcipue Ægyptiorum cultis, religiosos Hebræorum ritus prope universos à Moyse desumtos fuisse arbitratus est, pluribus in medium productis, quo profanam ejus sententiam stabiliret. Sed Tabernaculi constructionem (non enim vacat singula in examen vocare) omniumque ad illud spectantium, ex Ethnicorum sacris non derivasse, hæc, quæ brevi subjicio, ipsa luce clarius ostendunt. Primo Præceptum Dei Exodi XV. 40 *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Si enim juxta montis exemplar Tabernaculum erat construendum, jam consequitur, illud non juxta Ægyptiorum thensas constructum fuisse. Thensæ autem erant vehicula, in quibus Deorum imagines portabantur, vel ut eos honore colerent, vel ut eos comites viarum & periculorum haberent. Secundo Beseleel & Ooliab artifices Tabernaculi impleti dicuntur spiritu Dei, sapientia item & intelligentia, & scientia in omni opere, ut facerent Tabernaculum, & Arcam, Propitiatorium, & cuncta vasa. Exodi capite XXXI. Eccur tam inaudita sapientia Deus cumulavit artifices, si ideo operis, tanta quanta erat, non fuisset divino; sed in Ægypti thensarum similitudinem conformata? Tertio Tabernaculum manufactum typus fuit cœlestis illius Tabernaculi,

sunt à Moyse, Israëlitis cuncta, quæ jussa erant, summo studio conferentibus, capite XXXVII. & XXXVIII. in quibus de Altari aureo & æneo, nempe thymiamatis & holocausti, præcipue sic scriptum est: *Fecit & Altare Thymiamatis de lignis Setim, vestivitque illud auro purissimo. Fecit & Altare Holocausti de lignis Setim, operuitque illud laminis æneis; & in usus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, & ignium receptacula: craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & subter eam in Altaris medio arulam fusis quatuor annulis per totidem reticuli summitates ad immittendos vectes ad portandum, quos & ipsos fecit de lignis Setim, & operuit laminis æneis, induxitque in circulos, qui in lateribus Altaris eminebant. Ipsum autem Altare non erat solidum, sed cavum ex tabulatis, & intus vacuum.* Inde capite XL. sic concludit: *Fecit Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Quippe mense primo anni secundi, prima die mensis collocatum est Tabernaculum, erexitque Moyses illud, & posuit tabulas, & bases, & vectes, statuitque columnas, & expandit tectum super Tabernaculum, imposito desuper operimento. Posuit & Testimonium in Arca subditis infra vectibus, & Oraculum desuper; cumque intulisset Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum. Posuit & mensam in Tabernaculo Testimonii ad plagam Septentrionalem extra velum, ordinatis coram Propositionis panibus. Posuit & candelabrum in Tabernaculo Testimonii è regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis. Posuit & Altare aureum sub tecto Testimonii contra velum, & adolevit super eo incensum aromatum. Posuit & Tentorium in introitu Testimonii, & Altare Holocausti, offerens in eo Holocaustum & Sacrificia. Labrum quoque statuit inter Tabernaculum Testimonii, & Altare, implens illud aqua. Laveruntque Moyses, & Aaron, & filii ejus manus suas, & pedes, cum ingrederentur tectum Fœderis, & accederent Altare. Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi & Altaris, ducto in introitu ejus tentorio.* Quod autem scriptum est, Moysem posuisse Testimonium in Arca, declarat magis Deuteronomii X. inquiens: *Reversusque de monte descendi, & posui tabulas in Arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut præcepit mihi Dominus.* Præter hæc fuit etiam IGNIS perpetuus à Deo cœlitus ad incendenda Holocausta demissus, de quo loquitur Levitici VI. & nos infra loco idoneo differemus: *Ignis in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito Holocausto desuper adolebit adipes Pacificorum.* Ceterum Tabernaculum Testimonii, & Arca Fœderis, sive Testimonii, sive Testamenti, dicta sunt, quod in iis Tabulæ Legis asservarentur, in quibus continebatur Testimonium, Testamentum, Pactum, & Fœdus, quod percussisset cum eis Deus, ex quo Fœdere populus Deo cultum exhibere, & Deus populum in tutelam acceptum tueri præcipua cura debebat. Nam XIX. Exodi dixit Deus: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis;* & Levitici XXVI. *Si in præceptis meis ambulaveritis, ponam Tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.*

Hæc de Tabernaculo, Arca, Mensa, Altaribus, & ceteris scripta reperiuntur in Lege: repetuntur vero etiam à S. Paulo IX. ad Hebræos: *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta; post velamentum autem secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea* (18) *habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium.* Declarat inde, ut hoc Tabernaculum terrenum & manufactum typus fuerit Tabernaculi cœlestis, & non manufacti, quod introivit Christus, qui novi Testamenti fuit mediator. Nam & Legem Christi postea quoque Testamentum vocarunt, quod in eo ipse testatus sit, se bona cœlestia & perpetua Legis suæ cultoribus præbiturum. Declarantur etiam à Sancto Hieronymo Epistola CXXVIII. *Legimus in Exodo tabernaculum, mensam, candelabrum, altare, columnasque, tentoria, coccum, byssum, hyacinthum, purpuram, ex auro, argento, ære vasa diversa, tabernaculum divisum in tria, duodecim panes per singulas hebdomadas mensæ imposita, in candelabro septem lucernas, altare hostiis holocaustisque expositum, crateras, scyphos, thuribula, phialas, mortariola, paxillos, pelles rubras, pilos caprarum, & ligna imputribilia. Tanta & talia offeruntur in Tabernaculo Dei, ut nullus de-*

spe-

culi, quod Christus novi Testamenti Mediator introivit per proprium sanguinem, ut constat ex nono capite Ep. S. Pauli ad Hebr. Quomodo autem doctrinæ, & pietati conforme esse potest, profanam originem rei tam altum mysterium significanti tribuere? Si vero diceris quoidam ex SS. Patribus, & præsertim Chrysostomum Hom. 6. in Matth. non solum Judaicorum rituum, sed Aræ etiam, & Templi originem ab Ægyptiis derivasse: *Judæi*, reponet eruditissimus P. Lamy de Taber. l. 3. sect. 4., *efferebant se ob gloriam Tabernaculi, & Templi; hos ut reprimerent Sancti Patres, utriusque originem ad Gentilium templa referebant.*

(18) Tertia Regum VIII. 9. dicitur: *in Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb*: quæ verba quum videantur pugnare cum iis, quæ Sanctus Paulus in laudata Epistola affirmat, alii aliter hæc loca conciliant. Estio in suo Commentario placet illorum sententia, qui urnam & virgam extra Arcam collocant quidem, sed tamen ita prope, ut illa dici potuerint ab Apostolo in Arca extitisse. More enim Scripturæ quippiam in loco esse dicitur, si vel insit in ipso loco, vel si in loco contiguo reperiatur. Exempla, quæ profert Estius sunt sequentia. Dominus dicit de Rechabitis ad Jeremiam XXXV. *Et introduces eos in domum Domini in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Sic & Johannes cap. X. *Et ambulabat Jesus in Templo, in porticu Salomonis*: quum tamen neque exedræ, neque porticus essent partes Templi, sed structuræ foris adjunctæ. Nec secus accipiendum, quod apud omnes Evangelistas legitur, eos qui erant ementes & vendentes in Templo fuisse à Christo inde ejectos. Nam illa negotiatio in porticibus Templi fiebat. Simile & illud Lucæ IX. *Et dicebant* (Moyses & Elias) *excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Et capite XIII. *Non capit prophetam perire extra Jerusalem.* Nam Christus, de quo utrumque dictum est, non intra Hierosolymam urbem occisus est, sed prope eam in monte Calvariæ. Quod satis erat, ut excessum in Jerusalem completurus, & non extra Jerusalem periturus diceretur. Hactenus Estius.

spiret salutem; alius aurum sensuum, alius argentum eloquii, alius vocem æris exhibet. Totus mundus in Tabernaculi describitur sacramento; primum & secundum vestibulum omnibus patet. Aqua enim & terra cunctis mortalibus data sunt. In Sanctis vero Sanctorum, quasi ad æthera, & in Cælum paucorum introitus & volatus est. Duodecim panes duodecim mensium significant circulum, septem lucernæ septem errantia astra demonstrant. Hæc isti. Refero me ad historiam.

Hoc igitur, de quo dixi, Tabernaculum, quod ita constitutum erat, ut quemadmodum scriptum est quarto Numerorum, dissolvi in partes, & rursus compingi, ac quòcunque liberet, perinde atque Arca, deferri posset; delatum est in terram Chananæam à Deo promissam, tum eum populus Josuë duce Jordanem exsiccatum trajecit, Sacerdotibus & Levitis hæc ipsa suis humeris perferentibus, atque in castris, quæ (19) in Galgalis sita fuerant, posita sunt: quo eodem tempore Urbis Hierichuntis Levitis Arcam circum muros ferentibus, mœnia prociderunt. Josuë IV. & V. Inde victoriâ partâ utraque perlata sunt in Silo oppidum Tribus Effraim, unde erat dux Josuë; sic enim octavo decimo est proditum: *Congregati sunt omnes filii Israël in Silo, ibique fixerunt Tabernaculum Testimonii*. Itaque post ad ostium Tabernaculi ibi positi (20) sortitio atque divisio terræ perfecta est; sic enim capite proximo: *Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar Sacerdos, & Josuë, & Principes familiarum ac Tribuum filiorum Israël, in Silo coram Domino ad ostium Tabernaculi Testimonii*. Hoc autem facto, domus Dei, & Sedes Religionis in Silo est collocata; siquidem eò post (21) ter in anno sacrificiorum caussa convenire instituerunt, ut in locum, quem sibi Deus propterea delegisset, prout in Lege mandatum erat, Exodi XXXIV. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israël. Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno*. Atque ita per omne imperium Judicum manente Arca in Silo, eo quoque Religionis caussa populi conventus est factus. Itaque XVIII. in Interregno, quod fuit inter Sampsonem, & Heli, scriptum est: *Mansit apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo*; & XX. *Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo*; & sequenti: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo*; & paulo post: (22) *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria*. Mox autem, cum Heli Pontifex Judicatum administraret in Israël, & bellum cum Philistæis parum prospere gereretur, placuit ad perterrefaciendos hostes (23) Arcam ipsam ex Silo in castra contra hostes adducere; prœlio vero infelicissime edito, Arca in hostium potestatem concessit, & filii Heli ceciderunt, quo nuncio accepto Heli jam

(19) Galgalis locus celebris fuit ad Occidentalem plagam Jordanis, & Orientalem Jerichuntis. Hic duodecim lapides è Jordane desumti in editiore loco positi sunt, ut miraculi, quod in fluminis transitu patratum erat, posteritati monumentum existeret. Hic præterea Israëlitæ trajecto amne castrametati sunt, renovata ibidem Circumcisione, à qua quadraginta annos itineris per desertum cessaverant. Ex verbis, quæ Deus peracta circumcisione pronunciavit, nomen *Galgala* loco factum est. *Hodie*, inquit Deus, גלותי *abstuli* (ad literam revolvi) *opprobrium Ægypti à vobis*. Josuë V. 9. Hoc est, novo Circumcisionis fœdere Israëlem devinctum, & in promissæ terræ possessionem inductum, Deus illum constituit dominum Chanaan, qui jam Ægyptiorum fuerat servus: *Vocatumque*, sequitur Sacer textus, *est nomen loci illius* גלגל Ghilgal *Galgala*. Hanc vocem Josephus Antiquit. lib. V. c. 1. minus vere *libertatem* vertit, quæ ad grammaticæ regulas *revolutionem* significat. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ de his ita inquit: *Intuita est*, idest Paula, *castra Galgala, & acervum præputiorum, & secundæ Circumcisionis mysterium, & duodecim lapides, qui de Jordanis illuc translati alveo, duodecim Apostolorum fundamenta firmaverant*.

(20) Quamquam Jacob ante annos ducentum quinquaginta, & Moyses in suo Cantico satis aperte prædixissent, quæ pars terræ Chanaan cuique Tribui esset obventura: apud avaros tamen & querulos homines, difficultatibus eorum verba non carebant. Hinc ut tolleretur de medio quidquid rixarum, & odii occasio esse poterat, præcepit Deus, ut per sortes promissa terra divideretur. Per sortes divisio facta: eaque terræ pars singulis Tribubus obtigit, quam Jacob & Moyses olim prædixerant; liquido per eas comprobatis, tum cœlesti afflatu Jacob & Moysis, tum jussu Dei sortes illas moderantis. Quare novum Israëlitis argumentum datum fuit, & veritatis eorum religionis, & paternæ Dei providentiæ erga ipsos. Qua vero ratione divisio sortibus commissa fuerit, res est incerta, de illa silentibus sacris literis: unde Judæorum ariolationes, quæ utremque paginam facere possent, me piget referre.

(21) Tria tempora, quibus Judæi in annos singulos adire debebant Jerusalem, statuuntur Deuter. XVI. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum*. Nempe ad Templum debebant se conferre, qui unus locus erat post varias Tabernaculi sedes sacrificiis designatus in typum unius Christi Mediatoris.

(22) Ex integro versiculo decimonono Judic. XXI., ubi Silo sita fuerit in Tribu Ephraim, licet intelligere. Dicitur enim ibi: *Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad Septentrionalem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit in Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona*. A Sichem, seu Neapoli duodecim milliaribus Silo distare scripsit Eusebius, decem vero S. Hieronymus, cujus ætate qualis hæc Urbs fuerit testatur in Comment. ad Sophon. I. *Vix ruinarum parva vestigia in magnis quondam urbibus cernimus. Silo tabernaculum & Arca Domini fuit: vix Altaris fundamenta monstrantur*.

(23) In conspectu Arcæ pugnas fuisse à Judæis feliciter gestas, vel muri Jerichuntis, Arca circumeunte, solo æquati, documento esse poterant. Ut igitur contra Philisthæos pugnantibus præsens Arca opem ferret, in castra illam adducunt; sed inani prorsus consilio: Arcæ enim contemptores Arca Deus privavit, eandemque Philisthæorum potestati concessit. Quæ tamen res mysterio non caruit: fuit nempe symbolum fidei à Judæis ad Gentes aliquando transferendæ. Ceterum morem in castra deferendi sacra constat apud plures nationes obtinuisse. Ægyptii figuras animalium, quæ venerabantur, in tabulis pictas deferebant, reputabantque primos in bello duces. *Diodor. Sicul. Bibl. l. II. c. 4.* Persæ ignem, quem sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebant in prœlio. *Q. Curt. l. III.* Indi in primo agmine Herculis idolum collocabant. *Idem l. VIII.* Romani belli insignia honore prosequebantur, veluti numina. *Dionys. Halic. l. VI.* Germani effigies & signa quædam detracta lucis in prœlium deferebant. *Tacit. de morib. Germ.* Sed de his satis.

jam ætate confectus mortuus corruit: ut refertur quarto primi Regum: *Afferamus ad nos*, inquiunt, *de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin*. Inde addit: *Et commisso prælio Arca Dei capta est; duo quoque filii Heli mortui sunt*. His actis Arca à Philistæis in oppidum suum (24) Azotum delata est, & (25) in Templo Dagon constituta, quo facto simulacrum ipsum (26) Dagon ad terram decidit, & Azotiorum populus magna à Deo plaga percussus mori cœpit. Quare ex Azoto ad Gethæos translata est. Verum & ipsis ea de re pestilentia pereuntibus, ad Accaronenses traducta fuit; quibus etiam intereuntibus, placitum est post septem menses Arcam ad Israelitas remittere, atque ita novo plaustro imposita duabus vaccis devehenda commissa est. Vaccæ autem vitulorum, quos domi reliquerant, prorsus oblitæ, nullo impellente rectâ euntes ultro usque ad fines Philistæorum, & Judæ pervenerunt: ibique à Judæis Bethsamitis 10 holocaustum Deo oblatæ sunt; pereuntes autem & ipsi Bethsamitæ, eo quod Arcam Domini conspexissent, miserunt nuncios Cariathiarim, cives ejus rogantes, ut Arcam reciperent, qui profecti eam ad se

A adduxerunt, & domum Aminadab in Gabaa oppidum Benjamin intulerunt, & Eleazarum filium ejus sanctificarunt, ut custodiret eam; V. VI. & VII. primi Regum. Inde Tabernaculum sine Arca, regnante Saule, delatum fuit in oppidum Nobe, Tribus Benjamin, ubi erat Achimelec Pontifex; XXI. primi Regum. Post autem ætate Davidis delatum fuit in Gabaon oppidum quoque Benjamin: ut primo secundi Paralipom. *Tabernaculum fœderis Domini erat Gabaon, quod fecit Moyses in solitudine*; & XVI. primi: *David constituit Sadoc Sacerdotem, & fratres ejus Sacerdotes coram Tabernaculo Domini in Excelso, quod erat in Gabaon, ut offerrent holocausta Domino super Altare holocautomatis jugiter mane & vespere juxta omnia, quæ scripta sunt in Lege Domini, quam præcepit Israeli*; & XXI. *Tabernaculum Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & Altare holocaustorum erat ea tempestate in Gabaon*. David inde Rex Arcam extulit è domo Aminadab, ut in Jerusalem, sive in Sion civitatem suam adduceret, verum ubi (27) vidit Ozan, qui illam inter vehendum inclinantem sustinere conatus fuerat, repentina morte correptum, ea re perculsus, reposuit eam in ædibus Obed Edom Getthæi; postquam autem audivit, Deum benedixisse Obed, & omnia bona ejus, post tres menses novo Tabernaculo facto

---

(24) Azotus Hebr. אשדוד Urbs sita ad oram maris Mediterranei, quæ licet spectaverit ad sortem Juda, diu tamen a Philisthæis fuit possessa. Hujus urbis præter sacras literas in libris Ethnicorum quoque fit mentio. De illa hæc Herodotus libro II. c. 157., quæ ad Urbis celebritatem ostendendam, vel maxime faciunt: *Psammetichus in Ægypto regnavit annos LIV., e quibus per annos novem & viginti magnam Syriæ urbem obsedit, quam tandem expugnavit. Hæc est Azotus, quæ diutissime inter urbes omnes, quas novimus, obsidionem sustinuit*. Meminerunt hujus Urbis etiam Strabo, & Ptolemæus.

(25) Philisthæi non eo animo Arcam in Dagonis Templum intulerunt, ut ipsa veluti captiva, atque ex hostium spoliis, ipsorum numini esset honori: sed plane volentes illam honorare, quæ eisdem timorem non levem incusserat, in Templo collocarunt, super eadem ara, in qua Dagon colebatur. Ethnici enim manubias, vel Templorum valvis figebant: *Virg. Æneid. VII.*

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures.

vel suspendebant è tholo, idest è mediæ testudinis loco. Idem *Æneid. IX.*

Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Qui mos in Palæstina haud fuit ignotus; nam David in Tabernaculo obtulit gladium, quem de ense Goliath secum tulerat.

(26) Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euseb. præp. lib. I. cap. 7. Dagonem dicit fuisse unum ex Cœli filiis frumenti inventorem atque aratri, qui ideo dictus est Jupiter Aratrius, Græce Σίτων *frumentarius*, Dagon vero Hebraice à דגן *frumentum* appellatus. Sanchoniathoni auctori tam vetusto, qui circa belli Trojani tempora, Phœnicum Gentis suæ scripsit historiam haustam, partim ex urbium annalibus, partim è libris in Templo asservatis, plane fides habenda foret: nisi opus suppositionis suspectum merito esset. Fraude enim Porphyrii Christianis, si quis alius, maxime infensi libellus fabulis scatens procusus putatur, ut ostenderet sacros Scriptores, quorum auctoritatem conabatur labefactare, omnia è Phœnicum Theologia desumsisse. Hinc apud Eruditos ea sententia magis obtinet, qua Dagonem simulacrum facit superiora mulieris habens, inferiora piscis Nereidum instar & Sirenum, de quibus *Hor. in Arte Poet.*

Desinat in piscem mulier formosa superne.

Philisthæi enim accolæ maris piscationi dabant operam, Dagon quasi præsidem piscium venerantes. Etenim Syros & Palæstinos coluisse pisces, quasi Deos, testatur Xenophon de Exped. Cyri I. p. & Cic. de Nat. Deorum c. 3. Imo Dagon idem fuisse putatur ac Derceto, sive Atergatis, quæ ex אדיר & דג *magnificum*, sive *potentem piscem* significat. Unde hæc Dea Syria Venus existit, quæ dicitur nata è mari, & in piscem a Poetis fingitur transformata. Manil. Astron. IV.

Scilicet in piscem se se Cytherea novavit,
Quum Babylonicas summersa profugit in undas,
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inseruitque suos squamosis piscibus ignes.

Quapropter Syri piscium esu abstinebant, ducebantque nefas, Ovidio teste Fast. II.

- - - - Gens hoc imponere mensæ,
Ne violent timidi piscibus ora, Syri.

Timidi videlicet, quod fortasse crederent piscibus vescentium membra ulceribus scatere, ac demum tabe consumi.

(27) Si Josepho Antiqu. VII. 4. fidem habemus, scelus ab Oza perpetratum, ob quod manifesta Dei animadversione statim occubuit, ausus fuit Arcam attingendi, quum de numero Sacerdotum non esset, quorum erat ipsam tractare: *Bubus*, inquit, *exorbitantibus plaustrum, & Arca inclinata, Oza, quum non esset Sacerdos, ausus manum sustentandi causa admovere, in vestigio expiravit; & loco nomen reliquit, qui inde usque nunc Ozæ percussio vocatur*. Postquam enim Judæi terram Chanaan fuerunt ingressi honor Arcæ gestandæ videtur Sacerdotibus tantum reservatus fuisse. Ita factum fuit in transitu Jordanis; ita circum muros Jerichuntis; ita etiam in castra Israelitarum sub Heli. Plures alias caussas valde probabiles subitæ mortis Ozæ assignant Interpretes, quos non pigebit consuluisse.

facto adduxit eam ex ædibus ejus in civitatem suam cum ingenti omnium gratulatione, & plausu; & posuit in loco suo in medio Tabernaculi, quod ipse ei tetendit. Atque ita Tabernaculum, quod fecerat Moyses, mansit in Gabaon tempore Salomonis; sic enim scriptum est secundo primi Paralipomenon: *Salomon abiit in Excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses. Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum, quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc est, in Jerusalem.* Neque hujus Tabernaculi veteris post alia memoria in sacris literis usurpatur. Salomon inde perfecto Templo, ac Sanctuario constituto, Arcam cum Tabernaculo Davidis ex Civitate David eò trajecit, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo illo; siquidem scriptum est tertio Regum, & primo Paralipomenon: *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubin. Siquidem Cherubin expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant Arcam, & vectes ejus desuper. In Arca vero non erat aliud, nisi Tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, cum egrederentur de terra Ægypti.* Fuit inde Arca cum Tabernaculo Davidis in Templo, quoad Templum à Babyloniis est incensum, in qua rerum confusione IGNIS perpetuus holocaustorum una cum Tabernaculo, & Arca, & Altari incensi abscondita sunt. Res narratur à Judæis Hierosolymitanis in Epistola missa ad Ægyptios, Maccabæorum secundo: (28) *Cum in Persidem* (inquiunt) *ducerentur patres nostri, Sacerdotes acceptum ignem de Altari occulte absconderunt in valle, ubi erat* (29) *puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus esset ignotus locus;* & post: *Eodem tempore Hieremias Propheta jussit Tabernaculum, & Arcam divino responso ad se facto comitari secum usquequo exiit* (30) *in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem: & veniens ibi Hieremias invenit locum Speluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, & accesserunt quidam qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Hieremias, culpans illos dixit, quod ignotus erit locus,* (31) *donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur.* Reversi inde in patriam Judæi Templum quidem secundum ædificarunt, sed neque Ignem, neque Arcam, neque Tabernaculum invenerunt. De Igne scriptum est in Epistola Judæorum hoc modo: *Cum præteriissent anni multi, & placuit Deo, ut mitteretur Neemias, qui Sacerdotes nepotes illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, &, sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam: & jussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant, jussit asperge aqua ipsa, & ligna, & quæ erant superposita. Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus ita, ut omnes mirarentur. Consumto autem sacrificio, ex residua aqua Neemias jussit lapides majores perfundi. Quod ut factum est, ut ex eis flamma accensa est, sed & ex lumine quod refulsit ab Altari, consumta est.* Talmudici vero asserunt, (32) neque Arcam, neque Tabernaculum inventa esse, verum pro iis in Sanctuario lapidem positum esse tres digitos è terra eminentem, ac supra thuribulum habentem. Reliqua vero vetera Tabernaculi ornamenta, Altaria, Mensæ, instrumenta refecta, ut res tulit, usque ad extrema Templi tempora remanserunt.

CAP.

(28) Judæi, quum sub Regibus Persis viverent, Persidem appellare didicerant regiones omnes, quæ sunt trans Euphratem. Ceterum Judæi translati sunt in Chaldæam, ut constat.

(29) Ad hanc usque diem ostenditur puteus iste in valle Tophat ad radices montis Olivarum versus Meridiem. Puteus mediocris modo est altitudinis, magnamque habet vim aquæ, coopertus parvo quodam ædificio in aulæ speciem. Vide Doubdan. cap. 15 p. 118.

(30) Mons, in cujus aliquo antro Jeremias abscondit Tabernaculum, Arcam, & Altare incensi, fuit Nebo, mons supra Jordanem contra Jerichuntem in terra Moab, quo Moyses ascendit terram promissam visurus, & in quo ex hac vita migravit.

(31) Adimpletum hoc oraculum Jeremiæ sentit Sanctus Ambrosius l. III. cap. 18. in adventu, & Passione Christi Servatoris nostri: *Congregationem, inquit, populi tenemus, propitiationem Dei nostri agnoscimus, quam propitiator in sua operatus est passione. Arbitror quod nec ignem istum possimus ignorare, quum legerimus, quia baptizat Dominus Jesus in Spiritu Sancto, & igne.* Christus enim moriturus erat, ut testatur S. Johannes XI. *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Non desunt tamen Scriptores, qui hoc oraculum de Arca abscondita nondum adimpletum opinantur, putantque in novissimis diebus illam esse manifestandam, quando Deus per Enoch & Eliam Judæos ad Christum conversos in unam Ecclesiam cum Gentibus congregabit.

(32) Sub Nehemia, & Dario Hystaspe Arcam, Tabernaculum, & Altare incensi non reperta fuisse, atque adeo fuisse desiderata in secundo Templo, hæc sunt, quæ confirmant. Primo. Silentium harum rerum in libris Esdræ, & Macchabæorum, in quibus non una dabatur occasio de his sermonem habendi. II. Congregatio populi, quæ integre facta non fuit sub Nehemia; quandoquidem plures ex Regno Juda Babylone manserunt, plurimi vero ex Regno Israel in alias terras fuerunt dispersi. III. Quum in Sanctum Sanctorum Pompejus ingressus est, quid ibidem viderit, numerat Josephus Antiq. XIV. 8.; de Arca vero penitus silet. Et Tacitus Historiarum libro quinto, postquam dixit, Pompejum ingressum fuisse Templum jure victoriæ, subdit: *inde vulgatum, nulla intus Deûm effigie, vacuam sedem, & inania arcana.* IV. In descriptione triumphi Vespasiani, & Titi delata quidem in eo leguntur mensa aurea, & septiforme candelabrum apud Josephum de Bello lib. VIII. c. 5. novæ editionis (non autem Arca) ac tandem Lex Judæorum gestata fuit spoliorum novissime. V. Communior SS. Patrum Latinorum, Græcorumque sententia, qui Arcam in secundo Templo scripserunt defuisse. VI. Tandem satis constans Judæorum traditio, quæ secundum Templum quinque refertur caruisse, quæ reperiebantur in primo: Arca nempe, igni cælesti, Urim & Thummim, Spiritu Sancto, & Oleo Sancto. Si autem a Magistris quæras cur quinque res, & neque plures, neque pauciores, in secundo Templo defuerint: respondebit Magistrorum nomine Abarbanel, id significatum esse in verbo ואכבד *Veecabdà*, quod Aggæi cap. primo vers. 8. scribitur pro ואכבדה *& glorificabor*, in fonte ה deficiente, quæ litera verbis futuri temporis per paragogen addi solet; & numerice sumpta quinque significat: *I nunc, & verbis virtutem illude superbis.*

CAP. IV.

De Excelsis.

TAbernaculo exposito (33) Excelsa sequuntur. Hi vero (34) colles alti fuerunt, in quibus (35) contra Legem Dei, sed tamen patiente Deo, sub frondosis arboribus sacrificarunt. Ac primum quidem Deuteronomii XII. Deus ea prohibuit his verbis: *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite, disperdite omnia nomina eorum de locis illis, non facietis ita Domino Deo vestro.* Deinde vero Judicum tempore ad ea sacrificari permisit. Hoc vero primus fecit Gedeon sub quercu, sexto Judicum: *Tulit*, inquit, *omnia sub quercu, & obtulit Deo.* De hoc vero instituto sic S. Augustinus in librum Judicum: *Deus consuetudinem populi sui, qua præter ejus Tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius, quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Inde ea consuetudo ad tempora Regum pervenit, nondum condito Templo; ut nono primi Regum regnante Saule: *Hodie venit in Civitatem, quia sacrificium est hodie populo in Excelsum*; & secundo primi Paralipom. *Salomon abiit (36) in Excelsum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyses in solitudine*; & tertio tertii Regum: *Attamen populus immolabat in Excelsis: non enim ædificatum erat Templum nomini Domini usque in diem illum. Dilexit autem Salomon Dominum, excepto, quod in Excelsis immolabat, & accendebat thymiama, abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi, illud quippe erat Excelsum maximum.* Templo inde constructo non tamen Excelsa deleruerunt. Nam Hieroboam Rex Israël defectione à Deo facta fana in Excelsis fecit: atque exemplo ejus reliqui Reges Israël Deos alienos in Excelsis coluerunt; unde scriptum est septimo decimo quarti Regum: *Ædificaverunt sibi Excelsa in cunctis Urbibus suis, feceruntque statuas & lucos in omni colle sublimi subter omne lignum nemorosum, & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas sustulerat Dominus à facie eorum.* Quare Deus permisit Osee Regem cum omni populo à Salmanassare Rege Assyriorum captivum in Assyriam duci, Regnumque eorum deleri. Eodem vero modo neque Roboam Rex Judææ priscam Dei religionem integram conservavit; siquidem eo permittente Judæi *ædificaverunt sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam.* Neque ea posteri ejus Reges Asa, aut Josaphat, licet pietate præstantes, sustulerunt; siquidem scriptum est XII. tertii Regum: *Fecit Josaphat rectum quod erat in conspectu Domini, (37) verumtamen Excelsa non abstulit; adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in Excelsis.* Inde Amasias, Azarias, & Achaz Reges pariter Excelsa servarunt; nam de Achaz legitur: *Immolabat victimas, & adolebat incensum in Excelsis, & in collibus sub omni ligno frondoso.* Hæc deinde Ezechias Rex dissipavit ille quidem, sed filius ejus Manasses restituit, de quo ita proditum est: *Ædificavit Excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus, & erexit aras Baal, & fecit lucos, sicut fecerat Achab Rex Israël.* Tandem Josias subsequutus omnem ejusmodi Excelsorum consuetudinem abolevit; sic enim de illo refertur secundi Paralipom. vigesimo quarto: *Mundavit Judam & Jerusalem ab Excelsis, & lucis, simulachrisque, & sculptilibus*; & vigesimo tertio quarti Regum: *Delevit*

(33) Excelsa Hebraice במות loca erant in montibus & collibus sita, in quibus ab humanis negotiis sevocatus animus, & quasi cœlo propior, Deum majore religione colere poterat.

(34) Nedum Judæis collium cacumina arridebant, ut in illis sacrificia peragerent, quod ex pluribus Scripturæ locis exploratum est: sed Ethnici etiam, ut in nemoribus obscuris, ita in montibus & collibus, idolis suis soliti erant litare. Persæ in editis quibusque montibus Jovi hostias immolabant, neque statuas, neque aras erigentes; sed solum in excelsis locis sacrificantes, ut referunt Herodotus, & Xenophon. Ad Græcos quod attinet, nil notius, quam eorum βωμὸς in montibus, & collibus sitos fuisse. Tandem apud Romanos plura in montibus Templa fuerunt constructa, Junonis & Minervæ in Aventino, Apollinis in Palatino, Jovis Feretrii in Capitolino &c., & in monte Albano Templum erat Jovis Latialis Ethnicorum religione maxime celebre. Lucanus libro primo Phars.

Et residens celsa Latialis Juppiter Alba.

(35) Ajunt Rabbini, dum Tabernaculum esset in Galgala, licita fuisse excelsa, quod Israël nondum domi esset, sed bellis distentus incertas adhuc sedes servaret. At Tabernaculo in Silo collocato, Excelsa fuisse vetita. Verum illo inde translato, separataque ab eo Arca, rursus Excelsa fuisse permissa; & quidem usque ad Templum Salomonis, quo tempore Excelsorum permissio penitus decidit. Hæc Magistri. Alii vero triplex genus apud Judæos statuunt Excelsorum: Quædam idolis consecrata, quæ semper fuerunt prohibita. Alia quæ vero Deo erant Sacra, & in quibus illi immolabant, sed contra Legis præceptum Deuter. XII. 4, quæ sacrificia alibi, quam in Tabernaculo fieri prohibebat. Alia denique illa erant, in quibus si non ex Lege, saltem ex privilegio sacrificabatur; sic Elias in Carmelo sacrificavit Reg I. 18. 32., & etiam Samuel in Ramatha; Deo ita dispensante, ne divinus cultus interiret. Ceterum cur cultum sui Nominis uni tantum loco Deus addixerit, hæ sunt caussæ: prima, ut unitatem religionis ea re magis assereret: secunda, ut Rempublicam Hebræorum magis sociaret: tertia demum, ut unitate loci salutare Christi unius sacrificium significaret.

(36) Ætate Salomonis Excelsum Gabaon summo confluentium Judæorum studio colebatur: vel quod jam Arcæ præsentia, & sacrificiis ibi Domino oblatis, permanentem illud adeptum fuisset Sanctitatem paterent: vel quod Excelsi Gabaon altitudo, lucorumque umbra atque silentium, peculiarem illis videretur religionem afflare. Ibi erat Altare vetus holocaustorum ab ipso Moyse extructum, quod David ab eo loco noluit movere, quum Arcam fœderis Jerusalem transtulit: Ibi etiam victimas eucharisticas immolavisset, postquam à Domino erroris veniam ob populi censum exoratus fuit, si illi licuisset per valetudinem. I. Paralip. XXI. 30.

(37) In Paralipomenon tamen capitibus XVII. 6. & X. 3. dicitur Josaphat Excelsa, & lucos de Juda abstulisse: quæ antilogia ita potest conciliari, ut Josaphat abstulerit Excelsa idolis dicata, in quibus infanda agebantur, non autem Sacra Deo Israël; quorum primum asseritur in Paralipomenis; alterum vero in libris Regum. Certum est unum Ezechia, & Josia imperantibus Excelsa adhuc superfuisse, & Josaphat præterea ab Auctore Ecclesiastici inter Principes religione irreprehensibiles non numeratur.

levit aruspices, quos posuerant Reges Juda ad sacrificandum in Excelsis per Civitates Juda, (38) *& contaminavit Excelsa, ubi sacrificabant Sacerdotes de Gabaa usque Bersabee; verumtamen non ascendebant Sacerdotes Excelsorum ad Altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant Azyma in medio fratrum suorum. Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem, quæ ædificaverat Salomon Rex idolis, polluit. Insuper & Altare, quod erat in Bethel, & Excelsum, quod fecerat Hieroboam, & Altare illud Excelsum destruxit, atque combussit, succenditque etiam lucum; insuper omnia fana Excelsorum, quæ erant in Civitatibus Samariæ, quæ fecerant Reges Israël ad irritandum Dominum, abstulit*. Itaque S. Augustinus de Josia loquens, sic dixit: *Notantur Reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt Excelsa, ubi contra Legem Dei populus sacrificare consueverat: & qui destruxit, majore prædicatione laudatur*. Atque hic quidem (*) Excelsorum exitus fuit.

CAP. V.

De Templo Hierosolymitano.

(39) POst Tabernaculum, Templum constructum est. Hoc vero sibi ut fieret, à principio Deus præmonuit, Deuteronomii XII. *Non sacrificabitis Domino Deo vestro super excelsos colles, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis Tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo: venietis, & offeretis in illo loco holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum*; & post: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus in una Tribuum tuarum, offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi*. David inde Rex, antequam regnum filio Salomoni permitteret, hostibus omnibus circumquaque devictis, & pace toto imperio parta, de Templo demum Deo ædificando consilium cepit, idque cum Nathan Propheta communicavit, turpe esse asserens, se in domo cedrina habitare, Arcam vero Dei (40) in medio pellium positam esse. Quod consilium cum Nathan approbasset, tamen reversus ad eum mandato Dei monuit, ne faceret: nam id decus esse à Deo Salomoni illius filio reservatum. Verba vero David sunt XXVIII. primi Paralipomenon. *Audite me fratres mei: Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri, & ad ædificandum omnia præparavi. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo*, (41) *eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis; sed elegit Dominus Deus Israël*

(38) Josias non solum edixit Excelsa omnia polluta esse, sed etiam re ipsa polluit, quo populum ab eorum cultu facilius revocaret. Omne enim immundum, quod in convalle Cedron reperiebatur (eo projiciebantur sordes, quæ de Templo vel Urbe verrebantur) in Excelsa transferri jussit; & insuper mortuorum ossibus ea loca replevit, quibus nulla re magis loca pollui, in quæ inferebantur, Judæis erat omnino persuasum. Ut funestum aliquid & impurum Ethnici etiam reputabant hominum cadavera; unde Virgilius Æneid. VI.

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici;
Heu nescis; totamque incestat funere classem.

Ex Veterum enim lectione plane constat reputasse Græcos Latinosque in funeribus contrahi impuritatem, inquinarique tangentes cadavera. Cujus persuasionis rationem ita difficile est invenire, ut numquam ipsi Ethnici caussam potuerint assignare, cur tactus mortuorum corporum pollueret Sacerdotes, quando nullum fertae sacrum sine animalium morte ipsi perficerent. Vide Jamblichum, & Porphyrium libro II. de Abstin.

(*) Annotatione tricesimaquinta ad hunc librum adduximus Rabbinorum sententiam de Excelsis modo vetitis, modo concessis. Fuisse scilicet illa permissa, dum Tabernaculum fuit in Galgala; prohibita vero, dum in Silo permansit. Evecto inde Tabernaculo, & Arca ab eo separata, denuo permissa ad Templum usque Salomonis, quod Excelsorum usum perpetuo abolevit. Nunc pro coronide hujus capitis, juxta eorumdem sententiam ponamus sub oculos legentium diversas mansiones tum Tabernaculi, tum Arcæ, per annos CCCCLXXIX., qui effluxerunt ab exitu Israelitarum ex Ægypto, vel à constructo Tabernaculo à Moyse, usque ad conditum Templum à Salomone.

CHRONOLOGIA
Mansionum Tabernaculi, & Arcæ.

TABERNACULUM fuit in solitudine annos	39.
In Galgala septem annis, quibus occupata, & totidem annis, quibus distributa fuit terra Chanaan	14.
In Nob	13.
In Gabaon	44.
In Silo reliquis annis intermediis	369.
Summa	479.

ARCA autem fuit in solitudine annos	39.
In Galgala; licet inde educta Jerichuntem, & ad montem Ebal	14.
In Silo; sed inde ad tempus educta Sichem *Josuë* XXIV. 1. Bethel *Judicum* XX. 27. Maspha *Judicum* XX. 1. & septem mensibus ultimis in terras Philisthæorum. *I. Regum* VI. 1.	369.
In Cariathiarim, & æde à Davide parata in Sion reliquos annos	57.
Summa	479.

(39) Sicut Moyses juxta formam in monte Sinai à Deo illi præmonstratam ex asseribus Tabernaculum testimonii construxit: ita Salomon ad Tabernaculi exemplar ex quadrato saxo Templum ædificavit. Aliud enim non fuit Tabernaculum, quam portatile Templum, sola ætate, qua Israel peregrinaretur, usui futurum: at ubi fixas & quietas habuit sedes, tunc stabile Templum fuit excitandum. Imitatum vero fuisse Salomonem Tabernaculi formam in Sapientiæ capite nono ipse testatur: *Dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo, & in Civitate habitationis tuæ Altare, similitudinem Tabernaculi Sancti tui, quod præparasti ab initio*.

(40) Pellibus nempe arietum rubricatis, pellibusque janthinis, Hebraice תחשים Tabernaculum tegebatur. Non exprimit autem vox תחשים nomen cujusdam animalis, quod sola ætate Moysis, ut Hebræi volunt, reperiebatur: sed colorem: quandoquidem veteres Scripturæ Interpretes quotquot fuerunt LXX., Aquila, Symmachus, Theodotion pro colore reddiderunt: videturque color תחש esse cæruleos nigricans, quem hyginum Latini vocant. Vide Bochart. in Hierozoico p. p. lib 3. cap. 30.

(41) Deus non permisit Davidi, ut Templum ædificaret, quod humano sanguine, quamquam hostili, se polluit. Non dissimili religione videntur obstricti fuisse etiam Ethnici, quum Æneas Anchisi dicat apud Virg.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates!
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas.

Israël me de universa domo patris mei, ut essem Rex supra Israël in sempiternum; & post: *Salomon filius tuus ædificabit domum meam; ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem*; & septimo secundi Regum: *Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? neque enim mansi in domo, ex quo eduxi Israël de terra Ægypti usque ad diem hanc, sed fui semper mutans loca Tabernaculi, & in tentorio manens cum omni Israël*. Item: *Cum autem completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te, & firmabo regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo*. Inde David, ut (42) à pestilentia liberaretur, emit aream in monte Sion, nomine Moria, ab Areuna Jebusæo ex monitu Prophetæ Gad, atque ibi Altare extruxit, & obtulit Holocausta, & Pacifica, & Deum propitiavit. Post autem comparatis omnibus ad Templum ædificandum impensis ante mortem Salomoni filio accito dixit: *Fili mi, voluntas mea fuit, ut ædificarem domum nomini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me; filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc caussam Pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus ejus; ipse ædificabit domum nomini meo. Nunc ergo, fili mi, ædifica domum Domino tuo*. Præcepit quoque cunctis Principibus Israël, ut adjuvarent eum, quem Regem constituit. Hæc ferme tertio Regum, & primo Paralip. Salomon inde anno regni sui quarto Templum inchoavit (43) in monte Moria, id est, in altero colle montis Sion, qui demonstratus fuerat patri ejus in loco, quem paraverat in area Areunæ Jebusæi; consummavit autem opus (44) spatio septem annorum. Forma, amplitudo, & magnificentia, qua omnia ædificia superavit, refertur utroque in libro multis verbis, quæ propter longitudinem huc transferre non videtur operæpretium. Additur inde, postquam de Templi constructione peroratum est, de ornamentis & instrumentis ejus, qualia Tabernaculi fuerunt, libro III. Regum, cap. VII. hoc modo: *Præterea fecit Salomon (45) Oraculum in medio domus in interiore parte, ut poneret ibi Arcam fœderis* Do-

(42) Inter tria supplicia, quæ Deus per Gad Prophetam minatus erat Davidi ob censum populi ab ille habitum curiosa quadam cupiditate cognoscendi vires suas, pestis, quæ triduo grassaretur, electa fuit. Verum ea desæviente misertus Dominus super afflictione, antequam triduum compleretur, dixit Angelo percutienti populum; *sufficit*. Visus enim fuit Angelus stricto gladio inter Cœlum, & Terram juxta aream Areunæ (qui etiam Ornan, & à Josepho Ὀρόννα dicitur) Jebusæi sitam in monte Moria, quo in loco David constituit Altare Domino, & ibidem Salomon Templum ædificavit.

(43) Quamquam mons Moria à jugo Sionis quadam valle secerneretur; tamquam pars tamen Sionis habitus fuit, cui ponte, & xysto erat conjunctus. Sion enim in duo culmina, depressius unum, & est Moria; excelsius alterum, & est Sion proprie dictus, attollitur. Hinc fit, ut licet Templum monti Moriæ incubuerit; illud tamen in sacris literis Sioni sæpius tribuitur, diciturque Deum *elegisse Sion, habitare in Sion* &c.

(44) Aliquando solet in sacris literis numerus fractus negligi, rotundo, ut ajunt, numero solum computato. Ita constat hoc loco factum fuisse. Septem enim annis cum dimidio Templum absolutum fuit; tot namque fluxerunt è secundo mense anni quarti regni Salomonis ad octavum mensem anni undecimi regni ejusdem. Quamquam vero septem annis sex menses addendi sunt; non est tamen, cur mirari non debeamus summam celeritatem in ædificio tantæ molis, quantæ fuit Templum Salomonis. Pyramidem, quam excitari jussit Cheops Ægypti Rex ex Arabicis lapidibus, centum hominum millia ex Herodoto lib. II. perfecerunt, ex Diodoro autem Siculo lib. I. Myriades triginta sex, hoc est hominum millia trecentum sexaginta, cui numero sex millia Plinius addit lib. XXXVI. cap. 12. Idque viginti annorum spatio, priore decennio saxis advectis, posteriore Pyramide absoluta. Templum Dianæ Ephesiæ, opus inter septem orbis miracula reputatum, ducentum viginti annis factum à tota Asia narrat Plinius eodem libro cap. 14, quod tamen magnitudine æque ac splendore à Templo Salomonis vincebatur. Notandum tamen, antea materiam omnem Templi perfectam, & comportatam fuisse Jerusalem, solumque in imponendis partibus septennio laboratum fuisse.

(45) Locus erat sacratior atque penitior in Templo, ubi Arca fœderis posita fuit, quo ingredi præter Summum Sacerdotem poterat nemo. Ea pars dicta fuit à Salomone דביר, quam vocem Latinus Interpres *Oraculum* apposite reddidit; nam ibidem Deus promebat oracula suis Pontificibus, qui illum consulebant. Templum enim in tres præcipuas partes dividebatur, ad quas nonnullis videtur spectare trina illa exclamatio apud Jeremiam VII. 4.

היכל יהוה היכל יהוה היכל יהוה

Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. I. In Oraculum, sive Sanctum Sanctorum, Hebraice, ut modo dictum est דביר, quod nomen Græca Versio non interpretatur, sed retinet characteribus Græcis δαβείρ. II. In Sanctum Hebraice היכל quod *regiam*, sive *palatium* significat, Græcis ὁ ναός *Templum*. III. In atria, & subdialia Templi loca, Hebraice חצר *gramen*; Græce τὸ ἱερὸν *sacrum*, ita dicta, quod ad Templum pertinerent.

Haice vero tres partes Templi oportet animadvertere, quum non raro in Latina interpretatione, librorum præsertim novi Testamenti, harum quælibet per nomen *Templi* reddatur, quæ tamen in Græco fonte per propria nomina distinguuntur. Sit exempli caussa. Sanctus Lucas cap. II. 37. dicit Annam prophetissam non discessisse è Templo; sic Græce scripsit ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Vox Latina *Templum* ambiguitatem patitur, non item Græca τὸ ἱερὸν. Mulieres enim admittebantur intra atrium conveniens earum conditioni εἰς τὸ ἱερὸν, non vero in Sanctum, idest in Templum stricte sumptum εἰς τὸν ναὸν. A Sacro igitur non discedebat Anna. Ejecit Christus Dominus ementes & vendentes de Templo. De tertia parte Templi Christus eos ejecit, Græce enim est ἱερὸν, non ναός: quum nullus mercator ausus fuisset merces in Sanctum inferre, in quod nec Sacerdotes intrabant, nisi ad aliquod religiosum munus obeundum. Christus dicitur sermonem habuisse in Templo; Græce τὸ ἱερὸν. In Sacro igitur morabatur Christus docens, non in Sancto, è cujus ingressu interdicebatur, qui secundum ordinem Aaron non erat Sacerdos. Sed de his legatur eruditissimus P. Lamy, qui pluribus hoc argumentum persequitur lib. V. Sect. 3.

Domini, fecit etiam porticum ante Templum, & omnia Vasa, Altare aureum, & Mensam super quam ponerentur panes Propositionis auream, & candelabra aurea quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram contra Oraculum ex auro puro, & quasi lilii flores, & lucernas desuper aureas, & forcipes aureos, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo. Et cardines ostiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & ostiorum domus Templi ex auro erant, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum, & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini. Item secundi Paralip. tertio & quarto: *Fecit domum Sancti Sanctorum, & in ea Cherubin duos: & velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso, & intexuit ei Cherubin: & Altare æneum, & mare fusile, conchas decem, candelabra aurea decem, mensas decem, phialas aureas centum, omnia vasa domus Dei, & Altare aureum, & Mensas, & super eas panes Propositionis, candelabra cum lucernis suis, thymiateria, & thuribula, & phialas, & mortariola* (46) *ex auro purissimo.* His actis inde narratur, ut Tabernaculum Davidis cum Arca Moysis in Sanctum Sanctorum Templi magna cum pompa translata sunt. Sic enim in Regum III. capite VIII. *Venerunt inde cuncti senes de Israel, & tulerunt Arcam Sacerdotes, & portaverunt Arcam Domini de Civitate David, id est de Sion, & Tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo, & intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubin. Siquidem Cherubin expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant Arcam, & vectes ejus desuper. In Arca vero non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.* Quibus rebus perfectis Rex populo benedixit, & preces ad Deum super Templum fudit: quæ propter longitudinem omittuntur, ac facto sacrificio Templum dedicavit, *ac medium atrii sanctificavit, quod erat ante Templum. Quippe fecit Holocaustum ibi, & Sacrificium, & adipem Pacificorum, quoniam Altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat Holocaustum, & Sacrificium, & adipem Pacificorum. Inde apparuit ei Dominus dicens: Exaudivi orationem tuam. Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia, quæ præcepi tibi, ponam regnum tuum regni Israel in sempiternum. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, sed colueritis deos alienos, auferam Israël de superficie, terræ quam dedi, & Templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo.* Adjicitur etiam illud, Salomonem inde ter quotannis obtulisse Holocausta & Pacificas victimas super Altare, quod ædificaverat Domino, & adolevisse thymiamata coram Domino; significat autem Pascha, Pentecosten, & Tabernacula, ut post docebimus.

Mortuo Salomone Hieroboam filius Nabat ex Tribu Effraim, traductis ad se decem Tribubus, Regnum contra Roboam filium ejus invasit, quod Israël appellavit, & ne populus suus desiderio Templi Hierosolymitani captus à se aliquando deficeret, ipse à Deo defecit, cunctoque populo ab avita Dei religione ad idolorum cultum averso, duos vitulos, ut duodecimo tertii Regum narratur, consecravit, unum in Bethel, alterum in Dan, atque Altare ibi erexit. Quem sequuti reliqui deinceps Reges Israël certatim in eadem impietate manserunt. Quare Deus permisit Osee Regem captivum cum omni populo à Salmanassare Rege Assyriorum abduci.

Eadem ratione Reges Judæ Templum non omni, qua decuit, sanctitate habuerunt. Quin etiam (47) Athalia, sive Gotholia Regina, studio

(46) Hic quæri potest, unde nam tanta vis auri, quam ad Templum contulit Salomon? Ex Ophir potissimum illam advectam fuisse, certa est responsio ex Scripturis. At ubi terrarum fuerit Ophir, quæstio est ita varie à multis vexata, ut regio Ophir sit incertissima. Inter bene multas Eruditorum sententias, quæ magis obtinent, sunt sequentes.

Prima est illorum, qui Ophireticam regionem in Africæ plaga Meridionali, vel Occidentali requirunt; in quam ivit in Dissert. de navigat. Sal. doctissimus Huetius, classem Salomonis, trajecto capite Guadarfuy, per Africanas oras ad Zanguebar deducens: sed putat præterea duo maria Mediterraneum & Erythræum tunc quodam canali juncta fuisse, ut naves ultro citroque mearent. De quo canali si apud Veteres aperte constaret, facili negotio locus II. Paralip. VIII. 18. explicaretur, ubi Hiram Rex Tyri navigia, nautasque misisse dicitur ad Elath in Erythræo, ut Salomoni inservirent.

Altera sententia est Clar. Patris Calmet asserentis in Dissert. in regionem Ophir, illam requirendam esse circa Mediam, Armeniam, & Assyriam non longe à fontibus Euphratis, & Tigridis. Classis igitur Salomonæa juxta Calmet solvens ex Asiongaber portu in mari Rubro, Arabiæ litora usque ad Mechæ, sive Babelmandel abradebat; inde in sinum Persicum succedens per Euphratem, vel Tigrim adverso amne ferebatur. Urbs est ad Tigrim nomine Opis quondam celebre emporium, ubi commoda erant commercia cum Assyriæ, Mesopotamiæ, & Armeniæ populis. Ibi classis advectas è Judæa merces cum auro Ophir commutabat.

Tertia sententia est Hadriani Relandi in Dissert. de Ophir, cui Ophiretica regio videtur quærenda in India Orientali circa urbem Ouparam, vel Soupara, ubi nunc Goa celebre emporium sita est. Quo ejus sententiam probabilem reddat, quatuor adducit κριτήρια ad Ophir detegendum omnino necessaria. Primo Ophir debet esse talis regio, quæ abundet auro, argento, ebore, simiis, pavonibus, vel psittacis, *ex II. Reg. IX.* 21. II. debet in tali regione collocari, ad quam facilior tutior & brevior via est ex portu sinus Arabici Asiongaber. III. Ophir non in regione nimia dissita collocanda est, quum interdiu Solis, noctu Stellarum observatione veteres, pro exigua, quam habebant, rei nauticæ peritia, navigarent; magnetis usus fuit incognitus; ipsum mare claudi solitum hyeme; & litora legi fere solebant navigantes. IV. Ophir non debet in regione nimis vicina Judææ collocari, sed in eo locorum intervallo, quod juxta morem navigandi illorum temporum triennium requirat ad mercaturam exercendam, & redeundum. His addit Relandus: si vestigium aliquod nominis Ophir deprehendi posset in aliquo tractu, cui quatuor modo indicatæ conditiones convenirent; id magnum pondus allaturum esse ad Ophir confirmandum. Quomodo autem hæ conditiones regioni circa Ouparam congruant, vide apud eundem in *Dissert. Misc.*

(47) Athalia filia Amri regis Israël, & mater Ochoziæ regis Juda videns filium cum plerisque affinibus cæsum, nepotes, quos alere in spem regni debebat, jussit jugulari, ut regnum invaderet, quod sex annos obtinuit. At Joas

Ocho-

dio impietatis ipsum corrupit. Quod ut successor ejus Joas nepos cognovit à Jojada Pontifice in Dei pietate educatus, ipsum instaurari præcepit, atque ita exactâ à Judæis legitimâ pecuniâ, atque ei rei gazophylacio, de quo postea dicemus, instituto refecit: ut in Regibus & Paralipomenis scriptum est. Inde res eo vecordiæ processit, ut sacris ritibus Templi neglectis Achaz Rex ipsum etiam Templum, & vasa ejus polluerit. Quare Ezechias post ad populum ita dixit: *Patres vestri avertere facies suas à Tabernaculo Domini, clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxere lucernas, incensumque non adolevere, & holocaustum non obtulere in Sanctuario Dei Israel.* Atque his dictis mandavit, ut *mundarent Templum, & vasa ejus, quæ Rex Achaz polluerat.* Successit inde Josias, qui Templum iterum instauravit. Sic enim narratur de illo in Regibus: *Præpositi domus Domini distribuant pecuniam exactam iis, qui operantur in Templo*

A

Domini ad instaurandæ sarta tecta Templi. Non multis vero post annis Judæi, Urbe Temploque à Nabucdonosore incensis, in Babyloniam abierunt: manseruntque (ut inquit Osee capite II.) sine Sacrificio, (48) sine Altari, (49) sine Ephod, (50) & sine Theraphim (51) per annos LXX. Quibus exactis, ipsis permissu Cyri Regis Persarum in solum patrium restitutis, Josuë Pontifex, & Zorobabel Princeps erexerunt Altare in solo Jerusalem, ut offerrent Holocausta. Inde novi Templi fundamenta jecerunt. Verum mox à Samaritis hostibus impediti, opus intermittere Cambysis Regis jussu coacti sunt. Itaque vix post annos quadraginta sex, Rege Dario Hystaspis filio

B

concedente, consummaverunt, ac dedicarunt: ut Esdræ quarto, quinto, & sexto narratur. Hoc vero Templum secundum multis verbis ab Ezechiele descriptum, multis rebus (52) primo inferius fuisse à Talmudicis dicitur: primum enim divina præsentia caruit, quæ ad Pro-

Ochoziæ filius furtim servatus a Josaba sorore Ochoziæ, uxoreque Jojadæ Summi Pontificis, in quoddam Templi conclave transfertur, secretoque ibi nutritur, donec a Jojada Rex ungitur, Athalia deinde extra septa Templi ad portam Equorum occiditur.

(48) Videtur in textu Hebræo, quem modo habemus, aliquale mendum hoc loco Osee III. 4. cubare: legitur enim nunc ואין מצבה *& non statua*, vel *sine statua*: quum LXX aliique Veteres Interpretes cum S. Hieronymo, & Auctore Vulgatæ legerint מצבח οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου *sine Altari*, ut etiam legit Syrus, & Arabs. Quæ sane lectio sensum dat magis congruentem sermoni prophetico, ut patet. Ceterum tradunt Hebræi statuam, & altare in hoc differre, quod statua uno lapide constaret, altare pluribus: statua erigebatur ad libationem, & effusionem olei, altare vero ad oblationem, vel sacrificium. Hinc per vocem מצבה significantur etiam columellæ, quæ in alicujus rei monumentum erigebantur, quas constat ante Legem fuisse licitas, per Legem autem, quod iis frequenter uterentur idololatræ, vetari cœptas: ut patet ex Exodo, Levitico, & Deuteronomio.

(49) Ephod amiculum erat superhumerale, tum Sacerdotale, tum Pontificium, quod posteriorem colli partem ambiens, & ex scapulis in pectus descendens, in medio pectoris decussabatur; & inde totum corpus ambiens tunicam continebat, parte, quæ reliqua erat, anterius ad terram pendente. Ephod lineum erat Sacerdotum; Ephod vero auro contextum erat Summi Pontificis.

C

(50) Theraphim תרפים imagines erant, sive idola domestica, quæ Penatum instar domi colebantur, & consulentibus de rebus arcanis, vel futuris responsa dabant, ut colligitur ex Ezech. XXI. 21. *interrogavit Theraphim*, Zach. X. 2. *Theraphim locuta sunt vanitatem*, & in IV. Regum XXIII. 24. post pythones, & ariolos ponuntur Theraphim. Judæi dicunt Theraphim caput fuisse hominis a reliquo corpore avulsum, atque balsamo conditum, sub cujus lingua lamina quædam aurea Numinis alicujus nomine inscripta, recondebatur, quod consulentibus oracula reddebat. Observandum est tamen תרפים esse vocem mediam, quæ tum bonas, tum malas imagines potest significare. Unde S. Hieronymus in explicatione hujus capitis III. Osee exponit, Theraphim non pro idololatricis simulacris, sed pro Cherubim, & Seraphim, reliquis Templi ornamentis. Carere enim religiosis Templi ornamentis, quæ pœna fuisset Judæis; quum contra ... his, quæ ... possidere illa, ut malum omnis cultus caussa

nium maximum:

(51) De statu calamitatis, quo etiam nunc urgentur Judæi, explicavit hunc locum Osee S. Hieronymus, cujus sunt verba: *Hi sunt multi dies, quibus infelix Synagoga, & mulier adultera bordeo pascitur, & sedet contracta; quia cum Christo stare non potest. Sine rege, de quo loquutus est Pater*: suscitavi regem cum justitia. *Et ipse dicit in Psalmo*: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus. *Sine principe, vel ipso Domino Salvatore, vel certe Pontifice, de quo scriptum est*: Principi populi tui non maledices. *Et sine sacrificio, & sine altari. Subverso enim Templo, & incensa Jerusalem, nec sacrificium, nec Sacerdotium Judaica Gens exercere potest. Et sine Ephod, & sine Theraphim, idest instrumentis Sacerdotalis habitus.* Et prope finem S. Doctor subdit sequentia: *Præsens capitulum alii Judæorum super Babylonica captivitate interpretantur, quando septuaginta annis desolatum est Templum, & Altare, & Victima, ac Sacerdotium non fuerunt, & postea sub Zorobabel in sedes pristinas sunt reversi. Alii, ut nos, in futurum tempus differunt: & quæ sit caussa tam grandis offensæ, ut tanto tempore relicti sint, maxime quum idola non colant, præter interfectionem Salvatoris, aliam non valent invenire.*

D

(52) Quinque illa a Thalmudistis recensita utcunque in secundo Templo defuerint: prætulit tamen Aggæus primo Templo secundum, affirmans, majorem gloriam hujus futuram, quod desideratus cunctis Gentibus venturus esset in illud. Verba prophetæ reperiuntur Aggæi cap. II., qui locus quum sit insignis ad ostendendum Messiæ adventum contra Judæos, atque adeo a Rabbinis impotenter vexatus; aliquantulum in illis explicandis, dee veniam B. L., immorabor.

Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria . . . . . Magna erit domus istius novissimæ plusquam primæ . . . . Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

E

Adhuc unum modicum, idest hac una tantum vice fœdus confirmo, quod vobiscum ex Ægypto exeuntibus pepigi: quæ interpretatio optime cohæret cum proxime antecedenti versiculo, in quo de hoc fœdere sermonem habet Aggæus. Sin vero de lapsu temporis τὸ modicum velit intelligi, illud respectu Dei loquentis (in cujus conspectu mille anni sunt tamquam dies hesterna quæ præterit) nos explicarem; nam alioquin temporum notæ in divinis literis frequenter expressæ nihil certi designarent; quandoquidem apud Deum nulla temporum inveniuntur discrimina. Igitur quum Deus alloquitur homines, atque intra præfinitum temporis spatium illis quidpiam prædicit futurum, illis designantur periodi quæ fluunt hominibus. Quare modicum respe-ctu

A Propitiatorium responsa, ut suo loco dicetur, edebat; deinde Spiritu Sancto, qui Prophetas afflare desivit, cum ultimus Malachias sub Dario fuerit; tertio igne sacro, qui in aquam concretus inventus; quarto lapidibus, qui in Rationali Pontificis erant, quorum conspectu Sacerdotes occulta intelligebant; quinto Arca, & Propitiatorio, & duobus Cherubin Arcæ hærentibus, quæ inventa fuisse illi negant, ut supra diximus. Post aliquot inde annos re Judæorum ab Ægyptiis Regibus ad Syros traducta, Antiochus Epiphanes Rex Syriæ Hierosolymam ex Ægypto accitus à Tobiæ filiis, quos per seditionem Onias Pontifex Urbe dejecerat, venit, *& intravit in Sanctificationem cum superbia, & accepit Altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam Propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie Templi erat, & comminuit omnia, ac biennio post reversus ædificavit abominandum idolum desolationis super Altare Dei*, id est, (ut tradit Josephus) ipsum (53) Jovi Olympio dedicavit, atque, Onia Pontifice interfecto, Alcimum Pontificem ex non Pontificali genere fecit. Maccabæorum primo. Verum biennio post Judas Assamonæus cognomine Maccabæus Princeps Judæorum exor-

B ctu temporis elapsi mihi videtur interpretandum; hoc est à creato Mundo ad editam hanc prophetiam, à quo plusquam termille & quingenti anni intercesserunt; à prophetia vero ad ejus complementum, anni circiter quingenti.

Commovebo cœlum, & terram, est proverbialis loquutio, qua ingens rerum mutatio significatur, ad excitandam attentionem magno operi, quod erat patrandum, Incarnationi scilicet Verbi, a quo humanum genus redimendum erat. Vide S. Paulum ad Hebræos cap XII., qui hunc locum citat, & exponit Aggæi.

Et movebo omnes Gentes, præcipue Apostolorum prædicatione, à quibus clangore Evangelicæ tubæ omnes Gentes fuerunt commotæ: invalescentibus aliis, ut Evangelium extinguerent; aliis, ut pro eo effunderent sanguinem.

C *Et veniet desideratus cunctis Gentibus*, idest Messias dictus desiderium omnium Gentium, quum sit maxime desiderabilis, & quem mortales omnes ejus gratia indigantes vehementissima debebant desiderare: & sicut ægrotus pharmacum concupiscit, quo possit sanari, licet illud ignoret; ita quamvis omnes Gentes Christum non noverint, ipse tamen omnium Mediator, omnium erat desiderium. In textu Hebræo legitur ובאו חמדת *& venient desiderium*, constructo verbo pluralis numeri cum nomine singularis, constructione, ad formam quod attinet, ei contraria; sed quod ad sensum, prorsus eadem. Quum enim חמדת *desiderium* &c כל גוים *omnium gentium*; חמדת *Chemdath* omnium in se colligens

D vota, instar nominis collectivi, cum plurali verbo apte conjungitur.

Et implebo domum istam gloria, Templum secundum designat Propheta, non tertium aliud, quod cruda spe freti miseri expectant Judæi. הבית הזה cum articulo & pronomine demonstrativo *hanc domum istam* designat Aggæus; domum scilicet, quæ sub ejus erat aspectu, quæ sua ætate erat constructa, & quam senes dolebant primæ domo longe inferiorem; sed longe excellentiorem illam Aggæus pronunciat, quod in eam Messias esset venturus. Alioquin quo solatio mœrentium animos recreasset Propheta, si spem promissi Messiæ in aliud Templum distulisset, quod obcœcati nostræ ætatis Judæi comminiscuntur futurum? At si vetera tempora repetamus, non hæc

E fuit apud priscos homines Gentis suæ sententia. Communis siquidem fuit persuasio Judæorum, qui tempore domus Zorobabel vita fungebantur, illo stante dubio procul orituum Messiam; quod palam ostendunt tam plura testimonia, quæ adduci possent, ab ipsis Judæorum libris desumpta, quod præstitit Illustrissimus æque ac Eruditissimus Daniel Huetius in Demonstr. Evang., tum multi pseudo-Messiæ, qui circa ultimas Templi periodos Messiæ nomen & dignitatem sibi sunt usurpare, qua impietate primus omnium se illigavit Herodes magnus, ut supra dictum est lib. I. capite sexto.

Magna erit domus istius novissimæ plusquam primæ, ob præsentiam scilicet, & miracula Christi luminis Gentium, & gloriæ Israel; qui quum sit Deus homo, solus illa major gloria esse potest, quæ secundo Templo debebat accedere: quandoquidem Aggæus à prophetici sermonis exordio non de caducis rebus, & levibus, sed de re omnium maxima, se loquuturum declarat. Frustra igitur aliunde gloriam secundi Templi Judæi requirunt. Frustra in duratione, quod secundum substitit decennio diutius, quam primum. Frustra in muneribus in id collatis ab Ethnicis, quorum nomina sunt Judæorum Genti magis calamitatis, quam gloriæ. Frustra tandem in additamentis Herodis, qui, teste Josepho, Templum gloriosius extruxit, de quo paullo infra dicam hoc capite, quum non desint Rabbini, qui Messiæ negant adventum, quod Christi Servatoris ætate non domus Zorobabel, sed Herodiana persisteret.

Et in loco isto dabo pacem; Pacem scilicet veram spiritualem, & æternam, quam Christus sum acquisivit Ecclesiæ per reconciliationem nostri cum Deo in sanguine suo, de qua illo nascente Angeli cecinerunt: *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Quam ipse Christus desiliens hisce verbis expressit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Si vero spiritualem pacem à Christo in eo datam Judæi inficiantur; quam temporalem in eo datam ostendent? Quis nescit Seleucum expilationem ejus attentasse, Antiochum illud fœde profanasse, Pompejum deinde, & Crassum in violanda illius religione subsequutos? Pompejus sanctum illud arcanum, ubi neminem præter Pontificem adesse fas erat, neque cuiquam prius visum alienis, curiosius spectavit. Crassus totum quantum intus erat sacræ pecuniæ, quam Pompejus minime attigerat, sacrilege egessit. Postquam vero Herodes Templum instauravit, tantum abest, ut ibi pax fuerit, ut in eo magnam stragem Archelaus Herodis filius ediderit, Cajus idolis, & suo præsertim simulacro illud dehonestare præsumserit, & sequentibus annis, quamdiu stetit, seditionibus perpetuis, cædibus, & sacrilegiis in eo sit laboratum.

Quæ vero hactenus dicta sunt, majorem vim à Malachia desumunt, qui Prophetarum ultimus Templum a Zorobabel ædificatum prophetia adornavit, certo futurum ipse quoque promittens, ut ad ipsum brevi Messias accederet: *Ecce ego*, inquit capite III., *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam* (Johannem Præcursorem designat) *& statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum*. Quo testimonio quid evidentius adduci possit non video.

(53) Jupiter Olympius dictus est, aut ab Olympo præceptore, qui illum erudivit, aut ab Olympi sede, quam, ut est in fabulis Poëtarum, incolebat. Duodecim Diis Olympiis ara Athenis extabat, quibus se decimumtertium addi voluit Alexander Macedo, literis ad Græcos datis post victum Darium, subjectamque Persidem, animo elatior. Hinc Olympia, tum festum erat, tum certamen, ab Atheniensibus, aliisque Græciæ populis in Jovis τῷ Ὀλυμπίῳ honorem agitatum.

exortus, Urbe recepta, ipsum Templum mundavit, atque omnia in antiquum statum redegit ipsa abominatione sublata. Siquidem, ut ibi scriptum est, cum pulsis hostibus dixisset: *Ecce nunc contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare Sancta, & dedicare: ascenderunt in montem Sion, & viderunt Sanctificationem desertam, & Altare profanatum, & portas exustas. Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos, qui erant in arce, donec emundarent Sancta; & elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in Lege Dei, & mundaverunt Sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & destruxit Altare Holocaustorum, quod profanatum erat, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes, & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet de iis, & acceperunt lapides integros secundum Legem, & ædificaverunt Altare novum secundum illud, quod fuit prius, & ædificaverunt Sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus, & ædem, & atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt candelabrum, & Altare incensorum, & mensam in Templum, & incensum posuerunt super Altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant in Templo: & posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & consummaverunt omnia opera, quæ fecerant. Et ante matutinum surrexerunt quinta & vicesima die mensis Casleu, mensis noni, & obtulerunt sacrificium secundum Legem super Altare holocaustorum novum, quod fecerunt; secundum tempus, & secundum diem, in qua contaminaverant illud gentes, in ipsa dedicatum est in canticis. Et fecerunt dedicationem Altaris diebus octo, & obtulerunt Holocausta cum lætitia, & sacrificium Salutaris ac laudis. Et statuit Judas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies Dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo à quinta & vicesima die mensis Casleu cum lætitia. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, sicut antea fecerunt; & collocavit illic exercitum, ut servarent.* (54) Postremo Herodes Rex Templum reædificare, atque altius excitare cupiens, ad Judæos locutus sui consilii sic rationem explicuit: *Nostis Templum hoc à patribus nostris ædificatum, cum è Babylonia revertissent, & quia desunt ei ad altitudinem cubiti sexaginta ad instar illius quod Salomon construxerat, nemo negligentiam pietatis nostrorum parentum accuset, quia non culpa illorum factum est brevius Templum. Sed Cyrus, & Darius Hystaspis filius hujusmodi mensuram ædificationis fieri præceperunt. Quibus illi servientes, vel successoribus eorum, & post illos Macedonibus, non habuerunt aptum tempus, quo ad ejusdem antiqui formam istius mensuram perducerent.* Inde addidit, se velle inchoatum opus corrigere, & integrum Deo præbere. Itaque paratis rebus omnibus ad tantum opus necessariis, Templo disturbato, in iisdem fundamentis nova imposuit, & super ea Templum excitavit, longitudine centum cubitorum, latitudine totidem, altitudine centum viginti. Ostendit inde Josephus hujus Historiæ Auctor libro Antiquitatum VII. magnificentiam hujus operis multis verbis, post alio loco situm cum turri munita, his: *Collis erat saxosus paulum erectus à parte Orientali Civitatis, pronus super arcem, quam dudum Rex Salomon per Dei providentiam magnis operibus muro circumdederat ab inferioribus incipiens, quem vallis altissima circundabat, à latere Aquilonis turris alta, quam ante Herodem Reges Assamonæi construxerant, & Barin nominarant, ut illic Sacerdotalem Stolam deponerent, qua, cum opus esset, ut sacrificaret, Pontifex induebatur. Hanc vero Herodes servavit, quo mortuo sub Romanis fuit usque ad tempora Tiberii Cæsaris; ea enim à Tiberio reddita est, instante Vitellio Syriæ Proconsule, cum Hierosolymam profectus benigne à populo esset susceptus. Eam vero turrim Herodes muniens ad Templi custodiam in gratiam M. Antonii Triumviri amici sui Antoniam appellavit. Ex adverso Templi ipsa Urbs in modum theatri stabat circundata valle altissima per omnem australem tractum. Hæc uno anno & quinque mensibus ab Herode perfecta sunt,*

anno

(54) Sigonius Josephum sequutus Antiq. l. XV. c. 14. putavit Hierosolymitanum Templum denuo ab Herode constructum fuisse, sublatis veteribus fundamentis, & novis repositis. Verum quæ dixi supra de Aggæi prophetia, quominus illi assentiar, impediunt. Propheta enim mœrentem populum de nova Templi constructione consolaturus, illud præsentia Servatoris prænunciavit glorificandum. Stabat igitur vivente Servatore ipsummet Templum, quod sub oculos erat vaticinantis Prophetæ. Illo enim funditus everso, alioque in ejus locum excitato, non eadem domus fuisset, quam designavit Aggæus per verba הבית הזה *domus istius*, & quidem הבית הזה האחרון *domus istius novissimæ*. At Josephus Gorionides lib. V. c. 25., sive ille male feriatus impostor, qui sub veteris Scriptoris nomine latet, Herodem scribit Templum ædificasse majore pulcritudine Templo Salomonis. Nugæ, quibus tantum Judæorum confirmatur ἀπιστεία. Unde Herodi ea vis auri, & argenti, quæ cum divitiis à Davide, & Salomone ad Templum congestis, possit conferri? Herodes regulus unius Judææ, & plane subjectus Romanorum imperio, quos multis donare fuit coactus, multa etiam in aliena ædificia ipse distraxit, sive sodalitates, quæ ad Romanos spectabant, fere sine manubiis, quæ maxima ex parte illis cedebant; cum ditissimo Rege, & Salomone, comparabitur? Præterea si artifices conferas, undecim tantum millia Templo Herodis operam navarunt annis octo; Salomonæo autem Templo supra 400. millia virorum annos septem cum dimidio. Demum de Templo Herodiano nulla fit mentio, neque in Novo Testamento, neque in alio auctore ante Josephum, à quo tota illius narrationis veritas pendet: imo semper Judæorum Magistri excidium Titi vocant *excidium Templi secundi*, & tempora, quæ id antecedunt, *tempora secundi Templi*, ipseque Joseph de Bello l. VII. c. 10. duo tantum Templa cognoscit, cujus verba in sequentibus annotationibus referam hoc capite.

Putamne putamque fabulam in Antiquitatum lib XV. 14. de Herodiano Templo scribit Josephus? Non ita: sed illius narrationis pars maxima ficta est ad extollendam Gentem suam vilem tunc temporis, subactamque, quo animo, laudandi scilicet nationem suam, quantum flagraverit, ex libris ejus contra Apionem quisque potest cognoscere. Templum igitur puto ab Herode aliqua illius parte restitutum, auctum, ornatumque, quod ab eodem solummodo factum idem etiam Josephus de Bello libro primo capite decimosexto videtur innuere. *Templum*, de Herode ibi loquitur, *instauravit* τὸν ναὸν ἐπεσκεύασε, *& duplicem terræ spatium, quàm fuerat circa Templum, muro amplexus est ingenti sumptu, & magnificentia singulari.*

anno Regni ejus octavo decimo dedicatio Templo ipsi regis die natali magna lætitia celebrata est. Hæc Josephus libro XV. Sunt autem, qui Templum ab Herode non refectum, sed auctum, vetere conservato, putent, atque à Josepho ipso falsa relata esse; quia Judæi post excessum Herodis, cum audissent, Jesum dicentem: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ego suscitabo illud*, responderunt: (55) *Quadraginta sex annis ædificatum est Templum*, nunquam ita dicturos asserentes, si verum fuisset, Templum illud intra biennium ab Herode constructum; nam ea verba convenire Templo, quod Zorobabel sub Cyro inchoaverat, & sexto anno Darii post annos sex & quadraginta absolverat. Quorum opinionem ego non approbo, neque enim tantæ temeritatis hominem esse puto, qui ea scribat de re præsertim insigni, quæ multorum etiam viventium (56) redargui testimoniis possit; neque enim Josephus longe ab Imperio Augusti Cæsaris abfuit, sub quo Templum Herodes ædificavit, aut Tiberii, sub quo Judæi hæc dixerunt. Verum Judæi, cum redarguere Christum vellent, & scirent, Templum primum à Salomone conditum spatio septem annorum, secundum à Zorobabele quadraginta sex, tertium ab Herode unius anni, & paulo amplius; neque primum, neque tertium nominarunt, ut ea quæ parum caussæ suæ faverent, sed secundum; multo enim longius absunt tres dies à quadraginta sex annis, quam ab uno. In morte inde Christi Velum Templi scissum est à summo ad imum. Caligula inde Imp. synagogas Judæorum ad sui ipsius cultum traduxit, & suis statuis exornavit, ac Templum ad eam usque diem inviolatum suo nomini dedicavit; ex quo apparuit, vocem, quam Judæi temere coram Pilato effuderant, cum se neminem Regem habere, nisi Cæsarem, dicerent, merito in illorum jam capita recidisse: ut scribit Josephus. Ad extremum Vespasiano imperante, suborto ex defectione bello, Titus Cæsar, Urbe expugnata, sive invitus, sive volens hoc Templum incendit (57) eodem die, quo à Babyloniis olim fuerat inflammatum. Quam cladem pluribus verbis Josephus memoriæ prodidit. Hadrianus inde Imperat. Judæos rursus rebellantes subegit, ac (58) captam Urbem solo æquavit, ac reliquias Templi igne delevit. Tumque demum Jesu Christi vox divina completa, qua dixit, fore, ut Hierosolymis (59) lapis super lapidem non remaneret. Hadrianus autem Templum Domini ad

(55) Qui de constructione Templi Zorobabel cum Nostro hunc locum intelligunt, ita quadraginta sex computant annos. Inchoatum est Templum initio Artaxerxis Longimani, qui annos regnavit quadraginta. Quum vero Artaxerxes opus inceptum impediverit, absolutum fuit anno sexto Darii successoris. Unde habes annos quadraginta sex: licet si tempora computes, quibus ædificatum fuit, intra decennium absolutum est opus.

Qui vero de instauratione Herodiana id dictum putant *Christo* a Judæis, sequentem rationem assignant. Instauratio cœpta est ab Herode anno regni sui decimo octavo *ex Josepho Antiqu. XV.* 14., nempe ex quo declaratus est Rex à Romanis, vel anno ejus decimoquinto, *Josephus de Bello I. 6.*, nimirum ex quo post devictum Antigonum solus regnavit. Depulso autem Antigono regnavit annis triginta quatuor, & a tempore, quo declaratus est Rex, annis triginta septem. Christus vero natus est anno Herodis tricesimo quinto, & anno tricesimo Christi labenti hoc d[illegible] Judæorum assignant. Ita inter decimum octavum Herodis, & Christi tricesimum exclusive excurrunt anni quadraginta sex completi, quibus semper ita additum, & extructum fuit in Templo, ut dixerint Judæi: *Quadraginta sex annis* &c.

(56) Huic rationi, quæ Nostrum ad Josephi fidem pertraxit, ita respondet eruditissimus Salianus tomo sexto ad annum 4035. Perpaucos, aut etiam nullos fuisse superstites, qui Josephum mendacii possent arguere. Nam, ut ex vita ejus colligi potest, Antiquitates scripsit Domitiano imperante, cujus annus primus cadit in 84. Christi annum ex supputatione Baronii, quibus adde 18., qui supersunt ad Christum usque, fiunt 102. Deinde ita rerum facies mutata erat atque confusa apud Judæos, eversa funditus eorum Republica, ut Judæorum quisquilia, quæ supererant, Josephi scripta recognoscere, aut examinare negligerent, aut etiam Græce scribentem intelligere non possent, aut subnixum Imperatorum benevolentia redarguere non auderent, cui in promtu erat inimicos ulcisci, ut ipsemet in extrema vita sua fatetur. Studium insuper atque ambitio magnificandæ Gentis suæ in Josepho potentius fuit, quam ejus in Herodem odium, accedente etiam studio gratificandi Agrippæ nepoti ejus, cui erat Josephus carissimus, ut ex ejus vita cognosci potest.

(57) Judæi בסדר עולם cap. XXX. referunt vastationem secundi Templi æqualem fuisse Templi primi, tam ratione anni Sabbatici, mensis, & diei in hebdomada, tum eisdem sacris obtinentibus in ministerio Templi, & cantu quidem Psalmi 94., qui incipit: *Deus ultionum Dominus* אל נקמות יהוה. Et Josephus testis ocularius de Templo à Romanis incenso hæc habet verba, in quibus (favent Lector advertere) duo tantum Templa cognoscit, primum Salomonis, & secundum Zorobabel, nulla ratione habita Herodianæ constructionis: *Mirabitur*, de Bello L. VII. c. 10. *etiam in eo* (idest Templo) *circumacti temporis rationem & finem. Nam & mensem, eumque diem* (qui fuit, ut superiore capite dixit, decimus mensis Augusti) *servavit, quo primum à Babyloniis Templum erat incensum. Et à prima quidem structione Templi, quam Salomon Rex inchoaverat, usque ad hoc excidium, quod evenit secundo anno principis Vespasiani, mille centum triginta colliguntur anni, & septem menses, ac dies quindecim. A posteriore vero, quam secundo anno Cyri regis, Aggæus fecerat, usque ad excidium, quod Vespasiano imperante factum est civitas, anni sexcenti triginta novem, & dies quadraginta quinque.*

(58) Josephus Scaliger *animadvers. in Euseb.* num 2150. nixus Dionis Cassii testimonio, putavit a Tito ita deletam fuisse Jerusalem, nec ante Hadrianum restitutam, ut deleri amplius non potuerit. Verum Appianus Alexandrinus historicus synchronus *de Bell. Syr.*, quippe qui sub Hadriano vixit, postquam narravit Jerusalem à Ptolomæo, & Pompejo eversam fuisse (Pompejus tamen sola munimenta dejecit) hæc subdit: *Vespasianus iterum habitatam delevit, & rursus mea memoria Hadrianus*. Appiano consentit S. Hieronymus pluribus in locis, & præcipue in Ezechielem 5. *Sub Tito, & Vespasiano Urbs capta est, Templumque subversum, & post quinquaginta annos sub Ælio Hadriano usque ad solum incensa civitas & deleta est ita, ut pristinum quoque nomen amiserit*. Et alic p. nonum Danielis v. ultimo: *Usque ad extremam subversionem Jerusalem, quæ sub Hadriano eis accidit, quando Cochebas dux Judæorum oppressus est, & Jerusalem usque ad solum diruta*.

(59) Durationi postremæ hujus eversionis Templi nullum à Deo præfinitum tempus fuisse constat, tum ex Daniele Propheta, tum ex verbis Christi Domini, quibus prædixit excidium Jerusalem. Imo quum non semel, sed iterum, & tertio Judæi conati fuerint Templum e fundamentis excitare; labor eorum semper in irritum cessit, divina illis obsistente voluntate, ut refert S. Johannes Chrysostomus Homil. 3. & 4. nec non Rufinus, Socrates, Sozomenus, aliique passim Ecclesiastici Scriptores.

ad tollendam religionem terra obruit, ac Templum aliud Veneri dedicavit: ut Eusebius scripsit. Quare S. Paulinus ad Severum scripsit: *Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat*; & Severus in Historia: *Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuria peremturum, in Templo ac loco Dominicæ Passionis dæmonum simulachra constituit*. Hoc autem idolum Daniel capite nono vocavit Abominationem desolationis, cum dixit: *Et erit in Templo* (60) *abomanatio desolationis, & usque ad consummationem & finem persoverabit desolatio*; neque enim hæc verba in desolationem Epiphanis conveniunt.

CAP. VI.

De Templo Samariæ.

ALterum Templum fuit in Samaria. Quippe Manasses frater Jaddi Pontificis, cum (61) uxorem alienigenam legibus dimittere cogeretur, ad socerum suum Sanabalat Darii Persarum Regis Præfectum confûgit, atque ab illo auxilium imploravit. (62) Sanabalat autem, ne genero summæ nobilitatis viro spoliaretur, suasit; ut à Judæis deficeret, ac mox permissu Alesandri Magni victoris Templum in Samaria (63) in monte Garizin altissimo condidit: atque ibi Manassem Pontificem collocavit inter Samaritas, qui, ut dixi, (64) homines ex Assyria profecti fuerant, ac Legem Dei ita receperant, ut tamen veterem idolorum cultum non destituerent, ac propterea Judæis infensi essent, quod (65) Templum Transgressorum est appellatum. Hinc exarsit inter eos de loco adorandi Dei certamen atque contentio. Cum enim in Lege traditum esset, ut uno tantum in loco Deus coleretur, quem ille elegisset, ac primum Silo in Tribu & monte Effraim delegisset, deinde illâ reprobatâ Jerusalem in Tribu Juda, & monte Sion ascivisset, Samaritæ, qui montem Effraim obtinebant, sibi eam laudem vindicabant, quod in Silo primum invocatum esset nomen Domini; Judæi vero contra ad se id decus trahebant, quod postea Sinaem Deus ipsi Silo præposuisset, ut David scripserat, quem ipsi non

---

xes. Ammianus etiam Marcellinus, quamvis auctor falsorum numinum religioni addictus, & Juliani Apostatæ enchomiastes, aperte testatur in novi Templi ædificium à Juliano operam perperam collatam fuisse, cujus verba hic prælat subjicere, quæ leguntur in libro vicesimo tertio historiæ suæ: *Imperii sui* (hoc est Juliani) *memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam Templum, quod post multa, & internecina certamina, obsidente Vespasiano, postque Tito, ægre est expugnatum, instaurare sumtibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat propræfectis. Quum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hoc modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum*.

(60) Origenes Homilia 29. in Matth. per abominationem desolationis a Daniele capite IX. prædictam intelligit exercitum Romanorum urbem Jerusalem obsidentium, Templum inflammantium, illudque polluentiam illatis signis falsorum numinum expimentibus speciem. Id confirmat ex verbis S. Lucæ capite XXI. 20., ubi explicat verba Christi S. Matthæi XXIV. 15. *abominationem desolationis* hoc modo: *quum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem*.

Eruditissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius anno Christi 68. abominationem desolationis fuisse scribit Templi profanationem factam à seditiosis Judæis, qui ex impio zelo Patriæ, & Legis se se Zelotas nuncupabant, quum revera essent scelerati homicidæ, qui occupatum Templum, illudque communitum muta castrorum, rapinis & cædibus polluerunt, prius sub Cestio Judææ Præside, deinde sub Vespasiano, & Tito. Utramque explicationem conjungit doctissimus Cornelius a Lapide, quem vide.

(61) Lex, quæ Sacerdotibus prohibebat eum alienigenis Matrimonium inire, habetur Levitici XXI. 13 *Virginem ducet uxorem: Viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiat; sed puellam de populo suo; ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ*. Imo Philo l. II. de Monarchia scribit illam ea familia Sacerdotum esse debuisse; quam tamen conditionem alii non exigant.

(62) Hic erat Darii Regis Persarum Satrapa, sive Præfectus, qui deinde Darii rebus imminutis ad Alexandrum victorem defecit; persuasitque Macedoni, ut dissidia sereret inter Judæos volentes nec contra Tyrios suppetias ferre, nec fœdus cum eo percutere. Dissidiaque vel maxime inter illos afferuit futura, si aliud Templum in Judæorum terra ædificaretur; foreque in rem ipsius Regis, si dividatur illorum potentia. Id porro impetratum est, ut Sanaabalat Sacerdotium servaret Manassi; imo ut illi Pontificatum pararet, cui Nicaso ejus filiam uxorem jam dederat. Vide Josephum Antiquit. l. XI. cap 8.

(63) Garizim est Mons altissimus in Tribu Benjamin, & regione Samariæ, quem vallis ducentorum passuum à monte Hebal disterminat, in qua valle Sichem condita fuit: nam Garizim ipsi Sichem ita imminebat, ut Joathan Gedeonis filius è vertice illius montis Sichimitas ad radices versantes alloqueretur *Judic. IX. 7.* Trajecto Jordane duodecim Tribus hosce montes divino jussu ascenderunt; & quæ Garizim conscenderant, benedictiones in divinæ Legis morigeros, quæ Hebal, maledictiones in refractarios, alta voce recitarunt. *Josuè VIII.* 33. Hinc Garizim appellant montem benedictum Samaritæ, qui etiam fabulantur, illum non fuisse aquis immersum, quum super universam terram nimis invaluerunt temporibus Noë.

Mons Garizim à viatoribus summe commandatur fertilitate; contra Hebal maxime sterilis dicitur. Quod Moyses præcepit Deuter. XXIII. 4. 5. post transitum scilicet Jordanis, ut erigeretur altare in Hebal, & Josuè præstitisse legitur Josuè VIII. 30.; in Pentateucho Samaritano pro Hebal substitutum est utroque loco Garizim, ut Samaritæ antiquissimam religionem eidem assererent; ad quod spectasse videtur femina Samaritana, quum Christo Domino dixit *Johan. IV.* 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt; & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Plura de monte Garizim vide apud Relandum in Dissert. Miscell.

(64) Videlicet populi illi, quos Salmanassar ex Babylone, Cutha, Avah, Emath, & Sepharvaim deduxit, & in vacuas Israëlitarum Sedes immisit; quorum plerique quum ex Cutha fluvio venirent, universa convenarum colluvies Cuthæi sunt appellati. Constructo Templo Garizim a Manasse, huic multi Sacerdotes accesserunt, qui conjugia cum alienigenis contra Legem inierant; è quibus cum Cuthæis commixtis veluti nova gens prodiit, quæ Samariam incoluit.

(65) Ad illud enim confugiebant Judæi Legis transgressores; nam, ut inquit Josephus Antiq. libro XI. c. 8. si quis apud Hierosolymitas aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbathi, aut similis criminis reus ageretur, ad Sichimitas confugiebat, calumniam se passum dictitans, a quibus lubenti animo excipiebatur.

non accipiebant; neque enim (66) nisi quoque libros Moysis approbabant. Qua de re cum aliquando disceptaretur coram Ptolemæo Philometore Rege, ille pro Judæis pronunciavit, ut Josephus libro XIII. scriptum reliquit. Hoc vero Templum post Antiochus Epiphanes, cum in Judæam infestus venisset, (67) Jovi Hospitali, ipsis Samaritis non repugnantibus, consecravit. Ad extremum autem Joannes Hyrcanus Rex Judæorum, cum Samariam Judæorum imperio subjecisset, Templum hoc funditus evertit post annos ducentos, quàm fuerat conditum, teste eodem in loco Josepho. Veterem inde quæstionem post aliquot annos tetigit Samaritana mulier loquens cum Christo Judæo, ut est apud S. Joannem cap. IV. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*, cui respondit Christus: *Veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem.*

CAP. VII.

De Templo Ægyptio.

TErtium Templum Judæorum conditum est (68) in Ægypto ab Onia. Etenim ætate Antiochi Epiphanis, seditione Hierosolymis orta, Onias Oniæ Pontificis filius ejus, quem Epiphanes interfecerat, Urbe profugus ad Ptolemæum Ægypti Regem, & ipsius Epiphanis hostem, se contulit, atque accepto ab eo in Heliopolitana Præfectura solo, ibi oppidum Hierosolymis simile condidit, Templumque ædificavit: ibique Pontifex inter eos Judæos, qui seditione Urbe pulsi in Ægyptum concesserant, præfuit. Quo vero tempore Titus Cæsar Templum Hierosolymis inflammavit, eodem hoc à Paulino Proconsule Ægypti claudi est jussum, ita ut vestigium divini cultus in eo nullum remaneret, post trecentos triginta annos, quàm fuerat constitutum, ut Josephus libro Belli septimo prodidit. Extat epistola Judæorum Hierosolymitanorum ad Judæos Ægyptios, petentium, ut Festum Dedicationis Templi sui agerent, quemadmodum alia celebrarent, libro secundo Maccab. cap. primo: quam in manus sumere, non erit inutile.

CAP. VIII.

De Synagogis.

HActenus de Templo, sive de Templis sit dictum: sequitur, ut (69) de Synagogis agamus; etsi enim hæ non Templa fuerunt, tamen (70) aliquid Templo simile habuerunt. (71) Origo autem Synagogarum non

(66) Quum IV. Regum capite XVII. quinam fuerint veri Samaritarum parentes describatur, vellentque ipsi a Josepho, ejusque filiis Manasse, & Ephraim seriem generis sui aliquando deducere; non solum libros Regum eorum originem continentes, sed universum etiam canonem Judæorum, præter Moysis Pentateuchum, Samaritæ rejiciebant.

(67) Jupiter Hospitalis credebatur hospitii præses, & vindex, in cujus tutela hospites essent. Unde dixit Cicero pro Rege Dejotaro: *Si te palam interemisset, Jovis quidem illius Hospitalis numen non umquam celare potuisset.* Et Virgilius Æneidum primo v. 735.

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis.

Imo apud Poëtas celebris est Lycaonis fabula, qui hospites, quos excipiebat, enecare solitus erat: at à suscepto Jove, cui humanas epulas apposuit, versus in lupum, ostendit exemplo suo hospitii jura non esse violanda. Hinc Veteres mutua hospitii jura paciscentes, ad ostium progrediebantur, pedemque in eo ponentes junctis dextris fidem invicem sibi promittebant, qua hospes ab hospite se tutum putaret; postmodum domum intrabant. Virgilius III. Æneid.

Jungimus hospitio dextras, & tecta subimus.

Et Cicero item pro Rege Dejotaro: *Per dextram, quam hospes hospiti porrexisti.*

(68) Historiam Templi Oniæ desumsit Noster à Josepho Antiqu. XIII. 6., sed eam paulo aliter narrant Rabbini tum in Misna tit. de oblationibus vespertinis, capite XIII., tum in Gemara Babyl. fol. 109. Narratiunculæ (quæ sive vera, sive falsa sit, parum interest) summa est.

Simonem justum Pontificem Maximum Oniæ filio minorenni testamento Sacerdotium tradidisse, quod frater ejus Semei natu major mente captus esset, atque obeundis sacris minus idoneus. Hoc autem erat contra Legem Dei, quæ primogenito defert Sacerdotium. Onias ergo, ut ex fratris stupiditate rebus suis prospiceret, vestivit illum illegitimo habitu, atque ita constituit eum ad altare. Quo viso Patres Synedrii magni sciscitati sunt ab Onia, quid sibi hoc vellet? Respondit Onias se ne-

scire, fratremque stolidum esse.

At comperta fraude furor patrum in Oniam exarsit, eumque conabantur occidere. Onias vero in Ægyptum se recepit, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, à quibus ædificandi Templum Alexandriæ, ubi quamplures erant Judæi, veniam impetravit.

(69) A verbo Græco συνάγω *colligo*, vel *congrego* est συναγωγή *congregatio*, vel *conventus*, cui Hebrææ voces respondent עדה, & קהל.

Vox autem Synagoga duplicem habet significationem; altera ædem, in qua Judæi congregantur; altera conventum populi Judaici, sive universi, sive partis, significat. Unde dicitur Synagoga malignantium, superborum, ludentium, & cetera.

(70) Primò sicut Templum in edito, idest in monte Moria, erat extructum; ita Synagogæ, quæ in urbibus præsertim ædificabantur, omnibus ædibus debebant eminere. Quo Rabbini referunt verba Sapientiæ in excelsis urbium clamantis. Proverb. 8. 2. Secundò sicut Templi ingressus erat ad Orientem; ita etiam porta Synagogarum ad Orientem spectabat. Tertiò sicut Templum in atria erat distinctum; ita Synagogæ diversa loca complectebantur; nam erat in eis sacellum, in quo liber Legis legebatur, & reponebatur, atrium superius, quo mulieres, & inferius, quo viri conveniebant.

Præterea inter Templum, & Synagogas multum intererat; præcipue vero, quod usus Templi esset, ut in eo fierent sacrificia, oblationes, & thymiamata: in Synagogis vero solummodo legebatur Verbum Dei, preces fundebantur, & concio habebatur ad populum. Deinde à Templo omnes Synagogæ dependebant, ad quod Judæi universi etiam extra Palæstinam incolentes, eorum dona mittebant, tum in Templi venerationem, tum ad ostendendam religionis unitatem. Hinc queritur Cicero in Oratione pro Flacco, aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari solitum esse.

(71) Qui antiquiores captivitate Babylonia Synagogae opinantur fuisse, contra quam Noster scribit hoc loco; sequentibus præcipue momentis innituntur.

I. Id conantur evincere ex Judicum XX. 1., ubi egressi dicuntur omnes filii Israël, & pa-

A fuit vetusta, neque enim in Historia Judicum aut Regum ulla earum memoria celebratur. Ego vero, si quid in ejusmodi antiquitate concipienda conjecturæ est concedendum, eas in Babylonico exilio primum constructas putarim, ut qui Templo carerent, in quo aut orarent, aut docerent, locum aliquem similem Templo haberent, in quem ejusmodi officii gratiâ convenirent, atque hoc idem fecisse reliquos dispersionis Judæos in Asia, Ægypto, & Europa censuerim. Itaque in provinciis, ubi Templum non fuit, frequentissima fuit Synagogarum consuetudo. Postquam autem Judæi ex Babylonia redierunt, ac Templum in Urbe Hierosolymorum restituerunt, B simul etiam institutum jam Synagogarum usum retinuerunt, ut Judæi (72) Hierosolymitani in Templo Legem audirent, provinciales vero, cum ad Urbem veniebant, in Synagogis. In Commentariis certe Hebræorum scriptum est, ultimis temporibus in Urbe Hierosolyma (73) quadringentas octoginta Synagogas constitutas fuisse, quod Judæi eò ex omnibus regionibus convenirent. Erant ergo Hierosolymis Synagogæ peregrinorum, Templum civium; in reliqua vero Judæa, & Galilæa, & in ceteris provinciis, in quibus Judæi post dispersionem versabantur, erant ipsorum etiam incolarum, quibus Hierosolyma adire non erat commodum. De Hierosolymitana una Synagoga mentio fit præcipue Actuum capite sexto: *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ* (74) *appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, ac eorum, qui erant è Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano*. Hi enim omnes erant Judæi, verum in provinciis habitantes, qui cum Hierosolyma negotiorum suorum caussa adibant, non ad Templum, sed ad Synagogam, quam ipsi sibi paraverant, convenire instituerant; item apud Joannem decimo octavo: *Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt*. De ceteris capite Actuum decimo quinto: *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur*. Moysem autem intelligit libros ejus; & nono: *Paulus petiit à Pontifice epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus Sectæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*. De Synagogis Galilææ, quas Christus, & Asiæ, quas S. Paulus adivit, multa in Evangeliis & Actis testi-

riter congregati ad Dominum in Maspha (credunt ibi altare fuisse, cunctæque Tribus in Ecclesiam populi Dei convenisse. Præsertim quum Maspha I. Macchab. III. 46 locus C dicatur fundendis precibus destinatus: *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Jerusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israël*.

II. Ex Psalmo secundum Hebræos 74. apud nos 71., in quo dum Auctor prophetico spiritu eversionem describit, & incendium Urbis, & Templi per Chaldæos efficiendam, de Synagogis etiam loqui videtur tum versiculo quarto: *& gloriati sunt, qui oderunt te* בקרב מועדך *in medio conventus tui*: habet Vulgata *in medio solemnitatis tuæ*: tum versiculo octavo: שרפו כל מעדי אל בארץ *Incenderunt omnes conventus Dei in terra*, & in Vulgata: *quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*.

D III. Ab ætate Elisæi aliqua vestigia Synagogarum inveniunt, quum religiosissimi quoque die Sabbathi, & Neomeniis ad illum convenirent audiendæ caussa sacræ lectionis. IV. Reg IV. 23.

IV. Denique ex Actis Apostolorum XV. 21., in quibus ab antiquo tempore Moyses dicitur legi consuevisse in Synagogis, quæ antiqua tempora nimium illis videntur coarctari, si ad Esdræ ætatem solummodo resecantur: *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur*.

(72) Non ita intelligendi sunt verba Sigonii, ut provinciales ingredi non possent in Templum ad audiendam legis explicationem, quæ sub porticibus habebatur: sed quum plerique provinciales suas haberent Synagogas, quas sibi paraverant in Urbe Jerusalem, in illis legem E audire soliti erant, quo huic commodius interessent: & hoc sensu Hierosolymis Synagogæ erant peregrinorum, Templum civium.

(73) Habet hunc numerum Synagogarum Rabbi Phinees in Gemara Hierosolymitana ad titulum de solenni lectione libri Ester cap. III., ubi legitur: *Synagogæ Hierosolymis erant CCCCLXXX. In earum qualibet habebatur Bibliotheca, & domus doctrinæ; Bibliotheca, qua Scripturæ prælegerentur; domus doctrinæ, qua doceretur Misna. Harum autem universas sustulit Vespasianus*. Synagogis enim Scholæ connexæ erant, in quibus subtilius legis studium agitabatur, a cujus subtiliore inquisitione בית המדרש appellabantur.

Scholas vero diversas fuisse à Synagogis constat ex Actuum Apostolorum XIX. 8. 9 ubi Paulus relicta Synagoga, in qua integrum trimestre docuerat, transiisse legitur cum discipulis C suis in Scholam cujusdam nomine Tyranni, ut Syrus, & Arabe interpretantur.

(74) Quænam fuerit Synagoga Libertinorum, non satis explocatum est. Sunt, qui putant Λιβερτίνων corruptâ vocem ex Λιβυστίνων, coutandumque Synagogam Judæorum Lybiæ inter Ægyptum, & Cyrenen designari, Suida non refragante, qui scripsit *Libertini* esse nomen gentis Λιβερτῖνοι ὄνομα ἔθνους.

Alii Libertinorum nomine filios Judæorum sentiunt significari, qui a Pompejo, & Sosio deducti Romam captivi, & postea manumissi, demumque pulsi edicto Tiberii ex Italia, Hierosolymam redierunt. Qui enim ex servis D liberi facti erant, dicebantur Liberti; filii vero in hac libertate nati Libertini. Constat autem multos Judaicæ religionis Romæ Libertinos fuisse, inter quos fuit Cæcilius ille, in quem est divinatio Ciceronis, ut refert Plutarchus. Imo Tacitus II. Annalium ait: *quatuor millia libertini generis, superstitione Judaica infecta, missa in Sardiniam*. Et Philo de Legatione scribit, trans Tiberim bonam Urbis partem Libertinos hosce Judæos incoluisse.

At aliam rationem iniit Cl. Harduinus explicandæ Synagogæ Libertinorum. Putavit duas tantum Synagogas fuisse Hierosolymis; unam Hebræorum, Libertinorum alteram. Synagoga Hebræorum, Harduino auctore, illorum erat, qui Jerusalem, Palæstinamque incolebant. Libertinorum vero Judæorum erat, qui ad Septemtrionem, vel Meridiem Urbis habitabant. Cilices, & Asiatici ad Septemtrionem Cyrenenses, & Alexandrini ad Meridiem. E Hoc modo explicat S. Lucam: *Synagoge, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia*: ut τὸ *Libertinorum* genericum nomen sit, cetera vero hujus generis species. Novam hanc explicationem Harduinus desumit a nomine *Libertinus*, quod a duabus Hebraicis vocibus credidit derivatum. A לעבר videlicet, quod *ad latus*, & הגני pro שני, quod *duo* significat. Unde Synagoga Libertinorum, Harduino judice, Synagoga erit Judæorum ad duo latera Jerusalem, ut dictum est, incolentium.

testimonia extant, quæ postea referentur, ubi de Scribis agetur. Hæ vero Synagogæ aliquando à privatis hominibus, & quidem etiam gentilibus, pii officii caussa construebantur, ut illa VII. Lucæ in Capharnao à Centurione Romano; sic enim dixere Judæi: *Dignus est, ut fines illi servum, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ædificavit ipse nobis*. Ut autem in Templo Sacerdotes & Pontifex principatum gerebant, sic in Synagogis Scribæ, & eorum princeps is, qui Synagogæ princeps, sive (75) Archisynagogus dicebatur, & probri loco maximi ducebatur, si quis Synagogæ, id est, cœtus illius, qui ad audiendum conveniebat, expers factus fuisset. Unde scriptum est apud S. Joannem, nono: *Conspiraverunt Judæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret*; & XII. *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur*, (76) *ut è Synagoga non ejicerentur*. Quin etiam in iisdem locis Scribæ ambitionis caussa primas Cathedras affectarunt,

(75) *Dictus ab Hebræis* ראש הקהל *Caput Synagogæ*, cujus munus erat præsidere Synagogis, aliisque cœtibus pro religionis negotiis. quod munus aliquando uni, aliquando pluribus mandabatur pro temporum, & locorum diversitate. Initium præterea legendi indicabat Prælectori, populoque innuebant tempus respondendi אמן *amen*. Ita in Synagoga Nazareth Christo miraculis claro Archisynagogus tradidit librum Isaiæ, qui legit explanavitque locum Prophetæ capitis 61. *Spiritus Domini super me* &c. Lucæ IV. 16. Et Archisynagogi Antiochiæ Pisidiæ post lectionem Legis & Prophetarum locum fecerunt Apostolis sermonem habendi ad plebem. Actorum XIII. 15. Ita etiam Lucæ XIII. 14. Archisynagogus intempestivum zelum legis prae se ferens indignabatur, quod Jesus Sabbatho curasset mulierem annos decem & octo valetudine conflictatam, dixitque: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbathi*.

Eversa autem circa annum Christi septuagesimum eorum politia, Patriarcharum arbitrio Synagogæ cœperunt parère, quorum jurisdictioni subjecti erant Archisynagogi. Destructo enim Templo, & Urbe, ut inter ipsos aliquod vinculum societatis extaret, Patriarchæ Judæorum nomen inclaruit, cui quotannis certam pecuniam auri coronarii nomine Judæi, qua Orientem, qua Occidentem incolentes, persolvebant. Hanc anniversariam pensionem Theodosius Junior fisco suo vindicavit, sacris largitionibus illam inferri jubens solerti Comitis inquisitione, ut constat ex L. ult. Cod. Theodos. tit. de Judæis, Cœlic. & Samarit.

Duo autem Patriarchæ Judæorum dicuntur fuisse constituti: alter Babylone in gratiam Judæorum trans Euphratem sub Parthis degentium: alter Tiberiade Galilææ pro Judæis intra fines Romani imperii dispersis. Priorum successio, licet obscura, usque ad annum MCC. deducitur: posteriorum vero usque ad annum CCCCXX. circa quod tempus hosce Patriarchas fuisse sublatos patet ex Cod. Theod. L. XVI tit. VIII C. XXIX., ubi Lex tertio Kal. Junias Constantinopoli lata anno CCCCXXIX. de his Patriarchis loquitur, ut jam abrogatis. Hujusmodi Patriarchæ se de Tribu Juda nominabant, teste Origene περὶ ἀρχῶν IV. c. 1.: quod negat S. Cyrillus Catechesi XII.; illosque ad stirpem Herodis refert Theodoretus Dial. I., & S. Epiphanius ad illum Gamalielem, cujus in Actis Apostolorum fit mentio.

Ceterum quinam fuerint hi Patriarchæ, ex D. Hieronymo, & Jo. Chrysostomo potest intelligi. Primus III. cap. Isaiæ ad v. *Effeminati dominabuntur eis. Consideremus*, inquit, *Patriarchas Judæorum, & juvenes, sive pueros* (filius enim Patrem excipiebat in munere) *effeminatosque ac deliciis affluentes, & completam prophetiam esse cernemus. Possumus illustres dicere, & Magistros populi Israel, qui devorant populum Dei, sicut escam panis, & perversa Scripturas sanctas interpretantur, illuduntque stultitia discipulorum*.

Alter Orat. VI. adversus Judæos ita non minus vere, quam graviter eos perstringit: *Ubi illa apud vos veneranda, ubi Pontifex, ubi stola & rationale, ubi declaratio? Ne vero mihi illos Patriarchas dixeris, caupones, negotiatores, omni iniquitate plenos. Dic mihi qualis est Sacerdos, quum non sit vetus illud oleum, neque quidquam omnino veteris sanctimoniæ? Dic inquam mihi qualis Sacrificus, quum non sit Sacrificium, neque Altare, neque cultus? Vis tibi recitem leges de Sacerdotio, quomodo soliti sint olim consecrari, ut intelligas, eos, qui nunc apud vos dicuntur Patriarchæ, non esse Sacerdotes, sed per simulationem Sacerdotum agere personam; nec aliter ludere, quam histriones in scena: imo, ut verius dicam, nec sustinere posse Sacerdotis personam; tam procul absunt, non solum à veritate, verum etiam ab ipsa simulatione Sacerdotii*.

(76) Per excommunicationis sententiam aliquis è Synagoga ejiciebatur; quæ triplex erat apud Judæos.

נידוי *separatio*, levissimum excommunicationis genus, qua innodati ab aliorum commercio, & etiam ab uxore separabantur, nec ad quatuor cubitos prope accedere poterant, sed triginta solidis diebus ad minus in hac separatione debebant permanere; a qua tamen à tribus Doctoribus poterant absolvi.

חרם *anathema*, est excommunicatio major *Niddùi*, qua irretiti à Synagoga cum diris, & maledictionibus excluduntur, vetitumque est cum his loqui, edere, aut bibere, nec possunt, nisi coram concilio ad minus decem personarum, absolvi.

שמתא *excisio*, est excommunicationis species gravissima, execrationem adjunctam habens, sine ulla spe reditus ad communionem, quæ quadringentis tubis in Synagoga clangentibus, & atris tædis incensis, ad maximum terrorem incutiendum, inuritur. Hujus vocis *Schiammathà* hoc ethymon tradunt Rabbini שם מיתה *ibi est mors*; sed alii censent hanc vocem *Schiammathà* eandem significationem habere, ac Syriacam vocem *Maranathà* מרן אתא *Dominus veniet*, idest *ad judicandum* posito שם pro השם nomine Deum exprimente in voce *Schiammathà*.

De *Maranathà* mentio est apud S. Paulum I. ad Corinth. XVI. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranathà*. Ceterum quum *Schiammathà* aliquando pro *Niddui*, & *Cherem* legatur usurpata, non desunt Eruditi viri, qui solum duas species excommunicationis apud Judæos agnoscunt, majoris scilicet, & minoris.

Excommunicationis usus apud Judæos jam inde ab ætate Barac, & Deboræ, si Magistris fides sit (Gemar. Babylon. ad tit. Moed Katon c. 3.) obtinebat: nam in Cantico Deboræ hæc verba inveniuntur: *Maledicite terræ Meroz, maledicite habitatoribus ejus; quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus*. Imo ab ipso Adamo usum excommunicationis incœpisse scribit R. Jeremias Ben Eliez. in gloss. Talmud. ad tit. Erubin cap. II. quandoquidem Ada a terrestri Paradiso pulsus fuit. Verum parum refert ad vindicandam tantam vetustatem excommunicationi laborare, quum ejus usus sub Esdra, & Nehemia luculenter probetur. Esdræ I. 10., & II. 13. 25. 26

Præter excommunicationis sententiam proferri solitam in Synagogis; flagellatio etiam pœna minor excommunicatione in illis peragebatur. Christus Dominus inquit apud Sanctum Matthæum capite X. 17. *In Synagogis suis flagel-*

runt, quod Christus eis objecit, cum præcipuam illorum contundere fur[illegible] [illegible]rbiam vellet. Sed de officio Scribarum i[illegible] [illegible] Synagogis post suo loco pluribus, ubi e[illegible] [illegible]uam alia de Synagogis adjicientur; nunc enim hæc de Synagogis dicere voluimus, ut eas diversum aliquid à Templo esse ostenderemus; cujus rei argumento est, quod eædem everso etiam Templo in hunc usque diem servatæ sunt; unde Ecclesiæ Christianorum opposita est Synagoga Judæorum.

gel[illegible] *abunt vos*; furorem scilicet Judæorum prænuncians, qui Apostolos in eorum Synagogis prædicantes è vestigio erant flagellaturi. Haud ignoro quibusdam Eruditis ita persuasum esse, ut nulla flagellatio in Synagogis ageretur; putareque in laudato S. Matthæi loco Synagogæ nomine conventus civiles, seu juridicos indicari, præsertim vero Synedrium triumvirale, quod erat in unaquaque Synagoga, ferebatque judicium de quarunque controversia ad Synagogam spectante.

Sed mihi probabilius videtur de Synagogis sumptis vulgari sensu verba S. Evangelistæ esse intelligenda. Nam I. certum est extra Romanum imperium Regum beneficio concessam fuisse Judæis αἰχμαλωτάρχαις animadversionem in populares suos, quam in Synagogis exercuisse pronum est credere. II. Narrat Sanctos Epiphanius, Judæum quemdam, quod Christo nomen dare vellet, flagris in Synagoga cæsum fuisse. III. Demum apud Eusebium citatur Liber, imperante Commodo, adversus Montanistas scriptus, ubi legitur: eorum gregis neminem in Synagogis Judæorum flagellatum esse.

Si Rabbinorum scripta legimus, sequentia de flagellatione ipsi tradunt. Vulgaria in Legem crimina, quin & ea omnia, quibus nulla mortis pœna indicta legitur, flagrorum expiationi erat subjecta. Ictuum numerus semper certus usque ad triginta novem à quibusdam asseritur juxta id, quod de hac re in Lege præcipitur: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Alii tamen malunt pro criminum atrocitate ictuum numerum auctum fuisse. Demum hæc flagrorum pœna, testantibus Judæorum Magistris, nullâ ignominiâ reum afficiebat; imo si Pontifex ipse, vel Rex, quid in Legem admisissent, eâdem pœnâ afficiebantur.

Explicit Liber Secundus.

CA-

CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM
LIBER TERTIUS,
Qui de Diebus Sacris inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

De Annis Hebraicis.

QUoniam de locis sacris diximus, deinceps sequitur, ut de diebus, prout proposueramus, agamus. Quæ disputatio, quo apertius explicetur, prius de tota ratione Hebraicorum annorum ac mensium differetur. (1) Hebræi igitur, ut satis inter Interpretes constat, (2) annum habuerunt Lunarem ex mensibus duodecim, & diebus trecentis quinquaginta quatuor constitutum; eum vero duplicem: unum, quem (3) naturalem, & vulgarem: alterum, quem civilem, & sacrum appellaverunt. Naturalis ab initio Mundi sub æquinoctium autumnale est institutus, quo tempore ipsi etiam (4) Mundum à Deo creatum existimarunt. Civilis ante egressum Hebræorum (5) ex Ægypto sub æquinoctium vernum à Deo præscriptus est; ille

(1) Inter Judæos peritissimi Astronomi erant de Tribu Isachar, qui noverant, ut ait Kimchi, intercalationem annorum, & fixiunem mensium, idest, determinare mensium initia, & Neomenias, & sciebant revolutiones planetarum, & tempore Mundi.

(2) Ab initio Mundi usque ad Moysis ævum annos fuisse Solares, duodecim mensibus XXX. dierum constantes, ex supputatione dierum diluvii, quos Moyses anumerat, *Geneseos VII*, plane intelligitur, ut ex ratiocinatione S. Augustini infra adducenda constabit. Postquam vero Judæi egressi sunt ex Ægypto, uti cœperunt annis Lunæ-Solaribus, quum à novilunio, quod æquinoctium vernum proxime antecedit, initium anni desumerent. *Luna*, ait Auctor Ecclesiastici XLIII. 6., *ostensio temporis, & signum ævi: à Luna signum dies festi*.

Tradit Maimonides Judæorum annos Solares esse, menses vero Lunares, quod etiam de annis Græcorum Geminus Isagog. c. 6., animadvertit: *Universi Græci annos juxta Solem, menses vero, & dies juxta Lunam agebant*.

(3) Præter divisionem anni in naturalem, sacrum, & civilem, erat etiam apud Hebræos annus Sabbathicus, & quinquagesimus. Annus Sabbathicus singulis revolutis septenniis recurrebat, habebatque à mense Septembri initium, & finem. Quinquagesimus erat annus Jubilui, qui post evolutas septem annorum hebdomades, sive singulis quadraginta novem annis, recurrebat: de quibus infra differetur.

(4) An ad æquinoctium vernum, vel autumnale creatio Mundi referenda sit, inter Eruditos non convenit. Mundi initium in Autumno statuandum esse, duo suadent: primum, mos Hebræorum, Ægyptiorum, & pene omnium Orientalium, inchoandi anni ab Autumno, qui mos à primis hominibus videri potest derivasse: alterum, Geneseos caput III., ubi arboribus fructus fuisse leguntur: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus*.

Sancti Patres vero tum Latini, tum Græci ad æquinoctium vernum exordium Mundi magis communiter retulere: è quorum numero satis erit hoc loco D. Ambrosii verba referre, qui libro II. Hexam. cap. 4. ad illa verba Exodi: *Mensis iste vobis principium mensium, primus vobis erit in mensibus anni*, ita graviter differit: *In hoc principio mensium Cœlum, & Terram fecit, quod inde Mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies; unde & annus Mundi imaginem nascentis expressit*. Poëtæ etiam in exordio Mundi omnia vernasse cecinere. Virg. Georg. II.

Non alios prima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat: Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

(5) Annorum supputatio omnium prima apud Hebræos instituta fuit ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, quæ quidem supputatio usque ad controctionem Templi Salomonis invaluit. Post ædificatum Templum cœperunt annos numerare ab illius ædificatione. Illo à Chaldæis everso, aliquando annos numerabant ab ejus excidio, aliquando vero ab annis exterorum Regum, quibus parebant. At ubi in patriam reduces Templum denuo excitarunt, à condito Templo secundo novam Epocham duxerunt. Ab hac annorum supputatio usque ad Alexandrum Magnum in usu fuit.

Etenim quo tempore Alexander venit Jerusalem, petiit à Pontifice, ut sibi statuam auream in monumentum erigeret (quod urbi Jerusalem pepercisset) eamque collocaret inter porticum & altare. Alexandro respondit Pontifex: interdictum Judæis esse quodcunque sculptile; monumentum tamen postulatis majus se positurum, tum de nomine Alexandri omnes filios Sacerdotum vocando, qui illo anno nati essent; tum ab illius adventu annos deinceps numerando: quod ita placuit Alexandro, ut magna auri copia Judæos donaverit. Historia hujus novæ Epochæ refertur à Rabbinis solummodo, quorum auctoritati (si quid valet) narrata innituntur.

Ceterum hac Æra Judæi ultra mille annos usi sunt, quæ dicta est מנין שטרית *Æra contractuum*, qui hac Æra obsignabantur, & deinceps *Æra principatuum*, a quatuor nempe Imperiis, in quæ scissum fuit Alexandri Regnum post ejus obitum. Licet enim sub Simone Summo Pontifice Judæi a Seleucidarum jugo liberati, novam instituerint Æram, ut legitur libro I. Macchabæorum cap XIII. 41. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum Gentium ab Israël. Et cœpit populus scribere in tabulis, & gestis publicis: anno primo sub Simone Summo Sacerdote, magno Duce, & Principe Judæorum*. Æram tamen principatuum una simul retinuerunt, ut constat sequenti capite ejusdem libri vers. 27. *Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone Sacerdote Magno*.

Demum à creatione Mundi annorum supputatio, quæ apud nostræ ætatis Judæos nunc obtinet, nisi post Gemaram, & longo quidem intervallo, non cœpit in usu esse. Annus Æræ

ille post conditos fructus, hic ante inchoatam messem. Ut autem Lunaris annus fieret Solaris, id est, spatio, quo Sol Zodiaco circumvolvitur, finiretur, qui cursum suum diebus trecentis sexaginta quinque, ac quadrante absolvit, (6) opus intercalatione undecim dierum, & quadrantis, qui supererant, fuit.

Ceterum numerus (7) duodecim mensium confirmatur quarto tertii Regum: *Habebat Salomon duodecim Præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam Regi, & domui ejus: per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant*; & IV. Danielis: *Post finem duodecim mensium in aula Babylonis deambulabat*; & III. Esther: *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan, missa est sors in urnam, & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar*.

De anno vero naturali incipiente (8) à mense Septembri docet caput XXIII. Exodi: *Custodies solemnitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro*; & XXXIV. *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*. Adde quod annus septimus, & annus quinquagesimus ordiebatur à septimo mense, ut postea demonstrabitur, tanquam ab eo, unde vetus & naturalis annus exordium sumeret. Quin etiam Chaldæus Paraphrastes locum ex VIII. tertii Regum ita expressit: *Convenerunt ad Salomonem in mense Fortium festo die, quem vocabant olim primum mensem, at nunc est septimus*. Josephus autem libro Antiqu. primo tradidit, (9) Diluvium Noë cœpisse secundo mense anni, qui à Macedonibus vocatur Dios, ab Hebræis Marheshvan, qui respondet apud Romanos Octobri.

De institutione vero (10) sacri anni sic præcepit Deus in Ægypto capite XII. Exodi: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Eum vero mensem post vocavit cap. XXXIII. *mensem Novarum frugum*;

Vulgaris 1733., quo ista scribo, Judæis est a Creatione Mundi juxta eorum Chronologiam 5493., quem compendii caussa scribere solent 493. millenariis numeris abjectis.

(6) Quum annus Lunaris constet diebus trecentis quinquaginta quatuor, Solaris vero trecentis sexaginta quinque sex horis, minus minutis undecim, ne anni tempestates inverterentur, opus fuit annum Lunarem, unde Neomeniæ, & Festum Paschatis, & Pentecostes dependebant, ad Solarem annum reducere. Deficiebat igitur annus Lunaris a Solari undecim diebus, qui singulis triennis triginta tres dies producebant; atque adeo triginta dies constituebant mensem, qui ultimo mensi אדר *Adar* adjectus ואדר nominabatur. Id fiebat usque ad annum decimum nonum; unde circulus Lunaris originem habuit, qui aureus numerus solet appellari, quod eo exacto Sol & Luna concurrerent in cœli puncto, quo erant, quando hic cyclus incœpit. Hebræi se hunc cyclum invenisse gloriantur: verum Græci, quibus notus fuit, adscribunt illum Metoni Astronomo, appellantque idcirco cyclum *Metonicum*. Quando vero addendus erat *Veadar*, cœtus Judæorum Jerusalem, cui hoc erat commissum, ceteros Judæos per literas de hac re certiores faciebat; quarum variæ formulæ, sed ad eundem sensum spectantes, à Rabbinis referuntur. Harum unum exemplum satius sit adscribere: *Fratribus nostris, filiis deportationis Babylonicæ, seu qui in Babylonia peregrinantur, iis etiam qui in Media sunt, & Græcia, ceterisque universis Israëlitis ubicumque peregre agentibus, pacem vobis multam. Notum est vobis, quod quum agni adhuc sint teneri, & pulli columbarum graciles, & tempus Abib, seu maturescentium frugum nondum ita prope sit; visum est mihi, & Collegis meis adjicere huic anno dies triginta*.

(7) Unde dictus sit mensis, non eadem est Eruditorum sententia. Aliqui a Latino *metior* mensem derivant, quasi sit numerus dierum mensus: quidam a Græco ἀπὸ τῆς Μήνης, id est Luna, mensis Etymologiam arcessunt; nam intra illius spatium Luna eodem, unde instituit cursum, regreditur: alii tandem ex Hebræo מנה *numeravit*, vel מני *Luna* originem vocis desumunt; quandoquidem Hebræi inter primos fuerunt, qui menses ad Lunæ cursum cœperunt metiri. Hinc ירח apud eosdem & *Luna*, & *mensis* nomen extitit.

(8) Anni civilis initium buccinarum sonitu annunciabatur; *dies enim clangoris erat, & tubarum*, ut Numer XXIX. præcipitur: ubi Moyses enumerat sacrificia, quæ in Neomenia Tisri offerenda erant, præter sacrificia Neomeniarum propria.

(9) Ex ipsa historia Diluvii a Moyse scripta, urget S. Augustinus libro XV. de Civitate Dei capite XIV. efficax argumentum, quo probat annos, & menses Patriarcharum, annis, & mensibus nostris pares fuisse. Verba Sancti Doctoris sunt sequentia: „ Sexcentesimo anno vitæ Noë scriptum est factum esse Diluvium: Cur ergo ibi legitur: *Et aqua Diluvii facta est super terram sexcentesimo anno in vita Noë, secundi mensis, septima & vicesima mensis*; Si annus ille minimus, quales decem faciunt unum nostrum, triginta sex dies habebat? Tantillus quippe annus, si antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menses, aut mensis ejus est triduum, ut habeat duodecim menses. Quomodo igitur hic dictum est: *sexcentesimo anno, secundi mensis septima, & vicesima die mensis*, nisi quia tales quales nunc sunt, etiam tunc erant menses? Nam, quo pacto aliter, vicesimo & septimo die secundi mensis diceretur cœptum esse Diluvium? Deinde postea in fine Diluvii, ita legitur: *Et sedit Arca in mense septimo, septima & vicesima die mensis, super montes Ararat. Aqua autem minuebatur usque ad undecimum mensem; in undecimo autem mense, prima die mensis, paruerunt capita montium*. Si igitur tales menses erant, tales profecto & anni erant, quales nunc habemus. Menses quippe illi triduani, viginti & septem dies habere non poterant. Aut si pars tricesima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur; ergo nec toto quatriduo nostro factum est illud tam grande Diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus & noctibus. Quis hanc absurditatem & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjectura falsa ita vult adstruere Scripturarum nostrarum fidem, ut alibi destruat. Prorsus tantus etiam tunc dies fuit, quantus nunc est, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant; tantus mensis, quantus & nunc est, quem Luna cœpta & finita concludit; tantus annus quantus & nunc est, quem duodecim menses Lunares additis propter cursum Solarem quinque diebus & quadrante consummant: quanti anni sexcentesimi vitæ Noë secundus erat mensis, ejusque mensis vicesimus & septimus dies, quando cœpit esse Diluvium; in quo dies quadraginta continuatæ ingentis pluviæ memorantur, qui dies non binas ac paullo amplius horas habebant, sed vicenas & quaternas die noctuque transactas.

(10) Primus mensis anni sacri erat Nisan, quo mense Israëlitæ egressi sunt ex Ægypto. Moyses hunc primum mensem appellat אביב *Abib*, quæ vox quum *spicas virides* significet, mensis Abib dicitur mensis *novarum frugum*, Exodi XIII. 4. Appellatur etiam mensis Vernorum, quod fortasse tunc temporis ea hibernis deducerentur exercitus.

Ceterum annus in sex tempestates a Judæis dividebatur, idest in tempestatem sementis, hye-

A *gum*; & XXXIV. *mensem veroi temporis*. Quare omnium consensu putatur fuisse idem atque Martius.

De intercalatione non extat Præceptum in Lege ullum, verum Interpretes asserunt, eam necessariam fuisse, nt conservaretur ratio mensium, qui à nnva semper Luna exorsi sunt; & Paschæ, quam quartadecima die primi mensis celebrari oportuit paulo ante messem; & Tabernaculorum, quæ perfecta vindemia celebrari Deus præcepit. Eos vero dies Judæi interposuerunt secundo & quarto quoque anno post mensem duodecimum, qui dicitur Adar. Itaque eum mensem tertiumdecimum vocant Veadar, quasi alterum Adar, dierum viginti dunrum, & viginti trium, vicibus alternatis, habita ratione quadrantis.

CAP. II.

De Mensibus.

MEnses porro singulos instituerunt (11) à nova Luna; eos vero ante exilium Babylnnicum nominarunt à numero, prout quisque primus erat, aut secundus, aut tertius usque ad duodecimum. Post reditum autem ex Babylonia his ferme, ut ajunt Interpretes, (12) ornati sunt nominibus Nisan, Zius, sive Jar, Sivan, Tamuz, Ab, Elul, Ethanim, sive Tisri,

---

B hyemis, frigoris, messis, æstatis, & caloris, quarum singulæ duos menses integros complectebantur hoc modo:

TEMPESTAS	
זרע *Sementis*	Dimidium Tisri Marchesvan Et dimidium Casleu
חירף *Hyems*	Dimidium Casleu Tebeth Et dimidium Schebeth
קור *Frigus*	Dimidium Schebeth Adar Et dimidium Nisan
קציר *Messis*	Dimidium Nisan Ijar Et dimidium Sivan
קיץ *Æstas*	Dimidium Sivan Tammuz Et dimidium Ab
חום *Calor*	Dimidium Ab Elul Et dimidium Tisri.

C

(11) Non à conjunctione Lunæ cum Sole, sed ab ejus phasi Judæi supputabant Novilunia. Ferunt enim Rabbini in editis quibusdam speculis certos viros destinatos fuisse, qui statim ac Lunam redintegratam vidissent, ejus rei nuncium ad Synedrium deferrent. Nuncii interim examinabantur, quando, qua figura, & qua parte cœli Lunam conspexissent, idD tis etiam, ætate Christi, ostendendo R. Gamalielis (cujus Apostolus fuit auditor) Seleniacas tabulas, ut hanc vel illam Lunæ speciem ab ipsis visam designarent. Rei veritate explorata, si de phasi Lunæ constaret, Præses proclamabat מקודש מקודש, *sanctificata est*, *sanctificata est*, atque inde novi mensis exordium annunciabatur clangentibus buccinis. Addunt insuper Rabbini duos Neomeniæ festos dies celebrari consuevisse; alterum Lunæ delitescentis; alterum Lunæ prodeuntis, ne in illorum observatione *ob dubium de luminaribus*, ut ipsi loquuntur, quidpiam errarent. Sed fortasse in provinciis remotis ab urbe Jerusalem, potuit id contigisse: in Urbe vero, ubi fixum erat Kalendarium diebus E festis dirigendis, id fuisse factum, quis credat? Quum præsertim non à synodo, veraque, vel media conjunctione Lunæ cum Sole; sed à prima post synodum phasi à Judæis, quoad stetit eorum Respublica, determinatas fuisse Neomenias, perspicuum habeamus testimonium apud S. Clementem Alexandrinum lib. VI. Stromatum. Ibi enim refert Eruditissimus Pater Epistolam Petro Apostolo attributam, in qua dicitur: *Nisi Luna appareat, neque Neomeniam agunt*. Huic alterum accedit à Philone desumptum, ubi scripsit: *Neomeniam esse, quæ synodo Lunari, seu Novilunio succedit*. Non nego tamen Judæos aliqua cœlestium motuum doctrina præditos fuisse, eosque periodo sive Hipparchæa, sive Calippica, sive quacunque alia uti consuevisse, ex quibus diem sperandæ phaseos providerent, mitterentque viros in loca edita ad eam explorandam. Imo si Rabbi Davidi Kimchi fides non deest, homines ex Tribu Issachar, ut supra diximus, hac scientia præstabant ceteris. Sed ad indicendas populo Neomenias, quod spectabat, regulam vulgo evidentiorem sequebantur ex solo visu Lunæ certificatam.

(12) Duodecim menses ætate Moysis per numeros primus, secundus, tertius &c. efferebantur: solumque mensis אביב *Abib novarum frugum* occurrit in Exodo XIII. 4. & Deuteron. XVI. 1. Ætate Salomonis legitur mensis זו *Zeiv* III. Reg. VI. 1., qui *Ijar* secundo anni sacri respondet; mensis בול *Bul* ibidem cap. VI. 8., qui octavo anni sacri *Marchesvan* convenit; & mensis איתנים *Ethanim* ejusdem libri cap. VIII. 2., qui septimo mensi anni sacri *Tisri* congruit. Ceterum nomina mensium *Nisan*, *Ijar* &c., quæ deinde apud Judæos obtinuere, post captivitatem Babyloniam cœperunt in usu esse, quod argumento esse potest vocabula illa Chaldaica esse, ex longa cum Babyloniis consuetudine in linguam Hebræam invecta: licet aliqui putent illa nomina ex Persis, aut Sidoniis, aut etiam Tyriis fuisse desumta.

Subjicio laterculum successionis dictorum mensium juxta ordinem anni sacri, quod schema mensium variarum Gentium ad anni Juliani menses accommodatum excipiet; nam illorum mentio fit a Scriptoribus, qui res Judaicas Græcis literis consignaverunt. Caveat tamen B. L. ne Judæorum menses putet Latinis ex integro convenire; quum enim Lunares menses Solaribus plene congruere nequeant, unus mensis Hebræorum aliquando duos ex nostris attingit, ut bene Sigonius etiam advertit. Quod idem dicendum est de aliis mensibus, qui in schemata distributi sunt; nam verbi caussa Athenienses à Solstitio æstivo, quod apud nos in medium fere Junium incidit, annum inchoabant, observabantque præcipue cursum Lunæ ipsi quoque:

ניסן	*Nisan*	respondens	Martio
אייר	*Ijar*		Aprili
סיון	*Sivan*		Majo
תמוז	*Thammuz*		Junio
אב	*Ab*		Julio
אלול	*Elul*		Augusto
תשרי	*Thisri*		Septembri
מרחשון	*Marchesvan*		Octobri
כסליו	*Caslau*		Novembri
טבת	*Tebeth*		Decembri
שבת	*Schebeth*		Januario
אדר	*Adar*		Februario.

Tisri, Bul, sive Mareshvan, Casleu, Thebet, Sebath, Adar; qui respondent Martio, Aprili, Majo, Junio, Julio, Augusto, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, Januario, & Februario. Ex his autem alii triginta dies alternatim habuerunt, alii XXIX unde illi pleni, hi cavi vocati sunt. Qua ratione CCCLIV. dies emerserunt. Prioris appellationis testimonio est caput Exodi XL. *Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est*; & Numero IX. *Faciat Phase Domino in mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam*; & primi Paralipom. XXVII. *Primæ turmæ in primo mense Jeboam præerat. Secundi mensis habebat turmam Dudia. Dux turmæ tertiæ in mense tertio erat Banajas. Quartus mense quarto Azahel. Quintus mense quinto Simoch. Sextus mense sexto Hira*; atque ita deinceps usque ad duodecimum.

De nominibus aliis postea mensibus inditis docet quintum tertii Esdræ: *In secundo anno regni ipsius mense Nisan prima*; tertium Esther: *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan*. Baruc primum: *Decima die mensis Sivan*. Sextum secundi Esdræ: *Vicesimoquinto die mensis Elul*; Zachariæ VII. *In quarta mensis noni, qui est Casleu*; & primum: *Quarta undecimi mensis Sebath*; & primi Maccab. XVI. *Mense undecimo, hic est mensis Sabat*; Esther XVI. *Mensis duodecimus, qui vocatur Adar*. Sextum tertii Regum: *Mense Zio, ipse est mensis secundus*. Item: *Anno quarto fundata est domus Domini mense Zio, & in anno undecimo mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus*; & VIII. *Convenit Israël in mense Bethanim, sive Ethanim in solemni die, ipse est mensis septimus*; reliqua ex Interpretibus. At quia Lunares quoque menses sunt, propterea non semper mensibus Romanorum responderunt, sed sæpe in binos singuli incurrerunt.

CAP. III.

De Septimanis.

MEnses inde singulos (13) in septimanas, seu hebdomadas diviserunt. Septimum autem quenque diem (14) vocavere Sabbathum, id est, requiem, quod eo die post opus sex dierum Deus quievisset, atque ea de caussa ipsam etiam septimanam Sabbathum appellarunt. Paralipomenon tricesimo tertio secundi: *Qui sibi per vices suis hebdomadis succedere convenerant*; & Lucas decimo octavo: *Jejuno bis in Sabbatho*, id est, in septimana. Hinc dixere primam, & unam, & alteram Sabbathi, pro prima, & secunda die septimanæ; ut S. Marcus decimo sexto: *Et valde mane una Sabbatorum*; ac mox: *Surgens mane prima Sabbathi*; & S. Matthæus: *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi*, id est, vespere ejus diei, qui succedit primus septimanæ, sive vespere præcedente primum diem septimanæ; & Actuum vigesimo: *Una Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*. Est autem prima, sive una Sabbathi, dies, quam Christiani (15) Dominicam vocant, quam etiam commemoravit Sanctus Joannes in Apocalypsi: *Fui in spiritu Dominica die*. Unde dixit post S. Hieronymus adversus Vigilantium: *Per unam Sabbathi, hoc est, in die Dominico, omnes conferre, quæ Hierosolymam in solatia dirigantur, Apostolus Paulus præcepit*; id autem præcepit secunda ad Corinthios decimo sexto: *Per unam Sabbathi unusquisque vestrum (*) apud se reponat*.

CAP.

(13) Tria hebdomadum genera Hebræis erant: hebdomades dierum, quæ ab uno ad aliud Sabbathum deducebantur: hebdomades annorum, quæ septem annos complexæ ab uno ad aliam annum Sabbathicum numerabantur: & hebdomades septies septem annorum, quæ post annos quadraginta novem annum Jubilæi reducebant.

(14) Ethnici, qui Judæorum origines aut non satis noverant, aut illos despiciebant; varias easdemque falsas de Sabbatho origines tradidere. Apion Grammaticus Alexandrinus caussam, cur septima dies Sabbathum dicta fuerit, ita assignavit: *Exactis sex dierum itinere* (de Judæis in deserto iter habentibus loquitur) *inguinum ulceribus affecti sunt: & hac de caussa septima die quieverunt, incolumes constituti in regione, quæ nunc Judæa vocatur. Et appellaverunt eam diem Sabbathum, servata Ægyptiorum voce: nam inguinis morbum Ægyptii vocant Sabbatosim*. At nugacem hanc impudentiam Grammatici Josephus castigavit libro secundo contra eundem Apionem, ubi veram rationem appellationis Sabbathi adducit. Alii diem Sabbathi scripserunt à Judæis Baccho consecratam; Σαβος enim, ut est apud Hesychium, & Suidam, Bacchus appellatus est, in cujus Sacris εὐοῖ Σαβοῖ clamabatur, dicebanturque Σαβοί, qui Baccho erant initiati. Strabo libro 16. scripsit, Judæos diem septimam Saturno dedicasse, cui Tacitus Hist. lib. V. consentit, Judæos putans Saturni cultores, quod septimam diem observarent. Justinus libro XXXVI. hæc ait: *Moyses Damascena antiqua patria repetita, montem Sinæ occupat, quo septem dierum itinere per deserta Arabiæ cum suo populo fatigatus, quum tandem pervenisset, septimum diem, more gentis, Sabbatum appellatum, in omne ævum jejunio sacravit, quoniam illa dies famem, erroremque finierat*. Sabbathi diem à Judæis jejunio transactam fuisse passim Ethnici credidere, quo errore imbutus Augustus ad Tiberium scripsit: *ne Judæus quidem tam diligenter jejunium servat Sabbatho, quam ego hodie servavi*. Vide Suetonium in ejus vita.

(15) Quies, quæ in creationis memoriam Judæis fuit præscripta die Sabbathi, ab Apostolis translata fuit in diem Dominicam, quam Christus gloriosa resurrectione sua consecraverat, quo illius diei celebritas, & cultus apud fideles augeretur. Hoc testatur S. Ignatius Epist. ad Magnes.; testatur etiam S. Justinus tradens Apologia secunda pro Christ. Dominica die Christianos solemnes cœtus habere, quod Mundus hac die creatus sit, & Christus resurrexerit. Eadem legi possunt apud Tertullianum, Origenem, & in Constitutionibus, quæ Apostolis tribuuntur. Plinius etiam Ep. l. X. 97. ad Trajanum scribens meminit illorum cœtuum, quos statis diebus inibant Christiani, licet illorum caussam ignoraret. Ethnici verba honorificum Christiano nomini testimonium perhibentia, hæc referunt: *Christianos stato die ante lucem solitos convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento obstringere, non in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent*. Quum igitur diei Dominicæ observatio tantæ sit in Ecclesia antiquitatis, perperam quibusdam est persuasum, illam à Constantini Magni decreto originem habuisse: Constantinus enim non diem Dominicam instituit sanctificandam, sed cultui jam ab ipsis Apostolis constituto decretum suum adjecit. Vide Cod. Theodosianum lib. II. T. VIII. § I.

(*) Collectarum originem, de quibus sermonem habet Apostolus Epistola tum prima, tum secunda ad Corinthios, prodit S. Lucas Actorum XI. 28. *Supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam: & surgens unus ex eis nomine*

CAP. IV.

De diebus profestis.

(16) Dies porro vocarunt Lunas, ita ut primam, & secundam Lunam, ac primam & secundam diem ponerent pro eodem; ut primo tertii Esdræ: *Josias immolavit Phase quartadecima Luna primi mensis*, pro eo quod alibi fuit scriptum, *quartadecima die*. Dies porro sive æstivi, sive hiberni essent, (17) duodecim horas habuerunt, & noctes totidem, sed inæquales; unde scripsit S. Joannes cap. II. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* & Matthæus XX. idem significavit, ubi horæ tertiæ, sextæ, nonæ, & demum undecimæ meminit, tanquam extremæ diei. Ex his autem diebus (18) alii profesti fuerunt, alii festi. Profesti, quibus opus exercere fas fuit, matutino & vesper-

---

ne Agabus, *significabat per spiritum, famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio*. (Emin. Baronius ad annum Claudii secundum, qui est Christi 44. refert hanc caritatem, cujus meminere etiam profani historici, inter quos Svetonius in Claudio, qui testatur Imperatorem ipsum medio in foro tunc à populo invasum, ægre in Palatium diffugisse) *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus*. Præter famem ab Agabo prædictam alia etiam caussa erat, (qua diutius laboratum est) paupertatis Christianorum Jerusalem; Judæorum scilicet odium, à quibus bonorum omnium possessione erant privati, & acerbissima quæque patiebantur. Verbis igitur, quæ Noster laudat, Paulus Corinthios celeberrimum totius Græciæ emporium incolentes hortatur, ut die Dominica in Ecclesiam cōferant quidquid eleemosynæ dare vellent Sanctis, idest Christianis Jerusalem; ne collectas differrent usque ad adventum Apostoli. Hunc autem morem fovendi eleemosynis Hierosolymitanam Ecclesiam usque ad S. Hieronymi tempora viguisse, ipse Sanctus Doctor testatur, in libro contra Vigilantium, qui piam hanc fidelium carpebat consuetudinem, quam tamen merito laudat, & confirmat Hieronymus, æquum ostendens eos totius orbis foveri ministeriis, qui in Lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, nisi solum Deum.

(16) Varro libro IV. de Lingua Lat. à Deo, quo motore dies exiistit, diem vult nominari. Festus diem vocat, ab Jove, qui à Græcis Δὶς appellatur: unde Lucetium Salii, & Cretenses in carminibus canebant Δία τὴν ἡμέραν & Romani Jovem dicebant Diespitrem, quasi diei patrem nominarent. Ratio incipiendi, terminandique dies non una fuit apud omnes. Babylonii à Solis exortu ad exortum diem finiebant: Umbri à Meridie ad Meridiem: Judæi, & Athenienses ab Occasu ad Occasum: Romani vero, & Ægyptii à media nocte ad mediam noctem. Dies vero prout noctem sub se complectitur à Græcis dicitur νυχθήμερον tempus, quod spatio viginti quatuor horarum absolvitur. Præterea olim apud Judæos alii dies fuerunt sacri celebrandis solennitatibus dedicati: alii naturales ex naturæ Lege distincti: alii artificiales faciundis operibus destinati. Sacri à vespera ad vesperam ducebantur: naturales à media nocte ad subsequentem mediam noctem: artificiales demum ab aurora in auroram.

(17) Olim Hebræi eam solam diei divisionem habebant, quæ sensibus deprehenditur, quum Sol oritur, quum nostro imminet vertici, & quum occidit: qua de re in Veteri Testamento solummodo usitata sunt nomina ערב *vespere*, בקר *mane*, & צהרים *meridies*, in quæ Psalmo LV. dies dividitur. At in Novo Testamento horarum fit mentio, quas verosimile est à Romanis accepisse, quibus duodecim erant horæ diei, & totidem noctis. Horarum duodecim hæc origo memoratur a M. Victorino in Cic. Rhet. 1. *Quodam tempore Hermes Trismegistus, quum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapi dicatum* (Cynocephalum fuisse scribit Horus Apollo Hierogl. c. 15.) *quod in toto die duodecies urinam fecisset pari semper interposito tempore, diem per duodecim horas divisum esse conjecit; & exinde his horarum numerus custoditur*. Hujus narrationis apud Victorinum sit fides. Quod constat horarum nomen non minus annos trecentos Romæ fuit incognitum, quandoquidem in Legibus XII. Tabularum nusquam nominatæ horæ inveniebantur, ut advertit Censorinus de die Nat. c. 23.: & Fabius quidam Vestalis apud Plinium l. VII. 60. Lucium Papirium Cursorem primum horologium Solare Romanis statuisse prodidit circa illud tempus, quo cum Pyrrho bellatum est: quam recentem horologiorum inventionem ridet Parasitus ille Plautinus apud Gellium lib. 3. cap. 4.

Num me puero venter erat Solarium
Multo omnium istorum optimum & verissimum;
Ubi iste monebat esse, nisi quum nihil erat.
Nunc etiam quod est, nisi Soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum est oppidum Solariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Judæi igitur diem in quatuor quadrantes divisere, quibus totum illud tempus metiebantur, quo Sol ipsis erat conspicuus. Quodlibet quadrans in æquinoctiis tres horas ex nostris complectebatur, quæ tamen æstate erant longiores, breviores hyeme. Prima itaque hora incipiebat ab ortu Solis, tertia occupabat tempus medium inter ortum Solis, & Meridiem, sexta incipiebat post Meridiem, cui contermina erat nona, quæ occasu Solis definebat. Quo fit, ut hæ quatuor horæ majores duodecim minores continerent; unde dicebat Christus Dominus loco a Nostro laudato: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Et Josephus in vita sua sextam ad Meridiem refert his verbis: *Dubio procul exorta fuisset seditio, nisi concionem solvisset hora sexta superveniens, qua nostros ad prandium vocare solet Sabbathis*.

Ex his colligi potest, ætate Christi duo horarum genera apud Judæos fuisse: unum, quod sacrum licet appellare: alterum, quod civile. Sacrum ad Templi consuetudinem referebatur, quo quum quatuor, veluti statis temporibus, Judæi maxime diebus festis convenirent tum ad sacrificia peragenda, tum ad preces fundendas, quatuor horæ sacræ numerabantur, prima, tertia, sexta, & nona, quæ clangore tubarum significabantur, ut innuitur Num. X. Civile vero a Romanis acceptum in duodecim horas diem partiebatur, & in duodecim noctem, quatuor vigiliis comprehensam: in primam scilicet, secundam, usque ad duodecimam, quam divisionem significat S. Matth XX, ubi horæ undecimæ diei meminit, & Josephus in vita sua, ubi horæ secundæ noctis fit mentio. Eruditissimus Pater Lamy hoc pacto in concordiam adducit celebrem locum S. Marci: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, cum S. Johanne, qui ad horam sextam refert crucifixionem, qui sane locus Sanctos Patres in diversa pertraxit. Scribit, factum dici potuisse hora tertia, vel sexta quidquid inter illa precandi tempora contigit, ita ut quæ in medio essent posita modo ad hunc, modo ad illum terminum referrentur: & sic Marcus ad horam tertiam retulit Christi crucifixionem, quam Johannes tribuit horæ sextæ. Vide Lamy Comment. in Harm. Evang. l. p. c. 34.

(18) Festi dies erant Deo dicati, quibus Judæi à negotiis vacantes solum divino cultui operam impendebant; profesti contra: sicut enim fanum opponitur profano, ita festum opponitur profesto.

Ad Romanos, quod attinet, apud eos erant dies fasti, & nefasti: fastis diebus licebat Quiritibus adver-

pertino holocausto confecto. Festi, quibus ab opere abstinere necesse fuit. Profesti vero aut primi mensium fuerunt, qui Neomeniæ dicti sunt, aut inter septimanas interjecti; de quibus seorsum agemus.

CAP. V.

De Neomeniis.

Singula ergo (19) mensium initia sacra esse (20) Deus constituit, quos dies (21) Græci Neomenias, (22) Latini Kalendas vocarunt,
A ita ut proprium holocaustum, quo insignirentur, haberent, (23) cessationem tamen ab operibus non haberent; sic enim mandatum est Numerorum XXVIII. *In Kalendis, id est, mensium exordiis, offeretis holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos, holocaustum suavissimi odoris, atque incensi Domino. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ita erunt; media pars* (24) *hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum; hoc erit holocaustum per*

B adversarium in jus vocare, Prætorique illa verba dicere, *Do*, *Dico*, *Addico* ex Macrob. Sat. I. 16. Nefastis non licebat contendere, & cum adversario manus conferere: & hi erant in triplici differentia, ut colligitur ex Fastis Capitolinis Achillis Matei, quos Paullus Manutius publici juris effecit. Alii erant priore parte fasti, posteriore nefasti, in quibus ante Meridiem lege agere licebat, post Meridiem non licebat, hisque F. P. in fastis erant notati. Alii posteriore parte fasti, priore nefasti, qui signabantur literis N P. Alii denique priore & posteriore parte nefasti, media fasti, & nota E. N. distinguebantur, qui dies *intercisi* possunt appellari, quasi nefastum interposito fasto in duas partes scinderetur. Consule eruditos ad Festum de verb. signif. in verbo *Nefasti*.

C (19) Spencerus de leg. Hebr. rit. L. 3. c. 7. dis. 4. cultum, quem Deo exhibebant Judæi in Neomeniis conatur ab institutis Gentium arcessere, plura congerens, quibus ostendat, Ægyptios, Arabes, Græcos, Romanos, Barbarosque in Lunæ honorem cujusque mensis initio Solennia celebrasse. Verum ad comprobandum Neomenias ab Ethnicis ad Hebræos defluxisse, quid ex illis potest inferri? Homerus, & Hesiodus, Herodotus, & Euripides, & quotquot vades ad fulciendam sententiam suam adducit Spencerus, conferri ne possunt cum Moyse, aut temporis antiquitate, aut narratarum rerum certitudine? Minime vero. Cur igitur non dicendum est potius, idololatras, apud quos fere omnes Lunæ cultus obtinuit, ab Hebræis ritum hunc deduxisse; quos Judæorum imitatores tricesimi diei festum, sive Neomenias colentes vellicat Horatius Serm. I. p. Saty. 9.

D *— Hodie tricesima Sabbatha: Vin tu*
Curtis Judæis oppedere? nulla mihi, inquam,
Religio est: at mi, sum paullo infirmior unus
Multorum, ignosces.

Præterea tantum abest, ut ab Ethnicorum sacris, aliquid in Gentem suam Moyses derivaverit, ut nihil commune Ethnici ipsi agnoverint inter se, & Judæos; sed mores potius oppositos. Unius Cornelii Taciti testimonium adducere sufficiat, qui Historiarum libro V. cap. IV. hæc scriptis de Judæorum Legislatore consignavit: *Moyses, quo sibi in posterum Gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.*

E Sed, ut scribam, quod sentio: nihil necesse est, cur dicamus cultum Lunæ a religione Hebræorum, qui verum Deum in Neomeniis prosequebantur, in Ethnicos derivasse. Inter idololatriæ species, vel prima, vel certa ex primis fuit astrolatria, quæ mortalium animos occupavit. Interim phases Lunæ, præ ceteris astris, maxime sub oculos omnium posita erant. Quisque igitur in colendis sideribus acclinis summa religione Lunam denuo se manifestantem potuit excipere, cogitans de Judæorum consuetudine, nec minimum quidem.

(20) Iterum res est cum Spencero, qui lib 3. dis. 4. c. p. scripsit, Deum novilunia sacrandi tempus nullo præcepto determinasse, Judæosque de his nihil quidquam à Deo in mandatis accepisse. Sed Lex, quam ex Num. XXVIII. repetit Sigonius hoc capite, adversatur opinationi Spenceri; quandoquidem singularia quædam seligi in certis servanda sacrificiis die Neomeniarum præcipitur. Quod præceptum Judæi omnes tum Karaitæ, tum Rabbanitæ agnoscunt etiam in verbis Exodi XII. 1. *Mensis iste* ראש חדשים *principium mensium, primus vobis erit in mensibus anni.*

(21) Νεομηνία, nempe νέα μήνη, erat apud Græcos primus mensium dies, nam ipsi quoque ad Lunæ cursum menses incipiebant, finiebantque. In tres decadas quilibet mensis dividebatur: prima dicta erat ἀρχομένου μηνὸς *ineuntis mensis*; altera μεσοῦντος *medii*; tertia ἀπιόντος *exeuntis*. Sed ultimus dies mensis, nimirum tricesimus dicebatur ἕνη καὶ νέα quasi *vetus & novus*, quod inter elapsum, & mox sequentem mensem intercedebat.

(22) Macrobius Sat. I. 15. de Kalendis hæc habet: *Priscis temporibus, antequam Fasti à Cn. Flavio scriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur; Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret adspectum, visamque regi sacrificulo nuntiaret: itaque sacrificio à rege, & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex kalata, idest vocata, in Capitolium plebe juxta Curiam Kalabram, quæ Casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat: & quintanas quidem, dicto quinquies verbo* καλῶ, *septimanas repetito septies prædicabat: & hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur, primus esset, placuit Kalendas vocari.* Varro præterea lib. V. de Ling. Lat. formulam tradit, qua Pontifex utebatur ad indicandum populo, si quintanæ essent Nonæ, aut septimanæ: si primum, Pontifex proclamabat: *Dies te quinque Kalo Juno novella*; si secundum: *Dies te septem Kalo Juno novella*. Omnes enim Kalendæ sub Junonis erant præsidio, quæ a Pontifice dicebatur novella, quod tunc tempore de novis novi mensis diebus ad populum loqueretur. Ex his patet, quam inepte Balsamon Expos. Can. Synod. Trull. 62. a Kalendo, Ido, & Nono tribus prudentissimis viris Romanis, qui Antonino imperante Urbem a fame liberarunt, unus 18., alter 8., tertius 4. diebus populum alendo, Kalendas, Idus, & Nonas scripserit dictas fuisse; quippe qui hanc quisque mercedem acceperit, ut a se dies servatæ Urbis quolibet mense appellarentur.

(23) Quamquam Judæi primum cujusque mensis diem summopere colerent, offerrentque eo die sacrificia, quæ Moyses Num. 28. præscripserat; non erat tamen inter dies festos, ut in Neomeniis ab opere esset vacandum. Hinc unusquisque pro privata religione cessabat ab operibus, aut minus: & hujus ætatis Judæi cultum putant hujus diei ad mulieres potius, quam ad viros pertinere. Vide Buxtorf. Synag. Judaic. c. 17.

(24) Mensura cava est Hebræorum, quæ semisextarium, sive dimidium Seah, vel sextam partem Bathi continebat.

per omnes menses, qui sibi vertente anno succedunt. Quod sic explicuit Josephus: *In initio mensis & quotidiana sacrificia, & duos vitulos cum agnis anniculis septem, & arietem mactant, hædum vero pro declinatione peccatorum, si forte per casum oblivionis eveniant*. Hinc secundo secundi Paralipom. scriptum est: *Ad holocaustomata Neomeniis, quæ mandata sunt Israeli*; & octavo: *Salomon obtulit holocausta super Altare Domini, ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Mosi in Sabbathis, & in Kalendis*; & Esdræ secundo: *Fecerunt holocaustum juge in Kalendis*; & Isaïæ primo: *Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea*.

CAP. VI.

De diebus singulis.

Dies vero ceteri inter septimanas interjecti ex præscripto Dei haud prorsus religione caruerunt. Nam licet operibus pro necessitate vacarunt, tamen matutinum ac vespertinum (25) holocaustum juge facere à Deo jussi sunt; ut scriptum est Exodi XXIX., & Numerorum XXVIII. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum, unum offeretis mane, alterum ad vesperam*: (26) *decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin; holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini; & libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini: alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii matutini, & libamentorum ejus: oblationem suavissimi odoris Domino*; & Levit. XXIII. *Offeretis oblationes Domino, holocausta*, (27) *& libamenta juxta ritum uniuscujusque diei*. Quam Legem sic expressit Josephus: *Ex publico sumtu Lex agnum anniculum singulis diebus docet occidi incohante die, & terminante*. Unde II. Paralipom. secundo scriptum: *Ad holocaustomata mane & vespere, quæ mandata sunt Israeli*.

CAP. VII.

De diebus festis.

Festos autem dies Sabbatha nominarunt, ut Levit. XIX. *Sabbatha mea custodite*. Hæc vero à vespera ad vesperam celebrata sunt; sic enim post præcepit Deus XXIII. *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*; Item: *Die primo à die octavo erit Sabbathum, id est, requies*. Celebrarunt autem (28) non solum ab opere cessando, sed etiam offerendo, orando, & interdum etiam animas suas affligendo, id est, jejunando, ut post apparebit. Ex his autem (29) alii à Deo, alii ab hominibus instituti sunt: à Deo Sabbathum, Pascha cum Azymis, Primitiæ cum Pentecoste, Tubæ, Expiationes, Tabernacula cum Collectis, annus septimus, & annus quinquagesimus; ab hominibus Encænia, & quædam alia minus insignia, quæ suo loco prodentur; agamus ergo de singulis.

CAP. VIII.

De Sabbatho.

In primis autem septimum diem, quem (30) Sabbathum appellarunt, summo honore co-

(25) Hebr. עלה תמיד. Ex duobus agnis cum suis appendicibus Mincha, & Nesech, hoc est, *oblationis*, & *libationis*, erat juge sacrificium, quorum alter mane sub ortum Solis, alter inter duas vesperas offerendus erat super altare holocausti: agnusque matutinus perpetui sacrificii offerebatur ante omnia alia holocausta, & sacrificia; & vespertinus post cetera omnia immolabatur. Hoc autem juge sacrificium sicut mactatione Passionem Jesu Christi significabat; ita perpetuitate incruentum ejusdem adumbrabat sacrificium, quod ab Ecclesia Catholica Deo offertur quotidie. Ita enim Malachia cap. I. to. 11. futurum prædixerat: *Munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Quibus verbis duo potissimum nostræ religionis afferit dogmata: unum contra Judæos, alterum contra nostræ ætatis Hæreticos. Contra Judæos abrogationem sacrificiorum, atque legalium. Contra Hæreticos novam oblationem sacrificii ubique terrarum, & in mediis Gentibus offerendi.

(26) Mensura cava erat apud Hebræos, quæ etiam Ephi dicitur, & idem erat ac Bathus.

(27) Libationis vox in sacris literis effusionem designat liquoris, puta vini, quo victimæ Deo oblatæ aspergebantur ad certam quantitatem, quæ pro ratione sacrificiorum erat diversa.

(28) Etiam Ethnici tanta religione suos festos dies celebrabant, ut ab operibus cessarent, quo jucundiores essent in sacrificiis, ludis, & epulis. Ovidius 4. Metamorph.

- - - - Festum celebrare Sacerdos
Immunesque operum famulos, dominasque suorum
Imperat.
- - - - Parent matresque nurusque,
Telasque, calathosque, infectaque pensa reponunt.

Cicero vero de LL. c. 12. *Festorum dierum ratio in liberis quietem habet litium, & jurgiorum; in servis operum, & laborum*. Et Strabo libro 10. *Commune*, loquit, *hoc est & Græcis, & Barbaris sacra celebrare festa cum laborum intermissione*.

(29) Dies festi non unius erant generis apud Hebræos: aut enim sæpius in anno instaurabantur; erantque vel hebdomadici, ut Sabbathum; vel menstrui, ut Neomeniæ: aut erant anniversarii, ut festum Paschatis, Pentecostis, Scenopegiæ, Tubarum, & dies Expiationis: aut denique certis annorum intervallis recurrebant, ut erat annus Sabbathicus, & Jubilæus. Isti vero dies festi divinæ erant institutionis, quibus procedente tempore alii nonnulli accesserunt ab hominibus instituti; puta festum Purim, seu sortium à Mardochæo præscriptum in memoriam liberationis Judæorum è manibus Hamanis, qui universam Gentem internecioni destinaverat. Ester IX. Hujusmodi etiam erant Encœnia Templi, in qua recolenda erat ejus repurgatio à Juda Maccabæo peracta, qui statuit cum tota Ecclesia Israelis, ut dies consecrationis Templi Hierosolymitani quotannis celebrarentur. I. Maccab. c. IV.

(30) Vox Sabbathi, quæ à שבת *quiescere* deducitur, varias habet in sacris literis significationes. Prima, quæ est omnium propria, diem denotat septimum, quo à novarum creatione naturarum Deus cessavit, illumque suo cultui, hominumque requiei addixit; in quem diem si aliud festum, vel quum aliquis ex diebus Azymorum, incideret, *Sabbathum magnum* solebat appellari. Secunda quemlibet hebdomadæ diem significat, additis vocibus numerum exprimentibus: omnis enim hebdomada, ut ait S. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 4. in Sabbathum, & primam, & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam Sabbathi dividitur, quam Ethnici idolorum & elo-

colendum (31) mandavit Deus, atque ita ab omni opere in eo cessandum, ut ne ignem quidem domestici usus caussa succenderent; primum Exodi XX. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est; (32) nullum facies opus in eo. Sex enim diebus fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt: & requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit eum;* & XXXV. *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbathi.* Deinde Levitici XXIII. *Sex diebus facietis opus; dies septimus, quia Sabbathi*

& elementorum nominibus appellavere. Quare *una Sabbathi* diem modo dictum Dominicum denotabat; qui dies alias vocabatur חלים. *profani* ab Hebræis, à Græcis vero ἄεργος *operosi*. Tertia hebdomadam, quam claudit septimus dies, qui quum totius hebdomadæ, tamquam Deo consecratus sit nobilior, etiam quoque illam denominat. Quarta quodcunque festum, quo instar Sabbathi erat præcipue religione Deus colendus, & quiescendum. Quinta annum septimum; nam eo tempore a cultura terræ feriabatur. Sexta tandem quietem ab omni inquietia in æterno gaudio reservatam, quæ Sabbathismus regni Dei nominatur, in quem qui intrat, non exinde revertitur, inquit S. Ambrosius, ad opera laboriosa, quemadmodum in Sabbatho carnali faciebant Judæi; sed perpetuo quiescit ab operibus suis, sicut a suis Deus quievit.

(31) An a primordiis Mundi Sabbathum celebrari cœptum sit, an tunc primum hoc festum primo sit institutum, quum Moyses septimum diem colendam præcepit, quæstio est multorum lucubrationibus ita vexata, ut satis superque sit huc conferre utriusque sententiæ fundamenta. Judæorum pars major a Mundi natalibus festum Sabbathi repetunt, quibus nonnulli ex nostris suffragantur. Rationes, quibus hæc opinio fulcitur, sunt sequentes:

In primis id confici putant ex verbis Geneseos II. 2. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*, in eo diei benedictionem collocantes, quod divino cultui fuerit dicatus. II Afferunt Abrahamum Sabbathum coluisse, quum de eo legatur Gen XXVI 5. illum custodivisse præcepta, mandata, cæremonias, & leges Dei. Jacobum etiam: nam de eo dicitur Gen. XXVIII. venisse ad Salem, & castra posuisse è civitatis regione. Et cur? Si audiamus Rabbinos. Quia Sabbathum instabat, substitit; non enim licebat ea die ulterius proficisci. Quid? Etiam in libro Job Sabbathi religionem inveniunt. Ibi traditur Jobo septem filios fuisse facientes convivia, unusquisque in die sua per domos. Diebus convivii in orbem exactis mittebat Job ad filios suos, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocaustum juxta numerum eorum. Sic faciebat Job cunctis diebus. III. Demum Philonis, & Josephi testimonium superadditur, quorum ille de Vita Moysis l. 2. Sabbathum vocat *Festum universi*: hic contra Apionem l. 2. consuetudinem Sabbathi ad civitates omnes Græcas, & Barbaras extendit. Imo ad inferos etiam Sabbathi observantiam protrahunt Magistri nugacissimi fabulatores, inaudita ratione probantes ex verbis tertii præcepti, sontes (velint nolint) adigi ad Sabbathum ibi servandum, dum vox insonat initio cujusque diei septimi. *Impiis in requiem* immedite.

Alii contra sentiunt, voluntque Sabbathi legem à Moyse in deserto fuisse primum rogatam; quum Sabbathum & Circumcisio, ut docent plures ex Patribus, signa solummodo fuerint, per quæ Judæi a reteris populis dignoscerentur. Ezechiel XX. 12. id palam confirmat: *Sabbatha mea*, inquit, *dedi ipsis, ut essent signa inter me & ipsos*; & numero 20. *Sabbatha mea sanctificate, ut sint signa inter me & vos*. Moyses deinde in Deuter. V. 15. aperte asserit Sabbathum in memoriam erepti populi ab Ægyptiaca servitute fuisse præceptum: *Memento quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbathi*. Si ergo Sabbathi festum Deus præcepit tamquam gratiarum actionem pro libertate Israeli concessa, plane infertur, ante hoc beneficium, nullum Sabbathi fuisse mandatum. Hinc S. Irenæus adversus hær. l. 4. c. 30. sine hæsitatione pronunciat, Abraham sine observatione Sabbathorum Deo credidisse, & amicum Dei fuisse vocatum. Idem sentiunt S. Justinus Martyr, Tertullianus, & alii.

Quamobrem quibus hæc placet sententia, benedictionem diei Sabbathi a Deo datam, Gen. II nihil aliud dicunt significare, quam diem illum a Mundi exordio destinatum fuisse, ut labentibus seculis festus ab Hebræis haberetur. Alterum vero locum Geneseos, ubi Abraham dicitur omnes leges servasse, ita explicant, ut laudatis verbis intelligatur Abraham officiis omnibus caritatis & religionis satisfecisse, divinæ voluntati morem gerendo. Demum quod Philo l. 2. de Vita Moysis refert, non parum sententiam istam confirmat. Narrat enim, Israelitas oblitos, qua die Mundus exortus esset, quum ex senioribus id explicare non possent, id palam deinde intellexisse, quum Deus omnibus aliis diebus, Sabbatho excepto, illis manna demisit. Etenim Sabbathum, cujus sedes injuriâ temporum erat deleta, certo custodiri non poterat. Hic locus Philonis ita quoque manifeste adversatur, qui Sabbathi festum ab Ægyptiis ad Hebræos opinantur derivatum.

(32) Judæi huic præcepto rigorem & severitatem addidere, multa alioquin licita die illo illicita esse jubentes ob Scribarum traditiones, quas sæpe Christus Dominus reprehendit in Evangelio. Inter hæc *iter Sabbathi* numeratur, arctatum ad bis mille cubitorum a Magistris; otiose eisdem altercantibus in Gemara Babylonica; utrum itinera Sabbathi in Mara fuerint à Moyse præfinita.

Egregius de illis locus est apud S. Hieronymum ad Algasiam quæst. X. *Quia jussum est*, inquit, *ut diebus Sabbathorum sedeat unusquisque in domo sua (Exod. 29. 29) & non egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat; si quando eos juxta literam coeperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere & dicere: Rab Akiba, & Simeon, & Hillel Magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbatho*. Hic Judæorum mos de itinere non capessendo die Sabbathi Ethnicis non fuit incognitus, canente Ovidio de remed. Amor.

Nec pluviæ vitas, nec te peregrina morentur
Sabbatha.

Et de Moyse præterea dicente Juvenali Satyra XIV. v. 105.

- - - - vel septima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Et Claud. Rotillus Itinerar. v. 389. eleganter perstringit Judæos septimam partem vitæ otiose transigentes, quum Sabbathorum religio illis jam diu nihil prosit:

Radix stultitiæ, cui frigida Sabbatha cordi,
Sed cor frigidius relligione sua est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tamquam lassati mollis imago Dei.

S. Lucas Actuum I. 12. spatium inter Montem Olivarum, & Urbem Jerusalem designans, Montem ait ab Urbe tantum distare, quantum Sabbathi iter ferret. Quid vero inter Montem & Urbem interesset, discimus ex Josepho Antiqu. l. XX. 6., à quo quinque stadia dicuntur interfuisse: alibi tamen idem Auctor, idest de Bello l. VI. 3. à Monte ad Urbem sex stadia constituit.

ibi requies est, vocabitur sanctus, nullum opus facietis in eo. Eo vero die sacrificari, & (33) Panes Propositionis refici jussit. De sacrificio, Numerorum XXVIII. *Die Sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, quæ rite funduntur per singula Sabbatha.* De Panibus, Levitici XXIV. *Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes. Per singula Sabbatha mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israel fœdere sempiterno.* Hæc porro his verbis explicuit Philo in libro de Sacrificiis: *Publica sacrificia alia fiunt quotidie, alia septimo quoque die, alia in noviluniis, alia in jejuniis, alia tribus diebus festis præcipuis. Quotidie jussu legis agni duo mactantur, mane ac vespere cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ assidue Deus largitur humano generi. Septimo die is numerus duplicatur, in æternitatis honorem, quod septimus dies Mundi natalis sit. Quotidie etiam bis incensa sunt thura in ara, quæ intra velum est, Oriente Sole Occidenteque, ante matutinum, & post vespertinum sacrificium. Panes item septimo quoque die proponuntur in sacra mensa, cum panibus autem sal & thus mensæ imponitur.*

CAP. IX.

De Pascha, & Azymis.

PRæcipuus etiam honos (34) Paschæ habitus est. Hoc vero quando institutum, cur ita vocatum, & qua ratione celebratum sit, ita demonstrabitur, ut lex primum proferatur, deinde explicatione ornetur. Sic ergo (35) de Paschate mandavit Deus Hebræis adhuc in Ægypto agentibus, Exodi XII. *Mensis*

(33) De hisce Panibus Propositionis sequentia ab Eruditis solent annotari. Primo eos fuisse azymos, hoc est expertes fermento. 2. Publico sumtu fuisse à Judæis paratos; alii tamen sentiunt, triticum, ex quo hi panes conficiebantur, ipsos Sacerdotes solitos fuisse serere, demetere, & molere. 3. Magnos fuisse, quippe qui singuli ex duobus farinæ assaronibus constabant; diciturque quilibet panis sufficere potuisse cuique edaci homini duos dies. 4. Duodecim numero fuisse, duobus ordinibus distinctos, senis in quoque ordine congestis; erantque duodecim pro numero duodecim Tribuum. 5. Pridie Sabbathi coqui solitos, ut postridie mane in sacra mensa collocarentur, quod officium erat Levitarum, & nominatim Caathitarum, ut colligitur ex I. Paralip. 9. 6. Super panes positas fuisse duas phialas aureas thure plenas. 7. Tandem thus igni adoleri solitum, panes vero in cibum Sacerdotum cedere, quem in eodem Templo debebant comedere, neque extra, sive in profanas ædes fas erat deferre. Etsi David in cibum illos panes adhibuit, necessitate, quæ crimen evitavit, adigente, eos manducavit.

(34) A radice Hebræa פסח *transivit*, vel *transgressus est*, nomen פסח *Pascha* derivat, Hebræis *Pesach*, veteribus *Phase*, & *Phasec*, quod *transitum* significat. Dum enim Deus in Ægypto omne primogenitum percussit, transgressus est ostia Israelitarum videns eorum postes agni sanguine aspersos; ut colligitur ex cap. XII. Exodi 13 *Videbo sanguinem*, ופסחתי עליכם *& transibo vos*: intactos scilicet vos præteribo, quum in Ægyptum animadvertam. Hanc nominis Paschæ rationem præter alios SS. Patres, assignat S. Jo. Chrysostomus Hom. 149. *Pascha, si interpreteris, est transitus, quia Hebræorum domos transilivit exterminator, qui primogenitos percussit.*

8. Augustinus vero tract. LV. in Johannem, Pascha transitum dicit, quia tum primum illud celebravit populus Dei, quum ex Ægypto fugiens, Rubrum mare transivit. Quæ itidem interpretatio optima est, & cui bene multi consentiunt; quandoquidem etiam ad renovandam hujus beneficii memoriam Deus præcepit, ut Paschalia sacra quotannis celebrarentur, quod patet ex Deuter. XVI *Observa mensem novarum frugum . . . ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.*

Non desunt tamen ex Patribus, qui nomen *Pascha* ἀπὸ τοῦ Πάσχειν *pati* scripserunt derivatum, significationem videlicet ad Christum referentes, qui Paschatis tempore passus est: *Diem passionis*, inquit S. Irenæus l. IV. c. 23, *Moyses non ignoravit; sed pronuntiavit figurate, eum Pascha nominans.* Porro hæc etiam interpretatio non est rejicienda, si de allegorico sensu nominis Paschalis sermo habeatur. Nam si historico velimus inniti, a S. Hieronymo non debemus recedere, qui in caput XXVI. S. Matthæi hæc scripta reliquit: *Pascha Hebraice dicitur* פסח, *non à passione, ut plerique arbitrantur; sed à transitu nominatur; eo quod exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos; vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo desuper ambulaverit. Transitus autem noster, idest Phase, ita celebratur, si terrena, & Ægyptum dimittentes ad cœlestia festinemus.*

(35) Nomen Pascha quinque habet in Sacra Scriptura significationes. I. Angeli transitum denotat, qui Ægyptiorum primogenitos percutiens, Judæorum domos transiliit. II. Agnum, qui in hujus liberationis memoriam immolabatur; quo sensu legitur: *immolate Pascha*, *immolaverunt Pascha*, *assaverunt Pascha*, aliaque id genus. III. Panes azymos tota Paschatis octava comedendos. IV. Festos dies, quibus solennia celebrabantur; ita S. Lucas XXII. dicit: *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* V. Demum sacrificia toto Paschalis solennitatis tempore offerri solita, quo sensu dicitur Deuter XVI. „ Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. „

Quoniam vero hæc ultima acceptio nominis Paschatis aliquibus haud probatur, non inutilis operæ pretium erit illam evidenter ostendere; quum eadem non exigui sit momenti ad firmandam verissimam de Azymo Latinorum sententiam, quod scilicet Christus Dominus in suprema Cœna in pane azymo Sacramentum Corporis sui instituerit, de qua paullo infra habebitur sermo. Itaque Paschatis nomen significat aliquando victimas, quæ infra dies Azymorum immolabantur, & quibus Judæi, nisi legalem immunditiam contraxissent, vesci per eos dies solebant. Verba ipsa Deuteronomii XVI. 2. mox laudata, si penitius rimemur, id nobis aperient: *Immolabis*, habet Vulgata, *Pascha Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. In hoc autem versiculo, quis non videt Phase, seu Paschatis nomen, generalem esse appellationem, qua oves & boves septiduo illo mactandi, significantur? De ovibus & bobus Pascha erat immolandum; ergo Paschatis significatio oves & boves complectitur. Neque vero diversum quidpiam consequetur, licet pressius Hebraico textui velles inniti; quum ejusdem sensus nec latum unguem à Latino discedat Interprete. Verba sunt:

וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר:

& immolabis Pascha Domino Deo tuo oves & boves. Paschati enim etiam in Hebraico fonte, veluti generali nomini oves & boves azymorum diebus immolandi tamquam species subjiciuntur: nec aliud profecto Pascha est, aliud oves, aliud boves mactandi.

Verum difficultas omnis de medio tollitur, si sub-

sis isti vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, (36) *sine macula masculum anniculum, & hædum, & quartadecima die immolabit eum* (37) *ad vesperam, & sumet de sanguine, & ponet super utrumque postem, & super liminaribus domorum, in quibus comedent illum, & edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus, non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni; renes vestros accingetis,* (38) *calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes; est enim Phase, idest, transitus Domini: & transibo per terram Ægypti. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Mox de Azymorum diebus ita subjecit: *Septem dies Azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris; quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israël à primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent. Et observabitis Azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima illius de cœtu Israël, tam de advenis, quam de indigenis terræ;* & mox: *Cum introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis ceremonias istas; & cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transiit per domos filiorum Israël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Deinde Levitici XXIII. de Pascha & Azymis eadem repetiit: *Mense primo, & quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est. Septem diebus Azyma comedetis; dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; nullum opus servile facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus; dies autem septimus erit celebrior & sanctior; nullumque opus servile facietis in eo.* Item XVI. Deuteronomii: *Sex diebus*

subsequens versiculus tertius à secundo non sejungatur, in quo Paschatis nomen ita singulis victimis Paschalibus attribuitur, ut qui oppositum sentit, plane cæcutiet in Sole: *Immolabis Phase Domino Deo tuo . . . Non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermentato afflictionis panem.* Textus Hebraicus adamussim:

לא תאכל עליו חמץ שבעת
ימים תאכל עליו מצת לחם עני;

Non comedet cum eo (vel super eum) fermentatum: septem diebus comedas cum eo infermentata panem afflictionis. Versiculus prohibet, ne Judæi septem diebus comedant cum eo, idest Paschate, ad quod עליו refertur, fermentatum; & præcepit, ut septem diebus comedant cum eo Paschate azymos panes. Hoc autem Pascha, cum quo, vel super quod, edendi sunt azymi, Paschalem certe agnum non significat, qui a prima azymorum vespera ad totam noctem omnino comedendus erat, & si quid reliqui fuisset, igni ante auroram cremabatur. Si igitur azyma cum agno per septiduum comedere Judæi non poterant, cetera sacrificia azymorum tempore mactari solita nomine Paschatis insignita plana erunt in laudatis versiculis.

(36) Macula hoc loco non ad colorem, ut quidam falso putant; sed ad corporis deformitatem refertur, puta scabiei, claudicationis, cæcitatis &c. Et Magistri quinquaginta vitia recensent, quæ bestias ad sacrificia ineptas reddebant. Ethnici etiam eorum falsis Diis hostias censebant non offerendas, nisi perfectas, quas scrutabantur pecude tam erecta & stante, quam resupina. Imo Virgilius Georg. III. delectum efferri victimarum a teneris unguiculis statim fieri solitum:

Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas, & nomina gentis inurunt;
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacris, aut scindere terram.

(37) Hæc vespera, in qua agnus Paschalis debebat mactari, vespera erat diei quartædecimæ desinentis, quam excipiebat vespera diei quintædecimæ inchoantis; nam immolatio fiebat die quartadecima, comestio die quintadecima mensis Nisan; unde initium ducebatur anni sacri. In textu Hebræo dicitur בין הערבים, quod est *inter duas vesperas*, & juxta Chaldaicam lectionem *inter duos Soles*: de sensu quorum verborum non levis est inter Philologos disceptatio.

Alii primam vesperam statuunt ab hora nona usque ad occidentem Solem: secundam ab Solis occasu ad finem usque crepusculi serotini, exitumque Stellarum. Alii primam vesperam mox a meridie putant incipere, desinereque ad horam nonam: secundam ab hora nona usque ad Solis occasum.

Hæc postrema sententia commode explicat locum S. Matthæi XIV. & seqq., ubi miraculum narrat multiplicationis quinque panum à Christo patratum. Ait enim vespere facto discipulos rogasse Jesum, ut dimitteret turbas, quas hora comestionis jam præteriti fames urgebat, quo euntes in castella sibi emerent escam. Christus jussit turbis discumbere, illasque divina ejus virtute multiplicatis panibus saturavit. Postquam omnes (numero erant quinque millia) miraculo pasti discesserunt, compulit Jesus discipulos navim ascendere, & ipse ascendit in montem solus orare. His dictis addit S. Evangelista: *Vespere autem facto solus erat ibi.* Quo in narratione duæ vesperæ consequentes clare indicantur, quarum prima ob alteram satis abfuit, adigere ad ita sentiendum rerum in illis gestarum successione. Apud veteres etiam Græcos duplex erat vespera ex Hesychio, & Eustathio in XVII. Odysseæ, δείλη πρωΐα μετὰ τὸ ἄριστον, *vespera matura mox à prandio*; καὶ δείλη ὀψία περὶ δύσιν ἡλίου, *& vespera sera circa Solis occasum.* Quod idem obtinuit apud Romanos; nam omnium ore vulgatum est Varronianum illud in Satyra Menippea:

Nescis quid vesper serus vehat.

(38) Sex ritus ita proprii fuere primi Paschatis, quod a Judæis in Ægypto celebratum fuit, ut sequentibus festis Paschalibus iidem neque fuerint servati, neque in legibus anniversarii Paschatis repetiti. I. ut postes agni sanguine tingerent. II. ut accincti. III. calceati. IV. cum baculis in manibus. V. cum festinatione comederent; & VI. ut per totam noctem pedem domo non efferrent. Judæorum tamen Ritualia referunt morem standi, dum agno vescerentur, usque ad captivitatem Babylonicam servatum fuisse, non post: & Christus Dominus discumbens Pascha cum discipulis suis manducavit.

bus comedes Azyma, & in die septima, quia A *(39) Collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

Dixi, quid sit in lege; nunc expositionem proferam legis. Repetendum est igitur, annum ante Moysem incæpisse ab æquinoctio autumni mense Septembri, Deum autem mandasse Moysi, ut ordirentur ab eo mense, quo ex Ægypto egrederentur, qui tum primus mensis dictus, post autem Nisan appellatus est, & idem apud Romanos atque Martius fuit, & æquinoctium vernum continuit, unde Exodi XIII. mensis Novarum frugum est dictus: *Hodie egredimini mense Novarum frugum*; & Deuteronomii XII. *Observa mensem Novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase.* Iccirco vero ita dictus est, quoniam B in Ægypto & Syria mense Martio segetes maturescere incipiunt. Sic enim scribit Philo lib. III. de vita Moysis: *Mosee primum mensem fecit eum, qui in vernum æquinoctium incidit, non sicut quidam, qui præcedentibus id honoris tribuunt, non observato naturæ beneficio; tunc enim maturescunt segetes ad victum necessariæ, arborum vero fœtus pubescunt recens editi, secundo mensis inferendi; quippe sine tritico, hordeo, cæterisque similibus frugibus non vivitur; sine vino, & oleo, fructibusque arboreis quodam gentes ætatem producunt in annos plurimos. Ejus mensis die quartodecima sub ipsum tempus, quo Luna suum orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publica festivitas,* (40) *quam* C *Chaldaice Pascha nominant; quo tempore, non ut alias, plebeji homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus, sed jubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus.* Idem in libro de Decalogo: *Patria Hebræorum lingua Pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant non expectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes sacerdotio quotannis per unum diem destinatum huic negotio; quando etiam offertur manipulus gratiarum actionis pro ubertate camporum, & frugum abundantia.*

Phase ergo, sive Pascha, id est, transitus Domini, celebrabatur quarta decima Luna, sive quartadecima die mensis Martii ad vesperam, cum (41) singulæ familiæ sibi (42) agnum occiderent, & assatum (43) cum azy- B mis ederent. Sequens autem dies, id est, quintadecima & Pascha, & prima Azymorum vocabatur, inde septima ab illa, nempe vicesimaprima, erat septima Azymorum, quam Collectam dicebant, quia tum fruges terræ metebant ac colligebant. Quoniam autem dies festus apud eos incipiebat à vespere, propterea quartadecima die Pascha celebrari incipiebat, & in quintadecima desinebat, quam & Pascha, & primam Azymorum diximus. Sic enim locutus est S. Lucas: *Dies Azymorum, qui dicitur Pascha*; item: *Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*; & S. Marchus: *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant.* Hic enim Pascha pro agno C Paschali accipitur, ut in illo: *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Cau-

(39) Collecta in textu Hebræo est עצרת, quæ vox proprie *diem feriatum* significat, & metonymice cœtum ipsam feriantem, collectionem, & congregationem hominum in unum. Conventus autem, quem עצרת significat, solennis erat, quo recurrente opus facere nequibant Judæi, omnisque populus convenire debebat in Templum exhibendi caussa coram Deo religionis officia.

(40) Philo nomen Pascha Chaldaicum esse dicit l. 3. de Vita Moysis, quod tamen libro περὶ τῶν δεκαλογῶν Hebræum esse affirmat. Apud D Philonem enim Chaldaica & Hebræa Linguæ una eademque est, ut prodit sententiam suam libro de Abrahamo, & libro secundo de Vita Moysis.

(41) Tota gens Hebræorum divisa erat in duodecim Tribus, & quælibet Tribus in familias, & familiæ in domos. Si igitur familia non satis esset agno comedendo, alii eligebantur, ut tota victima Paschalis consumi posset, quæ societas sodalitium Paschale appellabatur. Tradunt Rabbini, & Josephus de Bello l. VII. 17. non pauciores decem, nec plures viginti ad esum agni adhibitos fuisse. Cestius enim, teste Josepho, vires civitatis Jerusalem Neroni significare cupiens, à Pontificibus de numero populi sciscitatus est: *Illi autem, quum* E *dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt: per singulas vero sodalitia non pauciorum quam decem virorum fiunt (solum enim epulari non licet:) Multi etiam viceni conveniunt: Hostiarum quidem ducenta, & quinquaginta sex millia, & quingentas numeravere. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus vicies centena ac septingenta millia.*

Præterea homines esse non debebant nec infantes, nec senes, nec ægroti, qui tantum agni edere non possent, quanta est olivæ magnitudo. Si quis ad aliam societatem se conferre vellet, ante mactationem agni id erat faciendum; nam post immolationem ipsi e sodalitio recedere non erat integrum. Hæc, & alia id genus passim legi possunt apud Rabbinos.

(42) Decem res enumerat Abarbanel *Comment. in Levit.* in sacrificio agni Paschalis, quarum quinque ad offerentes pertinebant, quinque ad Sacerdotes. Ad offerentes, Impositio manuum in caput victimæ, mactatio, excoriatio, dissectio, & extorum ablatio. Ad Sacerdotes, sanguinem in pelvi excipere, eundem aspergere, ignem accendere super altare, ligna disponere, & carnes & adipem, quæ adolebantur, digerere.

(43) Describere placet hoc loco ritum secundæ mensæ Judæorum post Cœnam Paschalem, qui habetur in eorum Canone Rituali, cujus licet non desint, qui antiquitatem exaggerent, nolo tamen Lectorem sine prævio examine tantam illi vetustatem tribuere: nam satis constat apud Eruditos, fidenter nimis ad prisca tempora Rabbinos referre consuetudines, quæ serius in eorum Thalmudis sunt effictæ. Ritus secundæ mensæ in pauca contracti sunt sequentes. Hebræi epulis sacrificii functi; secundas mensas sternebant, in quibus agebant gratias, circumferebantque potionem. Secundæ autem *mensæ* Paschales ab aliis solennium dierum mensis discrepabant. Aliæ enim secundæ mensæ bellariis instruebantur: in Paschalibus interdicebantur omni genere bellariorum *convivæ*. Horum loco afferebatur in tryblio acetarium ex intubis & lactucis agrestibus, quorum succum tristem & amarum embamma ex aceto aliisque rebus confectum temperabat; nam in illo azyme, oleraque intingebant. Paterfamilias ante alios illis vescebatur, & Poculum hymni degustabat. Deinde aliam offam azymam sub mappa reservatam in tot frusta frangebat, quot in sodalitio erant convivæ. Frustum erat magnitudine olivæ, quod singulis ordine porrigebatur. Postquam enim Paterfamilias azymis operatus erat, primus ab illo gustabat poculum eodem ritu, quod tradebat viciniori, donec per totam φρατρίαν circumferretur. Poculum illud vocabatur כוס הלל *poculi hymni*, quòd hymno post potum decantato convivæ abirent, interdicti quidquam illa nocte gustare post poculum cantici.

(44) Cautum inde lege Synedrii fuit, ut traditur ab Hebræis in libro Seder Olam, ne Pascha celebraretur die septimanæ secundo, quarto, & sexto, si in eos incidisset. Itaque si dies quintadecima mensis incurrebat in sextum diem septimanæ, Pascha differebatur in posterum diem, qui erat Sabbathum: quemadmodum factum ajunt eo anno, quo Christus est passus. Ille autem, ut multi opinantur Interpretes, à lege Dei nolens recedere, celebravit illud (45) feria quinta vespere. Judæi vero morem novum, aut traditionem patrum sequuti, feria sexta vespere, unde solemnitas Sabbathi initium erat ductura. Neque vero Interpretes multi aliter conguere verba S. Joannis cum verbis aliorum Evangelistarum.

(44) Sentiunt aliqui Eruditi viri, Judæos ex veteri majorum decreto festum solenne, quod immediate aut præcederet Sabbathum, aut consequeretur, transferre solitos fuisse in Sabbathum, una eademque die utraque solennitate defungentes; ne omni opere summa austeritate abstinentes, duobus continuis diebus gravi a cibis, quos recentes ad biduum parare non poterant, incommodo afficerentur. Putant hac de caussa Pascha, quæ anno ultimæ Christi Cœnæ in feriam sextam incidebat, a Judæis in subsequens Sabbathum translatum fuisse, atque ita dispositas in Kalendario illius anni Neomenias, ut festum Paschæ cum Sabbatho non esset continuum, sed in Sabbatho perageretur. Auctores hujus sententiæ sequenti Canoni innituntur, qui inter Canones de Festis Hebræorum reperitur: לעולם לא בדו פסח, unquam badu Pascha, hoc est, Pasca numquam incidat in secundam, quartam, aut sextam feriam, ut significatur illa voce בדו significatas.

Sed Canonem hunc de festis longe recentiorem esse Christi ætate, duo, ne pluribus legentem morer, liquido ostendunt. I. Omnes fere Ecclesiæ Patres, Ecclesiasticique Scriptores, qui in Hæreticos Tessarescædecatitas, Pascha iisdem diebus ac Judæi celebrantes, scripsere, testantur, in quamcumque hebdomadis diem quartadecima Martii incidebat, illos Pascha peregisse: tantum abest, ut aliquot post Christum seculis recitatus Canon obtinuerit, ut nulla dies ad celebrandum Pascha Patrum testimonio intelligatur excepta. Adducere possem S. Epiphanium de Hæresi Ebionæorum, & alibi, Eusebium Hist. l. V. 23., S. Augustinum de Hæresibus 129., aliosque plures: sed unus sufficiat Philastrius, qui in Hæresi de Festo Paschatis expresse ait: *Tessarescædecatitæ diem non Dominicam semper custodiunt Pascha, sed secunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta die celebrant.*

Alterum, quod idem comprobat, est Aben Ezra testimonium, qui in Levitici XXIV. 4. apertissime fatetur, *tam ex Misna, quam ex Talmude probari Pascha in secundam, quartam, & sextam feriam quandoque incidisse.* Denique commentitia est allata Canonis caussa, quod Judæi videlicet duobus continuis diebus feriantes nimium de comparando sibi cibo angerentur: nam in magnis solennitatibus, imo ipsa etiam prima Paschatis die cibos ad esum parare poterant; ut constat ex Exodi XII. 16. *Dies prima erit vobis sancta, atque solennis, & dies septimo eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis; exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent:* אך אשר יאכל.

(45) Ita variæ sunt Eruditorum sententiæ de novissimo Paschate Christi, ut pro modulo animadversionum, quas scribo, satius sit, tum pauca quædam pro firmanda communiore Latinorum sententia contra Græcos in medium producere; tum diversa systemata, quæ ætate nostra invaluere, historico more tantum referre; intacta relinquendo argumenta, quæ magno animorum æstu sunt pro illis deducta. Convenit inter utramque Ecclesiam Latinam, & Græcam, Christum cum Discipulis suis pridie, quam pateretur legale Pascha manducasse. An vero die quartadecima Nisan tempore a lege statuto, an diem quartamdecimam anticipaverit, quæstio est inter Latinos & Græcos jam ab aliquot seculis multum vexata. Statuit Latinorum pars major Christum legitimo tempore, & cum Judæis Pascha peregisse; nonnullis tamen putantibus Christum eo anno legale tempus servasse, Judæos vero Pascha in sequentem diem distulisse: idque propter traditiones majorum, ne duo festi, Pascha & Sabbathum, ut supremo anno Christi contingebat, concurrerent, de qua traditione supra dixi, quid sentiam.

At Græci volunt, Christum una die ante Judæos, hoc est die tertiadecima Nisan, Pascha celebrasse, quod mortis præsciens, quæ Paschalis die illi erat inferenda, ante diem à Lege præscriptum, Judaicum egerit Pascha. Huic Græcorum (non tamen omnium) Patrum sententiæ recentiores Græci magno ardore innituntur, eo consilio, ut probent in fermentato, & non in azymo, institutum fuisse à Christo Domino Sacramentum Corporis sui: nam azymorum usus cum Paschate tantum incipiebat, quod prima dies azymorum ideo erat vocatum. Enimvero Græci id affirmant verbis freti S. Johannis, tum capite XIII. 1. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: & cœna facta* &c. tum XVIII. 28. *Judæi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Si ergo Judæi, inquiunt, Pascha debebant manducare, & Christus præcedenti vespere Pascha comederat, sequitur, Christum solitam manducationis diem præoccupasse.

Sed longe verior est Latinorum sententia affirmans Christum Luna quartadecima ad secundas vesperas una cum Judæis legale Pascha celebrasse, quam ita firmat unanimis trium Evangelistarum auctoritas, ut verba S. Johannis subobscura in apertissimum sensum Sanctorum Matthæi, Marci, & Lucæ sint adducenda. Scribit S. Matthæus XXVI. *Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* S. Marcus XIV. *Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* S. Lucas XXII. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Johannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* Porro si erat dies Azymorum, quo Christus Pascha cum Discipulis suis debebat comedere, Christus certe Pascha non anteverterit, quod statuto tempore celebravit. Præterea agnus Paschalis mactari debebat in Templo, & a Sacerdotibus ad Altare debebat illius sanguis adspergi, atque adeps comburi. Unum quæro, qui fieri potuerit, ut Sacerdotes ante tempus a Lege præfinitum, agnum pro Christo & Discipulis, quem summe oderant, immolarent?

Quare cum tribus Evangelistis in concordiam adducendus est S. Johannes, qui refert ante diem festum Paschæ ultimam Cœnam à Christo peractam fuisse. Quod profecto facili fiet negotio, si divisionem diei apud Judæos, de qua supra dictum est, repetamus; in diem naturalem, sacrum, & artificialem, dicamusque a Johanne Cœnam factam narrari ante diem naturalem Festi Paschæ, qui a media nocte habebat exordium, vel ante diem ejusdem artificialem, qui ab aurora initium ducebat: non vero ante diem sacrum Paschæ à primis vesperis incipientem, seu ante incipientem jam diem azymorum, qua Pascha à Christo Jesu celebrandum fuisse tres Evangelistæ testantur. Alter etiam locus Johannis, quo dicitur, Judæos non ingressos fuisse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, non de agno Paschali, quem præcedenti vespera comederant, explicatur; sed de Paschalibus victimis, & sacrificiis pacificis, ovium, vitulorum, & bovum, quæ septem diebus azymorum immolabantur, & quibus

listarum posse arbitrantur, quorum hi Pascha nelebratum esse à Christo feriâ quintâ vespere tradunt, ille vero ipsum in Parasceve, id est, præparatione Paschæ, id est, pridie Paschæ esse passum exponit. Accedit, quod in ipsa Parasceve, quæ dies est sexta, Judæi dixerunt, se nolle prætorium ingredi, ne contaminarentur, & comedere Pascha possent; id quod eo die non mane, sed vespere erant facturi, qui ad solemnitatem sequentis Sabbathi pertinebat. Neque vero solum dies prima Azymorum Paschatis nomine decorata est, sed etiam reliquæ; ut à S. Luca Act. XII. *Erant dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem volens post Pascha producere eum populo.*

Non est præterea illud silentio prætereundum, ex præcepto Dei Pascha celebrari non potuisse, (46) nisi in urbe regni metropoli. Deuteronomii XVI. *Non poteris immolare Phase*

quibus vescebantue pee septem dies, dummodo nullam legalem immundiciam contraxissent. Nomine Paschatis quippe etiam victimas hasce Paschales significari, supra monstratum est.

Age vero cetera systemata, quæ de Paschate prodierunt, brevissime referamus. Photius in Bibliotheca Codd. 115. & 116. narrat se legisse quorumdam scripta, in quibus dicebatur Christus ultimo anno præscriptum Pascha non celebrasse, quam sententiam ipse sugillat, tamquam oppositam doctrinæ *Chrysostomi, & Ecclesiæ* docentis Christum legitimum Pascha perfecisse, antequam sui Corporis institueret Cœnam. Pater tamen Lamy sensit, Christum in ultima Cœna agnum Paschalem cum Discipulis non comedisse, imo mortuum fuisse affirmavit eodem die, quo Judæi ax Lege Pascha manducarunt: quandoquidem peracti Paschatis nullam mentionem ingerunt Evangelistæ, sed Cœnæ tantum, & institutionis Sacramenti Eucharistiæ. Quæ sententia quot adversarios doctrina & eruditione perclaros nacta fuerit, neminem Eruditorum scripta legentem potest latere.

P. Harduinus etiam novum systema de Paschate excogitavit; Judæos nempe per duos dies Pascha immolasse, comedisseque post captivitatem Babylonicam, quo tempore Judæorum numerus ita in immensum excrevit, ut Sacerdotes tantam agnorum multitudinem una die mactare non possent. Hinc ultimo Christi anno, Judæorum alii feriam quintam, alii feriam sextam, opinante Harduino, Paschali convivio solennem habuerunt: Galilæi scilicet, & decem Tribus per Palæstinam dispersæ, feriam quintam; Jerusalem vero, & Judæam incolentes, feriam sextam.

Pater Prazon in Dissertatione, quam attexuit Historiæ suæ Evangelicæ, putavit Judæos duas Neomenias celebrasse, proindeque bis numeravisse Lunam quartamdecimam, & quali bet illarum eos comedisse agnum Paschalem. Hoc systema etiam, si idoneis documentis è vetustate delumptis confirmari posset, facili negotio conciliaret Evangelistarum testimonia, quæ de die peractæ à Christo ultimæ Cœnæ sibi videntur repugnantia. Sed ut supra advertimus annotatione XI., saltem in urbe Jerusalem, ubi fixum erat Kalendarium, unica tantum die, die scilicet phaseos Lunæ, Neomeniæ celebrabantur.

Postremo loco collocanda est illorum opinatio, qui duplex Pascha distinguunt, unum θύσιμον solenne, & plenum; alterum μνημονευτικὸν voluntarium magis, quam Lege preceptum. Pascha θύσιμον sicut nisi in uno loco, quo populus conveniret, celebrari non poterat, qui locus post Davidis tempora fuit Jerusalem; ita & tempore præfinito peragendum erat, nimirum inter duas ὀψίας diei quartædecimæ exeuntis, & inchoantis quintædecimæ mensis ניסן; itemque cum azymo, & lactucis agrestibus agno assato vesci oportebat, cujus sanguis antea à Sacerdotibus ad Altare Holocaustorum esset oblatus.

At præsertim post Babylonicam servitutem, populique alias διασπορᾶς, quum plures Judæi hac, illac longe Gentium dispersi Jerusalem venire non possent, in locum θυσίμου Paschatis surrogatum volunt Pascha μνημονευτικὸν, ut quandam Paschatis speciem sibi ob oculos ponerent, & beneficii in Ægypto a Patribus olim recepti, ubique refricarent memoriam. Hujus ergo cœnam parabant, in qua aliquid azymorum cum herbis amaris comederent; non aliter quam fieri solet à nostræ ætatis Judæis, qui sacrorum inopes, inanes solummodo umbras consectantur. Hoc autem Pascha voluntarie susceptum, sicuti nulli loco adstringebatur; ita sentiunt nulli tempori fuisse alligatum.

Ajunt igitur, Christum anno, quo in Crucem est actus, quum morte præveniendus Pascha θύσιμον non posset peragere, voluisse memoriam Paschatis saltem celebrare cum Discipulis suis, illorum instar, quibus Jerusalem venire non erat concessum. Christus enim verum Pascha vero Paschatis die sacrificandus erat, ut qua die typicus Agnus à Judæis mactabatur ex Lege, eadem die verus Agnus immolaretur in Cruce, atque ita eodem tempore typum compleret antitypus.

Verum hæc omnia sicut sine Veterum testimoniis sunt excogitata; ita sine ulla anxietate à nobis negantur. Imo si Veterum testimonia requirimus, tanto consensu omnes qua Latini, qua Græci Patres affirmant, Christum pridie mortis legale Pascha comedisse, ut Tridentina Synodus eorum firmiter insistens doctrinæ aperte statuerit, Christum Dominum celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus ex Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum Pascha instituisse se ipsum, ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc Mundo ad Patrem, quando per Sanguinis sui effusionem nos redemit. Et in solemnitate Corporis Christi verbis Doctoris Angelici canit Ecclesia in Hymno ad Matutinum:

Noctis recolitur Cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum, & azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta Patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis
Corpus Dominicum datum Discipulis;
Sic totum omnibus, quod totum singulis;
Ejus fatemur manibus.

At de supremo Christi Paschate satis; & fortasse plura sunt scripta, quam conveniret modulo annotationes scribentis.

(46) Celebratum est primum Pascha in Ægypto, ubi agnum domi suæ quisque Israelita mactavit, ut habetur Exodi XII 21. Alterum Pascha peractum est in monte Sinai anno secundo, postquam egressi sunt ex Ægypto, ut legitur Numer. IX. Deinceps non potuit alibi Pascha immolari, quam in loco, quem Deus elegerat, ex Deutec. XVI.; qui locus primo fuit ante ostium Tabernaculi, deinde atrium Templi Jerusalem, postquam illud Salomon a fundamentis excitavit, quò se conferebant Judæi Paschalis festa quotannis celebraturi.

Pro immolandis vero tot victimis, quot erant Judæorum familiæ, frustra quis opponeret, aut atrii angustias, aut temporis brevitatem, aut Sacerdotum pro ingenti hostiarum numero impotens ministerium: nam Templi atrium latissime patuit, & in eo viginti duo millia boum, ovium centum viginti millia in Encæniis Salomon obtulit, ac reliquus populus

Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus daturus est tibi, sed in loca, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Itaque in Silo primum, deinde Jerusalem celebrari est solitum.

Ut autem hæc ipsa illustriora reddantur, placet his quoque Paschata apparate celebrata, de quibus Literæ sacræ loquuntur, attexere. Celebratum est igitur primum Pascha in terra Chananæa à Josue, ut scriptum est V. Josue: *Manserunt filii Israël in Galgalis, & fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperam in campis Hiericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero azymos panes, & polentam hujus anni.* Alterum tempore Ezechiæ Regis Judæ; de quo sic II. Paralip. XXX. *Inito consilio Regis, & Principum, & universi cœtus Jerusalem, decreverunt, ut facerent Phase mense secundo; non enim potuerant facere in tempore suo; quia Sacerdotes qui possint sufficere, santificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem;* & post: *Fecerunt filii Israël, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem Azymorum, septem diebus solemnitatis immolantes victimas pacificas, & laudantes Dominum Deum patrum suorum; & placuit universæ multitudini, ut celebrarent etiam alias dies septem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio; factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israël in ea urbe non fuerat.* Tertium factum est à Josia Rege XXIII. quarti Regum: *Non est factum Phase tale à diebus Judicum, qui judicaverunt Israël, & omnium dierum Regum Israël, & Regum Judæ, sicut in octavo decimo anno Regis Josiæ.* Item II. Paralip. XXXV. & tertio Esdræ primo. Quartum, postquam è Babylonia redierunt. VI primi Esdræ: *Filii Israël transmigrationis fecerunt Pascha quarta decima die mensis primi, & fecerunt so-*

A *lemnitatem Azymorum septem diebus in lætitia;* Hactenus de Pascha, & Azymis.

CAP. X.

De Pentecoste.

SEquuntur Primitiæ, & (47) Pentecoste, quæ etiam (48) Hebdomades appellatæ sunt. Quæ vero hæc fuerint & quibus diebus peracta sint, eadem, ut ante, ratione tradetur, nempe primum loca Legis prodendo, deinde brevem eorum explicationem adjiciendo. Sic igitur de die Primitiarum præcepit Deus Levitici XXIII. *Cum ingressi fueritis terram,*
B *quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, ferretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui (49) elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbathi, & sanctificabit illum: & eodem die cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domino, & libamenta offerentur cum eo duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domino, odoremque suavissimum, liba quoque vini, quarta pars hin.* Quibus dictis subjicit de Pentecoste post septem hebdomadas celebranda ita: *Numerabitis inde ab altero die Sabbathi, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est,*
C *quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino, panes primitiarum duos, septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias Pacificorum.* Item Numerorum XVIII. & Deuteronomii XVI. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die,*

---

pulus victimas sine numero, ut III. Regum, & II. Paralipomenon constat. Deinde quatuor erant horæ, quibus poterat Pascha mactari, & Josephus loco paullo superius adducto narrat, ætate sua ab hora nona usque ad undecimam hostiarum ducenta & quinquaginta sex millia, & quingenta cæsa fuisse.
D Sacerdotes tandem plurimi erant, & expediti, qui non omnia ad mactationem agni coram manibus debebant perficere: & præterea tota nocte adolere poterant, donec ascenderet columna auroræ, si credendum sit Maimonidi in tractatu de Paschate.

(47) A πεντήκοντα *quinquaginta* est Πεντηκοστὴ *dies quinquagesima*, quæ solennis apud Judæos incidebat in sextam diem *Sivan* mensis fere nostro Majo respondentis. Horum enim dierum numerus incipiebat secunda die Azymorum, quæ erat sextadecima *Nisan*, ex qua si computus ad sextam *Sivan* deducatur, plane resultant dies quinquaginta: unde, ut inquit Aben Ezra in Levit. XXIII. festum septimanarum (hoc nomine etiam Judæi Pentecostem appellant) pendet ex die agitationis manipuli. Nam secunda azymorum elevabatur,
E vel agitabatur manipulus hordei coram Domino, qui עומר *Homer* dicitur, quod hic spicarum fasciculus tot grana contineret, quot עומר posset implere. Quare עומר & manipulum spicarum significat, & aridorum mensuram, quæ grana ex fasciculo spicarum excussa continebat.

(48) Festum Pentecostes à Græcis, atque ab Hebræis Helenistis ἑορτὴ τῶν ἑβδομάδων *festum hebdomadum* nominatur, quod ad quinquaginta dies constituendos septem hebdomadas à secunda die azymorum oportebat numerare. Ab Judæis autem Hebraizantibus hoc festum vocatur חג עצרת *Chag hatzareth* à radice עצר *claudere*, quod dies Pentecostes totius calculi septimanarum clausula esset. Quæ appellatio festi Pentecostis etsi non est deumta ex sacris literis, constat tamen illam esse perantiquam, quum & Chaldæus Paraphrastes illam habeat, & Josephus Antiq. III. 10. *Hebræi*, inquit, *Pentecosten appellant Asartha*, quo voce nemo non videt nomen עצרת *Hatzareth* designari. Ceterum Samaritani, ut legere est in eorum epistola ad Huntingtonum, incipiunt enumerare hos dies quinquaginta postridie Sabbathi, quod Paschatis diem subsequitur: exempli caussa, si feria secunda occurrat, à sequenti Sabbatho quinquaginta dies numerant, & quinquagesimum habent solemnem; quo fit, ut plerumque serius Judæis Samaritæ celebrent festum Pentecostis.

(49) Textus Hebræus habet והניף *& agitabit*, cujus verbi occasione observant veteres Rabbini duplex genus elevationis in sacrificiis fuisse; alterum, quod תרומה *Theruma*; alterum, quod תנופה *Thenupha* dicebatur. Theruma fiebat vel sursum & deorsum, vel prorsum & retrorsum, munus elevando. Thenupha fiebat dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, & retrorsum, ita ut res oblata hinc inde in sublime porrecta ad quatuor Mundi plagas moveretur, quo ritu Deum totius Mundi Dominum Judæi significabant, vel ostendebant sacrificia Deo offerenda esse in quatuor Mundi plagis temporum adveniente plenitudine. Agitatio vero pectoris & armi Sacerdotis indicabat Deo, toto pectore, & animo semper excitato, serviendum esse.

die, qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo. Rationem autem offerendarum primitiarum docuerat secundo Levitici inquiens: *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus* (50) *torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est; de qua adolebit Sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & olei, ac totum thus.* Qualis vero hæc ratio esset, apertius quoque Josephus explicuit Antiq. tertio: *Secunda Azymorum die, quæ est sexta decima mensis Martis, frugum, quas messuerunt (non enim ante attingunt) partem sumunt; ac rati primum Deo honorem, à quo earum copiam acceperunt; hoc modo illi earum primitias offerunt. Ubi manipulum spicarum siccarunt, tuderunt, hordeaque ipsa ad molendum nudarunt, assarium altari Deo admovent, & pugillum unum ex eo conjicientes, reliquum ad usum Sacerdotis relinquunt; atque inde publice messis faciendæ potestas datur. Sacrificant autem in Primitiis frugum agnum in holocaustum Deo. Hebdomade vero septima post hoc sacrificium transacta (hæ hebdomades dies sunt quadraginta novem) quinquagesima die afferunt ad Deum panes ex farina hordeacea, duo assaria, cum fermento factos, sacrificium vero agnos duos; & Deo quidem offeruntur solum, Sacerdotibus vero ad cœnam præbentur; nec licet ex eis quidquam in crastinum relinquere; & immolant in holocaustum vitulos tres, arietes duos, agnos quatordecim, & hircos pro peccato duos.*

Ex his omnibus in unum collatis satis intelligi potest, sextadecima die Martii, quam secundam Azymorum diximus, falcem in segetem primùm esse missam, lectumque novarum frugum manipulum Domino esse oblatum, ut sanctificaretur futura messis, eumque diem Primitiarum vocatum; messe inde post quadraginta novem dies perfecta (51) ipso die quinquagesimo festum Pentecostes, sive Quinquagesimæ, celebratum fuisse sexto die mensis Sivan, qui respondit Majo, atque eo die panes è novis frugibus Deo oblatos esse. Festum autem (52) Pentecostes alio nomine festum Hebdomadum esse dictum, quod in fine Hebdomadum ageretur; unde illud est secundo Maccabæorum duodecimo: *Venerunt Hierosolymam die solemni Septimanarum instante, & post Pentecosten abierunt contra Gorgiam*; & Actuum II. *Cum complerentur dies Pentecostes.*

CAP. XI.

De festo Tubarum.

SEquitur dies Tubarum, qui die (53) prima septimi mensis est celebratus, quem illi Tisri, nos Septembrem vocamus. De ejus vero cultu sic præcepit Deus Levitici XXIII. *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum; nullum opus servile facietis in eo, &*

(50) Josephus loco superius adducto narrat, qua ratione illius ævo primitiæ Deo essent oblatæ. Sumebatur manipulus puta hordei, quod secunda azymorum offerebatur, atque ab illo grana excutiebantur, superiorque spicæ pars torrebatur. Grana mundata aut in mortario tundebantur, aut mola terebantur. Implebatur inde Assaron, sive *Homer*, de qua mensura septem cotylas ex eodem Josepho l. III. 7. continente supra dixi, & Sacerdoti offerebatur, qui partem ejus manu prehensam super ignem altaris spergebat, & reliquum usui illius cedebat. Hac cærimonia peracta poterat quisque messi initium dare.

(51) Si quæras ab Interpretibus, quam ob caussam festum Pentecostis à Deo fuit institutum; non unam, sed quatuor illius institutionis caussas tibi assignabunt. Prima, ut esset annua commemoratio Legis a Deo promulgatæ post primum Pascha die quinquagesimo in monte Sinai fumigante, & nubibus contecto inter fulmina & tonitrua. Secunda, ut esset dies memorialis fundatæ eorum Reipublicæ, ut dixit ipse Deus Deuter. XVI. 12. *Recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto*; & civilis eorum libertatis, in quam lata Lege fuerunt vindicati. Tertia, ut tempore messis Deum frugum omnium datorem agnoscerent, primitiis earumdem oblatis. Quarta denique, ut in vetere Pentecoste typus Pentecostis Novi Testamenti exhiberetur, quem typum eleganter exponit S. Augustinus Epistola 119. ad Januarium; in Veteri Testamento, dicens, occidebatur agnus, agebatur Pascha, & die quinquagesimo dabatur Lex ad timorem, Dei digito scripta: sed in Novo Testamento occisus est Jesus agnus ad mactandum ductus: inde jam agitur verum Pascha, & die quinquagesimo Apostolis datur Spiritus Sanctus.

(52) Ergo duplex est Festum Pentecostes, Judæorum unum, de quo hactenus; Christianorum alterum, quo Spiritus Sanctus super Apostolos in Cœnaculo congregatos effusus est, dum Judæi primitias messis novi amplius bonas offerebant in Templo: quia ut ad rem observat OEcumenius in cap II. Act. *circa hoc festum tempus erat, in maturam messem spiritualem falcem mittere.* Illapsus itaque est promissus Spiritus veritatis super Apostolos, aliosque expectantes unanimiter promissionem Patris, animas, ut scriptum est, centum viginti: nam horâ ab Sole Oriente tertiâ, facto repente de Cœlo sono, apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, qui super singulos sedit; hoc est, ut exponit Chrysostomus Hom. 4. in Act. Apost. *mansit apud illos, & in illis requievit, quia sedendi verbum stabilitatem, ac mansionem declarat.*

Verum inter effecta mira eademque multiplicia à Spiritu Sancto in illis producta, quod maxime perculit Judæos incredulos, donum fuit linguarum, quo Apostoli ceterique cœperunt variis Gentium linguis, quas non noverunt, neque didicerant, eloqui. Judæi enim tanti prodigii novitate attoniti, qua arte illud inficiarentur ignari, velut ebrios mustoque tumidos eos traduxere, quos ineffabilis charismatum multitudo repleverat. Sed infelix malitia! Ebrietas linguam, quam quis callet, confundit: quomodo linguas, quæ ignorantur, erudiet? Quisque enim lingua, in qua natus erat, Parthus & Arabs, advenæ quoque Romanus & Græcus, Apostolos loquentes audiebat. Sed Petrus sui, & sociorum caussam defendens hisce verbis eorum confudit audaciam: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt; quum sit hora diei tertia.* Quibus certe firmius nihil, ad eorum perfidiam infringendam adduci poterat. Recepta enim tunc temporis apud Judæos disciplina erat, ac tamquam publica Lege cautum, ne quisquam diebus festis sumeret cibum ante horam sextam, circa quam solenne sacrificium in Templo solebat consummari.

(53) Idest Tisri, qui septimus erat anni sacri à Nisan incipientis, & primus anni civilis. Prima itaque dies hujus mensis solemnis erat & venerabilis, quæ clangoris & Tubarum festum celebrabatur, & hujus mensis initium multo majore pompa, quam ceterorum mensium annuntiabatur.

& (54) *offeretis holocaustum Domino*. (55) Celebratus est autem in memoriam, ut ajunt Interpretes, ejus diei, quo tubis clangentibus Deus Legem Moysi in monte Sinai dedit, aut ejus, cum liberatus est Isaac invento ariete hærente cornibus. Hujus vero diei mentio fit Psalmo LXXX. *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum est in Israel*; & apud Philonem in Decalogo: *Sacrum Novilunium, in quo tuba canitur*.

CAP. XII.

De festo Expiationum.

B FEstum (56) autem Expiationum (57) decimam septimi mensis diem habuit dedicatam, qui etiam Jejunii dies dictus est, quod

A eo animas affligere, id est, jejunare, Lege jussi sunt; de eo vero sic præcipere perrexit Deus Levitici XXXIII. inquiens: *Decimo die mensis septimi dies Expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus* (58) *affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino; nullum opus servile facietis in eo, quia dies propitiationis est; affligetis animas vestras die nono mensis; omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis*. De eodem vero die sic præceperat etiam XVI. *Mense septima decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit vestr, atque mundatio: ab omni-*

B *bus peccatis vestris coram Domino mundabimini. Sabbatbum enim requietionis est; affligetis animas vestras religione perpetua*. Expiabit autem Sa-

(54) Numerorum XXIX. 2. & seq. enumerat Moyses sacrificia, quæ solenni die clangoris debebant offerri: *Offeretis*, inquit, *holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem .... Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi*. Hæc tamen sacrificia minime impediebant, tum ea, quæ singulis Neomeniis erant propria, tum juge sacrificium, quod vespere & mane perpetuo offerebatur.

(55) Noster duas assignat rationes, ob quas celebratum fuerit festum Tubarum. Putavit enim hoc festum præceptum fuisse, aut in memoriam Legis a Deo Moysi datæ inter tonitrua, quibus mons Sinai reboavit, quæ sententia est Theodoreti quæst. 32. in Levit., & aliquorum Interpretum: aut in memoriam Isaac

C à præsenti morte liberati ariete invento, ab Abraham loco filii immolato, quam sententiam Rabbini amplectuntur, & inde dant caussam, cur hoc die cornu canunt arietino, quod scilicet aries pro Isaac mactatus fuerit. Quam autem Moyses caussam instituti festi Tubarum haud exponat, varii varias institutionis caussas assignant. Mihi tamen duæ sequentes videntur adductis probabiliores. Prima, ideo Festum, & Tubarum sonitus prima die Tisri præceptum fuit, quia per eum initium anni civilis indicebatur, ראש השנה,

D quo maxime conveniebat Deum præcipua pietate venerari, cum ob accepta præterito anno beneficia, tum ob nova in novum annum exoranda. Altera caussa est, quum plures in mense Tisri dies festi essent celebrandi, voluit Deus in ejus Neomenia solennius festum præcipere, ut hunc mensem religiosius præ ceteris observandum esse Judæi intelligerent; & illud clangentibus Tubis indicere, ut ad festos rite peragendos se disponerent, maximeque ad instantem Expiationis diem celebrandum, de quo sequenti capite differetur.

(56) Dies Expiationum à Judæis per antonomasiam יומא *Dies* appellatur, quia dies Expiationum יום הכפרים erat. Hæ autem numero pluralis Levitici XXIII. 27. efferuntur ex Abar-

E banel, quia ille die fieret expiatio omnium dierum totius anni. Quoniam vero hæc dies summe lugubris erat, rigidique jejunii, à Judæis inter Festa non numeratur, quamquam inter solennes dies locum haberet.

(57) Tempus plane terunt Magistri, dum aucupantur rationes, ob quas in diem decimam Tisri, & non in aliam, dies Expiationis incideret. Quum enim Moyses jussu Dei solennitatem præcipiens non expresserit caussam, cur decimum Tisri inter anni dies Expiationi assignaverit; reliquum est, ut id referatur in liberam Dei voluntatem, cujus consilia sicut non est mortalium cognoscere; ita debent multo minus illa curiosius investigare. Hinc nugantur Magistri, dum affirmant aut decima die Tisri Adamum delicti sui pœnituisse, eandemque diem ideo pro expiandis iniquitatibus Israel a Moyse fuisse præceptam, ut Adamum pœnitentem Judæus sibi conscius criminum imitaretur: aut, quum dicunt, Abrahamum eadem decima die circumcisum, quapropter illi diei Expiationem scelerum alligandam fuisse, qua Israelitæ in populum Dei fuerunt allecti: aut denique, quum volunt, Moysem eadem die cum novis tabulis descendisse de monte veniam à Deo precatus Israeli, qui vitulum aureum conflando, idololatriæ scelere se jam obstrinxerat.

C (58) Quibus potissimum cærimoniis Judæi nostrorum temporum celebrent diem Expiationis quamquam Lector ex Buxtorfio Synagogæ Jud. cap. XX. potest intelligere: spero tamen illi non ingratum futurum, si aliqua huc referam ex eodem auctore. Narrat Judæos jam inde ab ineunte Tisri, ad diem solennem Expiationis se disponere, solidos decem dies jejuniis, precibus, ac pœnitentiæ exercitiis transigentes, ut ab illis promerita mala Deus avertat. Summo mane surgentes ter singulis diebus exomologesim faciunt, quo tempore & lites cessant, & ab inferenda excommunicationis sententia abstinent. Pridie Festi Gallum album, si fieri potest, sin minus, alterius à rubro coloris, singuli sumentes, post preces recitatas frontem ter altrie capite sibi percutiunt, singulis vicibus repetentes: *Gallo iste*

D *redimar; mortem enim ferens quam mihi promerus, veniam mihi impetrabit; ille pro me morietur, mihi vero vita beata una cum Israele universo aditus patebit*. Statimque cultrum in ejus jugulum adigunt, eviscerant, plumas detrahunt, coctoque in cibum utuntur. Hunc autem ritum diu in Italia & Oriente obtinentem, exolevisse jam, quod pura putaque superstitio esset, Leo Modena testatur parte III. c. 6. Recentiores enim Judæos pudait hujus stultitiæ: a quibus, si quæras, cur Gallo uterentur: ecce tibi respondent: quia Hebraice גבר tam *gallum*, quam *hominem* significat: unde moriebatur גבר pro גבר. Noctem vero ante Festum plures Judæorum totam transigunt in Synagoga assiduis precibus

E operam dantes: veste insuper lugubri, alba scilicet, vel nigra induti, nec desunt qui easdem induant, quas ut sepulchro sibi destinarunt. Summo mane sine calceis, & tibialibus (hac die enim, ceterisque jejunii diebus Judæos calceis non usos fuisse, habuisseque Nudipedalia veluti sacra, animadvertisse videtur ætate sua etiam Juvenalis Satyra 6.

Observant ubi Festa mero pede Sabbatba Reges.)

ad Synagogam conveniunt, ubi quater solennes preces, mane, meridie, post meridiem, & vespera fiunt. Quum sidera elucescunt, indicium noctis exhibentia, cornu intonante jejunii finis denunciatur. Continuo omnes domum concedunt, albisque vestibus pro cujusque facultate induti, mensis accumbunt totius diei inediam cibo & potu reparantes.

Sacerdos, qui unctus fuerit, Sanctuarium, Tabernaculum Testimonii, atque Altare, Sacerdotes quoque, & universum populum. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Quomodo vero hæc expiatio peccatorum & Tabernaculi fieret capro emissario in deserta emisso, eodem capite traditur; quæ res quia ad Pontificis officium pertinuit, in eum locum rejicietur, in quo de Pontifice disputabitur. Hic (59) vero dies Jejunium appellatus est a Hieremia XXXVI. *Leges de volumine audiente populo in domo Domini in die Jejunii.* Quare Josephus dixit VI. Belli: *Die expiationum jejunare mos fuit cunctis.*

CAP. XIII.

De festis Collectarum & Tabernaculorum.

Ultima fuit (60) celebritas Tabernaculorum, quæ per octo dies peracta est; ex quibus primus, qui Septembris quintus decimus fuit, & octavus, qui fuit vicesimus secundus, Collecta fructuum dictus est, ut distingueretur ab illa altera collecta frugum, de qua diximus. De eo vero sic XXIII. Levitici: *A quinta decimo mensis septimi erunt feriæ Tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino; est enim cœtus, atque* COLLECTÆ; *nullum opus servile facietis in eo. A quinta decimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus; die primo, & die octavo erit Sabbathum, id est, requies, sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum; mense septimo festa celebrabitis, & (61) habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis, qui de genere est Israel, manebit in Tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in Tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti.* Eadem repetuntur Numerorum XXIX. adjectis sacrificiis, quæ singulis festis facienda sunt: *Die prima offeretis holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem. Quintadecima vero die offeretis holocaustum vitulos de armento tredecim; in die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos immaculatos quatuordecim; die tertio vitulos undecim, arietes duos, agnos immaculatos quatuordecim; die quarto vitulos decem, arietes duos, & agnos quatuordecim; die quinto vitulos novem, arietes duos, agnos quatuordecim; die sexto, vitulos octo, arietes duos, agnos quatuordecim; die septimo, vitulos septem, arietes duos, agnos quatuordecim; die octavo, qui est celeberrimus, vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris præter vota & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis;* & Deuteronomii XVI. *Solemnitatem Tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas & epulaveris in festivitate tua.*

Tabernacula ergo, monumentum illius temporis, quo (62) populus in deserto sub Tabernaculis fuit, in Collectas fructuum incide-

(59) Præcepit Jeremias XXXVI. 6. Baruch filio Neriæ, ut legeret coram populo libellum, minis atque invectivis refertissimum his verbis: *Lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in domo Domini,* יום צום *in die jejunii.* Quem diem jejunii fuisse decimam Tisri solennem Expiationis diem, aliqui sacri Interpretes, quos Noster sequitur, affirmant.
Fortasse illam diem per ea verba non designat Propheta; sed aliam diem jejunii insueti, & præter ordinem, quod mense nono anni quinti Regis Joakim indictum fuit, & in memoriam calamitatis institutum, quæ anno superiore Hierosolymæ impendit, quum capta à Nabuchodonosor urbe, prope fuit, ut Rex & populus in servitutem abducerentur, plerisque Templi vasis Babylonem translatis. Probatur hæc sententia ex nono versiculo ejusdem capitis, ubi dicitur: *Factumque est autem in anno quinto Joakim filii Josiæ Regis Judæ, in mense nono, prædicaverunt jejunium in conspectu Domini, omni populo in Jerusalem* .... Et statim versiculo decimo: *Legitque Baruch ex volumine sermonis Jeremiæ, in domo Domini* &c. Jejunium ergo, de quo loquitur Propheta versiculo sexto, fuit mense nono, quo mense quum nullum à Moyse esset præscriptum jejunium, conficitur, illud à Sacerdotibus pro aliqua peculiari calamitate prædicatum fuisse: atque adeo יום צום Jeremiæ minime spectat ad decimam Tisri, mensis primi anni civilis, & septimi anni sacri.

(60) Celebritas Tabernaculorũ Hebr. חג הסוכות dicitur; quæ Tabernacula non ex asseribus compactis extruebantur, sed ex arboribus & frondibus oleæ, myrti, palmæ, salicis, arborum coniferarum, aliarumque id genus, quæ ob pinguedinis, & olei copiam diu virorem conservant. Sub his autem Tabernaculis totâ hebdomadâ Judæi morabantur, ibi cibum sumebant & somnum, memoriam refricantes illius ætatis, qua Patres eorum commorati sunt in deserto. Hinc non immerito conjici potest, hoc Festum ideo הסוכות dictum fuisse, quod Judæi de Rammesse prima mansione ex Ægypto in Socoth secunda mansione fixerint prima Tabernacula: vel etiam quod in Socoth nubes gloriæ eis supervenerit, quæ tegumentum ipsis erat, mansitque cum illis usque ad Moysis mortem. Nomen enim סוכות propriè *umbracula* denotat. Apud Ethnicos etiam erat Festum Annæ Perennæ; quod sub frondeis tentoriis celebrabatur, Cacodæmone volente suos, instar simiæ, imitari quascunque veræ religionis cærimonias. Ovidius Fastorum 3. Festum Annæ Perennæ ita describit:

Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt;
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est;
Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.

(61) Judæi inter Ethnicos quoque hoc Festum Tabernaculorum peragentes, ansam dedere, ut Gentiles Hebraicas origines minus callentes, putarent istud in honorem Bacchi ab illis celebrari. Plutarchus in Symposio problem. V. vera falsis immiscens hæc scribit: *Quæ vero edisserere inter amicos nulla religio prohibet, maxime apud vinum & dona Bacchi; ea, si tibi jubent, paratus sum proferre. Quum juberent & flagitarent omnes: primum, inquit, maxima & perfectissima Judæorum solemnitatis & tempus & modus cum Bacchi Sacris convenit. Quod enim ipsi vocant Jejunium, id sic celebrant, ut maxime fervente vindemia proponant mensas, in quibus expositæ sint omnis generis fruges; & sub Tabernaculis desident, potissimum è palmitibus & hedere, quæ contexuntur: & diem, quæ Festum antecedit, Tabernaculorum nominant.*

(62) Caussæ, ob quas Festum Tabernaculorum institutum fuit, sunt sequentes: I. Ut esset monumentum anniversarium illius temporis, quo

A derunt in Autumno (63) in exitu anni veteris sive naturalis, ut significatur XXIII. Exodi: *Facies & solemnitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuae de agro*; & XXXIV. *Facies & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*. Significat enim æquinoctium autumnale, naturalis anni præteriti finem, & principium sequentis in mense Septembri. De his vero magnâ lætitiâ celebratis agitur Nehemiæ octavo post restitutam vrbem: *Invenerunt scriptum in Lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in Tabernaculis, in die solemni, mense septimo, ut prædicent & divulgent vocem in universis urbibus suis, & in Jerusalem, dicentes:* B *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant Tabernacula, sicut scriptum est. Et egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi Tabernacula unusquisque in domo sua, & in atriis suis, & in atriis domus Dei,*

A *& in platea portæ aquarum, & in platea portæ Effraim. Fecit ergo universa Ecclesia eorum, qui redierant de captivitate, Tabernacula, & habitaverunt in Tabernaculis; non enim fecerunt à diebus Josue filii Nun taliter filii Israël usque ad diem illam; & fuit lætitia magna nimis. Legit autem in libro Legis Dei à die primo usque ad diem novissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octavo* COLLECTAM *juxta ritum*. De eorundem etiam ritu scribit diserte Josephus libro tertio Antiquitatum, cujus verba prætereunda silentio non videntur: *Quintadecima die ejusdem mensis, tempore ad hyemem vergente, Deus Tabernacula figere jussit singulos per familias, metuentes frigus pro* B *anni custodia; dumque in patriam pervenerint, in illa urbe, quam propter Templum Metropolim haberent; eos octo diebus festivitatem agere, & holocausta facere, & sacrificare Deo, & pacificas hostias offerre præcepit:* (64) *utque in manibus portarent ramos myrti, & salicis, summitatesque palmarum, & virgulas mali Persici.* Prima

quo Israelitæ annis quadraginta commorati sunt in deserto. II. Ut Judæi admonerentur quot quantisque prodigiis a Deo fuerunt conservati, atque in possessionem terræ Chanaan immissi. III. Ut commorationem in Tabernaculis statui præsentis vitæ conferrent, in quo uti debemus terrenis rebus, tamquam Tabernaculis, quæ viatores dum incolunt, semper de Patria sunt solliciti. IV. Denique C ut felicitatem promissæ terræ cum præterita miseria conferentes, quum exules erant palantesque, pro acceptis a Deo beneficiis gratias agerent.

(63) Vel dici potest in laudato capite Exodi vicesimotertio 16. dici celebrandum Festum Collectæ fructuum in exitu anni בצאת השנה quamquam esset circa principium anni, videlicet medio mense Tisri, ut Moyses caussam Festi indicaret, quæ erat gratiarum actio pro frugibus anno elapso à Deo concessis. Fruges enim quæ ex agris inferebantur in horrea, ad annum transactum jure spectabant, quæ procedente adoleverant, erantque perfectæ.

(64) Hic mos Judæorum, qui a Josepho narratur, refertus etiam à Plutarcho loco superius adducto, qui Ethnico Scriptori magis ac magis D confirmavit sententiam cultus impensi Baccho a Judæis. Audiantur ejus verba: *Paucis vero post diebus aliam festivitatem non obscure, sed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Est autem solenne apud eos festum* κραδηφορία *è palmitibus gestantis, &* τυρσοφορία, *ubi tyrsos portantes in Templum intrant. Quid intus faciant, ignoro. Credibile est Bacchi ab iis sacra peragi. Nam & tubis exiguis, sicut Argivi Bacchanalibus, utuntur ad invocationem numinis; & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive à Lysio, sive ab Evio (utraque vox Baccho convenit) ita dictos.* Tyrsi autem, qui ab Ethnicis in honorem Bacchi gestabantur, conti erant arborum comis, & floreis sertis induti, ut ait Macrobius l. p. c. 18., & Vergilius Ecloga V.

E *Instituit Daphnis tyrsos inducere Baccho,*
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Verum præstabit hunc Judaicum morem virides fasciculos tyrsorum instar gestandi singulis Tabernaculorum diebus, altius repetere, quo Lector mente concipiat ex umbris veteris ritus summam lucem veritati perfectissimæ nostræ religionis Christianæ derivare. Consentiunt Rabbini versiculo 40. capitis XXIII. Levitici: *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente*: a Moyse præcribi, ut diebus Tabernaculorum manu dextera gestarent fasciculum uno palmæ ramo, duobus salicis, & tribus myrti compactum, & læva ramum mali citrei cum fructu ex eo dependente: quamquam nostri Interpretes novam hanc cærimoniam in illo versiculo non agnoscant, solumque velint in eo contineri explicationem præcepti de construendis Tabernaculis, materiam scilicet indicando, ex qua paranda essent, & vincienda. Hinc multo est probabilius ritum hunc enchiridii festivi, vere antiquum apud Judæos, auctoribus Aggæo & Zacharia post regressum è captivitate Babylonia institutum fuisse; sicut etiam ab eisdem haustus aquæ è piscina Siloe dicitur primum in more positus, quam octava die Tabernaculorum præsertim summa cum lætitia deferebant in Templum, & vino mixtam Sacerdotes ad basim Altaris offerebant.

Tota autem hæc cærimonia in Misna vocatur לולב *Lulabum*, quod singulis diebus mane Templum repetentes, apud Altare, quod circuibant, holocaustorum agitabant, vibrantes rite Lulabo, emittendo illud retrahendoque tribus vicibus versus quatuor Mundi plagas, & Sacerdotibus præeuntibus hymnum magnum הלל רבה accinebant. Quoniam vero inter canendum, Hosianna inclamari sæpius contingeret, factum est, ut Lulabo nomen etiam Hosianna à Magistris inditum fuerit. Ex Psalmo CXVII. desumta sunt verba, quæ sæpius iterabantur:

הושיעה נא אנא: אנא הושיעה נא. Cui sane cærimoniæ pueri Hebræorum alludebant, dum ramos olivarum gestantes intranti Christo cum turbis Jerusalem obviam iverunt, illi acclamando: *Hosanna filio David*. S. Matth. XXI.

Die tamen octava, festi Tabernaculorum novissima, Hosianna erat celebrior; nam populus magna cum pompa, & aureo vase aquam excipiebant ex Siloe, quam festivis vocibus, & buccinarum clangore Templo inferebant, offerebantque, illud Cantici Isaiæ LV. canentes: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Et quidem tanta lætitia hoc ritu Judæi fungebantur, ut apud illos in adagium abierit: *Qui numquam vidit gaudium haustionis aquæ, hic omnibus vitæ suæ diebus gaudium non vidit*. Bene habet.

Nunc quid aliqui Evangeliorum Interpretes observent ad illud S. Johannis VII. 32. oportet advertere: *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes*. Novissima festi dies, de qua loquitur S. Evangelista, erat octava Tabernaculorum, seu dies haustionis aquæ. Christus docuit ea die illud festum, consequ-

Prima itaque dierum sit holocaustum hostiarum ex tredecim bobus, & agno uno, aut pluribus, & arietibus duobus, adjecto hirco pro declinatione peccatorum; sex autem diebus ipsis quidem numerus agnorum & arietum cum hirco sacrificatur; subtrahatur autem singulis diebus unus bos, donec ad septimum veniatur, & ab omni opere die octavo requiescunt, & Deo vitulum immolant, & arietem, & agnas septem, & hircum pro declinatione peccatorum. Hoc vero festum dicitur (65) Græce Sceoopegia, ad quod celebrandum in Jerusalem legitur in Evangelio etiam venisse Christus.

Cæterum festi omnes, de quibus dictum est, dies præcipue ad tres rediguntur, PASCHA, PENTECOSTEN, & TABERNACULA. Atque hi sunt, quibus quotannis virilis sexus omnes ter convenire ex omnibus Judææ finibus debuerunt in urbem Jerusalem, ut Sacris interessent; sic enim mandavit Deus Exodi XXIII. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, solemnitatem Azymorum custodies, septem diebus comedes Azyma tempore mensis Novorum, & solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro, & solemnitatem in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit;* nempe, ut diximus, *in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.* Siquidem secundo Paralipomenon octavo scriptum est: *Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super Altare Domini, quod extruxerat ante porticum, ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysi in Sabbathis, & Calendis, & in diebus festis ter per annum, id est, in solemnitate Azymorum, & in solemnitate Hebdomadarum, & in solemnitate Tabernaculorum.*

Cum autem tria Sabbatha sive festa fuerint, ad quæ quotannis adire viros singulos oporA tuerit, Pascha, Pentecoste, & Tabernacula, merito quæri potest, quodnam ex his fuerit illud, quod S. Lucas VI. vocat (66) Sabbathum secundoprimum, inquiens: *Factum est autem in Sabbatho secundoprimo, cum Jesus transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas;* neque enim Pascha fuit, quia XIV. die Martii nondum erant maturæ spicæ, neque Pentecoste, quia sexta Maji mensis jam absoluta erat; & si alterum eorum esset, tamen ratio non extaret, cur secundoprimum diceretur. Omnino autem consentientibus omnibus, inter Pascha & Pentecosten illud interciderit, necesse est, cum eo tantum tempore messis vigeret. Hoc loco multa Interpretes ex in- B genio confinxerunt, quorum nihil probabilius atque aptius ab eruditis hominibus judicatur, quam quod à Sancto Joanne Chrysostomo affertur, fuisse Sabbathum, seu septimum diem, qui in Neomeniam Aprilis inciderit, ita ut duplex tum festum fuerit, septimus dies, & Neomenia. Verum & hæc expositio reprobari potest; primum, quia solâ conjecturâ fulcitur; deinde, quia rationem non affert, cur tale Sabbathum secundoprimum dicatur; tertio, quia Neomenia sacer quidem erat dies; non tamen festus, cum opus exerceretur, quare talis dies duplex Sabbathum esse non potuit. Quid igitur censes? dicet aliquis, bona cum venia omnium qui secus scripserunt, ex- C ponam non refellendæ alienæ, sed meæ, ut in præsens est, sententiæ declarandæ gratiâ. Hebræi non semper celebrabant Pascha primo mense, sed interdum secundo, ut apparet ex II. Paralip. XXX. *Inito consilio Regis, & Principum, & universi cœtus Jerusalem, decreverunt, ut facerent Phase mense secundo;* (67) *non enim potuerunt facere in tempore suo, quia Sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem.* Cum autem secundo mense faciebant, fortasse secundoprimum vocabant, significantes Pascha se-

---

quæ cærimoniæ ad se, tamquam ad Scopum, referri. Ea die a terrestribus aquis ad cælestes & vivificas Judæos evocavit. Intelligi debere nomine aquæ Spiritum Sanctum mox in Discipulos effundendum edocuit. Si autem D summo gaudio terrestris aqua à Siloë hauriebatur juxta Judæorum adagium: gaudio certe multo majore, quod omnem superat sensum, gratia Spiritus Sancti, per aquam designata, in credentium cordibus fuit diffusa. Vicit lux umbram, antitypus typum, mysterium veritas. Quum promissus Spiritus veritatis, illapsus est super fideles, tunc oppido hausta fuerunt aquæ de fontibus Salvatoris, quas non Judæi tantum debebant haurire, sed quoque omnes Gentes ad novum fœdus vocatæ: *Dicetis in die illa;* post verba: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,* immediate subdit Propheta: *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite* בגוים *in populis adinventiones ejus.* Et paullo post: *annuntiate hoc* E בכל הארץ *in universa terra.* Quibus verbis Gentium vocationem Isaïas aperte significavit, quæ ex omnibus linguis avide cucurrerunt ad aquas Domini, quum interim Judæorum plures sitientes steterint prope fontem, nolentes miseri ex illo aquas haurire.

(65) Σκηνοπηγία, quod nomen non derivatur ἀπὸ τῆς σκιᾶς *umbra*, & φάγειν *edere*, comestionem scilicet in umbraculis significando, ut aliqui putant: sed à σκηνή *Tabernaculum*, & πήγνυμι *erigo*, sive *conficio*. Et non solum in Evangeliis hoc nomen occurrit; sed etiam in libris Macchabæorum.

D (66) Sententia, quæ magis obtinet nostra ætate inter Eruditos, de Sabbatho secundo primo, hæc est. Quum septem hebdomadæ, quæ à Paschate ad Pentecosten intercsse debebant, à secunda die Azymorum, ut supra dictum est, numerarentur; Sabbathum δευτερόπρωτον *secundo primum*, erat primum Sabbathum post secundam diem Azymorum, seu Sabbathum post secundam Paschatis diem primum. Ita Sabbathum deuterodeuteron erat Sabbathum secundum post secundam Paschatis diem, & sic deinceps usque ad diem Pentecostes.

(67) Asserunt Rabbini in Misna de Paschate cap. 7. Agnum Paschalem immolatum fuisse etiam cum immunditia, modo tamen majoris partis immunditia esset. Dum enim privati pauci E immundi erant, ii Agni Paschalis immolationem in mensem alterum differebant: quod ultimum consonat præcepto Numer. IX. 10. & 11. Quare Rabbinorum sententia Ezechias, qui in alterum mensem distulit Pascha, est improbatus, putantque à Deo ob id mulctatum fuisse permittendo, ut thesaurum Babyloniis legatis ostenderet, ex quo parum abfuit, quin disperiret. Verum hinc Legem à Magistrorum cerebro serius natam prætulit respuere, quam zelum Ezechiæ damnare, qui adhibito consilio principum nationis & populi Pascha distulit in alterum mensem, quia Sacerdotes non erant sanctificati: præsertim vero quum illius factum a Sacra Scriptura commendetur, ut patet adductum cap. XXX II. Paralipomenon legenti per totum.

secundo mense celebratum, quod primo oportuit; quo modo Græci ὕστερον πρότερον, id est, posterius prius, appellabant, cum posteriore loco dicebant, quod priore dicere debuerant. Venit ergo Christus primo mense ad Pascha sub messem; quo non celebrato, venit iterum secundo jam media messe. Unde dixit Sanctus Marcus II. loquens de eadem re: *Et factum est iterum cum Sabbathis ambularet per sata*. Græce autem apertius, *& factum est illum iterum iter facere per sata*; ex quo convincitur, omnino illud *iterum* referendum esse ad Christum bis per sata euntem, non autem ad Pharisæos bis eum calumniis onerantes, ut Jansennius censuit. Si autem bis per sata iter fecit, ergo iterum Jerusalem ad Sabbathum adiit, quod secundo mense celebratum est, cum fortasse primo non potuisset.

CAP. XIV.

De septimo anno.

PErtinuit ad hanc etiam observationem Annus septimus, qui Sabbatharius dictus est: quia (68) eo remissio terræ à cultura concedebatur. De eo vero sic præceptum est Exodi XXIII. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus*; (69) *anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea, & olivete tuo*; & Levitici XXV. *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, Sabbathizet populus Sabbathum Domini. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus*; (70) *septimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini; agrum non seres, & vineam non putabis; quæ sponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges, quasi vindemiam; annus enim*

(68) Variæ assignantur rationes, ob quas septimo anno terra Chanaan omni cultu intermisso quiesceret. Prima est naturalis, ne terra continua frugum productione exhauriretur, fieretque per lapsum temporis gignendis novis fructibus minus idonea. Secunda est moralis, ut misericordia a divitibus erga egenos exerceretur & misericor, qui anno septimo tribus fruebantur privilegiis, nempe cibo communi, remissione debiti, & manumissione a servitute. Tertia est religiosa, ut Judæis illo anno omni cultu agrorum vacantibus, sanctitas Sabbathi ubique locorum fulgeret. Quarta denique est mystica, ut significaretur Sabbathum ultimum, quo electi in cælis perpetuo erant gavisuri. Sed quoniam hæ rationes æque conveniunt anno septimo ac quinquagesimo, ratio fuit potissima, ob quam annus septimus erat Sabbathicus, ut illo anno recolaretur in terra Chanaan creationis memoria, in qua Deus septima die ab omni opere, quod patrarat, quievit. Præterea intermissionem ab agricultura septimo anno Deus præcipiens ostendit, terram illam peculiari quodam jure sibi reservatam, atque adeo ad Theocratiam spectantem. Nam sicut dies Sabbathi, in quo Judæi quiescebant, docebat Judæos fuisse populum Dei: ita annus Sabbathicus, in quo terra Chanaan vacavit, docuit terram Chanaan terram Dei fuisse. Quod omnino ex verbis Moysis liquet, in quibus quietem anni septimi terræ præcepit: שבתה הארץ שבת ליהוה. *Sabbathizet terra Sabbathum Domino*. Hinc egregia est S. Augustini Quæst. 91. & 92. in Levit. ratiocinatio de Sabbatho terræ. Volebat Deus, ex S. Patris sententia, ut Israelitæ ipsum cognoscerent veluti Dominum, ac verum regionum suarum proprietarium, cui tributum solvere aliqua ratione debebant. Quum privati hoc anno fructus agrorum suorum pauperibus ac peregrinis relinquerent, hæc erat quædam tributi species, quod ipsi Domino persolvebant.

(69) Quo mense annus septimus haberet initium, an scilicet a Nisan inciperet, an à Tisri, ab Eruditis disputatum est. Annus enim Sabbathicus quum sacer esset, a Nisan principio anni sacri illum inchoasse Judæos, quidam sunt arbitrati. Sed longe verius existit a Tisri illum cœpisse, quod constans Judæorum traditio habet, & insuper sequens ratio aperte satis ostendit. Anno sexto Hebræis vetitum non fuit serere, quod in Autumno, ut passim fieri solet, instituebatur præter propter. Si igitur sequens Nisan dedisset initium anno Sabbathico, jam non potuissent meti fruges satæ anno sexto; quoniam ante Nisan non solum messis non erat peracta, sed ne quidem incœpta; & anno septimo fruges meti non poterant. Absurdum est autem dicere, collectas fruges non fuisse, quas severant anno sexto, cui Deus largam benedictionem promiserat, ut faceret fructus trium annorum, ut infra dicetur.

(70) Quæri solet, num post solutam captivitatem Babyloniam Judæi annorum Sabbathismum servaverint, quandoquidem constat, illos post regressum Babylone annum Jubilæi non observasse: cui erotemati affirmative sine dubio est respondendum. Hoc sane pluribus potest confirmari; verum satis erit unum locum Josephi indicare, caput scilicet octavum libri XI. Antiquit., ubi immunitatem narrat tributorum septimi cujusque anni impetratam ab Alexandro per Jaddum, cui impetrationi non fuisset locus, si Judæi annum Sabbathicum non observassent. Jaddus enim librum Danielis ostendit Macedoni, & de illo vaticinium interpretatus est, quod cuidam ab Occidente profecturo, portendebat Persarum Imperium. Nempe Jaddo Pontifici Daniel verus erat Propheta, quem Magistri ex albo Prophetarum expungunt, omnem lapidem moventes, ut victum omnibus eorum studiis adversum repudient. At Hebræi ante Christum in humanis agentes contra sunt arbitrati, & Danielem non probarunt modo, ut Prophetam, sed multis etiam commendarunt elogiis. Magnificis verbis illum laudat Ezechiel, & ipse Propheta c4. c4. 20. & 28. Qui Canonem Scripturarum digesserunt, Danieli locum dedere inter Prophetas. Matthatias Macchabæus Danielem, ejusque tres socios non sine honore commemorat. Imo Josephus Antiqu. l. X. cap. 12. ita Danielem, & quidem merito, extollit, ut ex ejus verbis quisque possit cognoscere, quomodo in pejus ab illius ætate ad hæc tempora Judæorum sententiæ sint immutatæ. Verba sunt Judæi, qui Christianam quidem prædicationem non admisit; veritatem tamen occultare non sustinuit: *Omnis eximia felicitas, ut Prophetæ excellentissimo*, (de Daniele sermonem habet Josephus) *contigit, & vivents tam apud Regem, quam apud populum gratiosa, & post obitum sempiternam memoriam consequuta. Libri ejus, quot conscriptos reliquit, etiam nunc apud nos leguntur, qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus cum eo eloquia miscuerit. Non solum enim futura prædixit, quemadmodum alii Prophetæ, verum etiam tempus, quo eventura essent, præfinit. Et quum alii Prophetæ calamitates prædicerent, ideoque malam gratiam apud Reges & multitudinem vulgarem inirent; hic bonorum vatis Vates fuit, ut propter singularem enuntiationem quidem, benevolentiam omnium sibi conciliaret; propter eventuum vero certitudinem, fidem sibi apud universum mortalium genus compararet*,

enim requietionis terræ est, sed erunt vobis in cibum. Et paucis interjectis: *Quod si dixeritis, Quid comederimus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?* (71) *dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum, seretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nascantur nova, edetis vetera.*

Quomodo vero remissio septimo quoque anno esset facienda, deinceps docetur XV. Deuteronomii his verbis: *Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit. A peregrino & advena exiges, civem & propinquum repetendi non habebis potestatem; & omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Fænerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat mutuum commodare.* (72) *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo.*

CAP. XV.

De anno quinquagesimo.

QUinquagesimus (73) item annus Sabbatharius fuit, quia remissio dabatur servis à ministerio servili, atque ager alienatus redibat ad veterem possessorem. De eo vero sic scriptum est Levitici XXV. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem; & clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra; sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse enim est Jubilæus.* (74) *Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad familiam pristinam; quia Jubilæus est, & quinquagesimus annus. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo; ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo, & juxta supputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post Jubilæum, tanto crescet & pretium; & quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emtio constabit; tempus enim frugum vendet tibi.* Hinc Numerorum XXXVI. quibusdam rogantibus de nubendis filiabus Salphaad ex Tribu in Tribum, ac dicentibus: *Si alterius Tribus homines has uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam Tribum de nostra hereditate minuetur; atque ita fiet;*

(71) Autumno anni sexti, ut supra dixi, terra quiescere incipiebat: & toto anno septimo nec metebatur, nec serebatur. Incipiente tandem anno octavo iterum serebant Judæi, & sequenti æstate fruges colligebant. Oportuit igitur, ut fructus anni sexti pro sexto, septimo, & parte octavi sufficerent: ut proinde Deus dicat, se daturum benedictionem suam anno sexto, ut trium annorum fructus produceret.

(72) Hebræi præter occasionem belli, in quo ab hostibus capti adigebantur in servitutem, poterant etiam aliis de caussis libertatem amittere, & dominis servire, qui tamen non essent extranei, sed origine Hebræi. Primò quisque summa necessitate adigente poterat libertatem suam vendere. Secundò Patri licebat vendere filium suum. Tertiò, qui non erat solvendo, servus creditoris evadebat. Quartò fures, qui reddere non possent rem ablatam, sententiâ Judicis vendebantur, & iis illorum, quibus furati erant, utilitatem pretium cedebat. Quintò denique Hebræus servus ab Ethnici potestate ab Hebræo redemtus, poterat à novo domino cuicunque Hebræo venumdari. An autem sex anni servitutis numerari deberent ab uno anno Sabbathico ad alium, an vero à die servitutis; primam partem defendunt Eruditi viri non pauci; alteram vero Rabbini, quos vide, si vacas.

(73) Non levis quæstio est inter Eruditos de anno Jubilæi; an annus quadragesimus nonus, qui ex septem annorum hebdomadis resultat, fuerit Jubilæus; an vero illum excipiens quinquagesimus. Qui statuunt quadragesimum nonum, hisce pugnant auctoritatis, ac rationis momentis. Ad auctoritatem quod attinet, illis favet versiculus octavus XXV. Levitici, in quo Moyses sanxit: *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.* Rationes autem plures illis suffragantur, quarum validior ex absurdo est deducta: quod videlicet si annus quadragesimus nonus erat Sabbathicus, & inde quinquagesimus erat Jubilæus, gravissimo incommodo, & etiam evidenti caritatis periculo laborare Judæos oportuisset, quum utroque anno campi debuissent feriari, Numinisque benignitas benedictionem promiferat anno sexto, qua trium annorum fructus terra produceret: qui plane non sufficissent, per duos continuos annos quiescentibus agris; nam oportuisset anno sexto quatuor annorum fruges arva germinare. His non obstantibus contrariam sententiam plures arripiunt, annumque quadragesimum nonum fuisse Sabbathicum, & quinquagesimum Jubilæum, tum auctoritate, tum ratione contendunt. Auctoritatem perspicuam habent in verbis Levitici à Sigonio Nostro laudatis hoc capite; rationem vero conficiunt a pari, conferendo scilicet præceptum Moysis de die Pentecostes investigando Levit. XV. 16., cum præcepto de anno Jubilæi hic repetito. Nam sicut, ajunt, a die decima sexta Nisan Sabbatha septem numerabantur, hisque completis die sequenti quinquagesima erat solennis Pentecostes: ita septem annorum hebdomadæ numerandæ erant, annusque sequens post illas erat Jubilæus: Alioquin vero superfluum fuisset præceptum cessandi à satione & messe in Jubilæo repetere, quod satis superque cautum erat in præscribenda religione anni Sabbathici.

(74) Multæ recensentur caussæ, ob quas annum Jubilæi Deus præceperit, in quo ad pristinos dominos possessiones redirent. Potissimæ sunt sequentes. Prima, ne confunderentur Tribus, confusis, vel amissis earum possessionibus. Secunda, ne cessante æqualitate, quæ basis erat Judæorum Reipublicæ, familiæ aut paupertate urgerentur, aut ad quærendas alias terras essent coactæ, in quibus ex Gentium consuetudine falsorum numinum religioni se darent. Tertia, ne Respublica ipsa labefieret, confluentibus agrorum dominiis in manus paucorum hominum, vel avarorum, vel præ divitiis luxu diffluentium. Quarta, ut maneret antiqua divisio à Josue per sortes divinitus facta; quapropter meminissent Judæi primi ingressus in terram Chanaan, in quam summis beneficiis, prodigiisque a Deo fuerunt introducti. Quinta denique, ut annus Jubilæi typus esset Servatoris, cujus sanguine jus ad regnum Cœlorum, per peccatum amissum, nobis restituit. Quod si tubarum clangore proclamabatur ejus initium, id sonum verbi divini per universam terram diffusum, significabat.

fiet; ut cum Jubilæus, id est, annus quinquagesimus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat, responsum est, in Lege scriptum esse: *Nubant quibus volunt, tantum ut suæ Tribus hominibus; ne commisceatur possessio filiorum Israel de Tribu in Tribum*. Quinquagesimus autem annus dictus est (75) Jobeleus, quod cum Levitæ per tubas arietinas, quæ dicuntur Hebræis Jobelim, convocato populo, ut supra scriptum est, indicerent; unde illud est VI. Josuë: *Septimo die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in Jubilæo*. Atque hæ quidem celebritates à Deo institutæ sunt.

CAP. XVI.

De Encæniis.

Quas vero homines instituerunt, hæ ferme fuerunt, (76) Encænia, (77) Festum Jephte, Judith, & Esther, & post aliæ quoque. Encænia vero fuerunt solemnitas anniversaria in dedicatione Templi adhibita; est enim *ἐγκαινίζειν* consecrare, ac dedicare, ut supra diximus: unde in consecratione quoque Regis est usurpatum. Quatuor autem Templi

A Hierosolymitani dedicationes diversis anni temporibus observatæ sunt. (78) Prima fuit Salomonis mense septimo, de qua Regum tertio: *Dedicarunt Templum Domini Rex, & filii Israël. Fecit illo tempore Salomon celebritatem solemnem, & omnis Israël cum eo diebus quatuordecim*; & secundo Paralip. VII. *Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset Altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset septem diebus. Igitur vicesimo tertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua.*

Secunda fuit Templi secundi, nempe Zorobabelis, instituta à Judæis in solum patrium restitutis mense Adar, qui respondit Februa-
B rio; de qua Esdræ VI. *Compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar; fecerunt autem dedicationem domus Dei in gaudio*. Josephus autem addit, hoc factum vicesimo tertio mensis Adar paulo ante Festum Paschæ.

Tertia dedicatio non Templi fuit, sed Altaris, cum Judas Maccabæus (79) Altare holocausti instauravit, quod Antiochus Rex profanaverat, idque dedicavit mense nono, id est, Novembri; de qua Maccab. primo: *Fecerunt dedicationem Altaris diebus octo, & statuit Judas, &*

(75) De etymologia nominis Jubilæi Nostes sequitur communem inter Judæorum Magistros sententiam, Jubilæum derivantes à voce יובל quæ, ut ipsis videtur, *tubas arietinas* significat, quarum clangore Levitæ per urbes Jubilæum indicebant. At Bochartus in Hieroz. parte priore l. II. c. 32. num. 7. sentit voce יובל non cornu arietinum, sed bubulum denotari; & certe cornu arietino usos fuisse Judæos suspectum habent nonnulli; nam cornu arietinum solidum est totum, non cavum, ut possit inflari. Quare si יובל arietinum significat cornu, illud putant buccinam ex ære fuisse, quæ arietis cornu referens, cornu arietinum potuit vocari. Alii tandem ab הוביל *adducere, reducere* Jubilæi nomen derivant, quòd annus iste personas, & res ad antiquas sedes, idest ad prisca hæreditatum jura, & ad primas vivendi conditiones, reduceret.

(76) Encænia nihil aliud sunt, quam dedicatio, quæ fit quum res quæpiam è censu profanarum rerum eximitur, & peculiaribus cærimoniis Deo consecratur ad usus sacros. Encænia à Judæis vocantur חנוכה, à radice חנך *initiare*, vel *dedicare*, quo etiam usus est Moyses Numerorum VII. 10., ubi legimus את חנכה המזבח *dedicationem altaris*, quæ verba reddunt LXX. εἰς τὸν ἐγκαινισμὸν τοῦ θυσιαστηρίου.

(77) Male refert Sigonius inter Festa illam comploratione, qua feminæ Israelitarum quotannis mortem filiæ Jephte lamentabantur. Est enim Festum dies Deo consecrata, quæ peculiari illius cultu est transigenda. Maimonides in Tract. *Chagigah* cap. pr. ad Festum veterum Hebræorum tria dicit spectasse, ראייה *comparitionem*, ut quis in atrio, aut Tabernaculi, aut Templi se sisteret; חגיגה *festivitatem*, ut sacrificium salutare illa die offerret; demum שמחה *lætitiam*. At mulieres Israel quater anno simul conveniebant, non ad Tabernaculum, non ad Sacrificia, non ad Lætitiam; sed, ut mortem filiæ Jephte (quem locum adirent incertum est) flentes
C memorarent, ornarentque dignis laudibus illius memoriam. Major enim filiæ laus fuit, quam patris. Hic votum temere concepit, cujus mox eum pœnituit: illa plusquam virili animo & patrem fuit consolata, & fortiter sustulit paterni voti acerbitatem. Quamdiu vero ritus plangendi filiam Jephte in Israel perstiterit, ex sacris literis minime constat. Aliqui sentiunt, hanc lamentationem tamdiu renovatam fuisse, quamdiu fuerunt in humanis illæ feminæ, quæ infortunio filiæ Jephte tam inusitato interfuerunt.

(78) Dedicatio Templi Salomonis duobus prodigiis fuit nobilitata. Majestas enim Dei replevit Templum, idest nubes, quæ divinæ symbolum erat præsentiæ & majestatis, ita opacum reddidit omne Templum interius, ut Sacerdotes ingredi in Sanctum ad offerenda thymiamata non auderent. Præterea ignis de
D Cœlo dilapsus est ad absumendum inauditum victimarum numerum, quæ illis diebus fuerunt mactatæ, ceciditque super altare holocaustorum, quod cœlitus fuit succensum: ut legitur loco adducto Paralip. Solennitas dedicationis Templi septem diebus à Salomone fuit celebrata, quam alii septem solennes dies Tabernaculorum exceperunt: unde in libris Regum quatuordecim diebus dicitur Salomon Festum peregisse. Nec tamen constat dedicationem Templi, tum Salomonis, tum Zorobabelis anniversariam fuisse, seu quotannis solennem earum memoriam repetitam; contra quam dicere oportet de dedicatione altaris holocausti, quod Judas Macchabæus instauravit, & de qua mox habebitur sermo.

(79) Judas Macchabæus Matthatiæ filius virtutem, prudentiam, & zelum divinæ Legis sæpe te-
E status, Patri sufficitur, à Patre ipso sibi successor designatus, & fratrum princeps constitutus. Postquam vero pluribus magnisque prœliis hostes ab eo partim cæsi, partim fusi sunt, una cum exercitu Jerusalem venit, Templum à Syris fœdatum repurgavit, idolum Jovis ab Antiocho illatum diruit, veteris profanati altaris lapides seposuit, & alterum ex lapidibus integris construxit, Sanctum & Sanctuarium instauravit, novisque factis vasis confectis die XXV. noni mensis Casleu super altare holocaustorum Deo sacrificia obtulit, à quibus triennio cessatum erat. Celebravit Judas recepti Templi solennitatem dies octo tanta cum lætitia gaudioque, ut quotannis illam renovandam à Judæis statutum fuerit.

A *& fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annum per octo dies à vicesima quinta die Casleu cum lætitia & gaudio.* Unde Judæi Hierosolymitani scripsere ad Ægyptios: *Facturi quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem Templi, & necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis, sicut & diem Scenopegiæ, &* (80) *diem Ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato Templo & Altari, obtulit sacrificia.* Ac de his (81) Encæniis per hiemem factis videtur intellexisse S. Joannes, cum scripsit: *Et facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hiems erat, & ambulabat Jesus in Templo in porticu Salomonis.*

B Quarta fuit dedicatio Templi ab Herode constructi, quæ in diem natalis ejus incidit, & magnâ pompâ celebrata est. (82) Josephus libro XV.

CAP. XVII.

De ceteris diebus festis.

PRæter hæc multi alii dies fuere Festi ab Hebræis, prout tulit occasio, instituti, quos uno capite complectemur, ordinem temporum persecuti. In primis ergo in exitu anni celebratus est planctus filiæ (83) Jephte Judicis Israël, quam pater virginem immolaverat. Cum enim vovisset Domino, *si tradidisset sibi in manus Ammonitas, se, quicunque primus de domo sua sibi redeunti obviam prodiisset, eum holocaustum Domino oblaturum, occurrit ei unigenita filia ejus cum tympanis & choris. Quare ille, ut voverat, fecit.* Quare, ut scriptum est XI. Judicum: *Exinde mos increvit in Israel, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel: & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.*

Habuerunt etiam in honore diem, quo ignis cœlestis, quem extinctum post Babylonicum exilium repererunt, suscitatus est; de quo in epistola Judæorum Hierosolymitanorum ad Ægyptios: *Facturi quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem Templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis, sicut & diem Scenopegiæ, & diem Ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato Templo & Altari, obtulit sacrificia;* inde res narratur, ut alio loco retulimus. Hunc diem Judæi cele-

(80) De hoc Festo habet sequentia Josephus Antiq. l. XII. c. 11. *Tanta vero lætitia ob reductos patrios ritus, & priscam religionem occupavit, Gentem ejus* (ad Judam pronomen refertur) *maxime quod ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, quæ juberet quotannis hoc festum reparati cum cærimoniis Templi per octo dies celebrari: & ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit; vocamusque hanc festivitatem luminum* τὰ φῶτα; *opinor ideo, quod ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas.* De Festo luminum hæc Josephus: at Magistri, ut illud reddant splendidius, ad prodigia confugiunt. Quum Antiochus, inquiunt, profanasset quidquid olei aderat in Templo, parvula tantum phiala oleo plena à pollutione servari potuit, quam felici eventu Summus Sacerdos celaverat. Oleum illud vix una die lampades Sancti alere potuisset: sed multiplicavit illud Deus ita, ut per octavam integram persisteret. In tanti prodigii memoriam domestica lucernarum accensio ex Scribarum præcepto, ut inquit Maimonides, originem habuit. Nempe בחנוכות una ad minimum domi à quolibet Judæo est accendenda: sed ad decus præcepti pertinet, ut pro numero hominum multæ sint, augendo qualibet nocte numerum, ut quidem si sint decem homines in ædibus commorantes, prima nocte accendi debeant decem lucernæ, secundâ viginti, & sic porro ad diem octavum octoginta. Tantæ vero necessitatis esse putant accensionem lucernarum, ut qui careret pecunia, debeat aut ostiatim illam corrogare, aut vestes vendere, ut eas possit accendere.

(81) Licet aliquibus placeat, Encænia, de quibus loquitur S. Johannes X. 22., fuisse Encænia Templi, peracta aut à Salomone, aut à Zorobabele: longe tamen verius est, intelligendum esse versiculum S. Johannis de Encæniis à Juda Macchabæo celebratis. Duo sunt momenta, quibus hæc demonstratur sententia. Primum, Encæniorum Salomonis, aut Zorobabelis Festum in singulos annos instaurandum, neque præceptum legitur, neque servatum. Secundum, quia neutra in hyeme contigere: sed dedicatio Templi Salomonis in Autumno mense septimo, Zorobabelis mense duodecimo, sive Adar. At Judas Macchabæus Festum Encæniorum instituit octiduo quotannis renovandum, quod Judæi usque ad Christi tempora observabant. Congruit præterea tempus; nam Encænia, quorum mentio est in Johanne, hyeme celebrabantur; & Encænia Judæ Macchabæi erant XXV. mensis Casleu, qui in Decembrem proximo ad solstitium brumale incidebat.

C (82) Ubi narrat in celebritatem absolutæ Templi fabricæ incidisse diem Natalem Regni, quem Herodes anniversaria hilaritate celebrabat, ut hoc pacto conduplicaretur publica Judæorum lætitia. Verum, quid de Templo Herodiano sentiam, jam supra significavi.

(83) Communis SS. Patrum, veterumque Scriptorum sententia est, Jephte imprudenter vovisse, se Deo immolaturum quidquid sibi è cæde Ammonitarum reverenti primum occurrisset, votumque in filia implevisse cruenta illius mactatione; nam ante alios obviam patri processit. Unius pro omnibus S. Ambrosii verba subjicio, qui lib. III. de Officiis cap. 12. de voto Jephte ita scriptum reliquit: *Neque unquam adducar, ut credam non incaute principem promisisse Jephte, ut immolaret Deo quidquid sibi revertenti intra limen domus suæ occurreret, quum & ipsum voti pœnituerit sui, postquam filia occurrit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit:* Heu me! filia mea decepisti me, impedimentum in oculis meis, in stimulum dolorum facta mihi. *Qui licet pio metu ac formidine, acerbitatem duræ solutionis impleverit; tamen luctum annuum etiam posteris deplorandum statuit, ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse, qui fecit. Denique factum est præceptum & decretum in Israël ex diebus in dies;* Ambulabunt, *inquit*, filiæ populi Israël lugentes filiam Jephte Galaaditæ quatuor diebus in anno. *Non possum accusare virum, qui necesse habuit implere, quæ voverat; sed tamen miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio. Melius est non vovere, quam vovere id, quod sibi, cui promittitur, nolit exsolvi. Denique in Isaac habemus exemplum, pro quo arietem Deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa solvenda omnia sunt.*

E Enimvero quamquam persuasum fuit Veteribus Jephte filiam suam, ut votum redderet, immolavisse: sentiunt tamen non ex Recentioribus, solius virginitatis filiæ consecratione perpetua votum a Jephte fuisse adimpletum. Profecto ita sentientes apertam vim inferunt textui, & ejus historiæ. Si enim spiritualiter tantum immolanda fuisset puella, cur, quæso, ubi pater filiam vidit, in miseros ejulatus prorupit, cur scidit vestimenta sua in summi angoris indicium? Si votum patris filiam morti non destinabat, cur bimestre postulavit ad plangendam cum sodalibus virginitatem suam, idest virgineam ætatem, qua moritura erat, sobole non relicta; eo siquidem tempore ob spem Messiæ è Judæis nasciturі, tristis erat virginitas. Quid demum quotannis filiæ Israel convenissent ad plorandum super filia Jephte quatuor dierum spatio, nisi vere illa ob incautum patris votum fuisset mactata?

lebrant die vicesimo mensis Casleu, id est, Novembris, quem Festum Lumioum Josephus vocavit.

Dies etiam, quo victoria de Holoferoe Regis Assyriorum Præfecto per Judith viduam Hebræam relata est, decreto Judæorum ioter Festos relatus est; sic enim scriptum est capite XVI. *Dies victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*; is à Judæis celebratur die XXV. mensis Casleu.

Quin etiam victoria Esther adversus Aman, qui Judæos in crucem agere coostituerat, (84) Festum diem habuit ex instituto Mardochæi Consultoris ejus. De eo vero sic capite IX. *Dies tertius decimus mensis Adar unus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio, atque conviviis. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ. Hi vero Judæi, qui in Oppidis nonmuratis ac Villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conviviorum, & gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus Regis Provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, ut quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar pro Festis susciperent, & revertente semper anno solemni celebrarent honore; quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversi sunt: essentque (85) dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur. Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandaverat. Aman enim filius Amandathi stirpis Agag, hostis & adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem. Et postea ingressa est Esther ad Regem, obsecrans, ut conatus ejus literis Regis irriti fierent: & malum quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique & ipsum, & filios ejus affixerunt cruci: atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium, eo quod phur, id est, sors, in urnam missa fuerit.* Festum autem hoc dictum est Mardochæus, ut secundo Maccabæorum ultimo scriptum est: *Decreverunt habere celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quæ dicitur voce Syriaca Pridie Mardochæi.*

Demum diem etiam honorarunt, quo victoriam (86) de Nicanore duce Demetrii Regis Syriæ pepererunt; de qua Josephus libro XII. *Hæc victoria contigit quartadecima die mensis Adar; quam celebrant quotannis Festum colentes diem.*

Jejunarunt etiam tertio die mensis Tisri, sive Septembris, propter mortem Godoliæ; de qua XXV. quarti Regum: *Factum est in mense septimo, venit Ismahel, & decem viri cum eo; percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est.* Neque vero solum hoc die jejunaruot, sed multis præterea aliis, quæ nunc etiam observaot, ex proprio instituto, noo Dei. Quæ huic Commentario attexere ooo est visum.

(84) Hoc Festum פּוּרִים voce Persica, quæ *sortes* significat, ab Hebræis nominatur, nempe à sorte, quam Aman more Persarum jactari curavit, ut opportunum diem exploraret Judæos perdendi. Legenti librum Ester perspecta erit historia: in cujus memoriam duorum dierum instituta fuit solennitas, quartadecima scilicet, & quintadecima Adar. Theodosii Junioris ætate Judæi solenni die Amanem in crucem agere soliti erant, mox crucem exurere. Palam ostendebant id fieri in recordationem pœnæ Amanis hostis Judæorum infensissimi. interim vero tum sacrilege Christum contemnere, tum nobis illudere, illis in animo erat, comburendo Crucem fidei nostræ signum, in qua Servator noster ob multam caritatem, qua nos dilexit, pependit. Lex est in Cod. Theodosiano lib. XVI. tit. 8. §. 16. quæ cavet, ne in posterum id agant Judæi. Putat Gothofredus ad hanc Legem, id ab Judæis factum non diebus פּוּרִים; sed alio die separatim instituta ad Amanis detestationem. Verum si quis advertat diebus Purim Judæos Amanem execrari, benedicereque Mardochæum hisce verbis: ארור המן ימח שמו ברוך מרדכי ארורה זרש ברוכה אסתר: *Maledictus sit Aman, deleatur nomen ejus, benedictus sit Mardochæus; maledicta sit Zeres, benedicta sit Ester*, facile adduci potest, ut credat in Festo Purim Judæos spectaculum Amanis exhibuisse.

(85) Ex hoc loco docent Magistri summo cum gaudio, jocis, & conviviis celebrandum esse Festum *Purim*, tamquam bacchanalia Judæorum, ajuntque, teneri hominem illis diebus eousque inebriari, ut nullum discrimen noscat inter *Maledictus Aman, & benedictus Mardochæus*, nesciatque supputare numerum, qui ex singularum vocum literis constituitur. Heu quanta est in ethicis Magistrorum indulgentia!

(86) Quibus angustiis Nicanor elephantum Præfectus, & Syrorum exercitus dux, Judæum populum sub Antiocho Epiphane primum, deinde sub Demetrio Seleuci filio conflictaverit, non est hujus loci enarrare. Qui scire illas desiderat legat librum II. Macchabæorum capite XII. & sequentibus, in quibus fusius describitur ultimum bellum contra Judæos à Nicanore gestum. Ex illis Lector cognoscet, quam merito dies Festus de profligato Nicanore in annos singulos, & quidem communi consilio, fuerit institutus.

CAP.

CAP. XVIII.

Vetus Kalendarium Hebræorum.

His expositis, nunc ad eorum, quæ dicta sunt, sublevandam, fulciendamve memoriam, singulorum subinde mensium, ac dierum festorum, profestorumque Hebraicorum dispositionem, quæ à Latinis KALENDARIUM dicitur, subtexemus; ea vero fuit hujusmodi:

MARTIUS.

Primus mensis, sive Nisan. Dies XXX.

1	1	*dies Neomenia.*	*Quotidianum sacrificium fiebat, & Neomeniæ.*
2	2	*dies.*	*quot. sacr.*
3	3	*dies.*	*quot. sacr.*
4	4	*dies.*	*quot. sacr.*
5	5	*dies.*	*quot. sacr.*
6	6	*dies.*	*quot. sacr.*
7	7	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*

Cessabatur etiam ab accendendo igne.

8	8	*dies.*	*quot. sacr.*
9	9	*dies.*	*quot. sacr.*
10	10	*dies.*	*quot. sacr.*
11	11	*dies.*	*quot. sacr.*
12	12	*dies.*	*quot. sacr.*
13	13	*dies.*	*quot. sacr.*
14	14	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*

Agnus ad vesperam mactabatur, & edebatur, atque omni opere cessabatur.

15	15	*dies.*	*quot. sacr.*

Pascha. Prima dies Azymorum, ab opere cessabatur; dies erat Sancta.

16	16	*dies II. Azymor.*	*quot. sacr.*

Manipulus pro primitiis frugum offerebatur. Messis inchoabatur. Initium septem Hebdomadum, id est, XLIX. dierum, qui messi faciendæ destinati erant.

17	17	*dies III. Azymor.*	*quot. sacr.*
18	18	*dies IV. Azymor.*	*quot. sacr.*
19	19	*dies V. Azymor.*	*quot. sacr.*
20	20	*dies VI. Azymor.*	*quot. sacr.*
21	21	*dies Sabb. VII. Azymor.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*

Collecta frugum. Azymis comedendis finis imponebatur. Dies erat sanctior, quam prima Azymorum.

22	22	*dies.*	*quot. sacr. I. messis Hebdomas.*
23	23	*dies.*	*quot. sacr.*
24	24	*dies.*	*quot. sacr.*
25	25	*dies.*	*quot. sacr.*
26	26	*dies.*	*quot. sacr.*
27	27	*dies.*	*quot. sacr.*
28	28	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
29	29	*dies.*	*quot. sacr. II. messis Hebdomas.*
30	30	*dies.*	*quot. sacr.*

APRILIS.

Secundus mensis, sive Jar. Dies XXIX.

31	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
32	2	*dies.*	*quot. sacr.*
33	3	*dies.*	*quot. sacr.*
34	4	*dies.*	*quot. sacr.*
35	5	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
36	6	*dies.*	*quot. sacr. III. messis Hebdomas.*

37	7	*dies.*	*Quotidianum sacrificium fiebat.*
38	8	*dies.*	*quot. sacr.*
39	9	*dies.*	*quot. sacr.*
40	10	*dies.*	*quot. sacr.*
41	11	*dies.*	*quot. sacr.*
42	12	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
43	13	*dies.*	*quot. sacr. IV. messis Hebdomas.*
44	14	*dies.*	*quot. sacr.*
45	15	*dies.*	*quot. sacr.*
46	16	*dies.*	*quot. sacr.*
47	17	*dies.*	*quot. sacr.*
48	18	*dies.*	*quot. sacr.*
49	19	*dies.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
50	20	*dies.*	*quot. sacr. V. messis Hebdomas.*
51	21	*dies.*	*quot. sacr.*
52	22	*dies.*	*quot. sacr.*
53	23	*dies.*	*quot. sacr.*

Festum arcis mundatæ à Simone Principe.

54	24	*dies.*	*quot. sacr.*
55	25	*dies.*	*quot. sacr.*
56	26	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
57	27	*dies.*	*quot. sacr. VI. messis Hebdomas.*
58	28	*dies.*	*quot. sacr.*
59	29	*dies.*	*quot. sacr.*

MAJUS.

Tertius mensis, seu Sivan. Dies XXX.

60	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
61	2	*dies.*	*quot. sacr.*
62	3	*dies.*	*quot. sacr.*
63	4	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
64	5	*dies.*	*quot. sacr. VII. messis Hebdomas.*
65	6	*dies.*	*quot. sacr.*

Festum Hebdomadum, seu Pentecostes. Sacrificium Hebdomadum.

66	7	*dies.*	*quot. sacr.*
67	8	*dies.*	*quot. sacr.*
68	9	*dies.*	*quot. sacr.*
69	10	*dies.*	*quot. sacr.*
70	11	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
71	12	*dies.*	*quot. sacr.*
72	13	*dies.*	*quot. sacr.*
73	14	*dies.*	*quot. sacr.*
74	15	*dies.*	*quot. sacr.*
75	16	*dies.*	*quot. sacr.*
76	17	*dies.*	*quot. sacr.*
77	18	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
78	19	*dies.*	*quot. sacr.*
79	20	*dies.*	*quot. sacr.*
80	21	*dies.*	*quot. sacr.*
81	22	*dies.*	*quot. sacr.*
82	23	*dies.*	*quot. sacr.*
83	24	*dies.*	*quot. sacr.*
84	25	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
85	26	*dies.*	*quot. sacr.*
86	27	*dies.*	*quot. sacr.*
87	28	*dies.*	*quot. sacr.*
88	29	*dies.*	*quot. sacr.*
89	30	*dies.*	*quot. sacr.*

JUNIUS.

Quartus mensis, seu Tamuz. Dies XXIX.

90	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
91	2	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
92	3	*dies.*	*quot. sacr.*
93	4	*dies.*	*quot. sacr.*
94	5	*dies.*	*quot. sacr.*

95	6	*dies.*	*Quotidianum sacrificium fiebat.*
96	7	*dies.*	*quot. sacr.*
97	8	*dies.*	*quot. sacr.*
98	9	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
99	10	*dies.*	*quot. sacr.*
100	11	*dies.*	*quot. sacr.*
101	12	*dies.*	*quot. sacr.*
102	13	*dies.*	*quot. sacr.*
103	14	*dies.*	*quot. sacr.*
104	15	*dies.*	*quot. sacr.*
105	16	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
106	17	*dies.*	*quot. sacr.*
107	18	*dies.*	*quot. sacr.*
108	19	*dies.*	*quot. sacr.*
109	20	*dies.*	*quot. sacr.*
110	21	*dies.*	*quot. sacr.*
111	22	*dies.*	*quot. sacr.*
112	23	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
113	24	*dies.*	*quot. sacr.*
114	25	*dies.*	*quot. sacr.*
115	26	*dies.*	*quot. sacr.*
116	27	*dies.*	*quot. sacr.*
117	28	*dies.*	*quot. sacr.*
118	29	*dies.*	*quot. sacr.*

JULIUS.

Quintus mensis, seu Ab. Dies XXX.

119	1	*dies Neomenia, & Sabbathum.*	*quot. sacr. Neomeniæ, & Sabbathi.*
120	2	*dies.*	*quot. sacr.*
121	3	*dies.*	*quot. sacr.*
122	4	*dies.*	*quot. sacr.*
123	5	*dies.*	*quot. sacr.*
124	6	*dies.*	*quot. sacr.*
125	7	*dies.*	*quot. sacr.*
126	8	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
127	9	*dies.*	*quot. sacr.*
128	10	*dies.*	*quot. sacr.*
129	11	*dies.*	*quot. sacr.*
130	12	*dies.*	*quot. sacr.*
131	13	*dies.*	*quot. sacr.*
132	14	*dies.*	*quot. sacr.*
133	15	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
134	16	*dies.*	*quot. sacr.*
135	17	*dies.*	*quot. sacr.*
136	18	*dies.*	*quot. sacr.*
137	19	*dies.*	*quot. sacr.*
138	20	*dies.*	*quot. sacr.*
139	21	*dies.*	*quot. sacr.*
140	22	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
141	23	*dies.*	*quot. sacr.*
142	24	*dies.*	*quot. sacr.*
143	25	*dies.*	*quot. sacr.*
144	26	*dies.*	*quot. sacr.*
145	27	*dies.*	*quot. sacr.*
146	28	*dies.*	*quot. sacr.*
147	29	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
148	30	*dies.*	*quot. sacr.*

AUGUSTUS.

Sextus mensis, seu Elul. Dies XXIX.

149	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
150	2	*dies.*	*quot. sacr.*
151	3	*dies.*	*quot. sacr.*
152	4	*dies.*	*quot. sacr.*
153	5	*dies.*	*quot. sacr.*
154	6	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
155	7	*dies.*	*quot. sacr.*
156	8	*dies.*	*quot. sacr.*
157	9	*dies.*	*quot. sacr.*
158	10	*dies.*	*quot. sacr.*

159	11	*dies.*	*Quotidianum sacrificium fiebat.*
160	12	*dies.*	*quot. sacr.*
161	13	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
162	14	*dies.*	*quot. sacr.*
163	15	*dies.*	*quot. sacr.*
154	16	*dies.*	*quot. sacr.*
165	17	*dies.*	*quot. sacr.*
166	18	*dies.*	*quot. sacr.*
167	19	*dies.*	*quot. sacr.*
168	20	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
169	21	*dies.*	*quot. sacr.*
170	22	*dies.*	*quot. sacr.*
171	23	*dies.*	*quot. sacr.*
172	24	*dies.*	*quot. sacr.*
173	25	*dies.*	*quot. sacr.*
174	26	*dies.*	*quot. sacr.*
175	27	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
176	28	*dies.*	*quot. sacr.*
177	29	*dies.*	*quot. sacr.*

SEPTEMBER.

Septimus mensis, seu Tisri. Dies XXX.

178	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*

Festum Tubarum. Cessatur ab opere; offertur holocaustum proprium. Ab hoc die Judæi annum incipiunt, Mundum in hoc creatum esse putantes.

179	2	*dies.*	*quot. sacr.*
180	3	*dies.*	*quot. sacr.*

Jejunium propter mortem Godoliæ.

181	4	*dies.*	*quot. sacr.*
182	5	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
183	6	*dies.*	*quot. sacr.*
184	7	*dies.*	*quot. sacr.*
185	8	*dies.*	*quot. sacr.*
186	9	*dies.*	*quot. sacr.*
187	10	*dies.*	*quot. sacr.*

Festum Expiationum, seu Propitiationis cum Jejunio. Indictio Jobelei in annum septimum, & quinquagesimum; offertur holocaustum proprium.

188	11	*dies.*	*quot. sacr.*
189	12	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
190	13	*dies.*	*quot. sacr.*
191	14	*dies.*	*quot. sacr.*
192	15	*dies.* Collecta fructuum. *I. dies Tabernaculorum, sive Scenopegiæ, quot. sacr.*	

Cessatur ab opere. Dies celeberrimus; proprium sacrificium fit.

193	16	*dies. II. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*
154	17	*dies. III. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*
195	18	*dies. IV. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*
196	19	*dies. V. dies Tabern. Sabb.*	*quot. sacr. & Sabb. & proprium.*
157	20	*dies. VI. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*
198	21	*dies. VII. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*
199	22	*dies. VIII. dies Tabern.*	*quot. sacr. & proprium.*

Cessatur ab opere. Dies celeberrimus.

100	23	*dies.*	*quot. sacr.*

Encænia Templi Salomonis.

201	24	*dies.*	*quot. sacr.*
202	25	*dies.*	*quot. sacr.*
203	26	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
204	27	*dies.*	*quot. sacr.*
205	28	*dies.*	*quot. sacr.*

206	29	*dies.*	*Quotidianum sacrificium fiebat.*
207	30	*dies.*	*quot. sacr.*

OCTOBER.

Mensis octavus, seu Mareshvan. Dies XXIX.

208	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
209	2	*dies.*	*quot. sacr.*
210	3	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
211	4	*dies.*	*quot. sacr.*
212	5	*dies.*	*quot. sacr.*
213	6	*dies.*	*quot. sacr.*
214	7	*dies.*	*quot. sacr.*
215	8	*dies.*	*quot. sacr.*
216	9	*dies.*	*quot. sacr.*
217	10	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
218	11	*dies.*	*quot. sacr.*
219	12	*dies.*	*quot. sacr.*
220	13	*dies.*	*quot. sacr.*
221	14	*dies.*	*quot. sacr.*
222	15	*dies.*	*quot. sacr.*
223	16	*dies.*	*quot. sacr.*
224	17	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
225	18	*dies.*	*quot. sacr.*
226	19	*dies.*	*quot. sacr.*
227	20	*dies.*	*quot. sacr.*
228	21	*dies.*	*quot. sacr.*
229	22	*dies.*	*quot. sacr.*
230	23	*dies.*	*quot. sacr.*
231	24	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
232	25	*dies.*	*quot. sacr.*
233	26	*dies.*	*quot. sacr.*
234	27	*dies.*	*quot. sacr.*
235	28	*dies.*	*quot. sacr.*
236	29	*dies.*	*quot. sacr.*

NOVEMBER.

Nonus mensis, seu Casleu. Dies XXX.

237	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
238	2	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
239	3	*dies.*	*quot. sacr.*
240	4	*dies.*	*quot. sacr.*
241	5	*dies.*	*quot. sacr.*
242	6	*dies.*	*quot. sacr.*
243	7	*dies.*	*quot. sacr.*
244	8	*dies.*	*quot. sacr.*
245	9	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
246	10	*dies.*	*quot. sacr.*
247	11	*dies.*	*quot. sacr.*
248	12	*dies.*	*quot. sacr.*
249	13	*dies.*	*quot. sacr.*
250	14	*dies.*	*quot. sacr.*
251	15	*dies.*	*quot. sacr.*
252	16 *	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
253	17	*dies.*	*quot. sacr.*
254	18	*dies.*	*quot. sacr.*
255	19	*dies.*	*quot. sacr.*
256	20	*dies.*	*quot. sacr.*
257	21	*dies.*	*quot. sacr.*
258	22	*dies.*	*quot. sacr.*
259	23	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
260	24	*dies.*	*quot. sacr.*
261	25	*dies.*	*quot. sacr.*

Purificatio Templi per Judam Maccabæum, quæ inter Encænia refertur.
Festum ignis cœlestis suscitati, quod Luminaria dicitur.
Festum Judith.

262	26	*dies.*	*quot. sacr.*
263	27	*dies.*	*quot. sacr.*
264	28	*dies.*	*quot. sacr.*

265	29	*dies.*	*Quotidianum sacrificium fiebat.*
266	30	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*

DECEMBER.

Mensis decimus, seu Sivan. Dies XXIX.

267	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
268	2	*dies.*	*quot. sacr.*
269	3	*dies.*	*quot. sacr.*
270	4	*dies.*	*quot. sacr.*
271	5	*dies.*	*quot. sacr.*
272	6	*dies.*	*quot. sacr.*
273	7	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
274	8	*dies.*	*quot. sacr.*
275	9	*dies.*	*quot. sacr.*
276	10	*dies.*	*quot. sacr.*

Judæi jejunant in memoriam obsidionis Nabucdonosor.

277	11	*dies.*	*quot. sacr.*
278	12	*dies.*	*quot. sacr.*
279	13	*dies.*	*quot. sacr.*
280	14	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
281	15	*dies.*	*quot. sacr.*
282	16	*dies.*	*quot. sacr.*
283	17	*dies.*	*quot. sacr.*
284	18	*dies.*	*quot. sacr.*
285	19	*dies.*	*quot. sacr.*
286	20	*dies.*	*quot. sacr.*
287	21	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
288	22	*dies.*	*quot. sacr.*
289	23	*dies.*	*quot. sacr.*
290	24	*dies.*	*quot. sacr.*
291	25	*dies.*	*quot. sacr.*
292	26	*dies.*	*quot. sacr.*
293	27	*dies.*	*quot. sacr.*
294	28	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
295	29	*dies.*	*quot. sacr.*

JANUARIUS.

Undecimus mensis, seu Sebath. Dies XXX.

296	1	*dies Neomenia.*	*quot. sacr. & Neomeniæ.*
297	2	*dies.*	*quot. sacr.*
298	3	*dies.*	*quot. sacr.*
299	4	*dies.*	*quot. sacr.*
300	5	*dies.*	*quot. sacr.*
301	6	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
302	7	*dies.*	*quot. sacr.*
303	8	*dies.*	*quot. sacr.*
304	9	*dies.*	*quot. sacr.*
305	10	*dies.*	*quot. sacr.*
306	11	*dies.*	*quot. sacr.*
307	12	*dies.*	*quot. sacr.*
308	13	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
309	14	*dies.*	*quot. sacr.*
310	15	*dies.*	*quot. sacr.*
311	16	*dies.*	*quot. sacr.*
312	17	*dies.*	*quot. sacr.*
313	18	*dies.*	*quot. sacr.*
314	19	*dies.*	*quot. sacr.*
315	20	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
316	21	*dies.*	*quot. sacr.*
317	22	*dies.*	*quot. sacr.*
318	23	*dies.*	*quot. sacr.*
319	24	*dies.*	*quot. sacr.*
320	25	*dies.*	*quot. sacr.*
321	26	*dies.*	*quot. sacr.*
322	27	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
323	28	*dies.*	*quot. sacr.*
324	29	*dies.*	*quot. sacr.*
325	30	*dies.*	*quot. sacr.*

FEBRUARIUS.

Duodecimus mensis, seu Adar. Dies XXIX.

326	1	*dies Neomenia.*	*Quotidianum sacrificium siebat, & Neomenia.*
327	2	*dies.*	*quot. sacr.*
328	3	*dies.*	*quot. sacr.*
329	4	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
330	5	*dies.*	*quot. sacr.*
331	6	*dies.*	*quot. sacr.*
332	7	*dies.*	*quot. sacr.*
333	8	*dies.*	*quot. sacr.*
334	9	*dies.*	*quot. sacr.*
335	10	*dies.*	*quot. sacr.*
336	11	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
337	12	*dies.*	*quot. sacr.*
338	13	*dies.*	*quot. sacr.*
339	14	*dies.*	*quot. sacr.*

Festum victoriæ de Nicanore à Juda Maccabæo partæ.

Jejunium Esther.

Festum Mardochæi, sive Festum fortium minus.

340	15	*dies.*	*quot. sacr.*

Festum fortium majus.

341	16	*dies.*	*quot. sacr.*
342	17	*dies.*	*quot. sacr.*
343	18	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
344	19	*dies.*	*quot. sacr.*
345	20	*dies.*	*quot. sacr.*
346	21	*dies.*	*quot. sacr.*
347	22	*dies.*	*quot. sacr.*
348	23	*dies.*	*quot. sacr.*

Encænia Templi Zorobabelis.

349	24	*dies.*	*quot. sacr.*
350	25	*dies Sabbathum.*	*quot. sacr. & Sabbathi.*
351	26	*dies.*	*quot. sacr.*
352	27	*dies.*	*quot. sacr.*
353	28	*dies.*	*quot. sacr.*
354	29	*dies.*	*quot. sacr.*

MENSIS INTERCALARIS VEADAR,
sive secundus Februarius.

Inde secundo quoque anno mensem intercalabant dierum XXII., & quarto dierum XXIII. atque ita Lunaris annus dierum CCCLIV. redigebatur ad annum Solarem dierum CCCLXV., & quatuor horarum; is mensis tertiusdecimus Veadar dicitur. (*)

(*) Eruditissimus P. Torniellus ad annum M. 2545. nu. 26. reprehendit Sigonianum Judæorum Kalendarium duplici de capite. I. quod assignat primo mensi anni sacri Nisan dies 30, secundo viginti novem, & sic deinceps alternatim ad finem usque totius anni. Censuit enim P. Torniellus viceversa inchoandum esse vetus Kalendarium, hoc est, primo mensi assignandos esse dies 29. Secundo triginta, atque ita vicissim reliquos esse digerendos, ut mensi cavo semper plenus succedat.

Cur ita senserit, hanc rationem assignat ad A. M. 2544. num. 31. Josephus lib. II. Antiqu. cap. V. in calce asserit filios Israel ab exitu de Ægypto ad octavam mansionem, macerata farina modico calore in panis speciem solidata, parce ad necessitatem potius, quam ad satietatem sumpta, per dies triginta fuisse sustentatos. Hine colligit, primum primi anni sacri mensem habuisse non triginta, sed viginti novem dumtaxat dies, & secundum mensem triginta, & sic deinceps reliquos alternatim: nam alioquin ab exitu ad octavam mansionem fluxissent dies non triginta, sed unus supra triginta. Totidem enim a quintadecima die primi mensis, in cujus initio exire cœperunt de Ramesse, ad quintamdecimam secundi mensis, in qua fecerunt octavam mansionem in Sin, terminis computatis, invenirentur; nempe sexdecim primi mensis, & quindecim secundi.

Alterum, in quo corrigit Sigonianum Kalendarium, hoc est, quod suspicatur Sigonius primum anni sacri mensem a prima Sabbathi, quum potius à feria Sabbathi dandum illi esset initium.

Primum enim Pascha à Judæis celebratum in Ægypto eodem die ante exitum, incidit pridie Sabbathi, hoc est feria sexta, quod sic ostendit. Hebræi tricesimo die ab exitu de Ramesse fecerunt octavam mansionem in Sin: ubi deficiente farina, quam de Ægypto tulerant, desierunt azymis vesci, & dedit ais Dominus in crastinum Manna de Cælo,

Cœlo, quod Man descendere cœpit prima Sabbathi, quam nos Dominicam appellamus, ut testatur S. Augustinus in Sermone 154. de Tempore, & non obscure videtur colligi ex capite XVI. Exodi à versiculo 17. ad 31. Si ergo dies tricesima prima ab exitu fuit dies Dominica, necesse est, ut dies exitus fuerit sexta Sabbathi, in cujus initio, idest à Solis occasu præcedentis diei quartædecimæ, Hebræi primo comederunt agnum Paschalem. Eadem res ipsorum quoque Rabbinorum testimonio confirmatur. Asserit enim Auctor Chronologiæ Majoris Hebræorum in fine capitis V. diem vicesimum tertium mensis Ijar fuisse primum Hebdomadæ; & diem sextum mensis tertii, quando data est Lex, fuisse Sabbathum: ex quibus necessario consequitur diem

A

exitus populi de Ægypto, qui fuit quintusdecimus primi mensis, fuisse sextam Sabbathi, ut quisque ab exitu elapsos dies computando potest cognoscere. Vide doctissimum Tornielium ad annum 2544. num. 11, ubi diluit duas objectiones, quæ contra ejus sententiam facere videntur.

Ceterum, ut ab implexis Chronologiæ quæstionibus abstineamus, in Kalendario, quod subjicimus, nulli mensium diei Sabbathum fiximus, in hac re morem recentiorum Eruditorum sequuti, qui in eorum operibus hujusmodi Kalendaria vulgaverunt. Quæ monitu opportuna ad Kalendarium Judæorum duximus, ea in sequenti Præfatione breviter complexi sumus.

IN KALENDARIUM JUDAICUM

PRÆFATIO

CLARISSIMI VIRI

ABBATIS LAURENTII MAFEI.

SIgoniano Judæorum Kalendario revera nimis jejuno, aliud Judaicum Kalendarium ſubteximus multo copioſius, in quo dies ſeſti, & profeſti, itemque jejunia omnia exhibentur: vetera quidem ex Sacra Scriptura plerumque comprobata; nova ex ſcriptis Rabbinorum deſumpta; ea demum ſive vetera, ſive nova, quæ modo abrogata ſunt apud Judæos, aſteriſcn notata. Horum nonnulla alii aliis diebus in Kalendariis eorum conſignant, qua de re nec parum quidem nos ſumus curioſi. Quod oportet animadvertere vel in primis, & cujus ergo Lectorem præſamur, hoc eſt: diverſam ſuiſſe rationem Veteris Kaleudarii Judæorum à Kalendario Novo, quod in uſu eſt apud Recentiores Hebræos. Diſcrimen autem duabus in rebus potiſſimùm ſitum eſt, quas qui non adverterit, tum in errores ſe abripi ſioet, tum oleum & operam perdet, ſi volet ex novo Kalendario vetera Judæorum ſeſta inveſtigare, quod Paulus Foroſempronienſis ſecit anxie nimis, & perperam libro octavo ſecundæ partis Paulioæ ſuæ.

Primò, Judæi ante cladein eorum Reipublicæ profligatæ à Romanis, ſummopere de phaſi Lunæ eraot ſoliciti, à qua Neomenias Synedrium determinabat, cujus erat tam annum novum & novos meoſes, quam ſeſtos omnes & jejunia anni indicere, curareque per nuncios, & literas (præſertim ſi anno addendus erat ואדר *Veadar*) ut omnibus ejus declaratio innoteſceret. Adduximus literarum exemplum annotatione ſexta, & praxim Synedrii in decernendis Neomeniis annotatione undecima ad hunc librum, quas vide. Hic addo: à ſimilitudioe veri noo abhorrere, tum alia Synedria, quæ in quinque civitatibus Palæſtioæ Gabinius Pompeji Legatus conſtituit, teſte Joſepho lib. XIV. cap. X., Neomenias determinaſſe; tum in qualibet ex remotis urbibus à Metropoli Jeruſalem, Judices ſuiſſe huic muneri deſtinatos, ut quiſque ſuo tempore, quo ad fieri poſſet, Neomenias inciperet: atque adeo nuncii, qui à Synedrio magoo mittebantur, erant ſolatio potius, quam uſui incolis longioquarum regionum, ſi nempe in eandem diem conſpiraſſent, qua Hieroſolymis Neomenia erat ſanctificata.

Verum tria ſere poſt ſecula ab exciſo Templo à Romanis, uti cœperunt Judæi cyclo tantummodo decemnovennali, tabuliſque ad medios motus ſupputatis, juxta quas iocœperunt Neomeoias determinare, nec minimum quidem de phaſi Lunæ in poſterum laboraotes. Hoc eſt novum Kalendarium, quo etiamnum utuntur Judæi, de cujus auctore & ætate ita ſcribit Rabbi Abraham Zacutius in *Sepher Juchaſin*, Seldeno interprete. *Hillel Princeps filius Rabbi Jehuda Principis, compoſuit rationem intercalationis, ſeu computum annalem juxta doctrinam Aſtronomicam Rabbi Ada à noſtris adhibendam, uſque dum venerit Meſſias filius David. Floruit autem tempore Abii & Rabba* (quod & teſtatur Rabbi Simeoo Doran in exegeſi ſua monitoria) *atque anno Æræ contractuum* 670. Annus ille contractuum מנין שטרות, reſpondet anno Chriſti 358., ſeu tempori Cooſtantii Auguſti, ut ait Seldenus.

Secundò, hoc etiam differt ioter Vetus Kalendarium, & Novum, quod in Veteri nulla fiebat translatio ſeſtorum, ſed omnia iis diebus peragebantur, qui ſtatuti eraot à Lege: quandoquidem ſeſta aliquando transferenda eſſe, nec Sacræ literæ ullo loco doceot; nec Philo, nec Joſephus id narrant umquam contigiſſe: imo ex Joſepho paullo poſt adducendo, egregie oppoſitum liquet. At in Novo Kalendario, Judæorum Magiſtri quoſdam dies habeot legitimos, alios autem cen-

ſent rejiculos, in quos ſi feſtum incidat, in alium transferunt diem. Exempli cauſſa, de utroque initio anni, ſacri ſcilicet & civilis, proprium canonem ſtatuerunt, per quem feſta ab eorum ſede in aliam rejiciunt. De initio anni civilis hunc canonem ſervant. *Neomenia Tiſri non ſit* אדו *ADU*, hoc eſt Novilunium *Tiſri* non celebretur feriâ primâ, quartâ, & ſextâ. Quum igitur in has ferias incidit Novilunium, illud transferunt in ſequentem, quam יום תרועה *diem clangoris* faciunt, & ſolennem habent obſtrepentibus buccinis. Si vero hujus novi canonis cauſſam percunctemur à Magiſtris, ſequentes reddunt rationes. Si Neomenia, inquiunt, novi anni civilis obſervetur feriâ primâ; caderet feſtum הושענא רבא *Hoſiabana Rabba* in Sabbathum, quod palmas, & ramos portando violaretur. Si Neomenia celebretur feriâ quartâ, aut ſextâ; caderet צום כפורים *jejunium Expiationum*, dies non minus ſancta, quam Sabbathum, in feriam ſextam, aut primam, & tunc duo Sabbatha continuarentur, quod eſſet Judæis grave propter olera, & mortuos. Cocta enim olera ſervanda eſſent in diem tertium, & ſimiliter per id temporis defunctorum cadavera efferri non poſſent, quod in regionibus calidis citra grande incommodum fieri nequit.

Sed, ut alibi diximus, vana eſt hæc ſuperſtitio; nam aliis feſtis, præter Sabbathum, Lex non vetabat cibos parare, atque igni concoquere. Vana item eſſet ſuperſtitio, ſi etiam num Lex Vetus vigeret, ceſſare Sabbatho à palmis religionis cauſſa portandis; nam quæ ad cultum Dei pertinent, Sabbathi obſervantiam non violant: *Aut non legiſtis in Lege* (ita Chriſtus Dominus apud S. Matthæum XII. 5. Phariſæos reprehendebat, qui Sabbathi præceptum ad puram putamque ſuperſtitionem deflexerant) *quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt?* Sed hæc diligentius ut perſequamur, nobis in præſentia per occaſionem non licet.

De initio item anni ſacri obtinet hic canon apud Magiſtros. *Neomenia Niſan non ſit* בדו *BADU:* hoc eſt non cadat in ſecundam feriam, neque in quartam, neque in ſextam. Eundem canonem ſervant in figendo Paſchatis die: *numquam* בדו *BADU Paſcha*, ut ſupra annotatione XLIV. advertimus. Verum hoſce canones de translatione feſtorum, longe poſt Chriſti ætatem, nimium ſibi indulgentes cuderunt Magiſtri, ut præter ea, quæ mox laudata annotatione produximus, exemplum feſti Sabbatho continui, quod eſt apud Joſephum Antiquit. XIII cap. VIII., luculenter oſtendit. Poſtquam enim ex Nicolao Damaſceno narravit Joſephus, Antiochum pugnaturum contra Ducem Parthorum, per duos dies in itinere remoratum fuiſſe, petente Hyrcano Judæo propter feſtorum celebrationem, ſubdit: *Et hæc quidem dicendo non falſus habetur. Nam inſtabat Pentecoſte poſt Sabbathum: atque nobis non licitum eſt, aut Sabbatho aut feſto, iter ſuſcipere.* Quapropter hærent aqua illi Eruditi, qui putant à Chriſto ſupremum Paſcha celebratum fuiſſe legali die quartadecima Niſan; à Judæis autem inſequenti quintadecima, in quam ex decreto Synedrii comminiſcuntur eo anno Paſcha translatum, ne feſtum primæ diei Azymorum Sabbatho eſſet continuum: nam canones de translatione feſtorum ætati Chriſti ſuppares non exiſtunt; ſed ſunt admodum ſera recutitorum inventa, & quidem poſt excidium Templi, ut dictum eſt, & Jeruſalem.

Notantur demum in ſequenti Kalendario Lectiones, cum ex Lege, tum ex Prophetis deſumptæ, quæ per ſingula Sabbatha in Synagogis habebantur. Utramque enim conſuetudinem, legendæ ſcilicet Legis, & poſt Legem paralellæ Prophetarum Sectionis, Actus Apoſtolorum teſtantur: primam capite XV. 21., ubi ἐκ γενεῶν ἀρχαίων legendi Pentateuchi morem acceſſunt: *Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; ubi per omne Sabbathum legitur*: alteram capite XIII. 14., in quo Apoſtolus ejuſque comites Synagogam Antiochænam Piſidiæ ingreſſi, monentur *poſt lectionem Legis & Prophetarum*, ut ſi quem haberent ſermonem exhortationis ad plebem, illum proferrent. At cujus antiquitatis ſit lectio Legis Sabbathica, non convenit neque inter Judæorum Magiſtros; nam alii ab ultima vetuſtate illam repetunt, numerantque inter traditiones Sinaiticas; & alii ab Eſdra illam derivant. Confer quæ ſcripſimus annotatione LXXI. ad librum ſecundum. Enimvero magis conſentiunt de origine Pro-

Propheticarum lectionum, quam fere unanimes deducunt ab Aotiochi Epiphanis temporibus, qui Judæis maxime infensus eo impietatis processit, ut Legis lectionem, qua publicam, qua privatam, indicta capitis pœna prohibuerit. Denato enim Antiocho, & restitutis nonnihil in melius Judaicis rebus, ita ajunt Mosaicam lectionem instauratam fuisse, ut eam deinceps semper Prophetica exceperit.

Judæi igitur in Synagogis Pentateuchum quotaonis legendo absolvunt, finem facientes lectioni festo Tabernaculorum, oovumque initium Sabbatbo mox sequente. Quamobrem universos Moysis libros diviserunt in Sectiones LIV., quæ numerum æquant hebdomadum anni embolismæi abundantis integro mense; & annis vulgaribus duas breves sectiones alicubi conjungunt, ut Pentateucho adamussim finem imponant. Ao eadem librorum divisio, quæ nunc in lectionibus servatur, obtinuerit priscis temporibus, minime exploratum habemus. Præterea vocant hasce sectiooes à radice פרש *separavit*, פרשיות *Parascbas*, quas io Majores, & Minores discerpunt. Majores sunt pensa hebdomadicæ lectionis legalis, quæ in eorum Pentateucbo tribus פפפ majoribus distinguunt. Mioores suot minutiota segmenta ejusdæ Paraschæ Majoris, quæ pro diversitate materiæ uoico פ minusculo denotant. Paraschæ tam Majores, quam Minores dividuntur in פתחות *Petbucbotb apertas*, quas inchoant in eorum volumioibus ab initio lineæ; & in סתומות *Setbumotb clausas*, quas semper incipiunt in medio lineæ, incertum quo Magistrorum consilio. Paraschæ clausæ Majores tribus ססס majoribus; Minores autem unico ס minusculo designantur. Ceterum Parascbæ Majores à voce, vel quæ primo occurrit legenti, vel quæ ioter primas rem oobiliorem significat, oomen adipiscuotur; unde prima dicta est בראשית, altera נוח, tertia לך לך, & boc pacto ad postremam usque procedunt. Quælibet Parascha in septem portiones dividitur, quod ad eas legendas, jam inde ab antiquis temporibus moris esset, ut dicunt, septem viros vocare, primum Sacerdotem, Levitam alterum, reliquos quinque Israëlitas communes.

Lectioni Legali paralella lectio Prophetica adjungitur, quam הפטרה vocant, idest *dimissionem* à radice פטר *dimisit*, quod illâ lectâ populus dimittatur. Hac arte Haphtaræ è libris Prophetarum sunt selectæ, ut memoriali quodam Symbolo Paraschis respondeant. Primæ duæ Paraschæ sint exemplo. In prima Parascba בראשית de Creatione Cœli, & Terræ fit sermo: illam consequitur Haphtara, quæ incipit: *Sic ait Deus fortis Creator* &c. apud Isaiam capite XLII. 5. usque ad XLIII. 11.

In altera Parascha נוח leguntur generationes Noëmi, nempe de carnali generatione Ecclesiæ fit lectio: illam excipit Hapbtara: *Canta sterilis, quæ non paris; quia plures erunt filii desolatæ, quam ejus, quæ babet virum* &c., in qua spiritalis Ecclesiæ generatio explicatut, apud Isaiam cap. LIV. 1. usque ad 11. Ita de ceteris Paraschis ad Haphtaras comparatis, à quibus ordine conferendis abstinemus; nam hactenus dicta cum de Kalendario Judaico, tum de Judaicis sectiouibus Legis, & Prophetarum, eruditiooi Christiani Lectoris satis oobis esse videntur.

KA-

KALENDARIUM JUDAICUM.

Mensis תשרי *Tisri* anni civilis primus, Ecclesiastici septimus. Olim dicebatur אתנים *Ethanim*. Plenus ille notatur, nempe triginta dierum: cadit in Septembrem, aut in Octobrem, aut in partes horum mensium.

1. ראש השנה *Rosch haschana* principium anni, nimirum civilis. Festum tubarum, sive clangoris. Levit. cap. XXIII. v. 24. 25. Numer. cap. XXIX. v. 1. & 2.

2.

3. צום גדליה *Jejunium Godoliæ*, quia tunc occisus est Godolias filius Ahjicam, filii Saphan, & Judæi, qui cum eo erant in *Maspha*. Libro IV. Reg cap. XXV & Jerem. cap. XLI. v. 2. Hoc est jejunium, ut videtur, quod apud Zachariam cap. VIII. v. 19. dicitur septimi, nempe mensis.

4.

5. * צום *Jejunium*. Moriuntur viginti Israëlitæ. Rabbi Akiba filius Joseph conjicitur in vincula, ubi moritur.

6.

7. * צום *Jejunium* ob decretum in Patres nostros gladium, & famem, propter vitulum fabricatum.

LECTIONES.
Deuter. cap. XXVI. v. 1. usque ad cap. XXIX. v. 10.
Isai. cap. LX. v. 1. ad finem capitis.

8.

9.

10. צום כפורים *Jejunium Kippurim*, sive Expiationum. Levit. cap. XXIII. v. 27.

11.

12.

13.

14.

LECTIONES.
Deuter. cap. XXIX. v. 10. ad cap. XXXI. v. 1., si plures superfuerint hebdomades; si nullæ, usque ad finem libri lectionem producebant.
Isai. cap. LXI. v. 10. ad cap. LXIII. v. 10.

15. חג סכות *Tabernaculorum festum*, sive Scenopegia, dierum septem. Levit. cap. XIII. v. 34. & 35.

16.

17.

18.

19.

20.

21. הושענא רבא *Hosiahana Rabba*, seu septima Tabernaculorum, si Ὀσχοφορία festum Ramorum.

22. Octava Tabernaculorum, *Aatsereth*. Levit. cap. XXIII. v. 23. & 26.

23. שמחת תורה *Festivitas Legis*, sive gaudium Legis, & benedictio, quo festo recolunt testamentum, & mortem Moysis Legislatoris. Dedicatio Templi Salomonis absoluta est hac die. III. Reg. cap. VIII. v. 65.

24.

25.

26.

27.

28.

LECTIONES.
Geneseos cap. VI. v. 9. ad cap. XII. v. 1.
Isai. cap. LIV. v. 1. ad cap. LV. v. 5.

29.

LECTIONES.
Genes. cap. XII. v. 1. ad cap. XVIII. v. 1.
Isai. cap. XL. v. 27. ad cap. XLI. v. 17.

30.

Mensis

Mensis מרחשון *Marhesvan*, vel *Marchesvan*, anni civilis secundus, Ecclesiastici octavus; cavus, sive viginti novem dierum. Cadit in Octobrem, aut in Novembrem, vel in partes horum mensium.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Genes. cap. XVIII. v. 1. ad cap. XXIII. v. 1.
Lib. II. Reg. cap. IV. ab initio ad versum 38. ejusdem capitis.

4.
5.
6. צום *Jejunium*, ob excœcatum Sedechiam Regem Juda, & ejus filios coram ipso interfectos à Nabuchodonosor lib. IV. Reg. cap. XXV. v. 7.
7.
8.

LECTIONES.
Genes. cap. XXIII. v. 1. ad cap. XXV. v. 19.
Lib. I. Reg. cap. I. v. 1. ad versum 32.

9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.

LECTIONES.
Genesis cap. XXV. v. 19. ad cap. XXVIII. v. 10.
Malach. cap. I. v. 1. ad cap. II. v. 8.

16.
17. Disputavit R. Jochanan ben Zachai de *Mincha* cum Sadducæis, eosque vicit.
18.
19.
20.
21.
22.

LECTIONES.
Genes. cap. XXVIII. v. 10. ad cap. XXXII. v. 3.
Osee cap. XI. v. 7. ad cap. XIV. v. 2.

23.
24.
25. * חג *Festum*, ob Samariam à Cuthæis possessam, quam reduces è captivitate Babylonica recuperarunt.
26.
27.
28.
29.
30.

Mensis כסליו *Kisleu*, vel *Kasleu*, anni civilis tertius, Ecclesiastici nonus. Ponitur plenus, sive triginta dierum. Cadit in Novembrem, aut in Decembrem, vel in partes horum mensium.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Genesis cap. XXXII. v. 3. ad cap. XXXVII. v. 1.
Abdias. Totum caput, vel Osee cap. XII. v. 12. ad finem libri.

4.
5.
6.
7. צום *Jejunium*, ob combustum à Rege Joachim volumen, quod scripserat Baruch, dictante Jeremiâ. Hierem. cap. XXXVI. v. 23. Hoc jejunium institutum dicit Scaliger ob excœcatum Sedechiam, & jugulatos coram eo ejus filios.
8. * חג *Festum*, ob Herodis Antipatri F. mortem.

9.

LECTIONES.
Genesis cap. XXXVII. v. 1. ad cap. XLI. v. 1.
Amos cap. II. v. 6. ad cap. III. v. 9.

10.
11.
12.
13.
14.
15.

LECTIONES.
Genesis cap. XLI. v. 1. ad cap. XLIV. v. 18.
Lib. I. Reg. cap. III. v. 15. ad finem capitis.

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25. חנוכה *Chanuca dedicatio*, sive Encænia lib. II. Macch. cap. II. v. 16. lumina, vel luminarium festum dicitur à Josepho lib. XII. Antiquit. cap. X. Diebus octo, ob lumen Religionis à Macedonibus extinctæ recuperatum. Petitio pluviæ, quæ *Jore* Hebraicè appellatur, prima & temporanea, item pluvia sementis. Deuter. cap. XI. v. 14. Genebrardo tunc in Judæa tempus serendi.

LECTIONES.
Genesis cap. XLIV. v. 18. ad cap. XLVII. v. 27.
Ezechiel cap. XXXVII. v. 15. ad finem capitis.

26.
27.
28.
29.
30. Anno defectivo hic dies eximebatur. Nempe hic mensis ponebatur viginti novem dierum.

Mensis טבת *Tebeth*, sive *Teveth*, anni civilis quartus, Ecclesiastici decimus. Cavus, sive viginti novem dierum, cadens in Decembrem, vel in Januarium, aut in partes horum mensium.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Genes. cap. XLVII. v. 27. ad finem libri.
Lib. I. Reg. cap. II. ab initio ad vers. 13.

4.
5.
6.
7.
8. צום *Jejunium*, quod illo die Lex in Græcum versa sit, tempore Ptolemæi Regis, & tenebræ Ægyptios occupaverint triduo. Hioc, inquit Genebrardus, Judæos Alexandriæ LXX. Interpretum memoriam coluisse anniversario festo, Philo tradit lib. de Vitâ Mosis. Verùm inter Judæos Alexandrinos Græcâ Linguâ utentes, sive Hellenistas, & Judæos, qui Hebraizantes vocabantur, non conveniebat. Unde idem dies aliis caussa mœroris fuit, aliis lætitiæ. Græcam Versionem odio habent Judæi.
9. צום *Jejunium*: Non scripserunt Magistri, quare ea dies notata inter dies afflictionis. Quidam volunt hac die mortuos esse Esdram, & Nehemiam.
10. צום *Jejunium*, quod appellatur *decimi*, quando admovit manum suam Rex Babylonis ad obsidendam & expugnandam Hierosolymam. Est unum ex quatuor jejuniis Zachariæ VIII. 19.
11.

LECTIONES.
Exod. cap. I. v. 1. ad cap. VI. v. 2.
Isai. cap. XXVII. v. 6. ad cap. XXVIII. v. 14., vel Jerem. cap. I. v. 1. ad cap. II. v. 4.

12.

12.
13.
14.
15.
16.

LECTIONES.
Exod. cap. VI. v. 2. ad cap. X. v. 1.
Ezech. cap. XXVIII. v. 25. ad finem capitis viceſimi noni.

17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.

LECTIONES.
Exod. cap. X. v. 1. ad cap. XIII. v. 17.
Jerem. cap. XLVI. v. 13. ad finem capitis.

26.
27.
28.
29.
0.

Menſis שבט *Shevet*, vel *Shebet*, vel *Schebat*, vel *Sebat*, anni civilis quintus, Eccleſiaſtici undecimus; plenus, ſive triginta dierum, cadens in Januarium, & Februarium, vel in partem horum menſium.

1. Neomenia.

Principium anni arborum.

2. * חג *Feſtum*, quia obiit Rex Jannæus, dictus etiam Alexander.

3.

LECTIONES.
Exod. cap. XIII. v. 17. ad cap. XVIII. v. 1.
Jud. cap. IV. v. 4. ad cap. VI. v. 1.

4.
5.
6.
7.
8. צום *Jejunium*, quoniam tunc mortui ſunt juſti, qui extiterant diebus Joſuë. Jud. cap. XI. verſ. 10.

9.

LECTIONES.
Exod. cap. XVIII. v. 1. ad cap. XXI. v. 1.
Iſai. caput VI. integrum.

10.
11.
12.
13.
14.
15.

LECTIONES.
Exod. cap. XXI. v. 1. ad cap. XXV. v. 1.
Jerem. cap. XXXIV. v. 8. ad finem capitis.

16.
17.
18.
19.
20.
21.
22. * חג *Feſtum*, quia irritum fuit decretum à Niskalenu latum, de Imaginibus in Templum inferendis.
23. צום *Jejunium*, congregati ſunt Iſraëlitæ adversùs Benjamin ob concubinam in Gabaa violatam, & propter Idolum Michæ. Judic. cap. XX.
24.

25.

25.
26.
27.

LECTIONES.
Exod. cap. XXV. v. 1. ad cap. XXVII. v. 20.
Lib. I. Reg. cap. V. v. 12. ad cap. VI. v. 14.

28.
29. חג *Festum*, ob mortem Antiochi.

LECTIONES.
Exod. cap. XXVII. v. 20. ad cap. XXX. v. 11.
Ezech. cap. XLIII. v. 10. ad finem capitis.

30.

Mensis אדר *Adar*, anni civilis sextus, Ecclesiastici duodecimus; cavus, sive viginti novem dierum, cadens in Februarium, & Martium, aut in partes horum mensium.

1. Neomenia.
Ex Genebrardo Theruma, idest, Primitiæ.
2.
3.

LECTIONES.
Exod. cap. XXX. v. 11. ad cap. XXXV. v. 1.
Lib. I. Reg. cap. XVIII. v. 1. ad v. 39.

4.
5.
6.
7. Mortuus est Moses Magister noster Deut. cap. XXXIV. v. 5. 6.; quare est צום *Jejunium*;
8. & 9. ימי שלאה הגשמים *Dies petitionis pluviæ*.
9. צום *Jejunium*. Schola Sammai, & Schola Hillel inter se contendere cœperunt;
10.
11.
12.

LECTIONES.
Exod. cap. XXXV. v. 1. ad cap. XXXVIII. v. 21.
Lib. I. Reg. cap. VII. v. 13. ad v. 26. ejusdem capitis.

13. Festivitas decreta, quia Nicanor in ea interfectus est. II. Macch. cap. XV. v. 37. Genebrardus ibi collocat jejunium Esther. Esth. cap. IV. v. 16.
14. חג פורים קטן *Sortium festum minus*. Esth. cap. IX. v. 16.
15. חג פורים גדול *Sortium festum majus*. Esth. cap. IX. v. 17. In secundo lib. Macch. cap. ultimo v. 37. hi dies vocantur Mardochæi.
In Talmude Tractatu *Shekalim* hæc leguntur: quintadecima mensis *Adar* sedent mensarii in Urbibus, & vicesima quinta sedent in Templo; ad exigendum dimidium sicli, quod tributum quisque Judæus Templo pendebat.
16.
17. Dedicatio Templi Zorobabelis. Facta quidem est hoc mense, ut videre est in Esdra lib. I. cap. VI. v. 16., sed non definitur, quo die. Hoc die etiam celebrabatur Festum ob fugam Sapientum Israëlis è Judæa, quos Jannæus Rex ad mortem quæsivit.
18.

LECTIONES.
Exod. cap. XXXVIII. v. 21. ad finem libri.
Lib. I. Reg. cap. VII. v. 50. ad cap. VIII. v. 21.

19.
20. [a] חג *Festum*, ob pluviam impetratam à Numine, post diutinam aëris siccitatem.
21.
22.
23.
24.
25.

LECTIONES.
Levit. cap. I. v. 1. ad cap. VI. v. 2.
Isai. cap. XLIII. v. 21. ad cap. XLIV. v. 24.

26.
27.

28. חג *Festum*, ob irritum decretum Regum Græciæ contra tria præcepta, de Circumcisione, de Legis studio, & de Sabbathi religione.
29.
0.

Mensis ואדר *Veadar*, idest *Adar* secundus.

Locus Embolismi, sive mensis Embolismæi, nempe qui inserebatur certo anno, ut fieret tredecim mensium Lunarium.

Mensis ניסן *Nisan*, olim dictus אביב *Abib*, sive *Avib*, anni civilis septimus, Ecclesiastici primus, plenus dierum triginta. Cadit in partem Martii, & Aprilis.

1. Neomenia.
צום *Jejunium*, quod eo die mortui sunt Aaronis filii. Exodi IV. Levit. cap. X. v. 1. Hac die erectum Tabernaculum.
2.
3.

LECTIONES.
Levit. cap. VI. v. 1. ad cap. IX. v. 1.
Jerem. cap. VII. v. 21. ad cap. VIII. v. 24.

4.
5.
6.
7.
8.
9.
10. צום *Jejunium*, ob mortem Mariæ, & puteum obturatum. Num. cap. XX. v. 1. & cap. III. v. 4. & cap. XXVI. v. 21. Eligitur Agnus mactandus die quartadecima.
11.
12.

LECTIONES.
Levit. cap. IX. v. 1. ad cap. XII. v. 1.
Lib. II. Sam. cap. VI. v. 1. ad cap. VII. v. 17.

13.
14. פסח *Pascha*. Exustio fermenti. Post exactam inquisitionem, comburitur quidquid reperitur panis fermentati.
15. מצות *Azyma*.
16. Crastinus dies Sabbathi, sive festi, nempe Paschatis δευτέρα τῶ Πάσχα secunda dies post festum Paschatis, in qua offertur *Omer*, sive manipulus novæ messis hordeaceæ, qui solenni pompâ deferebatur ad Templum. Levitici XXIII. 10.
Ab hac die secunda post Pascha numerantur dies Pentecostes, quæ enumeratio fit religiosè singulis diebus per quinquaginta hosce dies.
17.
18.
19.

LECTIONES.
Levit. cap. XII. v. 1. ad cap. XIV. v. 1.
Lib. II. Reg. cap. IV. v. 42. ad cap. V. v. 20.

20.
21. סוף מצות Solennitas finis Azymorum. Exodi XII. 16.
22.
23.
24.
25.
26. צום *Jejunium*. Moritur Josuë filius Nun; de quo Josuë XXIV.
27.
28.

LECTIONES.
Levit. cap. XIV. v. 1. ad cap. XVI. v. 1.
Lib. II. Reg. cap. VII. v. 3. ad finem capitis.

29. Notat Genebrardus hoc mense factam petitionem pluviæ, quam *Malkos* appellant, tardam, serotinam, vernam, messi mox futuræ commodissimam. Zach. cap. X.

30.

Mensis אייר *Ijar*, anni civilis octavus, Ecclesiastici secundus; cavus, viginti novem dierum. Cadit in partes Aprilis, & Maji.

1. Neomenia. Census Israëlitarum, Numer. I.
2.
3.

LECTIONES.
Levit. cap. XVI. v. 1. ad cap. XIX. v. 1.
Ezech. cap. XXII. v. 1. ad v. 17. ejusdem cap.

4.
5.
6.
7. * חנוכת ירושלם *Dedicatio Hierosolymorum*.
8.
9.
10. צום *Jejunium*, quòd ea die obierit Heli, captâ fœderis Arcâ. Lib. I. Reg. cap. IV. v. 18.
11.

LECTIONES.
Levit. cap. XIX. v. 1. ad cap. XXI. v. 1.
Amos cap. IX. v. 7. ad finem libri, vel Ezech. cap. XX. v. 2. ad v. 21.

12.
13.
14. * Immolatio Paschatis minoris, sive secundi. Qui enim non poterant celebrare Pascha tempore suo, hac die illud peragebant. II. Paralip. XXX. Murmur, & conspiratio contra Moysem. Exodi XVI.
15.
16.
17.
18.
19.

LECTIONES.
Levit. cap. XXI. v. 1. ad cap. XXV. v. 1.
Ezech. cap. IV. v. 15. ad finem.

20.
21.
22.
23. * חג *Festum*. Simon Gazam capit, & mundat Arcem.
24.
25.
26.

LECTIONES.
Levit. cap. XXV. v. 1. ad cap. XXVI. v. 3.
Jerem. cap. XXXII. v. 6. ad v. 28.

27. * חג *Festum*, quod sublati sunt Celilæi è Judæa, & Hierosolymis.
28. צום *Jejunium*. Moritur Samuel Propheta, plangitur ab omni populo. I. Regum XXV.
29.
0.

Mensis סיון *Sivan*, vel *Sivvan*, anni civilis nonus, Ecclesiastici tertius, plenus dierum triginta. Cadit in partes Maji, & Junii.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Levit. cap. XXVI. v. 3. ad finem libri,
Jerem. cap. XVI. v. 19. ad cap. XVII. v. 15.

4.
5.

6.

6. שבועות *Pentecoste*, sive festum hebdomadûm, nempe septem completarum hebdomadarum à die secunda post festum Paschatis.
7.
8.
9.
10.

LECTIONES.
Num. cap. I. v. 1. ad cap. IV. v. 21.
Osee cap. I. v. 10. ad cap. II. v. 21.

11.
12.
13. Hac die tertiadecima Genebrardus ponit magnam celebritatem; quasi Pentecoste celebrata fuerit per octo dies, quorum ultimus, nempe *Asereth*, fuerit festum. Fallitur; nam ipsa Pentecoste, sive dies quinquagesima erat quasi עצרה *aatsereth*, hoc est, *conclusio* Paschatis.
14.
15. * חג *Festum*, ob fugatos ab Asmonæis incolas Urbis Bethsan.
16. * חג *Festum*, ob fugatos, ut aliqui scribunt, incolas Urbis Bikata.
17. * חג *Festum*, ob subjectos incolas Cæsareæ.
18.

LECTIONES.
Num. cap. IV. v. 21. ad cap. VIII. v. 1.
Judic. cap. XIII. v. 2. ad finem capitis.

19.
20.
21.
22.
23. צום *Jejunium*, quòd decem Tribus nunc desierint primitias portare Hierosolymam diebus Jeroboam Nebati filii. Lib. Reg. III. cap. XII. v. 17.
24.
25. * צום *Jejunium*, ob interfectum Magistrum Simeonem Gamalielis filium, & Magistrum Ismaëlem Elisæi filium, & Magistrum Haniam Saggan, sive Sacerdotem secundum.
26.

LECTIONES.
Num. cap. VIII. v. 1. ad cap. XIII. v. 1.
Zach. cap. II. v. 10. ad cap. IV. v. 8.

27. צום *Jejunium*. Combustus est Rabbi Haninia filius tardior, unà cum libro Legis. Hier. cap. XXVI. v. 23.
28.
29.
30.

Mensis תמוז *Tammuz*, vel *Tamuz*, anni civilis decimus, Ecclesiastici quartus; cavus, viginti-novem dierum, cadit in partem Junii, & Julii.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Num. cap. XIII. v. ad cap. XVI. v. 1.
Josuë cap. II. totum.

4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.

LECTIONES.
Num. cap. XVI. v. 1. ad cap. XIX. v. 1.
Lib. I. Sam. cap. II. v. 14. ad cap. XII. v. 23.

11.
12.

13.
14. * חג *Festum*, ob damnatam à Sapientibus Sadducæorum doctrinam.
15.
16.
17. צום *Jejunium* quarti (mensis) ob tabulas Legis fractas. Exod. cap. XXIII. v. 19. Item, quia eo die desiit ἐνδελεχισμὸς sacrificium juge, & Epistemon Legem combussit, posuitque Idolum in Templo. Est unum ex quatuor jejuniis. Zachariæ VIII. 19.
18.
19.

LECTIONES.
Num. cap. XIX. v. 1. ad cap. XXII. v. 2.
Judic. cap. II. ad v. 34.

20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.

LECTIONES.
Num. cap. XXII. v. 2. ad cap. XXV. v. 10.
Mich. cap. V. v. 7. ad cap. VI. v. 9.

27.
28.

LECTIONES.
Num. cap. XXV. v. 10. ad cap. XXX. v. 2.
Lib. I. Regum cap. XVIII. v. 46. ad finem capitis.

29.
0.

Mensis אב *Ab*, vel *Abh*, vel *Af*, anni civilis undecimus, Ecclesiastici quintus, plenus triginta dierum, cadit in partem Julii, & Augusti.

1. Neomenia. צום *Jejunium*, quòd hodie Aaron Pontifex è vita excesserit. Num. XXXIII. 38.
2. צום *Jejunium*, ob sententiam à Deo latam in non introituros in terram Chanaan.
3.

LECTIONES.
Num. cap. XXX. v. 2. ad cap. XXXIII. v. 1.
Jerem. cap. I. v. 1. ad cap. II. v. 4.

4.
5.
6.
7.
8.
9. צום *Jejunium* quinti (mensis) ob incensam eo die Jerusalem, & Templum primò à Chaldæis, secundò à Romanis. Est unum ex quatuor jejuniis. Zachariæ VIII. 19.
10.
11.
12.

LECTIONES.
Num. cap. XXXIII. v. 10. ad finem libri.
Jerem. cap. II. à v. 4. ad v. 29.

13.
14.
15. * Tempus lignorum Sacerdotum.
16.
17.
18. צום *Jejunium*. Extincta est lucerna vespertina diebus Achas Regis: Hanc lucernam vocat occidentalem Genebrardus.
19.
20.

LECTIONES.
Deuter. cap. I. v. 1. ad cap. III. v. 23.
Isai. cap. I. v. 1. ad v. 28.

21.

21. Ex Seldeno, in hunc diem incidebat Xylophoria, quâ die portabantur ligna in Templum. Aliis placet in sequentem mensem differre hoc festum.
22. * Oblatio Lignorum. Nehem. X. 34. XIII. 31.
23.
24. * חג Festum, ob abolitam ab Asmonæis Sadducæorum morum disciplinam.
25.
26.
27.
28.

LECTIONES.
Deuter. cap. III. v. 23. ad cap. VII. v. 12.
Isai. cap. XL. v. 1. ad v. 27.

29.
30.

Mensis אלול Elul, anni civilis duodecimus, Ecclesiastici sextus; cavus, viginti novem dierum. Cadit in partem Augusti, & Septembris.

1. Neomenia.
2.
3.

LECTIONES.
Deuter. cap. VII. v. 12. ad cap. XI. v. 26.
Isai. cap. XLIX. v. 14. ad cap. LI. v. 4.

4.
5.
6.
7. * חג Festum. Dedicatio muri Hierosolymorum. Nehem. XII. 27.
8.
9.
10.
11.
12.

LECTIONES.
Deuter. cap. XI. v. 26. ad cap. XVI. v. 18.
Isai. cap. LIV. v. 11. ad cap. LV. v. 4.

13.
14.
15.
16.
17. צום Jejunium. Moriuntur Exploratores, qui diffamaverunt Terram; nimirum Promissionis. Numer. XIV. 37.
18.
19.
20.

LECTIONES.
Deuter. cap. XVI. v. 18. ad cap. XXI. v. 10.
Isai. cap. LI. v. 12. ad cap. LII. v. 13.

21.
22. * Xylophoria, festum quo portabantur in Templum ligna.
23.
24.
25.
26.
27.
28.

LECTIONES.
Deuter. cap. XXI. v. 10. ad cap. XXVI. v. 1.
Isai. cap. LIV. ab initio ad v. 11.

29.

Finis Kalendarii Judaici, & Libri Tertii.

(3) Hostiæ, & Victimæ; alterum (4) Doni & A
Muneris nomine nuncupatum. Utrumque autem tribus potissimum de caussis fuisse videtur oblatum; Divini Numinis, cui omnis honos convenit, honorandi; salutis ac pacis ab eo impetrandæ; & peccati expiandi atque delendi. Unde illud est primo Levitici: *De armento masculum immaculatum offeret ad placandum sibi Dominum*, & octavo primi Regum: *Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas ejus Victimis & Muneribus usque in æternum*; & octavo ad Hebræos: *Omnis Pontifex ad offerendum Munera, & Hostias constituitur*, & quinto: *Omnis Pontifex constitutus, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis*. Sed de Donis
posterius, nunc de Sacrificiis. B

CAP. II.

De generibus Sacrificiorum.

SAcrificium ergo appellarunt, cum Sacerdotes rem non modo obtulerunt, sed etiam Sacram Deo fecerunt; exempli gratiâ (5) Victimam, cum eam mactarunt, & sanguinem fuderunt; frumentum, cum triverunt; similam, cum oleo conspersam in sartagine frixerunt; thus, cum adoleverunt. Ex quibus liquet, rem sacram Deo factam esse, præcipue vel per sanguinem, vel per ignem; per sanguinem, ut Victimæ, cum cædebantur; per ignem, ut libamina, cum aut in clibano, aut in sartagine, aut in craticula coquebantur. Quan-

---

cultum sacrificiorum Deo præstare: sed ille cultus exterior per quamcunque rem exhibitus Deo utique à dictante naturâ derivabat.
Nec quidpiam nos movet, quod maxime orget Nicolaus, sacrificia nimirum, illa etiam, quæ à Mundi origine fuerunt oblata, Mediatoris venturi typum gessisse, atque adeo naturam ducem habere non potuisse sacrificium, quod non naturæ, sed divino mysterio nitebatur. Quasi vero, quod naturale erat ut fieret, assumere Deus ad mysteria sua præsignificanda non posset. Quid enim quæso magis naturale est, quam maris & feminæ in matrimonio societas? Hæc tamen insolubiles significat nuptias Christi cum Ecclesia, ut ait Apostolus C
ad Ephesios quinto 32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Postremo dum jus naturæ dicimus, Deum ipsum, qui omnem hominem in hunc Mundum venientem illuminat, intelligimus, qui per interiorem afflatum modum præcepit, quo se vellet potissimum coli. Unde sacrificium ex præcepto divino, non quidem legis positivæ, sed naturalis, in Patriarcharum religionem certo defluxit. Id autem optime expressit Chrysostomus Hom. ad populum Antiochenum XII., cujus verba sunt: *Quod homo peccatum esse malum jam sciret, demonstravit Adam: Quod autem virtutem esse bonum etiam sciret, rursum Abel manifestavit. Non enim ab ullo discens, neque legem de primitiis hoc discernentem audiens; sed à sua conscientia doctus, sacrificium illud obtulit. Propterea non descendo ad posteros sermones, sed circa priores* D
homines versor, quando nondum literæ, neque Lex, neque Prophetæ, neque Judices; sed solus Adam cum filiis erat: ut discas quod in natura bonorum, & contrariorum scientia prius erat reposita. Unde enim didicit Abel, quod bonum esset offerre, quod bonum Deum venerari, & in omnibus gratias agere?

(3) Victima apud Latinos proprie erat sacrificium, quod post victoriam subactis hostibus offerebatur Diis. Unde Ovidius Fastorum lib. I.

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur;
Hostibus à domitis Hostia nomen habet.

Hostia proprie sacrificium erat, quod Laribus immolabatur, quod ab illis hostes arceri crederentur. Et quamquam Victimæ majora essent sacrificia, quam Hostiæ, aliquando tamen hæ voces inter se confunduntur, & Ser- E
vius scribit in Æneidum I. *Hostiæ dicuntur sacrificia, quæ ab iis fiunt, qui in hostes pergunt: Victimæ sacrificia, quæ post victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit auctoritas.*

(4) קרבן Hebraice appellabatur quodcunque donum vel munus Deo oblatum, & thesaurus sacer, in quo congerebantur munera, Syriace קרבנא *Corbona* dicebatur. Ubi Judæus per vocem *Corban* votum emiserat de aliqua re, puta pecunia Templo offerenda, tam arcte voto obstringebatur, ut ex ille nec minimum quidem posset detrahere, etiam in parentum egestate quantumvis laborantium alimoniam. Pharisaica enim avaritia tantam religionem animis Judæorum injecerat, ut loco juramenti dicta vox esset, quam qui emisisset, tenebatur rem tamquam juratam præstare. Ad hanc rem scribit Josephus Antiquit. l. IV. cap. 4. *Qui Corban se ipsos nominant, hoc est Dei donum, si volunt à ministerio, ad quod se ultro obligaverunt, dimitti, Sacerdotibus pecuniam numerare, mulierem triginta Siclos, virum quinquaginta; qui vero tantum pecuniæ non habuerint, hoc Sacerdotum arbitrio relinquendos*. Sæpius autem Christus Dominus hanc exprobrat Pharisæorum doctrinam, exempli caussa, quum dicit apud S. Matthæum cap XV. illos suis traditionibus legem Dei violare sic loquentis: *Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis*, subdit Christus Dominus, *quicumque dixerit patri vel matri: munus quodcunque est ex me, tibi proderit*. Aliqualis obscuritas hujus loci argumento est, S. Matthæum Hebraice, vel dialecto Syro Chaldæa, quæ tunc temporis in Palæstine obtinebat, suum Evangelium scripsisse. Græcus enim Interpres voce Corban non retenta, sensusque ratione habita δῶρον in Versione restitutus, subdifficilem S. Matthæi reddit sententiam, quam S. Marcus, licet Græce scribens opus S. Matthæi in compendium redegit, servata Hebræa voce clarius expressit: *Vos autem dicitis*, inquit cap. VII. S. Marcus, *si dixerit homo patri aut matri Corban (quod est donum) quodcunque ex me, tibi profuerit; & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri*. Hoc est ubi quispiam Corban protulerit, bona ipsa, quibus indigentem patrem aut matrem juvare posset, tenebatur nulla parentum ratione habita in sacrum Gazophylacium inferre;

. . . . . *Quid? non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames.

(5) Exaggerant nostrorum temporum Hæretici necessitatem immutationis hostiæ in sacrificio, ut ineffabile Missæ sacrificium, quo Catholica Ecclesia per suos Sacerdotes ex Christi institutione operatur, tollant (si Superis placet) de medio. Sed velint nolint, transmutatio hostiæ in liturgico Altaris Sacrificio invenitur, non quidem per mortem veram & realem, Victimæ illius statu obsistente, sed per mysticam, quum ex actione, per quam fit Sacrificium, Corpus & Sanguis Christi mystice immolentur; nam ex vi verborum Corpus sub speciebus panis, & Sanguis sub speciebus vini constituitur, licet per concomitantiam sub utraque specie sit utrumque: unde merito nonnulli ex Sanctis Patribus verba, quibus peragitur consecratio, mysticum gladium appellavere. Neque enim necesse est ad Sacrificii rationem, ut Sanguis vere & naturaliter effundatur è Corpore, quod in primis patet exemplo Abrahæ, qui teste Chrysostomo Homil. 52. in Eustath. Antioch., *non gladium cruentavit, non altare rubefecit, non Isaac jugulavit, sed tamen Sacrificium perfecit. Quis hoc ait? Ille ipse, qui Sacrificium suscepit. Non pepercisti enim, inquit, filio suo dilecto propter me . . . . . Non mactavit manus, sed voluntas* ma-

A Quanquam ad Victimas etiam ignis adhibebatur, cum aut adeps, aut exta concremabantur, aut carnes incendebantur, aut vescendi caussa in olla elixabantur, vel flamma adurebantur, idque Græce θυσία (6) dictum est. Hæc porro tanto in speciem apparatu peracta sunt, ut ea interire utile fuerit. Quis enim (inquit Homilia XXIII. Origenes) intuens Sanctuarium, Altare, ac Sacerdotes Sacrificiis operantes, & omnem ordinem, quo cuncta gerebantur, non putaret plenissimum eam esse Ritum, quo Deus Creator ab omni humano genere coli deberet? Sed gratias adventui Christi, qui oculos nostros ab ejusmodi (7) aspectu removit, atque animos ad contemplationem rerum cœlestium spiritaliumque traduxit.

Ceterum (8) Sacrificia sex in Levitico deinceps tradidit Deus, Holocaustum, Libamina, Pacifica, Sacrificium pro peccatis, Sacrificium pro delictis, & Sacrificium Consecrationis. Quorum quinque priora ad tria Philo retulit, vir inter Hebræos, & Græcos eruditissimus, Holocaustum, Pacifica, & pro pec-

---

mactavit, non gladium pueri jugulo immersit, non cervicem incidit, sed est Sacrificium sine Sanguine, sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, B *quid dicamus. Propterea & illud* (Isaac) *Sacrificium sine Sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit. Vides in Veteri Testamento imaginem multo ante adumbratam: noli veritati fidem denegare.* Pater deinde facto Christi, qui in novissima Cœna (verbis utar S. Gregorii Nysseni Orat. I in Christi Resurrect.) arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam obtulit, & victimam immolavit, Sacerdos simul existens, & Agnus Dei, qui Mundi tollit peccata. Quum videlicet Corpus suum Discipulis edendum, & Sanguinem bibendum præbuit; tunc aperte declaravit Agni Sacrificium jam esse peractum. *Nam victimæ Corpus* (addit S. Doctor) *non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum Corpus edendum, &* C *Sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcana, & non aspectabili ratione, Corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.*

(6) Θυσία juxta veteres Glossas *sacrificium* est, vel *immolatio*, habetque pro themate θύειν, quod juxta easdem *sacrificare* est, vel *mactare*. Alii τὴν θυσίαν deducunt ἀπὸ τῦ θύεσθαι, hoc est *suffitum edere*; & Ammonius de hac re observat sequentia: Σφάξαι καὶ θύσαι διαφέρει· Θύσαι μὲν γάρ ἐστι τὸ θυμιάσθαι, σφάξαι δὲ τὸ ἱερουργῆσαι τι ζῶον· Hoc est, Σφάξαι, & D θύσαι *differunt*: θύσαι *enim est suffire*, σφάξαι *vero est animal aliquod sacrificare*.

(7) Non certe voluptatem effusio sanguinis creare poterat, sed potius stomachum atque fastidium. Ethnici etiam morem eorum Diis mactandi victimas non sine scommatibus vellicarunt, quorum plura testimonia S. Cyrillus Alexandrinus opposuit Juliano Apostatæ inepte arguenti Christianos, quod cruenta Sacrificia non offerrent. Tantum abest, ut tristem morem sanguine brutorum terram fœdandi prohibuerint, ut plane scripserint victimas nullam Diis voluptatem afferre. Extant veteris Poetæ Græci carmina, quibus sensum suum de Sacrificiis ita exprimit eleganter, ut integra illa merito hic sint adscribenda:

Τίς ὧδε μῶρος καὶ λίαν ἀνειμένος,
Εὔπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεὸς
Οστῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρουμένης,
Α καὶ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα,
Χαίρειν ἅπαντας, καὶ γέρας λαχεῖν
τόδε;

Quæ sic reddi possunt Latine.

Quis Gente in hominum tam supine est credulus,
Aut stultus adeo est, qui Deos existimet,
Seu bilis ustæ, sive crudorum ossium,
Projecta quæ vix tanget esuriens canis,
Gaudere donis, eaque honori ducere,
Facientibusque gratiam reponere?

Quid igitur dicendum de Deo, qui cruenta hæc sacrificia Judæis præcepit, illorum tot species eos edocuit, illaque peragendi ritum adamussim præscripsit? Dicendum non potuisse sacrificia illa per se ipsa Deo placere; quum Deus ipse in Prophetis sæpius testetur, se Judæorum sacrificia detestari, & apud Isaiam cap. I. fastidium suum in illa hisce perspicuis verbis declaret: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum: holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Quum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra Sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Sacrificia ergo veteris Legis sibi fuisse contemptui Deus satis ostendit. Sed qui abominabatur sacrificia à carnali Judæo mactata, eadem illi grata erant & accepta, si per fidem à Judæo litante referebantur ad Messiam venturum, & Deo propter antitypum, quem repræsentabant, erant gratissima. Etenim Israelitas perfectionis cultus nondum capaces, veluti infantes quibusdam elementis Deus exercuit, ut in typis meditationi veritatis assuescerent, indeque possent pedetentim & ordine ad Evangelicam perfectionem traduci. Præterea quum infinita virtus esset sacrificii Mediatoris promissi, necesse fuit, multa rituum pompa, multoque sacrificiorum apparatu, illam adumbrare, quo admonerentur pii Israelitæ, quantus esset ille futurus, cujus caussa tot celebrabant sacrificia. *In victimis pecorum*, inquit S. Augustinus lib. XX. contra Faustum cap. 18, *quas offerebant Deo, sicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit.* Facta enim post lapsum Adæ promissione Mediatoris, à quo repararetur genus humanum, fideles Patriarchæ, qui ante Legem vixerunt, eorum sacrificiis non alio spectabant, quam ad sacrificium in ara Crucis a Christo vero Agno offerendum, qui jam in Dei Patris acceptatione *ab origine Mundi* erat occisus, ut est in Apocalyp. cap. 13. Quare fides Abelis sacrificantis ab Apostolo commendetur *ad Hebr. XI 4. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo*; & demum de sacrificio, quod Noë obtulit Domino in Genesi legitur; *obtulit holocausta super Altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Vide etiam, quæ infra annotata sunt cap. VIII.

E (8) Sacrificia, quæ זבחים Hebraice dicuntur, Rabbini dividunt in quatuor species majores, quibus plures species inferiores assignant. Quatuor species præcipuæ Sacrificiorum sunt sequentes. עולות *Holocausta* ita dicta à verbo עלה *ascendit*, quod oblata in fumum abirent, & vi ignis in Cœlum ascenderent. שלומים Sacrificia *salutaria*, sive pacifica. חטאה Sacrificium *pro peccato*. Et אשם Sacrificium *pro noxa*. Hasce vero species in alias dividunt, quibus nihil attinet Lectorem morari. Noster enim species omnes Sacrificiorum optime complexus est;

peccatis, prout tres, ut dixi, caussæ fuere Sacrificii offerendi. Verba ejus sunt in libro de Sacrificiis hæc: *Sacrificia omnia ad tria redegit Legislator, Holocaustum, Pacifica, sive Salutare, & Sacrificium pro peccatis.* Inde addit: *Si quis inquirere velit caussas, cur prisci illi Sacrificia factitarint, tres inveniet; unam, cultum Dei per se honestum, ac necessarium; alteram utilitatem Sacrificantium, quæ duplex est, dum bona impetramus, & malis liberamur. Primo generi, quod solum Dei honorem sibi proposuit, lex apte Holocaustum tribuit: quoniam Victima integra absumitur, humana cupiditate nihil inde sibi usurpante. Alterum genus lex subdistinguit, ut alio bona quærantur, quod nominatur Pro salute, alio fuga mali, quod Pro peccato dicitur. Atque ita Holocaustum solius est Dei, cui semper debetur honos, etiamsi nihil exspectamus ab eo gratiæ; reliquæ duæ species ad nos propriè pertinent, una salutem postulans, & profectum in melius, altera veniam peccatorum, & medicinam eorum, quæ deliquit anima.* Ex his porro Sacrificiis, quinque à privatis, atque à populo per Sacerdotem oblata sunt; sextum fuit proprium Sacerdotum propter Consecrationem ipsorum. Horum autem omnium modum Ritumque Deus in Lege præscripsit, addens quædam etiam de Sacrificio mundationis, expiationis, sive propitiationis, & oblationis incensi. Quare in his omnibus explicandis eam rationem tuebimur, ut primum, quæ in Lege tradita sunt, seorsum de singulis afferamus, deinde quæ de omnibus extra Legem compererimus, exponamus.

CAP. III.

De Holocaustis.

HOlocaustum (9) ergo fuit Sacrificium, in quo, ex sententia Philonis, (10) honorandi, atque adeo etiam propitiandi Dei gratia, tota Hostia, quæ offerebatur, divino igne consumebatur, ac veluti à terris in cœlum cum fumo amandabatur in odorem suavitatis Deo; nam in reliquis, (11) ut in Pacificis, pars incendebatur, ut adeps, & exta; pars tota Sacerdotibus una cum libaminibus tradebatur, quod, teste, in Homilia V. Origene, etiam Holocarpoma dictum est, quasi totus fructus esset ille, qui Deo offerretur. Nam Holocaustum solius Dei fuit. Modus autem Holocausti his verbis traditus est primo Levitici: *Homo, qui obtulerit ex vobis Hostiam Domino de pecoribus, idest, bobus, & ovibus, offerens Victimas, si Holocaustum fuerit ejus oblatio, de armento masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi Testimonii ad placandum sibi Dominum,* (12) *ponetque manus super caput Hostiæ, & acceptabilis erit, atque in* expia-

(9) Holocaustum Latine *crematium* ex Isidoro, est à Græco ὁλόκαυστον, diciturque Hebraice עולה, quam vocem LXX. sæpe vertunt ὁλοκαύτωμα, & ὁλοκαύτωσιν. Latinus vero Holocaustum, & aliquando etiam retinet Holocautoma. Apud Hebræos dicitur etiam עולה וכליל, quæ nomina significant totam victimam sursum in fumum ascendere, primo nomine *ascensionem*, altero *integritatem* exprimente. Holocaustum vero erat sacrificium, quod totum igni consumebatur, ut offerens se suaque omnia Deo se debere profiteretur, atque adeo inter sacrificia tum dignitate, tum vetustate primas obtinuit.
Ethnici etiam passim leguntur suis Diis holocausta obtulisse: & primitus universam victimam igni tradebant, donec Prometheus partem hostiæ in ignem conjicere, partem ad esum reservare, sui ævi homines docuit. Hinc partes extorum, quas prosecari, & Diis adoleri consueverant, *Prosicia* dictæ sunt, aliaque parte vescebantur, qui Sacrificiis intererant. *Prosicia* tamen & *porrecta* inter se differunt, quia pars extorum prius prosicitur, hoc est prosecatur; deinde porricitur, hoc est aris imponitur, ut comburatur.
At Magi, qui Numen anima hostiæ esse contentum prædicabant, aut nihil prosecabant, aut minutum quid, τοῦ ἐπίπλου τί μικρὸν *partem exiguam omenti*, inquit Strabo lib. 15., igni commissum, eorum *prosicia* fuit. Est apud Catullum Epigr. 91.

Gnatus, ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

(10) Holocausta enim sacrificia erant, quæ Deo, ut rerum omnium conditori, conservatori, & Domino offerebantur, ut merito honore afficeretur, atque ad dignoscendum supremum ejus dominium in homines in primis erant destinata, & indirecte solum ad placandum Deum adhibebantur. Offerebantur vero in Holocaustum singulis diebus agni duo super Altare æneum, alter sub lucis exortum ante cetera Sacrificia, alter sub ejusdem exitum, quod, ut supra dixi, תמיד זבח *juge sacrificium* dicebatur. Hic autem agnorum numerus quolibet die Sabbathi duplo major in holocaustum offerebatur. Neomeniis etiam sua erant holocausta, juvenci duo, aries unus, & agni septem. Quod idem præstitum fuit festis Paschatis, & Pentecostes per singulos dies. At die Tubarum juvencus unus, aries unus, hircus unus, & agni septem immolabantur, quod idem factum erat solenni die Expiationum, quo Sacerdos in Sancta Sanctorum ingressurus, ut juvencum pro peccato, sic arietem in holocaustum offerebat, & hircum unum. Tandem diebus septem Tabernaculorum septuaginta boves offerebantur, de quibus vide Numer. cap. 29. Hæc autem erant Holocausta publica; sed offerebantur etiam Holocausta privata de bobus, agnis, capris masculis, de turturibus, & pullis columbarum utriusque sexus: cujusmodi erant Holocausta leprosi, fluxu laborantis, parturientis &c.

(11) In Holocaustis victima tota comburebatur; in Expiatoriis pars cedebat Sacerdotibus, quæ soli vesci poterant; in Pacificis aliquam victimæ partem offerentes pro suo jure retinebant, qua cum amicis, si visum esset, læti agitabant convivia. Permissum enim erat Israelitis in hisce conviviis lætari coram Domino ex Deuter. XII. 7., gaudio scilicet moderato, & non sejuncto a celebratione nominis Dei,

... ὃς πάντ' ἐφορᾶ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

(12) Manus imponendo super caput victimarum offerentes præsertim Sacrificium pro peccato confitebantur eorum scelera, ut deduci potest ex *Levit. XVI.*, quibus illas quodammodo onerantes, pœnam propriis iniquitatibus debitam in eas transferebant. In libris Rabbinorum sequens legitur formula, quam recitari solitam scribunt, dum offerens hostiæ manus imponeret: *Hæc victima sit expiatio mea; & quod ego ipse malum merui, in victimæ meæ caput recidat.* Quo quid clarius (liceat mihi præfatione hæc perstringere Judæorum perfidiam, reputantium fabulæ loco expiationem peccatorum Sanguine Messiæ peragendam fuisse) haberi potest, ad indicandum per vetera Sacrificia [illegible] eventum Sacrificium Christi [illegible] adumbratum, qui vicarius pro hominibus [illegible]

 ha

expiationes ejus proficiens, immolabitque vitulum coram Domino: & offerent filii Aaron Sacerdotis sanguinem ejus (13) *fundentes per Altaris circuitum, quod est ante ostium Tabernaculi, detractaque* (14) *pelle Hostiæ artus in frusta concident, & subjicient in Altari ignem strue lignorum ante composita, & membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta, quæ adhærent jecori, intestinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super Altaria in Holocaustum, & suavem odorem Domino.* Eandem vero inde rationem servandam esse docet, si agnos, aut capras, aut aves obtulerit in Holocaustum. Neque enim integras Legis paginas inde huc transferre, consilium est. Inde Lex Holocausti traditur his verbis sexto: *Hæc est Lex Holocausti.* (15) *Cremabitur in Altari tota nocte usque ad mane. Ignis in eodem Altari erit; vestietur tunica Sacerdos, & feminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens super Altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.* (16) *IGNIS autem semper in Altari ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito Holocausto desuper adolebit adipes Pacificorum. Ignis iste est perpetuus, qui numquam deficit in Altari.* Hactenus Deus. Hæc vero his verbis Philo explicuit: *Ante omnia seligatur mascula Victima ex animalibus puris ad Sacrificium, juvencus, aut agnus, aut hœdus. Hanc qui offert, ablutas manus imponat ejus capiti, tum aliquis Sacerdos accipiat eam, mox alius sanguinem ejus exceptum phiala fundat per Altaris circuitum, detractoque tergore Victimæ artus in frusta concidantur, & ablutis intestinis ac pedibus tota Victima igni Altaris tradatur, conjectis rursum in unum partibus, quæ modo dissectæ fuerant.* IGNIS autem, de quo scriptum est in Lege, ille est, qui post cœlitus demissus (17) prima Aaronis procurantis Sacrificia cori-

lit pœnas, factus in ara Crucis expiatio omnium Sanguine suo? Quum enim a victimarum, quas jugulabant, cruore nulla expiatio esse posset, quem Deus, ut supra ostendi, abominabatur; reliquum est, at expiatio omnis e Sanguine Messiæ, cujus Sacrificiam in ara Crucis vetera adumbrabant, veluti ab unico fonte, derivaretur. At Messiam ab impiis morte plectendum ita disertis verbis Prophetæ significarunt, ut potius Evangelicam historiam, quam prophetiam oraculis suis scripsisse videantur. Unicum Isaiæ vaticinium cap. LIII. 7., ubi mansuetudinem commendat morituri Messiæ propter scelera populi sui, Eunucum Reginæ Candacis ad Christi fidem adduxit: tot, tamque perspicue Prophetarum oracula, quibus non solum mortem, sed mortis genus, omniaque oppetitæ mortis adjuncta adamussim notarunt, pervicaces Judæorum animos nihil quidpiam commovebunt? Prophetiæ hoc genus a me adducentur loco magis opportuno, ubi Sigonius de condemnatione Christi verba facit libro VI. Sed de diverticulo in viam; moremque aliarum Gentium mactandi victimas afferamus, & quid per illas se præstare senserint brevi explicemus. Ægyptii postquam victimas immolassent, ei caput obtruncabant, in quod diris, & imprecationibus onustum, orabant, ut quæ omnia meteri poterant mala, Numen injiceret. Hoc capite nemo Ægyptiorum vescebatur; sed aut illud Græcis vendebant, aut præcepti dabant in Nilum. Ex Herodoto l. II. c. 39. Persuasum quoque aliis Ethnicis fuit, pœnam cui sons ob admissum scelus erat obnoxius, transferri posse in immerens caput, quod vices ejus subiret, & pro eo Numini daret debitas pœnas. Entellus apud Virgilium vitæ parcens Daretis, cœstu suo taurum occidit, illa proferens Æneid. V.

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Et Ovidius VI. Fastorum hostias esse pro offerente vicarias ita graphice expressit:

Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.

(13) Solius Sacerdotis erat ad Altare Sanguinem fundere; duplicemque morem illius fundendi advertunt Interpretes. Primus, quum immediate ad basim Altaris Sanguis fundebatur, idque fieri solitum erat in Sacrificiis pro peccato, & pro delicto. Secundus, mediate, quum scilicet super Altare circum oras Sanguis effundebatur, indeque per parietes ad basim usque decurrebat; qui mos in holocaustis, & pacificis retinebatur.

(14) De more Levitæ, & jure Sacerdotes hostias jugulabant, ac deglubebant. Sanguinem vero excipere nullus poterat, nisi Sacerdos sacro cratere, & dextera manu. Ex Levitici cap. VII. 8. pellis cedebat Sacerdoti illi, qui holocausti victimam offerebat. Non omnes tamen hostiæ deglubebantur, puta vacca rubri coloris, quæ Expiationis die immolabatur, & nonnullæ aliæ hostiæ pro peccato.

(15) Sentiunt ex hoc loco Eruditi holocaustum juge vespertinum ita in partes successive à Sacerdote in hoc excubante impositam fuisse super Altare, ut usque ad sequens mane sacrificium duraret, donec matutinum exciperet. Idem etiam aliqui putant evenisse de holocausto matutino, ut lento scilicet igni usque ad vespertinum cremaretur, ne ullum tempus esset, quo Deus sacrificiis non coleretur, ejusque Altare non fumaret; quod persuasu oppido haud est difficile, dummodo alia holocausta per diem offerenda jugi non succederent. Tunc enim potius videtur in comburendo matutino holocausto Sacerdotes festinasse, at aliis victimis fieret locus, qui ante vespertinum ex integro debebant consumi.

(16) Maimonides tres affirmat ignes fuisse super Altare holocaustorum Templi: Primus ille erat, quo comburebatur sacrificium juge, & quotidianum. Alter erat ad latus primi, unde carbones tollebantur ad thus adolendum in Sancto super Altare aureum. Tertius inserviebat tantum ad legem adimplendam, quæ præcipit, ut ignis in Altari semper ardeat. Sed quum hujus rei veteres Tabulæ desiderentur, unius Templo recentius testimonium ad id credendum opinor adiget neminem. Ceterum apud Gentes cultum ignis antiquissimam fuisse ex veterum lectione liquido constat. Scriptor Chronici Alexandrini *Nembrod*, ait, (quem aliqui Ninum arbitrantur) *pro Deo ignem colere instituit*. Quia ignis in Ur Chaldæorum colebatur, ab igne Urbi nomen factum fuisse non abhorret à fide. Ignem, quem perpetuo Magi servabant, dicebant è Cœlo delapsum fuisse; & pone currum Persarum Regis semper in magno foculo ignis præferebatur ex Xenophonte in Cyrop. VIII. Idem habet Ammianus Marcellinus l. XXIII. 6. *Ferunt etiam, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri: cujus portionem, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.*

In Romanam Civitatem cultum ignis Numa primus invexit, quem Vestalibus inextinctum servandum tradidit, ut ad simulacrum cœlestium siderum (quod Florus inquit) custos imperii flamma vigilaret. Virgilius Æneidum II. dixit:

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Ubi Servius notat: *Vestæ ignis æternus est.*

(17) Ignem non una vice, sed pluribus cœlitus delapsum fuisse ad cremanda sacrificia, Sacræ literæ aperte nos docent. Primò scribunt Sancti Ephrem, Cyrillus, Hieronymus, Chrysostomus, & alii Patres per ignem de Cœlo missum, qui Abel sacrificia absumpsit, & non Cain, Deum ostendisse se illius sacrificia acce-

ripuit, quo perpetuo inde Sacerdotes usque ad Babylonicum exilium Hostias incenderunt. Itaque cum Nadab & Abiu filii Aaron, *eo tempore acceptis thuribulis imposuissent ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egressus ignis à Domino devoravit eos*: ut scriptum est Levitici VII. Unde Sanctus Augustinus scripsit in Psalmum LXV. *Holocaustum est totum incensum, sed igne divino*. De hoc autem igne præclare Philo in vita Moysis: *Vulgaris ignis, tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab Altari sanctissimo, & pro eo alter demissus cœlestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta & profana, humana & divina. Conveniebat enim Sacrificiis attribui naturam ignis incorruptiorem, quam est hæc, quæ servit quotidianis usibus*. Hujus (18) autem Sacrificii, ut etiam cæterorum, mysticam inde rationem ille reddidit ex intima Theologia depromtam; verum afferre, non est nostri propositi, nos enim Legem Dei ostendere sat habemus, non consilium ejus in scribenda Lege investigare intendimus.

CAP. IV.

De Libaminibus.

Libamentum (19) autem, quod proprio nomine Sacrificium dictum est, fuit fertum ex simila, idest, farina mundissima sine fermento, oleo, & thure confectum, in clibano, aut sartagine, aut craticula coctum; aut frumentum igni tostum: quorum pars incendebatur, pars Sacerdotibus tradebatur. Eorum vero offerendorum modus fuit talis, ut scribitur deinceps secundo Levitici: *Anima cum (20) obtulerit oblationem Sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus, & deferet ad filios Aaron Sacerdotis: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super Altare in odorem suavissimum Domino; quod autem reliquum erit de Sacrificio, erit* (21) *Aaron & filiorum ejus*, (22) *Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris Sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita; si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum; sin autem de craticula fuerit Sacrificium, æque simila oleo conspergetur: quam offerens Domino trades manibus Sacerdotis, qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de Sacrificio, & adolebit super Altare in odorem suavitatis: quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti*, (23) *ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini*.

---

accepta habere, hujus autem respuere. Sanctis Patribus consonat Versio Theodotionis reddentis illud Geneseos IV. 4. וישע יהוה אל הבל *& respexit Dominus ad Abel*; Καὶ ἐνεπύρισεν ὁ θεὸς, *& combussit, vel inflammavit Deus*. Secundò quum Moyses Tabernaculum, *Levit. IX* 24. Et Tertiò quum Salomon Templum dedicavit, *II. Paralip. VII*. Quartò Manue Samsonis genitori, *Judic. XIII*. 19. Quintò Eliæ in monte Carmelo, *III. Reg.* 18. Sextò denique post captivitatem Nehemiæ, *II. Maccabæorum I*. 19. Capta enim Hierosolyma à Nabucdonusore, Jeremias in sicco puteo sacrum ignem occuluit, cujus loco post solutam captivitatem aqua fuit inventa, qua Altari, & hostiis perfusis, statim inde ignis erumpens sacrificia consumpsit. Denique ad hunc ignem, quod attinet, non inutile erit monere, plures Rabbinorum asserere, in illo igne sacrificia absumente semper apparuisse Leonis faciem: quod si verum esset, quis in illa forma typum Christi Jesu Leonis de Tribu Juda non videret expressum?

(18) Philo Judæus in libro *De animalibus idoneis sacrificio, deque victimarum generibus*, plura scripsit ad mysticam rationem spectantia tum Holocausti inter sacrificia præstantissimi, tum aliorum sacrificiorum, quorum nonnulla non sine utilitate, & delectatione Lectos humanissimus ibidem legere poteris, quum eadem longiora sint, quam ut commode huc queant transferri.

(19) Vocem *libare* sumptam aliqui putant à quodam Libaro, qui in Græcia usum hujus ritus dicitur invenisse; aut à labiis, quasi primis labiis rem quampiam attingere, illam libare significet. Utraque ethymologia ab eruditis expungitur, quum liquido constet *libare* Latinorum esse à Græco λείβω, hoc est *fundo*, vel *stillo* in sacrificiis. Sed apud Latinos verbum *libo* alias habet significationes præter actionem libandi in sacrificiis; exempli caussa, libare aliquando denotat rem summis labiis, veluti illam leviter depascendo, gustare, ut de apibus dixit Lucretius l. III.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima fama.

Hebræi à radice נסך *effudit* vocant libamen נסך *effusionem*; unde מסך, & ממסך *commistionem*, & etiam *libamen* significant.

(20) *Obtulerit oblationem* מנחה habet textus Hebræus, quæ vox à מנח radice inusitata apud Hebræos, sed apud Arabes usitatissima, & *donavit*, vel *dono affecit* significat, *donum*, seu *oblatio* merito redditur. Sed præsertim *Mincha* oblationes denotat ex segetibus, unde est sacrificium rerum inanimatarum, quod quum ex tritico plerumque fieret, oblatio triticea potest appellari. Tres autem erant species *Mincha*; prima ex farina cruda; secunda ex farina cocta; tertia ex spicis, sive granulis primitiarum. Denique institutum fuit hoc sacrificium, quo terræ frugibus Deus colebatus, tum pro pauperibus, ne illis offerendi sacrificii facultas deesset, tum pro Sacerdotibus, qui illius maxima parte donabantur, ut dicam mox.

(21) Non de omni Mincha pars cedebat Sacerdotibus; nam quædam ex integro debebant comburi. Hujusmodi erant Mincha Sacerdotum vulgarium, Mincha Sacerdotis Summi uncti, Mincha Gentilis (nam Ethnico nisi holocaustum permittebant Judæi) Mincha similæ &c. In aliis vero מנחות Sacerdos plenam manus volam oblationis cremabat, reliqua pars ipsi cedebat.

(22) Videlicet hæ erant oblationes sanctissimæ, quibus extra Tabernaculi vestibulum nemo vescebatur, nec fas erat eas domum deferre, illasque neque uxores, neque filii Sacerdotum poterant comedere.

(23) Tres rationes adducunt Rabbini, ob quas putant mellis usum prohibitum fuisse in sacrificiis. Prima ob varios morbos, quorum mel creditur caussa. Secunda ob fluxum ventris, quem mel provocat. Tertia ob muscas, quas attrahit mel, & quæ esse non debebant in Templo. Sed longe veriores rationes sunt illæ duæ sequentes. Prima quia mel cum oleo, sale, & vino non bene stat simul, & acescere poterat farinam, si cum illis mistum fuisset. Altera, quia sacrificium adumbrabat Passionem Christi, in qua nullum dulce, sed omnia fuerunt amarissima.

mini. Primitias tantum eorum offeretis ac munera. Super Altare vero non imponentur in odorem suavitatis. Quidquid obtuleris Sacrificii, sale (24) *condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de Sacrificio tuo. In omni* (25) *oblatione offeres sal. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra eas oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est: de qua adolebit Sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.* Lex inde Libamentorum traditur capite VI. *Hæc est lex Sacrificii & Libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram Altari. Tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in Altari in monumentum odoris suavissimi Domino; reliquam autem partem similæ comedet Aaron* (26) *cum filiis suis absque fermento, & comedet in loco Sanctuarii Tabernaculi; ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum Sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto, mares tantum stirpis Aaron comedent illud.* De iisdem Libaminibus offerendis extat item præceptio XV. Numerorum.

CAP. V.

De Pacificis.

TErtium Sacrificii genus, quod deinceps in Levitico traditur, à Latino interprete Pacifica, Victimæ pacificæ, Hostia (27) Pacificorum, salutares Hostiæ, à Græco vero *εἰρηνικὰ, θυσία εἰρηνικὴ, σωτήριον* dicitur. Origenes autem (28) duplex fuisse salutare Sacrificium inquit Homilia V., unum Voti, alterum Laudis vocatum. Ex quo elicitur, hoc Sacrificium factum esse, cum aut Deum pro pace, aut salute orarunt, aut eâ impetratâ laudarunt, & gratias ei egerunt. In hoc porro adeps solum cremabatur in odorem suavitatis Deo, pectusculum autem & armus erant Sacerdotis: reliquæ carnes edebantur à privatis. Mo-

(24) Quum ea sit natura salis, quod est incorruptibile, ut corpora, quibus inspergitur, à corruptione præservet; sal in oblationibus adhibitum apposite indicabat pactum Dei æternum, quod sub aliqua ratione in quolibet sacrificio renovabatur, atque adeo *pactum salis* ברית מלח, illud tum hoc versiculo, tum XVIII. Numer. 19. appellatum est. Et quamquam Moyses neque alibi, neque hoc loco Levitici, saltem dilucide, præcipit, ut animalium sacrificia sale condiantur, quippe qui קרבן מנחת *donum oblationum* mandat esse sale condiendum: Rabbini tamen ex eo concludunt quodcunque sacrificium cum sale offerendum fuisse, & ad factum quod attinet, Judæos omnem victimam sale condiisse, probare videntur verba S. Marci IX. 48. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur:* quæ verba de saliendis victimis, Christus anagogice traducit ad homines, qui omnia vitia à se, tamquam igne, debent rescindere, atque à pravorum affectuum putredine retentus, veluti sale, se defendere atque purgare, alioquin quasi victimæ divinæ justitiæ, sale ignis æterni quodam modo condientur.

(25) Palmarius Maimonidis error est in *More Nevochim* p. 3. Deum salis usum in sacrificiis suis præcepisse, ut se Idololatris opponeret, qui sale in Sacris suis non utebantur: nam plurimorum constat auctoritate, Ethnicos sal in sacrificiis adhibuisse, quæ nulla apud eos sine *mola salsa* conficiebantur. Imo Ovidius Fastorum I. testatur, sale, & farre primitus Diis libatum fuisse:

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Et quamquam ex veterum Poëtarum carminibus fortasse ostendi non potest heroicis temporibus sal adhibitum in sacrificiis; constat tamen, Sacerdotes Ægyptios, quibus sal marinum odio erat, in eorum sacris usos fuisse quodam sale petra puriore, quàm sal commune, splendenteque instar crystalli, quod in desertis, circa Hammonis templum, reperiebatur.

(26) Fermentum Hebraice חמץ, Græce ζύμη in Sacris literis corruptionem significat & hypocrisim; contra azymus panis cordis sinceritatem & munditiem designat. Ad hanc rem conferri possunt S. Matthæus cap. XVI., & S. Paulus I. ad Corinthios V., & ibi Interpretes.

(27) In textu Hebræo legitur זבח שלמים, quod LXX. vertunt θυσία σωτήριου *victima salutis*, vel *salutaris*, & Vulgatus Interpres *hostia Pacificorum*. Targum Onkelos habet נכסת קודשיא *hostia Sanctificatorum*, cujus sensus fortasse eo tendit, ut significet, hostiis pacificis neminem vesci potuisse, qui purus non esset, omnique expers legali immunditia ex Levitici VII. 20. & 21. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ Pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis.* Magistri sentiunt, ideo sacrificium hoc dictum fuisse שלמים *pacificorum*, quod ipsum pacem faceret inter offerentes, Deum, & Sacerdotes, quum in eo suum cuique tribueretur; nam una pars dabatur Domino in sacrificium ignitum, altera cedebat Sacerdoti, & tertia offerentibus remanebat, secus quam in aliis sacrificiis soleret fieri. Sed longe probabilius est, non alia de caussa hoc sacrificium dictum fuisse Pacificorum, quam quia offerebatur præcipue pro obtinenda, aut obtenta pace, salute, vel quovis bono, quoniam שלום apud Hebræos, pacem, salutem, & omnem prosperitatem, & bonum sua significatione complectitur.

(28) Non duplex, sed triplex erat sacrificium Pacificum, ut colligitur ex Levitici cap. VII. 12. & 16.: nam aliud erat Eucharisticum, sive Laudum; aliud Votivum; aliud Voluntarium. Sacrificium Eucharisticum ad agendas Deo gratias pro collatis beneficiis offerebatur, quod quum sine laudibus oris, cordis, & vitæ non fieret, merito Sacrificium Laudis etiam appellabatur. Carnes hujus sacrificii oportebat comedere ipsa die, qua peragebatur, ut v. 15. mox laudati capitis dicitur: *Non remanebit ex eis quidquam usque mane.* Quod ideo à Moyse fuit præceptum, ut quam longe abesset, ne quid nobilioris sacrificii corrumperetur, victimarumque vilesceret Eucharisticarum religio. Votivum autem, & Voluntarium pro impetrandis a Deo rebus prosperis offerebatur; illud ex voto, quo præsertim se illigabat, qui in periculis versabatur, ut Jephte in Ammonitico bello; hoc sponte, & ex libera offerentium pietate. Verum in hisce duobus Sacrificiorum speciebus, si quid victimæ superfuisset comedendum die, qua erat oblata, postera die manducabatur; ad tertiam tamen servari non poterat, tum ne offerens in suam utilitatem converteret, quod jam consecraverat, tum ne putresceret in Judææ regione calida, quod Domino erat immolatum.

Modus autem hujus patrandi, traditus est his verbis tertio Levitici; *Quod si Hostia Pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre* (29) *marem, sive fœminam, immaculatam offeret coram Domino, ponetque manum* (30) *super caput Victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu Tabernaculi Testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotis sanguinem per Altaris circuitum, & offerent de Hostia Pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis; adolebuntque ea super Altare in Holocaustum lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino.* Eandem rationem inde tuendam esse docet, si agnum, aut capram obtulerit, subjiciens de adipe hæc verba: *Et fundent filii Aaron sanguinem ejus* (capræ) *per circuitum Altaris: tollentque ex ea in pastum ignis Dominici adipem, qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia, duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis: adolebitque ea super Altare Sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris,* (31) *omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris:* (32) *nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Inde lex editur capite VII. his verbis: *Hæc est lex Hostiæ Pacificorum, quæ offertur Domino: Si pro GRATIARUM actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas, panes quoque fermentatos cum Hostia GRATIARUM, quæ immoletur pro Pacificis; ex quibus unus pro primitiis offertur Domino, & erit Sacerdotis, qui fundet Hostiæ sanguinem: cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Si voto, vel sponte quis obtulerit Hostiam, eadem similiter edetur die. Sed etsi quid in crastinum remanserit, vesci licitum est, quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus Victimæ Pacificorum die tertia comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quinimo potius quæcunque anima tali edulio se contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni, qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus Hostiæ Pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis: & quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de hujuscemodi carnibus, interibit de populis suis.* (33) *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis, adipem cadaveris mor-*

(29) In hoc etiam ab Holocausto sacrificium Pacificum differebat, quod illud ex solis animalibus masculis constare poterat, hoc ex animali tam mare, quam femina. Holocaustum enim erat sacrificio Pacificorum perfectius, nam primario ad honorem Dei spectabat; & Pacifica ad offerentium utilitatem: unde sexus victimæ eorum arbitrio relinquebatur.

(30) Judæi manum imponebant super caput victimæ, quoties vel holocaustum, vel hostiam pacificam, vel pro peccato offerebant. De holocausto extat præceptum Levit. I. v. 4., de hostia pacifica Levit. III 2., de hostia pro peccato Sacerdotis Levit. IV. 4., pro peccato populi ibidem vers. 15., pro peccato Principis vers. 24., & pro peccato personæ privatæ vers. 29. Manus imponendo ostendebant animal immolandum se ab eorum potestate abdicare, illiusque oblationi assentiri. Ceterum si hujus ritus particularis ratio requiratur, sequens erat. Profitebantur in holocausto per manus impositionem se suaque omnia Dei esse, quibus victimam præsentem substituebant, ut ejus consumptione supremum Dei dominium super universa protestarentur. In hostia pacifica item declarabant se loco sui victimam illam supponere, quam Deo offerebant vel ad beneficia ab ipso exoranda, vel ad gratias agendas pro acceptis. In hostia demum pro peccato significabant se quodammodo victimæ imprecari pœnas debitas sibi, petereque, ut illæ in hostiam transferrentur, quam vice eorum Deo immolabant. Vide quæ supra scripsi ad hujus libri caput tertium.

(31) Turbat vehementer Magistros hic Levitici locus, in quo omnis esus adipis, & quidem sub pœna mortis, Judæis prohibetur, curantque pro suis viribus rigorem hujus Legis aliqua ex parte emollire. Et primò reum faciunt violati præcepti non quemcumque adipe vescentem, sed illum solummodo, qui per superbiam adipem comederit; cui etiam quantitatem determinant, כזית idest, *quantum oliva crassa est*. Secundò volunt non omnem omnino adipem prohiberi; sed solum adipem bovis, ovis, & capræ, quæ animalia in Pacificis offerebantur. Tertiò, prohiberi sub pœna mortis adipem statuunt, qui carnem ambit, quo videlicet teguntur exta, renes, & ilia; non vero adipem, qui in media carne latet, itaut non appareat, nisi caro dilaceretur. Hinc ex duobus nominibus, quæ in Scriptura adipem significant חלב, & פדר, per חלב adipem intelligunt intra carnem latentem, & per פדר adipem à carne sejunctum, quam vocem per metathesin à radice פרד *separare* derivant. Sed de expositione horum nominum ipsi videant; nam enim pluribus de hac re Lectorem detinebo, qui si alia hoc genus requirit, legat Maimonidem in Tractatu de vetitis cibis cap. VII.

(32) Nedum adipis, sed etiam sanguinis cujusvis esu Judæi interdicebantur: & ad sanguinem quod spectat, duas rationes assignat S. Thomas *Prima secundæ Quæst.* 102. *art.* 6, ob quas illius esus Judæis prohibitus fuit. Prima, ut ex vetito illius cibo crudelitatem vitarent, discerentque propterea humani sanguinis effusionem horrere. Altera, ut arcerentur ab Idololatrarum ritibus, apud quos erat in more positum, aut bibere de sanguine victimarum, aut in fossulam illum effundere, circa quam comedentes evocabant Manes, ut de futuris responsa ab ipsis elicerent. Hunc ritum expressit Horatius Sermonum I. Satyra VIII.

. . . . . . Pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in fossam diffusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Idololatræ enim astu Dæmonis decepti credebant, Manes sanguinis bibendi desiderio maxime teneri, & ad illum libenter advolare; sed timere ab ipsis gladios, a quorum fulgore cohibebantur, & fugæ se committebant. Unde anima Tiresiæ Vatis Thebani ab Ulysse evocata, gladium ut removeat petit, ne a bibendo sanguine prohibeatur in Odyssææ libro XI.

Quid hue e infelix relicto lumine Solis
Venisti, ut videas Manes & tristem regionem?
Sed retrocede à fossa: remove autem gladium acutum,
Sanguinem ut bibam, & tibi vera dicam.

(33) In Holocaustis præter boves, oves, & capras, immolabantur turtures quoque, & columbæ. At in Pacificis, tantum oves, boves, caprasque, non vero aves, offerri consuevisse, hic versiculus qui enumerat hostias Pacificorum, nec ullam habet mentionem de avibus, videtur ostendere; pronumque est etiam ratione confirmari. Quum enim victima Pacifica in tres partes divideretur, quarum tertia offerenti cedebat, ut lætus epularetur coram Do-

morticini, & ejus animalis, quod à bestia captum est, habebitis in varios usus. Si quis adipem, qui afferri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo tam de avibus, quam de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. Qui affert Victimam Pacificorum Domino, offerat simul & Sacrificium, idest, Libamenta ejus; tenebit manibus adipem Hostiæ, & pectusculum, cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti, qui adolebit adipem super Altare, pectusculum autem erit Aaron, & filiorum ejus; armus quoque dexter de Pacificorum Hostiis cedet in primitias Sacerdotis: Qui obtulerit sanguinem, & adipem filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. Item capite X. *Pectusculum, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum, tibi enim & liberis tuis reposita sunt de Hostiis salutaribus filiorum Israël; eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in Altari, elevaverunt coram Domino, & pertinent ad te, & ad filios tuos lege perpetua.* De hoc vero Sacrificio sic probe Philo in libro de Sacrificiis: *In Sacrificio salutaris non refert utrius sexus sit Hostia, verum ex eo tria hæc debentur Sacerdotibus, adeps, fibra jecoris, & renes duo; cetera in epulum cedunt ei, qui obtulit. In hoc genere duobus tantum diebus epulari fas est, ita ut nihil reliquiarum supersit in tertium; offertur enim Sacrificium pro salute duorum, corporis & animæ; proinde suus cuique dies epularis tribuitur, quoniam autem tertium nihil est, cui proprie quæratur salus, vetitum est proferri epulum in tertium diem, ita ut ne per oblivionem quidem liceat superesse reliquias sine piaculo. Ad hoc genus pertinet illud etiam Sacrificium, quod Laudis dicitur, & fit ad hunc modum: cum aliquis in nullam adversitatem incidit vel rerum externarum, vel corporis, sed quieta tranquillaque vita fruitur, necesse est ut Deo habeat gratias, eumque demereatur Hymnis, Laudationibus, Sacrificiis, & aliis gratiarum actionibus, quæ omnia comprehenduntur Laudis nomine. Hanc Victimam non biduo, sicut priorem illam pro salute, sed ipsa prima die lex jubet absumi, ut qui experti sunt propensum favorem cœlestis Numinis, sine cunctatione de hoc Sacrificio impertiant aliis.* Atque hoc præceptum est XII. Levitici: *Si immolaveritis Hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei.* Itaque David ingenti periculo liberatus, cum gratias Deo ageret Psalmo CXV. dixit: *Quid Domino retribuam pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* (34) *Salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Tibi sacrificabo Hostiam Laudis, & nomen Domini invocabo.*

CAP. VI.

De Sacrificio pro peccatis.

QUartum fuit Sacrificium Sacerdotis, Populi, Principis, & Privati, pro (35) expiandis peccatis; de quo Levitici quarto: *Si Sacerdos,* (36) *qui unctus est, peccaverit delinquere faciens Populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad ostium Tabernaculi Testimonii coram Domino, ponetque manum super caput, & immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in Tabernaculum Testimonii; cumque intinxerit digitum in sanguinem, asper-*

mino, turturum & columbarum exiguorum volucrum, jejuna plane fuisset offerentium epulatio: quæ caussa in Holocaustis restabat, in quibus igni omnia debebant absumi. Ceterum si quæras, qua ætate boves, oves, & capræ solerent offerri; Maimonides in *Tract. de Oblat. Sacrif. cap. I. sect.* 12. ita respondet: Pacifica offerontur ex ovibus, & capris, & bobus tam masculis, quam feminis, sive illa animalia sint minora, sive majora. Bestiæ minores sunt, quæ octiduum in vivis sunt, usque ad perfectum & completum annum. Majores autem usque dum tres annos compleverint. Ultra hos non licet offerre.

(34) Sigonius sentit cum plerisque Psalmorum Interpretibus, qui vocem *Calicem* hic sumunt active, pro illo scilicet, quem Sacer Psaltes promittit se Deo oblaturum, & quidem solemniter ex altimo versiculo: *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.* Quare ad significandam promissionem Sacrificii Pacifici, vel Salutaris, a Psalte ingenti periculo liberato offerendi, verba *Calicem Salutaris* ab eodem posita fuerunt, ut sentiunt: vel quia Calix salutis dicebatur libamen sacrificio annexum, & superfusum cum invocatione nominis Dei: vel quia ex tertia parte Sacrificii Pacifici convivium religionis insternebatur, in quo mos erat calicem gratiarum actionis exhaurire.

(35) Peccatis scilicet non quibuscumque; sed illis solum, quæ per ignorantiam erant patrata. Quæ enim voluntarie, & ea certa scientia, sive ex ignorantia quadam malitiosa, & affectata commissa erant, sacrificiis pro peccato non expiabantur; sed ea Magistratibus Lex subjiciebat, ut in reos statutis pœnis animadverterent, præsertim si illa in Legis contemptum erant admissa. Sed Levitici capite sexto, inquies, à versiculo primo usque ad octavum rationem docemur, qua sacrificium pro peccato ille debebat offerre, qui *contempto Domino* negavit proximo suo depositum ejus creditum fidei, vel vi extorsit aliquid, aut calumniam facit &c. Ex quibus verbis *contempto Domino* plane videtur inferri, non ex ignorantia illa peccata, sed ex scientia processisse; pro quibus tamen piacularis hostia a Legislatore præscribitur. At huic objectioni Guillelmus Estius ita respondet. Intelligitur contemptus Domini non *formalis*, sed *interpretativus*, quomodo censetur quisque eum contemnere, cujus præceptis, quum debeat, non paret; etsi ex infirmitate, vel alia cupiditate, non autem ex vera malitia peccet: & proinde etiam peccatum illud non ex contemptu aperto, aut rebelli voluntate procedens, poterat restitutione, & sacrificiis expiari.

(36) Hæc verba Summum Sacerdotem designant, nam ipse solus solenni unctione ungebatur. Ceteri Sacerdotes inferiores non item; quandoquidem semel uncti fuerunt filii Aaron in eorum consecratione etiam pro omnibus eorum posteris, qui, ut ait Lyranus, quadam commixtione tantum aspergebantur. Si igitur Summus Sacerdos per ignorantiam populum ad Deum offendendum impulisset, vel exemplo suo, vel docendo, præsertim circa cærimonias legales, quidpiam licitum, quod illicitum fuisset; hostiam debebat offerre, ut in textu præcipitur pro expiatione peccati sui. Si vero in gravissima peccata, puta in idololatriam, populum induxisset; tunc non poterat hoc sacrificio expiari: nam ita facientes prævaricare populum morte plectebantur ex Deuteronomii tertiodecimo, sicut etiam perpetrantes graviora scelera, eademque publica, & naturalibus præceptis opposita, capitis pœnæ erant obnoxii.

asperget eum (37) *septies coram Domino contra velum Sanctuarii, ponetque de eodem sanguine super cornua Altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in Tabernaculo Testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim Altaris Holocausti in introitu Tabernaculi. Et adipem vituli offeret pro peccato tam eum, qui vitalia operit, quam omnia, quæ intrinsecus sunt, duos renunculos, & reticulum, quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renunculis, sicut offertur de vitulo Hostiæ Pacificorum, & adolebit ea super Altari Holocausti. Pellem vero, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & intestinis, & fimo, & reliquo corpore efferet* (38) *extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Exposita ratione Sacrificii pro peccatu Sacerdotis, deinceps referatur ratio Sacrificii pro peccato Populi, (39) Principis, & Privati, qui per ignorantiam peccaverint. Quæ quoniam non admodum dissimiles sunt, non videtur faciendum, ut ea huc transferamus, locum ipsum indicasse contenti. Lex autem hujus Sacrificii sic postea traditur cap. VI. *Ista est lex Hostiæ pro peccato. In loco, ubi offertur Holocaustum, hircus immolabitur coram Domino. Sanctum Sanctorum est. Sacerdos, qui offert, comedet eum in atrio Tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto: Vas* (40) *autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quod si Vas aneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aquâ. Omnis masculus de genere Sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum Sanctorum est. Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in Tabernaculum Testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Pariter inde traditur Ritus, & Lex Sacrificii pro peccatis ex silentio veritatis, immunditia, errore, jurejurando, & Sacrorum abusu.

CAP. VII.

De Sacrificio pro delictis.

QUintum Sacrificium fuit pro expiandis delictis. De eu Ritu sic deinceps eodem in loco sancitum est: *Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines;* (41) *convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem Domino, cui damnum intulerat; pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, &*

(37) Non contra primum velum in aditu, sed contra secundum, quo Sanctum è Sanctu Sanctorum dividebatur, dictum Hebraice פרוכת, debebat Summus Sacerdos sanguinem vituli coram Domino septies aspergere. Plurimum enim hic numerus, ut cuique cognoscere pronum est, in sacro Eloquio adhibetur; quo sæpius, ut ego sentio, refricaretur beneficii creationis memoria, in qua Deus septimo die quievit ab omni opere, quod patrarat. Imo constat, ab Ethnicis quoque hunc numerum observatum fuisse, scribente Apulejo libro II. de Asino aureo: *Ad me ipsum purificandum septies caput lavo: hic enim numerus secundum Pythagoram in religione aptissimus est.*

(38) Quo magnum peccati horrorem Summo Sacerdoti Deus merito incuteret, jussit omnem carnem, pellem, fimum, & intestina victimæ pro ejus peccato immolatæ deferri extra castra; contra quam fieri voluit in Sacrificiis pro peccatu Principis, aut alicujus de populo, in quibus una pars victimæ cremabatur, altera in usum Sacerdotum cedebat. Dicitur autem *extra castra*, quia populus, dum hæ Leges rogabantur, urbem non habebat divino cultui destinatam; sed agebat in deserto castris dispositis, in quorum medio erat Tabernaculum. At ubi certam sedem posuerunt in terra Chanaan, Templumque excitarunt Jerusalem, carnes Sacrificii pro peccato Sacerdotis (idem erat pro peccato universæ multitudinis) extra urbem efferebant in locum mundum, neque à cadaveribus, neque ab immunditiis pollutum, quo holocaustorum, aliarumque victimarum cineres solebant portari. Atque hæc ad literalem hujus loci explicationem. Si vero allegorica quæratur; deferre *extra castra* innuebat Christum, qui pro peccatis omnium victimam in Cruce se obtulit, extra castra, sive extra orbem Jerusalem passurum; ut declarat Apostolus ad Hebræos XIII. 11. & 12. his verbis: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

(39) In Hebræo est נשיא, quæ vox, ut ex aliis Scripturæ locis colligitur, virum quemque magnum significat, qui scilicet in suprema aliqua dignitate constitutus est, puta Ducem exercitus, Tribuum, Civitatum, aut maximarum familiarum Magnatem. Unde apposite reddidit Targum Onkelos נשיא per vocem רבא, quæ virum *magnum*, vel *dominum* Chaldaice denotat.

(40) Ita sanctum erat sacrificium pro peccato, ut non solum tangentes victimam hujus sacrificii prius deberent esse sanctificati; sed insuper vasa omnia, & instrumenta, quæ eam tangebant, per tactum sanctificabantur, nec deinceps domestico usui esse poterant, nisi ea fierent adamussim, quæ in textu præcipiuntur. Ad vasa vero fictilia quod spectat, ea debebant confringi; vasa ænea lavari, defricarique. Fictilia enim, quæ ex carne cocta aliquid saporis per poros imbibunt, non facile possunt detergi; sicut vas æneum sabulo, & aqua ab omni odore potest purgari. Idcirco Fictilia frangebantur, ne sanctificatas carnes olentia profanis usibus inservirent. Demum ex hoc versiculo observant Interpretes, in Tabernaculo, & Templo elixas carnes, non vero assas comedi potuisse, quum ollæ, vasaque hoc genus assandis carnibus minus idonea videantur.

(41) Advertunt passim Interpretes hæc verba *Convicta delicti* non ita esse accipienda, ut oblaturus hostiam pro delicto testibus aut publico judicio ante convinceretur; sed ita, ut a synderesi stimulante illum & arguente, errorem suom dignosceret, & hinc vellet delictum suum expiare. Agitur enim in textu de peccatis, quæ privata sunt & incognita, quorum non poterat reus per testes convinci: nam si per Judicem convincebatur, præcipere sacrificium pro illo Sacerdotis non erat; sed pœnis a Lege statutis reus erat obnoxius. Quid igitur? Crimina ne quæ erant graviora, & præsertim in contemptum Legis commissa, itemque publica, nullo poterant sacrificio expiari? Non ita. Institutum sane pro illis, sive peccatum esset, sive delictum, nullum erat sacrificium; sed expiari poterant, vel quotidie per juge Sacrificium, vel quotannis solenni Expiationis die, si reum pœniteret sceleris sui, una cum fide in Mediatorem promissum: alioquin Sacrificia interiorem deformitatem non adimebant peccati; sed sordes solum purgabant exteriores, legalesque, ut docet Apostolus ad Hebræos IX. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.*

A *& dabit eum Sacerdoti juxta æstimationem, mensuramque delicti, qui rogabit pro eo coram Domino, & (42) dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccavit.* Lex autem edita est capite VII. *Hæc quoque lex Hostiæ est pro delicto. Sancta Sanctorum est, idcirco ubi immolabitur Holocaustum, mactabitur & Victima pro delicto. Sanguis ejus per gyrum Altaris fundetur; offerent ex ea caudam, & adipem, qui operit vitalia, duos renunculos, & pinguedinem, quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis, & adolebit ea Sacerdos super Altare, incensum est Domino pro delicto. Omnis masculus de Sacerdotali genere in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum Sanctorum est. Sicut pro peccato*

B *offertur Hostia, ita & pro delicto, utriusque Hostiæ lex una erit, ad Sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. Sacerdos, qui offert Holocausti Victimam, habebit pellem ejus. Et omne Sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel sartagine præparatur, ejus erit Sacerdotis, à quo offertur; sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron (43) mensura æqua per singulos dividetur.*

De Sacrificio autem hujusmodi sic scriptum est apud Philonem, quod ei lucem afferre aliquam possit: *Sacrificium pro peccato nuncupatum, variatur & personis, & Hostiis; personis Pontificis, Populi, Principis, privati; Hostiis, vitulo, hirco, capra, vel agna. Vacca quoque*

C

A *offertur ab iis, qui per ignorantiam peccarunt, vel scientes quidem, sed mutata voluntate factum suum damnant, & vitam melius instituunt. Pontificis peccata, & Populi simili expiantur Victima, vitulo; Principis minore, sed tamen mascula: hircus enim cæditur: at privati deteriore,* & post: *Postquam Legislator scripsit de peccatis ignorantiæ, transit ad ea, quæ admittuntur à volentibus ac scientibus; si quis, inquit, mentitus fuerit de societate, aut deposito, aut rapina, aut inventione rei perditæ, deinde ad vitandam suspicionem jurare non recusarit, & tandem arguente se intus conscientia perjurium suum, abnegationemque ipse damnans confessus fuerit, at veniam petierit, merebitur delicti oblivionem,*

B *quoniam veram pœnitentiam re magis quam verbis approbat, dum reddit depositum, aut inventum, aut universum alienum, quod usurpavit, superaddita quinta pretii parte in solatium ejus, cui fecit injuriam.* Ex quibus perspici potest, ipsum appellare peccatum, quod (44) per ignorantiam est commissum; delictum, quod à volente & sciente. Sanctus tamen Augustinus censuit, peccatum fuisse perpetrationem mali, delictum vero desertionem boni: aut peccatum, quo sciens; delictum, quo ignorans aliquis se obstrinxit; plerumque autem utrunque pro eodem poni asseruit.

His à Deo mandatis acceptis, Aaron inde ad ea curanda se contulit, & jussu ejusdem Sa-

C

(42) Quomodo in Lege Veteri fidelibus Judæis dimitterentur peccata in oblationibus hostiarum, docet Angelicus Doctor *Prima Secundæ Quæst.* 103. *art* 2. his verbis: *Poterat*, inquit, *mens fidelium tempore Legis per fidem conjungi cum Christo incarnato, & passo; & ita ex fide Christi justificabantur; cujus fidei protestatio erat hujusmodi cæremoniarum observatio, in quantum erant figura Christi. Et ideo pro peccatis offerebantur Sacrificia quædam in Veteri Lege; non quia ipsa Sacrificia à peccato emundarent; sed quia erant quædam protestationes fidei, quæ à peccato mundabant: & hoc etiam ipsa Lex innuit ex modo loquendi. Dicitur enim Levitici IV. & V., quod in oblatione hostiarum pro peccato orabit pro eo Sacerdos*, & dimittetur ei: *quasi peccatum dimittatur non vi Sacrificiorum; sed ex fide & devotione offerentium.*

D

(43) Ne inter minores Sacerdotes propter lucri cupiditatem caussa esset dissensionis, præcepit Moyses hoc versiculo decimo, ut mensura similæ oblatæ filiis Aaron divideretur ex æquo. Quum vero jam proxime dixerit supra versiculo nono, omne Sacrificium similæ esse illius Sacerdotis, qui eam offerret, quomodo æqua mensura poterat singulis Sacerdotibus dividi? Plerique hanc difficultatem ita solvunt, ut de Sacrificio similæ coctæ versiculus nonus accipiatur, & similæ incoctæ decimus, quæ prius in una massa ex multorum oblationibus congesta, deinde inter filios Aaron divideretur, quod illis nondum multiplicatis erat facile factu. At ubi eorum numerus vehementer succrevit, & juxta ordinem vicis suæ habuerunt singuli unum diem, in quo

E ministrarent Tabernaculo, vel Templo; verosimile est ita æqualitatem partium servatam fuisse, ut partes Sacrificiorum, quæ eo die erant oblata, solis ministrantibus cederent; onde procedentibus diebus unusquisque æqua lance de Sacrificiis participabant.

(44) Quid differat inter peccatum, & delictum, res est adeo implexa variis Eruditorum Sententiis; ut iis ex aliquid certi definiri non posse videatur. Origenes sic utrumque distinguit, ut delictum sit, quum non facimus quod debemus; peccatum vero, quum facimus quod non debemus; illud omissionis, hoc commissionis existit. Origeni consensit S. Augustinus Quæst. XX. in Levit., ubi habes sequentia: *Fortassis peccatum est perpetratio mali; delictum autem desertio boni: ut quemadmodum in laudabili vita aliud est declinare à malo, aliud facere bonum; ita in damnabili aliud sit declinare à bono; aliud facere malum: & illud delictum, hoc peccatum sit.* S. Gregorius Magnus Hom XXI. in Ezech. peccata vocat actiones improbas; delicta cogitationes malas. Aliqui appellatione peccati, graviora; delicti, leviora putant significari. Aliis contra peccata sunt minora ex genere suo, puta ea quæ adversus proximum; delicta quæ majora, puta ea quæ adversus Deum, & res divinas peccantur: observantque ad delicta expianda meliorem hostiam requisitum fuisse, nempe arietem masculum; quum caprâ, vel agnâ expiaretur peccatum. Nonnulli peccatum esse volunt, quod quis sciens prudens admisit; delictum, quod per errorem ignorantiamque perpetravit: quæ sententia probabilior visa fuit doctissimo Augustino Torniello ad A. M. 2545. num. Alii peccata illa dicunt, quæ fiunt per ignorantiam facti; & delicta quæ fiunt per ignorantiam juris. Rabbini pro peccato Hebraice

חטאה, intelligunt omne id, quod contra

præcepta affirmativa committitur; pro delicto

אשם, quod contra negativa perpetratur.

Affirmativa præcepta apud Magistros tot sunt, quot membra in corpore humano, eorum sententia, reperiuntur, nempe 248. Negativa quot sunt dies in anno, nempe 365. Et summa præceptorum omnium 613. Clarissimus Pater Lamy censet itidem ex Rabbinorum

doctrina חטאה *peccatum* fuisse omnem vo-

luntariam vel imprudentem transgressionem Legis divinæ, quæ nisi expiaretur, habebat communem pœnam, quam immitteret Deus. Nam credunt Hebræi plerosque morbos, ut parturientium dolores, & leprosorum immunditiem, esse alicujus peccati irrogata sup-

plicia; unde ad חטאה referunt Sacrificia,

quæ à puerperis, & a leprosis erant oblata.

Delictum אשם culpam incertam putat,

quum scilicet aliquis certo non esset sibi conscius alicujus culpæ; sed dubius an illam admisisset, nec ne; qui tenebatur certum piaculum facere, ne incurreret in odium Dei; quare dictum fuit hujusmodi Sacrificium pro

delicto אשם תלוי *delictum suspensum.*

A .Sacrificia fecit pro peccato suo, & Populi, & Holocausta, & Pacifica; eaque demissus cœlitus ignis incendit: ut deinceps scriptum est cap. IX. Neque vero hæc quoque verba inserere gravabor, cum maxime hanc tractationem valeant illustrare. *Aaron accedens ad Altare immolavit vitulum pro PECCATO SUO, cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui, in quo tingens digitum, tetigit cornua Altaris, & fudit residuum ad basim ejus, adipemque & renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, & adolevit super Altare; carnem vero, & pellem ejus extra castra combussit igni. Immolavit & HOLOCAUSTI Victimam: obtuleruntque filii ejus sanguinem ejus, quem fudit per Altaris circuitum;* B *ipsam etiam Hostiam in frusta concisam, cum capite, & membris singulis obtulerunt, quæ omnia super Altare cremavit igni, lotis aqua prius intestinis, & pedibus. Et pro peccato POPULI offerens, mactavit hircum, expiatoque Altari, fecit Holocaustum, addens in Sacrificio LIBAMENTA, quæ offerrentur, & adolens ea super Altare absque cæremoniis Holocausti matutini. Immolavit & bovem; atque arietem, Hostias PACIFICAS Populi, obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super Altare in circuitum, adipem autem bovis, & caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum jecoris posuerunt super pectora; cumque cremati essent adipes super Altare, pe-* C *ctora eorum, & armos dextros separavit Aaron elevans coram Domino: & extendens manum ad Populum, benedixit ei. Sicque completis Hostiis pro peccato, Holocaustis, & Pacificis descendit, & ecce IGNIS egressus à Domino, devoravit Holocaustum, & adipes, qui erant super Altare. Arreptisque* (45) *Nadab & Abiu filiis Aaron Thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressusque ignis à Domino, devoravit eos. Locutus est inde Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios ejus, qui erant residui: Tollite Sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento juxta Altare, quia Sanctum* D *Sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto, quod datum est tibi, & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi. Pectusculum quoque, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum; tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de Hostiis salutaribus filiorum Israël, eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cremantur in Altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus. Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum* (46) *reperit, iratusque contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait: Cur non comeditis Hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta Sanctorum est, & data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini, præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra Sancta, & comedere debueratis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? Respondit Aaron: Oblata est hodie Victima pro peccato, & Holocaustum coram Domino; mihi autem accidit, quod videt, quomodo potui* (47) *comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cum audisset Moyses, accepit satisfactionem.* Atque hæc quidem de singulis Sacrificiis in lege scripta sunt.

CAP. VIII.

Iterum de omnibus Sacrificiis.

NUnc vero res omnium obscurissima magis aperiatur, de iisdem iterum simul agemus, ac primum divisionem eorum ex Josepho afferemus, ex qua clare item differentia, quæ inter illa intercedebat, extabit; deinde multis ex Sacra Historia Sacrificiis proferendis rationem omnium dilucidius explicabimus. Sic igitur inquit Josephus: *Duo sunt Sacrificia, unum, quod à privatis; alterum, quod à populo celebratur, & quidem utrumque duobus modis: aut enim totum, quod immolatur, incenditur, & propterea nomen Holocautomatis habet; aut pro gratiarum actione persolvitur, & id epulas immolantium exhibetur. Ut privatus HOLOCAUSTUM faciens, immolat bovem, agnum, & hædum anniculum, boves etiam majores, & hæc omnia masculini generis Holocausta fiunt, his autem cæsis limbum Altaris sanguine imbuunt Sacerdotes; deinde purgantes ea membratim incidunt, & sparsa sale omnia super Altare imponunt lignis instructum, & subjecto igne accensum. Pedes autem cum jecore purgantes inter adipem unà cum aliis offerunt, pelles autem Sacerdotes accipiunt, atque hoc quidem Holocaustum est. Pro GRATIARUM vero actione Sacrificium facientes eadem animalia mactant, sed matura, & anniculis grandiora, ac mascula fœminis copulata, & hæc immolantes, fundunt sanguinem super aram, renes autem, & adipes, & omnem pinguedinem cum reticulis jecorum, & cum his caudam agni superponunt aræ. Pectora vero, & crura dextra Sacerdotibus præbent,*

(45) Hæc verba non sunt in capite octavo Levitici; sed decimum incipiunt, in quo divina animadversio refertur in duos filios Aaron natu majores Nadab, & Abiu. Hi enim in Altare Thymiamatis incensum Domino adolere vo- E lentes, acceperunt thuribula, ut super illis ignem deferrent, & non sumpserunt ex Altare Holocaustorum ignem sacrum; sed profanum, qui in exedris servabatur ad cibos Sacerdotum coquendos. Verum ab igne divinitus immisso, sive ex Altare, sive aliunde erumpente, fuerunt ambo suffocati, non in cinerem redacti: horumque calamitate Sacerdotes populusque perterriti intelligere potuit quanti sit rite atque ordine Sacris operari, veroque Deo servire.

(46) Ex hostiis pro peccato, ut supra dictum est, pars in esum Sacerdotum cedebat, sive essent pro peccato Principis, sive privati hominis, sive etiam pro peccato populi, dummodo in Sancta illatum Sanguis non deberet inferri. Quum ergo inter varias hostias hircus pro peccato Sacerdotum, & populi oblatus fuisset, ut dicitur præcedenti capite nono vers. 15. & 16., hoc loco Moyses sciscitatur, quid de illo factum esset, intelligitque totum esse combustum, nec carnes superesse, quibus Sacerdotes vesci ex Lege oportebat. Aaron enim ob duorum filiorum mortem dolore perculsus, non separaverat partes hirci, quæ ad illum filiosque spectabant; atque adeo cum reliqua victima igni fuerunt consumptæ.

(47) Hæc verba videntur indicare, Aaron non ex oblivione, sed data opera, omnem hircum pro peccato oblatum imposuisse igni Altaris, ut cremaretur, reputando se magno dolore correptum illo vesci non posse; vel etiam se Deum offendere, si mœrenti animo Sacrificii partem comedisset. Hinc fortasse opportunius censuit universum hircum comburere; quandoquidem Deus præceperat, ut quæ de aliquibus victimis reliqua essent, translacto quodam tempore, cremarentur.

A *bent, & duobus diebus reliquis carnibus epulantur; quæcunque vero remanserint, cremant. Eadem vero etiam ratione pro* PECCATIS *Hostia celebratur, qui vero Victimas majores non habent, offerunt columbas, aut turtures duas, quarum una est in Holocaustum Deo, altera Sacerdotibus datur ad cibum. Qui per ignorantiam peccat, agnum, & hædum fœminam eorundem annorum offert, & sanguinem fundit Sacerdos in aram, sed non sicut prius, verum angulorum tangit extremitates, & renes, altumque adipem cum reticulo jecoris super Altare imponunt: Sacerdotes autem tollunt & pelles, & carnes ea die consumendas in Templa; lex enim in crastinum non relinqui sinit. Qui vero peccat, sibique con-*B*scius est, sed neminem habet, qui ipsum possit arguere, arietem immolat lege præcipiente, cujus carnes in Templo Sacerdotes similiter comedent ea die. Principes autem peccantes sacrificando eadem offerunt, quæ privati; placant autem Deum offerendo ad Sacrificia taurum, & hædum masculos. Lex autem præcipit, in publicis & privatis Sacrificiis etiam* FARINAM *mundissimam adjici, in agno quidem assarii mensuram, in ariete vero duorum, in tauro trium, & hanc sanctificant super Altare oleo mixtam: nam & oleum offertur ab immolantibus; in bove hinc medietatem, in ariete autem hujus mensuræ tertiam partem, & quartam in agno. Hin autem mensura Hebræorum antiqua duos Chaos Atticos recipit, secundum quam mensuram, & vinum* C *offerunt.* Hæc Josephus: Ex quibus clare omnium Sacrificiorum, Holocausti, Pacificorum, & pro peccato, ratio perspici potest, & præcipue, ut omnibus Sacrificiis Libamina, idest, farina mundissima, sive simila, sint adjecta.

Nunc, ut idem confirmemus, varia etiam ex variis locis in unum Sacrificia conferemus. Josue VIII. *Et obtulit super Altare Holocausta Domino, immolavitque pacificas Victimas*, & XXII. *Ut Holocausta, & Sacrificium, & pacificas Victimas super eo Altari imponeremus.* Inde Judicum VI. *Gedeon coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes, carnesque ponens in canistro, & jus carnium mittens in ollam, tulit* D *omnia sub quercu, & obtulit Deo, cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes, & azymos panes, & pone supra petram illam, & jus desuper funde, cumque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos, ascenditque ignis de petra, & carnes, azymosque panes consumpsit.* Tum Regum primo: *Tulit Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum Holocaustum integrum Domino, & clamavit ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus.* Et decimo: *Ego descendam ad te, ut offeras oblationem, & immoles Victimas pacificas*, & XIII. *Afferte mihi Holocaustum, & Pacifica.* Item: *Dixi nunc descendent Philisthiim ad me in* E *Galgala, & faciem Domini non placavi, necessitate compulsus obtuli Holocaustum*, & VI. secundi: *Obtulit David Holocausta, & Pacifica coram Domino*, & tertio tertii: *Salomon obtulit Holocausta, & fecit Victimas pacificas*, & nono: *Offerebat Salomon ter quotannis Holocausta, & pacificas Victimas super Altare, quod ædificaverat Domino*, & quarti sextodecimo: *Immolavit Achaz Rex Holocausta, & Sacrificium suum, & libavit Libamina, & fudit sanguinem Pacificorum, quæ obtulerant super Altare.* Et paullo post: *Super Altare majus offer Holocaustum matutinum, & Sacrificium vespertinum, & Holocaustum Regis, & Sacrificium ejus, & Holocaustum universi populi terræ, & Sacrificium eorum, & Libamina eorum, & omnem sanguinem Holocausti, & universum sanguinem Victimæ super illud effunde*, & XXIX. secundi: *Accedite, & offerte Victimas, & laudes in domo Domini.* Græce *προσφέρετε θυσίας αἰνέσεως*, idest, offerte Sacrificia laudis, & sequenti: *Comede-*B*runt septem diebus solemnitatis immolantes Victimas Pacificorum, & laudantes Dominum Deum.* Verum multo illustrius eadem ex XXIX. secundi percipiuntur, ubi Holocaustum, & pro peccato per partes exponuntur: *Obtulerunt simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos pro peccato septem, pro Regno, pro Sanctuario, pro Juda; dixitque Rex Sacerdotibus filiis Aaron, ut offerrent super Altare Domini. Mactaverunt igitur tauros, & susceperunt* SANGUINEM *Sacerdotes, & fuderunt illum super Altare; mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super Altare fuderunt, immolaveruntque agnos, & fuderunt super Altare sanguinem, & applicuerunt hircos pro pec-*C*cato coram Rege, & universa multitudine, imposueruntque manus super eos, & immolaverunt eos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram Altari pro piaculo universi Israelis. Pro omni quippe Israël præceperat Rex ut Holocaustum fieret, & pro peccato*, & mox: *Obtulit universa multitudo Hostias, & Laudes, & Holocausta mente devota*, & post: *Fuerunt ergo Holocausta plurima, adipes Pacificorum, & Libamina Holocaustorum.* Demum sexto Esdræ: *Obtulerunt in dedicatione domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim*, & Maccabæorum quarto: *Obtulerunt Holocausta cum lætitia, & Sacrificium Salutaris, &* D *Laudis.* Atque hæc quidem in sacris Historiarum libris reperiuntur. Quin etiam Prophetæ eorundem Sacrificiorum meminere, ut David Psalmo XXXIX. *Sacrificium, & oblationem noluisti, Holocaustum, & pro peccato non postulasti*, & Ezechiel XLV. *Ipse faciet pro peccato Sacrificium, & Holocaustum, & Pacifica ad expiandum pro domo Israel*, & Proverbiorum VII. *Victimas pro salute devovi, vota hodie reddidi.*

Jam vero quoniam sæpe Sacrificium Justitiæ, & Laudis non proprie, sed translate usurpatum reperitur, idest, non pro cruenta immolatione, sed pro opere caritatis & pietatis, quod internum Sacrificium dicitur; id unde manaverit, exponendum. Hebræi cruentis Sa-E crificiis adeo studebant, ut ea sola curantes opera caritatis erga proximum, & pietatis erga Deum omitterent; quorum illud dicitur Justitiæ, hoc Laudis. Deus autem, ut eos corrigeret, atque officii sui admoneret, post sæpe testatus est, se (48) nolle Holocausta &

(48) Sacrificia carnali animo oblata, hoc est sine fide in Messiam venturum, sine conversione cordis, & detestatione peccatorum immolata, Deo ita erant molesta, ut sæpius per os Prophetarum ediceret, se non curare nec victimarum sanguinem, nec taurorum adipem, nec holocaustorum copiam, nec hostiarum delectum. Improbabat etiam maxime Judæorum fiduciam in sacrificiis ad obtinendam scelerum veniam inutilibus; nisi per fidem referrentur ad Christum, qui sua mortis virtute pios Judæos etiam redemit a culpis, quæ sub Veteri Testamento erant perpetratæ, pœnas pro illis debitas in ligno Crucis solvendo: *Et ideo*, ait Apostolus ad Hebræos IX. 15, *Novi Testamenti Mediator est* (scilicet quasi medius inter utrumque

& cetera Sacrificia Victimarum, sed Sacrificium Justitiæ, & Laudis, idest, ut caritas adhiberetur erga proximum, & pietas erga se, sibique potius animo gratiæ agerentur, quàm sanguine immolaretur. De Justitia scriptum est tertio Proverb. *Facere justitiam, & judicium magis placet Domino, quam Victimæ.* Significat enim placere magis Deo, ut custodiatur lex; cujus partes duæ sunt, Judicium, & Justitia, quam ut cruentum fiat Sacrificium, & Psalmo XXXIX. *Sacrificium, & oblationem noluisti, Holocaustum, & pro peccato non postulasti*, & quarto: *Facite Sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Item Oseæ: *Misericordiam volui, & non Sacrificium.* Rem autem ita habere etiam docuerunt, qui Evangelium tradiderunt. S. Jacobus primo: *Religio munda & immaculata est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* S. Marcus XII. *Diligere proximum, tanquam se ipsum, majus est omnibus Holocautomatis.* S. Paulus Hebr. XIII. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim Hostiis promeretur Deus.* De Laude vero Psalmo XLIX. cum enim negasset Deus, se Sacrificia Victimarum ab homine poscere, quia bobus non egeret, demum infertur: *Immola Deo Sacrificium Laudis*, idest, lauda Deum, & CXV. *Tibi sacrificabo Hostiam Laudis, & nomen tuum invocabo*, & CXVI. *Sacrificent Sacrificium Laudis.* Atque hoc ita esse, docuit S. Paulus eodem in loco, inquiens: *Offeramus Hostiam Laudis Deo, idest, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Sic enim dixerat Oseæ XIV. *Omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

CAP. IX.

De Confessionibus.

SAcrificiis porro (49) junctæ fuere Confessiones. Confessiones vero appellavere (50) Laudem, in qua in Sacrificiis Dei bonitatem, & misericordiam extulerunt, his ferme verbis: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Quibus vocibus etiam (51) modos Musicorum instrumentorum adje-

que Testamentum intercedit, hoc faciens ut pacta præstentur, & impleantur promissa) *ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Patriarchæ, Prophetæ, & quotquot ante Christum fideles fuerunt & justi, fidem habuerunt in Mediatorem promissum, semper quorumcumque salute pronecessariam: *Eadem fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos*, inquit S. Augustinus lib. II. de Nuptiis & Concup. c. 11., *quia sicut credimus Christum in carne venisse; sic illi venturum; sicut nos mortuum; sic illi moriturum.* Quapropter Christus Dominus non solum exultasse affirmat de Abrahamo, ut illum videret; sed etiam oculis fidei illum vidisse, apud S. Johannem VIII. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Imo non aliud regnum fidelibus Novi Testamenti fœderatum promisit, quam illud, in quo cum Abrahamo, ceterisque Veteris Legis Patriarchis accumberent, S. Matth. cap. VIII. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno Cœlorum:* Ut uno præmio fideles omnes efficiendos promitteos, illorum fidei unitatem ostenderet. Quoniam *non est*, ut dicitur Actorum IV. 12. *aliud sub Cœlo nomen datum hominibus, in quo oportaeat nos salvos fieri.*

(49) In Veteri Testamento duo Confessionum genera notantur: Confessio criminum, & Confessio Laudis. De Confessione Laudis Noster agit hoc capite: de Confessione criminum quædam jam dixi super capite secundo hujus libri; illam vero constat à Judæis peractam fuisse, tum Solenni Expiationis die, qua Summus Sacerdos peccata sua, Ministrorum Templi, & totius populi generali Confessione expiabat; tum etiam quotiescumque Sacrificium pro delicto offerebatur à Judæo, qui manu capiti victimæ imposita, crimina sua aperiebat, quibus veluti eam onerabat instar capri emissarii, de quo perspicue dicitur Levitici XVI. 21. *Et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum:* ut videlicet eò omnes iniquitates eorum hircus portaret.

(50) Ex radice ידה in Hiph. *projecit, confessus est, gratias egit*, derivat nomen תּוֹדָה, vel תּוֹדֹת *confessio, laus, gratiarum actio;* unde etiam Sacrificium Laudis significat, in quo offerens confitebatur se accepisse beneficia a Deo, ei gratias agebat, illiusque clementiam ac bonitatem laudabat. Rabbi vero David Kimchi de Sacrificio תּוֹדָה ita scribit: *Hoc Sacrificium תּוֹדָה offerebat homo pro omnibus peccatis suis, quum scilicet vellet ea confiteri, & redire in viam. Sunt tamen qui dicunt hoc genus Sacrificii usurpatum tum maxime, quum alicui signum factum, hoc est, singulare aliquod beneficium collatum; ideoque appellatum* תּוֹדָה, *quod is, cui factum erat signum, id confitebatur, & gratias agebat Deo.* LXX. vocem תּוֹדָה transtulerunt θυσίαν αἰνέσεως *Sacrificium laudis*, vel *laudationis*.

(51) Tanta est Musicæ Artis antiquitas, ut ante Diluvium Musici, & Musica instrumenta nota fuerint. Jubal enim Lamechi, & Adæ filius Musicæ fuit inventor: nam Geneseos IV. 21. Jubal dicitur Pater canentium *cithara, & organo:* Hebraice כנור ועגב. Præterea si Vetus Testamentum perlustramus, Hebræos in studio Musices nulli Gentium cessisse satis constabit. Labanus prosequutus Jacob, qui clam aufugerat, quum in montibus Galaad eum tenuisset, legitur hisce verbis illum objurgavisse: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut persequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Geneseos XXXI. 27. Post egressum de Ægypto Moyses Domino gratias acturus de prodigiosa transfretatione Erythræi, nobile illud omniumque antiquissimum canticum digessit, ecinitque in virorum Israelitarum frequentia, אשירה ליהוה כי גאה גאה סוס ורכבו רמה בים׃. Quod initium celeberrimi Cantici ita vertit Vulgatus Interpres: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in mare.* Et pressius reddendo Hebraicum idiotismum: *Cantabo Domino, quia magnificando magnificatus est; equum, & ascensorem ejus projecit in mare.* Interim Maria Moysis soror tympanum pulsans, idemque canticum psallens cum filiabus Israel melode omnia complevit. Exodi XV. Itinere per desertum pene absoluto Moyses jussit tubas conflari, quibus soli Sacerdotes canentes, primò Sacrificiorum solennium pompam augerent: secundò exordium anni tum Jubilei, tum Sabbathici, omniumque mensium initia annunciarent: tertiò in bellis pugnandi alacritatem crearent militibus, essetque illarum sonitus veluti signum præsentis opis divinæ, ut in oppugnatione Jerichuntis, & alibi sæpe palam fuit. Enimvero ætate Davidis maximus splendor & majestas divino cultui accessit,

adjecerunt, ut (52) Psalteriorum, Cithararum, Cymbalorum, Tubarum, & Organorum. Hæc vero maxime instituto Davidis Regis. Quarum laudum hæc testimonia habemus. Primo Paralip. XXIII. in Holocausto faciendo tempore Davidis: *Levitæ stent mane ad confitendum, & canendum Domino: similiterque ad vesperam tam in oblatione Holocaustorum Domini, quam in Sabbathis, & Calendis, & Solemnitatibus reliquis*, & quinto secundi: *Levitæ Cantores Cymbalis, & Psalteriis, & Citharis concrepabant, & cum iis Sacerdotes centum viginti canentes Tubis. Igitur cunctis pariter & Tubis, & voce, & Cymbalis, & Organis, & diversi generis Musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, & XXIX. *Cumque afferentur Holocausta, cœperunt Laudes canere Domino, ac clangere Tubis, atque in diversis Organis, quæ David Rex Israel præparaverat, concrepare; omni autem Turba adorante, Cantores, & ii, qui tenebant Tubas, erant in officio suo, donec compleretur Holocaustum*, & XXXI. *Constituit Ezechias Rex turmas Sacerdotales, & Leviticas, ad Holocausta, & Pacifica, ut ministrarent, & confiterentur, & canerent in portis castrorum Domini*, & Esdræ tertio: *Fundato à cæmentariis Templo Domini steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum Tubis, & Levitæ filii Asaph in Cymbalis, ut laudarent Deum per manus David Regis Israel; & concinebant in Hymnis, & Confessione Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Hinc illa sunt in Psalmo CI. *Confessio, & magnificentia opus ejus*, & XVI. primi Paralip. *Confessio, & magnificentia coram Deo*, & Ecclesiastici XXXIX. *Benedicite Domino in operibus suis, date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum*, & Esdræ IX. *Et nunc date confessionem, & magnificentiam Domino Deo patrum nostrorum*. Videtur enim fuisse magnificentia idem, quod magnificatio, idest, excellens, & magnifica quædam laudatio, & amplius aliquid, quàm confessio, & laus, quæ à Græco interprete ἐμεγάλυνε, & αἶνος dicuntur, unde illud: *Magnificat anima mea Dominum*. De Confessionibus vero post iterum agetur, nbi disputabitur de Cantoribus.

fit: nam Regius Propheta Musicæ non ignarus, & instrumenta tractans peritissime, hanc in usum Tabernaculi magnificentius invexit. In Templo a Salomone constructo frequens semper adfuit Cantorum numerus; & licet tempore captivitatis Babylon. intermissus est Musicæ usus: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Eâ tamen solutâ in secundo Templo fuit restitutus, qui tum demum cessavit, quum universa Judæorum Respublica a Romanorum copiis fuit deleta.

(52) Reduci possunt ad tres veluti classes universa Musicæ instrumenta, quibus legimus Sacerdotes, Levitasque cecinisse; videlicet in instrumenta Ψηλαφητά, Πνευματικά, καὶ Κρουστικά, *Fidicularia, Pneumatica, & Crepitantia*. De quo argumento ad harmonicam eruditionem spectante, perobscuro si quiddam aliud in sacro Eloquio, quum perspicue supra ceteros scripserit Eruditissimus Pater Calmet in Dissertatione in Musica instrumenta Hebræorum; putavi, benevolo Lectori, gratum futurum, si ad calcem hujus capitis nona partem illius Dissertationis subjicerem, in qua tres classes instrumentorum explicentur.

FIDICULARIA INSTRUMENTA

EX CLARISSIMO PATRE

D. AUGUSTINO CALMET.

NAblum, *sive* Nabel *instrumentum est ligneum, quod plerumque in Scriptura jungitur* Kinnor, *tympano, &* Mezilothaim. *Ejus usus in pompis & cæremoniis Religionis. Ex tribus Psalmorum locis harmoniam fecisse plerumque apparet cum* Asur, *sive instrumento decacordo; & unum idemque reputari potuissent* Nebel *&* Asur, *nisi in Psal. 91. diserte distinguerentur*: In Psalterio decacordo: (In Asur & Nebel). *Hæc in Scriptura de* Nebel, *quam vocem Septuaginta sæpius reddunt* Psalteron, *raro* Naulum, *sive* Nablum.

Porro Nablum *Veterum instrumentum erat fidiculare, teste Sopatro apud Athenæum, dictum etiam* Sidonium, *quod Phœnicium inventum crederetur. Constitisse tradit Author ille ex cavo quodam ligno, ad latera, & è regione tensarum cordarum defixo, quo harmonicus quidam sonus reddebatur*. Nablum *fidiculare esse instrumentum, sicut cytharam, Eusebius in Psal. 80. est Author. Utraque manu pulsari tradit Ovidius de Arte lib. 3.*

Disce etiam duplici genialia Nabilia palmâ
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis.

Tandem Septuaginta reddere amant hanc vocem Psalterion, *quo nomine fidiculare instrumentum in lyræ modum intelligimus. Psalterium, ait S. Hieronymus, Cassiodorus, & S. Isidorus, delta Græcorum exprimens, cavum habet in superioribus ventrem; fides ex inferioribus ad superiora protensæ, inferius pulsatæ superius resonant: cum cytharam in superioribus pulsari, in inferioribus resonare notum sit. Ita S. Augustinus, S. Basilius in Ps. 1. S. Hieronymus in Psi. 149. & 150. S. Hieronymus Prol. in Psi. Cassiodorus Præf. in Psi. & S. Hilarius Prol. in Psi. Plectro pulsari Psalterium tradit Cassiodorus, quod testimonio supra ex Ovidio laudato de Nablo utraque manu pulsato nihil repugnat; cum ejus generis instrumenta, sive penno, sive virgula, sive digitis æqui plecterentur.*

Nablum Templi Jerosolymitani ex electro, *metallo, si quod aliud, preciosissimo conflatum narrat Josephus. Potuit id quidem ejus ætate; ceterum à Salomone in usum Templi fabricatum Nablum ex ligno* Almugim, *testimonio Regum, & Paralipomenon, docemur. Idem Josephus Antiq. l. 7. c. 10. pag. 243. duodecim fidibus instructum idem instrumentum digitis pulsari testatur. Psalterium plurimis fidibus instructum Græci modula-*

dulabantur; cujus generis instrumentum fidibus numerosissimum, ut nobilissimum inventionis suæ monumentum staret, Alexander Cytheræus in Temple Ephesino dedicavit, teste Juba apud Athenæum lib. 4. cap. 25. Meminit idem Athenæus ibid. alterius Psalterii, cui nomen Lyrophœnix, sive Epigonicum è nomine Inventoris, quod deinde instrumentum transmutatum fuit in Psalterium rectum, apud Varronem Orthopsallicum, quod facile ex inferioribus ad superiora ascendendo, ut vetus Nebel, pulsaretur.

Nostræ ætatis Psalterium plectro pulsatur, nempe virgula quadam ferrea, seu recurvo quodam ligno. Instrumentum est planum, figuram exhibens trianguli, sive trapezzii. Instruitur 13. ordinibus fidium è ferro, sive auricalcho, ad unisonum, sive ad octavam tensis, & fulcro ad duo instrumenti latera commissis, ut proinde fides ad utrumque latus protendantur. Quare aliud plane est instrumentum à veteri Psalterio, cujus fides è superioribus ad inferiora tendebantur.

Cythara vetus, cujus sæpe in Scriptura mentio, apud Danielem Kitros, ita pluribus referentibus Patribus depingitur. Instrumentum erat triangulare, fidibus ex superioribus ad inferiora tensis, ventre cavo inferius reboantéque instructum; in superioribus manu, sive plectro, uti supra innuimus, tangebatur. Instrumentum decacordum Hebræorum, quod illi vernaculo sermone Asur, i. e. decimus, appellabant, idem fuisse credimus cum veteri cythara. Ejus imago plures fides exhibet, harpæ nostrati, recentiori plane instrumento, non absimiles. Pseudo-Hieronymus in Ps. sex fidibus instructam cytharam perhibet; 24. tribuit Author Epistolæ ad Dardanum, inter Opera ejusdem Patris, & digitis pulsari instrumentum illud testatur. Profecto fidium numerus nunquam satis certus constitutus est, & digitis interdum, quemadmodum & plectro quodam, sæpe pulsabatur.

Kinnor redditur à Septuaginta Kynir, Psalterion, & Cythara. Ejus usus jam inde ante diluvium; eodemque coram Saule Davidem lusisse legimus 1. Reg. 16. 16. 23. Ligneum erat instrumentum, quemadmodum & Nebel, de quo supra. Kinnor salicibus in ripa Jordanis suspendisse sese captivi Babyloniæ profitentur Ps. 136. 2. Eo fœminæ utebantur, & vulgatissimum erat apud Tyrios instrumentum; quemadmodum & peculiare octavæ classis Musicorum in Tabernaculo sub Davide. Tristem & reboantem sonum edidisse Isaias significare visus est illis verbis 16. 11. Venter meus quasi Cythara (Hebr. Kinnor) sonabit. Et Kinnyros in Græco triste aliquid & lamentabile sonare Hesychius testatur. Horatius lib. 3. Od. 11.

Non loquax olim, neque grata: nunc &
Divitum mensis, & amica Templis.

Cynnaram Templi decacordum fuisse, & plectro pulsari Josephus Antiq. l. 7. cap. 10. pag. 243. est Author. Alibi vero nempe lib. 8. cap. 2. narrat, ex Electro quamplurima ejus generis instrumenta Salomonem comparasse; quod Scripturæ testimonio repugnat, ubi legimus Cynnaras Salomonis ex ligno non metallo constetisse. Porro duo esse plane diversa instrumenta Cynnaram, & Cytharam ex eo intelligimus, quod 1. Macchab. 4. 54. & 13. 51. ambo illa eodem in loco recenseantur.

Sed operæ pretium est hic adnotare cum Euphorione apud Athenæum lib. 14. cap. 4. vetera fidibus ditissima instrumenta confundi sæpe, soloque nomine non raro distingui. Cum enim longa jam obtinuerint ætate, accidit non raro, ut variis immutata varias etiam denominationes obtinuerint; quamvis re quidem eadem semper, & parum diversa manserint. Ita si quando apud aliquot tribus fidibus instructa legimus, apud alios septem, 10. 12. 24. si ab aliquibus pulsari digitis perhibeantur, ab aliis plectro; si quidam describunt chordis è superiori ad inferiora protensis, alii vero per transversum, & in plano; non continuo tamen plura inter se diversa instrumenta reputanda sunt; quanquam alioqui, cum adeo inter se varient, diversum etiam nomen obtinere debuerint. Accidit non raro, ut sæpe vel uno generali nomine plura inter se non dissimilia significentur, sicut & peculiari singula designentur. Conferat, si quis vult, vetera monumenta, & varias discet Lyræ vel Cytharæ Veterum picturas, varia etiam nomina deprehendet. Scimus profecto, Sepuaginta Hebræorum Kinnor reddidisse Cynyram, Cytharan, Psalterion, idemque instrumentum apud Græcos æque appellatum constat Kinnyram, Lyram, Formingem, Cytharam, Chelym, Pectinem, Barbiton; quibus nominibus Romani addiderunt Testudinem. Idem ipsum instrumentum Gallice exprimere solemus: Lira vetus.

Inventæ Lyræ honor tribuitur Mercurio, sive Apollini, sive Orpheo. Vel fortè dicatam à Mercurio Lyram suam Apollini, ejus Numini consecrari, eique deinde vindicari contigit. Primo tribus fidibus instructa, deinde septem: interdum plectro, sæpe digito pulsabatur.

Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulsas.

Vetus Lyra Mercurii inventum, è squamma testudinis constabat. Mercurius enim super inventam fortè testam hujusmodi subtilem aliquam pellem extendit; adjecit deinde duo porrecta ad utramque extremitatem brachia, superius transverso aliquo ligno instar furcæ conjuncta. Supra pellem jacebat arundo in duas partes scissa, cui septem fides è superioribus ad inferiora protensæ commendabantur. Hæc vetus Chelys, sive Lyra Mercurii, inter astra deinde in Cælo collocata, à testudinis figura non absimilis. Ex informi hoc rudique instrumento Lyram descendisse ferunt, quam expressam cernimus in manibus Apollinis, Herculis, Arionis, &c. in marmoribus & nummis antiquis. Duplici frustulo instar duplicis SS in superioribus & inferioribus junctis constat. Porro superiora non nisi lignum exhibent; inferioribus cavum refert ventrem reboantem. Quare ejus forma scarabæo non absimilis statueretur, cujus cornua referunt utraque instrumenti latera, manubrium, cui junctæ fides, sustmentia; corpus scarabæi ipse est cavus instrumenti venter. Nullus est ejus nostra ætate usus.

Pulsabatur sive plectro, sive digitis fides vellicantibus. Apollini Cytharâ ludenti plectrum tribuit Homerus. Hercules eo instrumento canendi artem sub Lino præceptore discens, plectri ictu magistrum suum transfodisse fertur. In vetustis marmoribus idem Apollo Lyram vellicans, quemadmodum nos harpam, exhibetur interdum, sæpe vero plectrum tenens. Lyra primum tribus fidibus constabat, deinde quatuor, tandem septem. Timotheus Lacedæmonem veniens, 600. circiter annis ante Christum natum, tres adjecit, quod piaculare vire fuit; decreta est enim in illum multa ab Ephoris, seu Magistratibus Spartanis, coactusque tres illas subducere in plena populi concione; neque id satis, sed suspensâ in loco pu-

Hoc lyra Timotheum Spartá exulare publico decreto sancitum est. Hæc decreti verba animadversione digna: Cum Timotheus Melesius in Urbem nostram veniens, contra veterem canendi musicis instrumentis consuetudinem, receptumque Lyræ septicordis morem, majori fidium invecto numero novitate hac sua juvenum aures corruperit, formam & naturam musicæ immutaverit, ex simplici & gravi variam nimis & intercisam reddens; cum insuper accusetur de sparsa perniciosa quadam doctrina in Ludis Cereis Eleusinæ, ac de exhibito indecore coram adolescentulis Semelis, dum eniteretur, angore; visum est Regi Ephorisque, ut Timotheus abscindere cæteras, septem tantummodo relictis in Lyra fidibus damnetur, ut animadversionis hujus exemplo discant juvenes, ne pravum aliquem morem Lacedæmonem invehant, ac suus maneat Ludis honor.

Paria statuerunt in Terpandrum, & Phrynidem instrumentis Cantores; quare Lacedæmones semel, iterum & tertia servatam à se musicam gloriabantur. Ea populi severitas, & veteris consuetudinis servandæ studium. Pindaro non nisi septicorde instrumentum est, sicut & Horatio lib. 3. Od. 11.

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis.

Octavam addidisse Simonides fertur, sicut & Timotheus tenuem. Ceterum non ignaratione quidem & ruditate Veteres illi plures addere fides instrumentis renuebant; delicato enim aurium sensu mentisque gustu præstantes viri, norant id maxime ad harmoniam contulisse, ait Plutarchus de musica; sed musicæ genus robustum & grave amabant, aptum in veritatem, & Religionem amorem & obsequium inspirando.

Hæc maxime de musica Græcorum dicta accipienda sunt; quod enim ad Hebræos attinet, musica illorum instrumenta sub Davide & Salomone, ceterisque post ipsum Regibus perfectionem suam in dies obtinuisse, neque utilia in eam rem inventa apud alias gentes abstinentia neglecta ab illis fuisse constat.

In veteribus nummis ad ætatem Simonis Summi Sacerdotis spectantibus, cusa spectabatur Lyra vetus, ejusdem formæ ac instrumentum in Apollinis manu expressum. Sed certum fidium numerum in iis distinguere vix possumus. Ex Lyra veteri, sive Kinnor, *accepto referenda sunt fidicularia fere omnia instrumenta nobis non incognita, sive quæ digitis, sive quæ plectra pulsantur, sive quæ fidibus in transversum tensis, sive quæ ex superioribus ad inferiora extensis constant, uti* Luth, *instrumenti genus, cavum habens ventrem, cui singulare manubrium jungitur, unde ex recurva extremitate fides demittuntur, clavículis in ea infixis intendendæ ad arbitrium & remittendæ. Fortunatianus Lyram tribuit Romanis, Barbaris Harpam, postremum hoc instrumentum barbarum esse inventum insinuans.*

Romanusq; lyrâ plaudat tibi, Barbarus harpâ.

Instrumenta illa, quæ vocant violon, vielle, la basse viole, *ex eadem origine derivantur. Variæ etiam Lyræ apud Turcas nostra ætate noscuntur, octo fidibus ut maxime instructæ; aliæ septem; omnium minimæ tribus. Porro trium fidium instrumenta simplicissima sunt, cum unica manubrio duobus cubitis oblongo constent; eorum figuram non male compares cochleari, manubrio longiori, quadrata, ampliori. Porro ea instrumenta canentes sive digito, sive pluma fides vellicant. Cavus instrumenti resonans venter pelle piscis, quem* Glanion *recentiores Græci appellant, obducitur. Cythara Gallicè* Guitarre, *sicut & Luth ex Hispania à Mauris, sive Arabibus originem referunt. Illa quatuor olim fidibus constabat, hodie ad decem creverunt: nominis etymon facile è Cythara derivatur.*

Symphonia *musici instrumenti nomen est, quod nuspiam in Textu Hebræo, sed tantum in Chaldæo Danielis cap. 3. 15. legitur. Designare Lyram illam, quam* Vielle, *ferunt, quod sane instrumentum minimi nostra ætate æstimatur. S. Isidorus Orig. l. 3. cap. 31. interpretatur vocem illam tympanum quoddam, quod utroque latere pulsatum, sonum edebat gravem, & acutum, gratam auribus harmoniam referens. Verum cum nomen* Symphonia *apud Danielem è Græco derivetur, non aliunde ejus significationem repetendam credimus. Est autem* Symphonia *apud Græcos plurium vocum, sive instrumentorum concentus, vel saltem unum instrumentum plures reddens tonos, cujus generis sunt omnia pluribus fidium ordinibus instructa, uti* la Vielle, *de qua supra.*

Sambuca *legitur apud Danielem, & ad instrumenta fidicularia referenda, quanquam alioquì S. Isidorus Orig. l. 3. nomen illud deducat ex* Sambuco, *quo ligni genere instrumentum fabricari arbitratur. Athenæus, Vitruvius l. 6. c. 1., & Festus fidiculare instrumentum describunt, acutum sonans, & quatuor fidibus armatum. A fœminis potissimum pulsabatur. Inventum illud S. Clemens Alexandrinus Troglodytis vindicat; Juba Phœnicibus; Neanthus Cyzicenus Ibico cuidam Rhegiensi; alii Sambuco. Quantum ex Athenæo colligimus, idem esse creditur instrumentum cum* Magadi, Pecti, & Trigono, *quæ fidicularia sunt instrumenta, figuræ non satis cognitæ, sed facile non abludentis à Psalterio nostræ ætatis, quanquam minori fidium numero. Est etiam* Sambuca *genus bellicæ machinæ in obsidionibus Urbium, & navalibus præliis adhibendæ: sed hæc nostri non sunt instituti.*

Minnim, *sive* Maanaim *genus tibiæ sunt aliquibus; re tamen potius instrumenta sunt fidicularia, de quibus infra, cum de tibiis agemus, sermo recurret.*

PNEUMATICA INSTRUMENTA.

Tubæ.

MOdo ad varia Tubarum, & Tibiarum genera sermo vertendus. Id generis Organa uno generali nomine Hebræi designant, appellantes Scophar. *Eorum duo erant apud illos genera; hæc nuncupabantur* Chazozeroth; *illa* Cornua; *quod scilicet materiam, & formam ex cornibus referrent. Moyses sermonem habens de sono illo, instar tonitru, quo adventus Domini in Sinai ad ferendam Legem descendentis signum datum est, scribit, auditum clangorem* Scophar, *sive buccinæ sensim in majus crescentem. Eodem nomine designat instrumentum, quo signum edebatur ineuntis anni remissionis, seu Jubilæi, i. e. anni quinquagesimi. Porro* Scophar *in publicis cæremoniis ludere Sacerdotibus tantum reservabatur. In castris ad Jericho septem* Scophar *clangebant, iisdemque insonantibus mœnia Urbis corruerunt.*

Vulgare fuisse in ea regione instrumenti genus ideo credimus, quod Gedeon 300. Viris selectis-

cissimis ad inferendum Madianitis prælium assumptis suum singulis assignavit. Scophar *ad cogendos milites incitandos in hostes, & receptum indicandum, canere ad Imperatorem spectabat. Ita cecinisse leguntur Aod, Saul, Joab. Cum Salomon, & Jehu Regnum inirent, Regis solio clangentibus* Scophar *primo assederunt. Nihil tandem eo frequentius in Scriptura sive cum de præliis agitur, cœtibusque publicis, sive cum de Festis, sive in Templo, sive in fœdere. De ejus tamen forma & materia nihil.*

Tubas illas, quas Moyses in deserto conflandas curavit, Chazozeroth *appellat Scriptura Num. 10. v. 8. 9. 10. Duo erant è solido argento, totidem ex ære. Earum usus in cogendo ad concionem jussu Domini populo, in bellis, diebus, quibus solemnis aliqua cæremonia præstanda, uti diebus Neomeniæ, & cum publicum aliquod & solemne Sacrificium offerendum erat. Porro frequentissime eo Organo usos Hebræos, maxime in Templo, ex Scriptura constat. Sive rectæ erant Tubæ illæ, sive recurvæ; nihil tamen de illis in Scriptura: & quæ apud alias gentes obtinebant Tubæ, ab Authoribus descriptæ, neque satis hisce, de quibus agimus, affines sunt, neque satis inter se uniformes habentur. Crediderim ego,* Chazozeroth *oblongas fuisse rectasque, quæ à cornibus recurvis plane distinguerentur.*

Sermo est apud Rabbinos de Jobel, *nempe juxta quod illi interpretantur,* cornu arietis. *Sed hanc eorum interpretationem refutavimus in Levit. 25. 10. Annus* Jobel *significat annum remissionis, quod scilicet avitæ possessiones Dominis suis remitterentur, servi item manumitterentur.*

Varia Tibiarum Genera.

V*Ariæ apud Hebræos obtinuerunt tibiæ, quarum aliæ simplices, aliæ compositæ: illas appellant Chalil, veluti si dicerent perforatas, vel saltatrices; radix enim* Chalil *æque sonat perforare, & saltare. Legitur enim in Hebræo,* Machalath, *quod reddi solet* chorus, *& designasse creditur interdum tibiam utricularem, Gallice* corne-muse. *Nullus tamen in Scriptura textus, in quo ea vox recurrat, non commode de choro puellarum cantantium, sive saltantium usurparetur. Notissimæ siquidem erant apud Hebræos & in cæremoniis etiam Religionis, ac facile etiam in Templo saltatione istæ mulierculårum. Levitas & Israilitas simul omnes invitat Psalmista ad cantandas laudes Domini in Templo in* tympano, *&* choro. *Vide Psal. 149. 3. & 150. 4.*

Masrokite *apud Danielem 3. 5. aliud est tibiæ nomen, derivatum ex radice sonante, sibilare. Idem facile est cum instrumenta musica Græcorum* Syrigmon *ex* syrizein *sibilare, sive tibiâ ludere. Salmasius in Solinum observat, antiquas illas tibias non nisi uno, vel duplici foramine instructas fuisse; unde duplici instrumento plerumque ludebant Veteres, alterum nempe dextra, aliud sinistro oris lateri admoventes. Tibia dextera uno foramine instructa grave sonabat, sinistra duplici, magis acutum. Porro disparibus hisce instrumentis canentes,* ludere tibiis imparibus *dicebantur; sicut vicissim* paribus, *qui ambas tibias vel unico foramine, vel duplici instructas ori admoverent. Porro cum utrique unicum esset foramen, sonus ille* modus Doricus, *gravier plane & severus, dicebatur; cum duplex,* modus Phrygius. *Contraria quam Salmasio sententia Vossio sedet; arbitratur enim, tibiae illas, quæ junctim ori admovebantur tribus, vel quatuor foraminibus instructas fuisse; sed cum longitudine quidem æquales, altera tamen alterâ crassior esset, quæque minor graviorem ederet sonum, quæ major tenuiorem, inde diversorum nominum inducta varietas. Paradoxa quidem ista videntur; sed non inepte demonstranda suscipit idem Vossius in suo libro* de Poëmatum cantu, & viribus rythmi *pag. 108. &c. Porro tibias dextrum oris latus tenentes tenuiores fuisse, idem Author ex Plinio l. 16. c. 36., & Theophrasto de Plantis, l. 4. demonstrat; ex quo sibi inferendum arbitratur, tibias dextras graviorem edidisse sonum, quam sinistras.*

Huggab *reddi solet in Vulgata,* Organum. *Septuaginta variant; modo enim vertunt* Cythara, *vel* Psalmus; *modo* Organum; *quam posteriorem lectionem Interpretes fere omnes sequuntur. Sed non ita reputandum, quasi nostræ ætatis organa designata sint. Instrumentum enim erat pluribus fistulis simul glutine quodam hærentibus constans, quæ singulæ ordine ludentium ori applicatæ sonum edebant, quemadmodum Vagi quidam per compita Urbium discurrentes nostra ætate ludere instrumento solent. Porro* Huggab *jam inde ante diluvium obtinuisse Moyses Gen. 4. 21. testatur. Ejusdem instrumenti bis meminit Job, & semel in ultimo Psalmo recurrit. Nihil ultra in Scriptura. Vox illa ex radice derivatur sonante,* Deperire; *unde etiam Græcum* Agapan, *amare.*

Variant Prophani in assignando Organorum Authore; alii enim Deum Pana arbitrantur.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit . . . .

Alii Marsiam; Pindarus Minervam protulisse visus est. Sed hæc opinionum varietas ad ignorantiam veræ historiæ, & vetustatis hujus instrumenti referenda est, quod Græci ex Orientalibus retulerunt.

Fistulæ Organi cerâ conjungebantur, longitudine quidem impares, pares vero crassitudine. Labro per singulas discurrente sonum edebant.

Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Solent Organa illa in manibus Satyrorum expressa in vetustis marmoribus spectari. Pastores collo appensa plerumque ferebant. Virgilius de Polyphemo Æneid. 3.

Solamenque mali de collo fistula pendet.

Plerumque septem calamis constabat.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula . . .

In vetustis tamen marmoribus ad decem etiam juncta spectantur; & Pastor quidam apud Theocritum habere se dicit syringem novem foraminum. Ferunt, apud Turcas modo etiam obtinere Organa 14. & 15. fistulis compacta, quæ illi vernaculo sermone Muscal, *Græci vero* Muscagli *appellant. In fistulis olim nulla patebant foramina, ut tota soni varietas ex fistulis disparibus proveniret; adjecta dein varia. Acutum stridere organorum calamos ex Horatio lib. 1. Od. 12. intelligimus.*

Quem virum aut heroa, lyrâ vel acri
Tibiâ sumes celebrare Clio?

Primo ex arundine constabant, in quam rem maxime celebrantur arundines Lacûs Orchomenii in Græcia; dein substituta metalla, quod scilicet arundines tonorum minus tenaces, sollicitum semper Musicum exigerent. Tandem cum tibia pluribus foraminibus instructa idem & minori negotio ac organa præstare intelligeretur, fistularum varietas tibiæ cessit. E tibiis vero hisce originem suam debent organa, quæ maximum sunt, & præ omnibus harmonicum è musicis instrumentis, cujus fere omnis usus Ecclesiæ reservatus est.

Porro Organorum vetustior est quam ut vulgo credatur, origo. Ejus inventi honor tribui solet Ctesibio inclyto Alexandriæ Mathematico sub Ptolomæo Physcone 120. annis circiter ante Christum natum. Tertullianus ad Archimedem, virum illum omnium sermone celebrem, refert. Totam machinam exacte describunt Hero, & Vitruvius; quamquam apud illos, sicut & ceteros, sermo sit tantum de organis Hydraulicis aliis plane à nostris, quæ non aquâ, sed vento inflantur. Lucretius ita de Organo agit, quasi ætate sua primum obtinere cœpisset. In dies, inquit ille, artes perficiuntur:

Modo organici melicos peperere sonore;

Sed falli virum ex supra deductis sat constat.

Diei partem reliquam Nero per organa Hydraulica novi ignotique operis circunduxit, *ait Suetonius in Nerone. Ejusdem instrumenti non meminit tantum, sed etiam prolixam ejus descriptionem adornat Porphyrius in Panegyri Constantini; sed non nisi de Organis Hydraulicis sermonem esse apud illum constat.*

Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors
Hinc, atque hinc animæque agitant.

Julianus Imperator Epigramma in laudem Organi scripsit. Eandem machinam describit Claudianus, veluti artificio & sono ingenti.

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis modulatur ahenæ;
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes, in carmina concitat undas.

Sponius vidisse se Constantinopoli anaglypticum quoddam opus asserit, exhibens hydraulicum quoddam velut Organum supra columnam, cui figura quædam Imperatoris Theodosii imposita spectabatur.

Organa hæc hydraulica, quorum fistulæ vento à lapsu & pondere aquæ producto inflabantur, tamdiu obtinuerunt, quamdiu Romanorum Imperium in Italia mansit. Pereuntibus enim tunc optimis quibusque artibus, Barbaris universum late Imperium, totamque Europam vastantibus simul & inundantibus, nihil de pristina gloria relictum est. Illis restituendis laboratum est aliquando, sed frustra; quare Organa follibus inflanda, qualia hodie in nostris Ecclesiis, retinere necessitas jussit. Nulla, præter hæc, norat Sanctus Augustinus in Ps. 56. & 150. Non solum illud Organum dicitur, quod grande est, & inflatur follibus &c. *Cassiodorus in Ps. 150. Organum instar turris magnam fistularum varietatem, & copiam referentem describit;* quibus, ait, flatu follium vox copiosissima destinatur &c. *S. Hieronymus meminit cujusdam Organi duodecim follium, ligulam habentium è duplicato Elephantum corio. Huic machinæ 15. erant fistulæ æreæ ingentemque late sonum ad mille passus edebat. Fama est, delata primum Organa in Gallias anno 757., & oblata eodem anno Pipino tunc temporis Compendii versanti. A. 816. jussu Ludovici Pii Imperatoris fabricatum est Organum hydraulicum Aquisgrani. Sed hæc alia plaus sunt instrumenta ab* Huggab *Scripturæ.*

Porro vox ista à Chaldæo redditur abuba, *quod confunditur cum* ambubaja *apud Horatium, & Suetonium. Erant autem* ambubajæ *tibiarum quoddam, sive Organorum genus è Syria deductum; unde etiam nomen in Viros ejus ludendi instrumenti peritos derivabatur.*

Minnim, & Mnanaim *duo sunt varia instrumenta incertæ significationis, ab aliis inter fidicularia, ab aliis inter pneumatica relata. Primum occurrit in Ps. 150. 4. alterum 2. Reg. 6. 5. Septuaginta, & Vulgata cum Interpretum plerisque reddunt* Minnim *fides, idemque significare sentiunt Chaldæum* Hardeblio. *Versio Tigurina & Junius reddunt,* Organa. *Malunt alii designari ea voce quodcumque fidiculare, alii vero statuunt quodcumque tandem pneumaticum instrumentum.* Mnanaim *redditur à S. Hieronymo* sistra, *à Septuaginta* cymbala.

Crediderim ego, ambo hæc nomina idem significare, confundenda vero cum Magadi *Græcorum, vel si mavis Syrorum, ex quibus in Græcia innotuerunt. Congruunt enim inter se ista duo nomina; & si* hain *veluti* g *pronuncietur, quod sæpe Hebræi consueverunt, dicunt enim* Gaza *&* Segor, *pro* Haza *&* Sehor, *pro* Mnanaim *erit* Mingaoim. *Ex* Minganim *facile reddetur* Magadis, *vel* Miogadis. *Est autem* Magadis *instrumentum tota antiquitate celebratissimum, cujus duo fuisse genera videntur, alterum nempe tibiam referens, alterum instrumentum aliquod fidiculare.*

Primum, juxta Athenæum, acutum, & gravem sonum reddebat, alteri Anacreon. 20. fides tribuisse visus est. Ex Magadi expressam refert Euphorianus sero tandem sambucam, quæ tamen jam inde ab ætate Nabuchodonosoris in Chaldæa obtinebat. Magadim, & pectinem idem esse contendit Menæchmus; & utrumque instrumentum plectro pulsari tradit Aristoxenes. In eo tantum ambo illa variare observat Phillis Delius, quod pectine jambica tantum carmina cantarentur; Magadis vero omnibus tonis, & symphoniis quadraret. Instrumentum illud, cui fides Timotheus adjecit, Magadim fuisse Artemon arbitratur. Quinque fidibus instructum perhibet Telestus, tangique digitis ab uno ad alteram extremitatem decurrentibus, testatur. Utroque latere pulsari, adeoque & fides habere è superioribus ad inferiora protensas, Diogenes Tragicus insinuat, quod etiam ex Apollodoro confirmatur, asserente instrumentum illud à veteri Psalterio non abludere. Hæc omnia apud Athenæum l. 14. c. 9. p. 63. leges. Unde sententia illorum facile conciliatur, qui vocem Mionim *reddunt fides; & eorum pariter, qui* Mnanaim *cum Magadi confundunt; utrunque enim fidiculare est instrumentum. Quanquam tanta ista non sunt, ut certum aliquod judicium ferendum suadeant de forma hujus musici instrumenti.*

Tympanorum, Cymbalorum, & Sistrorum &c. varia genera.

T*Ympana æquè omnia uno generali nomine apud Hebræos* Tuph *appellantur; unde Græ-*

Græcum, & Latinum Tympanum. *Vetustissimum esse instrumentum verba Labani ad Jacob Genes. 31. 27. demonstrant*: Cor ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & cithara &c. *Filia Jephte reduci è victoria patri occurrit cum tympanis aliisque musicis instrumentis. Maria soror Moysis transfretationem Erythræi cantilenis, tympani pulsatione, & choreis una cum aliis gentilibus puellis celebravit. Ejusdem instrumenti meminit etiam Job; nec deest in omnibus solemnibus Religionis cæremoniis; non raro à puellis, & fœminis pulsatur: nulla ejus in prœliis mentio. Unde facilis conjectura, aliud fuisse à tympano nostræ ætatis, ut potius lætis quibusque festis, choreis, & religiosis cæremoniis congrueret. Hæc omnia satis quadrant tympana veteri, æque & cymbalis nostræ ætatis, quæ nimirum in cribri modum subjectam habent fasciæ cuidam ligneæ pellem. Ita pariter describunt tympanum S. Isidorus, & Papias, ejusdemque generis Tympanum Cybele mater Deorum tenens inducitur.*

Tympana habet Cybele; sunt & mihi tympana cribri.

Sed vetus tympanom, *cujus in bellis publicisque solemnitie, maxime Bacchi usus erat, ad nostra tympana magis referebatur, nisi quod formæ esset minoris. Non abs re suspicor*, tuph, *sive* tympanum *vetus Hebræorum ad parva illa tympana accessisse, modo etiam apud Turcas & Arabes in bellis, & publicis solemnitie obtinentia. Fœminæ apud Phrygas Festum Matrum Deorum agebant, tympana & manu, & virgulis æreis pulsantes; ita enim moris erat ludere instrumenta. Catullus de Nuptiis Pelei & Tethidis.*

Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Eadem insinuat Lucretius, simul designans undique, & per circuitum tympana pulsari.

Tympana tenta sonant palmis, & cymbala circum
Concava &c.

S. Clemens Alexandrinus Author est, Ægyptios tympano usos fuisse in bello; Arabes vero cymbalo; cujus figura ad nostra accedebat, quanquam minus esset mole, uti supra insinuavimus. Uniones illæ, quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympania appellantur, *ait Plinius lib. 9. cap. 35.*

Tympana, *quorum nunc in bellis usus, recentissima quidem in Europa, vetustissima in Oriente ferebantur. Salmoneus, de quo in fabulis, tonitru Jovis exprimere artificio aliquo molitus, post currum suum tympana trahebat, quorum supra cavum ventrem extenta pellis porrigebatur. Plutarchus tympana Persarum in Vita Crassi depingit, quos populos neque cornibus, neque tubis classicum cecinisse, testis est Arrianus, tradens ejus loco usos lancibus quibusdam amplioribus cavisque, extenta supra pelle æneisque clavibus defixa contectis. Percussæ undique lances illæ surdum quemdam horribilemque sonum instar tonitru reddebant. Ampliora illa tympana in Hispanias Arabes attulerunt. Cum Ladislaus Rex Poloniæ Legationem quamdam in Galliam misisset A. 1457. ejus Legatos substitisse Nancii refert Author Chronici Lorenensis, ibique admiratas ampliora illa tympana, quæ imposita equis vehrentur*. On n'avoit ni mi onques vû des tambourains comme des gros chauderons, qui ils faisoient porter sur des chevaux.

Zalzelim *à Septuaginta, & Vulgata redduntur* cymbala; *& quæcumque tandem illa essent instrumenta, validum plane sonum longius auditum edidisse, satis in Scriptura insinuatur. Erant in Ægypto quædam aliis quibusdam instructa. Nomen illud ex radice derivatur sonante acutum aliquem sonum, quo aures tinnitu pulsentur. Hæc de* Zalzelim *Scriptura. Recentiores Interpretes plerique reddunt* Sistrum, *quam controversiam nos in medio relinquentes, an scilicet vox illa*, cymbala *potius vel* Sistrum *significet, utrumque instrumentum describemus.*

Cymbalum vetus æneum est instrumentum instar pileoli acutissime stridens. Porro duo cymbala, alterum dextera, alterum sinistra manu apprehensa contra se agebantur: Cymbala dant flictu sonitum, *ait Ausonius Ep. 25. Quo vero commode apprehenderentur, faciebat sive annulus pollici, vel ansula summæ manui inferendæ, vel prominens aliquid in vertice instrumenti instar cuspidis. Celebris eorum usus potissimum in solemniis Bacchi, & Cybeles, quemadmodum in Tabulis pompas illas exhibentibus adhuc spectatur, & Horatius lib. 1. Od. 16.*

...... Non acuta
Sic geminant Corybantes æra.

Ita pariter nostram hanc sententiam S. Isidorus Orig. l. 2. c. 21. confirmat. Cymbala acetabula quædam sont, quæ percussa invicem se tangunt, & sonom faciunt. *Obtinent hodie pariter apud Armenos in eorum Liturgiis; cymbala enim cantantes affricant, & simul invicem agunt. Sistrum familiare Ægyptiis instrumentum figurâ ovali, sive arcuatum instar hemicycli habens verticem, utroque latere longius descendens ad modum balthei; transversum autem secant æreæ quædam virgulæ ita lateralibus instrumenti parietibus utraque extremitate insertæ, ut simul virgulis quibusdam metalli agitatæ gyrarent, & gyrando sonum acutum ederent stridentemque.*

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

Idem instrumentum designasse creditur Isaïas voce illa Zalzel, alatum. *Sistrum aureum in pompa Cybeles delatum ita describit Apulejus*: Dexterâ quidem gerebat aureum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio trigeminos jactus, reddebant acutum sonum. *Plura ejus generis instrumenta inter cymmelia Eruditorum servantur. Sistri inventi honor Isidi tribuitur, cujus Sacerdotes in sacris Numinis cæremoniis sistra detulisse legimus apud Ovid. de Ponto.*

Jactantem Phariâ tinnula sistra manu.

Scalischim *aliud est musicum instrumentum, quod Septuaginta reddunt* cymbala, *S. Hieronymus* sistra. *Semel tantum occurrit in Sacra Scriptura, occasione triumphi Davidici pro relata è Gigante Goliath victoria. Fœminæ venientibus Sauli, & Davidi occurrerunt cum tympanis &* schalischim. *Porro vox illa derivatur è radice, quæ tres sonat. Sunt vero qui de fidiculari instrumento nomen illud interpretentur; alii triagonale quoddam instrumentum malunt; alii sistrum.*

sistrum. Qui nostra ætate eo lyræ genere, quod Galli Vielle, ludunt, solebant ad harmoniam jungere triagonale quoddam è filo calybis instrumentum, cui inserti quinque annuli virgula quadam ferrea agitantur. Simul enim & annuli & instrumentum, quod annulum habens in vertice, dextra manu sustentatum in aëre pendet liberum, agitati sonum edunt. Ejusdem instrumenti figuram quamdam non triagonalem, sed in vertice ovalem, exhibet Pignorius de Servis pag. 88., cui plures annuli virgulà metalli jactandi inserti sunt. Num eò spectant Schalischim Scripturæ?

De Trigono Musico quodam instrumento sermo est apud Veteres, quod è Syria Juba derivat; alii Epithetum illi addunt Phrygii, vel Persici. Novem fidibus instructum; plectro à puellis ut plurimum pulsabatur. Diogenes Tragicus apud Athenæum Author est, Bactrianas & Phrygias puellas Dianæ Numen in atris nemoribus venerari consuevisse, pectine & trigono Persarum inter sacra ludentes. Joseppos Græcus Author tradit, Sacerdotes Ægyptios eodem instrumento uti in conviviis & festis. Trigonum vero Plato è Republica sua exulare jusserat. Mihi tamen ea stat sententia, quæ Hebræum scalischim de sistro, seu de veteri illo instrumento triagonali, de quo in superioribus interpretatur; melius enim cum illo quadrant omnia, quæ in Scripturis de schalischim leguntur.

Superest ut de Mezilothaim aliquid afferamus, cujus instrumenti frequens est in Sacra Scriptura mentio; & sonum accessisse credimus ad Zalzelim, sive cymbala, supra à nobis descripta; utrumque enim nomen ex eadem radice derivatur. Porro sonum edebat acutum & stridentem adeo, ut longissime pervaderet. Æreum erat: usus ejus in Templo publicisque solemniis. Reddi solet plerumque nomen illud, Cymbala; ut proinde quæcumque de cymbalis diximus, huc etiam referenda sint. Narrat Josephus Antiq. lib. 7. cap. 10. Plura à Davide ex ære cymbala amplissima & latissima conflata.

Aliis vero eandem vocem, reddunt, Tintinnabula, qua voce cave ut tintinnabula nostri moris designata credas; recentiora sunt enim; sed potius lances sunt quædam, quæ percussæ tinnitu sua aërem longe lateque commovent. Narrant Musicum quemdam olim in Insula Isso coram frequenti populo cantasse, cum subito dato signo vendendorum piscium tintinnabuli pulsu, facessere confestim omnes, Cantore solitario relicto, perseverante uno tantum surdastro, qui melos ægris licet auribus captabat. Rei indignitate permotus Cantor, plura in populum jactare, auditorem vero, qui unus, ceteris ad pisces dilapsis, manserat, pluribus gratiis cumulare. Interrogavit ille, num vendendi pisces signum tintinnabulo datum esset. Affirmante Musico, ille statim terga vertens ad pisces convolavit. Hanc sive fabellam malueris, vel historiam, apud Strabonem legas; quod tamen ab eodem Authore tanquam verus aliqua historia relatum, instrumenti hujus vetustatem probat. Narrat alibi idem Strabo lib. 16. tintinnabulum jumentorum collo suspendere, in moribus apud Troglodytas positum fuisse, cujus sono carnivoræ belluæ, ne quid nocerent, arcerentur. Solebat alicubi tintinnabulum vigilanti super excubias tradi, quo scilicet experrectas illas haberet. Porro de tintinnabulis sermo est apud Dionem, Polybium, Plutarchum, & Josephum.

Ut quid vero aliena pro vetustate tintinnabulorum quærantur, cum apud Moysem suppetant, cujus jussu extremus tunicæ Summi Sacerdotis Judæorum limbus tintinnabulis ornabatur? Addebantur pariter & phaleris equorum, qui belli usibus parabantur, ut scilicet fragori assuescerent. Zacharias morem hunc designare visus est, futurum prænuncians, ut clamari contingat super Mizloth equi, clamari, inquam, hæc verba: Sanctum Domino; i. e. aurum omne argentumque, quo phaleræ equorum ornantur, eorumque mizloth, sive mizlothaim præ ceteris Deo consecrabuntur. Equus, qui tintinnabulum non audisset, dicebatur apud Græcos equus belli usibus ineptus, quippe qui tintinnabulo aures non attemperaverat, quo scilicet equi ad sustinendos belli tumultus fragoresque formabantur. Probatur itaque mihi ea vocis mizlothaim interpretatio, quæ de tintinnabulo magnos cœtus populi indicente dictam usurpat. De forma ejus instrumenti nihil in Scriptura.

CAP. X.

De Sacrificio Consecrationis.

His Sacrificiis traditis continenti ordine Lex alia quædam Sacrificia adjicit, quæ non omnibus communia, sed singulorum propria extiterunt, quorum unum Consecrationis, alterum Mundationis, tertium Expiationis est dictum. De quibus sequitur, ut sigillatim agamus.

Sacrificium ergo CONSECRATIONIS, sive πληρώσεως dictum est, quod ad solos pertinuit Sacerdotes ratione suæ Consecrationis, quodque iidem offerre mane & vespere tenebantur in die unctionis suæ, longe ab eo diversum, quo ipsi uncti consecrabantur; de quo dicemus tum, cum de Pontifice differemus. De hoc vero ita in Lege præceptum est Levitici cap. VI., in quo etiam de superioribus agitur: *Dixit Dominus ad Moysem: Hæc est oblatio (53) Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in Sacrificio (54) sempiterno, medium ejus mane, & medium ejus vespere,* quæ

(53) Agit hoc loco Moyses tantum de oblatione similæ, quam Aaron, ejusque in supremum Sacerdotium successores, qui soli oleo puro ungebantur, offerre debebant in die unctionis suæ: nam Sacrificia cruenta, quæ Pontifices in eorum consecratione debebant mactare, à Legislatore alibi præscribuntur, nempe Exodi capite XXIX. Hinc Sigonius de hujusmodi Sacrificiis differit libro sequenti capite secundo, ubi de Pontificibus sermonem instituit; & de oblatione similæ tantum verba facit hoc capite.

(54) Quæstio est inter Interpretes, an hoc Sacrificium, sive *oblatio sempiterna* מנחה תמיד, ita sit intelligenda, ut semper durante statu Veteris Legis eadem deberet offerri, dum novus Sacerdos consecraretur: an vero sic accipiatur, ut Sacerdos quotidie à die consecrationis suæ teneretur illam oblationem similæ offerre, vespere ejus dimidium, & mane dimidium reliquum. Qui postremam hanc sententiam amplectuntur, sibi suffragantem habent Josephum, qui libro III. Antiquit. capite decimo scribit sequentia: *Sacerdos autem de suo quotidie bis offert Deo farinam oleo maceratam, & modica coctura duratam; estque demensum ejus farinæ assaron unum, hujus dimidium mane, tantumdem vespere, in ignem infert,*

quæ in sartagine (55) *oleo consperfa frigetur; offeret autem eam solidam in odorem suavissimum Domino Sacerdos, qui jure patri successerit, & tota cremabitur in Altari. Omne enim Sacrificium* (56) *Sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.* Esse autem Sacrificium unum ex senis à nobis ante propositis, apparet, cum Lex ita eodem loco concluditur: *Ista est Lex Holocausti, & Sacrificii pro peccato, atque delicto, & pro consecratione, & Pacificorum Victimis, quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel, ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.*

CAP. XI.

De Sacrificio Mundationis.

JAm vero Sacrificium, quod diximus Mundationis, relatum est ad labem puerperæ, leprosi, viri seminiflui, & mulieris menstruosæ, ut Expiationis ad Sanctuarium, & Populum labe pollutum.

De Mundatione autem puerperæ sic scriptum est Levitici cap. XII. *Mulier si suscepta semine pepererit masculum, immunda* (57) *erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ: & die octavo circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ; sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque* (58) *expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in Holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato ad ostium Tabernaculi Testimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum, aut fœminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in Holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur.* Hinc illa sunt apud S. Lucam de Beata Virgine: *Et postquam* (59) *impleti sunt dies purgationis ejus, secundum Legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum*

(55) Quum ex II. Levitici quatuor modi essent offerendæ similæ: primus dum offerebatur cruda, sed oleo conspersa; secundus dum offerebatur cocta in clibano; tertius dum cocta in sartagine; quartus dum cocta in craticula: per hæc verba innuit Moyses similam in consecratione Sacerdotis esse tertio ex dictis modo offerendam.

(56) Non accipienda sunt hæc verba de quovis Sacerdotum Sacrificio; sed restringi debent ad sacrificium similæ: unde in Hebræo sic legitur: כל מנחה כהן *Omne munus Sacerdotis*; quod quum totum Domino deberet esse consecratum, indicat, ut inquit Theodoretus Quæst. I. & III. in Levit., summam perfectionem, quam Deus in Ministris suis requirit. Ceterum victimis eorum pacificis, ariete consecrationis, & panibus in canistro illis licitum erat vesci per Legem. *Exodi* XXIX. *& alibi*.

(57) Mulier quæ masculum peperit, septem diebus erat immunda, nec poterat rem puram tangere, quin redderet illam impuram. Exacto septiduo rebus domesticis operam navare poterat, nec res, quæ ab ea tangebantur, legalem impuritatem contrahebant: ad Sancta vero accedere, nisi post quadraginta dies, minime poterat. Quæ vero femellam enitebatur, quatuordecim diebus erat impura, rebusque puris, si quas tetigisset, impuritatem tactu suo communicabat. Sequentibus diebus sexaginta sex debebat domi se continere, sacra non tangere, cibos sanctos non comedere, atque ab ingressu in atrium Sanctuarii abstinere, in locum scilicet mulieribus in atrio Israelitarum assignatum, qui à Josepho de Bello lib. VI. c. 6. dicitur γυναικωνῖτις. Cur vero in partu femellæ duplo major numerus dierum purificationis Legislator præscripserit, nempe pro masculo quadraginta, octoginta pro femina? A naturali rerum ordine responsio solet desumi, nam docet Hippocrates & Aristoteles mulierum incommoda multo magis produci post partum feminæ, quam maris. *Hippocrates lib. de natura pueri, & Aristoteles Hist. animal. 6. 22., & 7. 3.* Præcepit autem dies quadraginta pro partu filii, & octoginta pro partu filiæ, non quod semper tot dies ad naturalem matris purificationem necessarii essent; sed quæ eo usque extendi poterat tardissime purificatio; imo longiora dierum spatia decrevit, tum ut perfecte purgata esset mulier, priusquam ad sancta se conferret, tum ut à partu quiesceret paulo diutius.

(58) Communius Interpretum sententia non construit ista verba *pro filio, sive pro filia* cum verbo sequenti *deferet*; sed cum præcedentibus *purificationis suæ*, ut illorum sensus sit: Quum expleti fuerint dies, quibus puerpera debet purificari ab immunditia, quam contraxit pariendo sive filio, sive filia &c. Unde inferunt sacrificium pulli columbæ, vel turturis, quod in textu pro peccato præcipitur, non oblatum fuisse pro peccato prolis; sed pro peccato matris; intelliguntque peccatum matris hoc loco illam legalem immunditiam, quam puerpera ex profluvio sanguinis contrahebat, & à quo Sacrificia veteris poterant expiari. Hanc expositionem verba, quæ sequuntur in sacro textu, perspicue confirmant: *Qui offeret illa coram Domino, & orabit* עליה *pro ea, vel super eam, & sic mundabitur à profluvio sanguinis*. Si vero opponas S. Lucæ caput secundum, ubi dum Parentes Jesu dicuntur hanc Legem servasse, ita legitur: *ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo*. Ly *pro eo*, sic interpretantur, ut idem sit ac dicere; *quia ipse natus erat, vel quia Beata Mater eum pepererat*.

(59) Tres Leges à S. Luca conjunguntur: Prima est Levitici XII. 2., ut mulier si peperisset masculum, esset immunda quadraginta dies, quibus transactis, purificaretur in Templo victimis à Lege præscriptis. Altera Lex est, ut Mater pro purificatione non prolis, sed sui, ut mox ex magis recepta apud Interpretes sententia dictum fuit, offerret Deo in holocaustum agnum, ac pullum turturis, vel columbæ, si eadem dives erat; si vero pauper offerret par turturum dumtaxat, aut duos pullos columbarum: Levitici eodem capite v. 6. & 7. Tertia demum si proles esset masculina & primogenita, ut sisteretur Deo, tamquam illi debita & consecrata, ob liberatos Hebræorum primogenitos, quando primogeniti Ægyptiorum cæsi fuerunt ab Angelo. Proles tamen oblata Deo redimi poterat quinque siclis à parentibus. Igitur Beata Virgo, quæ de Spiritu Sancto concepit, expletis à salutifero partu quadraginta diebus, voluit ceteris puerperis se conformare, quamquam ipsa Dei Mater purissima nulla prorsus purificatione indigeret: *Stulte*, inquit S. Augustinus de quinque Hæresibus cap. V., *unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in eo, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?* Et S. Cyprianus Sermone de Nativitate: *Maria*, ait, *genetrix, & obstetrix: nullus dolor, nulla naturæ contumelia*. Additque Christum prodiisse ex

plum est in lege Domini; Quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur: & ut darent Hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

De Mundatione vero (60) leprosi deinceps agitur XIII., & XIV. Primum autem docetur, ut leprosus adducatur ad Pontificem, sive ad Sacerdotes, eorumque cognitioni, & judicio permittatur, utrum color ille, qui in facie hominis natus est, vere (61) lepra sit nec ne, cujus rei dignoscendæ multa documenta præbentur; deinde vero ratio Mundationis affertur his verbis: *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur* (62) *ad Sacerdotem, qui egressus è castris cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quos vesci licitum est, & lignum cedrinum,* (63) *vermiculumque, & hyssopum, & unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes, alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur, & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet*, & reliqua, quæ propter longitudinem omittuntur; nam in hac re præcipua locum indicasse satis videtur.

De viro porro seminifluo traditur XV., atque ubi signa immunditiæ illius indicata sunt, infertur: *Si sanatus fuerit, qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus, & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus; die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium Tabernaculi Testimonii, dabitque eos Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in Holocaustum, rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur à fluxu seminis sui.*

Deinceps de muliere menstruosa sic præcipitur:

---

ex Virgine, sicut radius à Sole, & sicut fructus prodiit ex arbore, juxta illud Isaiæ XXXV. *germinans germinabit, sicut lilium*. Quapropter Sanctissima Θεοτόκος consuetudinem Purificationis servavit, tum præcipuo humilitatis studio, quam Deus in ea, ut ipsa canit, respexit; tum ut virginitatem suam, conceptumque ex Spiritu Sancto celaret: qua etiam de caussa Christus ejus filius dignatus est circumcidi, dicente Magno Leone Serm. II. de Nativit: *Quum misericors omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis à suo homine Deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet; illusa est securi hostis astutia, qui nativitatem Pueri in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quam omnium nascentium putavit obnoxiam.*

(60) Ex legibus, quibus leprosos Moyses subdidit, confutat Josephus lib. primo contra Appionem Ægyptiorum fabulam, Moysem scilicet propter lepram pulsum ex Ægypto turbam eodem morbo laborantium in Chananæam duxisse: & Antiqu. lib. III. cap. X *Nisi vanus*, inquit, *ille rumor esset, nunquam Moyses in suam ignominiam talem Legem tulisset, qualem etiam alio ferente probabile erat ipsum reclamaturum: præsertim quum apud Gentes quamplurimas lepræ sint, & honores assequantur; tantumque abest, ut contumelia afficiantur, & exilio, ut & militia* (maxima designat Flavius Naaman nobilem Syrum, copiarum ducem, quem Elisæus divina operante virtute sanavit) *magna obierint munia, & domi rem publicam administrarint, & in loca Sacra, & Templa ingrediendi potestatem habuerint. Quid igitur vetabat, si tali vitio fuit infectus, quominus apud multitudinem sibi parentem eas Leges statueret, quæ ipsi honorem potius, quam detrimentum afferrent. Qua re manifestum fit, quod hæc per invidiam de nobis finguntur.*

(61) Quid lepra Judæorum fuerit, difficile est explicare; nam illam saltem non fuisse cum lepra nostrarum regionum ex eo satis constat, quod inficiebant leprosi contagione sua non solum eos, quibuscum versabantur, sed ædes etiam, quas incolebant, & vestes, quas induebant; Hinc triplex lepræ genus apud Judæos, lepra hominum, vestium, & parietum. Quum vero de his duobus posterius generibus altum sit apud Scriptores profanos silentium; illa non naturalia fuisse, sed à Deo vindice contra perduelles Judæos immissa, plures Eruditi sentiunt post Theodoretum Quæst. XVIII in Leviticum. Hujus lepræ caussam in vermiculo quodam lapides corrodentes referunt nonnulli Recentiores, quorum tamen sententia non arridet quibusdam ingenue fatentibus se illam nescire, quandoquidem:

Multa tegit sacro involucro natura, (Deum intellige in peccati pœnam) *nec ullis*
Fas est scire quidem mortalibus omnia; multa
Admirare modo nec non venerare, nec illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima; namque
In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum est:
Est procul à nobis adeo præsentia veri.

Ceterum antiquis temporibus morbum hunc Ægyptiis familiarem fuisse, idem testis est Lucretius libro sexto:

Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur, Egypto in media, neque præterea usquam.

Et nostra etiam ætate morbum hunc in Ægypto frequentem esse Itinerantes testantur; vide Prosperum Alpinum in ejus Itinere Hierosolymitano Gallica scripto.

(62) Sicut Sacerdotis erat quempiam esse vere leprosum indicare; ita ad eundem spectabat cognoscere, an lepra esset mundata. Quamdiu enim quispiam lepra erat correptus, tenebatur I. incedere scissis vestibus & capite retecto. II. alere cæsariem. III. os obvolvere. IV. clamare: immundus immundus, vel ut habet Targum: ne contaminemini, ne contaminemini. V. denique degere extra castra; nam lepra affecti in arva locaque infrequentia segregabantur, ubi non raro plures consentientes una vitam ducebant. IV. Regum VII. quatuor leprosi leguntur simul versantes extra Samariam, quo tempore urbs copiis Benadadi Regis Syriæ erat obsessa. Et S. Lucæ XVII. decem simul leprosi ad Christum, sed longe stantes, convenere, ut ab eo sanitatem impetrarent. Missi à Jesu ad Sacerdotes, omnes in via mundati sunt: quo plane facto evidens Christus Dominus præbuit coram divinitatis suæ testimonium.

(63) תולע Hebraice est *Vermiculus* ille rubeus seu purpureus, qui in cocco nascitur, ex quo fit materia purpurei coloris. Hinc Vermiculus significat *filum coccinei coloris* in hoc versiculo, quo alligabatur fasciculus hyssopi, & ligni cedrini. In purificatione enim leprosi ex ramis cedri, & hyssopo efficiebatur aspergillum vitta coccinea constrictum, in cujus summitate viva passer ita alligabatur, ut obversum esset caput ejus ad manubrium, cauda vero & alæ ad partem oppositam. Quum in aquam alterius passeris sanguine mixtam immergerentur cami aspergilli, cauda avis & pars alarum, & non caput madefiebant, ut posset evolare, nam debebat libertate donari. Cedrus, ut observat S. Thomas Prima Sec. Quæst. 102. art. 5. ad 7, quæ est arbor imputribilis, adhibebatur contra putredinem lepræ. Hyssopus, quæ est herba odorifera, contra ejus fœtorem. Vermiculus demum qui est coloris speciosissimi, contra illius deformitatem. Sed de Vermiculo vide, quæ infra ex Bellonio refero lib. V. cap. II.

pitur : *Mulier, quæ patitur* (64) *multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjaceat huic passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstruo. Omne stratum, in quo dormierit, & vas, in quo sederit, pollutum erit; quicunque tetigerit eam, lavabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit usque ad vesperum. Si steterit sanguis, & fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ, & die octavo offeret pro se Sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ostium Tabernaculi Testimonii, qui unum faciet pro peccato, & alterum in Holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu, & quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.* A B

CAP. XII.

De Sacrificio Expiationis.

His traditis additur inde de Sacrificio Expiationis, sive Propitiationis. Fuere vero Expiationes unus, ut dictum est, ex diebus festis celeberrimis anni, die decima Septembris magna cœremonia celebratus. Eo vero die Pontifex (65) Pontificalibus vestimentis indutus, ac Sancta Sanctorum ingressus universo populo (66) jejunante præcipuum quoddam Sacrificium fecit, quod Sanctuarium ab labibus populi, prævaricationibus, ceterisque peccatis purgavit. Id autem his verbis traditur cap. XVI. *Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra Velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ne moriatur,* (67) *nisi hæc ante fecerit. Vitulum*

---

(64) Hoc morbo Hemorrhoissa, & quidem duodecim annorum spatio laborabat, sed contactu fimbriæ Christi Domini repente convaluit, ut referunt Sancti Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas. Quod vero Christus non misit Hemorrhoissam, sanitati ab eo restitutam, offerre munus hic a Lege præceptum; quemadmodum *Matthæi VIII.* leprosum misit, quem mundaverat; id argumento esse potest ad probandum, hanc mulierem non Judæam fuisse, sed Ethnicam, atque adeo Veteri Legi non subjectam. Enimvero scribit Eusebius *Hist. Eccl. VII. cap. 17.* Ethnicam illam fuisse ex Paneade urbe ad fontem Jordanis sita: quæ præterea in monumentum grati animi ob ingens beneficium in se collatum, Servatori statuam erexit, quam suismet oculis vidisse idem auctor testatur. Sozomenus vero, & Philostorgius commemorant statuam illam ad ætatem usque Imperatoris Juliani perdurasse. Vide Sozomenum lib. V. cap. 20. & Philostorgium libro VII. cap. 3. C

(65) Ex versiculo quarto capitis XVI. Levitici à Sigonio hic exscripto, nonnulli Recentiores credunt perspicuum esse Pontificem Sancta Sanctorum ingredientem indutum fuisse non vestibus Pontificalibus, sed lineis solum, quibus etiam gregarii Sacerdotes in sacris obeundis utebantur. E lino erant tunica, & feminalia, e lino quoque zona, qua renes cingebat una cum cidari capitis tegumento. Unde ex Recentiorum sententia Pontifici haud erat vestis hyacintina, non Ephod, nec rationale, quum ad expianda peccata sua, & populi in adytum se conferret, quo tempore publici luctus & mœstitiæ vestimentum augustius supplicem Sacerdotem dedecebat. Sunt qui has voces בד, & שש ita arbitrantur differre, ut בד sit *linum* vulgare, & שש *byssus* exquisitissimi generis, scribuns quatuor vestes lineas die Expiationis adhibitas minus pretiosas illis fuisse, quæ aliis diebus festis usui erant Pontifici: nam laudato versiculo quarto בד *lini* tunica, בד feminalia, בד zona, בד demum cidaris præcipiuntur. Vide quæ infra à me dicuntur libro V. cap. II. annot. 2. Quæ si ita clara sunt, ut videntur Recentioribus, plane mirari subit tam multos ex Veteribus doctissimos viros, quibus calculum Noster adjecit, sensisse die Expiationis Pontificem amictum Pontificalibus vestimentis in Sancta Sanctorum penetrasse. Credi potest eorum opinioni caussam dedisse Josephum virum genere Sacerdotii, qui suis oculis Pontificem introeuntem adyta potuit videre. Josephus enim de Bello Judaico libro V. cap. V. postquam descripsit vestimenta Pontificis Maximi, statim subjicit: ταύτην μὲν οὖν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δὲ εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον, εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος, ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ θεῷ. *Et hanc quidem vestem alio tempore non gerebat, quippe simpliciorem assumebat: sed tunc quum in adytum intraret: semel autem quotannis solus intrabat, qua die mos erat omnibus jejunio Deum colere.* Cunæus de Rep. Hebr. lib. II. cap. I. oscitantiæ, & festinationis arguit Josephum: at Seldenus lib. II. de Success. Pontif. cap. VII. mox adducta Josephi verba ita reddit Latine, ut plane oppositum Judæus scripsisse videatur. *Habitum quidem illum alio tempore non gerit, sed simpliciorem adsumit. Ita vero fit, quum adytum introit. Semel autem in anno introit solus, qua die cunctos Deo jejunare mos est.* Quænam ex hisce interpretationibus magis probanda sit, Erudito Lectori integrum judicium esto. D E

(66) Hoc jejunium decimæ diei Tisri, quo solennis Expiatio peragebatur, à Moyse præceptum erat in Levitico, tum cap. XVI. 29., tum XXIII. 29. Hinc quamquam ceteris jejunii diebus Judæi ab occasu solis diei præcedentis ad occasum solis subsequentis usque ad ortum primi sideris jejunarent; ad horas octo supra viginti jejunium diei Expiationis producebant. Tempore jejunii quidquam cibi, vel potus haud gustabant, abstinebant insuper balneis, unguentis, odoribus; nudis pedibus ambulabant, nec prorsus se abluebant. Quum vero carnales Judæi utilitatem jejunii sola escarum abstinentia metirentur, quam dum corpus macerabant, jejunantes ea faciebant, quibus Deus ad iram provocabatur; apposite in rigidam eorum abstinentiam traduci posset, quæ S. Basilius Cæsariensis scripsit Homilia I. περὶ νηστείας: *Carnes non edis? sed comedis fratrem tuum. A vino abstines? sed ab injuriis tibi non temperas. Expectas vesperam ut cibum capias? Sed diem totum absumis apud tribunalia.* Ceterum Pharisæi potissimum non virtutis, sed famæ comparandæ studio omnium austeriora observabant jejunia, quæ merito Christus sugillat illorum hypocrisim reprehendendo. Vide S. Matthæum cap. XV.

(67) Non significatur per hæc verba licitum fuisse Pontifici pro ejus arbitrio adytum ingredi, dummodo ea præmitteret, quæ in textu præscribuntur. Nam hæc nisi semel quotannis erant præstanda; sicut etiam semel quotannis fas erat Pontifici in illud intrare, ut ostendam libri sequentis capite ineundo, ubi de Summo Pontifice sermonem instituam. Horum igitur verborum: *ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium . . . . , ne moriatur, nisi hæc ante fecerit*: sensus est: Numquam Pontifex adytum ingrediatur, etiam quum ei licitum fuerit in illud intrare (hoc autem solum licebat semel in anno) nisi prius ea fecerit,

lum pro peccato offeret, & arietem in Holocaustum; tunica linea vestietur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti, suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in Holocaustum, cumque obtulerit vitulum, (68) *& oraverit pro se, ac pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in hostio Tabernaculi Testimonii: mittensque super utramque* (69) *sortem, unam Domino,*

---

quæ in textu sequuntur. Quod autem dictum est de unico ingressu Pontificis in Sancta Sanctorum per annum, intelligi plane debet pro illo tempore, quo Tabernaculum erectum erat, & fixum. Etenim dum castra erant alio transferenda, minores etiam Sacerdotes adytum ingrediebantur, ut Tabernaculum loco moverent, & Arcam commode involverent: quemadmodum illos ingredi eò oportebat, quum denuo erigebâtur, ut omnia, quæ ad illud spectabant, ex Lege disponerent.

(68) Orate *pro domo sua*, non solum denotebat ipsammet familiam Pontificis; sed generalem habebet significationem, quæ familiee omnes Sacerdotum, & Levitarum complectebatur. Sicut enim quum Deus censum universi populi jussit institui, Levitæ seorsim fuerunt numerati, *Numer. primo*; ita familiæ Sacerdotales, & Leviticæ non erant comprehensæ sub nomine multitudinis Judæorum, pro qui etiam Pontifex die Expiationis preces fundebat.

(69) Quum in textu Hebræo nomen Dei tetragrammaton יהוה *Dominum* exprimat: גורל אחד ליהוה. *sortem unam Domino*; referam in præsentia certiora quædam inter Eruditos de hoc nomine, omissis interim iis, quæ aut inutiliter a quibusdam Philologis de eo disputantur, aut a Judæorum Magistris comminiscuntur.

I. Nomen Dei tetragrammaton veteribus Patriarchis incognitum fuisse, atque a Deo Moysi revelatum Exodi VI. 3. *Ego Dominum, qui apparui Abraham, & Isaac, & Jacob in Deo omnipotenti* באל שדי. *& nomen meum* יהוה (Vulgatus habet ADONAI, ratio ex dicendis patebit) *non indicavi eis*. Revelatum vero fuit tunc temporis, quum Moyses ex divina voluntate ad Israelitas iturus, de nomine ejus quæsivit, *Exodi* III 13., *& seq. Ait Moyses ad Deum: ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen:* אהיה אשר אהיה. *Ego sum, qui sum* (egregia Vulgati interpretatio, nam Hebræis familiare est futura pro præsentibus ponere) *Ait: sic dicas filiis Israel:* אהיה *qui est, misit me ad vos.* Atque hinc Dei maxime proprium, & incommunicabile nomen processit; non quod Deus nomine indigeat, ut per illud distinguatur ab aliis; sed ut Moysi nomen patefaceret, quod divinæ ejus essentiæ in primis congrueret: *Deo nomen non est*, inquit Lactantius Instit. Divin. lib. p. cap 6, *quia solus est: nec opus est proprio vocabulo, nisi quum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota, & appellatione designes: Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus.*

Ad nomen vero יהוה, quod attinet, incognitum, ut dixi, ante Moysem, id solet opponi. Hoc nomen יהוה non semel in Genesi occurrit; qui igitur antiquioribus Patriarchis dici potest ignotum? Προληπτικῶς hoc fieri in Genesi plerique Interpretes asseruor, quod scilicet liber hic scriptus fuerit, postquam Deus hoc ineffabile nomen suum Moysi revelavit. Itaque in Genesi hoc nomine usus est Moyses, quia notum erat iis temporibus, quibus scribebat, quamvis agnitum non erat Patriarcharum temporibus, quorum vitam in Genesi enarrat. Equidem Interpretes alios aliorsum ire non ignoro; horum sententiam non vellem, sed lubens illis assentior, quorum explicatio Exodi v. tertio capitis sexti proxior est, atque facilior.

II. Optimam nominis יהוה interpretationem illam esse, quæ è radice היה *fuit* descêdens vult divinum *esse* significari, nempe supremum illud, & independens, quod sine caussa quum sit, omnium tamen rerum est caussa. Addunt aliqui in voce יהוה Dei æternitatem insuper denotari, per י ab initio, tempus futurum; per הו literas initiales participii præsentis, præsens; per ה ultimam præteriti literam, præteritum indicatum scribentes: & putant S. Johannem ad nomen יהוה respexisse, quum septem Ecclesiis Asiæ salutem precatur illa periphrasi, Apocalyp. I. 4. *ab eo* ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος: *qui est, qui erat, & qui venturus est*. Judæi ad exprimendam nominis יהוה præstantiam, solent illud κατ᾽ ἐξοχὴν השם *nomen* cū ה demonstrativo appellare, & aliquando etiam שם המפורש, idest nomen *expositum*, vocant.

III. Judæos Babylone in patriam reduces veritos esse יהוה pronunciare ex præcipua quadam, ut credere æquum est, religione erga nomen, quod Dei sit ita proprium, ut numerum pluralem nullo modo admittat, neque ullam sui mutationem patiatur, quando cum alia voce construitur, neque ab initio ה demonstrativum recipiat, neque à fine ullum pronomen ei affigatur: usos propterea ex eo tempore aliis nominibus Dei appellativis potius, quam propriis; imo ubi יהוה legendum fuisset in textu, ejus loco אדני pronunciasse, ubi vero אדני vel præcedentem, vel sequentem textos habebat, alterum אדני, alterum אלהים legere consuevisse. Enimvero hunc morem jam tunc obtinentem apud Judæos, uterque Paraphrastes Chaldæus obsecundârunt, nolentes in eorum Versionibus illud adorabile nomen exprimere. LXX. tetragrammaton ubique per vocem Κύριος restituunt, quos Græci Interpretes passim sequuntur. Idem habent Sancti Evangelistæ, & Apostoli Novi Testamenti Scriptores. Vulgatus demum in loco supra laudato pro יהוה legit *Adonai*, & alibi *Deum*, vel *Dominum* illud exponit. Postremo à Judæis dicitur in solo Templo proprium Dei nomen pronunciatum fuisse per Pontificem Maximum, idque coram electo quodam virorum numero die Expiationis tantummodo: & addit Philo vitæ supplicio cautum fuisse, ne quis extra Templum nomen illud efferret: imo denunciant Magistri *partem non habiturum in futuro seculo, quisquis nomen illud pronunciare præsumpserit*. Quod peperam (excepto casu contemptus) ab ipsis statui nemo est, qui non videat, quum per ætates ante Babylonicam captivitatem elapsas, non licitum modo, sed pium fuerit & laude dignum illud proferre.

IV. Demum Judæos post excidium secundi Templi penitus abstinuisse ab hujus sacri nominis pronunciatione: hinc factum fuit, ut puncta vocalia, quæ nomini יהוה erant conva-

pro

no, & alteram (70) *capro emissario, cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum* A *vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, & emittet eum in solitudinem. His rite celebratis offeret vitulum, & rogans pro se tumo-*

pro certo assignari amplius non possint, atque adeo minime habemus priscam illam & genuinam tetragrammati prolationem. Huic rei comprobandu argumento est, vel sola sententiarum diversitas, maxima varietate illud jubentes effari. Quidam volunt pronunciandum esse *Jehovah*, nonnulli *Jehov*, vel *Jao*, vel *Jahov*. Eusebius scribit *Jevo*, S. Clemens Alexandrinus *Jave*, S. Epiphanius *Jabe*. Ludovicus Cappellus enunciat *Javo*, Mercerius *Jehova*, Hottingerus *Jehua*, alii aliter.

(70) *Capro emissario* in textu Hebræo respondet vox לעזאזל, de cujus vocis significatione B pluribus disputant recentiores Eruditi. Si vero antiquos Interpretes consulimus; fere omnes aut cum Vulgato interprete apprime conveniunt, qui לעזאזל *capro emissario* Latine reddidit; aut non multum ab eo recedunt. Symmachus habet τράγον ἀπερχόμενον, *in hircum abeuntem*. Aquila εἰς τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον, *in hircum, qui in desertum emittitur*. LXX. vertunt τῷ ἀποπομπαίῳ hoc est *malorum depulsori*; nam apud Græcos ἀποπομπαῖος ille dicitur, qui calamitates C avertit, unde Lexicographis synonima sunt ἀλεξίκακος, καὶ ἀποτροπαῖος. Thema enim est πέμπω, quod *mitto* significat. Sancto Hieronymo demum עזאזל est *caper emissarius*. Ex quibus antiquorum Versionibus pronum est intelligere Veteres in interpretatione vocis עזאזל ad caprum emissarium uno sensu respexisse, qui caper peccatis populi onustus, illa in desertum, quò vivus emittebatur, portabat *ex hoc capite V.* 22, pœnas scilicet peccatorum ab Israele in ipsum translatas. Præterea ex ipsa vocis D עזאזל etymologia conficitur *caprum emissarium* eandem significare. Est enim composita ex עז *caper*, & אזל *abiit*, redditque textus hunc sensum: ex duabus sortibus una exeat Domino, idest in hircum Deo immolandum; altera in *Hazazelem*, in hircum scilicet in desertum abiturum. Nec multi faciendum est, quod contra hanc originem vocis עזאזל Bochartus prius objecit, non posse videlicet illam ex עז, & אזל dici conflatam, quod עז generis sit feminini *capram*, non caprum significans, quod proinde genere non conveniret cum אזל masculi- E ni. Nam licet in femininu עז usurpatur; illud tamen esse generis promiscui *capram*, & caprum significans plures affirmant. Et certe quum עז pluralia habeat עזים juxta masculinorum paradigma, subindicare videtur עז utrumque significare. Imo sensit Kimchi עז in voce עזאזל masculini esse generis, atque adeo *Caprum* denotans, non *Capram*.

Age vero præcipuas Recentiorum sententias brevi adducamus, ut ex earum imbecillitate vetustæ interpretationi majus robur accedat. Putant Magistrorum plerique עזאזל nomen montis esse, ad quem hircus emissus deduceretur. Illum volunt abesse Jerosolem stadia nonaginta; sed ubi positus sit, Magistri non edocent. Mirum profecto est, vel in tot, tamque accuratis descriptionibus Palæstinæ nullum montem hoc nomine in ea reperiri; vel si nomen montis illud fuisset, montem *Hazazel* non dixisse Moysem, qui Montem *Abarim*, Montes *Ararat*, Montem *Ebal*, Montem *Garizim*, Montem *Galaad*, Montem *Hermon*, Montem *Hor*, Montem *Horeb*, Montem *Sion* dixit: nec plane verosimile est hoc uno exemplo a more suo recessisse.

Altera Sam. Bocharti sententia est, qui vocem *Hazazel* ab Arabum lingua censuit derivatam. Scribit enim *de Animal. Parte p. l. II. cap.* 54. A verbo עזל, quod *separare*, & *recedere* est, potuerunt Arabes formare nomē אזאזל *Azazil*, χωρισμὸς, vel ἀναχώρησις idest *separationes*, aut *recessus*, & *secessus* significat, & ex אזאזל *Azazil* Hebræi suum עזאזל *Hazazel* & eodem sensu usurpare. Ita hircorum unus, recte dicitur Domino fuisse servatus; alter לעזאזל πρὸς ἀναχώρησις, idest, ut in locum deserti remotum, & separatum deduceretur. Hactenus ex Bocharto, cujus opinio parum soliditatis videtur habere; tum quia nomina Arabicæ originis vix unquam in Pentateucho reperiuntur; tum quia in formatione nominis עזאזל quasi duæ literæ redundarent.

Tertiò loco collocanda est sententia Clerici in *Commentario ad citatum caput Levit.*, qui etiam ex Arabica lingua *Hazazel* vult derivari: idest ab Arabica radice עז *hazza durus fuit*, unde עזאזון *hazazon terra dura*, & ab אזל *in angustia versari*, putat עזאזל *locum arduum* significare, & *petricosum*, quæ periphrasis est præcipitii. Huic etiam sententia illud habet incommodi, quod ex Arabica lingua vocis, quæ in libris Moysis legitur, etymon quærit; & aliud addit præterea, quo Rabbinorum favet doctrinæ, qui caprum emissarium scribunt non dimissum à ductore suo in desertum; sed de rupe præcipitem datum; quod si quando factum fuit, certe non ex Legis mandato; sed ex placitis Judæorum processit. Moyses enim viro illi opportuno (juxta phrasim Hebraicam) hircum in desertum ducturo non præcepit, ut caprum è rupe ad ima detruderet, sed ut illum dimitteret, versiculo 22. laudati capitis XVI. Levit. ושלח את השעיר במדבר. *& dimittet hircum in deserto*: ubi verbum שלח nullam è præcipiti loco dejectionem importat.

Quarta demum Jo. Spenceri sententia est, qui tomo secundo de Legib. Rit. Hebr. in Differt. de Hirco emissario, sensit nomine עזאזל *Diabolum* significari, cui alter ex hircis permitteretur; non ita quidem, ut loco muneris & oblationis ad Diabolum in desertum ablegaretur; sed ut hircus ille piacularis, onustus peccatis populi, & ad *Hazazelem* amandatus, flebilem peccatorum statum symbolice denotaret. Verum adeo absonam esse Spenceri opinationem, quam ut nulla possit symbolorum concinnitate honestari, plura rationum momenta queunt ostendere. Sed duo sufficiat leviter attigisse, quibus ejus absurditas in primis demonstratur; quandoquidem nimium in unius vocis explicatione Le-

ctoris

molabit eum; assumptoque (71) *thuribulo, quod de prunis Altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra Velum intrabit in Sancta, ut positis super ignem aromatibus nebula* (72) *eorum, & vapor operiat Oraculum, quod est super Testimonium, & non moriatur. Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra Propitiatorium ad Orientem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra Velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat è regione Oraculi, & expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, &* (73) *à prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Nullus* (74) *hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israël, donec egrediatur. Cum autem exierit ad Altare, quod coram Domino est, oret pro se, & sumtum sanguinem vituli atque hirci fundet super cornua ejus per gyrum, aspergensque digito septies expiet, & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Postquam autem emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, tunc offerat hircum viventem, & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in Tabernaculum Testimonii, & depositis vestibus, quibus indutus prius erat, cum intraret Sanctuarium, relictisque* (75) *ibi lavabit carnem suam in loco sancto, induetúrque vestibus suis. Et postquam egressus obtu-*

ctoris humanitate abusus fuisse forsitan videor. Primum, statim Deus capite sequenti Levit. XVII. v. 7. diserte prohibet, ne Judæi ultra immolarent hostias suas Dæmonibus, quibuscum erant fornicati; & credi potest coluisse ipsummet Deum in periculum Israelitas adducere, ut crederent hac victima litari Dæmoni, ut revera nonnulli Judæorum crediderer, per summam impudentiam dicentes ex duobus hircis diei Expiationum alterum ad accersendum aliquem malum, & impurum Dæmonem in desertum amandatum fuisse, quos inscitiæ & impietatis merito arguit Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Acacium data. Alterum denique est, ambos hircos prius Domino sistendos fuisse, quod utique est argumento utrumque ad Deum, neutrum vero ad Diabolum spectasse.

(71) Observat eruditissimus Pater Calmet errare nostrorum temporum Pictores, qui Summum Sacerdotem repræsentant cum magnifico thuribulo catenis ornato, qualia sunt, quibus utimur; & pro certo asserit veterum Hebræorum thuribula longe ab forma nostrorum abfuisse. Erant enim, ut ipse asserit, foculorum species, cum ansa, vel sine, quos Pontifex Altari thymiamatis superimponebat, vel deferebat in Sanctuarium. S. Johannes in Apocalypsi XV. 8. loquens de thuribulis, quæ à quatuor animalibus, & a viginti quatuor senioribus tenebantur, ea vocat tantummodo *phialas plenas odoramentorum*. Philo in secundo Monarchiæ libro de thuribulis sermonem habens, quod Summus Sacerdos in adytum deferebat, illud vocat *ignitabulum carbonibus, & thure plenum*: πυρεῖον ἀνθράκων πλῆρες θυμιάματος. In Simonis Macchabæi nummis exhibentur thuribula fumantia, pateræ, vel calici pedifero similia. Hebræi tamen verba faciunt de ansis veterum thuribulorum, quæ in Templo adhibebantur, quo nomine utrum catenulas velint innuere, vel simplicem ansulam, qualem in foculis mensariis habemus, ignoro.

(72) Caussam assignat Moyses, cur thymiama ex stacte, onyche, sive ungue odorato, galbano, & thure lucidissimo compositum, prunis thuribuli imponi deberet, ut scilicet fumus de thymiamate exurgens operiret Oraculum. Quamquam enim Sanctum Sanctorum fenestris careret, nullaque sui parte lumen admitteret; ne tamen ex apertione Veli ad ingressum Pontificis, vel a prunarum scintillatione quidquam in adyto conspici posset, Deus voluit illud obscurari per fumum sacri suffitus: quod pertinebat tum ad reverentiam adyto conciliandam, tum ad impediendum, quominus Pontifex, conspectu Arcæ, & Oraculi nimis curiose oculos pasceret. Maimonides auctor est, sub Templo secundo caput extulisse hæreticum quemdam, à quo secta Sadducæorum habuit originem. Is thymiama, quo suffumigandum ex Lege adytum erat, imponi ignibus primum, & mox inferri in Sancta Sanctorum volebat; quum moris esset, jam inde a Moysis ævo, in ipsis adytis illud accendere. Quare timentes Judæi ne Pontifex quoque hunc animo errorem imbiberet, cautum fuit, ut quotannis, pridie quam adytum ingrederetur, jurejurando promitteret, se nihil de veteri consuetudine innovaturum.

(73) In ea etenim die Expiatio fiebat omnium peccatorum, sive illa essent, pro quibus peculiaria sacrificia prius fuissent oblata, sive pro quibus nullum; sive peccata scienter admissa essent, sive ignoranter: unde hæc dies יום הכפורים *dies expiationum* dicebatur, quod non pro singulari aliquo peccato; sed pro peccatis totius anni sine ulla limitatione Expiatio fieret. Hoc tamen non ita est intelligendum, ut sacrificia die Expiationis oblata vim haberent mundandi impiorum animas à peccatis, nam instar aliorum sacrificiorum Veteris Legis inquinatos sanctificabant, ex Apostolo *ad emundationem carnis*: licet qui pie illis utebantur profitendo Fidem Christi venturi, & veram peccatorum detestationem concipiendo, poterant per ea justificari, ut supra demonstratum est.

(74) Nullus nimirum sive Sacerdos, sive Levita (populus enim numquam intrabat in Sanctum, sed in atrio se continebat) morari poterat in Sancto, dum Pontifex adytum ingrederetur, tum ob reverentiam Divinæ Majestatis tunc manifestius apparentis, tum ne reducto per Pontificem velo conjiceret quispiam temere oculos in Sancta Sanctorum, quæ ipsemet Summus Sacerdos excitando fumum ope suffitus caecabat, ne sibi essent conspicua. Observant tamen Magistri Pontificem, quum in adytum pervenisset, brevem effudisse precationem pro populo in atrio cum Sacerdotibus commorante, ne si prolixius orasset, timeret populus aliquid mali, aut inopinatum quid evenisse Pontifici. Imo referunt ipsa verba precationis, quorum sequens est sensus: *Placeat tibi, Domine Deus noster, ut annus hic calidus sit, & pluvius; ut supremum dominium in Juda familia persistat, ut populo tuo nihil desit eorum, quæ ad vitam sunt necessaria; & minime velis viatorum preces exaudire*. Viatores enim pleramque id poscunt, quod eorum convenit itineri: nec curant, quæ aliis prosunt, terræque frugibus sunt necessaria.

(75) Sanctus Pontifex Maximus iis, quæ leguntur in textum, exuebat lineas vestes cum Sacerdotibus communes, quibus jam erat indutus, nempe tunicam, feminalia, zonam, & cidarim בד, de quibus supra verba feci, atque in atrio se lavabat in labro æneo juxta Altare holocaustorum pro hujusmodi lotionibus posito. Deinde induebat se vestibus suis, idest Pontificalibus; nam ea, quæ restabant peragenda, læta erant & solemnia. Num vero alias vestes Sacerdotales cum Pontificalibus sumeret, an easdem lineas indueret, quæri solet. Rabbini sentiunt vestes albas Pontificis post Expiationis ministerium, neque Pontifici amplius, neque cuipiam gregariorum Sacerdotum usui fuisse; sed eas in Templo alicubi absconditas perpetuo remansisse; idque pro-buit

obtulerit Holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se, quam pro populo; & adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super Altare. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aquâ, & sic ingreditur in castra. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles, quam carnes eorum ac fimum, & quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aquâ, & sic ingredietur in castra. Eritque vobis hoc (76) *legitimum sempiternum.*

CAP. XIII.

De oblatione incensi.

PRæter Sacrificia vero, quæ diximus, erat etiam quotidiana oblatio incensi in Altari (77) thymiamatis, & hæc vero cujusmodi

A fuerit, explicabitur, primum quæ in Lege, deinde quæ extra Legem reperiuntur, allatis. Exodi XL. *Candelabrum stabit cum lucernis suis, & Altare aureum, in quo adoletur incensum coram Arca Testimonii. Posuit & Altare aureum sub tecto Testimonii contra Velum, & adolevit super eo incensum aromatum*, & XXV., ubi agitur de Altari thymiamatis constituendo: *Et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans mane, quando componet lucernas, incendet illud; & quando collocabit eas ad vesperam, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.* Quo modo vero, & ex quibus aromata fierent, supra ostendimus, cum de Tabernaculo disseruimus. Hæc in

B Lege. Nunc quæ extra Legem. Secundo primi Regum: *Elegi Aaron ex omnibus Tribubus Israel mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad Altare meum, & adoleret mihi incensum*, & nono tertii: *Offerebat* (78) *Salomon ter quotannis Holocausta, & pacificas victimas super Altare, quod ædificaverat Domino, & adolebat thymiama* co-

---

bant ex laudatis verbis à Nostro: *Relictisque ibi:* והניחם שם, *& reponet eas ibi.*

(76) Nimirum, à posteris vestris hæc Lex erit perpetuo observanda, quamdiu status vestræ Reipublicæ perseverabit. Nam vox עולם, quæ voci *sempiternum* in fonte Hebræo respondet, C talis est potestatis, ut non semper illud sempiternum significet, cui numquam finis erit futurus; sed tam finitum, quam infinitum potest significare. Se accommodat enim naturæ subjecti, cui conjungitur, & fines ab eo removet, quantum illud pati potest; verbi caussa, si agitur de Deo, æternitas vera intelligitur; itemque de mente Angelica, vel humana suo modo. Sin autem de rebus corporeis est sermo, intelligitur tale attributum propositum convenire illis, quamdiu existent, quasi dicas, numquam existent sine hoc attributo. Si vero agitur de medio ad finem tendente, sensus est, medio illi locum fore, quamdiu ad illum finem tendere oportet. Denique, si de appendice subjectum comitante textus loquatur, significat eam mansuram, quamdiu permanebit subjectum. Exempla quum passim è Sacra Scriptura peti possint, eadem hoc loco subjicere superfluum opinor. D

(77) Consentiunt recentiores Interpretes, Altare thymiamatis, sive aureum, situm fuisse in Sancto ad ostium Sancti Sanctorum inter mensam panum propositionum & candelabrum; non autem in adyto, ut Sanctus Augustinus, Pater quamvis doctrina clarissimus, in Quæst. supra Exodum sensit. Patet enim ex verbis Moysis, quæ leguntur in Exodi cap. XXX. 6. Altare thymiamatis in Sancto fuisse collocatum: *Posuisque Altare*, inquit, *contra velum, quod ante Arcam pendet Testimonii, coram Propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi.* Et Exodi XL. *Posuit & Altare aureum sub tecto Testimonii contra velum, & adolevit super eo incensum aromatum.* Deinde ex Philone *libro de victimas offerentibus* duo Altaria distinguente, unum ex collectitiis impolitis lapidibus, aureum alterum, & dicente de aureo: *Aliud vero aureum intra primum velum in loco inaccesso est, nemini conspicuum nisi Sacerdotibus, functionis suæ tempore castitatem servantibus, quod factum est adolendis odoribus.* Josephus etiam Antiquit. lib. III. cap. VII. inter candelabrum, & mensam fuisse Altare thymiamatis haud obscuris verbis testatur. E

Horum testimoniis ratio quoque suffragatur. Etenim si Altare aureum situm fuisset in adyto, Sacerdotes pro eorum vice singulis diebus thymiama adolentes, singulis etiam diebus eò penetrassent, neque id privilegium fuisset solius Summi Pontificis, qui, & quidem semel in anno, ut sequenti libro demonstrabo, in illum ingrediebatur. At S. Paulus in Epistola ad Hebræos cap. IX. videtur Altare aureum in Sancto Sanctorum collocare,

ait enim versiculo tertio: *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum* χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, *& arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro.* Huic difficultati a Scriptoribus bifariam occurritur. C Aliqui putant non de Altari aureo Apostolum agere, sed de aureo illo thuribulo, in quo Pontifex Maximus thymiama adolebat solemni die Expiationis adytum ingressurus, tum ut nebula ex ejus fumo excitata Oraculum tegeret, tum ut suffitu suavissimi odoris Sacratissimus locus honoraretur. Hoc enim thuribulum juxta Philonis testimonium Pontifex in adyto deponebat, nec illud reportabat, nisi quum anno revoluto novum inferret. θυμιατήριον vero illud vas, sive thuribulum significare, quod manu sustentat, qui suffitum accendit, ex Versione LXX. liquido patet, tum II. Paralip. cap. XXVI 19. *Iratusque Ozias tenens in manu thuribulum*, θυμιατήριον habent Senes, *minabatur Sacerdotibus*: tum capite VIII. Ezechielis vers. 11: D *Unusquisque habeat thuribulum* θυμιατήριον *in manu sua.* Constat tamen apud Josephum libro tertio Antiqu. cap. VII., & de Bello libro sexto capite VI. vocem θυμιατήριον non pro thuribulo, sed pro ipso Altari thymiamatis usurpari. Hinc alii sentiunt non illud thuribulum à S. Paulo significari, quod in adytum Pontifex inferebat, de quo in Scriptura nusquam legitur ibidem in annum relictum fuisse; sed ipsum Altare thymiamatis denotari, quod ideo dicit Apostolus Sanctum Sanctorum habuisse, quia hoc Altare factum fuit, ut illi inserviret, haberetque honorem thuris ab eo sacratior pars Tabernaculi, quandoquidem ita juxta erat collocatum, ut fumus a proximo adytum obnubilaret. E Quare ad hunc locum S. Pauli notat Eruditissimus Estius, Apostolum non sic dicere: *Tabernaculum, in quo erat aureum thuribulum; sed aureum habens thuribulum*; videlicet proxima sibi admotum, ut ipsi serviret.

(78) Offerebat scilicet, victimas suppeditando Sacerdotibus pro Sacrificiis Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Vide II. Paralip XXXI. 3. Adolebat vero thymiama, ministerio nempe Sacerdotum; nam Salomon quum generis Sacerdotalis non esset, non poterat super Altare aureum suffitum adolere. Solus enim Aaron, & filii ejus super cultum Sacerdotis fuerunt constituti, ut habetur Num. III. 10. Quare Regis non erat adolere, sed facere pro religiosa ejus munificentia, ut Sacerdotes adolerent.

A *coram Domino*, & XXII. *Adhuc populus adolebat incensum in Excelsis*, & VI. primi Paralip. *Aaron, & filii ejus adolebant incensum super Altare Holocausti, & super Altare thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum*, & XXVI. secundi: *Cum roboratus esset Ozias Rex Juda, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque Templum Domini adolere* (79) *volens incensum super Altare thymiamatis; statimque ingressus est post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino; sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium, egredere de Sanctuario*, B *ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo; iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statimque est orta lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus*, & XXIX. *Patres vestri reliquerunt Deum, incensum non adoleverunt, & Holocausta non obtulerunt in Sanctuario Deo Israël*, & Isaiæ primo: *Holocausta arietum nolui, incensum abominatio est mihi.* Quibus adjici quoque potest locus S. Lucæ insignis: *Cum Sacerdotio fungeretur Zacharias* (80) *in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in Templum Domini, & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.* De oblatione vero thuris sic diserte tradidit Philo in libro de Sacrificantibus: *Lex jubet duo poni Altaria, materia, loco, usuque differentia. Alterum enim è saxis collectitiis impolitis extruitur in atrio, juxta Templi vestibulum ad immolandas Victimas; alterum vero aureum situm est post primum Velum in penetralibus, nemini conspicuum, nisi Sacerdotibus functionis suæ* (81) *tempore castitatem servantibus, quod factum est adolendis odoribus. Unde liquet,* B *micam thuris oblatam ab homine pio Deo gratiorem esse multis Hostiis, si offerenti non adsit probitas, quanto enim aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata Victima; ideo non solum materiæ precio, artificum opere, sanctitateque loci ara hæc augusta facta est, sed & hoc, quod apud eam quotidie Sacra exordium sumunt à gratiarum actionibus; non est enim fas immolare foris, priusquam intus summo mane suffitus factus sit, quo significatur nihil aliud, nisi*

(79) Ozias, qui quarto Regum XV. Azarias nuncupatur, initio regni pius ac felix, adversus Philisthiim, Arabes, & Ammonitas fortiter C dimicavit, & victor ex prœliis omnia loca usque ad Ægypti terminos regno Judæ subjecit. At rerum prosperitate insolentior factus, Sanctum ingredi, & thus super Altare thymiamatis adolere contra fas ausus fuit, obsistente licet Azaria Summo Pontifice una cum octoginta Sacerdotibus zelo divinæ Legis flagrantibus. Quid? Pœnas temeritatis illico dedit, eodem loco lepra percussus, quæ statim in ejus fronte se manifestavit. Ozias divina animadversione perterritus è Templo, & urbe discessit, & habuit, quoad vixit, facinoris sui hanc comitem pœnam.

Josephus huic prodigio, quod sacræ literæ nobis testantur, alia quædam admiscet, nam libro nono Antiquit. cap. XI. narrat de Ozia: *Quum venisset solemnis festi celebritas, sumpto Sacerdotali habitu, ingressus Templum, ad aureum Altare Deo suffitum facturus astitit. Ac*- D *currit eo mox Azarias Pontifex octoginta Sacerdotum globo stipatus, & Regem compescuit, vociferans ac negans hoc illi fas esse, sed solis Sacerdotibus datum suffire, qui sint ex Aaronis genere: jubebatque ut exiret, & Deum talibus factis provocare ad iram desineret. Tum Rex commotus mortem illis, ni quiescerent, minatus est: & ecce tibi, terra vehementer concutitur, fissoque superne Templo, radius Solis in Regis improbum fertur, quod e vestigio lepra contactum est. Accessit huc & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante Urbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis revulsum, per quatuor stadia volutum, objectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis. Sacerdotes vero postquam in facie Regis lepram animadverterunt,* E *divinitus inflictam ei plagam indicaverunt, & ut tamquam pollutus & impurus urbe cederet, admonuerunt. At ille pudore calamitatis jam modestior, paruit, superbiæ cum impietate conjunctæ tam miserabili pœna mulctatus; & quum aliquandiu privatus extra urbem vixisset, filio Jotamo Rempublicam administrante, mœrore tandem confectus obiit anno ætatis sexagesimo octavo, regni quinquagesimo secundo, sepultusque est in suis hortis in monumento solitario.*

(80) De Zacharia patre Johannis Præcursoris Domini hæc in Evangelio comperimus. Zacharias Sacerdos de familia Abia, & Elisabeth conjuges, morum innocentia, & sanctitate conspicui, filiis carebant: insuper uxor sterilis erat, & ambo senes. Quum Zacharias in Templo per ejus hebdomadario Sacerdotio fungeretur, sorte exiit, ut ingressus in Sanctum super Altare aureum incensum adoleret. Interim Gabriel stans ad dexteram Al- C taris incensi illi apparuit, filium ex Elisabeth promittens, quem Johannem nuncuparet. Zacharias suam & uxoris senectutem causatus, signum promissi postulavit. Ad hæc Gabriel prædixit loquelæ usum ipsi ademptum fore, quousque non complerentur promissa, quod nuntianti Angelo non credidisset. Dum hæc agebantur in Sancto, populus reditum Zachariæ præstolans, diuturnam moram admirabatur. Demum egressus, è vestigio linguæ impedimento correptus est, solisque nutibus indicabat insuetum aliquid ei accidisse. Populus visum ipsi portentum in Templo censuit. Hic Zachariæ status mansit, donec Elisabeth conceptum filium post novem menses in lucem edidit, usque dum die octava puer debebat circumcidi. Tunc quæsitum inter vicinos & cognatos, quo nomine vocandus esset: Johannes, mater respondit; quod nomen quum D cognatis haud placeret, de eo patrem sciscitantur. Zacharias sumpto pugillari scripsit: *Johannes est nomen ejus.* Tum linguæ vinculum fuit solutum, vicinia tota terrore perculsa, & repletus Spiritu Sancto vaticinatus est: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ* &c.

(81) Tria erant quotidiana Sacerdotum officia, quæ tempore functionis, seu vicis eorum debebant obire. Primum oblatio thymiamatis super Altare aureum, hoc est aureis laminis obductum, mane, & vespere. Secundum juge sacrificium super Altare holocaustorum, mane, & vespere. Tertium accensio lucernarum, itemque illarum repurgatio, si quid immunditiæ contraxissent, novique olei infusio, summo mane, & vespere. Ceterum modus adolendi incensum super Altare thymiamatis ex Abulensi ad caput XXX. Exodi E quæst. VII. fuit sequens. Sacerdos ex Altari holocaustorum sumebat thuribulum, quod prunis ejusdem Altaris implebat. Intrabat deinde in Sanctum, imponebatque incensum super thuribulum, quod super Altare thymiamatis mox statuebat, donec in columnam fumi totum abiret. Eo consumpto deferebat thuribulum extra castra, ut quod ignis reliquum erat, deponeret in loco mundo: demum ad Altare holocaustorum thuribulum referebat. Alii tamen probabilius arbitrantur ignem è thuribulo demissum fuisse super Altare aureum, vel super ejus craticulam, atque adeo Sacerdotes uti thuribulis consuevisse igni deportando, non vero ad incensum super Altare adolendum. Vide eruditissimum Tornielium ad annum 2544. num. 70.

nisi Deum non delectari Victimarum multitudine, sed offerentis bona mente, ac spiritus puritate.

CAP. XIV.

De donis sacris.

HActenus de Sacrificiis. Nunc de (82) donis sacris agamos, quæ io hoc diversa à Sacrificiis fuerunt, quod io Sacrificiis oblationes aut ex toto, aut ex parte consumtæ sunt, io donis iotegræ atque illæsæ servatæ suot. Hæc vero aut ex Lege, aut ex voto, aut ex pura voluntate data sunt. Unde illud est Numerorum XXIX. *Hæc offeretis Domino in Solemnitatibus vestris, præter vota, & oblationes spontaneas.* Ex Lege, ut primitiæ, decimæ, & pecuoia sacra, de quibus in universum Deuteronomii XII. *Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis Tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis ei loco illo Holocausta, & Victimas vestras, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria primogenita boum & ovium.*

CAP. XV.

De Primitiis, & Decimis.

PRimitiæ (83) porro dictæ, quæ cuique primo sive ex animalibus, sive ex hominibus, sive ex semine terræ orta suot. Decimæ, omnium fructuum, quos singulis annis è terra & pecudibus eliciebant, pars decima. Primitiæ (84) vero sive ex Lege, sive ex voto oblatæ, usui Sacerdotum cedebant.

De primitiis (85) Legis sic præcepit Deus, Exodi

(82) De donis sacris ita scribit Maimonides, præsertim Tractatu בכורים cap. I. sect. pr. Viginti quatuor erant dona, quæ sacra erant, ac jussu Dei Sacerdotibus danda, quæ omnia in Lege expressa sunt, & ad omues spectabant, qui ad Aaronem pertinebant. Quicunque igitur comedit donum, in quo sanctitas toest, maledicit Deo, qui sanctificavit illud sanctitate Aaronis, & mandavit illi hoc, vel illo modo comedere. Octo ex hisce donis Sacerdotibus nullibi licebat comedere, quam in Sanctuario in ipso atrio, nam erant sanctissima. Quinque autem dona non edebant, nisi in urbe Jerusalem intra mœnia Et quinque non nisi in terra Israelis comedere licebat. Quinque autem tam intra, quam extra terram comedere permissum erat, adeoque minus sancta reputabantur. Unum tantummodo licebat à Sanctuario.
Octo dona, quæ nullibi quam in Sanctuario comedere licitum fuit, hæc erant: I. Caro sacrificii pro peccato, *Levit.* 6. 25. II. Caro sacrificii pro delictis, *Levit.* 7. 16. III. Pacificum congregationis, *Levit.* 7. 18. IV. Reliquiæ *Homer* agitationis, *Levit.* 23 10. V. Reliquiæ muneris Israelitarum, *Levit.* 6. 16. VI. Duo panes agitationis. VII. Panes propositionum, *Levit.* 24. 9. VIII. Demum *Log* olei leprosi, *Levit.* 14. 10.
Sequuntur nunc alia quinque dona, quæ comedere nefas erat, nisi in urbe Jerusalem. I. Pectus, & armus in sacrificiis Eucharisticis, *Levit.* 7. 24. II. Sacrificium elevationis, & confessionis, *Levit* 7. 12. III. Sacrificium agitationis, & elevationis arietis Nazaræorum, *Numer.* 6. 17. IV. Primitiæ omnium mundorum pecorum, *Num.* 18. 15. V. Demum primitiæ omnium frugum, *Num* eodem loco.
Hæc quinque dona pertinebant solum ad terram Israeliticam. I. Sacrificium agitationis, & elevationis primitiarum, *Num.* 18. 12. II. Sacrificium agitationis decimarum, *Num.* 18. 28. III. Primitiæ massæ collyræ, *Num.* 15. 20. & hæc tria sancta erant. IV. Primitiæ vellerum ovium, *Deuter.* 18. 4. V. Agri, & prædia possessoria, *Num.* 35., & hæc duo communia erant.
Quinque dona Sacerdotibus quovis loco licita erant. I. Donum bestiæ mactatæ, ubi pectus, & armus Sacerdotibus cedebant, *Deuter.* 18. 4. II. Redemptio primogeniti, *Num.* 18. 15. III. Primitiæ asini, *Exodi* 34. 20., & *Num.* 18., qui redimebatur agno, sive ex ovibus, sive capris, sive masculo, sive femella, & juxta Hebræorum sententiam, sive perfecto, sive vitioso. IV. Restitutio illius, quod per rapinam extraneo erat ablatum, *Num.* 5. 5. V. Denique omnia devota, *Num.* 18. 14. Hæc quinque dona quovis respectu communia erant.
Dona, quorum & mulieres erant participes quinque erant. I. Sacrificium agitationis primitiarum. II. Sacrificium agitationis decimarum. III. Collyræ. IV. Dona pecorum. V. Tandem primitiæ vellerum. Postremo donum ob Sanctuarium Sacerdotibus conveniens erant pelles holocaustorum, *Levitici* 7. 8. Ita Maimonides ordinat donorum seriem, sed Magistrorum alii aliter.

(83) Mos offerendi Deo primitias non solum lata Lege apud Hebræos obtinuit; sed legitur ab Ethnicis quoque erga eorum falsa Numina servatus fuisse. Veteribus Romanis consuetudo erat (satis sit hos tantum meminisse) ut rerum primitiæ Diis Laribus ponerentur, de qua Horatius libro II. Satyra V. Romanorum suæ ætatis mores sugillans:

. . . . dulcia poma
Et, quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

Veterum vero religionem Plinius commendans sic ait libro XVIII. cap. 2. *At ne degustabant quidem novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libassent.* Sed quum libro IV cap 12. asserit primitias frugum ab Hyperboreis Apollini Delio per virgines missas fuisse, erravit Plinius, & ex eo Solinus. Non enim primitiæ frugum per virgines mittebantur, sed primitiæ sacrorum, prosiciæ scilicet ex immolata hostia, extorumque partes, quæ junctæ vel stipulis frumenti, ut habet Herodotus, & Pausanias, vel fascibus mergitum occultatæ, ut Callimachus, & Servius, Delum ab Hyperboreis mittebantur. Ceterum omnium antiquissimum fuisse primitiarum usum scripsit Porphyrius de Abstinentia anim. II. paragrapho quinto. *Vetus sacrificandi consuetudo fuit per placentarum, & fructuum oblationes: unde voces* Θυσία *primitiæ ex odoriferis plantis, & fructibus,* Θυλλὴ *arcula, in qua illæ primitiæ asservantur.*

(84) Qui exactius se loqui profitentur, Primitiva à Primitiis ita distinguunt, ut Primitiva sint בכורים. Primitiæ vero תרומות Primitiva adducebantur ex maturescentibus frugum generibus. Primitiæ dabantur ex fructibus terræ elaboratis jam, & ad humanum usum præparatis, harumque separatio Primitivorum separationem sequebatur. Non desunt tamen viri eruditi, qui inter בכורים, & תרומות nullam distinctionem agnoscunt.

(85) Ad Hebræos quod attinet, si Primitiarum vox in sensu generaliore capiatur, tria complectitur. Πρωτογεννήματα, πρωτότοκα, & ἀπαρχάς. Πρωτογεννήματα Græcis dicuntur, quæ Hebræis בכורים Bicurim, munera nempe, quæ de frugibus maturescentibus, neque adhuc elaboratis, festo primitiarum

Exodi XXII. *Primitias tuas non tardabis reddere. Primogenitum* (86) *filiorum tuorum dabis mihi; de bobus quoque & ovibus similiter facies, septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi*, & sequenti: *Primitias frugum terræ* (87) *tuæ deferes in domum Dei tui*, & Numerorum V. *Omnes primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad Sacerdotem pertinent, & quid-*

quid

rum pro aliis frugibus offerebantur. Πρωτότοκα sunt primitivi animalium fœtus, etiam hominum. Ἀπαρχαὶ Hebræis תרומות *Therumod* dictæ eæ fuerunt, quæ de frugibus universis jam elaboratis, idest in massam, vel liquorem redactis, sepositæ Sacerdoti tradebantur. Nunc de *Bicurim* verba faciamus. בכורים totius cõgregationis duo erant; hordei secunda die Azymorum, & tritici festo Pentecostes. Antequam enim Judæi in messem falces immitterent, primitias ad Templum deferre debebant; nec & nunc antea usus collectarum frugum singulis permittebatur, quam ex illis primitias persolverent. Manipulo hordei sub vesperam diei quintædecimæ Nisan collecto, ejus grana excutiebantur in atrio Templi, quæ deinde igne tosta, & in mortario tusa à Sacerdotibus offerebantur secunda die Azymorum, olei *log* superfuso, & adjecto thuris pugillo. Inde messes colligendi cuique facultas erat.

At die Pentecostes aliæ Domino primitiæ offerebantur, duo scilicet panes tritricei ex duobus farinæ assaronibus, quibus Sacerdotes, ut ait Josephus Antiqu. lib. III. a. 10., inter cœnandum vescebantur, ita tamen ut reliquiæ in crastinum non superessent. Hæ primitiæ, quæ totius Gentis nomine offerebantur תנופות *Thenuphod*: sicut quæ singulis erant præscriptæ תרומות *Therumod* solent appellari. Therumod vero hisce ferme speciebus constabant, tritico, hordeo, uvis, ficis, melogranatis, olivis, & dactylis: & licet quantitas horum fructuum in Scriptura non definitur, eam tamen definiunt Magistri, fuisse sexagesimam illorum partem id probantes ex Ezechielis XLV. 13., ubi ad תרומה sexta pace Epha ex Homer requiritur. Itaque ajunt: עין יפה *oculus bonus*, idest homo liberalis dat unum ex quadraginta עין רעה *oculus avarus* unũ ex sexaginta עין בינונית *oculus medius*, idest homo nec liberalis, nec avarus, unum ex quinquaginta. Pharisæi vero ut meliores aliis viderentur, tricesimam partem Sacerdoti tribuebant.

Qua vero pompa hæ primitiæ in Templum deferrentur (postremis saltem Judæorum temporibus) ex Maimonide in *Bicurim* sect. 26. cap. 4. subjiciam. Quoties primitiæ colligebantur, singula oppida alicujus regionis conveniebant ad Urbem præcipuam, ut iter simul ingrederentur. Pernoctabant autem, & diversabantur in vicis Civitatum, non in ædibus, pollutionis metu; postridieque perrecturis dicebat Dux agminis. *Surgite, eamus Sionem, ascendamus in Civitatem Domini Dei nostri.* Agebant vero ante se bovem cornibus inauratum, & serto oleagino insignem, quo septem præstantiorum fructuum primitiæ indigitabantur. Similiter tibicen præcedebat, donec Jerusalem perveniretur: quò quum devenissent, a Civibus obviam procedentibus comiter excipiebantur. Verum postquam in montem, cui Templum insidebat, ventum esset, quisque, ne Rege quidem excepto, canistrum suum in humero tollens, ad atrium usque Sacerdotum illud deferebat. Tunc Levitæ intonabant: *Exaltabo te, Domine, quoniam elevasti me.* Psal. XXX. Et qui primitias deferebat, recitabat hæc verba ex Deuter XXVI. 3. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terra, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* His dictis canistrum in manu tollens, Sacerdote illud inferius subsistente, prosequebatur: *Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam, & robustam, & infinitæ multitudinis. Afflixeruntque nos Ægyptii, & persequuti sunt imponentes onera gravissima: & clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram, & laborem, atque angustiam. Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in signis, atque portentis; & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias fructuum terræ, quam Dominus dedit mihi.* Absoluta formulâ, Sacerdos ad Altaris latera canistrum deponebat, & qui illas adduxerat discedebat.

(86) Ob beneficium in Israëlem collatum in Ægypto, quum omnia primogenitum Ægyptiorum Deus percussit, parcens Judæis, illis præcepit, ut hominum primitiæ, & animalium mundorum, nempe primogeniti, Deo sacri assent; ita tamen ut primogeniti hominum quinque siclis, prout siclus Sanctuarii, redimerentur; & mundorum animalium primogeniti, puta ovis, vel bovis, vel capræ, redimi non possent, sed immolarentur. Primogenitus vero animalis impuri, quo vesci non permittebatur, puta equi, vel asini, vel cameli, quæ tamen bruta erant domestica, & Judæorum servitiis destinata, pretio, vel aliqua re pro illo oblata, redimebatur. Sed asinus vel ove, vel quinque siclis debebat commutari, si vero non redimebatur, occidi. Carnis vero pretium in Domo Domini non offerebatur. Insuper primogeniti Levitarum liberi erant à redemptione, nam eorum Tribus erat servitiis Templi destinata. Sicut etiam liberi erant omnes masculi, qui à matre nascebantur, quæ primo partu femellam enixa esset. Leo da Modena in opusculo *de cærimoniis Judæ.*, hunc ritum describit, quo Hebræi nostri temporis natu primores solent redimere. Postquam primogenitus explevit dies XXX., pater aliquem ex stirpe Aaron domum invitat, paratque in cratere, vel pelvi multum auri argentique. Sacerdoti sistitur puer ulnis ejus excipiendus: deinde inter brachia illum sustentans, elata voce ita matrem alloquitur: *Puer hic, mea mulier, num ad te?* Cui illa: *omnino. Habuisti ne ante hunc*, subdit Sacerdos, *alium sive marem, sive fœminam, sive abortum?* Ad quæ mulier: *numquam. Scias igitur*, addit Sacerdos, *infantem hunc veluti primo natum ad me spectare.* Mox oculis in genitorem defixis, illum sic affatur: *Si voluptas tibi est retinere puerum, fac redimas. Vis auri argentique*, pater reponit, *quam vides, hoc fine tibi à me offertur. Vis igitur*, ait Sacerdos, *illum redimere? Volo*, parens respondet. Tunc Sacerdos faciem ad Cœlum obvertit, & deinde ad adstantes conversus, *bonum*, inquit, *factum. Hic primogenitus jure ad me spectabat, cujus redemptio erit post mensem sicli argenti quinque. Verum ego his contentus sum.* Et duos aureos nummos, vel circiter è cratere accipit, puerumque parentibus restituit. Dies illa in tota familia solennis habetur, ad quam festivitatis caussa plures conveniunt domum, ubi redemptio infantis est peragenda. Sed revera nemo ad unum invenitur apud Judæos, qui se descendere ex progenie Sacerdotali, seu etiam ex Tribu Levi argumentis idoneis possit probare, in tot tantisque populi cladibus, in Gentis calamitate tam diutina, & in familiarum transmigrationibus tam frequentibus.

(87) Præter species primitiarum hactenus recensitas, aliæ erant, nempe primitiæ massæ, quæ ad תרומה referebantur. Quoties panis in usum familiæ conficiendus erat, portio farinæ aqua subactæ in usum Sacerdotis, vel Levitæ cedebat. Si nullus vero Sacerdos, aut

Levita

quod in Sanctuarium affertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.

De votivis autem primitiis Deus loquens ad Aaron, & Levitas, sic XVIII. dixit: *Primitias, quas voverint, & obtulerint filii Israël, tibi dedi, & filiis tuis, & filiabus tuis jure perpetuo, qui mundus est in domo tua, vescetur ex eis, omnem medullam olei, & vini, & frumenti quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi; & universa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos, qui mundus est in domo tua, vescetur ex iis. Omne quod ex voto reddiderint filii Israël, tuum erit.* Docuit inde, ut primogenita hominum, & animalium immundorum redimerentur, boum vero, ovium, & caprarum, non item: *Quidquid*, inquit, *primum erumpit è vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit, ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito precium accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias, cujus redemtio erit post unum mensem, siclis* (88) *argenti quinque pondere Sanctuarii; siclus viginti obolos habet; primogenitum autem bovis, & ovis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino, sanguinem tantum eorum fundes super Altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino, carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.* Fuit etiam dies fe-

A stus, in quo messis primitiæ ex Lege offerebantur, de quo supra diximus.

De decimis (89) porro hæc in Lege comperimus, primum, ut Deo offerantur, deinde, ut ad usum Sacerdotum traducantur. Exodi XXII. *Decimas tuas non tardabis reddere*: Levitici XXVII. *Omnes decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ* (90) *sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.*

Ceterum S. Hieronymus super Ezechielem quatuor genera decimarum elicit ex verbis Legis; unam, quam populus (91) Levitis da-

B bat; alteram, quam ex suis decimis Levitæ dabant Sacerdotibus: de quibus ambabus scribi inquit Num. XVIII. *Præcipe Levitis, atque denuncia. Cum acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum tam de areis, quam de torcularibus, & de universis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron Sacerdoti, omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt cuncta.*

Tertium inde genus decimæ fuit (inquit ille) quam (92) unusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, ut comederet eam

C proficiscens ad Templum in vestibulo ejus, &

Levita in loco erat, ubi panis torrebatur, In clibano relinquebatur igni absumenda. Leo Modena parte II. c. 9. scribit, etiam num ex massa confecta particulam separari, ex qua lagenum pro primitiis à Lege mandatis efficitur, quod avito more Sacerdotibus tradebatur, at nunc in ignem conjicitur penitus comburendum.

(88) שקל apud Hebræos nummus erat, & pondus, quod Veterum mos esset lancibus appendendo pecunias accipere, & dare. Est enim à radice שקל *appendere*; unde Chaldæi etiã à תקל *appendere* תקלא Siclum appellant. Putant Eruditorum nonnulli duplicis

D generis Siclum fuisse, alterum regium, sive communem, quo in profanis rebus tractandis Judæi uterentur; alterum Sanctuarii, seu Sacrum, qui penderetur Deo ad cultum Tabernaculi, sive Templi suendum. Siclus sacer horum sententia erat τετράδραχμος; regius vero δίδραχμος, hoc est Siclus sacer quatuor drachmis constabat, duabus regius. Sed Recentiores, quorum longe est probabilior sententia, unius tantum generis siclum agnoscunt, qui continebat quatuor drachmas Atticas, seu duas Alexandrinas, idest quatuor Julios Romanos, vel præter propter. Siclus vero aliquando Sanctuarii dicebatur, ut indicaretur pondus ejus justissimum, exactum nempe ad normam ponderis sicli in Taber-

E naculo, vel in Templo servati; nam nihil magis legibus sacris obversatur, quam pondus & pondus, nimirum duplex & diversum pondus, ut optime advertit Clar. Pater Lamy de Tabernaculo lib. I. sect. 4.: ubi caussam assignat, cur siclus LXX. Senibus, & Philoni Judæo sit δίδραχμος; Josepho autem τετράδραχμος. Ratio diversitatis non in eo consistit, quod LXX., & Philo de siclis profanis loquantur; Josephus contra de Sacris. Sed ostendit LXX. Alexandrinis scribentes, ipsamque Philonem Alexandrinum de drachmis Alexandrinis intelligendos esse; Josephum vero scribentem Ethnicis Græcam linguam callentibus de drachmis Atticis explicandum. Drachmæ Alexandrinæ Atticis duplo erant majores: sed vide laudatum Patrem Lamy loco citato.

(89) Decimarum usus ad obeunda sacra ita est perantiquus, ut ex ipso naturali jure videatur profectus. Melchisedech Sacerdos & Rex, decimas ab Abrahamo excepit, *Genes. XIV.*, ut jam dixi de Melchisedecho dum scriberem. Jacob quoque ex omnibus, quæ è Mesopotamia adduxerat, decimas Domino consecravit, *Genes. XXVIII.* Idem præstitit Moyses ante Legem ex Madianitarum manubiis, *Numer. XXXI.* Verum apud Ethnicos quoque decimarum usus obtinuit. Jovi decimas solutas refert Herodotus; Apollini Pausanias, & Livius; Herculi Diodorus Siculus; Minervæ, & Dianæ Xenophon; Marti, ut enumerationi modum imponam, Lucianus, & Dionysius Halicarnasseus.

(90) Oves, boves, & capræ, ex quibus solam animalium generibus decimæ solvebantur, dicuntur emitti consuevisse ex caula per angustam januam, ubi Pastor præ foribus stans cum baculo colore imbuto decimum quodque animal obsignabat, sive macrum esset, sive pingue; sive vitiosum, sive non. Si decimum hoc animal sacrificio aptum erat, immolabatur; sin minus occidebatur, & comedebatur.

(91) Ex iis, quæ post oblationes, & primitias Judæo supererant, Levitæ decimas persolvebat, quibus tamen non antea uti Levita poterat, quam ex his decimas Sacerdotibus dedidisset. Decima, quam populus Levitis solvebat dicebatur מעשר ראשון *Decima prima*: ea vero, quam Levitæ Sacerdotibus dabant מעשר ממעשר, *Decima de decima.*

(92) Rabbini magno consensu scribunt ad caput XIV. Deuter. 21. Judæos præter decimam primam Levitis exhibitam, aliam adhuc decimam separasse, quæ tamen in Levitarum usum minime cedebat; sed ab ipso colono Hierosolymis absumebatur. Vocant hanc decimam מעשר שני, *Decimam secundam*. Pro hisce autem decimis secundis citari solet Tobiæ cap. I. 7. & 8. ubi δεκάτη δευτέρα dicitur, & testimonium Josephi Antiquit. lib. IV. cap. 8.

& Sacerdotes ac Levitas invitaret ad convivium; de qua Deut. XIV. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, ut in eo nomen ejus invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis, ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore; cum autem longior fuerit via, & locus, quem elegit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum cuncta portare, vendes omnia, & in precium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque, & siceram, & omne quod desiderat anima tua, & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua, & Levita, qui intra portas tuas est; cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.* Eandem vero praeceptionem supra XII. quoque cap. posuerat, inquiens: *Ad locum, quem elegerit Dominus, omnia quæ præcipio, conferetis, Holocausta, & Hostias, & decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovistis Domino: ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos, ac filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Levites, qui in Urbibus vestris commorantur; neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos*, & ibid. post: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, sed coram Domino Deo tuo in eo loco, quem ipse elegerit*, & Tob. I. *Pergebat in Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat eum, omnia primitia sua, & decimas suas fideliter offerens, ita ut in III. anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem.* Sunt tamen qui à S. Hieron. dissentiant, & tert. hanc decimam eandem esse cum prima contendant: licitum autem fuisse ex prima decima aliquid sumere, & cum Levitis in Templo epulari.

Quarta vero decima fuit, quæ non singulis annis, sed tertio quoque recondebatur ad pauperes sustinendos; de qua Deuteronomii XIV. *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, ac saturabuntur, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris*, item cap. XXVI. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ, ut* (93) *comedant intra portas tuas, & saturentur.*

(93) Sicut decimæ secundæ quotannis Jerusalem deferebantur, ut ibidem Judæus cum sua familia, & Levitis epulum instrueret: ita trietericum hoc decimarum genus quisque domi suæ persolvebat, tertio quoque anno ad religionis convivium excipiens Levitas, paupereique ex pusillis, & viduis oppidi, in quo morabatur.

(94) Ut quisque uno veluti obtutu cognoscere possit, quam liberaliter Deus egerit cum Sacerdotibus, & Levitis religionis suæ administris; subjicio sequentem supputationem, respicientem tamen solam messem triticeam. Habeat Colonus in reditu anni sex millia modiorum frumenti; hinc fiat census detrahendorum, & remanentium Colono hac ratione.

Hæc in Lege. Post Legem inde eadem observata sunt; ut XXXI. secundi Paralip. *Præcepit Ezechias Rex populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare Legi Domini. Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israël,* (94) *frumenti, vini, & olei, mellis quoque, & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt. Sed & filii Israël & Juda, qui habitabant in Urbibus Juda, obtulerunt decimas boum & ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo, atque universa portantes fecerunt acervos plurimos.*

Post reditum inde è Babylonia primitiæ & decimæ ad Gazophylacium deferri cœptæ; Neemiæ X. *Sortes misimus, ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructus omnis ligni ab anno in annum, in domo Domini: & primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in Lege, & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri Sacerdotibus, qui ministrant in domo Dei nostri: & primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei afferremus Sacerdotibus ad Gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus Civitatibus operum nostrorum. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum. Et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad Gazophylacium in domo thesauri; ad Gazophylacium enim deportabunt filii Israël, & filii Levi, primitias frumenti, vini, & olei, & ibi erunt vasa sanctificata.*

Pharisæi inde adeo exacte Legem sibi observandam putarunt, ut etiam decimas minutorum olerum darent: quod Christus arguit apud S. Lucam XI. *Væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & caritatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*

CAP. XVI.

De sacra pecunia, & Gazophylacio.

SAcra vero (hoc enim ex propositis sequitur) pecunia fuit, quæ Siclus est dicta, quam pretium pro animabus suis dabant Domino, in usum Tabernaculi, sic præcipiente Deo, Exodi XXX. *Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad numerum, dimidium sicli juxta mensuram Templi. Siclus viginti obolos*

6000. Proventus anni.
100. Theruma Sacerdotibus tradenda à Colono manus liberali.
5900. Residuum de Theruma adhuc bis decimandum.
590. Decima prima danda Levitis, & 59. decima decimæ ab illis dandæ Sacerdotibus.
5310. Residuum de Theruma, & decima prima adhuc decimandum.
531. Decima secunda in Templo absumenda.
4779. Residuum de Theruma, & utraque decima de 6000.

Unde apparet ex 6000. modiis frumenti dandos fuisse Sacerdotibus, & Levitis 1121.; nempe plusquam sexta pars redditus ipsis, & sacris usibus cedebat.

los habet; media pars sicli offeretur Domine. Qui habetur in numero à viginti annis, & supra, dabit pretium. Dives (95) *non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. Susceptamque pecuniam, quæ collata est à filiis Israel, trades in usus Tabernaculi Testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus earum.* Hanc ergo pecuniam per multos annos Sacerdotes constituto Templo exegerunt, deinde exigere desierunt.

Post autem cum ad faciendum Templum pecunia esset opus, neque ullam Sacerdotes haberent, quod exigere destitissent, Joas Rex iterum solvi voluit, ac propterea arcam instituit, in quam omnes in Templum ingredientes pecuniam illam conferrent; eam arcam Persico & Græco vocabulo (96) GAZOPHYLACIUM, quia gazam custodiret, & Syriaco (97) Corbonam appellarunt. Hac de re sic in Regum IV. capite XII. *Dixit Joas ad Sacerdotes: Omnem* (98) *pecuniam Sanctorum, quæ infertur in Templum Domini à prætereuntibus, pecuniam pretii, & quam sponte pro arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini, accipiant Sacerdotes quisque ab exactione sua, & in-*

A *staurent sarta tecta domus, si quid opus viderint instauratione. Igitur usque ad vicesimum tertium annum Regis Joas non instauraverunt Sacerdotes sarta tecta Templi; vocavitque Rex Jojadam Pontificem, & Sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instaurastis Templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam ab exactione vestra, quando ad instaurationem Templi dituri non estis illam. Et consenserunt Sacerdotes, ne ultra acciperent pecuniam à populo caussa sartorum domus. Et sumsit Jojada Gazophylacium unum, aperuitque foramen in tabula ejus, & posuit juxta Altare ad dextram ingredientium domum Domini, & dederunt in id Sacerdotes, qui custodiebant ostium, omnem pecuniam, quæ*

B *deferebatur in Templum; cumque videret nimiam pecuniam esse in Gazophylacio; ascendit Scriba Regis, & Pontifex, & argentarii, effuderuntque: & numerarunt pecuniam, quæ inventa est in domo Domini, & dederunt eam promtam in manus operariorum domus Domini.* Item secundo Paralipom. XXIV. Proferam vero verba Græcæ translationis, quia aliqua ex parte clariora sunt, eadem (99) tamen manente sententia: *Convocavit Joas Sacerdotes, & Levitas, &*

(95) Varias caussas assignant Interpretes, ob quas in censu populi æquale pretium pendere deberet dives, & pauper, dimidium videlicet sicli quod in Tabernaculi, vel Templi usum cedebat. Præcipuæ sunt sequentes. Prima, ut ex siclorum numero populi numerus constare posset. Secunda, ut jurgiorum occasio inter divitem, pauperemque tolleretur de medio: atque adeo ne pauperes, quod minus dedissent, despicerentur, & ne divites sibi sacra, tamquam suis sumptibus parata, vindicarent. Tertia demum, ut ostenderet Deus, apud quem nullus est personarum respectus, æque sibi pretiosam esse vitam divitis, ac pauperis: unde etiam æquali pretio eorum animas Christus redemit.

(96) Ex Persica voce *Gaza divitiæ*, & φυλάττειν Græco verbo *custodire*, compositum est Γαζοφυλάκιον, quod erat locus ille, in quem publicæ divitiæ inferebantur, servabanturque. Hebræis Gazophylacium est גנזך *Ganzach*, à radice apud ipsos inusitata גנז; sed apud Chaldæos *abscondidit*, vel *recondidit* significante. At Syrus vocem *Gaza* retinuit, reddens Hebræam vocem גנזך *Gazophylacium* בית גזא *domum Gaza*. Ab eadem Persica voce Gaza vult Pomponius Mela libro primo dictam fuisse Gazam urbem Palæstinæ unam scilicet ex quinque Satrapiis Philisthæorum. *Ceterum*, inquit, *in Palæstine est ingens, & munita admodum Gaza (sic Persæ ærarium vocant) & inde nomen est, quod quum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli & opes, & pecuniam intulerat.* Sed hæret aqua Pomponius, & qui eum sequuntur. Urbes enim Gaza in Hebræo non à ג incipit, sed e ע atque à voce עזה *fortitudo* dicitur, quia urbs erat ingens, & munita admodum, & scribit Diodorus Siculus libro XVII *munitissimam illam fuisse, ut Alexander bimestri obsidione obsessam ægre ceperit.*

(97) Vox קרבן *Korban*, quæ proprie nomen generale est cujusque donarii Deo oblati, per Synecdochen, vel Metonymice significat etiam ærarium, in quo munera Deo oblata asservabantur. Josephus libro II. *de Bello* capite VIII. de voce *Korban* in postremo hoc sensu sumpte ita scribit: *Est apud eos sacer thesaurus, quem Korban dicunt: hunc ad inductionem aquarum quum impendi jussisset Pilatus, populus tumultum excitavit; noluerunt enim pecuniam sacram ad profanos adhibere usus.* Ceterum de voce

C קרבן in propria significatione accepta qui plura desiderat, legat, quæ de eadem supra scripsi.

(98) Videns Rex Joas Templũ instauratione indigere, triplicem pecuniam, quæ inferebatur in illud, constituit veluti fundum reparationis ipsius, ut è textu à Sigonio laudato colligitur. Primum genus pecuniæ erat pecunia a prætereuntibus, כסף עובר *pecunia prætereuntium*, quam plerique Interpretum exponunt de hemisiclo, quem tenebantur in singula cepita pendere, qui vicesimum annum attigissent. Dicitur hæc pecunia à *prætereuntibus*, quod illorum esset pecunia, qui in populi censum ingrediebantur. Grotius putavit כסף עובר pecuniam illam fuisse, quam

D debant pro alienigenis, qui veniebant Jerusalem, Deum in ambitu Templi adoraturi, ut ipsorum nomine holocausta Deo offerrentur, de quibus Salomon loquutus fuerat, quum in Templi Dedicatione dixit: *Insuper & alienigena qui non est de populo tuo Israel, quum venerit de terra longinqua propter nomen tuum.... & oraverit in hoc loco; Tu exaudies in Cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia &c.* III. Regum VIII. Secundum genus erat pecunia pretii animæ כסף נפשות, quod scilicet offerebatur pro animæ suæ redemptione. Quum enim quis voto sese obstrinxerat aliquod vivens & animatum Domino se consecraturum, tenebatur illud offerre, vel redimere soluta ea pecuniæ summa, qua e Sacerdotibus fuisset taxatus. *Levitici* XXVII. 2. unde hæc dicitur pecunia *pro pretio animæ*.

E Grotius hanc pecuniam intelligit de dimidio sicli, quod viritim Judæi singuli ab anno eorum vicesimo quotannis ad usum Templi persolvebant. Tertium denique genus pecuniæ illud erat, quod sponte, & liberaliter Templo à religiosis Israelitis dabatur; quorum exempla habemus præsertim Exodi XXV. 2., & S. Lucæ XXI. 2. in Evangelica Vidua, quæ duo æra minuta in gazophylacium immisit.

(99) Ita profecto eadem manet sententia, ut frustra à Nostro Versio ex LXX. inducatur. Legitur enim in Latino Interprete: *Congregavitque Sacerdotes, & Levitas, & dixit eis: Egredimini ad civitates Juda, & colligite de universo Israel pecuniam ad sartatecta Templi Dei vestri per singulos annos; festinatoque hoc facite: porro Levitæ egere negligentius. Vocavitque Rex Jojadam*

& dixit eis : Exite in Urbes Juda , & cogite ex omni Israel pecuniam , ut sarciatur domus Dei in singulos annos , & festinate indicere , & Levitæ non festinarunt . Et vocavit Joas Jojadam Pontificem , & dixit ei : Cur non vidisti de Levitis , ut exigerent de Juda & Jerusalem , quod judicatum est à Moyse , quando convocavit Israel in Tabernaculum Testimonii , quia Gotholia fuit exlex , & filii ejus dissiparunt domum Dei . Fiat Arca , & ponatur in porta domus Domini extrinsecus , & edicant in Juda & Jerusalem : Conferes Domino , ut dixit Moyses ad Israel in deserto . Et dederunt omnes principes , & cunctus populus , & contulerunt , & conjecerunt in Arcam , ita ut compleretur , & attulerunt Arcam ad Præpositos Regis per manum Levitarum , & viderunt quod abundabat pecunia , & venit Scriba Regis , & Præpositus magni Sacerdotis , & exhauserunt Arcam , & posuerunt in loco suo , & ita fecerunt in dies , & coacervaverunt argentum multum : & dedit Rex , & Jojada Sacerdos facientibus opera in opificium domus Dei . Hæc autem eadem Josephus aliqua quoque ex parte clarius prodidit : *Joam ,* inquit , *Regem cupido resarciendi Templi incessit , atque accita ad se Jojada Pontifice jussit , ut in omnem mitteret regionem Levitas , & Sacerdotes , qui exigerent pro unoquoque capite dimidium siclum argenti ad instaurationem Templi , quod à Jorom , Gotholia , & filiis eorum videbatur esse destructum . Pontifex vero hoc non fecit , sciens , à nemine conferri argentum ; tertio vero & vicesimo anno Regni sui Joas Pontificem & Levitas negligentiæ arguens , jussit ut in proximum annum de Templi instauratione prospicerent . Itaque Jojadas consilium , quod gratum fuit populo , adhibuit ; fecit namque ligneam Arcam , & undique muniens eam , unum et foramen aperuit , quam ponens in Templo juxta Sacrarium , mandavit singulis , ut quantum vellent , in eam mitterent per foramen pro Templi reparatione , ad quod opus libenter populus omnis accessit , & multum argenti , multumque auri intulit . Quo facto evacuantes Arcam præsente Rege , Scriba simul , & Sacerdotes argentum enumeraverunt , quod fuerat illatum , deinde eam in eodem loco reposuerunt , idque quotidie obierunt .* Gazophylacio inde constituto pecunia à Josia Rege Templum sarcituro iterum hausta est ; sic enim quarto Regum vigesimo secundo scriptum est : *Misit Josias Rex Scribam Templi ad Helciam Sacerdotem magnum , ut confletur pecunia , quæ illata est in Templum Domini , quam collegerunt janitores Templi à populo , deturque fabris per Præpositos domus Domini , qui & distribuant eam iis , qui operantur in Templo Domini ad instauranda sarta tecta Templi .* Everso inde Templo simul etiam Gazophylacium est eversum , & restituto restitutum ; verum id non Arca tantum fuit , in quam pecunia jaceretur , sed (100) locus amplus , in quo etiam primitiæ & decimæ Levitarum

dam Principem , & dixit ei : Quare tibi non fuit curæ , ut cogeres Levitas inferre de Juda , & de Jerusalem pecuniam , quæ constituta est à Moyse servo Domini , ut inferret eam omnis multitudo Israel in Tabernaculum testimonii ? Athalia enim impiissima , & filii ejus destruxerant Domum Dei , & de universis , quæ sanctificata fuerant in Templo Domini , ornaverunt fanum Baalim . Præcepit ergo Rex , & fecerunt Arcam ; posueruntque eam juxta portam Domus Domini forinsecus . Et prædicatum est in Juda & Jerusalem , ut deferrent singuli pretium Domino , quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israël in deserto . Lætatique sunt cuncti Principes , & omnis populus ; & ingressi contulerunt in Arcam Domini , atque miserunt , ita ut impleretur . Cumque tempus esset ut deferrent Arcam coram Rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur Scriba Regis , & quem primus Sacerdos constituerat , effundebantque pecuniam , quæ erat in Arca : porro Arcam reportabant ad locum suum ; sicque faciebant per singulos dies , & congregata est infinita pecunia , quam dederunt Rex , & Jojada his , qui præerant operibus Domus Domini .

(100) Gazophylacii locus , quamquam conclusus solo vestibulo Orientalis portæ , ut inquit Clariss. Lamy , qui omnia ad Templum spectantia multijugi eruditione descripsit ; magnus tamen erat ; quum longum esset plusquam octoginta tribus pedibus , & latum plusquam uno & quadraginta pedibus cum dimidio : imo ætate Christi Domini illa porta Orientalis latior erat , si fidem Josepho adhibeamus . Vestibulum hoc , ut conjicere licet , factum erat latius , & totum apertum , ut in eo major Israelitarum numerus exciperetur , & quæ in eo fiebant & dicebantur , videri , & audiri possent ab iis , qui degebant sub dio . Itaque aptus locus concionibus : unde S. Johannes significare volens in loco celebri , & coram frequenti concione habitos fuisse illos sermones Domini , quos capite septimo , & octavo complectitur , inquit VIII. 20. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in Templo .* Hinc perperam , & imperite admodum miratur (monente eodem Eruditissimo P. Lamy) Basnagius Auctor Dissertationum historicocriticarum adversus Doctissimum Ecclesiasticorum Annalium Parentem ad annum 35. num. 8. , quod Christus in Gazophylacio de rebus divinis dissеruerit , quum ad docendum locus patens omnibus eligi debuerit ; ærarium autem plebi inaccessum : nec tanta fuerit Christo cum Sacerdotibus cognatio , ut in sacro , & paucis pervio loco dicere de religione permitterent . Basnagius enim , dum ista scripsit , parum sibi compertam fuisse dispositionem Templi demonstravit . Etenim complura conclavia dicebantur gazophylacia , in quibus reponebantur opes Templi , & ab Hebræis dicebantur לשכות *Leschacot* proprie *conclavia* . In hæc non cuique accessus patebat ; & in ea admissus Pompejus , ut narrat Josephus libro I. *de Bello cap.* V. , miratus est congestam aromatum molem , sacræ pecuniæ ad duo millia talenta , candelabra , mensas , vascula ex auro . Gazophylacium vero , de quo fit sermo , patebat omnibus , alioquin non usque ad cistam eleemosynariam accessisset paupercula illa Vidua , quæ duo minuta , ut supra dixi , in Gazophylacium misit . In hoc autem vestibulo tredecim erant cistulæ , ut ajunt Judæorum Magistri in Tractatu שקלים capite VI. quas vocant שפרות *tubas* , quia instar tubarum latæ erant in fundo , in summa vero parte arctiores , ita ut pecunia facile in eas immitti posset , difficilius autem educi . Sed de cistis Maimonidis verba in medium proferamus , qui ceteris Magistris clarius de illis sermonem habet in *Schekal* cap. II. *In Sanctuario tredecim fuerunt cistulæ , quævis figuram tubæ habebat . Prima erat pro Siclis anni præsentis : altera pro Siclis anni præteriti . In tertiam injici debebat illa pecunia , quam is debuit , ad quem incubuit oblationem adducere duorum turturum , aut columbarum . Quarta recipiebat pretium oblationis ex avibus . Quinta addicta erat ei , qui voluntarie nummum obtulit ad emenda ligna pro Altari . Sexta ei , qui nummum obtulit ad emendum thus . Septima ei , qui aurum obtulit pro Propitiatorio . Octava pro eo , quod superarat de Sacrificio pro peccato ; si scilicet empto Sacrificio ex dicta pecunia aliquid ipsi residuum fuisset , illud in octavam hanc cistam projicere debuit . Nona pro eo , quod superarat de Sacrificio pro transgressione . Decima pro eo , quod superarat de columbis pro profluviosis , & puerperis . Undecima pro eo , quod superarat de oblationibus Naziræi . Duodecima pro eo , quod supe-*

tarum repositæ sunt; ut Neemiæ decimo: *Primitias vindemiæ, & olei afferemus Sacerdotibus ad Gazophylacium Dei nostri*, & post: *Ad Gazophylacium deportabunt filii Israel, & filii Levi, primitias frumenti, vini, & olei*, & decimo tertio: *Erat super hoc Eliasib Sacerdos, qui fuerat Præpositus in Gazophylacio domus Dei nostri; fecit ergo sibi Gazophylacium grande: & ibi ante eum reponebant munera*, & II. Maccabæorum: *Apollonius nunciavit Seleuco Regi Syriæ, innumerabilibus pecuniis refertum esse Gazophylacium Jerosalymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinerent ad rationem Sacrificiorum*. Hinc etiam legitur apud Sanctum Marcum: *Sedens Jesus contra Gazophylacium aspiciebat, quomodo turba jactaret æs in Gazophylacium*, & apud Sanctum Lucam: *Respiciens Jesus, vidit eos, qui mittebant munera in Gazophylacium*.

Huic porro Gazophylacio custos (101) fuit Præpositus, quem Isaïas capite XXII. vocat ταμίαν τοῦ ἱεροῦ, idest, quæstorem Templi, licet Latinus interpres vocet Præpositum Templi. Josephus autem libro XVIII. Gazophylacem nominat. *Stola*, inquit, *Pontificis sub sigillo Gazophylacis tenebatur, à quo etiam & cetera ornamenta Templi asservabantur*. Item VII. Belli: *Arcas etiam, quæ Gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac vestium, atque omnes Judæorum prope congestæ divitiæ*. Item: *Quin etiam Gazophylax, idest, Custos sacræ pecuniæ, comprehensus, nomine Phinees, vestes, & cingula Sacerdotum indicavit*. Ac de legitimis quidem oblationibus hactenus.

CAP. XVII.

De oblationibus votivis, & voluntariis.

SEquitur, ut dicam de oblationibus sive Sacrificiorum, sive donorum, quæ (102) ex voto, vel ex voluntate confectæ sunt; de quibus Levitici VII. *Si voto vel sponte quis obtulerit Hostiam*, & XXIII. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctissimas: offeretisque in eis oblationes Domino, Holocausta, & libamenta juxta ritum uniuscujusque diei, exceptis Sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino*.

Vota dicta, quæ quis impetrandæ gratiæ caussa se Deo soluturum spopondit, quæ non reddere, nefas Deus constituit, Deuteronomii XXIII. *Quod si voveris votum Domino, ne moraris reddere illud, quia quærens quæret Dominus illud abs te, & erit tibi in peccatum*. Quæ verba sic exponit Philo de Sacrificio Abel: *Votum est petitio boni alicujus à Deo, mandatur autem, ut voti compos sine mora coronam offerat Deo. In quo qui peccant, alii per beneficiorum oblivionem gratiarum actione se privant; alii per nimiam arrogantiam se ipsos auctores bonorum suorum existimant, non Deum; alii bona quidem sua ad Deum referunt, sed suo se merito ea consequi putant*.

Voti vero (103) concipiendi formola fuit talis, Judicum XI. *Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas; quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, eum Holocaustum offeram Domino*, & primo Samuelis I. *Votum vovit dicens, Domine si dederis servæ tuæ sexum viri, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus*, & II. Regum VIII. *Vovens vovit servus tuus dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino*.

Qui vero faciebat quod Deo promiserat, is votum solvere, & votum reddere dicebatur: ut Levitici XXII. *Qui obtulerit oblationem suam vel vota solvens, vel sponte offerens*, & II. Regum VIII. *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron*, & VII. Proverbiorum:

supererat de Sacrificio leprosi. Tertia decima pro eo, qui nummos dicaverat pro holocausto è jumentis. Unicuique cistæ scriptum erat, quid in ea recondendum. Erat & conclave, in quo evacuabatur, quidquid nummorum colligebatur in his corbonis.

(101) Unus ex Sacerdotum ordine, qui Græce Γαζοφύλαξ, Hebraice vero סכן dicebatur, Gazophylacio Templi Præpositus erat: sicut Persis, aliisque Orientalibus populis publica pecunia Magnatibus tantummodo servanda committebatur. Unde Quintus Curtius lib. V. cap. 2. Tiridatem pecuniæ custodem memorat, & Bagophanem tum arci Babyloniæ, tum regiæ pecuniæ Præpositum dicit. Templi gazophylacis erat cistas evacuare certis temporibus, collectam pecuniam in conclavia, vel thesauros transferre, & sedulo cavere, ne quis illam suffuraretur. Incertum, an unus, ut Noster statuit; an plures, ut putant Magistri, tantis opibus servandis præpositi essent: probabilius est unum fuisse, ut ex Josepho, quem id latere non debuit, colligi potest libro XIV. Antiq. cap. 12., ubi narrat L. Crassi sacrilegum facinus, qui ex Templo non solum signatum, sed etiam rude aurum, nec non insignem illam trabem ex auro solido abstulit; quo loco unius tantum custodis thesauri mentionem facit Josephus.

(102) Judæorum Magistri in duas classes vota distinguunt: alia appellant נדרי הקדש *vota consecrationis, vel promissionis*; alia נדרי איסור *vota prohibitionis, sive obligationis*. נדרי הקדש vota consecrationis erant, quum Judæus aliquid se facturum in sacros usus Deo promittebat: נדרי איסור vota prohibitionis, quum Deo promittebat se hoc, vel illud non facturum pia, & religiosa quadam rerum alioquin licitarum abstinentia, verbi gratia, quum sibi prohibebat cibos licitos &c. Ut autem votum ab oblatione voluntaria distingueretur, hoc canone usos fuisse Rabbini ferunt. Qui votum nuncupat, in hanc sententiam loqui debet: *Ego pecudem, ferto, vel hujus pecudis, vel similæ pretio, me sacris operaturum sancte recipio*. Qui vero oblationem voluntariam sacrabat, ita volunt loquutum: *Ego hac pecude, vel hoc ferto Deo faciam*. Quare Maimonides in *Maase Korban* de votis, & oblationibus voluntariis ita disserit: Quodnam est sacrificium votivum? quodnam itidem voluntarium? Si quis dixerit ego holocaustum, ego sacrum salutare, ego fertum, aut ego hujus pecudis pretium pro holocausto, aut sacro, Deo me daturum sancte recipio; hoc votum est. Sin dixerit: ego hanc pecudem, aut hujus pecudis pretium, holocausti, aut victimæ salutaris nomine, Deo reddam: ego hanc Ephæ decimam pro ferto dabo; hoc est sacrum voluntarium. Et in *Nedarim* cap. primo: Qui dicit: *ecce hoc sacrificium in me sancte recipio*; votum est. Qui dicit: *hoc Deo sacrum erit*; voluntarium.

(103) Formulas voti Jephte, Annæ Matris Samuelis, aliarumque Sigonius adducit, quarum omnium ratio in eo consistit, ut promissionem Deo factam de meliore bono contineant. Votis vero nihil frequentius in tota sacra Scriptura; & Jacob, qui ante Legem in vivis degebat, in Mesopotamiam proficiscens, decimam bonorum suorum in [illegible] Deo offerendam vovit. Geneseos XXVIII. [illegible]

rum: *Victimas pro salute devovi, vota hodie reddidi.*

Extat etiam Lex de votis faciendis, & persolvendis, quæ virum hoc modo astringit: Num. XXX. *Si quis virorum votum Domino voverit,* (104) *aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.* Puellam autem, quæ erat in potestate patris, aut mulierem, quæ erat in potestate viri, si promittente illa pater, aut vir tacuissent, ipsam obligavit; si contra dixissent, non item. Viduam autem & repudiatam jurejurando teneri voluit.

Unusquisque autem aut animam suam Deo vovit, aut res suas. Si (105) animam, pretio redimere potuit; si animal, mutari votum non potuit, & consecratum Deo mansit; domum autem si vovit, pretio aucto redimere potuit, omnis vero æstimatio siclo Sanctuarii ponderata est. Siclus viginti obolos habuit. Hæc & alia hujusmodi ad votum pertinentia multis verbis tradita continentur Levitici capite extremo. Fuit autem ultimum voti genus, cum quis semetipsum Domino consecravit: de quo dictum est, ubi de Nazaræis est disputatum.

Vota vero in Templum, perinde ac cetera dona, delata esse, indicavit Hieremias XXXIII. cum dixit: *Vox portantium vota in domum Domini.*

Quæ vero sponte oblata sunt, ea opposita sunt eis, quæ quis non solum ex voto solvit, sed etiam ex Lege: ut quæ omnino à libertate voluntatis manarint, unde Judicum XII. *Pecunia, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte, & arbitrio cordis sui inferunt in Templum Domini,* & Esdræ primo: *Adjuvent eum viri de loco suo, auro, & argento, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt Templo Dei, quod est in Jerusalem.*

CAP. XVIII.

De jejunio, & ceteris afflictionibus corporis.

UT autem placandi Dei gratiâ Sacrificia, aut oblationes fecerunt, sic etiam orandi caussa jejunarunt, fleverunt, saccum induerunt, sese (106) cinere consperserunt, humi

(104) Rabbini votum à juramento ita distinguunt, ut votum sit ליהוה *Deo* factum; juramentum vero ביהוה *per Deum* factum. Ceterum Rabbini, quæ est eorum sapientia, vota non probant, præstareque sentiunt a votis abstinere, & satis esse si quis faciat, quæ in Lege præcipiuntur. Verum si probanda non est votorum emissio, cur Moyses de votis Leges edidit? Cur tot viri pietate conspicui, etiam in Veteri Lege, se reos voti effecerunt? Cur denique David ad vota emittenda, solvendaque hortatur in Psalmo apud Hebræos LXXVI, & apud Latinum Interpretem LXXV.

נדרו ושלמו ליהוה אלהיכם:

Vovete, & reddite Domino Deo vestro? Et de se ipso Psalter cor scripsit in Psalmo juxta Hebræos CXVI. juxta Vulg. CXV.

נדרי ליהוה אשלם נגדה נא לכל עמו: בחצרות בית יהוה בתוככי ירושלם:

Voto mea Domino reddam coram omni populo ejus; in atriis Domus Domini, in medio tui Jerusalem?

(105) Anima hic pro toto homine ponitur; quo fit, ut quicumque Deo vovit seipsum, promittens quo ad viveret, se in ministerio Tabernaculi, vel Templi perseveraturum, teneretur illis muneribus fungi, quæ eidem Sacerdos, vel Levitæ præscripsissent, exempli caussa, vir cineres efferre, aquam haurire, ligna ad usum Sanctuarii portare, atrium verrere, aliaque id genus, quæ laicorum erant propria. Femina autem nere, telas texere, Sacerdotum, & Levitarum vestes consuere, lavare, repurgare, & his similia. Munus quippe Sacerdotale, vel Leviticum obire poterat nemo, nisi Sacerdos esset, vel Levita, quorum Tribui sacra ministeria Deus addixerat. Reis tamen voti perpetuæ consecrationis permisit, ut juxta certam æstimationem possent pecunia se redimere, tum ne populum suum mancipaset perpetuo servorum officio, quæ ex Josue IX. 21. scimus Gabaonitarum fuisse, tum ne plus æquo excrescente turba voventium hujusmodi, vota oneri essent Sanctuario, quod voventes alere debebat, ne bovi trituranti os clauderetur. Ergo devoventes seipsum Deo redimi debebant hac lege. Vir major viginti annis, & quinquagenis minor, quinquaginta argenteis siclis, mulier triginta redimebatur. A quinto ad vicesimum annum, viginti sicli pro maribus, decem pro femellis satis erant. Pro puero usque ad quinque annum quinque sicli, pro puellis tres solvebantur. Viri sexagenarii, & his majores, quindecim siclis redimebantur; feminæ decem. Si devotus huic pecuniæ solvendæ non fuisset, Sacerdos ejus bona perpendens, aliquid erogandum imponebat. Vide Levitici caput XXVII., ubi à Moyse ista decernuntur. Quo loco tamen contra ea, quæ jam diximus, non levem facit difficultatem versiculus vigesimus octavus, ubi videtur præcipi, ne ulla ratione redimantur (homine non excepto) quæ perpetuo sunt consecrata: *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non venditur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Textus Hebræus pro ly *omne quod Domino consecratur* habet כל חרם *omne anathema*. Sed plerique Interpretes laudatum versiculum exponunt, non de voto, quo Israelita perpetuo muniis Templi se consecrabat, qui Lege, ut dictum est, redimi poterat: sed de alia devotione longe diversa, de illa scilicet, qua aliquando inimici Dei, agri eorum, urbes, & pecora devovebantur, fiebantque חרם *Cherem* anathema. Homines, & pecora ita devota, erant occidione delenda, domus excidendæ, agri autem Domino, & administris ejus consecrandi. Occurrunt in sacris literis horum anathematum nonnulla exempla, veluti illud quod jubente Deo Moyses protulit in Amalecitas *Exodi* XVII. 14. & quod Saul exequi debebat I. *Regum* XV. Rabbini in adductis verbis כל חרם exponendis, triplex genus החרם *anathematis* solent assignare. Primũ genus est חרם כהנים *anathema, seu devotum Sacerdotibus*, idest aliquid, quod sacratum Deo, necessario in usum Sacerdotum cedebat. Alterum חרם שמים *devotum Cœlo*, quod si erat immolatitium, immolabatur, sin minus, ita addicebatur Sanctuario, ut numquam ad priorem Dominum rediret. Tertium erat חרם מן האדם *anathema ex homine*, quum quis erat à Synedrio damnatus capitis, cui nulla intercessio prodesse poterat, sed debebat occidi; nam כל חרם מות יומת *Omne anathema morte morietur.*

(106) Quum jejunio compescatur carnis intemperies, quo spiritus ad exercenda pietatis officia promptior evadat, jejuniũ ab Hebræis העניה *afflictio* à radice ענה *afflixit* apposite nuncupatur. Ut igitur die jejunii Judæus quisque ani-

mi prostraverunt, atque omnino omnes humiliandi corporis rationes (107) exquisiverunt: idque aut publice, aut privatim. Publice, jejunium universo populo indicentes: privatim, pro sua quisque religione id obeuntes. Si publice fecerunt; aut ordine fecerunt, semel in anno ex lege; aut extra ordinem, cum arbitrium, aut (108) necessitas tulit: idque vel in dies septem, vel tres, vel usque ad vesperam. Si privatim, pro suo quisque arbitratu in eodem manens instituto peregit.

Legitimum atque ordinarium jejunium peractum est die decima Septembris in die Expiationum, idque (109) solum jejunium à Deo mandatum est, quare dies ille jejunium, aut dies jejunii vocatus est, de quo ante dictum est.

De jejunio publico extra ordinem indicto agi-

animam suam affligeret, tum abstinebat cibo, & potu, itemque ab omni alia jucunda re, Musica nempe, unguentis, odoribus, & balneis; tum plura, quæ Noster enumeret, servebat hoc tempore, & quidem publicitus in Templo, in plateis, in ædium tectis; ne intra domesticos parietes degens, indulgere genio crederetur.

Veteribus etiam Romanis lege cautum erat, ut prandium & cœna in propatulo fieret, ut oculis civium testibus facta, luxuria modum haberet: *Fuit illa simplicitas antiquorum* (inquit Valerius Maximus lib. II. cap. 1.) *in cibo capiendo, humanitatis simul & continentiæ certissimus index. Nam maxime viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non erat; nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent.* Hinc Juvenalis carpens Satyra I. suorum temporum luxum ait:

. . . . *quis fercula septem*
Secreto cœnavit Avus?

Demum Judæi jejunantes cineribus sa se aspergere pœnitentiæ, & luctus testificandi caussa, de quibus in Lege licet nihil præceptum erat; vitio tamen verti eisdem non debet, quod liberum profecto fuerit hoc vel illo signo in publicis præsertim jejuniis animi demissionem coram testari.

(107) Non enumerat Sigonius inter hasce rationes humiliandi corporis Judæorum nudipedalia, hoc est, morem illum ambulandi pede nudo, tum in Jejunio κατ᾽ ἐξοχὴν, die scilicet Expiationis, tum in solennioribus quibusque jejuniis, non solum intra septa Templi, sed in publicis etiam plateis; quæ nudipedalia non ultimo loco habebantur, quum de animæ afflictione agebatur, ut colligere licet ex verbis Jonathanis Paraphrastæ Chaldæi in Levitici cap. XVI. v. 29.

Enimvero nudipedalia apud Hebræos in duplici erant differentia. Nudatis pedibus prodibant, vel in funebri luctu, vel in gravi Gentis calamitate; hæc nudipedalia civilia dici possunt. Sabbathis deinde, & festis, quibus Templum adibant, nec non diebus jejunii calceos exuebant; & hæc religiosa possunt merito appellari. De hoc more, tamquam esset peculiare quid Judæorum institutis, loquitur Juvenalis Satyra VI., scribens de nudipedalium ritu, & de abstinentia a suilla carne, veluti de duobus Apellarum characteribus:

Observant ubi Festa mero pede Sabbatha reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Ægyptios quoque nudipedalibus sacra Ideæ peregisse, Prudentius Hymno X. hisce carminibus testatus est:

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, Matris Ideæ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet.
Quem dum ad lavacrum præeunde ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Et refert Ovidius Romanas Matronas Ædem Magnæ Deæ nudis pedibus adiisse Fastor. VI.

Huc pede Matronam nudo descendere vidi.

S. Leo Magnus Sermone de Jejunio septimi mensis, de nudipedalibus, quæ in eorum jejuniis exercebant Judæi, ita scriptum reliquit: *Habeant illi nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa jejunia.*

(108) Publicæ calamitates caussæ erant indicendi jejunia extra ordinem; si verbi gratia pestis grassaretur; si hostis arctaret Judæos, si annonæ caritas ingrueret, si rubigo depasceret segetes, si pluvia esset petenda, aliaque id genus, quæ fuse explicantur a Maimonide in tractatu תענית capite II., ubi videre est, quando expectabant pluviam, ordinem sulfa jejunia, aucta, continuata, vel intermissa, prout pluvia tardabat, in quibus referendis otiosum puto, humanissimum Lectorem detinere.

(109) Verum quoadusque Lex Vetus vim obligendi habuit, alii etiam dies fuere, quibus præter diem Expiationis publicum jejunium erat præscriptum, ut constat ex Zachariæ cap. VIII. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum jejunium Quarti, & jejunium Quinti, & jejunium Septimi, & jejunium Decimi erit domui Israel in gaudium, & lætitiam, & in solemnitates præclaras.* S. Hieronymus in Commentariis ad hunc locum ea traditionibus, quæ e Judæis sua ætate tenebantur, ita explicat laudatum versiculum. *Jejunium Quarti mensis, qui apud Latinos vocatur Julius, die septima & decima ejusdem mensis, illud arbitrantur: quando descendens Moyses de monte Sina tabulas Legis abjecerit atque confregerit; & juxta Jeremiam muri primum rupti sint civitatis. In Quinto mense, qui apud Latinos appellatur Augustus: quum propter exploratores terræ Sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt montem non ascendere; sed per quadraginta annos longis ad terram Sanctam circuitu dispendiis; ut exceptis duobus Chaleb, & Josue, omnes in solitudine caderent. In hoc mense, & à Nabuchodonosor, & multa post secula, à Tito & Vespasiano Templum Hierosolymis incensum est, atque destructum; capta urbs Bethel, ad quam multa millia confugerant Judæorum: aratum Templum, in ignominiam gentis oppressæ, à Tito Annio Ruffo. In Septimo vero, qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias, & Judæ Tribus, ac Jerusalem reliquiæ dissipatæ. Legamus Jeremiam (idest 39. & 31.) Mense Decimo, qui apud nos Januarius dicitur; eo quod janua anni sit atque principium, Ezechiel in captivitate positus audivit, & cunctus populus captivorum, quinto mense Templum esse subversum: quod plenissime in eodem Propheta cognoscimus. Hoc est igitur omne quod dicitur: Dies planctus & jejuniorum, quos hactenus habuistis in luctum, sciatis vobis (quia cogitavi ut benefaciam Jerusalem, & domui Juda) in lætitiam & gaudium, & solemnitates esse vertendos.* Hæc jejunia ad hanc usque diem à Judæis servantur, ut Buxorfius Synag. cap. 25, & Basnagius libro V. cap. 16. Historiæ Judæorum Gallice scripta testantur. Sed nona die אב Quinti mensis anni sacri, præ ceteris se ipsos affligunt, ob desolatum Templum & primum, & secundum, perperam tristes. Ex quo mensis אב incipit, lætitiam imminuunt; hebdomade, in quam incidit nona dies mensis אב prohibitum est se tondere, lavareque. Vespera nonæ diei vetitum est geminis diversi generis coctis frui, carne vesci, & vinum bibere. Nona die tam interdiu, quam noctu ab omni abstinent cibo. In lecto non cubant; & quidam pro pulvillo lapidem capiti supponunt, recordantes hoc die Templum eversum fuisse. Sed de his satis. Quibus diebus hæc jejunia serventur, vide supra in Kalendario Judæorum.

agitur Paralip. secundo, cap. XX. *Josaphat Rex timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda*, & Hieremiæ XXXVI. *Factum est in anno quinto Joacim Regis Juda in mense nono, prædicavere jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem universæ multitudini, quæ confluxerat de Civitatibus Juda*, & Esdræ primi octavo: *Prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Abava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis*. Jejunii porro publice celebrati insignis mentio est Judith IV. *Clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, ipsi, & mulieres eorum: & induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem Templi Domini. Tunc Eliachim Sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israel, allocutusque est eos dicens: Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces nostras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini. Ad hanc exhortationem ejus deprecantes Dominum permanebant in conspectu Domini, ita ut etiam qui offerebant Domino Holocausta, præcincti* (110) *ciliciis offerrent Sacrificia Domino, & erat cinis supra capita eorum, & ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.* Item Judicum XX. *Omnes filii Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, & jejunaverunt die illo usque ad vesperam, & obtulerunt ei Holocausta & Pacificas victimas*, & primo Regum VII. *Congregate universum Israel in Masphat, ut orem pro vobis Dominum, & convenerunt in Masphat, & hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino*, & primo Maccabæorum tertio: *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Jerusalem, qui locus erat orationis in Maspha ante Israel; & jejunarunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua*, & XIII. secundi: *Omnibus petentibus à Deo misericordiam cum fletu, & jejuniis per triduum continuum prostratis hortatus est eos Judas, ut se præpararent.*

Privati vero Jejunii ratio ex his elici locis potest. Numerorum XXX. *Si uxor voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam; in arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat*, & XII. secundi Regum: *Deprecatus est Dominum David pro parvulo, & jejunavit jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram.* Unde paulo post ipse dixit: *Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi, & flevi. Dicebam enim: Quis scit, si forte eum mihi donet Dominus, & vivat infans?* & XXI. tertii: *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*, & primo secundi Esdræ: *Cumque hæc audissem, sedi, & flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli*, & quinto quarti: *Si oraveris iterum, & ploraveris, & jejunaveris septem diebus, audies iterum horum majora*, & Judith VIII. *Judith in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel.*

Hæc igitur cum esset Judæorum in jejunando consuetudo, sane apparet, cur Pharisæi, qui se ceteris religione præstare videri volebant, ita jejunium amplecterentur, ut bis (111) in Sabbato jejunarent, teste S. Luca, & admiratione affecti sint, cur, cum ipsi jejunarent, discipuli Christi non jejunarent. Probatum autem esse ab ipso etiam Christo jejunium, liquet ex eo, quod & ipse (112) more Moysis & Heliæ jejunavit, & jejunii rationem docuit, inquiens: *Cum jejunatis, nolite fieri, sicut*

(110) Cilicium vestis genus erat ex pilis hircorum, & caprarum contextum, quarum tonsura ex Varrone lib. II. *de re Rustica* quum primum in Cilicia instituta fuerit, atque indumentum consutum; facta inde est Cilicii appellatio à Cilicibus, qui inter saxa & cautes miseram vitam ducentes, usi sunt his tegumentis ante alios, quæ deinde ex Virgilio Georgicorum III. in castrorum usum, nautarumque concesserunt:

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Judæi igitur cilicio, tamquam lugentium ac pœnitentium afflictationi proprio, in solemnioribus jejuniis utebantur. Vox enim שק apud Hebræos, à LXX. σάκκος, & à Latino Interprete modo *saccus*, modo cilicium redditur, quod vestis esset angusta sacci instar, neque fluctuans, coloris vero nigri, vel subnigri, qui tristes jejunantesque maxime decet: licet inter Eruditos non est satis compertum, an Judæorum cilicium ex caprarum villis esset contextum. Ex asperis tamen pilis Cilicium Ninivitarum fuisse indicat Prudentius de Ninivitico justitio agens Hymno septimo Jejunantium:

Squalent recussa veste pullati Patres,
Setasque plangens turba sumit textiles,
Impexo villis virgo bestialibus.

Veteres etiam Ascetæ, & Monachi hoc vestimenti genus induerunt, & de cilicio Monachorum veste, sic Paulinus cecinit in Vita S. Martini lib. II.

Quin & contexto setis coopertus amictu
Exesa assiduo compunxit acumine membra;
Ut tereret tenuem vestis mentis aspera pellem;
Et cutis extentis stimulis attacta paveret.

(111) Pharisæi non ex Lege; sed privata eorum voluntate bis in hebdomade sibi indicebant jejunia, feria nimirum secunda, & quinta; quinta, quod ea die Moysem montem Sinai credebant ascendisse; & secunda, quod ea die hinc regressum putabant: Unde illud Pharisæi *jejuno bis in Sabbatho*, est bis in hebdomade jejunare. Hunc vero morem Pharisæorum jejunandi Christus non ideo improbat, quod ex voluntaria susceptione derivaret; quandoquidem, ut Sancti Patres Hieronymus & Augustinus advertunt, ista corporalis exercitatio numquam à Christo damnatus, neque a nobis improbanda est, si recto fine usurpetur. Finem ergo Pharisæorum Servator noster damnavit, quod ex eorum jejuniis sanctitatis famam aucupabantur, volebantque per ea ceteris sanctiores videri, facies suas exterminando; idest colorem vultus inficientes squalore, qui inediam comitatur, ut hominibus jejunantes apparerent.

(112) Christus jejunavit, ut habetur apud S. Matthæum cap. IV., quadraginta diebus & quadraginta noctibus, non quod jejunio opus haberet; sed ut exemplo suo nos erudiret, quomodo à nobis superandus sit tentator Diabolus. Sic & Athletæ faciunt, inquit Chrysostomus Homilia XIII. in Matthæum; nam ut doceant pugiles suos, quomodo vincere oporteat, ultro cum aliis in palæstra se complu-

ficut hypocritæ, triftes, exterminant enim facies fuas, ut appareant hominibus jejunantes.

Us autem Sacrificia juftitiæ & laudis dilexit magis Deus, quam victimarum & fanguinis; fic juftitiam, five caritatem potiorem jejunio habuis, atque omnino cordis afflictionem, quam corporis. Indicas Ifaias LVIII. inquiens: *Nunquid tale eft jejunium, quod elegi, per diem affligere animam fuam? nunquid contorquere, quafi circulum, caput fuum, & faccum ac cinerem fternere? nunquid iftud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? nonne hoc eft magis jejunium, quod elegi? diffolve colligationes impietatis, folve fafciculos deprimentes,* A *dimitte eos, qui confracti funt, liberos, & omne onus dirumpe; frange efurienti panem tuum, & egenos vagofque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne defpexeris.* Indicat item Joël: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde veftro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & fcindite corda veftra, non veftimenta veftra.* Hæc vero mandabantur Judæis, qui ftudiofius jejunia, quam caritatem amplectebantur, & cibum facilius faftidiebant, quam peccatum averfabantur. Ac de ritibus quidem facris hæc dicta fint.

B

plicant, in adverfariorum confpectibus fpectaculum ipfis exhibentes, ut vincendi modum difcant. *Ideo & ipfe jejunat*, verba funt Sancti Doctoris loco laudato, *quadraginta diebus, falutis nobis remedia ofcendens; neque ulterius procedit, ne ob exceffum miraculi, Oeconomia veritas non crederetur. Nunc enim minime illud timendum: quoniam Moyfes & Elias Dei potentia fulti, ad illam diuturnitatem jejunii potuerunt pertingere. Si autem ulterius progreffus fuiffet, hinc incredibilis pluribus vifa fuiffet carnis affumptio.* Ex quibus verbis Sancti Patriarchæ facile Lector poteft cognofcere, quænam inter jejunium Moyfis & Eliæ, atque inter Chrifti jejunium diverfitas intercefferit; itemque quo fenfu Sigoniana verba fint accipienda: *more Moyfis & Eliæ jejunavit.*

Explicit Liber Quartus.

CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM
LIBER QUINTUS,
Qui de Perſonis Sacris inſcribitur.

CAPUT PRIMUM.

De generibus ſacrarum perſonarum.

D*Irige me in veritate tua Domine, & doce me. Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Quod enim aliud eſt nomen tuum, quam quod invocant ii, quos tu in ſortem vocaſti tuam? de quibus hoc mihi in libro eſt differendum. Neque enim, poſtquam de locis ſacris, diebus, & ritibus dixi, relinquitur aliud, quam ut agam de perſonis, quæ horum locorum, dierum, rituum, & omnium denique cæremoniarum curam & cuſtodiam habuerunt. Voco autem perſonas ſacras, quæ aut in miniſterio divino verſatæ ſunt, aut quoquo modo Dei voluntatem ac legem expoſuerunt. Hi vero fuere Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, Cantores, Janitores, & Nathinæi. Item Nazaræi, Prophetæ, & Scribæ cum ſectis eorum. Horum autem officia cum explicabimus, ſimul etiam munera Leviticæ Tribus, quæ ſecreta à ceteria fuit, expediemus; quia huic religionis, reliquia ipſius adminiſtratio Reipublicæ obtigit. Levitas enim, ut Numerorum tertio ſcriptum eſt, ſibi aſcivit Deus pro primogenitis Hebræorum, quos ſibi deſtinarat jam tum, cum primigenas Ægyptiorum perculerat. Quos ut ſorte prædiorum orbavit, ſic ſummis aliis præmiis atque honoribus decoravit; nam & participes eorum, quæ Deo à gratis hominibus offerebantur, effecit, & ſolum cultum Dei tractare, tanquam curam, ſortemque propriam, voluit; ſic enim XVIII Num. ad Aaron loquens adjecit: *In terra eorum nihil poſſidebis, nec habebis partem inter eos; ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël, filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis.* Ordiamur ergo à Pontificibus.

CAP. II.

De Pontificibus.

UT autem omnium ſacrorum principatum tenuere ii, qui Sacerdotes dicti ſunt, ſic inter omnes Sacerdotes excelluit is, quem Pontificem appellarunt. Itaque in ſacris libris non ſolum Sacerdos, ſed etiam Sacerdos primus, Sacerdos magnus, Sacerdotum princeps, ſive more Latino, (1) Pontifex nuncupatur, quo conſtituto reliqui ſimpliciter Sacerdotes, & Sacerdotes ſecundi, ſive ſecundi ordinis appellati; ut XXIII. quarti Regum: *Præcepit Joſias Rex Helciæ Sacerdoti magno, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & Janitoribus*, & IV. Judith: *Eliachim Sacerdos Domini magnus*, & III. Neemiæ: *Eliaſib Sacerdos magnus*, & XXV. Regum: *Abſtulit princeps militiæ Sarajam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem ſecundum*, recte. Sarajas enim Pontificatu maximo, Sophonias ſimplici Sacerdotio fungebatur. Si ergo tanta in Sacris ipſius Pontificis auctoritas fuit, ut ceteris omnibus dignitate præſtiterit, profecto qui diſerte Pontificatum expreſſerit, magna fundamenta ad reliqua intelligenda poſuerit. Dicamus igitur de Pontifice, Lectore ante admonito, quoniam Deus Aaronem Moyſis fratrem ex Tribu Levi Pontificem, filios vero ejus Sacerdotes conſtituit, propterea quæ de Aarone dicentur, ad Pontificem; quæ de filiis, ad Sacerdotes referenda videri; præterea vero, quoniam Deus Exodi XXVIII. Tabernaculo explicito, de Pontifice ita præcepit, ut primum de veſtibus ejus, deinde de conſecratione, tum de conditionibus, ad extremum de muneribus egerit, ob id & nos quoque eundem ordinem in

(1) Pontifex Latinum nomen, unde originem habeat, non ſatis liquet. Arbitratur Varro de Lingua Latina, Pontifices a ponte dictos fuiſſe, quod ab iis ſublicius Pons factus fuerit primum, & deinde ſæpe reſtitutus, quod eo ſacra & uls, & cis Tiberim non mediocri ritu peragerentur. Sed obſervat Dio lib. II. non à *ponte faciendo* Pontifices dictos fuiſſe, quum ætate Numæ, qui primitus quatuor Pontifices è Patritiis electos inſtituit, nullus pons fuerit, qui reficeretur; ac demum poſt Numæ tempora ab Anco Martio pons Tiberi primum fuit impoſitus. Hæc Dionis animadverſio refutat etiam ſententiam Plutarchi, nempe dictos fuiſſe Pontifices, quod in *ponte facerent*, ſeu quod Sacra vetuſtiſſima in ponte peragendis Præfecti eſſent. Melius igitur nomen Pontificis à *poſſe* & *facere* videtur deduci, ut Quintus Scævola apud ipſum Varronem contendit; quandoquidem ille Pontifex eſſet, qui *poſſet facere* ideſt ſacrificare. Hebræi vero כהן גדול *Sacerdotem magnum* vocant Pontificem, quod ordine, munere, honore, & dignitate ceteris omnibus Sacerdotibus præſtaret. Dicebatur eadem de cauſſa ראש הכהנים *caput*, vel *primus Sacerdotum*; tum etiam כהן המשוח *Sacerdos unctus*, & נשיא נשיאי הלוי *Princeps Principum Levi*. Vide in fonte Hebræo Levit. IV. 3. & Numer. III. 32.

in docendo conservaturos.

Vestes ergo (2) Pontificiæ fuere octo, Superhumerale, Rationale, Tunica hyacinthina, Tunica linea stricta, Fœminalia linea, Baltheus, Tiara, & Lamina aurea; his enim Deus mandavit Moysi, ut Aaronem Pontificem designatum indueret. Non gravabor in hoc quoque primum verba referre legis, deinde ea alienis auctoritatibus illustrare; sic igitur Deus de SUPERHUMERALI præcepit: *Facito Superhumerale de auro, & (3) hyacintho, & (4) purpura, (5) coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito; duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant, sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero juxta ordinem nativitatis eorum.* Adjicit inde de RATIONALI hoc modo: *Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam Superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta; quadrangulum erit, & duplex, mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine: ponesque in eo quatuor ordines lapidum; in primo versu erit lapis (6) sardius, & topazius, &*

(2) Scribunt Rabbinorum nonnulli, duodecim vestes fuisse, quas Pontificem Maximum Sacra peragentem gestare oportebat, easdemque ad sequentes classes solent reducere. Quatuor erant בגדי שש *vestes byssinæ*: quatuor erant בגדי זהב *vestes aureæ*: quatuor erant בגדי בד *vestes lineæ*. His vero quatuor lineis vestibus, quæ formæ erant similes byssinis, putant usum fuisse Pontificem solenni tantummodo die Expiationis, quum adytum ingrederetur, de cujus ingressu jam dixi libro IV. cap. 12. Numerus vestium ab octo ad duodecim ascendit, quod hi Rabbini בד à שש sentiunt differre hoc pacto, ut שש *byssum* significet, בד vero *linum vulgare*. Id probant ex cap. XLI. & XLII. Geneseos, in quibus legitur Joseph eductus è carcere, ut Pharaonem adiret, בד indutus fuisse; sed ubi renunciatus fuit universæ Ægypti Præfectus, שש fuit amictus. Sed Maimonides in כלי המקדש capite octavo inter שש & בד nullum ponit discrimen, quoties de Pontificiis indumentis est sermo, vult que præstantius quoddam lini genus, per utrumque nomen denotari, sive Indicum illud fuerit, sive Pelusiacum. Hæc sententia si verior habeatur, confirmat, octo tantum fuisse vestes Summi Pontificis: quatuor omnibus Sacerdotibus communes, nempe femoralia, Tunica linea, Cingulum, & Pileus: & quatuor Pontifici propria, vestis nimirum hyacinthina, Superhumerale, Rationale, & Lamina aurea, quas S. Hieronymus declaravit Epistola CXXVIII., cujus verba quum adducantur à Sigonio infra hoc capite, in explicanda illarum forma non immorabor.

(3) Hyacinthinus color Hebraice תכלת *Thekeleth*, color est violaceus valde exuberans, & violæ instar subnigrescens, qui inficiebatur sanguine piscis, quem Latini *muricem* vocant, Hebræi autem קלשון *Chilson*. Est ex genere concharum ille piscis, è quo liquor elicitur, qui tum ad hyacinthinum, tum ad purpureum colorem efficiendum usurpatur. Bochartus tamen Hierozoici partæ post. lib. V. cap. 14. Hyacinthinum ex conchilio, purpureum ex purpura fieri scribit.

(4) Hebraice dicitur ארגמן *Argaman*, & ruber est color ita leniter & jocunde oculos afficiens, ut ob id apud Veteres pluris haberetur. Hic color ex illius cochleæ sanie, quæ proprie purpura dicitur, conficiebatur. Est enim purpura concha marina è turbinatorum genere, aculeis clavata, lingua digitali, duritie tanta, ut conchas possit perforare, flore purpureo, qui nigricantis rosæ splendore sublucet, vestibus tingendis maxime expetito.

(5) Licet coccineus, & purpureus non raro pro eodem colore usurpantur; exempli gratia: vestis, qua in Passione sua Christus fuit indutus, coccinea a S. Matthæo XXVII., & purpurea à S. Marco XV. nuncupatur: constat tamen hosce differre, tum quod attinet ad ipsam coloris rationem; tum ad modum, quo inficiuntur. Purpureus colorem refert rubrum nigricantem, atque sanguine piscis conficitur: coccineus vero est mitior, ad ignis colorem accedens, & tingitur vermiculo quodam, qui coccus appellatur, vel simpliciter vermiculus. Bellonius lib. I. Observationum cap. 17. de hoc vermiculo habet sequentia: *Maxima cocci copia in Creta insula reperitur, cujus maximum ibi est negotium. Invenitur autem mense Junio super specie quadam parvulæ quercus, quæ fert glandem sine pediculo trunco adhærentem. Folia ipsius spinis præfixa sunt, & parvulis quibusdam referta granis, quæ magnitudine pisum adæquant, & intus plena sunt parvulis rubris vermiculis, qui veluti lendines crassi sunt. Grana hæc à foliis avelluntur, & parvula animalia, quibus scatent, per foramen egrediuntur, quod in ea est parte, qua granum frondi adhærebat. Parvula hæc animalia à granis cribri adminiculo secernuntur, & una colliguntur, & leviter condensantur, & ex illis pilæ fiunt ovi gallinæ magnitudinem referentes.* Scribit idem auctor lib. II. cap. 88. in Palæstina quoque hæc grana inveniri. Coccus ergo bis tinctus est dibaphu, quæ tunc dicebatur, quum ad magnificentius impendium bis tingeretur. Scribit Plinius lib. IX. cap. 38., quinque horis lanam immergi consuevisse in tinctura; erui deinde & carminari; denique rursus immergi donec perfecte tingeretur. Et Seneca habet Hercul. Oet. Act. II.

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana ruborem.

(6) Juxta numerum XII. Tribuum, duodecim pretiosis lapillis ornatum erat Pectorale seu Rationale, judicii Summi Pontificis, qui ita distributi erant in quatuor ordines, ut ordo quilibet tribus gemmis constaret, in quarum singulis inscriptum erat nomen unius ex filiis Jacob. In primo ordine erat Sardius, Topatius, & Smaragdus. Primus lapis in Hebræo est אדם *Odem*, & apud Latinum Interpretem Sardius, qui lapis pellucidus est, & ruber, quod optime convenit significationi vocis אדם quæ rubrum denotat vel micans, & rutilans, hinc Deus quum in Apocalypsi IV. 3. ira succensus exhibetur, Sardio lapidi dicitur similis. Quo fit ut frustra quidam Eruditi arbitrentur אדם adamantem esse, velintque ex *Odem*, vel *Adam* Adamantis nomen fluxisse. Tradunt Magistri quemque ex his lapillis retulisse colorem vexilli Tribus, cujus nomine erat inscriptus. Quare quum in Sardio scriptum fuisset Nomen Ruben, rubrum erat, si credi potest Rabbinis testibus, hujus Tribus vexillum.

Secundus lapis erat Topazius, Hebraice פטדה *Pitdah*, quæ gemma apud Veteres, ut Plinius ostendit lib. XXXVII. c. 8. viridis erat coloris. In hac scriptum erat nomen Simeon, cujus vexillum viride erat.

Tertius erat Smaragdus, Hebraice ברקת *Bareketh*, quæ vox fulgorem, aut nitorem sideris denotet. Ejus colori maxime viridi tres colores tribuuntur, album, nigrum, & rubrum;

& smaragdus; in secundo (7) *carbunculus, sapphirus, & iaspis; in tertio* (8) *ligurius, & achates, & amethystus; in quarto* (9) *chrysolithus, onychinus, & beryllus, inclusi auro erunt per ordines suos, habebuntque nomina filiorum Israel; duodecim nominibus cælabuntur, singuli nominibus singulorum per XII. Tribus; portabitque Aaron nomina filiorum Israel coram Domino super utrumque humerum ob recordationem; portabitque Aaron nomina filiorum Israel in Rationali judicii super pectus suum; quando ingreditur Sanctuarium coram Domino, & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper.* Pergit inde de TUNICA HYACINTHINA his verbis: *Facies & Tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cujus medio supra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpantur; deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum Punicum, & vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Inde subjicit brevi de Tunica LINEA STRICTA, & reliquis, inquiens: *Stringesque TUNICAM bysso, & TIARAM byssinam facies, & BALTHEUM opere plumarii. Facies & LAMINAM de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis; portabitque Aaron iniquitatem eorum, quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii Israel in cunctis muneribus & donariis suis; erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit ei Dominus.* Ad extremum adduntur etiam FOEMINALIA, his verbis: *Facies & fæminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ à renibus usque ad fæmora; & utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingredientur Tabernaculum Testimonii, vel quando propinquant Altari, ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Hæc præcipiuntur in Exodo, facta vero narrantur Levitici VIII. ita: *Moyses vestivit Aaron subucula linea, accingens eum Baltheo, & induens Tunica hyacinthina, & desuper Humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit Rationali, in quo erat* (10) *Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput, & super eam contra frontem*

brum: atque hisce tribus coloribus vexillum Levi distinguebatur, cujus nomen Smaragdo erat inscriptum.

(7) Quartus lapis erat Carbunculus, Hebraice נפך *Nophech*, gemma colore rubro nigrescente, & bovis sanguinem referens, & ut observat Boetius è Boot, Carbunculus Veterum nihil aliud erat, quam pyropus. At Judæi dant lapidi נפך colorem cœli, quo distinguunt vexillum Judæ, cujus nomen inscriptum lapis habebat.

Quintus lapis Sapphirus erat, Hebraice ספיר *Saphir* gemma cœruleo colore valde rutilanti, quarum quum plura genere inveniantur, Judæi Sapphiro Pectoralis cœruleum colorem tribuunt, sed nigrescentem; nam cœruleus color intensus, & saturatus primo aspectu niger apparet. Vexillum Ischaris, cujus nomine Sapphirus erat inscripta, habebat Solem, & Lunam.

Sextus lapis erat Jaspis, ut habent LXX., & Vulgata, Hebraice יהלום *Jahalom*, qui virens est, & smaragdo affinis. Non ignoro, quosdam vocem יהלום *Adamantem* restituere, atque à verbo הלם *confringere* illam deducere, quod ea sit adamantis durities, ut ceteros pretiosos lapides cædat, licet falsum sit ad mallei ictus eum resistere. Jaspidem vero esse putant ultimam gemmam Pectoralis, quæ in Hebræo ישפה *Jaspeh* appellatur, quod Jaspeh & Jaspis nomina sunt valde proxima. Sed Recentiorum conjecturæ non ita urgent, ut ab Antiquis Interpretibus nos cogant discedere. Judæi sexto lapidi inscribunt Zabulon, albumque faciunt hujus Tribus vexillum.

(8) Septimus lapis erat Ligurius, Hebraice לשם *Leschem*, qui, ut conjicit S. Epiphanius de gemmis, erat hyacinthi species, a qua sententia S. Hieronymus ad Fabiolam videtur non recedere. In hac gemma sculptum erat nomen Danis, cujus vexillum erat simile colori hyacinthino.

Octavus lapis Achates erat, Hebraice שבו *Schebo*, quæ vox in Bibliis semel tantum reperitur. Achates gemma est punctis, & maculis notata, quæ plerumque rubri coloris est, & aliquando miram habet in coloribus varie-tatem. Nomen habebat Gad, cujus vexillum ex albo, & nigro mixtum erat.

Nonus lapis erat Amethystus, Hebr. אחלמה *Achlama*, qui vinum suo colore refert, & ad violaceum accedit, miscendo scilicet purpuram violæ. Amethysto Rationalis inerat nomen Nephtali, cujus vexillum rubeum erat, sed dilutius.

(9) Decimus lapis erat Chrysolithus, Hebr תרשיש *Tharschisch*, qui creditur chrysolithus fuisse aurei coloris; aurum enim & Tharsis dictum est, quod ex Tharsis advehebatur. Huic inscriptus Manasses, cujus vexillum auri colorem exprimebat.

Undecimus erat Onychinus, Hebraice שהם *Schoham*. Est vero Onyx achatis species opaca coloris subalbescentis, & nigri; sed ita distincti, ut arte quidam appositi videantur. Huic lapidi nomen Joseph inscriptum erat, cujus Tribus vexillum erat valde nigrum.

Duodecimus tandem lapis erat Beryllus, Hebraice ישפה *Jaspeh*, quæ gemma viriditatem quandam habet smaragdo similem, sed pallentem. In ultimo lapide scriptus erat Benjamin, cujus vexillum, ut ferunt Judæi, omnes colores undecim gemmarum exhibebat.

(10) Vocibus Vulgatæ *Doctrina*, & *Veritas* hæ respondent in Texte Hebræo את האורים ואת התמים, quæ verbotenus translata *lumina & perfectiones* possunt exprimere. Quid vero אורים & תמים fuerint, ita difficile est assignare, quam quod difficillimum. Det mihi veniam, benignus Lector, ut præcipuas de hac re sententias pro modulo annotationum tantum subjiciam, in medio relicto earum examine. Auctores in duas veluti classes dividi possunt: nam alii sentiunt *Urim* & *Thummim* res distinctas a Rationali nequaquam fuisse; alii vero quid ab ipso distinctum opinantur. Spectant ad primam classem:

I. Qui *Urim* & *Thummim* ipsas gemmas putant fuisse, quibus nomina duodecim Tribuum erant insculpta, quatenus scilicet splendidiores fiebant, & earum fulgore Pontifici Deum consulenti designabant illud, de quo sciscitabatur, faustum, & felix futurum. Hujus sententiæ, quæ arridet nonnullis Josephus est auctor lib. III. Antiquit. cap. VIII.

II. Qui *Urim* & *Thummim* nihil aliud volunt significare, quam lapillos, ex quibus Pectorale

tem posuit Laminam auream consecratam in sanctificationi, sicut præceperat ei Dominus. Atque hæc quidem in Lege.

Qualia vero hæc vestimenta fuerint, clarius Josephus exposuit, qui stante Templo floruit, a quo S. Hieronymus hæc epistolâ CXXVIII. sumsit, quæ in hunc locum rei declarandæ caussa intexere libuit.

Lineis fœminalibus, quæ usque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur, & superior pars sub umbilico vehementer astringitur, ut si quando expediti mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & fœmora revelaverint, non patrat quod opertum est. Refert Josephus hæc fœminalia de bysso retorta solere contexi, & postquam incisa fuerint, acu consui, non enim in tela posse ejusmodi fieri.

Secunda ex lino Tunica talaris, duplici sindone, quam & ipsam Josephus byssinam vocat, quod in Hebræo sermone in linteam vertitur; hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga; & usque ad crura descendat. Hanc vulgarem camisiam possis dicere.

Tertium genus est vestimenti cingulum, vel baltheus, vel zona. Hoc in similitudinem pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes; textum est autem sub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & stamine byssino ob decorem, & fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum, ut diversos flores, ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam, de qua diximus, inter umbilicum ac pectus hoc stringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, atque ex una parte ad crura dependens, cum ad Sacrificia cursu & expeditione opus est, in lævum humerum retorquetur.

Quartum genus est vestimenti, rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite. Tiaram Græci, & nostri appellant, non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite; est autem byssinum, & sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia extrinsecus appareant. His quatuor vestimentis, idest, fœminalibus, tunica linea, cingulo, & pileo tam Sacerdotes, quam Pontifices utuntur, reliqua quatuor proprie Pontificum sunt.

Quorum unum est tunica talaris tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris assutas habens manicas, & in superiori parte, qua collo induitur, aperta, quod vulgo capitium vocant, oris firmissimis ex se textis, ne facile rumpatur; in extrema parte, idest, ad pedes, septuaginta duo sunt tintinnabula, totidem mala Punica, iisdem contexta coloribus, ut supra cingulum; inter duo tintinnabula unum malum est, inter duo mala unum tintinnabulum, ut alterutrum sibi media sint.

Sextum est vestimentum, quod Hebraica lingua dicitur Ephod, idest, Superhumerale, & solis convenit Pontificibus, ex hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro contextum. Auri laminæ mira tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur cum subtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino, & efficitur palliolum miræ pulchritudinis, perstringens fulgore oculos in modum caracallarum, sed absque cucullis; contra pectus nihil contextum est, & locus futuro Rationali derelictus; in utroque humero habet singulos lapides clausos, & astrictos auro, onychini, aut smaragdi ab interpretibus versi. Josephus sardonychas vocat, & in singulis lapidibus sena Patriarcharum nomina sunt, quibus Israeliticus populus dividitur, in dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores scripti sunt, ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus est Dominum, portet in humeris.

Septimum vocatur Rationale. Pannus est brevis ex auro, & quatuor textus coloribus iisdem, quibus Superhumerale, habens magnitudinem palmi

rale constabat, esse debuisse natura lucidos, atque perfectos; per *Urim* nempe intelligi gemmarum jubar, & per Thummim earum perfectionem.

III. Qui sentiunt *Urim* & *Thummim* denotare Doctrinam, & Veritatem, quæ duo constat in maximo Doctore, vel in primis requiri: atque adeo *Urim* exprimere lucem doctrinæ, & *Thummim* morum integritatem.

IV. Illi Judæorum Magistri, qui scribunt *Urim* & *Thummim* fuisse easdem literas, quibus scripta erant in gemmis nomina filiorum Jacob, quæ quum Pontifex à Deo in rebus arduis consulta peteret, se se elevabant, varieque dispositæ efficiebant responsum, quod Summus Sacerdos legere posset. Pluribus difficultatibus hæc opinatio est obnoxia, quarum una est, non potuisse per literas nominum filiorum Jacob exprimi omne responsum; nam in illis literæ quatuor desiderantur, nimirum ק. צ. ט. ח. ut Alphabetum exæquent. Ad si opponas Magistris, ipsi minime animis cadunt; sed, quæ eorum sagacitas est, opportuno accurrunt remedio. Dicunt præter nomina filiorum Jacob, has voces etiam in Rationali scriptas fuisse אברהם יצחק יעקוב *Abraham, Isaac, Jacob*. Si instabis adhuc ט in Rationali haud reperiri, statim reponent feracia nugis Rabbinorum ingenia, insuper in illo sequentes scriptas fuisse שבטי ישורון *Schebetè Ischurun, Tribus Israël*.

Ad alteram vero classem quod attinet, eorum nempe qui *Urim* & *Thummim* quid distinctum à gemmis putant extitisse; ad eam referri possunt sequentes.

I. Qui volunt *Urim* & *Thummim* fuisse, aut adamantem, aut duas gemmas additas numero duodecim gemmarum Rationalis, ex quarum fulgore, vel obscuritate, eventus futurarum rerum significarentur Pontifici.

II. Qui laminam auream fuisse statuunt, in qua aut voces *Urim* & *Thummim*, aut Dei proprium nomen יהוה cælatum esset: sicut in fronte Summi Pontificis sculptum erat laminæ auri purissimi קדש ליהוה *Sanctum Domino*.

III. Johannes Spencerus, qui sicut præcipuas leges ritualis Judæorum, eb Ægyptiorum sacris arcessit; ita vult *Urim* & *Thummim* duas imagunculas fuisse, quæ à collo Summi Sacerdotis pendentes, & in concava Rationalis plicatura inditæ, veluti in pera, Pontifici de futuris & incertis petenti, oracula funderent; instar Summi Sacerdotis Ægyptiorum, qui *Veritatem* de collo pendentem gestabat, idest simulacrum, cui nomen Veritas, ut legitur apud Ælianum, & Diodorum Siculum.

IV. Demum Clericus, qui *Urim* & *Thummim* arbitratur nomen gemmarum fuisse torquem componentium Summi Pontificis, quæ ad pectus usque pendebat. Qui *de Urim* & *Thummim* plura desiderat, legat Cl. Calmet in Comment. ad cap. Exodi XXVIII.

palmi per quadrum, & duplex, ne facile rumpatur; intexti sunt enim ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii per quatuor ordines, ita ut in singulis versiculis terni lapides collocentur; in primo ordine sardius, topazius, smaragdus ponitur; in secundo carbunculus, sapphirus, iaspis; in tertio lyncurius, achates, amethystus; in quarto chrysolithus, onychinus, beryllus, satisque miror, cur hyacinthus pretiosissimus lapis horum numero non ponatur, nisi forte ipse est alio nomine lyncurius; in singulis lapidibus secundum ætatis duodecim Tribuum sculpta nomina sunt. Per quatuor Rationalis angulos quatuor annuli sunt aurei habentes contra se in Superhumerali alios quatuor, ut cum appositum fuerit Rationale in loco, quem in Ephod diximus derelictum, annulus veniat contra annulum, & mutuo sibi vittis copulentur hyacinthinis. Porro ne magnitudo & pondus lapidum contexta stamina rumperent, auro ligati sunt atque conclusi; nec sufficit hoc ad firmitatem, nisi & cathenæ ex auro fierent, quæ ob pulchritudinem fistulis aureis tegerentur, haberentque & in Rationali supra duos majores annulos, qui uncinis Superhumeralis aureis necterentur, & deorsum alios duos; nam post tergum in Superhumerali contra pectus & stomachum ex utroque latere erant annuli aurei, qui cathenis cum Rationalis inferioribus annulis jungebantur, atque ita fiebat, ut astringerentur & Rationale Superhumerali, & Superhumerale Rationali, ut una textura contra videntibus putaretur.

Octavo est lamina aurea, in qua est scriptum nomen Dei Hebraicis quatuor literis, quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hic super pileolum lineum & commune omnium Sacerdotum in Pontifice plus additur, ut in fronte vitta hyacinthina constringatur, totamque Pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet, & protegat. Hæc S. Hieronymus ex Josepho.

Apud eundem porro Josephum quædam alia memorabilia ab illo prætermissa leguntur, ut de lapidibus Superhumeralis, & Rationalis, & Pileo hyacinthino. Nam de lapidibus sic scribit: *Lapides, quos ferebat super humerum Pontifex, erant sardonyches; cum autem Deus Sacrificiis adesset, is qui in dextra humero portabatur, micabat, & splendorem tantum emittebat, ut etiam procul positis illucesceret, cum prius ea luce careret. Per duodecim autem lapides Rationalis Deus victoriam pugnaturis prænunciabat; tanto enim splendore fulgebant, cum nondum exercitus moveretur, ut omnibus constaret, eorum auxilio adesse Deum.* (11) *Cessavit autem Rationale & sardonyx annis jam ducentis, antequam ego hæc conscriberem, cum Deus moleste ferret transgressiones legum.* Quod tempus, si veterum sæculorum memoria replicetur, in Regis Joannis Hyrcani ætatem incurrit. De pileo vero idem sic prodit: *Præter communem cum Sacerdotibus pileum Pontifex, alterum pileum habuit consutum ex hyacintho variatum, quem corona aurea circumdedit, quæ tribus ordinibus distincta fuit; super quam in medio floruit calyx aureus, herbæ, quæ à Græcis dicitur hyoscyamos, similis.* Hoc idem Talmudistæ tradunt de lapidibus Rationalis, qui splendescere desierunt, verum id jam inde à constructione secundi Templi contigisse narrant. Hæc de vestibus.

Consecratio vero (12) Pontificis per septem dies hoc modo facta est. Qui futurus erat Sacer-

(11) Absolvit Josephus libros Antiquitatum anno Domitiani XIII., qui est Æræ Christianæ circiter XCIII.; atque adeo ex Josephi narratione desierunt *Urim*, & *Thummim* ante Christum natum annis centum, vel prœter propter. At Rabbini illorum defectum quingentis annis faciunt antiquiorem; nam consentiunt apud Buxtorfium in Historia *Urim*, & *Thummim* cap. V. hoc Oraculo Templum secundum caruisse. Imo Spencerus conatur ostendere, sub Templo primo jam illud defuisse, & animadvertit, post Salomonis ætatem numquam per *Urim*, & *Thummim* de publicis negotiis consultum fuisse. Quid de tempore cessationis Oraculi, disputatione incerta, & obscura statuendum sit, penitus ignoro; quum præterea S. Augustinus rem ipsam, idest gemmarum colorem, qui ad prospera, & ad adversa ex Josepho immutabatur, ad fabulas rejiciat, ut videre est Quæst. CVII. in Exodum. De Urim, & Thummim infra sermo recurret.

(12) Inauguratio Aaron, & filiorum ejus ad ministerium Tabernaculi, a Moyse mandato Dei tribus rebus fuit peracta, Purificatione, Consecratione, & Applicatione ad Sacri ministerii functiones, quæ omnia constant ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, quæ Sigonius hoc capite congerit. Age vero de his referantur nonnulla, per quæ locis a Nostro adductis lumen effulgeat; & primum de Purificatione.

I. Purificatio duabus rebus fuit absoluta, ablutione nempe, & Sacrificiis. De ablutione testatus est Exodi XXIX. 4, in quo Deus hæc Moysi præcepit: *Aaron, ac filios ejus applicabis ad ostium Tabernaculi testimonii. Cumque laveris Patrem cum filiis suis aqua &c.* Moyses igitur Dei Sacerdos, ut in Psalmo XCVIII. legitur: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus* (cujus tamen extraordinaria potestas in posteros ejus haud migravit) consecraturus jubente Deo Aaron, & filios, lavit corpus eorum in labro, quod situm erat ad ostium Tabernaculi; nam exterior munditiei symbolum est interioris, quam præcipue Deus requirit. Verum Sacrificia in inauguratione peracta fuerunt sequentia. Sacrificia vituli & duorum arietum; itemque oblatio panum azymorum, crustulæ conspersæ oleo sine fermento, laganique oleo lignitorum. Aaron & filii ejus victimis manus imposuerunt, ut pro se, & loco sui, ipsas immolari eo ritu significaretur. Effusus fuit vituli sanguis ad Altare, eoque cornua Altaris fuit peruncta. Adeps intestina operiens cum reticulo jecoris, & duobus renibus super Altare fuit incensum. Corpus reliquum extra castra combustum. Oblata fuerunt, ut scite advertunt Interpretes, I. Vitulus pro peccato in remissionem peccati Aaron in Vituli conflatione. II. Aries in holocaustum in memoriam Sacrificii Abrahæ, cujus obedientiam Pontifex imitari debebat. III. Aries consecrationis, quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per sanguinem agni. IV. demum Canistrum panum in memoriam Mannæ cœlitus præbiti populo in deserto.

II. Consecratio Pontificis, & Sacerdotum hoc ritu fuit peracta. I. Post ablutionem induti fuerunt sacris vestibus illorum dignitatem designantibus. II. Caput Pontificis oleo fuit perfusum, quo spectat versiculus Ps. CXXXII. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron.* Nam sicut unguentum sive oleum in capite defluit ad inferiora; ita munus Sacerdotale ab Aaron ad ejus posteros erat derivandum. At minorum Sacerdotum solæ manus consecratæ fuerunt, quæ ad Sacrificia erant applicandæ. III. Sanguine arietis immolati extremum ipsorum dexteræ auriculæ liniebatur, ad significandum aures Sacerdotum faciles esse debere, ut excipiant a Deo, quæ populum doceant. Liniebantur tum pollices manus eorum, tum pedis dextri, quibus sollicitudo, & alacritas in sacris obeundis erat significata. IV. Sanguine victimæ & ipsi, & eorum vestes aspergebantur, in memoriam Sanguinis agni, quo veluti signo ab Ægyptiaca servitute fuerunt liberati. Hæc ex Angelico Doctore sunt desumpta.

III.

cerdos, primum ad Altare offerebatur, deinde aqua lavabatur, tum vestibus, quas diximus, induebatur, inde capiti oleum Sanctum infundebatur, demum sacrificio præcipuo facto consecrabatur, atque ejus sanguine Altare & vestes aspergebantur. Hæc vero Exodi XXIX. sic præcepit Deus: *Sed & hoc facies, ut mihi in Sacerdotio consecrentur. Cum laveris Aaron cum filiis suis aqua, indues eum vestimentis Linea, & Tunica, & Superhumerali, & Rationali, quod constringes Baltheo, & pones Tiaram in capite ejus, & Laminam sanctam super Tiaram, & Oleum unctionis* (13) *fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Postquam initiaveris munus ejus, applicabis & vitulum coram Tabernaculo Testimonii*, & quæ sequuntur. Quæ vero mandata sunt in Exodo, ea perfecta referuntur in Levitico capite VIII. nempe Aaronem oblatum, lotum, vestitum, unctum: *Moyses congregata omni turba ante fores Tabernaculi obtulit Aaron; cumque lavisset eum, vestivit Pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens tunica hyacinthina, & desuper Humerale imposuit, quod astringens cingulo aptavit Rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit caput, & super eum contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione. Tulit & unctionis Oleum, quo linivit Tabernaculum cum omni supellectile sua; cumque sanctificans aspersisset Altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit Oleo; quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit.* Demum affert solemne Sacrificium consecrationis; quod hoc modo factum est ex mandato Dei: *Obtulit vitulum pro peccato, cumque super caput ejus posuisset Aaron manus suas, immolavit eum hauriens sanguinem, & tincto digito tetigit cornua Altaris per gyrum, quo expiato & sanctificato*

A *fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus, adipem vero, qui erat super vitalia, & reticulum jecoris, duosque renunculos cum arvinulis suis, adolevit super Altare; vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra castra. Obtulit & arietem in Holocaustum, super cujus caput cum imposuisset Aaron manus suas, immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per circuitum Altaris, ipsumque arietem in frusta concidens, caput ejus, & artus, & adipem adolevit igni, lotis prius intestinis, & pedibus: totumque simul arietem incendit super Altare, eo quod esset Holocaustum suavissimi odoris Domino. Obtulit & arietem secundum consecrationem Sacerdotis, posuitque super caput ejus Aaron manus suas,*
B *quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine ejus tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, similiter & pedis; reliquum fudit super Altare per circuitum, adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem, quæ operit intestina, reticulumque jecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro, separavit. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam Oleo, laganumque posuit super adipes, & armum dextrum, tradens simul omnia Aaron, qui postquam levavit ea coram Domino, rursum suscepta de manibus ejus adolevit super Altare Holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis Sacrificii Domino; tulitque pectu-*
C *sculum elevans illud coram Domino de ariete consecrationis in partem suam, assumensque unguentum, & sanguinem, qui erat in Altari, aspersit super Aaron, & vestimenta ejus. Cumque sanctificasset eum in vestitu suo, præcepit ei dicens: Coquite carnes ante fores Tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, quod positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron, & filii ejus*

come-

III. Demum ad Sacri ministerii functiones sequenti ritu fuerunt applicati. Adeps arietis, armus dexter, torta panis, crustula conspersa oleo, & laganum de canistro azymorum, super eorum manus fuerunt imposita, ut intelligerent, ad illa omnia offerenda se esse ordinatos. Demum septem diebus consecrationis ritus fuit peractus, & vitulus pro peccato per singulos dies oblatus. Vide Exodi caput XXIX. per totum.

(13) De Oleo unctionis hæc a Deo Moysi mandantur Exodi XXX. 23. *Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, idest ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, casiæ autem quingentos siclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin. Faciesque unctionis oleum Sanctum.* Myrrha prima illa dicitur, quæ sponte sua, & sine corticis cæsione, ex arbore defluit. Cinnamomum arbustum est satis infrequens, cujus cortex miram olet suavitatem. Galeni tempore ita rarum erat, ut in Musæo Imperatoris tantum servaretur; & Matthiolus fatetur se numquam verum cinnamomum invenire potuisse. Calamus odorus, qui à vulgari calamo aromatico differt, ab Indiis defertur. Casia costus est, nimirum frutex exiguus in Arabia, & India nascens, cujus radix eximii est odoris. Siclus in pondere Sanctuarii dicitur, non quod Sicli (qui pondus erat, & moneta) diversa essent pondera, alia scilicet Sanctuarii, alia publica, sive Regis dimidio minora, ut quidam opinati sunt; sed quod pondera omnia ad normam primi illius, quod in Sanctuario asservabatur, examinari oportebat. Sicli pondus, ut verisimilior videtur, semunciam æquabat; & hin continebat libras tredecim cum triente. Hoc autem Oleo præter instrumenta, & vasa Tabernaculi, unctus fuit Aaron, & ejus filii. Hæc de Oleo unctionis in sacro Textu.

Nunc subjicio, quæ de hoc Oleo tradunt Magistri, quorum narrationibus non multum deferendum est, ut sæpe monui. I. Volunt hoc Oleum semel tantum fuisse confectum, idque Moysis manibus, quod probant ex pri-
D mis verbis versiculi 23. Exodi in hac annotatione a me laudati: nam in textu legitur:

אתה קח לך *Tu sume tibi.*

II. Summum Pontificem ungi consuevisse figurando in ejus fronte Græcum X, quod si certo constaret, dicendum esset Summum Pontificem, præter alia, etiam in forma unctionis, Christi Jesu typum fuisse; nam X & habet formam Crucis, & Christi τοῦ Χριστοῦ inchoat nomen.

III. Demum usque ad excidium Templi Salomonei hoc oleo unctos fuisse Pontifices, & sequentibus seculis usque ad eversam, nec unquam restituendam eorum Rempublicam consecratos fuisse solis vestibus eorum di-
E gnitati convenientibus, quod Oleum Sanctum defecerit, & nemo illud denuo componere ausus fuerit, quoniam, ut ipsi ajunt, soli Moysi id fuit preceptum: אתה קח לך, *Tu sume tibi.* Verum inter Nostros non desunt, qui hæc à Rabbinis autumant serius conficta, quo minus doleant se post lapsum tot seculorum esse sine Pontifice. His plane assentior, quod præsertim Veteris Ecclesiæ Sancti Patres testati sunt, Sacerdotum unctiones apud Judæos tum demum cessasse, quum vetus Sacerdos, & unctus Domini Messias advenit. Vide S. Jo. Chrysost. *Orat. II. contra Judæos*, S. Cyrillum Hierosol. *Catechesi Mystag. III.*, Tertullianum *contra Judæos*, & alios.

cremedent illos, quidquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis absumet. De ostio quoque Tabernaculi non exhibitis septem diebus, usque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio, sicut in præsentiarum factum est. Huc vero his verbis declaravit Philo libro tertio de vita Mosis: *Postquam Moses induit Sacerdotes sacratis vestibus, sumsit unguentum suaveolentissimum, confectum arte unguentario, quo primum subdialia vasa, Altare, labrumque perunxit aspersa septies, deinde Tabernaculum, & sacra vasa singula, arcam, candelabrum, thymiaterium, mensam, calices, phialas, ceteraque Sacrificiis servientia; postremo adductum Pontificem inunxit profuso largiter in caput ejus sacro unguine. His rite peractis, jubet adduci vitulum, & duos arietes; vitulum, ut offerret in remissionem peccatorum, subindicans, cuivis nato etiam bono, vel ob hoc ipsum, quod natus sit, cognatum esse peccatum; propterea placandum esse Deum precibus, & victimis, ne iratus sæviat: arietem autem unum, qui adoleretur soli-dus Auctori rerum omnium, cujus benignitate pro se quisque fruitur elementis omnibus; alterum autem ad absolutam eorum, qui sacrabantur purificationem, quem apte Consecrationis cognominavit, quod per hoc Sacrificium initiarentur Sacerdotes Dei; ejus sanguinis partem circum Altare profudit, partem excepit phiala, eoque tinxit tria membra initiatorum, auriculam extremam, manum extremam, pedum extremum: significans virum perfectum debere purum esse sermone, opere, tota vita; sermonem enim auditus indicat, manus significat opera, pes totius vitæ transitum; sumsit inde ex eo, quod circum Altare profusum erat vel ex unguento, vel victimis omnibus, eoque permisto Sacerdotes aspersit, volens eos non solum externæ, subdivalisque sanctitatis fieri participes, verum etiam internæ, quando Sacra facturi erant in adytis, in quibus omnia peruncta sacro unguento fuerant; deinde aliis quoque cæsis victimis, tum pro Sacerdotibus, tum pro Senatu, ac gente universa fratrem introduxit in Tabernaculum; erat enim is dies octavus à consecratione, hujus festi ultimus, superiores enim septem, fratri, filiisque ejus initiandis dati fuerant.*

Conditiones (14) vero illi impositæ aliæ impedimentum attulerunt, ne Pontifex fieri posset: aliæ factum quibusdam quasi vinculis obligarunt. Primæ sic expressæ sunt Levitici XXI. *Pontifex, super cujus caput fusum est unctionis Oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, non erit mancus, debilis, cæcus, claudus, habens maculam, albuginem, aut ejusmodi alia vitia corporis.* Unde scripsit Philo de Sacrificiis: *Sacrificare nulli Sacerdoti, nisi integro, permittitur, cui ne minima quidem insit labecula*, & Aristobulus Rex, ut prodit Josephus, cum Hircano fratri suo Pontificatum abrogavisset, nasum præsecuit, ut mutilato corpore illi spem recuperandi honoris, atque adeo etiam facultatem adimeret: Secundæ ita: *Caput suum non discooperiet, vestimenta sua non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino; super patre quoque suo, & matre sua non contaminabitur, nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia Oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est; virginem ducet uxorem, viduam autem, & repudiatam, & sordidam, & meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ.* In quæ sic Philo de Monarchia: *Quoniam nemo, nisi vir, cooptatur in Sacerdotium, non cariturus amplexuum cupidine, quæruntur ei castæ virginis nuptiæ, sanctis prognatæ parentibus; meretricem enim pariter animo impuram atque corpore, ne aspicere quidem ei licet, etiamsi quæstu relicto ad bonam frugem se recepit, eo quod olim pollutum vitæ institutum secuta sit.*

Postremo OFFICIA ejus, quæ in Lege præcepta sunt, hæc fuerunt: ut Tabernaculum ingressus quotidie (15) lucernas concinnaret, ingressus vero Sanctuarium incensum ad Altare Thymiamatis adoleret, singulis septimanis panes Propositionis conficeret, ac sibi haberet, diebus festis sacrificia populi una cum Sacerdotibus faceret: semel autem in anno in die Expiationum, sacris vestibus indutus, ingressus Sanctuarium ipsum cum Altari Thymiamatis ob labibus & peccatis populi expiaret, & simul pro se, ac domo sua, & toto populo preces funderet.

De Lucernis sic Levitici XXIV. *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum ac lucidum ad concinnandas lucernas jugiter. Extra velum Testimonii in Tabernaculo fœderis ponet eas Aaron à vespere usque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris, super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.* Unde XII. secundi Paralip. scriptum est: *Est apud nos candelabrum aureum, & lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam*, & primo secundi Maccabæorum: *Obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes.*

De adolendo incenso ad ea quæ supra dicta sunt, hæc adjicimus. Secundo primi Regum: *Elegi Aaron mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad Altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me.* In sexto primi Paralip. *Aaron, & filii ejus adolebant incensum super Altare holocausti, & super Altare thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum, & ut precarentur pro Israël juxta omnia, quæ præceperat Moyses*, & XXVI. *Separatus est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum ipse & filii ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundum ritum suum, & benediceret nomini ejus in perpetuum.*

De Panibus sic XXIII. Levitici: *Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas; quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram*

(14) Conditiones, quæ erant impedimento, quominus aliquis Pontifex initiaretur, ad quinque capita solent referri. I. ad natales. II. ad ætatem. III. ad corpus. IV. ad animum. V. ad vitæ consuetudinem. Hæc capita inter alia discerpunt Magistri, ut esset non exigui moliminis illa enumerare. Exempli caussa, vitia ad corpus quæ attinent, prope centum assignant, quorum tot in aure, tot in oculis, tot in palpebris &c. distribuunt, ut plane otiosi esset in hisce nugis detineri cum illis.

(15) Concinnare lucernas à vespere usque ad mane non erat proprium Summi Pontificis munus, sed Sacerdotum, ut supra me dixisse memini: & quamquam Levitici XXIV. 3. de lucernis dicitur: *Ponet eas Aaron à vespere usque in mane*: observant tamen Interpretes, id Aaroni mandatum, non ut Summo Pontifici, sed ut Sacerdoti: ad quod officium deinde omnes Sacerdotes fuerunt promoti.

vam Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singulo Sabbato mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israel fœdere sempiterno: eruntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia Sancta Sanctorum est de Sacrificiis Domini jure perpetuo. De iisdem sic legitur primo Regum XXI. *Dixit Achimelech Sacerdos Davidi panes petenti: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem; neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes Propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur panes calidi.* Unde scripsit S. Matthæus XII. *Dixit Jesus Pharisæis: Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei; & panes Propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque iis, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?* & primo secundi Maccab. *Accendimus lucernas, & proposuimus panes*, & primo Paralip. IX. *De filiis Cahat super panes erant Propositionis, ut semper novos per singula Sabbato præpararent.*

De Sacrificiis in diebus festis agendis, præter ea, quæ de singulis Sacrificiis, & diebus festis supra ex Lege protulimus, testis est Josephus VI. Belli inquiens: *Pontifex cum Sacerdotibus ascendebat ad Templum septimo quoque die, & Kalendis, & in annuis festivitatibus populi, & sacrificabat velamine præcinctus usque ad genitalia, lineum intrinsecus habens usque ad pedes, & super hyacinthinum indumentum rotundum, ex quo fimbriæ pendebant alternis nodis aurea tintinnabula, & mala granata sustinentes.*

De Expiationibus supra dictum est, cum de festo die Expiationum est dictum, quo ex loco illud etiam repetendum est, quod est XVII. Levitici: *Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, ne moriatur, nisi hæc ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arietem in Holocaustum; tunica linea vestietur, fœminalibus lineis verenda celabit, ac cingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti, suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in Holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se, ac domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio Tabernaculi Testimonii: mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario, cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato:* & reliqua, quæ longa oratione texuntur de vitulo, & hircis in Expiationem peccatorum mactandis. Quæ qui cognoscere voluerit, ad superiorem, ut dixi, locum redibit. Hoc vero fecit Pontifex semel in anno, & solus Sancta Sanctorum ingressus. Sic enim præceptum est Exodi XXX. *Deprecabitur Aaron super cornua Altaris thymiamatis semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris.* Atque hoc idem etiam significavit S. Paulus ad Hebræos IX. *In priore (16) Tabernaculo semper introibant Sacerdotes Sacrificiorum officia consummantes, in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine*; declaravit autem Philo de Legatione ad Cajum: *Sanctuarium semel quotannis Pontifex ingreditur Jejunii tempore, tantum odores incensurus, & ex more vota solturus, ut felix annus, & pax contingat omnibus hominibus. De cetero si quis non dico plebejus Judæus, sed Sacerdos vel à summo proximus, imo is ipse Pontifex si duobus anni diebus, aut eadem die ter quaterve introierit, capite luet absque venia; tantam religionem adytorum voluit esse Legislator, ut hæc sola inaccessa intactaque servarentur*, & secundo de Monarchia: *Intimo Templi nemini videre fas est, præterquam soli Pontifici, & id ei quoque uno dumtaxat anniversario permittitur, quo introspicit omnia; infert autem odoramento, & foculum cum ignitis carbonibus, ibi multo suffitu fumus circumquaque effunditur, & visum offuscat, nec sinit longius prospicere.* Item Josephus VI. Belli: (17) *Superhumerali, & Rationali Pontifex utebatur solum, cum Sancta Sanctorum ingrediebatur, quod semel in anno solus faciebat, quo die cunctis jejunare mos erat*, & secundo adversus Appionem: *Templum quatuor porticus habuit in circuitu, quarum singulæ propriam secundum Legem custodiam habuerunt. In exteriorem ingredi omnibus licuit, etiam alienigenis, mulieribus tantum menstruatis prohibitis; in secundam mares cum uxoribus, si mundæ essent, inibant; in tertiam mares, qui mundi erant, aut purificati; in quartam Sacerdotes Stolis induti Sacerdotalibus; in adytum soli Pontifices propria Stola amicti.* Quod autem scriptum est, Pontificem (18) semel in anno solum Sancta esse ingressum; Sanctus Augustinus interpretatur, eum quotidie quidem ingressum esse

(16) Nomine prioris Tabernaculi S. Paulus significat illam partem, quæ introeuntibus prima se offerebat post velum primum, in quam bis quotidie mane & vespere Sacerdotes intrabant, tum ut adolerent incensum super Altare thymiamatis, tum ut lucernas componerent. Nomine autem secundi Tabernaculi Sanctum Sanctorum, seu adytum Apostolus exprimit, in quod semel in anno, solenni Expiationis die Summus Pontifex solus ingrediebatur, ut paullo post ero dicturus.

(17) An Summus Pontifex vestibus propriis fuerit indutus, quum Adytum intraret, an vero vestibus cuique Sacerdoti communibus, supra animadverti Lib. IV. cap. XII. annotatione prima. Hic solum addo, alterum locum Josephi libro II. adversus Apionem a Nostro hic adductum, ubi dicuntur ingressi *in adytum soli Pontifices propria stola amicti*: haberi tantum Latine, quum ibidem Josephi Græca desiderentur. Unde illius sensus ad primigeniam librorum linguam expendi non potest.

(18) Quoniam nonnulli ex gravissimis Scriptoribus in ea fuerunt sententia, in quam ivit quoque Sigonius, ut putarent, Altare thymiamatis in Sancto Sanctorum fuisse; arbitrati sunt etiam Summum Pontificem quotidie adytum ingredi consuevisse propter incensum. Supra ad Libri IV. caput XIII. annot. I. observavi, Altare thymiamatis non in adyto, sed extra velum secundum inter mensam Panum, & Candelabrum fuisse situm: & hinc sequitur, adytum ingredi haud oportuisse, adolendi caussa quotidie thymiama. Nunc ex doctrina S. Pauli ad Hebræos cap. IX. probandum est Summum Pontificem semel tantum in anno adytum penetrasse solenni die Expiationis. Repetamus verba, quæ Noster ex eadem Epistola supra habet: *In priori quidem Tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua, & populi ignorantia.* Hæc S. Paulus versiculo 6. & 7. Et infra vers. 11. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manu factum, idest non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per pro-*

esse propter incensum, ut semel in anno propter Expiationem cum sanguine purificationis. Verum possumus etiam dicere, eum quotidie quidem Sanctuarium esse ingressum, sed Sacerdotum comitatu stipatum, semel autem in anno solum, idest, sine Sacerdotibus, in die Expiationum. Siquidem Levitici XVI. scriptum est: *Nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se, & pro domo sua, & pro universo cœtu Israël, donec egrediatur.* Hactenus de iis, quæ proposita fuerant, vestibus, consecratione, conditionibus, officiisque Pontificum. Nunc de electione illorum dicamus.

Hæc igitur dignitas data est Aaroni primum ex mandato Dei, ut perpetuo in posteritate ejus maneret. Id autem mandarat Deus Exodi XXVIII. inquiens: *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum*, & sequenti: *Vestem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, & consecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, qui ingredietur Tabernaculum Testimonii, ut ministret in Sanctuario*, & XXIII. primi Paralip. *Separatus est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum ipse, & filii ejus in sempiternum.* Itaque mortuo Aarone, delatus est Pontificatus ad Eleazarum filium ejus: Inde posteri Eleazari deinceps illum honorem ceperunt, itaut filius patrem exciperet. Quare ad Phinees Eleazari filium dixit Deus: *Erit tam ipsi, quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum*; tertio loco transiit ad posteros Ithamari, qui fuerat frater Eleazari: inde post aliquot annos rursus rediit ad stirpem Eleazari, atque in ea mansit usque ad tempora Regum Syriæ post reversionem ex Babylonia. Quo tempore Pontificatus, lapsis rebus, ad alias familias Leviticas quidem, verum non ab Aarone fluentes, Regum beneficio est traductus, quorum primi fuere Reges Syriæ, secundi Reges Judæorum proselyti, tertii Duces Romani, qui Syriæ ac Judææ provinciæ præfuerunt. Quin etiam idem Pontificatus perpetuus ita fuit, ut tandiu quisque teneret, quoad vita suppeditaret; deinde Græcorum Regum arbitrio in annum, atque annos tribus cœptus est. Addo etiam, Pontifices usque ad transmigrationem rerum tantum sacrarum procurationem gessisse, cum Reges Rempublicam gubernarent; postquam autem Judæi in patriam restituti sunt, Pontificibus & Sacra, & Rempublicam esse, teste Josepho, commissam. Itaque Assamonæorum familia è Tribu Levi, cum paulo post summam potestatem in Republica esset adepta, sibi non solum principatum, sed etiam Pontificatum ascivit, ac mox Principatum in Regnum convertit, ita ut iidem Pontifices ac Reges essent. Quibus amotis tum demum Divino consilio natus est Jesus Christus, qui Rex & Pontifex Judæorum in perpetuum esset. Nam Christus Unctum significat, quo modo Regem ac Pontificem appellabant. Unde dixit S. Paulus ad Hebræos VI. *Jesus factus est secundum ordinem Melchisedec Pontifex in æternum.* Nomina (19) vero & series Pontificum hæc fuerunt.

AARON filius Amram, nepos Cahat, pronepos Levi, primus Pontifex à Moyse fratre vestitus, & consecratus in deserto Sinai. Exod 28. Levit. 8.

ELEAZAR Aaronis F. mortuo patri successit jussu Dei. Num. 20. Josue 14. moritur post Josue: Josue 24.

PHINEES Eleazari F. de hoc sic scriptum est Num. 25. *Dixit Deus: Ecce ego do Phinees pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* Josue 22. Jud. 20. ubi ita scribitur: *Eo tempore in Silo erat arca fœderis Domini, & Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus.* Ex quo apparet, vixisse usque ad tempora Samsonis Judicis. Item secundo Maccabæorum libro primo: *Phinees zelando zelum Dei accepit testamentum Sacerdotii æterni.*

ABISUE Phineis F.

BUQUIS Abisua F.

OZIS Buquis F.

Horum Pontificum meminit tantum Josephus libro Ant. quinto, cap. ult. Scriptura vero his præteritis Phineis ætatem usque ad tempora Heli producit.

HELI ab Ithamaro Aaronis F. genus ducens, primo Regum. Jos. lib. 8.

ACHITOB Phineis F. Heli N. cap. 14. 1. Reg Joseph. lib. 8.

ACHIMELECH Achitobi F. interfectus à Saule Rege, quia Davidem excepisset. 21. & 22. primi Regum. Joseph. lib. 8.

ABIATHAR post Achimelech patrem occisum. 23. primi Reg. & 30. Jos. lib. 8. S. Marcus cap 2.

SADOC filius Achitob, nepos Amariæ, pronepos Merajoth, abnepos Zarajæ, atnepos Ozis Pontificis, post necem Achimelech, una cum Abiathare Pontifex fuit, atque ambo reportandæ arcæ affuerunt sub Davide Rege, &

---

primum sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Ex hisce verbis pronum est intelligere, S. Paulum tres circumstantias Aaronici ministerii Christo applicare, ut luce clarius fiat, Pontificem in illis etiam Christi typum fuisse. Pontifex intrabat cum sanguine hircino, & vitulino; Christus intravit per proprium sanguinem. Ille semel in anno; hic semel omnino. Ille in Sancta manufacta; hic in Sancta cœlestia. Si vero quotidie Pontifex in Sanctum Sanctorum, quod, ut supra observavi, Tabernaculum secundum Paulus appellat, ingressus fuisset; infirma plane, & minus idonea comparatio videretur, quam per τὸ *semel* instituit; ut tremo non videt.

(19) Sigoniano laterculo Summorum Pontificum addo numerum annorum, quibus singuli ex melioris notæ Chronologis Pontificatum gessere. Ubi vero numerum annorum signatum Lector non invenies, scias a me nihil certi de illis adduci potuisse.

1. AARON, frater Moysis, initiatur an M. 2514. Obiit an. 2552. ante Chr. 1448. ante Ær. 1452.
2. *Eleazarus*, electus an. 2552. obiit circa an. 2571. ante Chr 1429. ante Ær. 1433.
3. *Phinees*, initiatus circa an. 2571. obiit circa an. 2590. ante Chr. 1410. ante Ær. 1414.
4. *Abjezer*, sive Abisve, } sub Judicibus.
5. *Bocci*, }
6. *Uzi*, }
7. *Heli*, è genere Ithmeri ab an 2848. usque ad 2888. ante Chr. 1112. ante Ær. 1116.
8. *Achitob I.*
9. *Achia*, florebat an. 2911. sive 2912.
10. *Achimelech*, sive Abiathar, occisus à Saule an. 2944. ante Chr. 1056 ante Ær. 1060.
11. *Abiathar*, sive Achimelech sub Davide, ab an. 2944. usque ad 2989. ante Chr. 1011. ante Ær. 1015
12. *Sadoc I.* sub Saule, Davide, & Salomone, ab an. 2944. usque ad 3002. ante Chr. 1000. ante Ær. 1004. circiter.

13 *Abi-*

A & Tabernaculo in Silo præfuit. Secundo Regum 15., 17, & 19., & tertio Regum 1. inde solus, postquam Salomon Rex interfecit Abiatharem Adoniæ fratri suo Regnum affectanti studentem. Unde scriptum est 3. Reg. cap. 2. *Ejecit Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini*. Salomonem autem Regem Sadoc unxit: & primus functus est Sacerdotio in Templo ejus, primo Paralip. cap. 6. Joseph. lib. 10.

ACHIMAAS Sadoci F. Joseph. lib. 10.

AZARIAS Achimaæ F. Joseph. lib. 10. at vero 3. Regum. cap. 4. dicitur Sadoci F. & cap. 6., primi Paral. Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc. item cap. 31., 2. Paral.

B JORAM Azariæ F. Joseph. lib. 10.

ISUS Jorami F. Joseph. lib. 10.

AXIORAM Isi F. Joseph. lib. 10.

PHIDEAS Axiorami F. Joseph. lib. 10.

SUDEAS Phideæ F. Joseph. lib. 10.

Vide num hic idem sit cum Jojada Sacerdote, qui Joam Judæ Regem unxit, & dicitur Pontifex, 4. Regum, cap. 12. & à Josepho lib. 10. vixitque, eodem teste, annos centum triginta. Jojadæ Pontificis filius Zacharias Propheta lapidatus est à Rege Joram, Joseph. lib. 9.

JOEL Sudeæ F. Joseph. lib. 10.

JOATHAN Joëlis F. Joseph. lib. 10.

Hic Azarias vocatur, & est is, qui restitit Oziæ Regi incensum adolenti. 2. Paralip 26. Joseph. lib. 9.

C URIAS Joathæ F. Joseph. lib. 10.

Hic vixit sub Achaz Rege Judæ. Regum 4. cap. 16.

NERIAS Joathæ F. Joseph. lib. 10.

ODEAS Neriæ F. Joseph. lib. 10.

SELLUM Odeæ F. Joseph. lib. 10.

HELCIAS Sellum F. 4. Regum 22. 23. & 2. Paralip. 34. & Joseph lib. 10.

Hic sub Josia Rege invenit Deuteronomium amissum.

SARAJAS Helciæ F. interfectus in Rebla tha à Nabucdonosore Rege. 4. Regum, cap. ult. Joseph. lib. 10.

D JOSEDEC Sarajæ F. in captivitate Babylonica successit patri, Esdræ frater, qui post legem restituit. Joseph. lib. 10. Euseb. 3. de demonstratione Evangelica.

A JESUS Josedec F. qui reversus è Babylone in patriam, Urbem, & Templum reficere cœpit. Esdræ 2. Jos. lib. 10. Aggæus Propheta. Euseb. ibidem.

JOACIM Jesu F. cap. 12. Neemiæ. Joseph. lib. 11. fortasse est is, qui quarto Judith dicitur Eliachim Sacerdos magnus Domini. Euseb. ibidem.

ELIASIB Joacim F. Neemiæ 3. & 13. Joseph. lib. 11. Euseb. ibidem.

JODAS Eliasib F. Neemiæ 12. Josephus libro 11. Euseb. ibidem.

JONATHAS Jodæ F. Neemiæ 12. Josephus libro 11. vocat Joannem. Euseb. ibidem.

B ADU, sive JADDUS Jonathæ F. Neemias 12. Joseph. lib. 11. Euseb. ibidem. Hic excepit Alexandrum Magnum victorem.

ONIAS Jaddi F. Joseph. lib. 11. Euseb. ibidem.

SIMON Oniæ F. Justus. Joseph. lib. 12. Eusebius hunc præterit.

ELEAZAR Oniæ F. Joseph. lib. 12. Euseb. ibidem.

Ad hunc scripsit Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti, ut ad se Biblia mitteret, una cum LXXII. interpretibus.

MANASSES Jaddi Pont. F. Joseph. lib. 12. Hunc præterit Eusebius.

C ONIAS II. Simonis Justi F. Joseph. lib. 12. Euseb. ibidem. Hic tributa Ptolemæo Evergeti solvere abnuit.

SIMON II. Oniæ F. Simonis N. Joseph. lib. 12. Euseb ibidem. Hoc tempore fuit Jesus Sirac, qui Sapientiam scripsit.

ONIAS III. Simonis II. F. Joseph. lib. 12. Euseb. ibidem. Ad hunc Areus Rex Lacedæmoniorum Legationem misit. Accusatus est à Simone quodam Beniamite apud Seleucum Regem Syriæ, onde seditio nata. Eodem mortuo Antiochus Epiphanes Rex Syriæ Jesum fratrem ejus Pontificem declaravit.

D JESUS, qui & Jason, Simonis II. F. Joseph. lib. 12 creatus ab Antiocho Epiphane. Hunc Eusebius præterit; seditione concitata primus abdicatus est ab eodem Antiocho, & Pontificatus ad tempus dari cœptus.

ONIAS

13. *Achimaas*, sub Roboamo, circa an. 3030 ante Chr. 970. ante Ær. 974.
14. *Azarias*, sub Josaphat, idem forte ac Amarias, 2. *Par.* 19 11. circa annum 3092. ante Chr. 908. ante Ær. 912.
15. *Johanan*, forte Jojada sub Joas, 2. *Par.* 24. 15. an. 3126. Annis 130. grandævus obiit.
16. *Azarias*, facile idem cum Zacharia filio Jojadæ, occisus an. 3164. ante Chr. 836. ante Ær. 840.
17. *Amarias*, forte Azarias, sub Ozia, an. 3221. ante Chr. 779. ante Ær. 783.
18. *Achitob II.* } sub Joathan Rege Juda.
19. *Sadoc II.* }
20. *Urias*, sub Achaz, florebat an. 3265. ante Chr. 735. ante Ær. 739.
21. *Sellum*, pater Azariæ, & avus Helciæ.
E 22. *Azarias*, sub Ezechia, 2. *Par.* 31. 10. circa an. 3278. ante Chr. 722. ante Ær. 726.
23. *Elcias*, sub Ezechia.
24. *Eliacim*, sub Joakimo, & Manasse, ac tempore obsidionis Bethuliæ, an. 3348. Sacerdotio etiam sub Josia præfuit ultra an. 3380. Appellatur etiam Helcias. Vide *Baruc*, 1. 7.
25. *Azarias*, facile Nerias pater Sarajæ, & Baruc.
26. *Sarajas*, novissimus Pontifex, ante captivitatem, occisus an. 3414. ante Chr. 586. ante Ær. 590.
27. *Josedech*, in captivitate Babylonica ab an. 3414. usque ad 3469. ante Chr. 531. ante Ær. 535.
28. *Josue*, sive Jesus filius Josedech, regressus Babylone an. 3468. ante Chr. 532. ante Ær. 536.
29. *Joachim*, sub Xerxe. *Antiq. l.* 11. *c.* 5.
30. *Eliasib*, sive Joasib, vel Chasib, sub Nehemia An. 3550. ante Chr. 450. ante Ær. 454.
31. *Jojada*, sive Juda. *Vide* 2. *Esdr.* 12. 10.
32. *Joathan*, sive Joannes.
33. *Jeddoa*, sive Jaddus, qui Alexandrum Magnum Jerosolymam venientem excepit An. 3673. obiit An. 3682. ante Chr. 318. ante Ær. 322.
34. *Onias I.* assumptus An. 3682. vita & dignitate excessit An. 3702. ante Chr. 298. ante Ær. 302.
35. *Simon I* cognomento Justus, assumptus An. 3702. sive 3703. obiit An. 3711. ante Chr. 289. ante Ær. 293.
36. *Eleazarus*, electus An. 3712. sub eo Pontifice Versionem Septuaginta circa An. 3727. adornatam ferunt. Obiit An. 3744. ante Chr. 256 ante Ær. 260.
37. *Manasses*, electus An 3745 obiit An. 3771. ante Chr. 229. ante Ær. 233.
38. *Onias II.* assumptus An. 3771. obiit An. 3785. ante Chr. 215. ante Ær. 219.
39. *Simon II.* electus An. 3785. obiit An. 3805. ante Chr. 195. ante Ær. 199.
40. *Onias III.* initiatus An. 3805. abrogatus An. 3829. obiit An. 3834. ante Chr. 166. ante Ær. 170.
41. *Jesus*, sive Jason, electus An. 3830. exauthoratus An. 3831. ante Chr. 169. ante Ær 173.

42. *Onias*

ONIAS IV., qui & Menelaus, Simonis II. F. creatus ab Ant. Epiphane, & post necatus. Hierosolyma direpta. Liber Maccabæorum Menelaum fratrem facit Simonis cujusdam Beniamitæ, hominis seditiosi. Hunc Euseb. præterit.

LYSIMACHUS frater Menelai lib. 2. Maccabæorum, à Josepho & Eusebio omissus.

ALCIMUS, qui & Joacim, ex posteris Levi, sed non Eleazari, aut Ithamari, ab eodem Rege suffectus. Maccab. lib. 1. Onias Onii Tertii Pontificis filius ad Ptolemæum Regem confugit, & Templum in Heliopoli Ægypti condidit. Hunc Eusebius præterit.

JUDAS Maccabæus Matthatiæ Assamonæi F. ex posteris Levi, sed non Eleazari, à populo lectus. Joseph. lib. 12. Euseb. à libro Maccabæorum præteritus.

JONATHAS Matthatiæ Assamonæi F. Princeps Judæorum à Demetrio Rege Syriæ subjectus. Maccab. lib. 1. Joseph. 13. Euseb.

SIMON Jonathæ frater Princeps succedit fratri Jonathæ, unde Pontificatus in Assamonæorum familia una cum principatu fit hæreditarius, Maccab. 1. Joseph. lib. 13. Euseb. itidem.

JOANNES Hyrcanus Simonis F. Joseph. lib. 13. Euseb.

ARISTOBULUS Joannis F. Regis nomen assumsit. Jos. lib. 13. Euseb.

JANNEUS Alexander Joannis F. Rex, Joseph. lib. 13. Euseb.

HYRCANUS Jannei Alexandri F. Rex, pellitur à fratre minore Aristobulo. Joseph. lib. 14. Euseb.

ARISTOBULUS Jannei Alexandri F. pulso Hyrcano fratre Rege, & Pontifice, Rex fit, & Pontifex; inde à Cn. Pompejo Duce Romano pellitur. Joseph. lib. 14. Euseb.

HYRCANUS Jannei Alexandri F. restitutus à Pompejo iterum Pontificatum gerit, inde capitur à Parthis, & Antigono Aristobuli Regis, & Pontificis filio, ac, ne Pontificatum resumere possit, mutilatur. Joseph. lib. 14.

ANTIGONUS Aristobuli Regis, & Pontificis F. capto Hyrcano patruo, & mutilato Rex, & Pontifex; idem ab Herode Antipatri filio Ascalonita Rege illi à Romanis objecto interficitur. Joseph. lib. 15.

ANAELUS Levites Babylonius ab Herode Rege substitutus, & remotus. Josephus libro decimoquinto.

ARISTOBULUS Alexandriæ Hyrcani Regis, & Pontificis filiæ filius, ab Herode Rege substitutus, & remotus. Joseph. lib. 15. Frater fuit Mariamnes uxoris Herodis.

ANAELUS iterum ab Herode datus, & remotus. Josephus libro decimoquinto.

JESUS Phabetis F. alienigena ab Herode Rege datus, & remotus. Josephus libro 15.

SIMON Boëthus Alexandrinus alienigena, socer Regis Herodis, ab eodem datus, & remotus. Joseph. lib. 15.

MATTHIAS Theophili F. Hierosolymites ab Herode Rege datus; qui cum somniasset nocte, se cum muliere commistum, sequenti die, qui dies erat Jejunii,

JOSEPHUS Elimi F. cognatus ejus pro eo Sacerdotali munere functus est. Joseph. lib. 17. Matthia inde remoto.

JOAZARUS Simonis Boëthi F. Herodis Regis uxorius ab eodem datus, Joseph. lib. 17. Sub hoc nascitur JESUS CHRISTUS. Nicephorus in Chronologia. Inde ab Archelao Rege Herodis filio, & successore remotus. Joseph. lib. 17.

ELEAZARUS Simonis Boëthi F. ab Archelao Rege factus, & remotus. Josephus libro decimoseptimo.

JESU Siæ F. ab Archelao Rege datus, & remotus. Josephus libro decimoseptimo.

JOAZARUS iterum ab Archelao Rege factus, & post relegationem Archelai à Quirino Pro-consule Syriæ remotus, imperante in Judæa Augusto. Josephus libro 18.

ANNA, sive Ananus Sethi F. à Quirino Pro-consule Syriæ datus, imperante Augusto, & à Valerio Grato Procuratore Judææ remotus, imperante Tiberio. Joseph. lib. 18.

ISMAELUS Jabi F. à Valerio Grato Procuratore Judææ datus, & remotus. Joseph. lib. 18.

ELEA-

42. *Onias IV.* alio nomine Menelaus, electus an. 3832. obiit An. 3842. ante Chr. 158. ante Ær. 162.

43. *Lysimachus*, Vicarius Menelai, occisus An. 3834 ante Chr. 166. ante Ær. 170.

44. *Alcimus*, sive Jacimus, sive Joachim, electus An. 3842. obiit An. 3844. ante Chr. 156. ante Ær. 160.

45 *Onias V.* qui Pontificatus munere non Jerosolymæ functus est, sed in Ægyptum secedens, Templum Onion ædificavit An. 3854. ante Chr 146 ante Ær. 150.

46. *Judas Machabæus*, qui Altare, & sacrificia restituit An. 3840. obiit An. 3843. ante Chr. 157. ante Ær. 161.

47 *Jonathas Asmonæus*, frater Judæ Machabæi, assumptus An. 3843. obiit An. 3860. ante Chr. 140 ante Ær. 144.

48. *Simon Machabæus*, electus An. 3860. obiit An. 3869. ante Chr. 131. ante Ær. 135.

49 *Joannes Hircanus*, assumptus An. 3869. obiit An. 3898. ante Chr. 102. ante Ær. 106.

50 *Aristobulus* Rex, & Pontifex Judæorum, obiit An. 3829 ante Chr. 101. ante Ær. 105.

51 *Alexander Jannæus*, Rex pariter, & Pontifex, spatio 17. annorum ab 3899. usque ad 3926. ante Chr 74. ante Ær. 78.

52 *Hircanus*, totum Pontificatus sui spatium 32. annos conclusit ab 3926. usque ad 3958. ante Chr. 42. ante Ær. 46.

53. *Aristobulus* ejus frater, Sacerdotium triennio & 3. mensibus occupavit, ab 3935. usque ad 3540. ante Chr. 60. ante Ær. 64.

54. *Antigonus* ejus filius, amoto Hircano, Pontificatum biennio, & 7. mensibus obtinuit, ab 3964. usque ad 3967. ante Chr. 33. ante Ær. 37. quo a Sosio captus est.

55. *Ananelus* Babylonius, ab Herode assumptus An. 3968. usque ad 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34.

56. *Aristobulus*, postremus Asmonæorum, ne solido quidem anno Pontifex. Obiit An. 3970. ante Chr. 30. ante Ær. 34.

Ananelus depositam dignitatem repetit An. 3971. ante Chr. 29. ante Ær. 33.

57. *Jesus*, filius Phabis depositus An. 3981. ante Che. 19. ante Ær. 23.

58. *Simon*, filius Boëthi, assumptus An. 3981. remotus An. 3999. ante Chr. 1. ante Ær. 4.

59. *Matthias*, filius Theophili, electus An. 3999. cui eventu quodam à fungendo munere abstinenti, Eliem Sacerdotio diurno suffectus est An. ante Che. 1. ante Ær. 4.

60. *Joazar*, filius Simonis, filii Boëthi, promotus An. 4000. ipso nati Christi anno, ante Ær. 4.

61. *Eleazarus*, frater Joazari assumptus An. 4004. Chr. 4. Ær. 1.

62. *Jesus*, filius Siah, electus An. 4009. Chr. 9. Ær. 6.

Joazar, dignitatem postliminio repetiit, An. 4010 amotus An. 4016. Ær. 13.

63. *Ananus*, filius Seth, 11. annis ab An. 4016. usque ad 4027. Ær. 24.

64. *Ismael*, filius Phabi, assumptus An. 4027. Ær. 24.

65. *Elea-*

ELEAZARUS Annæ Pontificis F. à Valerio Grato Procusatore datus, & remotus. Joseph. lib. 18.

SIMON Camithi F. à Valerio Grato Procuratore datus, & remotus, adhuc imperante Tiberio. Josepb. lib. 18.

JOSEPHUS CAIFAS Annæ Pontificis gener à Valerio Grato Procuratore datus, adhuc imperante Tiberio. Joseph. lib. 18. Evangelistæ omnes. Actuum 4. Sub hoc CHRISTUS est passus.

JONATHAS Annæ Pontificis F. à Vitellio Pro-consule Syriæ datus, imperante Cajo; & ab Agrippa Herode Rege Judææ remotus. Joseph. lib. 18. Ant. & lib. 2. de bello.

THEOPHILUS Annæ Pontificis F. ab Agrippa Herode Rege datus, & remotus, imperante Claudio. Joseph. lib. 18.

SIMON Boëthi Pontificis F. Canthara ab Agrippa Herode Rege datus, & remotus. Joseph. lib. 19.

MATTHIAS Annæ Pontificis F. ab Agrippa Herode Rege datus, & remotus. Idem.

ÆLIONÆUS Simonis Cantharæ Pontificis F. ab Agrippa Herode Rege datus, & ab Agrippa Herode Secundo Rege Chalcidicæ remotus; is enim mortuo Agrippa fratre Rege Judææ jus Pontifices instituendi à Claudio impetraverat. Josepb. lib. 20.

JOSEPHUS Camydi F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus, imperante Nerone. Joseph. lib. 20.

ANANIAS Nebedæi F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20., quem S. Paulus parietem dealbatum vocavit, Act. cap. 23.

ISMAELUS Siæ F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus. Romæ obses retentus. Joseph. lib. 20.

JOSEPHUS Cabus Simonis Cantharæ Pontificis F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20.

ANNA, sive Ananus, Annæ Pontificis F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Hic S. Jacobum Minorem fratrem Domini interfecit. Joseph. lib. 20. Act. 12.

JESUS Damnei, sive Mnaseæ F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20.

JESUS Gamalielis F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Joseph. lib. 20.

MATTHIAS Theophili F. ab Agrippa Rege Chalcidicæ datus, & remotus. Josephus lib. 20.

PHANNIAS, sive Phanassus Samuelis F. à populo tumultuante sorte lectus. Sub hoc Hierosolyma à Tito capta, atque incensa. Joseph. lib. 20.

Ex hac Pontificum successione apparet, ita unum alteri successisse, ut nunquam bini ex ordine simul Pontificatum administrarint. Quare quæsitum est à multis, atque adhuc quæritur, quid sibi voluerit S. Lucas, cum in principio Evangelii dixit: *Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caifa verbum Domini factum est super Joannem*, cum Josephus in illum annum, atque annos, unum tantum Caifam Pontificem ediderit, quem Scriptura principem Sacerdotum, & magnum Sacerdotem, ut dixi, appellat, atque idem acta tertii post anni referens, quo Caifas à S. Joanne Pontifex illius anni dicitur, scripsit: *Et Annas princeps Sacerdotum, & Caifas*.

Respondet S. Augustinus in expositinne S. Joannis, fortasse per ea tempora constitutum fuisse, ut plures simul Pontifices essent, & per annos singulos vicibus ministrarent; Annam vero, & Caifam alternis annis Pontificatum gessisse; aut uno anno plures administrasse. Verum quoniam sine auctoritate loquitur, nec sententiæ certus est, & Josephus his temporibus proximus certa Pontificum successione allata consuetudinem illam aperte redarguit, fit, ut caussam aliam quærendam esse existimem. Puto igitur, partim veterem consuetudinem esse servatam, ut nunquam nisi unus Summus Pontifex esset, partim novam inductam, ut Pontificii omnes, idest, qui Pontificatum gessissent, Pontifices vocarentur, ut qui ex consuetudine vetere dignitatem semel susceptam usque ad mortem retinere deberent, quo modo nunc Episcopi etiam appellantur, & sunt, qui Ecclesiam dimiserunt. Anna vero præcipue nominatus est, non quod vere tum Pontifex esset, sed quia ex (20) Pontificiis socer erat Caifæ, qui tum erat Pontifex, idest, Pontificatum vere administrabat. Eadem enim ratione Josephus libru

Belli

65. *Eleazarus*, filius Anani, electus An. 4027. Ær. 24.
66. *Simon*, filius Chamithi, An. 4028. Ær. 25.
67. *Josephus*, cognomento Caiphas, ab An. 4029. usque ad 4038. Ær. 35.
68. *Jonathas*, filius Anani, ab An. 4038. usque ad 4044. Ær. 37.
69. *Theophilus*, filius Jonathæ, An. 4040. amotus 4044. Ær. 41.
70. *Simon*, cognomento Cantharus, filius Simonis Boethi, assumptus An. 4044. Ær. 41.
71. *Matthias*, filius Anani, An. 4045. Ær. 42.
72. *Elionæus*, ab An. 4047. ad 4048. Ær. 45. quem Simon Cantharus excepit, iterum Sacerdotio functus ab An. 4048. amotusque eodem anno, Æe. 45.
73. *Josephus*, filius Canei ab An. 4048. ad 4050. Ær. 47.
74. *Ananias*, filius Nebedæi, ab 4050. usque ad 4066. Ær. 63.
75. *Ismaël*, filius Phabæi, electus An. 4066. Ær. 63.
76. *Josephus*, cognomento Cabæi, An. 4066. Ær 63.
77. *Ananus*, filius Anani, An. 4067 Ær. 63.
78. *Jesus*, filius Anani, An. 4067. Ær. 64.
79. *Jesus*, filius Gamalielis, An. 4067. Ær. 64.
80. *Matthias*, filius Theophili, ab 4068. usque ad 4073. Ær. 70.
81. *Phannias*, filius Samuelis, assumptus An. 4073. Ær 70. quo anno urbe & Templo eversis, Sacerdotium & sacrificia Judæorum abrogata sunt.

(20) Cum Sigonio nostro sentit P. Calmet in Comment. ad caput III. S. Lucæ num. 2.; nam voli duos Pontifices simul non fuisse Annam, & Caïpham, qui eodem tempore sacris Pontificalibus operarentur. Sed Anna Pontifex factus à Quirino Syriæ Proconsule undecim annis Pontifex fuit. Dimisso deinde Pontificatus munere, titulum adhuc, & auctoritatis partem, quoad vixit, retinuit. Hoc solum fruebatur, quum factum est in deserto verbum Domini super Johannem. At Caipha à Valerio Grato Pontificatum obtinuit, quo octo vel novem annis administrato, amotus est à Vitellio Proconsule. Quam S. Johannes ministerium suum adoesus fuit, Caipha Pontifex erat, & aliquot annis etiam post Christi mortem functus est Pontificis munere. Hæc tamen sententia omnibus Eruditis minime arridet; sed alii in alias abeunt, & præter hanc quatuor enumerantur.

I. Igitur inter Eruditos opinio illorum est, qui statuunt Annam, & Caïpham eodem anno simul Pontifices fuisse; quæ sententia eo probabilior videtur, quo magis constat faceæ Hebræorum Leges, præsertim ad Pontificem spectantes, a Romanis fuisse violatas. Ea ætate nemo ad Pontificatum adire visus est,

Belli secundo, imperante Claudio, nominat Jonatham, & Annam Pontifices, cum tamen tum vere tantum Jonathas Pontificatui præesset, Anna vero ex Pontificiis Jonathæ pater esset. Item post nominat Ananum ejusdem Annæ filium, & Jesum simul Pontifices, cum tamen Ananus abrogatus, Jesus suffectus fuisset, & libro quarto vocat Ananum Pontificum vetustissimum, & mox Jesum post Ananum ætate maximum, idest, eorum, qui Pontificatum gessissent. Item post Phanniam Pontificem creatum, nominat probatissimos inter Pontifices Jesum Gamalielis filium, & Ananum Annæ filium, qui Pontificii erant, & eodem Phannia subrogato, tamen Ananum vestem Pontificiam gessisse adscribit, & libro XX. Antiquitatum, Pontifices cum Sacerdotibus contendisse inquit, atque hoc modo inde semper loquitur, ut Pontifices pro Pontificiis ponat, de Anna vero scribit: *Felicissimus Anna fuit: filios namque omnes Dei Pontifices vidit, atque ipse primum hunc honorem plurimis annis gessit, quod nemini Pontificum apud nos contigit.*

CAP. III.

De Sacerdotibus.

UT autem unus, & Summus extitit Pontifex, sic Sacerdotes, & multi fuere, & minore dignitate, atque auctoritate, quam Pontifex; id autem planum fiet, si in his eadem considerabimus, quæ in Pontifice exquisivimus, nempe vestitum, consecrationem, conditiones, atque officia.

Ac VESTES quidem Sacerdotum eo fuere, quas cum Pontificibus communes diximus, tunica linea, baltheus, (21) mitra, fœminalia, de quibus sic præcipitur Exodi XXIX. *Filios quoque Aaron applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo, & impones eis mitras, eruntque Sacerdotes mihi lege* (22) *perpetua*, & capite præcedenti: *Facies & fœminalia linea*,

nisi contra Legis præscriptum. Omnes non perpetuo, sed ad tempus eligebantur, ad nutum Proconsulum abrogandi. Nihil de Aaronico genere, nihil de conditionibus corporis, nihil de doctrina, & virtutibus animi in electione quærebatur. Romanorum voluntas hunc inaugurabat, illum dignitate movebat; quod aperte significabat Veterem Pontificatum ad exitum pervenisse, ut Novo fieret locus.

II. Sententia ita accipit verba S. Lucæ *sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha*, ut non simul gesserint Pontificatum, sed successive. Anna primum, quando Johannes suam prædicationem fuit exorsus; postea Caiphas, quando eam complevit. In sacris literis dicuntur eadem ratione Prophetæ prædicasse in diebus plurium Regum, quos nominant; non quod simul hi Reges fuerint dominati; sed quia prophetarunt eo tempore, quo Reges sibi invicem succedentes regnabant.

III. Sententia vult Annam eo tempore, quo S. Johannes prædicationem incœpit, סגן fuisse, idest Vicarium Pontificis, Caipham vero Pontificem Maximum. סגן quum uno esset inferior Pontifice, & plus ceteris Sacerdotibus emineret; merito Αρχιέρευς poterat nuncupari. Pontifice enim aut immundo, aut ægroto, סגן illius locum tenebat, ut munera certo die impleret, quæ Lex divina non sinebat differri. Probat Pater Lamy de Templo lib. VII. sect. V. officium, & nomen hujus Vicarii Pontificis Rabbinos non commentos fuisse, & Paraphrasis Chaldaicæ aliquot loca in medium producit, in quibus de סגן כהניא *Sagan Choenia*, *Vicario Sacerdotii* fit mentio.

Si quæras ab Auctoribus hujus sententiæ, cur Anna, qui illorum testimonio Vicarius erat Pontificis Caiphæ, ubicumque cum Caipha nominatur, illi semper præponitur: Respondent, id fieri potuisse, vel quod Anna patre genitus Pontifice maximo, ante Caipham gessit Pontificatum; vel quod Annæ Caiphas socer hunc honorem ei impertravit, quum maximæ esset inter Judæos auctoritatis; quippe qui filios quinque omnes successive Pontifices habuit, quod nemini suorum accidisse notat Josephus.

IV. Denique est illorum sententia, qui Annam נשיא *Nasi* volunt fuisse, idest illum Judæorum Præfectum, qui Veteris Legis peritus ex illorum genere eligebatur, & controversias decidebat sine jure vitæ, & necis. Hæc potestas a Judæis licet summa haberetur, limitata tamen erat, & ceteris subordinata Principibus, quibus pro vicissitudine rerum parebant. Quamquam vero hæc Præfectura civilis esset, totaque versaretur in re forensi; volunt tamen Auctores hujus sententiæ in decurtata illius ævi Republica, sacro Pontificia nomine נשיא honestatum fuisse. Penes eruditum Lectorem judicium esto.

(21) Etsi capitis tegumentum Summi Pontificis constanter dicitur in Hebræo מצנפת *Misnepheth*; sicut illud vulgarium Sacerdotum semper appellatur מגבעת *Migbaboth*: hasce tamen voces eandem rem significare scribunt Rabbini, a qua sententia S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam non videtur alienus. Braunius libro II. cap. 3. de Vestitu Sacerdotum Hebræorum, mitras sive pileos Sacerdotum ita describit. Sacerdotum pilei quum facti fuerint ex bysso, quamlibet formam recipere poterant. Habemus quidem & hodie pileos nocturnos ex lino factos, sed ad certam aliquam formam consutos; Veterum autem Sacerdotum tiaræ byssinæ tales non fuerunt. Erant enim nihil aliud, quam integra quædam fascia, aut tela aliquot ulnarum ad involvendum caput, ad talem formam, qualem unusquisque desiderabat, & pro modulo capitis; ut capiti detracta iterum expandi potuerit instar cujusvis telæ. Ceterum hujusmodi Sacerdotum mitrae longas fuisse sedecim ulnas tradit apud eundem Braunium Maimonides. Uno verbo, fascia erat linea, quæ multis contorta voluminibus caput cingebat, duobus ligamentis constricta, ne tempore ministerii de capite caderet. Semper enim Sacerdotes Hebræorum tecto capite in Templum ingrediebantur, & in eo permanebant; utque etiam nunc apud Orientis populos illiberalis, & inofficiosi hominis est caput coram aliquo aperire.

(22) Sacerdotium Aaron, cui finis divina voluntate decretum erat, dici potuit perpetuum; vel quia æternum in sacris literis dicitur, quod & ita est institutum, ut non possit humana voluntate mutari, & ita diu debet durare, ut finis ejus ignoretur: vel quia æternum erat non in se ipso, sed in re per illud significata, nempe Christo; sicuti alibi dici regnum David in S. Lucæ capite primo æternum nuncupari. Perpetuitas ergo Aaronici Sacerdotii ad perpetuitatem Veteri Legi competentem debet referri, qua Lege mutata, mutatio quoque Sacerdotii fieri debuit. *Translato enim Sacerdotio*, inquit Apostolus ad Hebræos cap. VII., *necesse est, ut & Legis translatio fiat.* Insuper adverti debet in Hebræo vocem עולם voci *perpetua* respondere hoc pacto לחקת עולם *religione perpetua*. Jam vero à me supra dictum fuit, quonam hujus vocis עולם in sacris literis sit significatio.

na, ut operiant carnem turpitudinis suæ à renibus usque ad fæmora, & utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingrediuntur Tabernaculum Testimonii, vel quando propinquant Altari, ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Factum autem narratur VIII. Levitici: *Filios Aaronis oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mitras, ut jusserat Deus.*

Extra ordinem etiam Sacerdotes induere Ephod, idest, Superhumerale, sed lineum, XXII. primi Regum: *Irruit in Sacerdotes, & trucidavit octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Ubi notavit S. Hieronymus, EPHOD illud fuisse lineum, non autem ex hyacintho, bysso, cocco, porpura, & auro, ut Pontificium. *Ephod* enim, ut inquit S. Eucherius, *duo genera; unum lineum, & simplex, quod Sacerdotes habebant; alterum diversis coloribus ex auro, purpura, bysso, hyacintho, gemmisque contextum, quo soli Pontifices utebantur. Sacerdotale vocatur Ephod bad, idest, Superhumerale lineum.*

Ritus autem CONSECRATIONIS idem fuit atque Pontificis, nempe ut offerrentur, lavarentur, vestirentur, (23) ungerentur, & consecrarentur. Exodi XXIX. *Filios quoque Aaronis applicabis ad ostium Tabernaculi; cumque laveris eos aqua, indues vestimentis suis, tunicis lineis, cinges baltheo, impones mitras; postquam initiaveris manus eorum, applicabis & vitulum coram Tabernaculo Testimonii*, & VIII Levitici: *Filios quoque oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mitras, ut jusserat Dominus*; inde refertur Sacrificium vituli, & arietis, quod in Consecratione fiebat, de quo in Consecratione Pontificis diximus, eodem enim modo & Sacerdotes, & Pontifex consecrati sunt per septem dies.

CONDITIONES (24) porro hæ Sacerdotibus sunt impositæ. Levitici X. *Dixit Dominus ad Aaron; Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Testimonii, ne moriamini*, & XXI. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus Civium suorum, nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, idest, super patrem, & matrem, & filium, ac filiam, fratrem quoque & sororem virginem; sed nec in principe populi sui contaminabitur; non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. Scortum, nec vile prostibulum ducet uxorem, nec etiam, quæ repudiata est à marito; Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuretur.* Hinc Josephus VI. Belli: *Ad Altare, Templumque accedebant carentes omni vitio Sacerdotes, veste amicti byssina, maxime vero mero abstinentes, ac sobrii, religionis metu, ne quid rem divinam faciendo peccarent.*

Officia (25) vero eorum hæc fuere, ut olea conservarent, vasa Tabernaculi inspicerent, quotidie incensum offerrent, & Sacrificium quotidianum facerent, & si quando extra ordinem pro populo, aut pro privatis offerendum esset, ipsi offerrent; & diebus festis Sacrificium populi agerent, & pelles Holocaustorum detraherent.

De incenso, & Sacrificio quotidiano, & oleis, & vasis sic traditur quarto Numerorum: *Ad curam Eleazar filii Aaron Sacerdotis pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & Sacrificium, quod quotidie offertur, & oleum unctionis, & inspectio totius Tabernaculi, & omnium vasorum, quæ in Tabernaculo sunt.* Et sexto primi Paralipomenon, ut diximus: *Aaron, & filii ejus adolebant incensum super Altare Holocausti, & super Altare thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum; & ut precarentur pro Israel, juxta omnia, quæ præceperat Moyses.* Et secundi XXVI. *Ozias Rex ingressus Templum Domini adolere voluit incensum super Altare thymiamatis; statimque post eum ingressus est Azarias Pontifex, & cum*

eo

(23) Judæi sentiunt Aaron, & filios ejus solummodo oleo unctionis delibutos fuisse, & consecratum in hisce filiis universum ordinem Sacerdotum sequentium. Quare post Aaron soli deinde Summi Pontifices fuerunt uncti, non ceteri Sacerdotes, quod hi à nativitate deputarentur ad sacra munera, illi vero eligerentur ex ordine Sacerdotali, quam ob rem speciali unctione olei indigebant. Pontifices ungebantur in capite, at gregariis Sacerdotibus consecrabantur solæ manus ad sacrificia applicanda. Vide quæ capite præcedenti dixi de hoc oleo unctionis.

(24) Inter conditiones Sacerdotibus impositas Noster non enumerat continentiam, quam Sacerdotes tenebantur servare toto eo tempore, quo suis muneribus fungebantur. A Sabbatho ad Sabbathum quisque vicem suam obibat, diu noctuque versans in Sanctuario, nec ullum ei licebat cum uxore commercium. Hinc S. Hieronymus validum elicit argumentum, cum ad continentiam nostrorum Sacerdotum asserendam, tum ad Jovinianum refellendum castitatis osorem. *Nam in Veteri Lege*, inquit S. Doctor libro I. adversus Jovinianum, *qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati; & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare* &c.

(25) Dum officia Sacerdotum refert Sigonius, ea præterit munia, quæ ex sacris literis ad Sacerdotes pertinebant. I. Judicare de leprosis, cognoscereque de lepra vestium, & ædium, nec non de ceteris id genus immunditiis, ut ex Levit. XIII. & XIV. liquido constat. II. Populum docere divinam Legem, quod munus licet commune esset cum Levitis, præcipua tamen ratione ad Sacerdotes attinebat, quod Malachias cap. II. 7. aperte significat: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.* III. De caussis divortii, & aquarum zelotypiæ judicare: Numer. V. 14. & 15. IV. In bellis Arcam fœderis deferre, sacris buccinis clangere, ac tandem coram illa verba inclamare, quæ habentur Numer. X. 8. & 9. *Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committetis; non pertimescat cor vestrum* &c. V. Panes propositionis singulis septimanis apponere: Levit. XXIV. VI. Demum super populum benedictionem precari, de qua extat locus eximius Numerorum VI. in fine, formulam exhibens, qua benedictio Sacerdotalis erat concepta. Hæc erat: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* In qua formula benedictionis a Moyse præscripta, quum in textu Hebræo ter repetitum nomen Dei tetragrammaton reperiatur, in ea insigne Sanctissimæ Trinitatis testimonium Eruditi deprehendunt; qua de caussa non abs re futurum erit, illam è fonte huc transferre.

יברכך יהוה וישמרך׃
יאר יהוה פניו אליך ויחנך׃
ישא יהוה פניו אליך וישם לך
שלום׃

eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiterunt ergo, atque dixerunt: Non est tue officii, Ozia, ut adoleat incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium; egredere de Sanctuario, ne contemseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Deo; iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus in domo Domini super Altare thymiamatis; cumque respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & expulerunt eum. Horum autem utrumque post confirmavit, regnante Joa, Joada Pontifex, de quo scriptum est: *Mandavit custodiam Temple Sacerdotibus, & Levitis, secundum praescriptum Davidis, jubens eos in die inferre constituta Holocaustorum Sacrificia, & adolere incensum, secundum legem.* Unde S. Lucas primo: *Cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii, forte exiit, ut incensum poneret ingressus in Templum Domini*, & S. Paulus VIII. ad Hebræos: *Christus Pontifex non habet necessitatem quotidie, quemadmodum reliqui Sacerdotes, prius pro suis delictis Hostias offerre, deinde pro populi.*

De Sacrificio vero pro populo, & pro privatis extra ordinem offerendo, ad ea, quæ supra retulimus, cum de Holocaustis, & ceteris Sacrificiis scribebamus, hoc etiam adjungemus. Pro populo, XXIX. secundi Paralipomenon, cum Ezechias Rex dixisset filiis Aaron, ut offerrent super Altare Domini, inde sic pergitur: *Mactaverunt tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super Altare; mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super Altare fuderunt; immolaverunt agnos, & fuderunt super Altare sanguinem; applicuerunt hircos pro peccato coram Rege, & universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos, & immolaverunt illos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram Altari pro piaculo universi Israelis; pro omni quippe Israel præceperat Rex, ut Holocaustum fieret, & pro peccato.* Pro privato autem, Levitici XVII. lex traditur: *Homo quilibet de domo Israel si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Ideo Sacerdoti offerre debent filii Israel Hostias suas, quas occidunt in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi Testimonii, & immolent eas Hostias pacificas Domino, & nequaquam ultra immolabunt Hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.*

De Sacrificiis festis diebus faciendis supra in Pontificibus dictum est.

De pellibus autem Holocaustorum detrahendis, primo Levitici, ubi agitur de Holocausto per Pontificem offerendo: *Immolabit Pontifex vitulum coram Domino; & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus fundentes per Altaris circuitum, detractaque pelle Hostiæ artus in frusta concident, & subjicient in Altari ignem, strue lignorum ante composita, & membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes*, & secundo Paralipomenon XXIX. *Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere, ut pelles Holocaustorum detraherent.*

Hæc vero omnia renovavit Deus, postquam ab exilio Babylonico reverterunt, ut scriptum XLIV. Ezechielis: *Sacerdotes filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias Sanctuarii mei, cum errarent filii Israel à me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem, & sanguinem; ipsi ingredientur Sanctuarium meum, & accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas. Cumque ingredientur portas atrii interioris, Stolis lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris; vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & feminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore; cumque egredientur in atrium exterius ad populum, exuent se stolis suis, in quibus ministraverunt, & reponent ea in excelsis Sanctuarii, & vestient se stolis aliis, & non sanctificabunt populum in vestibus suis. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed cooperientes cooperient capita sua. Et vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingressurus est atrium interius, & viduam, & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel; sed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem, & matrem, & filium, & filiam, & fratrem, & sororem, quæ alterum virum non habuerit; in quibus contaminabuntur, & postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. Et in die introitus sui in Sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in Sanctuario, offeret pro peccato suo, non erit autem eis hereditas eorum, & possessionem non dabitis eis in Israel: ego enim possessio eorum. Victimas & pro peccato, & pro delicto ipsi comedent: & omne votum in Israel, ipsorum erit, & primitiva omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, Sacerdotum erunt, & primitiva ciborum vestrorum dabitis Sacerdoti, ut reponat benedictionem domui suæ, omne morticinum, & captum à bestia de avibus, & de pecoribus, non comedent Sacerdotes.*

His explicitis, nunc ex quo genere Sacerdotes lecti sunt, & ut in (26) classes XXIX. distributi sunt, ostendamus. Primi ergo Sacerdotes fuere Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar filii Aaronis, ex mandato Dei vestiti & consecrati. Extinctis vero Nadab & Abiu, quod ignem alienum, non sacrum, sacrificiis intulissent, remansere Eleazar & Ithamar, qui Pontificum & Sacerdotum progeniem prodiderunt.

David (27) autem, cum ætate sua sexdecim essent familiæ ab Eleazaro profectæ, octo vero ab Ithamaro, omnes Sacerdotes in XXIV. classes

(26) Scribit Maimonides in Tract. כלי המקדש cap. 3. Moysem distribuisse Sacerdotes in octo custodias, sive classes, quatuor ex Eleazare, quatuor ex Ithamare, quæ sic permanserunt usque ad David Regem. At R. Kimchi dicit, antequam David custodias mutaret, fuisse eas ab initio octo ex Eleazare, & totidem ex Ithamare. Hæc Judæorum varietas de custodiis a Moyse constitutis, satis perspicuo est argumento illos, ut sæpe solent, hariolari. Id multo magis perspectum erit cuique, si animadvertat nullum classium a Moyse decretarum in sacris literis vestigium extare. In re enim tam vetusta aliquid certi, Scriptura silente, pronunciare, hominis est non scribentis serio, sed comminiscentis, ut patet.

(27) Ex duobus filiis Aaron superstitibus Eleazaro, & Ithamaro, duæ familiæ Sacerdotales prodiere,

classes destinavit, atque eis nomen imposuit ab eo qui tum illius familiæ principatum gerebat. Ordo vero earum (28) sorte ductus est, ut una diceretur prima, altera secunda, & sic deinceps, unde viginti quatuor sortes à S. Eucherio dictæ.

Nomina vero eorum, qui familiarum Principes nomen classibus dederunt, hæc, atque hoc ordine fuerunt, ut scriptum est XXIV. primi Paralip. *Exivit sors prima Joarib, secunda Jedei, tertia Charim*, & quæ sequuntur hoc modo:

1 Joarib.	13 Epha.
2 Jedias.	14 Jesbaal.
3 Charim.	15 Blega.
4 Seorim.	16 Emer.
5 Melechias.	17 Jetthi.
6 Beniamin.	18 Aphisses.
7 Accos.	19 Phettias.
8 Abias.	20 Jeziel.
9 Jesus.	21 Achin.
10 Sichimas.	22 Samuel.
11 Eliasib.	23 Dalias.
12 Jacim.	24 Jebeli.

Meminit vero etiam primæ classis Joarib Josephus in Antiquitatibus scribens; Matthatiam Assamonæi nepotem Sacerdotem fuisse de classe Joarib Hierosolymitanum, & in Vita sua, cum dixit: *Mihi non solum est genus a Sacerdotibus, sed etiam ex prima classe Joarib viginti quatuor*, & octavæ, quæ fuit Abia, meminit S. Lucas: *Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia*. Quas enim nos more Romano vocavimus classes, Latinus interpres vertit modo vices, modo turmas, Græcus (29) ἐφημερίας, & ἐφημερίδας, ut postea apparebit. Fuere autem, teste Theophylacto, ephemeriæ idem quod hebdomadæ. Quod ex XXIV. secundi Paralipomenωn declaratur: *Jojada Sacerdos non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant*. Græcus enim pro turmis habet ephemerias: ut XXV. secundi Paralip. *Secundum ephemerias nostras constitutas à Davide*. Quas vero vices, sive classes David instituit, eas post Salomon ipse ex illius auctoritate descripsit, ut proditum est V. secundi Paralipomenωn: *Tempore Salomonis, dum Arca in Templum inferebatur, non adhuc vices, & ministeriorum ordo inter Sacerdotes divisus erat*, & octavo: *Salomon constituit juxta dispositionem patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis*. Hujus vero instituti hæc ratio fuisse videtur. David omnes Sacerdotes quotidie ministeriis sacris noluit occupari, sed singulas classes singulis hebdomadibus operari, ac primum ordinem classium sorte duxit, deinde Sacerdotes singularum sortiri classium voluit, quo quisque officio in sua hebdomade fungeretur, exempli gratia, quis incensum poneret, quis sacrificaret. Sic enim scriptum est apud S. Lucam: *Cum Zacharias Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem Sacerdotii sui, sorte (30) exiit, ut incensum*

dicere, Eleazarides scilicet, & Ithamarides. Familia Eleazari illustrior erat, tum ob originem, quam ex Aaronis primogenito habuit, tum ob promissionem, qua Deus illi æternum receperat Sacerdotium *Numerorum* XXV. 13. *Dis ei* (idest Phinees Eleazari filio) *pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quam semini ejus, pactum Sacerdotii sempiternum*. Et sane ætate Davidis, quum census Aaronidarum fuit institutus, Eleazari familia duplo frequentior est inventa. Siquidem ab Eleazaro familiæ sedecim, octo ab Ithamaro profectæ erant, ex quibus numerus Classium XXIV. omnem ordinem Aaron complectens descriptus est a Semeja Scriba coram Rege, & Abiatharo (qui æque ac Pater ejus vocatus fuit Achimelech) Summo Pontifice, ut I. *Paralipomenωn* XXIV. 6. legi potest.

(28) Sortitio hæc alterutro ex sequentibus modis peragi potuit. Aut schedulæ viginti quatuor in urnam fuerunt conjectæ, sibi invicem omnino æquales, quarum singulis numerus primus, secundus, tertius usque ad vicesimum quartum esset inscriptus. Permixtis inter se schedulis, unus ex qualibet familia fuit accersitus, ut ex urna schedulam unam depromeret, in qua si primus, vel secundus scriptum erat, prima vel secunda ejus familia fuit constituta. Aut singulis schedulis nomina vigintiquatuor familiarum fuerunt commissa, schedulæ complicatæ in urnam conjectæ, & permixtæ, & deinde sub omnium oculos ex urna deprompta schedula una, deinde altera, mox tertia &c. & quæ primo exivit, prima classis dicta fuit, quæ secundo secunda, quæ postremo postrema. Alii sortiendi ritus concipi possunt, sed hi facilitate ceteris præstant.

(29) Vox Hellenistica ἐφημερία voci Hebrææ משמרת *Mishmareth custodia* respondet, significatque Classem, vel vicem, juxta cujus ordinem quælibet ex XXIV. Aaronidarum familiis sua hebdomada in Templo ministrabat. Quum enim posteri Aaron in eum numerum excrevissent, ut simul operari Sacris omnes non possent; partim ne in ministeriis Sanctuarii turbæ excitarentur, partim ne paucis totum munus ad se trahentibus major pars domi otiosa moraretur, Sacerdotes in Classes XXIV. fuerunt distributi, sortibus ducto earum initio. David hasce Classes primum instituit, quas Salomon constructo Templo confirmavit.

Quare inchoatæ fuerunt hæ Ephemeriæ cum inchoato Templi cultu, nimirum post festum Tabernaculorum primo Sabbatho, quo vices solebant mutari. Ita primæ vices finiebant tempore Paschatis, post dies nempe CLXVIII. indeque secundo inchoabantur usque ad sequens festum Tabernaculorum, bis in anno cuique Ephemeriæ suo ordine redeunte. Ergo initium duplicis Ephemeriarum circuitus finit cum duplici initio anni Nisan, & Tisri, sacri scilicet, & civilis. In septimana Paschatis, in Pentecoste, & Scenopegia omnes Classes simul ministrabant, hac tamen Lege, ut votivas, spontaneasque hostias, juge item Sacrificium illi tantum curarent, quorum Ephemeria tunc in orbem redibat. De reliquo una tantum Classis cum suo Præside per vices veniebat Jerusalem, & in Templo per unam hebdomadam a Sabbatho ad Sabbathum Sacris operam dabat.

Harum Classium frequens mentio est in Sacra Scriptura: At post reditum Babylone, licet quatuor tantum Classes Sacerdotales (ut scribunt Judæorum Magistri) Jedajæ, Harim, Pashur, & Namer, in Judæam ascenderunt; illæ tamen in XXIV. Classes fuerunt distributæ, quæ pristinum ordinem, & prisca nomina retinuerunt. Verum Classis Abia, quæ olim erat octava, post reditum Babylone, facta videtur duodecima *Nehem.* XII. 4., & sub Joacimo vicesima prima *Nehem.* ibidem 17. Sed restitutæ sunt a Juda Macchabæo in pristinum ordinem, à cujus Encæniis ad excidium usque Templi incolumes, teste Josepho, & Origene, impermixta successione manserunt.

(30) Ut in multitudine officiorum Templi inter administros sacrorum confusio tolleretur, sorti committebatur quid à singulis esset perficiendum. Maimonides de jugibus sacrificiis cap. 4. dicit sortitionem de Sacerdotibus hac ratione factam fuisse. Ejus verba quia longiora sunt, in pauca contraham, ne prolixitas molestiam

tauf-

sum ponerет ingressus in Templum, & apud Josephum secundo contra Appionem: *Licet sint viginti quatuor classes Sacerdotum, quarum singulæ plus quam quinque millia hominum habeant, per certos tamen dies particularis fit observatio, quibus transactis alii succedentes ad sacrificia veniunt, & convocati in Templum meridie à præcedentibus claves Templi, & ad numerum vasa omnia accipiunt, nulla re, quæ ad cibum aut potum attineat, in Templum illata*. Quod vero S. Ambrosius, & S. Augustinus censuerunt, (31) Zachariam Summum Pontificem fuisse, nixi ea conjectura, quod incensum adolevit, quod nemini facere licuerit, nisi Pontifici, de eo jure dubitari fortasse possit. Neque enim Zacharias potuit esse Pontifex, cum illo anno, teste Josepho, Joazarus Pontificatum administraret: neque de Summo Pontifice dixisset S. Lucas, *Sacerdos quidam*, nec Pontifices habebant vices & sortem, ut Sacerdotes; & incensum non minus adolebant Sacerdotes, quam Pontifex, ut supra demonstravimus. Quare simpliciter Sacerdotem fuisse, necesse est. Mentio porro harum etiam vicium fit Esdræ VI. *Fecerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis*, & primo tertii: *Fecit Josias Pascha, statuens Sacerdotes per vices dierum stolis amictos in Templo Domini*.

Jam vero singulis classibus Sacerdotum quidam præerant Sacerdotes, qui etiam communi nomine cum Summo Pontifice (32) ἀρχιερεῖς, à Latino vero Interprete Principes Sacerdotum, & Pontifices versi sunt. Quæ res miras huic doctrinæ offudit tenebras. Sic autem loquutus est Esdra octavo: *Custodite, donec appendatis coram Principibus Sacerdotum, & Levitarum, & ducibus familiarum in Hierusalem*, & S. Marcus XIV. *Adduxerunt Jesum ad Summum Sacerdotem Caifam, Summi vero Sacerdotes quærebant adversus Jesum testimonium*. Atque omnino in universo illo Christi Judicio alius est Summus Pontifex, alii sunt Principes Sacerdotum, qui ad summum Sacerdotem convenisse dicuntur. Talis vero fuit Esdra, qui Princeps Sacerdotum dicitur, nec tamen Pontificatum Maximum gessit. Tales Joannes, & Alexander, de quibus IV. Actuum: *Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caifas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant è genere Sacerdotali*. Nam Caifas erat vere Pontifex, Annas Pontificius, ut supra dictum est, reliqui Principes classium Sacerdotalium, quod expressum est in Græco, ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, idest, ex genere Principum Sacerdotum, nam Concilium, de quo ibi agitur, inibant non solum Pontifex, sed etiam Principes classium Sacerdotalium, ut postea demonstrabimus. Talis demum Sceva Actuum XIX. *Erant cujusdam Judæi nomine Scevæ, Principis Sacerdotum, septem filii*; neque enim Sceva ullus Pontificatum Maximum gessit, aut gerere Ephesi, de qua ibi agitur, potuit.

Cum ergo Sacerdotes omnes ex posteris essent Eleazari, & Ithamari, satis constat, eosdem ex Tribu Levi fuisse, quæ à Deo fe-vocata in Sacerdotium fuerat. Unde S. Paulus VII. ad Hebræos scripsit: *Is, in quo hæc dicuntur*, (33) *de alia Tribu est, de qua nullus Altari præsto fuit; manifestum est enim, quod ex*

causset Lectori. Statim post auroram Sacerdotes, qui ea die erant operaturi, induti vestibus Sacerdotalibus intrabant in conclave lapidis quadrati. Aderat cum illis Præfectus sortium, qui uni ex Sacerdotibus in orbem consistentibus tollebat mitram de capite. Interim stabant Sacerdotes in orbem dispositi, à quibus numerus proponebatur, puta centum, mille, vel quemcunque malebant. Inde Sacerdotes porrigebant digitos, alius unum, alius duos, si quis tres porrigeret, tres illi numerabantur. Mox Præfectus initium numerandi ducebat ab illo, è cujus capite mitram sustulerat, numeransque digitos omnium tamdiu ibat in orbem, quamdiu propositus numerus compleretur. Cujus in digito numerus absolvebatur, is sorte primus erat ad operandum. Eadem ratione de ceteris muneribus se habebat sortitio. Singulis vero diebus mane sortitiones quatuor peragebantur. I. sortitio ducebatur de altari purgando. II. de jugi Sacrificio. III. de incenso adolendo. IV. de portandis victimæ membris ad Altare.
Hæc ex Maimonide desumpta sunt, quæ tamen valde suspecta habentur ab Eruditis, tum quia cavillationibus obnoxia esse poterant, tum quia requirebant longiorem temporis moram, quam pateretur celeritas, qua multiplicia munia in Templo inchoanda erant, & perficienda. Longe verosimilius est sortes de more conjectas fuisse in urnam, vel in sinum, unde educerentur, juxta illud Proverbiorum XVI. in fine: *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*.

(31) Quum Sancti Ambrosius, & Augustinus crederent oblationem thuris in Sancto soli Summo Pontifici reservatam fuisse; hinc putarunt, Zachariam Præcursoris patrem inter Pontifices esse numerandum. Sed plane constat ex S. Luca illum Sacerdotem fuisse, non Pontificem. I. enim eum ita nominat Ἱερεύς τις *Sacerdos quidam*, quem non ita appellasset, si Summum Pontificatum gessisset. II. dicit illum habuisse Ephemeriam de vice Abia, quæ non prima erat, sed octava. III. Munus suum ex sortitione obiisse. IV. demum impletis diebus muneris sui abiisse ad proprias ædes in Montanis Judeæ. Quæ omnia, ut liquido patet, Sacerdoti Magno non conveniunt.

(32) Nomen Ἀρχιερεύς quatuor habet significationes. I sumitur pro Pontifice Maximo, & hæc est significatio stricte sumpta. II. pro viris Pontificiis, qui Pontificatus munere erant defuncti, quum scilicet ad excidium properante Judæorum Republica, annui esse cœperunt esse Pontifices. III. Pro Duce, vel Procuratore Templi, qui Sacerdotibus ministrantibus præerat, curabatque ne turbæ excitarentur in Templo. Jeremias capite XX. 1. mentionem facit Phassur Sacerdotis, *qui constitutus erat Princeps in domo Domini*, idest Procurator Templi, ut exponunt Interpretes, cujus jussu Propheta mala Jerusalem imminentia portendens trusus fuit in compedes. IV. denique sumitur pro Præfectis familiarum Sacerdotalium, qui sæpe plurali numero Principes Sacerdotum in Evangeliis dicuntur. Hi Principes Sacerdotum ab Hebræis appellabantur שרי הכהנים, & aliquando etiam dicti sunt ראשי אבות *capita familiarum*.

(33) Celsi, Porphyrii, & Juliani Apostatæ Christiani nominis hostium delirium fuit, Christum non de Regia Tribu, sed de Levitica natum fuisse: quod disertissimis Fœderis utriusque testimoniis confutavi in annotatione ultima ad caput II. libri primi. Nunc superest investigandum, an ratiocinationis Apostolicæ à Sigonio huc adductæ, quid immutat communior illa SS. Patrum tam Latinorum, quam Græcorum sententia, qua docent Christum Regem item & Sacerdotem ad utramque Tribum pertinuisse, quod in parentibus Beatissimæ Virginis feminam ex Tribu Levi commixtam senserе, cujus caussa Deipara cognata fuerit Elisabeth de filiabus Aaron, ut S. Lucæ cap. I. scriptum invenimus.
Plane dicendum est cum Clarissimo Estio in Comment. ad cap. VII. Epistolæ ad Hebræos vers.

Laterculum Chronologicum Levitarum.

	Gerſon, à quo ejus poſteri dicti Gerſonitæ.	Loboi, à quo Lobnitæ & Semei, à quo Semeitæ.	Maria Prophetes.	Nadab, & Abiu, qui igne divioitus immiſſo extincti fuerunt in deſerto.
		Iſaar, à quo Iſaaritæ.		
		Hebroo, à quo Hebronitæ.		
Levi, tertios filius Jacobi genuit	Caath, à quo ejus poſteri dicti ſunt Caathitæ.	Amram, à quo Amramitæ.	Aaroo, à quo Aaronitæ.	Eleazar, à quo Eleazaritæ; & Ithamar, à quo Ithamaritæ. Hæ fueruot familiæ Sacerdotales, è quibus Pootifices Maximi eligebantur.
		Oziel, à quo Ozielitæ.		
	Merari, à quo ejus poſteri Meraritæ.	Moholi, à quo Moholitæ, & Muſi, à quo Muſitæ.	Moyſes, cujus poſteri erant Levitæ ſub Caathitis.	Gerſon, & Eleazar.

ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses noster loquutus est. De toto vero Sacerdotum genere sic scripsit Josephus primo contra Appionem: *Non solum ab initio probatissimos viros, & in Dei placatione præparatos ad hæc exercenda constituerunt, sed ut genus Sacerdotum sine admistione consisteret, providerunt; oportet enim eum, qui Sacerdotium habiturus est, ex ejus gentis nasci muliere, & genus per antiquam lineam, & multis testibus approbare. Quod scilicet agimus non solum in ipsa Judæa, sed ubicunque nostra gens reperitur, etiam ibi integritas circa nuptias Sacerdotum servatur, hoc est, in Ægypto, & Babylonia, & ubicunque quilibet de Sacerdotum genere dispersi sunt; mittunt enim Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, qui hujus rei testimonia præbuere. Si autem bella eveniant, tunc qui de Sacerdotibus supersunt, probant mulieres, quæ relinquuntur: non enim ad captivas accedunt, & alienigenarum consortia formidantes. Ac Pontifices apud nos à bis mille annis denominati filii à patre conscripti sunt. Si quis vero prævaricetur, interdicitur, ne aut ad Altare accedat, aut alia sanctificatione fungatur.*

CAPUT IV.

De Levitis.

SAcerdotes porro sequuntur Levitæ. Hi vero duobus modis accipiuntur; nam & omnes ex Tribu (34) Levi Levitæ dicti sunt, sub quam vocem etiam Pontifices, & Sacerdotes subjiciuntur, & præter Pontifices ac Sacerdotes, reliqui, qui præcipuum sibi sacrorum ministerium vindicaruut: de quibus nunc agendum est. Levitæ igitur omnes ejusmodi ex posteris quidem Levi, verum non ex familiis Eleazari, aut Ithamari genus traxeruut. Levi enim filios reliquit tres, (35) Gerson, Cahat, & Merari. Cahat vero Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. Ex Amram natus est Moyses & Aaron, ex Aarone Eleazar, & Ithamar. Ut autem ab Aarone Pontificum, & Sacerdotum genus per posteros Eleazari & Ithamari est propagatum, sic per reliquos Levi filios ac nepotes reliquum genus sacrorum ministeriorum, quos Levitas vocamus.

Horum autem ordo duplex fuit, unus à Moyse institutus, alter à Davide. Dicam prius de priore. His Levitis commisit Deus curam Tabernaculi, & vasorum, & instrumentorum ejus, & Arcæ fœderis, ut ea deferrent, & custodirent, & ut Sacerdotibus ministrarent. Numerorum primo; *Tribum (36) Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israil, sed constitues eos super Tabernaculum Testimonii, & cuncta vasa ejus, & erunt in ministerio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum; cum castra metanda, erigent; quisquis externorum accesserit, occidetur*, & tertio: *Applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent, & observent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Testimonii, servientes in ministerio ejus, dabisque dono Levitas Aaron, & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israil. Aaron autem, & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. Ego*

---

vers. 14., etiamsi Christus aliquo modo pertinuisset ad Tribum Levi juxta nonnullorum Patrum opinionem; minime tamen per eam infringi vim argumentationis Apostolicæ. Non enim absolute poterat quisquam apud Israelitas censeri in aliqua Tribu, nisi per patrem lineamque virilem; ne sortium ac possessionum, aut etiam dignitatum cujusque Tribus, permistio fieret, atque confusio. Unde in genealogiis texendis viri soli nominabantur, mulierum tantum obiter, & ex obliquo mentio fiebat. Id quod etiam observare est in utraque genealogia Salvatoris ab Evangelistis conscripta; nec non in omnibus aliis, quas Scripturæ recensent. Tantum exceptio est in Beatissima Virgine, quæ quia non ex viro concepit & peperit, sed ex Spiritu Sancto, non potest a Christi Filii sui genealogia removeri; utpote qui non nisi per eam genus duxerit à majoribus: ita sane ut Mater Virgo, matris simul & patris vices in ejus conceptione suppleret; quoniam & totam carnis Christi materiam præbuit, & vim generativam, quam in aliarum mulierum uteris exercet semen virile, sanguinibus suis purissimis inditam accepit à Spiritu Sancto. Ex his ergo consequitur, Aaronicam Sacerdotium ad Jesum Mariæ Filium ratione generis nullo modo pertinuisse; quoniam etsi B. Maria vel matrem, vel aliquam superiorem progenitricem habuisset ex Tribu Sacerdotali, non ideo tamen ejus Filius secundum Legem, aut Altari assistere, aut Sacerdotale quidquam sibi vendicare potuit. Quare quum Scriptura per Davidem deferat ei Sacerdotium: *Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech*; transfertur utique Sacerdotii dignitas ad hominem alterius Tribus. Hæc ex Commentariis Estii sumpta sunt loco laudato.

(34) Levi tertius fuit filius Jacobi ex Lia in Mesopotamia natus. A Levi trium filiorum patre Gersonis, Caathi, & Merari, singuli posteri ejus Levitæ fuerunt appellati; una excepta Aaronis familia, quæ per Amram ex Caatho fuit propagata, cujus Sacerdotalis fuit universa posteritas. Inter Levitas locum habuit quoque ipsius Moysis Legislatoris familia; quod apertissimo est argumento, Moysem non humanam instituisse Rempublicam, quum ejus prosapiæ nulla ratione prospexerit, neque in Sacris, ei inter simplices Levitas computata, neque in politicis, nam Josuë ex Josepho natus ei successit. Levitis vero nulla peculiaris portio in terra Chanaan fuit assignata, sed urbes quadraginta octo incoluerant, quas singulæ Tribus eis dedere. Id a Jacobo proximo morti hisce verbis filium Levi compellante creditur prænunciatum fuisse: *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israil*. Caruisse tamen portione terræ promissæ magno fœnore Levitis repensum fuit, nam Deus amplissimis Sanctuarii muneribus eos destinavit, & largiter vitæ commodis eos auxit, in primitiis, decimis, oblationibus, aliisque proventibus, de quibus jam suo loco verba feci.

(35) Ut sub unico aspectu Levitarum genealogiam subjiciamus, placet hoc loco exhibere illius schema ex Sacris literis præsertim desumptum, quod è regione collocavimus.

(36) Tribus Levi familiam, ut ita dicam, Domus Domini constituebat; ideoque cum filiis Israel jussu Dei non erat numeranda. Vacabant igitur a publicis muneribus, & ingruente bello non tenebantur pugnare. Poterant tamen, si vellent, cum hostibus manus conserere, ut bella à Macchabæis strenue administrata sunt documento. Ceterum Levitarum erat Tabernaculo inservire, illud dissolvere, quam esset abeundum; in itineribus illud portare; & denuo illud construere, quam esset manendum. Habitabant prope Tabernaculum, ad ostium illius in parte Orientali Moyses & Aaron; Gersonitæ in parte Occidentali; Meraritæ in Aquilonari; Caathitæ demum in Meridionali.

Ego (37) tuli Levitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël: eruntque Levitæ mei; meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël; ab homine usque ad pecus, mei sunt. Inde officia singulis familiis Levitarum distribuit, inquiens: *Numera filios Levi per domos patrum suorum, & familias, omnem masculum ab uno mense, & supra. Numeravit Moyses, & inventi sunt filii Levi per nomina sua,* (38) *Gerson, & Caath, & Merari. Filii Gerson, Lebni, & Semei; filii Caath, Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. Filii Merari, Moholi, & Musi. Lebnitæ, & Semitæ Tabernaculum metabuntur ad Occidentem sub principe Heliasaph filio Laël, & habebunt excubias in Tabernaculo fœderis ipsum Tabernaculum, & operimentum ejus: tentorium, quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii, tentorium quoque, quod appenditur in introitu atrii Tabernaculi, & quidquid ad ritum Altaris pertinet, funes Tabernaculi, & omnia utensilia ejus. Amramitæ, Isaaritæ, Hebronitæ, & Ozielitæ habebunt excubias Sanctuarii, & castrametabuntur ad meridianam plagam; princepsque erit eorum Elisaphan filius Oziel, & custodiant Arcam, mensamque, & candelabrum, altaria, & vasa Sanctuarii, in quibus ministratur, & velum, cunctamque ejuscemodi supellectilem. Moholitæ, & Musitæ sub principe Suriel filio Abihajel in plaga septemtrionali castrametabuntur; erunt sub custodia eorum tabulæ Tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac bases earum, & omnia, quæ ad cultum hujuscemodi pertinent, columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus. Principes principum Levitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis erit super excubitores custodiæ Sanctuarii; castrametabuntur ante Tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moyses, & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israël: quisquis alienus accesserit, morietur.* Deinde capite IV. exponit, quid eorum quisque agere, & portare debeat, Arcam, velum, mensam, cortinas, tectum Tabernaculi, tentorium, funiculos, vasa, tabulas, vectes, columnas, bases, totam supellectilem. Demum capite VIII. legem affert: *Hæc est lex Levitarum.* (39) *A vigintiquinque annis, & supra ingredientur, ut ministrent in Tabernaculo fœderis, & custodiant, quæ ibi fuerint mandata; opera autem ipsa non facient.* Atque in his quidem officiis manserunt usque ad tempora Davidis; itaut tempore Josuë ipsi Arcam trans amnem Jordanem tulerint, ubi Sacerdotes Leviticæ stirpis, nomine Sacerdotis late accepto, dicuntur.

DAVID inde Levitarum ordinem alterum instituit, priore illo quodam modo abrogato. Nam Arcæ ferendæ onere sublato, Levitas alios Sacerdotum, & Templi Ministros, qui proprie Levitæ dicti sunt, alios Cantores, alios Janitores, alios Scribas, & Judices esse constituit; Ministrorum vigintiquatuor millia, Scribarum, & Judicum sex millia, Cantorum quatuor millia, & totidem Janitorum. Hoc scriptum reperitur XXIII. primi Paralipomenon: *Congregavit David omnes Principes Israël, & Sacerdotes, & Levitas; numeratique sunt Levitæ à viginti annis, & supra, & inventa sunt triginta octo millia virorum. Ex his electi sunt,*

(37) Postquam Deus ab Angelo percutiente natu maximos Ægyptiorum, primogenitos Israelitarum exemit; sibi præcipuo jure liberationis asseruit omne masculum, quod primo genitum esset in Israel. Hinc primogeniti omnes debebant Deo sanctificari, & offerri, ex cujus oblationis vi totam vitam, nisi redimerentur, in inferioribus Sanctuarii ministeriis transigebant. Pro illis vero, qui in Ægypto fuerunt servati, totam Tribum Levi Deus poposcit, ut circa Tabernaculum, ejusque vasa & instrumenta ministraret, effetque dictis Pontificis, & Sacerdotum obtemperans.

Quæri solet hoc loco, cur Deus in Veteri Lege applicavit divinis ministeriis certam aliquam Tribum; in Novo Fœdere autem nullam eis addixit. Enimvero in prono est respondere. Christi Ecclesia ad nationes omnes qua patet orbis, dilatanda erat; adeoque ejus Sacerdotium ad unum populum arctari non poterat, ut a Christifidelibus ubique gentium degentibus Sacerdotes, & administri Sacrorum possent haberi.

(38) Peculiaria munia circa Tabernaculum, ad unamquamque ex Leviticis familiis spectantia, sacer textus a Nostro adductus enumerat. Gersonitæ excubias habebant in Tabernaculo, non quod in illud, quamdiu erat erectum, intrarent (solis enim ministrantibus Sacerdotibus id licebat) sed nonnulla curando, & custodiendo, quæ in Tabernaculo reperiebantur. Gersonitis commissum erat operimentum, idest triplex velum, unum ex sagis ciliciniis, alterum ex pellibus rubricatis, ex janthynis tertium. Hi vela explicabant, complicabantque, & Israele iter agente illa deferebant. Heliasaph filius Lael erat Princeps Gersonitarum.

Caathitæ Arcam custodiebant, Mensam, & Candelabrum, quando illis hæc tradebant portanda Sacerdotes. Altaria item, tum incensi, tum holocausti, & vasa Sanctuarii, puta Acetabula, Phialas, Thuribula, pluraque id genus. Ad Caathitas quoque illud velum spectabat, quo adyti obstruebatur ingressus, & Sanctum Sanctorum a Sancto dividebat: eodem velo Arcam obvolvebant, portabantque. Princeps erat Caathitarum Elisaphan filius Oziel.

Meraritæ demum tabulas curabant Tabernaculi, vectes, & columnas cum earum basibus, paxillis, & funibus ad firmandum columnas attinentibus. Nam funes velorum, & cortinarum custodiendi, & portandi erant a Gersonitis. Merariitarum Princeps erat Suriel filius Abihael.

(39) Hæc quæ leguntur Numerorum capite VIII. v. 24. repugnare iis videntur, quæ scripta sunt Numer. cap. IV. v. 3., ubi de ætate, qua Levitæ Tabernaculi servitio adjiciebantur, ita præcipitur: *A tricesimo anno, & supra usque ad quinquagesimum annum.* In textu τῶν LXX. hæc antilogia non reperitur; utrobique enim annus vicesimus quintus definitur inchoandis Levitarum muneribus. Numer. IV. Ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν καὶ ἐπάνω ἕως πεντήκοντα ἐτῶν, *à viginti & quinque annis & supra usque ad quinquaginta annos.* Et cap. VIII. Ἀπὸ πέντε καὶ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, *à quinto & vicesimo anno, & supra.*

Verum apud Interpretes duplex ratio occurrit hosce versiculos conciliandi. I. ut ab anno vicesimo quinto Levitæ addiscere cœperint ministerium suum; anno autem tricesimo illud exercere, quinque annis operam dantes doctrinæ, antequam munera obirent Tabernaculi; II. ut ab anno tricesimo admissi fuerint ad Tabernaculi res bajulandas, qua ætate firmius est hominis robur; ab anno vero vicesimo quinto in minoribus operibus fuerint occupati.

A *sunt, & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia*, (40) *Præpositorum autem, & Judicum sex millia, porro quatuor millia Janitores, & totidem Psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerant ad canendum: & distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson, Cahat, & Merari*, & post: *Dixit David; Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Jerusalem in æternum. Nec erit officii Levitarum, ut ultra portent Tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum. Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi* (41) *à viginti annis, & supra, & erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis,* B *& in exedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in universis operibus Templi Domini; Sacerdotes autem super panes Propositionis, & ad simila Sacrificium, & ad lagana, & azyma, & sartaginem, & ad torrendum, & super omne pondus, & mensuram. Levitæ vero ut stent mane ad confitendum, & canendum Domino, similiterque ad vesperam tam in oblatione Holocaustorum Domini, quam in Sabbatis, & Kalendis, & Solemnitatibus reliquis juxta numerum, & cæremonias uniuscujusque rei jugiter coram Domino, & custodient observationes Tabernaculi fœderis, & ritum Sanctuarii, & observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini*. Item nono ejusdem: C *De genere quoque Levitarum erunt super vasa ministerii; ad numerum enim efferentur vasa, & inferentur. De ipsis & qui credita habebunt utensilia Sanctuarii, præerunt similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus; filii autem Sacerdotum unguenta ex aromatibus conficient. Et Mattathias Levites primogenitus Sellum Coritæ Præfectus erit eorum, quæ in sartagine frigebuntur. Porro de filiis Cahat, & fratribus eorum, super panes erunt Propositionis, ut semper novos per singula Sabbata præparent*. Atque hos item Ministros David in XXIV. classes destinavit, easque à Gersonitis, Cahatitis, & Metaritis nominavit, unde principes non minus Levitarum, quam Sacerdotum primi Esdræ octavo commemorantur. D

Hæc vero ita instituta à Davide, post perfecta sunt à Salomone, VIII. secundi Paralipomenon: *Constituit juxta dispositionem patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis, Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei, & Janitores in divisionibus suis per portam, & portam*. Itaque Ezechias Rex exoletum Dei cultum restituturus accivit Sacerdotes, & Levitas, dixitque ad eos secundo Paralipomenon XXIX. *Audite me Levitæ, & sanctificamini: mundate domum Domini, auferte omnem immunditiam de Sanctuario, filii mei, nolite negligere; vos elegit Dominus, ut stetis coram eo, & ministretis illi, colatisque eum, & crematis ei incensum*. Inde ita pergitur: *Surrexerunt Levitæ, & congregaverunt fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt, ut expiarent domum Dei. Sacerdotes quoque ingressi Templum, ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, sanctificaverunt Domino boves sexcentos, & oves tria millia; Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere, ut pelles Holocaustorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur Antistites. Levitæ quoque faciliore ritu sanctificantur, quam Sacerdotes*. Inde XXXI. scriptum est: *Ezechias constituit turmas, (idest, ephemerias, seu vices) Sacerdotales, & Leviticas per divisiones suas unumquemque in officio proprio tam Sacerdotum, quam Levitarum ad Holocausta, & Pacifica, ut ministrarent, & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini*. Post Josias, instaurato Templo, Levitarum quoque munera renovavit; sic enim scriptum est XXXV. *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite Arcam in Sanctuario Templi, quod ædificavit Salomon; nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Deo vestro, & populo ejus Israel, & præparate vos per domos, & cognationes vestras in divisionibus singulorum, sicut præcepit David, & descripsit Salomon, & ministrate in Sanctuario per familias, turmasque Leviticas, & sanctificati, immolate Phase*. In primis vero mandasse videtur Levitis, ut vice Sacerdotum detraherent pelles Holocaustorum; nam paulo post additur: *Levitæ steterunt in turmis juxta Regis imperium, & detraxerunt pelles Holocaustorum*. Nam nisi Josiæ instituto hoc factum dicemus, ad Ezechiæ tempus rejiciemus, quo propter paucitatem Sacerdotum, Levitæ hoc oneris subierunt. Neque enim adhuc reperi, unde S. Hieronymus illud hauserit, quod in eum locum scripsit, moris fuisse, ut Levitæ (42) detraherent pelles Holocaustorum; Sacerdotes autem, quando pro peccatis fiebat Sa-

(40) Textus Hebræus habet שוטרים ושופטים. Constat ad secundam vocem quod attinet, nempe שופטים *Schophetim*, illam *Judices* denotare, quum sit à radice שפט *judicavit*. Quid vero significetur per primam vocem E שוטרים *Schoterim* non una est Erudisorum sententia. Quidam illam censent synonimam cum voce *Schophetim*: alii eas ita distinguunt, ut *Schophetim* Judices sint; *Schoterim* vero eorum Appasitores. *Schoterim* apud LXX. sunt Scribæ Γραμματεῖς, & apud Vulgatum Interpretem sunt Præpositi, illi videlicet, qui in officio aut Levitas reliquos, aut illis inferiores continebant, curabantque, ut omnia rite peragerentur: & instruebant insuper populum, quæ ad judicia spectabant. Hæc interpretatio ceteris præstat.

(41) Sicut David, ut supra dictum est, ex Sacerdotibus Classes XXIV. instituit, ut per vices sacra obirent ministeria; ita in totidem Classes Levitas divisit, ut quisque κατὰ τάξιν Tabernaculo in Sion collocato, & Templo paullo post extruendo inserviret. Jussit tamen Levitas censeri ab anno vicesimo & ultra; nam fixo Tabernaculo, labores illorum imminuti erant, ætasque minus firma illis perferendis esse poterat. Tabernaculum enim, ejus vasa, & instrumenta, non amplius huc & illuc debebant transferre. Postremo advertat humanissimus Lector, Davidem Regem quædam instituisse circa munera Tabernaculi, non arbitratu suo, sed consilio Prophetarum Gad, & Nathan; *siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum ejus*, ut legitur II. Paralipomenon XXIX. 25.

(42) Manifestum est ex Levitici capite I. v. 6. ad Sacerdotem pertinuisse nudare pelle hostias holocaustorum: *detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident*: at urgente necessitate Levitis etiam id permissum fuisse, quæ in Paralipomenis facta narrantur Ezechiæ, & Josiæ Regum temporibus, liquido ostendunt. Illorum enim ætate ob Sacerdotum paucitatem, & victimarum multitudinem, Levitæ pelles ab holo-

Sacrificium. Nam perpetuum fuisse ultimis temporibus hoc Levitarum onus, ostendere videtur Ezechiel XLIV. inquiens: *Levitæ erunt in Sanctuario meo æditui, & Janitores portarum domus, & Ministri domus; ipsi mactabunt Holocaustum, & victimas populi, & ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis; non appropinquabunt ad me, ut Sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne Sanctuarium meum juxta Sancta Sanctorum.*

CAP. V.

De Cantoribus.

CAntores autem à Davide diximus institutos, ut confiterentur, & canerent (43) in organis Domino. Hæc autem (44) organa diversi generis erant, tubæ, cymbala, psalteria, cytharæ, & quæ præcipue organa dicebantur. Canebant autem voce Hymnos, quos David, Asaph, (45) Idithun, Heman, & Hetan (46) composuerant, & in confessione verba illa crebro usurpabant: *Confitemini Domino,*

---

holocaustis detraxerunt, hostias ita præparantes, ut tantum essent dimembrandæ, & ignibus imponendæ à Sacerdotibus. Ceterum hostias pacificas deglubere poterant etiam simplices Laici, cujus diversitatis hæc ratio assignatur, quod hostiæ pacificæ non in morem holocaustorum, integræ super Altari essent comburendæ.

(43) Etsi ratio Musicæ, qua resonabat Templum Jerusalem, non satis est nota; constat tamen illam pergratam fuisse, & rebus quæ canebantur ita accommodatam, ut qua voce, qua instrumentis eos affectus excitaret, quibus decebat pro statu rerum Israelitas commoveri. In afflictionibus, ubi Deus erat iratus, Musica videbatur lugere; in acceptis beneficiis hilarescere; attollique in enarrandis mirabilibus Dei. Erat Judæorum Musica concentibus ætatis nostræ multo simplicior: illa tamen animi commovebantur multo magis; nam quum melodiis diversitate in varios affectus trahimur, nullis succedimus. Figurarum & tonorum varietas recentius Strutonici inventum est, Veteribus incognitum. Leges harmoniæ, quæ nunc sunt in honore, aures quidem permulcent; sed vim Musicæ infringunt, qua pervadat animos, impellatque eus quò velit. Aperte Cicero libro III. de Oratore summam vim Musicæ inesse testatus est: *Nihil est*, inquit, *tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus & excitamur & incendimur; & lenimur & languescimus; & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur.*

Id multo magis Musicæ Templi conveniebat, cujus hymni ceteros omnes dignitate rerum præstabant, cujusmodi a sapientibus Cantoribus inventi erant, & sententiis accommodati, & cujus instrumenta ex pretiosis, maximeque idoneis ad sonum rebus, erant confecta: puta ex Electro, metallo scilicet ex auro & argento confecto, & ex lignis thyinis, quæ primum ex Ophir Salomoni cœperunt deferri. Hinc Musica Hebræorum tanto erat in pretio, ut Babylonii Gens fastu tumens, & deliciis abundans, a Judæis captivis efflagitaverint, ut cantica Templi coram ipsis modularentur. Sed populus quamquam captivitate gemens, coram profanis hominibus, & in profano solo, sacrum eorum melos nolebat cantare. *Super flumina Babylonis*, ita Psalmus CXXXVI. in principio, *illic sedimus & flevimus, quum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

(44) De musicis instrumentis Hebræorum jam supra libro IV. capite IX., ex eruditis lucubrationibus Patris Calmet Lectori abunde fecimus satis: unde nihil est, cur quidquam addamus hoc loco.

(45) Idithun, & Ethan non duæ personæ fuerunt; sed utrumque nomen est ejusdem Levitæ Cantoris, Præfecti Musicæ in Templo ex familia Merari. Id constat tum ex I. Paralipomenon XV. vers. 17., tum 19. ubi dum tres Principes Cantorum ex tribus Leviticis familiis numerantur, nulla fit mentio Idithun: *Porro Cantores Heman, Asaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes.* Imo si fontem Hebræum investigabimus, colligi poterit Ethan & Idithun haud esse duo nomina diversa, sed unum & idem nomen: ידיתן *Idithun* nimirum positum fuisse pro יד איתן *Jad Ethan, manus Ethan*: nam sicut in Hebræo occurrit sæpius illa locutio, *per manus Asaph*; ita etiam ex יד איתן *per manus Ethan* factum erit ידיתן *Idithun*, quod à vero non abhorret.

(46) An Psalmi omnes uni Davidi sint adscribendi, an aliis quoque illorum nonnulli, non eadem est tum SS. Patrum, tum recentium Eruditorum sententia. S. Hilarius *Prolog. in Psalmos*, eos non uni Davidi omnes assignat, sed aliis etiam auctoribus, quorum nomina inscribuntur in titulis, qui plurimis Psalmis sunt præfixi, *Asaph, Ethan, Core &c.* Idem disertis verbis affirmat S. Hieronymus in Epistola 134. ad Sophron.; & in 139. ad Cypr. *Scimus*, ait, *errare omnes, qui omnes Psalmos David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.* Hanc sententiam Noster amplexus est, eamque Recentiores non pauci sequuntur.

At S. Jo. Chrysostomos in Psalmum L., S. Augustinus de Civit. Dei lib. XVII. 14., quibus plures tum Veterum, tum Recentiorum assentiuntur, totius Psalterii Davidem faciunt auctorem. Habet hæc sententia præ alia hoc auctoritatis momentum, quod in Novo Testamento, sive a Christo Jesu, sive ab Apostolis, Psalmus nullus, nisi sub Davidis nomine, solet laudari. Nec certe Judæi, quæ eorum erat perfidia, ad carpendum verba Christi, & Apostolorum intentissimi, id prætermisissent objicere, nisi fuisset tunc temporis apud eos constanter receptum, Psalmos omnes a Davide illorum unico auctore profluxisse.

Ceterum de hac quæstione optime Theodoretus Præfat. in Psalmos nos monet, nihil referre, *sive hujus hominis, sive illorum aliqui sint, quum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos. Etenim non ignoramus & divinum Davidem Prophetam fuisse, & illos itidem Prophetas in Paralipomenon historia nuncupari. Prophetæ autem est linguam præbere ministram gratiæ Spiritus Sancti, ut legitur in Psalmis: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Profecto de libro Psalmorum dicere possumus, quod S. Gregorius reipsa Magnus scribit de libro Job, de quo aliqui disputant, an ipsum Job, an alium habeat auctorem. *Quum rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, qui Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur.*

Postremo Judæorum Magistri præter Davidem, Asaph, Ethan &c. Adamum quoque, & Melchisedech, Moysem præterea, & Salomonem, Psalmorum quorumdam faciunt Scriptores. Tribuunt Adamo Psalmum XCI. secundum Hebræum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Melchisedecho CIX. *Deus laudem meam ne tacueris.* Moysi LXXXIX. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et Salomoni LXXI. *In te Domine speravi non confundar in æternum.*

no, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Tunicis porro byssinis induebantur, atque ita à Sacerdotibus lineas habentibus distinguebantur. Hoc autem munus assignavit David tribus filiis Johel, qui genus trahebant à Gersone, nempe (47) Asaph, Heman, & Idithun, quorum XXIV. erant filii, quatuor Asaph, sex Idithuo, quatuordecim Heman, qui pariter sorte ducti singulis vicenis quaternis classibus nomen dederunt. De his autem sic scriptum est primo Paralip. XXIV. *Isti sunt filii Levi, secundum domos familiarum suarum; miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron coram David Rege, & Sadoc, & Achimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum tam majores, quam minores. Omnes sors æqualiter dividebat. Igitur David & præfectus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundum numerum suo sibi dedicato officio servientes; filii Asaph quatuor sub manu Asaph, prophetantes juxta Regem: filii Idithun sex, qui in cithara prophetabant, super confitentes, & laudantes Dominum: filii Heman quatuordecim: Videntes Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu. Universi sub manu patris sui ad cantandum in Templo Domini distributi erant in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini juxta Regem. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui eruditi erant in Cantico Domini, ducenti octoginta octo: miseruntque ei sortem ephemeriarum, secundum magnum, & parvum, perfectorum, & discentium,* atque inde ordinem earum (sunt autem vices XXIV.) persequitur hoc modo;

1 Joseph.	5 Nathanias.
2 Godolias.	6 Bocciau.
3 Zaccur.	7 Isreela.
4 Isari.	8 Jesajas.
9 Mathanias.	17 Jesbacassas.
10 Semejas.	18 Hanani.
11 Azareel.	19 Mellothi.
12 Hasabias.	20 Eliatha.
13 Subaël.	21 Othir.
14 Matthatias.	22 Gedelthi.
15 Jerimoth.	23 Mahazioth.
16 Hananias.	24 Romemthiezer.

Officia vero eorum descripta multis in locis reperiuntur, præcipue autem in septimo secundi Paralipomenon, regnante Salomone: *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex,* (48) *Hymnos canentes per manus suas, porro Sacerdotes canebant tubis ante eos,* & quinto: *Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt; nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat) tam Levitæ, quam Cantoree, idest, & qui sub Asaph erant, & qui sub Heman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad* (49) *orientalem plagam Altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti, canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus: impleretur domus Dei nube, nec possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem,* item XX. *Josaphat Rex statuit Cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.* Item tertio primi Esdræ: *Concinebant in Hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam* (50) *in sæculum misericordia ejus,* & decimo tertio: *In diebus David,*

(47) Asaph, Heman, & Idithun aliter Ethan, tres erant Cantores ætate Davidis, & Salomonis præstantissimi. Asaph ad familiam Gerson pertinebat, Heman ad familiam Caath, & Ethan ad familiam Merari. Horum filii Principes erant inter Capita viginti quatuor Classium Cantorum. Nam numerabantur in Israele illo ævo Cantores 4000., quos David in Classes XXIV. distribuit, & cuique Classi unum ex illorum filiis præfecit. Porro Asaph quatuor filii erant, Idithun sex, & Heman quatuordecim, ex quibus numerus vicesimus quartus conficitur, qui numerum Classium Musicorum æquabat. Ita autem ordinatum erat ministerium Cantorum, ut singuli statis vicibus munere suo fungerentur, qualiber Classe ministerium suum implente, donec vices recurrerent.

(48) Placet nonnullis Psalmos ab Hymnis ita distinguere, ut Psalmi Hebraice dicantur מִזְמֹרִים *Mizmorim*, Græce Ψαλμοὶ, & illi proprie essent, qui voce, & musicis instrumentis canerentur. Hymni Hebraice שִׁירִים *Schirim*, Græce ᾄσματα, vel ᾠδαὶ, qui sola voce modularentur. Ex Psalmis alios decantatos fuisse putant vocibus prælatis, alios vero prælatis organis. Psalmos primi generis dictos volunt שיר מזמור, quasi dicerentur *Ode Psalmi*, quod in singulis versiculis decantandis vox præiret, instrumenta sequerentur. Secundi generis מזמור שיר, quasi *Psalmus Ode*, in quibus instrumenta præirent, & voces sequerentur.

(49) Circa Altare holocaustorum stabant hinc Sacerdotes cum tubis, inde Levitæ cum musicis instrumentis, faciebus sibi invicem obversis, conversisque ad Altare, ne alteri, quam Deo, canere viderentur. Locus Levitarum erat juxta Regem, idest juxta Regis thronum, qui erat coram Altari erectus ad plagam Orientalem atrii Sacerdotum. Mischnici eo loci suggestum collocant, & plateor pro Cantoribus. Maimonides in Tractatu de Apparatu Templi capite tertio præter Levitas Cantores ascensum permittit in suggestum etiam nobilibus Israelitis, ut ibidem fidibus canerent, qui tamen essent Sacerdotum affines: sed ejus assertum infert vim sacro textui, ex quo constat solum Levitas instrumentis applicatos fuisse. Imo ex Josepho Judaicæ vetustatis teste magis idoneo, Maimonides nota falsitatis potest inuri. Narrans enim Josephus Antiquit. lib. XX. cap. VIII. sub Rege Agrippa concessum fuisse Levitis omnibus, qui in Templo ministrabant, ut sacros hymnos ipsi quoque cantarent, factum id dicit non sine piaculo patriæ Legis violatæ. Quomodo igitur ascensus patere poterat in suggestum Israelitis, qui quantumvis illustres, originem tamen non ducebant ex Levi; si contra Legem erat ex Josepho, Levitas non musicis instrumentis, sed aliis muneribus Templi destinatos, inter Levitas Cantores locum habere?

(50) Propheta Psaltes hac clausula intercalari כי לעולם חסדו *Ghi lebolam chasdo, quoniam in sæculum misericordia ejus*, significat omnia beneficia, quæ in Psalmo centesimo tricesimo sexto enumerat, à Dei bonitate & clementia profluxisse. Id enim quum peculiari confide-

vid, & Asaph ob exordio erant principes constituti Cantorum carmine laudantium, & confitentium Deo.

Addit etiam Josephus libro VIII., eundem Salomonem stolas Levitarum Hymnos canentium ex bysso ducenties mille fecisse; libro autem XX., eosdem pro stola byssina lineam Sacerdotalem impetravisse tempore Agrippæ Regis Judææ: *Ex Tribu*, inquit, *quicunque Hymnorum Cantores erant, Regi suaserunt, ut convocato Concilio sibi concederet stola linea uti, perinde ac Sacerdotibus licebat. Rex autem ex sententia eorum, qui Concilium inibant, permisit, ut priore veste posita, lineam induerent; parte autem Tribus in Templo operante, & his concessit, ut Hymnos ediscerent, quemadmodum monebant, quorum utrumque legibus erat adversum.*

CAP. VI.

De Janitoribus.

JAnitores (51) porro ministri fuerunt, qui ad januas Templi excubabant, & sacras arcelas observabant; de quibus in primo Paralipomenon IX. hoc modo: *Janitores autem Sellum, & Acub, & Telmon, & Ahiman, & frater eorum Sellum princeps. Usque ad illud tempus in porta Regis ad orientem observabant per vices suas de filiis Levi, Sellum filius Core cum fratribus super opera ministerii, custodes vestibulorum Tabernaculi, & familiæ eorum per vices castrorum Domini, custodientes introitum. Phinees filius Eleazari erat dux eorum coram Domino. Zacharias filius Mosolamiæ, Janitor portæ Tabernaculi Testimonii. Omnes hi electi in ostiarios per portas ducenti duodecim, & descripti in villis propriis: quos constituerunt David, & Samuel Videns in fide sua tam ipsos, quam filios eorum in ostiis domus Domini, & in Tabernaculo vicibus suis. Per quatuor ventos erant ostiarii, idest, ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus Janitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini; per gyrum quoque Templi Domini morabantur in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.*

Hi vero in viginti quatuor quoque classes, sive vices, divisi sunt, ut scriptum est XXVI. Quarum septem primæ nominatæ sunt à filiis Selemiæ, Zacharia, Jadihel, Zabadia, Jathanaël, Aelam, Johanan, Elioënai; octo sequentes à filiis Obededom, Semeja, Jozabad, Joaha, Sachar, Nathanaël, Ammiel, Issachar, Phollathi; & à filiis Semeiæ primogeniti sex, Othni, Raphaël, Obed, Elzabad, Eliu, & Samachia: reliquas à filiis Hosæ, Semri, Helcia, Tabelia, Zacharia. Quibus expositis additur: *Hi divisi sunt in Janitores, ut essent principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ut ministrarent in domo Domini. Missæ sunt ergo sortes ex æquo & parvis, & magnis per familias suas (52) in unamquamque portarum. Cecidit ergo sors Orientalis Selemiæ; Zachariæ filio*

---

sideratione dignum esset, merito sæpius in Psalmo repetitur. Lyrici etiam tum Græci, tum Latini, quod in carmine præcipuum est, illud interjecto intercalari aliquando solent repetere, ut ex illorum lectione neminem latet.

(51) Janitores sive custodes portarum extra Sanctuarium officio suo fungebantur. Horum erat aperire, & claudere portas præsertim atrii Gentium, quæ illorum curæ erant commissæ; nam aliquas portas ipsi Sacerdotes custodiebant. Templum enim universum in tria septa divisum erat, nec quibuscumque concessum erat in quodcumque penetrare.

Primo septo, quod toti Templo extimum erat, continebatur atrium Gentium, ita dictum, quod eò Gentes ingredi possent preces fundendi caussa vero Deo, qui in Templo colebatur. Tum in area subdiali, tum in porticibus Gentes colloqui poterant, & ambulare; non autem conquiescere, quod ibi non erant, neque conclavia, in quibus cubarent, neque culinæ, ubi coquerent cibos, neque cœnacula, in quibus comederent. Ultra quosdam clathros, in interiore parte hujus atrii positos, Gentibus progredi haud licebat. Ubi vero patebat aditus ad secundum septum, columnæ erant erectæ Hebraice, & Græce scriptæ, & novissimis temporibus etiam Latine, ut ait Philo, & Josephus, internecioni devoventes non solum quemcumque ethnicum hominem, sed singulos etiam Israelitas impuros, si ultra ausi essent perrumpere. In locis perviis hoc genus plurimi stabant Janitores, caventes ne progrederetur nemo, quem Lex arceret.

Secundum septum atrium concludebat, in quod quum admitterentur mundi Israelitæ, atrium Israelis erat vocatum. Locus hic non solum porticibus, areisque subdialibus constabat; sed multis ædibus præterea, Israëlitarum gratia constructis. In hoc variæ erant officinæ, multa promptuaria, & popinæ; exedræ item, in quibus de iis disserebant, quæ spectabant ad Legem; gazophylacia, quæ opes Templi capiebant; & multa cubicula, quæ dies noctesque datum erat incolere ascendentibus in Templum precandi studio. Quum enim omnia essent tristega, plures suppetebant mansiones, in quibus Israëlitæ vitam transigerent, obirentque religionis officia.

Tertium septum denique atrium Sacerdotum ambiebat, in quod penetrare Sacerdotibus solis fas erat. In hujus atrii meditullio, quod totius Templi centrum dici poterat, Altare æneum sive holocaustorum eminebat. Juxta portam Orientalem erant loca Cantoribus propria, & ad vestibulum ejusdem portæ thronus Regis. Ad Occidentem vero sita erat Ædes Sacra, Sanctum nempe, & Sanctum Sanctorum.

(52) Judæi non pro eorum arbitrio, sed ordinem quendam servantes portas Templi ingrediebantur, & egrediebantur. Quicumque enim Templum intrabat, flectebat ad dexteram, & circuibat, donec exiret ea porta, quæ illi erat ad sinistram. Solus Princeps qua porta intrabat, eadem exire poterat: *Omnes*, inquit Maimonides de Domo electa capite VII. n. 3., *intra Ædem Montis venientes ad dexteram introibant, quam partem obeuntes tandem exibant ad lævam*. Excipit Rabbinus illum, cui aliquid triste accidit, dicitque eundem circumambulasse ad sinistram, & interroganti: Quid tibi, quod ad sinistram circumeas; respondere consuevisse: Quia ego lugeo; cui reponebatur: Qui hanc Ædem inhabitat, indat cordi tuo consolationem.

Neque vero dandus est Judæorum superstitioni hic ordo in portis Templi servatus; nam illis Deus per Ezechielem capite XLVI. 8, & 9. ita præceperat: *Quumque ingressurus est Princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eandem viam egrediatur. Et quum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis. non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur*. Vide etiam caput Ezech. XLIV. 2.

Hujus autem præcepti duæ rationes solent assignari. Prima, ne Judæi inter ambulandum in Templo terga verterent Sancto, & Sancto Sanctorum. Altera, quæ mihi videtur probabilior, laudatisque Prophetæ verbis *in solemnitatibus* multo convenientior; ne tumultus

filio ejus Septentrionalis; Obededom vero, & filiis ejus ad Austrum: in qua parte domus erat Seniorum Concilium. Sephim, & Hosa ad Occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis, custodia contra custodiam; ad Orientem vero Levitæ sex, & ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem similiter in die quatuor: & ubi erat Concilium, bini, & bini. In cellulis quoque Janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. Hæ sunt divisiones Janitorum filiorum Core, & Merari. His expletis inde de custodia sacræ pecuniæ additur: *Et Levitæ fratres eorum super thesauros domus Domini, & thesauros Sanctificatorum. Subaïl Præpositus thesauris: Eliezer, & fratres ejus super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David Rex, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & duces exercitus de bellis, & manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem, & supellectilem Templi Domini.*

Jojada inde Pontifex, regnante Joa, constituit quosdam Levitas Janitores ad custodiam Templi, ut (53) neminem contaminatum ingredi finerent, ut XXIII. secundi Paralipomenon invenitur. Eosdem vero Janitores sacram pecuniam collegisse, indicat caput XXII. quarti Reg., ubi ita est: *Vade ad Helciam Sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in Templum Domini, quam collegerunt Janitores Templi à populo.* De his vero sic Philo de præmiis Sacerdotum: *Æditui alii Janitorum officio functi sunt, alii vestibulum observarunt, alii nocturnas diurnasque custodias, Templi vices sortiti, egerunt; quibusdam curæ fuit, porticus, atriumque verrere, & scobes, ac quisquilias exportare, munditiemque curare.*

Jam vero officia Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, & Janitorum adhuc apertius referuntur XXXV. secundi Paralipomenon, ubi de nobili Pascha à Josia Rege celebrato differitur. *Præparatum* (inquit) *est ministerium, & steterunt Sacerdotes in officio suo, Levitæ quoque in turmis*, (Græce in divisionibus suis) *juxta Regis imperium, & immolatum est Phase. Et effuderunt Sacerdotes manu sua sanguinem. Et Levitæ detraxerunt pelles Holocaustorum, & separaverunt ea, ut darent per domos, & familias singulorum, ut offerrentur Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, & assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est. Pacificas vero Hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinato distribuerunt universæ plebi; sibi autem & Sacerdotibus postea paraverunt; nam in oblatione Holocaustorum, & adipum usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati; unde Levitæ sibi, & Sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimie. Porro Cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun Prophetarum David. Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut ne puncto quidem discederent à ministerio; quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibum; omnis igitur* (54) *cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent Holocausta super Altare Domini, juxta præceptum Regis Josiæ.*

CAP. VII.

De Nathinæis.

NAthinæos (55) inde Janitoribus adhæsisse, docet Esdra capite secundo, ubi ordine recenset Sacerdotes, Levitas, Cantores, Janitores, & Nathinæos, qui è Babylonia redierunt. Ut autem Levitæ Sacerdotibus, sic Nathinæi Levitis operam ministerii præstiterunt; itaque ut illi Diaconi, sic hi Subdiaconi vocari possunt, de quibus capite IX. primi Paralipomenon: *Qui habitarunt primi in possessionibus, & Urbibus suis, Israël, & Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi*, & primo Esdræ capite II. *Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.* Hi olim dicti (56) Gabaonitæ, de quibus Josuè V., IX., &

---

rus fieret ad portas à populo ad illas confluente; sed ut ingressus æqua ac egressus hoc ordine procederet, ut ingrediens exeunti haud occurrens, alter alteri impedimento non esset.

(53) A Janitoribus præter contaminatos arcendi erant à Templo Ethnici etiam, qui tamen si ingredi vellent preces ibi fundendi caussa vero Deo, in atrium Gentium admittebantur. Ezechiel capite XLIV. 7. Judæos objurgat, quod in Templum induxerint alienigenas, qua carne, qua spiritu incircumcisos: *Eo quod induxitis, inquis, filios alienos* ערלי לב וערלי בשר *incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in Sanctuario meo, & polluant Domum meam.*

Alienigenæ erant incircumcisi carne; sed inter eos aliqui esse poterant, qui corde non essent incircumcisi; atque adeo qui Deum timerent, vellentque in loco, quem sibi Deus elegerat, eum venerari. Parabola de Pharisæo, & Publicano, vectigalium scilicet homine exactore, notissima est ex S. Lucæ Evangelio capite XVIII. *Duo homines ascenderunt in Templum, ut orarent unus Pharisæus, & alter Publicanus.* An vero Publicanus in atrium Gentium ingressus fuerit, non satis compertum est, quum illum à longe stetisse dicat Evangelista. Imo ferunt Judæorum Magistri Publicanos à Templo, & à Synagogis; à judiciis etiam, & à testimonio ferendo remotos fuisse; rejectaque munera, si quæ Templo obtulissent, non secus ac pretium ex prostitutione receptum. Ita invisum erat hoc genus hominum Judæis tumentibus supra quam dici potest, insito libertatis ingenio.

(54) Liquet ex iis, quæ diximus hactenus, quomodo Levitæ distributi fuerunt à Davide ad diversa munera Templi obeunda per vices. Hanc distributionem Levitarum, ad numerum quod attinet, ita factam aliqui putant. David eos recensendo triginta octo millia invenerat. Ex his viginti quatuor millia ministerio Templi addixit; constituitque sex millia, qui præessent ceteris. Supererant [illegible] millia; horum quatuor millia facti fuere [illegible] tores, reliqui Janitores. Hunc num[illegible] in viginti quatuor Classes discerpas, [illegible] in unaquaque fuisse fere centum [illegible] singula [illegible] sex Levitas custodiendis januis [illegible] Sabbatha destinatos.

(55) A radice נתן *dedit* nomen [illegible]thinæorum Hebraice נתינים *Nathi*[illegible] quasi נתונים *dati* vel *deditis* deriva[illegible] vel quod esset Gens deditia, ut ex dic[illegible] in sequenti annotatione patebit; vel [illegible] quod dati essent Levitis à Davide, & à Pr[illegible]cipibus populi, ut in servilibus operibus [illegible] puta in cædendis lignis, & haurienda a[illegible], eos sublevarent. Humiliora enim hæc o[illegible] habebantur, quam ut ingenuo Israëlitæ [illegible] convenirent.

(56) Palam e[illegible] ex Josue capite nono Gabaonitas origin[illegible] duxisse ab Hevæis veteribus incolis Cha[illegible]næ, quibuscum non poterant Israëlitæ [illegible]fœdus percutere, sed debebant occidione e[illegible] delere. Gabaonitæ tamen à cæde fuerunt [illegible]ervati; nam adventu novi victorisque populi timore perculsi mentiti sunt se ex longinqua regione profectos, ut fœdus cum illo sancirent. Hac fraude Josue, & Principes Israel de-

& XX. *Liberavit Josue Gabaonitas de manu filiorum Israel, ut non occiderentur; decrevitque in illa die, eos esse in ministerio cuncti populi, & Altaris Domini, cadentes ligna, & aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco, quem elegisset Dominus*. David inde auctor fuit novi nominis, non officii, ac (57) pro Gabaonitis Nathinæos vocavit, ut apparet ex primo Esdræ, cap. VIII. *De* (58) *Nathinæis, quos dederat David, & principes ad ministeria Levitarum*. Unde capite II. scripsit: *Habitaverunt Sacerdotes, & Levitæ, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi*, (58) *in Urbibus suis*.

CAP. VIII.

De Nazaræis.

HActenus dictum sit de iis, qui Sacris ministerium præbuerunt. Fuit præterea quoddam aliud genus hominum, qui Deo etiam operam suam dicarunt, licet Sacra non attigerunt. Hi vero aut corpus suum Deo consecrarunt, aut oracula Dei fuderunt, aut legem Dei exposuerunt, quorum primi (59) Nazaræi, secundi Prophetæ; tertii Scribæ vocati

---

decepti sunt. Deo enim inconsulto, qui respondere solebat clara voce, quæ ex Propitiatorio audiebatur, simulantibus habuerunt fidem, atque in societatem receperunt. Re intellecta, facti pœnituit Josue, & Principes Israël. Quæ tamen sacramento polliciti fuerant, rata habuerunt; solumque veluti mancipia in bello capta ad humiliora opera eos addixere, ad portanda nempe ligna, & aquam in Tabernaculi usum, quo in servitio Gabaonitæ usque ad extremam Judæorum cladem creduntur perstitisse; quum post Davidis tempora nulla Gabaonitarum, sed sola Nathinæorum, gentis ad famulatum Templi destinatæ, in sacris literis mentio habeatur.

Ætate Josue Gabaonitæ quatuor orbes incolebant, Gabaon aliarum Metropolim, Caphira, Beroth, quæ Tribui Beniamin cessere, & Cariathjarim, quam Tribus Juda demum possedit.

(57) Postquam Nathinæi à Salomone servitiis Templi fuerunt addicti, traditique Sacerdotibus, & Levitis, ut humilibus ministeriis operam darent; constat illorum plures in imperato munere ad excidium usque secundi Templi permansisse. Nathinæi enim leguntur cum Tribu Juda Babylonem abducti fuisse; eorumque viginti supra ducentos cum Esdra regressi sunt, ut habetur I. Esdræ VIII. 20., & trecenti nonaginta duo cum Zorobabele, ut dicitur ejusdem libri capite II. 58.

Eorum labor in haurienda aqua, & cædendis, portandisque lignis non exiguus erat; sed procedente tempore lignorum collatio ad usus sacros evasit facilior, nam legimus constitutum diem Festum dictum ξυλοφορίων *Xylophorium*, in quo mos erat Judæis ligna ad Templum convehere, quibus inextinguibilis ignis Altaris Holocaustorum aleretur. Vide Josephum de bello libro II. cap. λα.

(58) Nathinæi extra Jerusalem urbes habitabant, quæ illis erant concessæ: at in Urbe sedem habebant in Ophel versus portam aquarum ad Orientem. *Nathinæi autem*, II. Esdræ scriptum est capite III. vers. 26. *habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat*. Hæc Urbis pars creditur fuisse minus amœna; neque enim illa loca depressa, quæ Templo subjacebant, valde grata esse poterant.

(59) Vox *Nazaræi* vel *Nazaræus*, quinque modis accipi potest. Primo significatur civis Nazaræus è patria Nazareth, ut liquet. II. Tum Christus Jesus, tum ejus Discipuli eo nomine vocati sunt. III. Quædam Secta Hæreticorum Nazaræorum Secta appellata est. IV. Nazaræi nomine interdum designatus est vir insigni dignitate conspicuus: quo sensu aliqui Interpretes dictum volunt Josephum Geneseos XLIX. 26. Nazaræum inter fratres ejus נזיר אחיו quæ verba de eodem Josepho repetuntur Deuteronomii XXXIII. 16. quod scilicet in Aula Pharaonis, primæ a Rege illi deferrentur. Huic interpretationi suffragatur utrobique Versio τῶν LXX. Græce reddens Hebraica verba ולקדקד נזיר אחיו *& in vertice Nazaræi inter fratres suos*: ad Gen. 49. Καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν, *& super caput fratrum; quorum Dux fuit*: & ad Deuter. 33. Καὶ ἐπὶ κορυφῆς δοξασθεὶς ἐπ᾽ ἀδελφοῖς, *& super verticem glorificatus est in fratribus*. Alii tamen ex allatis verbis נזיר אחיו denotari sentiunt Josephum votiva sanctimonia Nazaræatus adstrictum. Quod in claro est; Josephus etsi aliquo tempore Nazaræus esse potuit, tota tamen vita Nazaræus non fuit, quippe qui leges Nazaræatus non semper servavit. Bibit enim quod inebriare poterat cum fratribus suis, Geneseos XLIII. v. ultimo, & funeribus Jacobi Patris ejus interfuit, Geneseos L.

V. demum dicti sunt Nazaræi, qui Nazaræorum legibus, vel totius vitæ spatio, vel certo quodam tempore se obstrinxerunt. De his dictis κατ᾽ ἐξοχὴν Nazaræis agit Sigonius hoc capite: de quibus antequam nonnulla subjiciamus, non inutile erit attexere in præsenti annotatione quædam spectantia ad secundam, tertiamque acceptionem nominis Nazaræi.

Christus igitur vocatus est Nazaræus; sicut Prophetæ illum vocandum fore prænunciaverant. *Ut adimpleretur*, inquit S. Matthæus cap. II. 23., *quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*. At quo loco Prophetarum Messias dicatur vocandus esse Nazaræus, non liquet: quum hoc testimonium nusquam in Scriptura eisdem verbis occurrat. Quamobrem in diversa abeunt sacrarum literarum Interpretes. Horum præcipuæ sententiæ in medium adducantur.

Aliqui putant nullum à S. Matthæo ex scriptis Prophetarum, sed oracula oratenus tantum de Messia ab ipsis prænuntiata indicari, quæ Evangelistæ, sive per traditionem, sive a Spiritu Sancto revelante, comperta esse poterant. Ex verbis ejusdem S. Matthæi probant eorum sententiam. ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, *ut impleretur quod dictum est per Prophetas*; non quod *scriptum est*. Alii sentiunt nullum testimonium ab uno Propheta S. Evangelistam proferre; sed unum testimonium ab omnibus adducere; nam quum omnes Prophetæ Christum Sanctum, imo Sanctum Sanctorum appellent; ex ore omnium Prophetarum conficitur Christum נזיר *Nazir* Nazaræum, *separatum* scilicet, vel Deo *consecratum* vocandum fuisse.

Nonnulli librum Judicum ad caput XIII. 7. citari credunt à S. Matthæo, ubi dicitur: *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua*: quod quamvis de Sampsone dictum est; in Christo tamen, cujus Sampson extitit typus, sentiunt impletum. Horum sententia sequenti observatione confirmatur. Non dixit S. Matthæus *per Prophetam*, sed *per Prophetas*, ut librum Judicum significaret, qui non ab uno Propheta scriptus est, sed a multis, alio post alium succedente.

Sensit

cati sont, qui deinde diversas sectas iotulerunt, Sadducæos, Scribas, Pharisæos, Herodianos, & alios.

Fuere igitur (60) Nazaræi homines, qui se Deo voto consecraverunt, ea ratione, quæ docetur Numerorum capite VI. *Vir, sive mulier, cum fecerint* (61) *votum, ut sanctificentur, & se voluerint Deo consecrare, à vino, & omni,*

Sensit S. Johannes Chrysostomus Homilia XI. in Matthæum, nullum ex his qui nunc extant, sed aliquem ex his qui perierunt, Prophetam ab Evangelista citari: qualis fuit Nathan, & Esdræ Prophetiæ, aliorumque, quorum scripta interiisse ex Historia præsertim Paralipomenon potest inferri.

Existimavit denique S. Hieronymus in S. Matthæi caput II. dici posse, Isaiæ caput XI. v. 1. ab Evangelista indicari, ubi juxta Hebraicam veritatem nomen *Nazaræi* scriptum est: *Exiet virga*, ut ipse interpretatur, *de radice Jesse, & Nazaræus* נצר *Nazer, de radice ejus conscendet*. Hæc sententia ceteris mihi probabilior videtur. Dicit enim S. Matthæus Christum infantem in oppido Nazareth moram duxisse, atque ab ejus incolatu Nazaræum vocatum. Equidem scio nomen urbis Nazareth in Hebraico fonte non reperiri, ut inde judicare liceat, quibus Hebraicis elementis sit scribendum. Constat tamen cum ex Crucis titulo, tum ex Syro, scriptisque Judæorum, Nazareth cum litera צ non cum ז esse ita scriptũ נצרית, atque ab ea Christum vocatum נוצרי *Notzri*, & non נזיר *Nazir*. Græci vero, & Latini vitantes asperitatem soni literæ צ, quæ strictis dentibus via linguæ impressione profertur, eodem modo utrumque nomen reddiderunt; Græci Ναζωραῖον, vel Ναζαραῖον, vel Ναζηραῖον, vel Ναζαρηνόν; & Latini Nazaræum, vel Nazarenum. A Nazareth igitur urbe Galilææ in Tribu Zabulon, patria Beatissimæ Virginis, conceptione & educatu Christi celeberrima, à Nazareth, inquam, quæ à radice נצר *custodivit*, vel *floruit, custodita*, vel *florida* interpretatur, Christus dictus est נוצרי, per contemptum quidem ab impiis Judæis, sed gloriosissima significatione apud pios, qui noverunt mysterium. *Numquid à Nazareth*, ita obcæcati loquuntur Johannis I. 46. *potest aliquid boni esse? Et numquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quod ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David?* Et rursum Johannis VII. 42. *Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.*

Sicut Christus vocatus est Nazaræus & Galilæus; ita ejus Discipuli (qui cœperunt Antiochiæ primum vocari Christiani) Nazaræi & Galilæi dicti sunt à Judæis. *Invenimus hunc hominem pestiferum*, verba sunt Judæorum S. Paulum coram Felice accusantium Act. XXIV. 5., *& concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem Sectæ Nazaræorum*. Judæorum impietatem ætate sua Julianus renovavit, qui solebat Christum vocare Galilæum, & Christianos Galilæos, ex Socrate Hist. Eccl. lib. III. cap. 12., hoc illis nomine infamiam se illaturum existimans.

Denique vox Nazaræus, ut denotat Sectam Hæreticorum, significat fideles quosdam ab Judaismo ad Christi fidem conversos, qui pertinacissime tuebantur Veteris Legis necessitatem. Cærimonialibus Hebræorum moribus adhærebant, illorum utilitatem etiam post Novum Fœdus propugnantes. Hi Legem Moysis vel in primis servabant; sed Pharisæorum traditiones omnino contemnebant. *Nazaræi*, inquit S. Augustinus de Hæres., *quum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem, non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere cœperunt*. Hinc & Circumcisionem habebant Judæorum, & Christianorum Baptisma, novamque Legem amplexi à veteri nolebant divelli.

(60) Nazaræi igitur illi erant, qui, ut liberius Legem expenderent, divinamque bonitatem meditarentur, se totos Deo consecrabant, aliorum commercio se abdicantes. Etenim nomen Nazaræus Hebraice נזיר est à radice נזר, quæ *separavit* significat; denotatque virum, vel mulierem à vulgo separatam, Deo consecratam, ut exprimitur in Hebræo נזיר להזיר ליהוה, idest *separatus ad separandum se Domino*.

Duo autem Nazaræorum erant genera. Alii dicebantur Nazaræi sæculi נזירי עולם, alii Nazaræi dierum נזירי ימים. Nazaræi sæculi illi erant, qui per totam vitam Leges Nazaræatus servabant, cujusmodi fuerunt Sampson, Samuel, & S. Johannes Baptista. Nazaræi vero dierum ad tempus solummodo pro voventium voluntate institutum tenebant, nam in Lege de tempore nihil est definitum. Magistri tamen illud circumscribunt ad dies triginta, hunc numerum colligentes ex voce יהיה in V. versiculo capitis VI. Numerorum, cujus literæ numerice computatæ faciunt XXX. Hunc numerum bis ducunt, vel ter; protrahuntque tempus Nazaræis dierum, ad sexaginta dies, & etiam nonaginta, quibus poterant Nazaræatum servare. Josephus de Bello Judaico libro II. cap. 26., postquam scripsit Reginam Berenicem venisse Hierosolymam, ut εὐχὴν votum Deo solveret, hæc subdit: *His enim, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est, orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque à vino, & à tonsione capillorum.*

Leges autem Nazaræorum erant sequentes. Prima, abstinere sicut à vino, omnibusque vitis fructibus; ita ab omni potu, quod posset inebriare. Ebrietas enim morbus est mentis, à quo debebant cavere Nazaræi, qui Legis meditationi operam dabant. Secunda, abstinere à novacula, hoc est tonderi non poterant diebus voti durantibus. Ostendit hæc Lex Judæos sæpius caput obtulisse tonsori, inter quos ut distinguerentur Nazaræi, non tondebantur: unde cæsaries promissa demissionis animi erat indicium, & oblongam comam apud Germanos, *votivum obligatumque virtuti oris habitum*, Tacitus dixit. Tertia, cavere à pollutione super mortuo, qualiscumque esset; qua Lege, observat Maimonides, eadem legalis puritas Nazaræis mandabatur, quæ ad funere quod attinet, Summo Pontifici erat præscripta. Quarta demum, suas in Templo comas comburere, & quasdam oblationes offerre, quæ laudato capite VI. Numerorum præcipiuntur vers. 14. & sequentibus.

(61) Jam diximus ad caput XVII. libri IV. in principio, Judæorum Magistros in duas classes vota distinguere, in vota scilicet promissionis, & in vota prohibitionis; nunc dicendum superest, quum נדר *Neder* Hebraice, & Græce εὐχή, *votum* sine addito dicitur, votum Nazaræatus significari. A Philone εὐχὴ μεγάλη *votum magnum* nuncupatur. Ita enim hoc votum præstabat ceteris, ut *votum* per antonomasiam de Nazaræatu intelligatur: nam *mirandum est*, inquit R. Bechai, *deliciis assuetum, ab iis se continere, & abstinentiam voto servare*. A vino namque abstinebant Nazaræi, & ab omni eo, quod potest inebriare, a cervisia puta, omphacio, & aceto; à vino item ex dactylis palmarum, vel ex aliis fructuum generibus elaborato.

Pli-

(62) *omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent; uvas recentes, siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur; quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent. Omni tempore separationis suæ novacula non transibit super caput ejus usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur: quia consecratio Dei sui super caput ejus est. Omnibus diebus separationis suæ Sanctus erit Domino. Sin autem mortuus* (63) *fuerit subita quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima; in octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ Sacerdoti in introitu fœderis Testimonii, facietque Sacerdos unum pro peccato, & alterum in Holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, & consecrabit Domino; dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.* Tres autem potissimum Nazaræos apud Hebræos invenio, (64) Sampsonem, Samuelem, & Jacobum Justum fratrem Domini. De Sampsone capite XIII. Judicum: *Cave ne bibas*

Plinius libro XIV. cap. 16. vina, quæ a Veteribus arte efficiebantur, fuse recenset, & qua ratione illa fierent exponit.

(62) In Hebræo ita legitur Numerorum VI. vers. 3. מיין ושכר יזיר *A vino, & Schechar abstinebit*. Quid precise שכר significet, non una est Interpretum sententia; licet omnes conveniant, voluisse Moysem hac voce denotare omne id, quod esse poterat caussa temulentiæ. Theodoretus in Isaiæ V. 2. scribit siceram dactylorum vinum significare, quod inter omnia vina artefacta erat famosissimum. Huic Syro Scriptori, in iis locis degenti, ubi vox שכר erat communis, multi Auctores assentiuntur, nec immerito. Divus Hieronymus in Isaiæ XXVIII. significationem שכר non ad unicum dactylorum vinum circumscribit; sed vult, vocem genericam esse ad liquores omnes, qui possunt inebriare, sive frumento conficiantur, sive hordeo, sive pomis. Paraphrastes Chaldæus Onkelos שכר *vinum vetus* exponit, laudatumque versiculum tertium ita interpretatur:

מחמר חדת ועתיק יזר חל־ דחמר חדת וחל דחמר עתיק לא ישתי׃

A vino novo, & veteri separetur; acetum ex vino novo, & acetum ex vino veteri non bibat.

Habet hæc Paraphrasis viros Eruditos, quibus illius interpretatio arridet præ ceteris. Si opponas, ab hac interpretatione Onkelos superfluam significationem Hebræo fonti attribui; horum enim verborum מיין ושכר יזיר sensus esset: *à vino, & vino veteri abstinebit*, repetitione prorsus inutili; nam qui vinum dicit, omnem naturalis vini speciem designat: Reponent; verum quidem esse in nostro idiomate usu non esse receptas repetitiones invenusti sermonis; at secus rem esse apud Hebræos, à quibus eadem res pluribus synonymis sæpius effertur. Plura ad id confirmandum exempla congerunt. Quod propius rei, de qua agitur, videtur accedere est versiculus undecimus Oseæ capitis IV., ubi legitur: יין ותירוש יקח לב *vinum, & vinum dulce* (ebrietas habet Vulgatus Interpres) *auferunt cor*. Cur igitur, inquiunt, à Moyse eodem pacto dici non potuit, Nazaræus non bibet vinum, & vinum vetus? Quum præsertim apud Hebræos vinum in varias species distinguatur, in mustum scilicet, seu vinum dulce, quod exit è torculari, dictum ab ipsis תירוש *Thirosch*, & etiam עסיס *Hasis*; in vinum recens, quod fæcibus tum adhuc subsidens, servabatur in lacu, seu cisterna subterranea, quæ de more in vinea erat, & torculari proxima, quod vinum dicebatur יין *Jain*; & in vinum denique defæcatum, quod in legenis pice illitis, ac probe obturatis includebatur, & dictum erat חמר *Chemer*, vel סבא *Sobe*. Quare vocem שכר *Schechar* ad hanc tertiam speciem putant referri, quum sit à radice שכר *Schechar*, quæ significat *inebriatus est*.

(63) Nazaræus tamquam Deo consecratus, ab omnibus quidem immunditiis debebat cavere, sed non sub præcepto repetendi dies Nazaræatus sui. Debebat tamen illos repetere, si super mortuum immundus evaderet. Si tangeret nempe hominis cadaver, aut osse ejus in agro reperta; item si ad quodcumque funus, Patris etiam, & Matris se conferret; si domum intraret, in qua defunctus jaceret, aut tangeret vasa libitinaria; demum si quis coram eo vel fortuito moreretur. Quodcumque ex his Nazaræo accidisset, coma ejus polluebatur, & ob immunditiem contractam votum continuare non poterat, sed tenebatur statim capillos radere, à quorum tonsione dies purgationis ejus incipiebant. Rursus die septimo radi debebat, quia capilli etiam à die purgationis crescentes, profani erant; atque adeo non poterant Deo offerri, & in ejus honorem cremari. Volunt quidam Hebraizantes, caput Nazaræi non radendum fuisse die primo purgationis, sed tantum septimo, quoniam verba Hebraici textus, ut modo habemus, sic pressius reddi possunt: *Radet caput suum in die purificationis suæ, in die septimo radet illud*. Sed Vulgatus Interpres bene intellexit subaudiendam esse in Hebræo ו *Vau* copulativam; nam verosimile non est, Nazaræum usque ad septimum diem in pollutione sua permansisse. Denique advertendum est, hactenus nos sermonem habuisse de Nazaræo dierum; nam Nazaræus seculi numquam radebatur, quomodocumque pollueretur, ut inquit Menochius.

(64) Exempla, quæ adducit Sigonius, ad Nazaræatum seculi referuntur. Si quis exempla Nazaræatus dierum desiderat in Sacris literis, ea, ut fere omnes Interpretes sentiunt, in Actibus Apostolorum occurrunt capite XXI., ubi S. Jacobus cum senioribus suadet Apostolo, ut pecunias daret quatuor viris, qui votum in Templo consummaturi, oblationes non habebant in promptu: et præsertim hoc facto opinionem amoveret de se conceptam, quod à Judaicis ritibus animo esset alieno: *Hoc ergo fac*, inquiebant, *quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor* εὐχὴν ἔχοντες ἐφ᾽ ἑαυτῶν *votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita; & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas & ipse custodiens Legem.*

Neque enim pauperum erat votum Nazaræatus perficere; nam in Nazaræorum sanctificatione non tenues sumptus erant decreti, quibus agnum, agnam, arietem, placentas, & lagana sibi compararent. Hinc apud Maimonidem legimus in Tractatu de Nazaræatu capite VIII. liberalitatem fuisse haud insolitam divitum Judæorum, impensas aliquando suppe-

bibas vinum, & siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua. De Samuele primo Regum Anna vovit filium Deo his verbis: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* De Jacobo sic Egesippus, teste Clemente Alexandrino: *Ex utero matris suæ Sanctus fuit, vinum, & siceram non bibit; sed neque animal manducavit: ferrum in caput ejus non ascendit.* Ceterum de voto ejusmodi sanctificationis præclare scripsit Philo in libro de Sacrificiis: *Cum aliquis*, inquit, *sacravit omnium rerum suarum primitias, ac decimas, non habens amplius materiam, in qua pietatem exerceat,* (65) *se ipsum dedicat: ideo magnum hoc votum appellatur; nihil enim quispiam possidet se ipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur.* Hujus *voti reo præcipiuntur hæc: primum, ne mero utatur, aliove potu ex uvis factitio; deinde ad præstitutam diem rite offeret tres votivas victimas, agnum, agnam, & arietem, illum in Holocaustum, illam pro peccato, arietem vero in salutis Hostiam; nam voventi conveniunt hæc omnia; Holocautoma, quia non sua solum, sed se quoque Deo dicat; pro peccato victima, quia homo cum sit, quantumlibet perfectus, peccato non caret; pro salute autem, quia salutem suam acceptam refert Deo vero Salvatori.*

CAP. IX.

De Prophetis.

SEquuntur homines, qui (66) spiritu divino repleti Hebræis jussu Dei futura bona ma-

peditare hujusmodi votum suscipientibus: *Si quis dixisset*, inquit Maimonides loco laudato, *ecce ego impendam in Nazaræo, ut radat caput, tenebatur impendere. Quod si quis dixisset, se velle dimidium tantum impensæ in victimas faciendæ præstare, Nazaræus quod erat reliquum præstabat.*

(65) Inter religiosos viros, qui se ipsos Deo dedicabant, censendi sunt Rechabitæ, qui veluti Nazaræi perpetui, vino tota vita abstinebant. Qui antiquissimam originem Rechabitis assignant, illam repetunt à Cinæis, qui parvo numero ætate Moysis Madianitidis portionem tenebant. Jethro enim socer Moysis, qui Judicum I. 16. Cinæus appellatur, totaque ejus familia, propria regione relicta, Hebræisque in terram promissionis tendentibus accedentes, in Chanaan iisdem ingressi sunt, & circa mare Mortuum eorum sedes posuere. Ibi agreste vitæ genus ducentes, neglectis urbium, & domorum commodis, in specubus, locisque subterraneis habitabant, aut nullas certas sedes habentes, modo sub tentoriis, modo in nemoribus palmiferis, vitam agebant. Vox קין *Cin*, unde Cinæi dicti erant, *nidum* significat; atque adeo nil aliud insinuat nomen Cinæi, quam viros in ædiculis se recipientes. Volunt præterea veteres Cinæos ex Jethro prognatos, vino abstinuisse, quod probant ex facto Jahel uxoris Haber Cinæi. Jahel enim fugientem Sisaram in suo excepit tentorio, à qua quum Sisara Princeps exercitus Regis Jabin, aquam petiisset, pro aqua lac à Jahel recepit: *Dixit ad eam: da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere.* Judicum IV. 19.
Sed alii serius assignant Rechabitis originem, quippe qui illorum faciunt auctorem Jonadab filium Rechab, qui sub Jehu Rege Israel vivebat, hoc est ab anno Mundi 3120. usque ad 3148., quo tempore, ut diximus in laterculo chronologico Regum Israel, Jehu in Samaria regnabat. Jonadab ergo ejus posteritati præcepit, ut in tentoriis habitarent, & abstinerent à vino, vacarentque à colendis agris; solos eos fructus illis permittens, quos aut terra sponte gignit, aut pastoribus greges suppeditant: *Jonadab filius Rechab pater noster*, sic inquiunt Rechabitæ apud Jeremiam capite XXXV., *præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.*
Posteri Jonadab paruerunt ejus præceptis ultra spatium CCC. annorum. Ultimo enim anno Joachim Regis Juda, quum Nabuchodonosor totam late regionem circa Jerusalem depopularetur, Rechabitæ in Urbem se recepere, pristino tamen more commorandi sub papilionibus retento. Interim Deo jubente Jeremias Rechabitas deduxit in Templi cellaria, ubi vinum servabatur pro sacrificiis, oblatoque illis vino invitavit ad potum. At illi: *Non bibemus vinum*, dixerunt, *quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Obedivimus ergo voci ejus, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, & filiæ nostræ.*
A Rechabitarum dictis arripuit occasionem Propheta Judæos objurgandi, qui mandata Dei non servabant, quum contra Rechabitæ præceptis ab homine impositis à tanto tempore obtemperabant. Hinc flagellum Judæis imminens verbis Dei annunciavit; & conversus ad Rechabitas sermone ait: *Hæc dicit Dominus: Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis: propterea non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*
Quibus verbis opinor à Jeremia significari, Rechabitas in posterum servitiis Templi applicandos fuisse: & quamquam ex Levitica Tribu genus suum non ducebant; divina tamen voluntate per os Prophetæ manifestata videntur ad munera sacræ Ædis destinati: *Non deficiet de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Rechabitæ igitur, qui hactenus in agris palantes vixerant, procul ab urbibus, & à muniis Reipublicæ alieni; se in Urbem recepti Templo deputantur. At quodnam officium in Templo obirent, variant Eruditorum sententiæ. Illos præsertim, qui Rechabitas putant Janitorum præcipue, & Cantorum etiam ministerio addictos fuisse. Commodum muneri januas tuendi, Rechabitæ, si quæ alia Gens, erant maxime idonei; quum sub tentoriis cubarent, & vinum non biberent. Quare cum Tribu Juda, & Benjamin haud multo post Babylonem deportati, inde reduces pristino muneri fuerunt in secundo Templo restituti. Legitur enim I. Paralipomenon II. 55. *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Jabes, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore* (in Hebræo מחמת *Mechammath*) *patris domus Rechab.* Hi Rechabitæ *canentes* &c. dicuntur in textu Hebraico תרעתים *Thirathim* Chaldaice *Janitores*, שמעתים *Schimhathim*, *obedientes*, שוכתים *Suchathim*, *in tabernaculis habitantes.*

(66) Prophetæ nomen variis modis accipitur. Primo modo illi vocantur Prophetæ, qui divino spiritu afflati, & ad aliquem sive Regem, sive populum missi, veluti legatione Dei fungentes, futura illis pronunciaverunt. Hæc acceptio est omnium maxime propria, & Prophetarum hoc genus solummodo sexdecim locum habent in Canonis parte, quæ Prophetas complectitur, quorum quatuor dicuntur Majores, quod prolixius scripserunt, reliqui

malave prænunciarunt: quos primo (67) Videntes, deinde Prophetas dixerunt, ut scriptum est libro primo Regum capite nono: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Ut autem reliquos tutores se daturum Hebræis Deus ostendit, sic præcipue quoque Prophetas ex medio illorum excitaturum promisit. Quio etiam antequam Prophetas lege promissos mitteret, multos quoque Patres spiritu Prophetico exornavit, ut (68) Abraam, Isaac, Jacob, & Joseph: quorum vaticinia extant sacris literarum monumentis consignata, neque multo post etiam inter exteros (69) Balaam, & Job, aliosque nonnullos eo munere insignivit.

Primum autem Prophetam, eumque omnium

Minores, quod brevius. Dividunt enim Hebræi in tres partes universam Sacram Scripturam; in תורה *Thoru* Legem; נביאים *Nevim* Prophetas; & כתבים *Chetivim* scripta cetera, quæ Græci vocant ἁγιόγραφα.

Secundo modo Prophetas vocamus illos, qui licet non prænunciaverunt futura, solumque divinas laudes cecinerunt, Psalmos facientes, & Cantica; divina tamen inspiratione scripsere. Ita dicuntur *Levitæ* Cantores Asaph, Eman, & Ethan prophetasse coram Domino in citharis, & vasis musicis I. Paralipomenon XXV. Horum autem prophetare nihil aliud erat, quam canere divinas laudes; namque eodem capite appellantur doctores, & sapientes ad melodiam in cantu Domini. Abulensis in caput V. S. Matthæi quæst. 92. ad hanc classem Prophetarum Davidem refert, quippe qui non prænunciabat futura, ut Isaias, Jeremias, Elias, Elisæus &c., & quum occulta scire vellet, Dominum per Sacerdotes consulebat, sicut bis enim consuluit per Abiathar Sacerdotem magnum I. *Regum* XXIII. & XXX. Et quando Deus illi aliquid significare volebat, illud non per se ipsum, sicut Prophetis; sed Prophetæ alicujus ministerio eidem significabat; sicut bis factum est per Nathan II. *Regum* VIII., & XII, & semel per Gad Prophetas II. *Regum* XXIV. Vocatur tamen David Propheta κατ᾽ ἐξοχὴν per excellentiam, quod omnibus Prophetis, qui Psalmos canebant, excellentior esset: & sicut illi Levitæ Cantores aliquando in eorum Psalmis prædicebant futura, loquente Deo per illos; ita Deus per David multo plura prædixit ad Messiam præsertim spectantia: unde legitur II. *Regum* XXIII. *Hæc sunt verba David novissima . . . . . . Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Quamobrem S. Ambrosius Sermone ultimo de Epiphania vere dixit, Davidem plus præ ceteris Prophetarum de nuptiis naturæ divinæ cum humana cecinisse. Et Thalasius in Epistola ad Johannem Presbyterum, & Anachoretam, illum nominat virum Dei afflatu illustratum in *Regibus* Prophetam, & in Prophetis Regem.

Tertio modo appellantur Prophetæ, qui Deo inspirante quoscumque libros Sacros scripsere, licet futurorum prædictiones non contineant, sed solas rerum gestarum historias. Hoc sensu scripsit S. Hieronymus in Prologo Galeato: *Secundum Prophetarum ordinem faciunt* (idest Hebræi) *& incipiunt ab Jesu filio Nave: qui apud eos* יהושע בן נון Josue ben Nun *dicitur. Deinde subtexunt* שפטים Sophetim, *idest Judicum librum, & in eundem compingunt Ruth: quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur* שמואל Samuel, *quem nos Regum primum, & secundum dicimus. Quartus* מלכים Melachim, *idest Regum, qui tertio, & quarto Regum volumine continetur.*

Quarto modo possunt aliter distingui Prophetæ, alios dicendo cum S. Augustino Præfatione l. XIX. contra Faustum, Judæorum Prophetas; alios Ethnicorum, Christianorum alios. De Prophetis Judæorum loquuti sumus. Prophetæ Ethnicorum sunt illi, qui inter Gentes futura prædixere. Fuerunt enim inter illos aliqui veri Prophetæ, exempli caussa Balaam, qui fuit de Ammonitis, & venit contra Judæos, ut malediceret eis, *Numerorum* XXII., & XXIII. cujus Prophetiam scripsit Moyses *Numerorum* XXIV. Et ille Propheta apud Cretenses, cujus verba allegat S. Paulus ad Titum cap. I. 12. *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Et sequitur: *Testimonium hoc verum est.* Epimenides creditur ab Apostolo significari, qui Cicerone lib. I. de Divinatione, & Diogene Laertio testibus, ut Propheta a suis habitus est, & librum scripsit de Oraculis. Prophetæ demum Christianorum Apostoli fuerunt, & Apostolici viri, de quibus Christus Jesus dixit: *Ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas.* *Matthæi* XXIII., & quorum multitudo erat in Ecclesia post illapsum Spiritus Sancti, ut Joel prædixerat. Vide Actuum Apostolorum caput secundum.

(67) Quum duo potissimum Prophetæ præstarent, occultas scilicet res certo, & perspicue cognoscere, & easdem manifestare, quibus Deus volebat: hinc duo nomina fluxerunt, quibus viri illustrati à Deo vocati sunt; dicti primum חוזים, vel רואים *Videntes*, & deinde נביאים *Prophetæ*, a radice nimirum נבא *annunciavit*. Utrumque munus in eorum profanis Vatibus agnoverunt Ethnici quoque; & Virgilius Æneidum VI. de Sibylla ita cecinit:

. . . . *Bella horrida, bella,*
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Mox Sibylla ad Æneam:

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint &c.

(68) Quinque Prophetas ante Moysis ætatem enumerat S. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I., nempe Adamum, Noë, Abrahamum, Isaacum, & Jacobum. Apud Cotelerium in notis ad Constit. Apost. lib. IV. cap. 6. extat fragmentum S. Epiphanii, quod protulit ex MSS. Regiis, in quo numerantur ex utroque Testamento Prophetæ LXXII, & Prophetides decem. Judæi in libro *Megillah*, Prophetas octo supra quadraginta, & septem Prophetides agnoscunt.

(69) An Balaam fuerit Propheta Dei, an Ariolus, & magicis artibus deditus, non solum inter Recentiores sacrarum literarum Interpretes; sed etiam inter Sanctos Patres non convenit. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. & 6. de Adorat. in Spir. scelestum, Magum, idololatram, & falsum Prophetam illum nuncupat, qui verum numquam, nisi invitus, protulerit. S. Ambrosius Epist. L. 1. clas. novæ Edit. eum Caiphæ comparat, qui imprudens Prophetam egit. His non dissimilia habet Origenes, Theodoretus, & alii. At S. Hieronymus Quæst. Hebr. in Genes. sentire videtur Balaam verum Deum novisse, cui aras erexit, fuisseque verum Prophetam, licet pravis moribus obnoxium. S. Augustinus lib. II. de divers. quæst. ad Simplicium art. 9. hanc non solvit quæstionem, tantumque ait, Balaam ex iis futurum, qui supremo judicii die Domino dicent: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Imo statuunt Sancti Hieronymus, Chrisostomus, Nyssenus, & alii, fuisse Discipulos, & Posteros Balaam Magos illos, qui ad Christi Jesu Præsepe se se contulerunt, edocti novum Regem, & Servatorem apparitūrum in Israel, quum primum novum sidus conspexissent.

nium præstantissimum, dedit Moysem; de quo sic loquutus est Numerorum XII. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis* (70) *servus meus Moyses: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Post Moysem inde alios se excitaturum ostendit, atque etiam excitavit; ut ipse Moyses testatur XVIII. Deuteronomii: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad vos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ulter existam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderes: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? hoc habebit signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum*, & ibidem dicit Moyses: (71) *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*, & XXXIV. *Et non surrexit ultra Propheta in Israël, sicut Moyses*.

Hic vero spiritus Propheticus, quo Deus præcipue Moysem ipsum afflavit, à Moyse ad Seniores LXX. translatus est, ita ut & ipsi vaticinium edere cœperint. Quod declaratur Numerorum XI. *Venit Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa Tabernaculum; descenditque Dominus per nubem, & loquutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, &* (72) *dans septuaginta viris; cumque requievisset in eis spiritus*, pro-

(70) Quid Moyses differat ab aliis Prophetis, hic locus ostendit. Moysi Deus loquebatur פה אל פה *ore ad os*, idest tamquam præsens cum amico loqui solet: Ceteris vero Prophetis per ænigmata, & per obscuras rerum imagines, & similitudines, cujusmodi sunt olla succensa Jeremiæ, currus Ezechielis &c.

Ut ista explicant Judæorum Magistri, similitudinem à speculo solent desumere. *Per decem specula*, inquit Rabbi Jehodah in Vajikra Rabba, *viderunt Prophetæ; Moyses autem vidit tantum per speculum unum*. Imo asserunt, Moysem præcelluisse aliis Prophetis quinque privilegiis. Primo quod Deus Moysi per se; aliis per Angelum, loqueretur. Secundo aliis noctu; Moysi interdiu. Tertio alii audientes verba Dei horrore concutiebantur; Moyses nihil tale patiebatur. Quarto Moyses prophetabat quando volebat; ceteri quum afflaret eos spiritus. Quinto demum reliqui prophetabant per somnia, aut visiones; Moyses vigilans, & stans. Verum hæc partim vera esse, partim falsa, partim etiam futilia, nemo non videt.

(71) Ad successionem Prophetarum refert Sigonius hunc locum Deuteronomii XVIII. 17. נביא מקרבך מאחיך כמני יקים לך יהוה אלהיך אליו תשמען: *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*: vultque per hæc verba significari alios Prophetas post Moysem Deum excitaturum populo suo, quos in occultis rebus posset consulere. Ita etiam recentiores Judæorum Magistri hunc locum exponunt, volentes נביא *Prophetam* per enallagen positum esse pro נביאים *Prophetis* modo hoc, modo illo tempore suscitandis.

Sed diligenter attendendum est ita de Prophetis hunc locum esse accipiendum; ut maxime tamen & in primis de Christo intelligatur esse exaratum. Ita enim firmiter ætate Christi id persuasum erat, ut Judæis hanc interpretationem vulgo receptam Apostoli asseruerint, illis non abnuentibus. S. Petrus in concione habita in Templo post restitutam claudo sanitatem, dicit in Jesu fuisse tandem completum, quod olim Moyses ipsis promiserat, futurum nempe, ut *Prophetam suscitaret vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me*. Actuum III. 22. S. Stephanus de Christo Jesu hunc locum intellexit, quum dixit Judæis: *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis*. Actuum VII. 37. S. Philippus Nathanaelem alloquens hoc idem de Christo testatus est: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth*. S. Joannis I. 45. Turbæ denique prodigio multiplicationis quinque panum saturatæ, affirmare una voce non dubitarunt, Jesum esse Prophetam promissum Moysi. *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*. Neque enim alibi usquam in universa Scriptura Christus sub *Propheta* nomine promissus fuit. Nec insuper quisquam alius præ Moyse Christo fuit similior, sive officium Moysis spectes, qui fuit sequester inter Deum, & populum; sive ejus dignitatem, qui Legem populo dedit; sive miracula, quæ maxima in primis edidit; sive demum excellentiam, qua Deum facie ad faciem cognovit, familiariter cum ipso versatus. Hinc Christus ipse objurgans infidelitatis Judæos, ad Moysem provocat: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit*.

Si veterum Sanctorum Patrum sententias exquirimus; non aliter adductum Deuteronomii locum sunt interpretati. Unum S. Athanasium satis sit legere pro cunctis, qui libro secundo contra Arianos scripsit turpiter labi referentes ad alium, præter Jesum Christum, quod Moyses de Propheta post se venturo pronunciat.

Enimvero si opponas cum recentioribus Judæorum Magistris, qui ab antiquorum sententia licet tunc unanimi, immane discrepant, laudatum Deuteronomii versiculum ad Messiam referri non posse; nam populus tum non Messiam, sed Moysem Mediatorem petebat. Respondeo hanc sane fuisse populi petitionem; sed Deus spectans intimum eorum cordis affectum, qui ad promissum Verbum salutis tendebat, dedit responsum per Moysem non secundum petitionem exterius sonantem, sed secundum desiderium flagrans interius. Quare licet populus timens *Domini* vocem Moysem Mediatorem petivit; Deus tamen qui miseratione sua supplicum preces excedit & vota, arripuit hinc occasionem venturum Messiam prædicandi Prophetam de Gente Judæorum, sicut *Moyses* erat, quem deberent audire.

(72) Non sensus est, spiritum, qui erat in *Moyse*, divisum fuisse, ut partem *Moyses* haberet, partem LXX. illi viri, qui ad regimen populi erant admoti: sed sacer textus significat productum fuisse de thesauris donorum Dei, spiritum similem illi, qui in *Moyse* erat, & datum LXX. Senioribus, tum ut futura prædicerent, & aperirent occulta; tum ut dubia explicarent, vel ad dicendum jus populo, vel ad religionem, & cærimonias spectantia; tum denique ut divinas laudes repente, & ex impulsu Dei extra ordinem canerent. Quare spiritus *Moysis* in LXX. viros derivatus, minime fuit in eo imminutus: sicut a lumine unius candelæ, plures sine sui luminis imminutione accenduntur; qua similitudine utitur Origenes Homilia VI. in Numer., & Theodoretus quæst. X. in Numer., aliique post illos.

ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses noster loquutus est. De toto vero Sacerdotum genere sic scripsit Josephus primo contra Appionem: *Non solum ab initio probatissimos viros, & in Dei placatione præparatos ad hæc exercenda constituerunt, sed ut genus Sacerdotum sine admistione consisteret, providerunt; oportet enim eum, qui Sacerdotium habiturus est, ex ejus gentis nasci muliere, & genus per antiquum lineam, & multis testibus approbare. Quod scilicet agimus non solum in ipsa Judæa, sed ubicunque nostra gens reperitur, etiam ibi integritas circa nuptias Sacerdotum servatur, hoc est, in Ægypto, & Babylonia, & ubicunque quilibet de Sacerdotum genere dispersi sunt; mittunt enim Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, qui hujus rei testimonia præbuere. Si autem bella eveniant, tunc qui de Sacerdotibus supersunt, probant mulieres, quæ relinquuntur: non enim ad captivas accedunt, & alienigenarum consortia formidantes. Ac Pontifices apud nos à bis mille annis denominati filii à patre conscripti sunt. Si quis vero prævaricetur, interdicitur, ne aut ad Altare accedat, aut alia sanctificatione fungatur.*

CAPUT IV.

De Levitis.

Sacerdotes porro sequuntur Levitæ. Hi vero duobus modis accipiuntur; nam & omnes ex Tribu (34) Levi Levitæ dicti sunt, sub quam vocem etiam Pontifices, & Sacerdotes subjiciuntur, & præter Pontifices ac Sacerdotes, reliqui, qui præcipuum sibi sa-

A crorum ministerium vindicarunt: de quibus nunc agendum est. Levitæ igitur omnes ejusmodi ex posteris quidem Levi, verum non ex familiis Eleazari, aut Ithamari genus traxerunt. Levi enim filios reliquit tres, (35) Gerson, Cahat, & Merari. Cahat vero Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. Ex Amram natus est Moyses & Aaron, ex Aarone Eleazar, & Ithamar. Ut autem ab Aarone Pontificum, & Sacerdotum genus per posteros Eleazari & Ithamari est propagatum, sic per reliquos Levi filios ac nepotes reliquum genus sacrorum ministeriorum, quos Levitas vocamus.

Horum autem ordo duplex fuit, unus à B Moyse institutus, alter à Davide. Dicam prius de priore. His Levitis commisit Deus curam Tabernaculi, & vasorum, & instrumentorum ejus, & Arcæ fœderis, ut ea deferrent, & custodirent, & ut Sacerdotibus ministrarent. Numerorum primo; *Tribum (36) Leve noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israil, sed constitues eos super Tabernaculum Testimonii, & cuncta vasa ejus, & erunt in ministerio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum; cum castra metanda, erigent; quisquis externorum accesserit, occidetur*, & tertio: *Applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent* C *ei, & excubent, & observent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Testimonii, servientes in ministeria ejus, dabisque dono Levitas Aaron, & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israel. Aaron autem, & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Ego

vers. 14., etiamsi Christus aliquo modo pertinuisset ad Tribum Levi juxta nonnullorum Patrum opinionem; minime tamen per eam infringi vim argumentationis Apostolicæ. Non enim absolute poterat quisquam apud Israelitas censeri in aliqua Tribu, nisi per patrem lineamque virilem; ne sortium ac possessionum, aut etiam dignitatum cujusque D Tribus, permixtio fieret, atque confusio. Unde in genealogiis texendis viri soli nominabantur, mulierum tantum obiter, & ex obliquo mentio fiebat. Id quod etiam observare est in utraque genealogia Salvatoris ab Evangelistis conscripta; nec non in omnibus aliis, quas Scriptura recenset. Tantum exceptio est in Beatissima Virgine, quæ quia non ex viro concepit & peperit, sed ex Spiritu Sancto, non potest à Christi Filii sui genealogia removeri; utpote qui non nisi per eam genus duxerit à majoribus: ita sane ut Mater Virgo, matris simul & patris vices in ejus conceptione suppleret; quoniam & totam carnis Christi materiam præbuit, & vim generativam, quam in aliarum mulierum uteris exercet semen virile, sanguinibus suis purissimis inditam accepit à Spiritu Sancto. E
Ex his ergo consequitur, Aaronicum Sacerdotium ad Jesum Mariæ Filium ratione generis nullo modo pertinuisse; quoniam etsi B. Maria vel matrem, vel aliquam superiorem progenitricem habuisset ex Tribu Sacerdotali, non ideo tamen ejus Filius secundum Legem, aut Altari assistere, aut Sacerdotale quidquam sibi vendicare potuit. Quare quum Scriptura per Davidem deferat ei Sacerdotium: *Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech*; transfertur utique Sacerdotii dignitas ad hominem alterius Tribus. Hæc ex Commentariis Estii sumpta sunt loco laudato.

(34) Levi tertius fuit filius Jacobi ex Lia in Mesopotamia natus. A Levi trium filiorum patre Gersonis, Caathi, & Merari, singuli posteri ejus Levitæ fuerunt appellati; una excepta Aaronis familia, quæ per Amram ex Caatho fuit propagata, cujus Sacerdotalis fuit universa posteritas. Inter Levitas locum habuit quoque ipsius Moysis Legislatoris familia; quod apertissimo est argumento, Moysem non humanam instituisse Rempublicam, quum ejus prosapiæ nulla ratione prospexerit, neque in Sacris, ea inter simplices Levitas computata, neque in politicis, nam Josue ex Josepho natus ei successit. Levitis vero nulla peculiaris portio in terra Chanaan fuit assignata, sed urbes quadraginta octo incoluerunt, quas singulæ Tribus eis dedere. Id a Jacobo proximo morti hisce verbis filium Levi compellante creditur prænunciatum fuisse: *Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israil.* Caruisse tamen portione terræ promissæ magno fœnore Levitis repensum fuit, nam Deus amplissimis Sanctuarii muneribus eos destinavit, & largiter vitæ commodis eos auxit, in primitiis, decimis, oblationibus, aliisque proventibus, de quibus jam suo loco verba feci.

(35) Ut sub unico aspectu Levitarum genealogia subjiciatur, placet hoc loco exhibere illius schema ex Sacris literis præsertim desumptum, quod è regione collocatur.

(36) Tribus Levi familiam, ut ita dicam, Domus Domini constituebat; ideoque cum filiis Israel jussu Dei non erat numeranda. Vacabant igitur a publicis muneribus, & ingruente bello non tenebantur pugnare. Poterant tamen, si vellent, cum hostibus manus conserere, ut bella à Macchabæis strenue administrata sunt documento. Ceterum Levitarum erat Tabernaculo inservire, illud dissolvere, quum esset abeundum; in itineribus illud portare; & denuo illud construere, quum esset manendum. Habitabant prope Tabernaculum, ad ostium illius in parte Orientali Moyses & Aaron; Gersonitæ in parte Occidentali; Meraritæ in Aquilonari; Caathitæ demum in Meridionali.

Ego (37) tuli Levitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël: eruntque Levitæ mei; meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël; ab homine usque ad pecus, mei sunt. Inde officia singulis familiis Levitarum distribuit, inquiens: *Numera filios Levi per domos patrum suorum, & familias, omnem masculum ab uno mense, & supra. Numeravit Moyses, & inventi sunt filii Levi per nomina sua, (38) Gerson, & Caath, & Merari. Filii Gerson, Lebni, & Semei; filii Caath, Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. Filii Merari, Moboli, & Musi. Lebnitæ, & Semitæ Tabernaculum metabuntur ad Occidentem sub principe Heliasaph filio Laël, & habebunt excubias in Tabernaculo fœderis ipsum Tabernaculum, & operimentum ejus: tentorium, quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii, tentorium quoque, quod appenditur in introitu atrii Tabernaculi, & quidquid ad ritum Altaris pertinet, funes Tabernaculi, & omnia utensilia ejus. Amramitæ, Isaaritæ, Hebronitæ, & Ozielitæ habebunt excubias Sanctuarii, & castrametabuntur ad meridianam plagam; princepsque erit eorum Elisaphan filius Oziel, & custodiant Arcam, mensamque, & candelabrum, altaria, & vasa Sanctuarii, in quibus ministratur, & velum, cunctamque ejuscemodi supellectilem. Mobolitæ, & Musitæ sub principe Suriel filio Abihajel in plaga septentrionali castrametabuntur; erunt sub custodia eorum tabulæ Tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac bases earum, & omnia, quæ ad cultum hujuscemodi pertinent, columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus. Principes principum Levitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis erit super excubitores custodiæ Sanctuarii; castrametabuntur ante Tabernaculum fœderis, idest, ad orientalem plagam, Moyses, & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israël: quisquis alienus accesserit, morietur.* Deinde capite IV. exponit, quid eorum quisque agere, & portare debeat, Arcam, velum, mensam, cortinas, tectum Tabernaculi, tentorium, funiculos, vasa, tabulas, vectes, columnas, bases, totam supellectilem. Demum capite VIII. legem affert: *Hæc est lex Levitarum. (39) A vigintiquinque annis, & supra ingredientur, ut ministrent in Tabernaculo fœderis, & custodiant, quæ ibi fuerint mandata; opera autem ipsa non facient.* Atque in his quidem officiis manserunt usque ad tempora Davidis; itaut tempore Josue ipsi Arcam trans amnem Jordanem tulerint, ubi Sacerdotes Leviticæ stirpis, nomine Sacerdotis late accepto, dicuntur.

DAVID inde Levitarum ordinem alterum instituit, priore illo quodam modo abrogato. Nam Arcæ ferendæ onere sublato, Levitas alios Sacerdotum, & Templi Ministros, qui proprie Levitæ dicti sunt, alios Cantores, alios Janitores, alios Scribas, & Judices esse constituit; Ministrorum vigintiquatuor millia, Scribarum, & Judicum sex millia, Cantorum quatuor millia, & totidem Janitorum. Hoc scriptum reperitur XXIII. primi Paralipomenon: *Congregavit David omnes Principes Israël, & Sacerdotes, & Levitas; numeratique sunt Levitæ à viginti annis, & supra, & inventa sunt triginta octo millia virorum. Ex his electi sunt,*

(37) Postquam Deus ab Angelo percutiente natu maximos Ægyptiorum, primogenitos Israëlitarum exemit; sibi præcipuo jure liberationis asseruit omne masculum, quod primo genitum esset in Israël. Hinc primogeniti omnes debebant Deo sanctificari, & offerri, ac cujus oblationis vi totam vitam, nisi redimerentur, in inferioribus Sanctuarii ministeriis transigebant. Pro illis vero, qui in Ægypto fuerunt servati, totam Tribum Levi Deus poposcit, ut circa Tabernaculum, ejusque vasa & instrumenta ministraret, essetque dictis Pontificis, & Sacerdotum obtemperans.
Quæri solet hoc loco, cur Deus in Veteri Lege applicavit divinis ministeriis certam aliquam Tribum; in Novo Fœdere autem nullam eit addixit. Enimvero in promtu est respondere. Christi Ecclesia ad nationes omnes qua patet orbis, dilatanda erat; adeoque ejus Sacerdotium ad unum populum arctari non poterat, ut a Christifidelibus ubique gentium degentibus Sacerdotes, & administri Sacrorum possent haberi.

(38) Peculiaria munia circa Tabernaculum, ad unamquamque ex Leviticis familiis spectantia, sacer textus a Nostro adductus enumerat. Gersonitæ excubias habebant in Tabernaculo, non quod in illud, quamdiu erat erectum, intrarent (solis enim ministrantibus Sacerdotibus id licebat) sed nonnulla curando, & custodiendo, quæ in Tabernaculo reperiebantur. Gersonitis commissum erat operimentum, idest triplex velum, unum ex sagis cilicinis, alterum ex pellibus rubricatis, ex janthynis tertium. Hi vela explicabant, complicabantque, & Israële iter agente illa deferebant. Heliasaph filius Laël erat Princeps Gersonitarum.
Caathitæ Arcam custodiebant, Mensam, & Candelabrum, quando illis hæc tradebant portanda Sacerdotes. Altaria item, tum incensi, tum holocausti, & vasa Sanctuarii, puta Acetabula, Phialas, Thuribula, pluraque id genus. Ad Caathitas quoque illud velum spectabat, quo adyti obstruebatur ingressus, & Sanctum Sanctorum a Sancto dividebat: eodem velo Arcam obvolvebant, portabantque. Princeps erat Caathitarum Elisaphan filius Oziel.
Meraritæ demum tabulas curabant Tabernaculi, vectes, & columnas cum earum basibus, paxillis, & funibus ad firmandum columnas attinentibus. Nam funes velorum, & cortinarum custodiendi, & portandi erant a Gersonitis. Meraritarum Princeps erat Suriel filius Abihael.

(39) Hæc quæ leguntur Numerorum capite VIII. v. 24. repugnare iis videntur, quæ scripta sunt Numer. cap. IV. v. 3., ubi de ætate, qua Levitæ Tabernaculi servitio adjiciebantur, ita præcipitur: *A tricesimo anno, & supra usque ad quinquagesimum annum.* In textu τῶν LXX. hæc antilogia non reperitur; utrobique enim annus vicesimus quintus definitur inchoandis Levitarum muneribus. Numer. IV. Ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν καὶ ἐπάνω ἕως πεντήκοντα ἐτῶν, *à viginti & quinque annis & supra usque ad quinquaginta annos.* Et cap. VIII. Ἀπὸ πέντε καὶ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, *à quinto & vicesimo anno, & supra.*
Verum apud Interpretes duplex ratio occurrit hosce versiculos conciliandi. I. ut ab anno vicesimo quinto Levitæ addiscere cœperint ministerium suum; anno autem tricesimo illud exercere, quinque annis operam dantes doctrinæ, antequam munera obirent Tabernaculi; II. ut ab anno tricesimo admissi fuerint ad Tabernaculi res bajulandas, qua ætate firmius est hominis robur; ab anno vero vicesimo quinto in minoribus operibus fuerint occupati,

sunt, & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia, (40) *Præpositorum autem, & Judicum sex millia, porro quatuor millia Janitores, & totidem Psaltes canentes Domino in organis, quæ fecerant ad canendum: & distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson, Cabat, & Merari,* & post: *Dixit David; Requiem dedit Dominus Deus Israël populo suo, & habitationem Jerusalem in æternum. Nec erit officii Levitarum, ut ultra portent Tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum. Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi* (41) *à viginti annis, & supra, & erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in* B *Sanctuario, & in universis operibus Templi Domini; Sacerdotes autem super panes Propositionis, & ad similæ Sacrificium, & ad lagana, & azyma, & sartaginem, & ad torrendum, & super omne pondus, & mensuram. Levitæ vero ut stent mane ad confitendum, & canendum Domino, similiterque ad vesperam tam in oblatione Holocaustorum Domini, quam in Sabbatis, & Kalendis, & Solemnitatibus reliquis juxta numerum, & cæremonias uniuscujusque rei jugiter coram Domino, & custodient observationes Tabernaculi fœderis, & ritum Sanctuarii, & observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.* Item nooo ejusdem: C *De genere quoque Levitarum erunt super vasa ministerii; ad numerum enim efferentur vasa, & inferentur. De ipsis & qui credita habebunt utensilia Sanctuarii, præerunt similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus; filii autem Sacerdotum unguenta ex aromatibus conficient. Et Mattathias Levites primogenitus Sellum Coritæ Præfectus erit eorum, quæ in sartagine frigebuntur. Porro de filiis Cabat, & fratribus eorum, super panes erunt Propositionis, ut semper novos per singula Sabbata præparent.* Atque hos item Mioiftros David in XXIV. classes destinavit, easque à Gersooitis, Cahatitis, & Meraritis nominavit, unde priocipes non minus Levitarum, quam Sacerdotum primi Esdræ octavo commemorantur.

D Hæc vero ita instituta à Davide, post perfecta sunt à Salomone, VIII. secundi Paralipomenon: *Constituit juxta dispositionem patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis, Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei, &* A *Janitores in divisionibus suis per portam, & portam.* Itaque Ezechias Rex exoletum Dei cultum restituturus accivit Sacerdotes, & Levitas, dixitque ad eos secuodo Paralipomenon XXIX. *Audite me Levitæ, & sanctificamini: mundate domum Domini, auferte omnem immunditiam de Sanctuario, filii mei, nolite negligere; vos elegit Dominus, ut stetis coram eo, & ministretis illi, colatisque eum, & cremetis ei incensum.* Inde ita pergitur: *Surrexerunt Levitæ, & congregaverunt fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt, ut expiarent domum Dei. Sacerdotes quoque ingressi Templum, ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, sanctificaverunt Domino boves* B *sexcentos, & oves tria millia; Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere, ut pelles Holocaustorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur Antistites. Levitæ quoque faciliore ritu sanctificantur, quam Sacerdotes.* Inde XXXI. scriptum est: *Ezechias constituit turmas, (idest, ephemerias, seu vices) Sacerdotales, & Leviticas per divisiones suas unumquemque in officio proprio tam Sacerdotum, quam Levitarum ad Holocausta, & Pacifica, ut ministrarent, & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini.* Post Josias, instaurato Templo, Levitarum quoque munera renovavit; sic enim scriptum est XXXV. *Levitis quoque, ad* C *quorum eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite Arcam in Sanctuario Templi, quod ædificavit Salomon; nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Deo vestro, & populo ejus Israël, & præparate vos per domos, & cognationes vestras in divisionibus singulorum, sicut præcepit David, & descripsit Salomon, & ministrate in Sanctuario per familias, turmasque Leviticas, & sanctificati, immolate Phase.* In primis vero mandasse videtur Levitis, ut vice Sacerdotum detraherent pelles Holocaustorum; nam paulo post additur: *Levitæ steterunt in turmis juxta Regis imperium, & detraxerunt pelles Holocaustorum.* Nam nisi Josiæ instituto hoc factum D dicemus, ad Ezechiæ tempus rejiciemus, quo propter paucitatem Sacerdotum, Levitæ hoc oneris subierunt. Neque enim adhuc reperi, unde S. Hieronymus illud hauserit, quod in eum locum scripsit, moris fuisse, ut Levitæ (42) detraherent pelles Holocaustorum; Sacerdotes autem, quando pro peccatis fiebat Sa-

(40) Textus Hebræus habet שוטרים ושופטים. Constat ad secundam vocem quod attinet, nempe שופטים *Schophetim*, illam *Judices* denotare, quum sit à radice שפט *judicavit*. Quid vero significetur per primam vocem שוטרים *Schoterim* non una est Eruditorum sententia. Quidam illam censent synonimam cum voce *Schophetim*: alii eas ita distinguunt, ut *Schophetim* Judices sint; *Schoterim* vero eorum Apparitores. *Schoterim* apud LXX. sunt Scribæ Γραμματεῖς, & apud Vulgatum Interpretem sunt Præpositi, illi videlicet, qui in officio aut Levitas reliquos, aut illis inferiores continebant, curabantque, ut omnia rite peragerentur: & instruebant insuper populum, quæ ad judicia spectabant. Hæc interpretatio ceteris præstat.

(41) Sicut David, ut supra dictum est, ex Sacerdotibus Classes XXIV. instituit, ut per vices sacra obirent ministeria; ita in totidem Classes Levitas divisit, ut quisque κατὰ τάξιν Tabernaculo in Sion collocato, & Templo paullo post extruendo inserviret. Jussit tamen Levitas censeri ab anno vicesimo & ultra; E nam fixo Tabernaculo, labores illorum imminuti erant, ætasque minus firma illis perferendis esse poterat. Tabernaculum enim, ejus vasa, & Instrumenta, non amplius huc & illuc debebant transferre. Postremo advertat humanissimus Lector, Davidem Regem quædam instituisse circa munera Tabernaculi, non arbitratu suo, sed consilio Prophetarum Gad, & Nathan; *siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum ejus*, ut legitur II. Paralipomenon XXIX. 25.

(42) Manifestum est ex Levitici capite I. v. 6. ad Sacerdotem pertinuisse nudare pelle hostias holocaustorum: *detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident*: at urgente necessitate Levitis etiam id permissum fuisse, quæ in Paralipomenis facta narrantur Ezechiæ, & Josiæ Regum temporibus, liquido ostendunt. Illorum enim ætate ob Sacerdotum paucitatem, & victimarum multitudinem, Levitæ pelles ab holo-

Sacrificium. Nam perpetuum fuisse ultimis temporibus hoc Levitarum onus, ostendere videtur Ezechiel XLIV. inquiens: *Levitæ erunt in Sanctuario meo æditui, & Janitores portarum domus, & Ministri domus; ipsi mactabunt Holocaustum, & victimas populi, & ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis; non appropinquabunt ad me, ut Sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne Sanctuarium meum juxta Sancta Sanctorum.*

CAP. V.

De Cantoribus.

CAntores autem à Davide diximus institutos, ut confiterentur, & canerent (43) in organis Domino. Hæc autem (44) organa diversi generis erant, tubæ, cymbala, psalteria, cytharæ, & quæ præcipue organa dicebantur. Canebant autem voce Hymnos, quos David, Asaph, (45) Idithun, Heman, & Hetan (46) composuerant, & in confessione verba illa crebro usurpabant: *Confitemini Domino,*

---

holocaustis detraxerunt, hostias ita præparantes, ut tantum essent dimembrandæ, & ignibus imponendæ à Sacerdotibus. Ceterum hostias pacificas deglubere poterant etiam simplices Laici, cujus diversitatis hæc ratio assignatur, quod hostiæ pacificæ non in morem holocaustorum, integræ super Altari essent comburendæ.

(43) Etsi ratio Musicæ, quæ resonabat Templum Jerusalem, non satis est nota; constat tamen illam pergratam fuisse, & rebus quæ canebantur ita accommodatam, ut qua voce, qua instrumentis eos affectus excitaret, quibus decebat pro statu rerum Israelitas commoveri. In afflictionibus, ubi Deus erat iratus, Musica videbatur lugere; in acceptis beneficiis hilarescere; attollique in enarrandis mirabilibus Dei. Erat Judæorum Musica concentibus ætatis nostræ multo simplicior: illa tamen animi commovebantur multo magis; nam quum melodiis diversitate in varios affectus trahimur, nullis incendimur. Figurarum & tonorum varietas recentius Saraonici inventum est, Veteribus incognitum. Leges harmoniæ, quæ nunc sunt in honore, aures quidem permulcent; sed vim Musicæ infringunt, quâ pervadat animos, impellatque eos quò velit. Aperte Cicero libro III. de Oratore summam vim Musicæ lacesse testatus est: *Nihil est*, inquit, *tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces: quibus & excitamur & incendimur; & lenimur & languescimus; & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur.*

Id multo magis Musicæ Templi conveniebat, cujus hymni ceteros omnes dignitate rerum præstabant, cujusmodi a sapientibus Cantoribus inventi erant, & sententiis accomodati, & cujus instrumenta ex pretiosis, maximeque idoneis ad sonum rebus, erant confecta; puta ex Electro, metallo scilicet ex auro & argento confecto, & ex lignis thyinis, quæ primum ex Ophir Salomoni cœperunt deferri. Hinc Musica Hebræorum tanto erat in pretio, ut Babylonii Gens fastu tumens, & deliciis abundans, a Judæis captivis efflagitaverint, ut cantica Templi coram ipsis modularentur. Sed populus quamquam captivitate gemens, coram profanis hominibus, & in profano solo, sacrum eorum melos nolebat canere. *Super flumina Babylonis*, ita Psalmus CXXXVI. in principio, *illic sedemus & flevimus, quum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

(44) De musicis Instrumentis Hebræorum jam supra libro IV. capite IX., ex eruditis lucubrationibus Patris Calmet Lectori abunde fecimus satis: unde nihil est, cur quidquam addamus hoc loco.

(45) Idithum, & Ethan non duæ personæ fuerunt; sed utrumque nomen est ejusdem Levitæ Cantoris, Præfecti Musicæ in Templo ex familia Merari. Id constat tum ex I. Paralipomenon XV. vers. 17., tum 19 ubi dum tres Principes Cantorum ex tribus Leviticis familiis numerantur, nulla fit mentio Idithun: *Porro Cantores Heman, Asaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes.* Imo si fontem Hebræum investigabimus, colligi poterit Ethan & Idithun haud esse duo nomina diversa, sed unum & idem nomen: ידיתן *Idithun* nimirum positum fuisse pro יד איתן *Jad Ethan, manus Ethan*: nam sicut in Hebræo occurrit sæpius illa locutio, *per manus Asaph*; ita etiam ex יד איתן *per manum Ethan* factum erit ידיתן *Idithun*, quod à vero non abhorret.

(46) An Psalmi omnes uni Davidi sint adscribendi, an aliis quoque illorum nonnulli, non eadem est tum SS. Patrum, tum recentium Eruditorum sententia. S. Hilarius *Prolog. in Psalmos*, eos non uni David omnes assignat, sed aliis etiam auctoribus, quorum nomina inscribuntur in titulis, qui plurimis Psalmis sunt præfixi, *Asaph, Ethan, Core &c.* Idem disertis verbis affirmat S. Hieronymus in Epistola 134. ad Sophron., & in 139. ad Cypr. *Scimus*, ait, *errare omnes, qui omnes Psalmos David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.* Hanc sententiam Noster amplexus est, eamque Recentiores non pauci sequuti.

At S. Jo. Chrysostomus in Psalmum L., S. Augustinus de Civit. Dei lib. XVII. 14., quibus plures tum Veterum, tum Recentiorum assentiuntur, totius Psalterii Davidem faciunt auctorem. Habet hæc sententia præ alia hoc auctoritatis momentum, quod in Novo Testamento, sive a Christo Jesu, sive ab Apostolis, Psalmus nullus, nisi sub Davidis nomine, solet laudari. Nec certe Judæi, quæ eorum erat perfidia, ad carpendum verba Christi, & Apostolorum intentissimi, id prætermisissent objicere, nisi fuisset tunc temporis apud eos constanter receptum, Psalmos omnes a Davide illorum unico auctore profluxisse.

Ceterum de hac quæstione optime Theodoretus Præfat. in Psalmos nos monet, nihil referre, *sive hujus hominis, sive illorum aliqui sint, quum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos. Etenim non ignoramus & divinum Davidem Prophetam fuisse, & illos itidem Prophetas in Paralipomenon historia nuncupari. Prophetæ autem est linguam præbere ministram gratiæ Spiritus Sancti, ut legitur in Psalmis: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Profecto de libro Psalmorum dicere possumus, quod S. Gregorius ipse Magnus scribit de libro Job, de quo aliqui disputant, an ipsum Job, an alium habeat auctorem. *Quum rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, qui Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur.*

Postremo Judæorum Magistri præter Davidem, Asaph, Ethan &c. Adamum quoque, & Melchisedech, Moysem præterea, & Salomonem, Psalmorum quorumdam faciunt Scriptores. Tribuunt Adamo Psalmum XCI. secundum Hebræum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Melchisedecho CIX. *Deus laudem meam ne tacueris.* Moysi LXXXIX. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et Salomoni LXXI. *In te Domine speravi non confundar in æternum.*

ne, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Tunicis porro byssinis induebantur, atque ita à Sacerdotibus lineas habentibus distinguebantur. Hoc autem munus assignavit David tribus filiis Johel, qui genus trahebant à Gersone, oempe (47) Asaph, Heman, & Idithun, quorum XXIV. erant filii, quatuor Asaph, sex Idithun, quatuordecim Heman, qui pariter sorte ducti singulis vicenis quaternis classibus nomen dederunt. Debis autem sic scriptum est primo Paralip. XXIV. *Isti sunt filii Levi, secundum domos familiarum suarum; miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron coram David Rege, & Sadoc, & Achimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum tam majores, quam minores. Omnes sors æqualiter dividebat. Igitur David & præfectus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundum numerum suo sibi dedicato officio servientes; filii Asaph quatuor sub manu Asaph, prophetantes juxta Regem: filii Idithun sex, qui in cithara prophetabant, super confitentes, & laudantes Dominum: filii Heman quatuordecim: Videntes Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu. Universi sub manu patris sui ad cantandum in Templo Domini distributi erant in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini juxta Regem. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui eruditi erant in Cantico Domini, ducenti octoginta octo: miseruntque in sortem ephemeriarum, secundum magnum, & parvum, perfectorum, & discentium*, atque inde ordinem earum (sunt autem vices XXIV.) persequitur hoc modo;

1 Joseph.	5 Nathanias.
2 Godolias.	6 Bocciau.
3 Zaccur.	7 Isrecla.
4 Isari.	8 Jesajas.
9 Mathanias.	17 Jesbacassas.
10 Semejas.	18 Hanani.
11 Azareel.	19 Mellothi.
12 Hasabias.	20 Eliatha.
13 Subaël.	21 Othir.
14 Matthatias.	22 Gedelthi.
15 Jerimoth.	23 Mahazioth.
16 Hananias.	24 Romemthiezer.

Officia vero eorum descripta multis in locis reperiuntur, præcipue autem in septimo secundi Paralipomenon, regnante Salomone: *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex*, (48) *Hymnos canentes per manus suas*, *porro Sacerdotes canebant tubis ante eos*, & quinto: *Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt; nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat) tam Levitæ, quam Cantores, idest, & qui sub Asaph erant, & qui sub Heman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad* (49) *orientalem plagam Altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti, canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus: impleretur domus Dei nube, nec possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem*, item XX. *Josaphat Rex statuit Cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus*. Item tertio primi Esdræ: *Concinebant in Hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus, quoniam* (50) *in sæculum misericordia ejus*, & decimo tertio: *In diebus David*,

(47) Asaph, Heman, & Idithun aliter Ethan, tres erant Cantores ætate Davidis, & Salomonis præstantissimi. Asaph ad familiam Gersonperti nebat, Heman ad familiam Caath, & Ethan ad familiam Merari. Horum filii Principes erant inter Capita viginti quatuor Classium Cantorum. Nam numerabantur in Israele illo ævo Cantores 4000., quos David in Classes XXIV. distribuit, & cuique Classi unum ex illorum filiis præfecit. Porto Asaph quatuor filii erant, Idithun sex, & Heman quatuordecim, ex quibus numerus vicesimus quartus conficitur, qui numerum Classium Musicorum æquabat. Ita autem ordinatum erat ministerium Cantorum, ut singuli statis vicibus munere suo fungerentur, quolibet Classe ministerium suum implente, donec vices recurrerent.

(48) Placet nonnullis Psalmos ab Hymnis ita distinguere, ut Psalmi Hebraice dicantur מזמרים *Mizmorim*, Græce Ψαλμοὶ, & illi proprie essent, qui voce, & musicis instrumentis canerentur. Hymni Hebraice שירים *Schirim*, Græce ᾄσματα, vel ᾠδαὶ, qui sola voce modularentur. Ex Psalmis alios decantatos fuisse putant vocibus prælatis, alios vero prælatis organis. Psalmos primi generis dictos volunt שיר מזמור, quasi dicerentur *Ode Psalmi*, quod in singulis versiculis decantandis vox præiret, instrumenta sequerentur. Secundi generis מזמור שיר, quasi *Psalmus Ode*, in quibus instrumenta præirent, & voces sequerentur.

(49) Circa Altare holocaustorum stabant hinc Sacerdotes cum tubis, inde Levitæ cum musicis instrumentis, faciebus sibi invicem obversis, conversisque ad Altare, ne alteri, quam Deo, canere viderentur. Locus Levitarum erat juxta Regem, idest juxta Regis thronum, qui erat coram Altari erectus ad plagam Orientalem atrii Sacerdotum. Mischnici eo loci suggestum collocant, & pluteos pro Cantoribus. Maimonides in Tractatu de Apparatu Templi capite tertio præter Levitas Cantores ascensum permittit in suggestum etiam nobilibus Israelitis, ut ibidem fidibus canerent, qui tamen essent Sacerdotum affines; sed ejus assertum infert vim sacro textui, ex quo constat solum Levitas instrumentis applicatos fuisse. Imo ex Josepho Judaicæ vetustatis teste magis idoneo, Maimonides notæ falsitatis potest insimulari. Narrans enim Josephus Antiquit. lib. XX cap. VIII. sub Rege Agrippa concessum fuisse Levitis omnibus, qui in Templo ministrabant, ut sacros hymnos ipsi quoque cantarent, factum id dicit non sine piaculo patriæ Legis violatæ. Quomodo igitur ascensus patere poterat in suggestum Israelitis, qui quantumvis illustres, originem tamen non ducebant ex Levi; si contra Legem erat ex Josepho, Levitas non musicis instrumentis, sed aliis muneribus Templi destinatos, inter Levitas Cantores locum habere?

(50) Propheta Psaltes hac clausula intercalari כי לעולם חסדו *Chi lebolam chasdo, quoniam in sæculum misericordia ejus*, significat omnia beneficia, quæ in Psalmo centesimo tricesimo sexto enumerat, à Dei bonitate & clementia profluxisse. Id enim quum peculiari confide-

vid, & Asaph ob exordia erant principes constituti Cantorum carmina laudantium, & confitentium Deo.

Addit etiam Josephus libro VIII., eundem Salomonem stolas Levitarum Hymnos canentium ex bysso ducenties mille fecisse; libro autem XX., eosdem pro stola byssina lineam Sacerdotalem impetravisse tempore Agrippæ Regis Judææ: *Ex Tribu*, inquit, *quicunque Hymnorum Cantores erant, Regi suaserunt, ut convocato Concilio sibi concederet stola linea uti, perinde ac Sacerdotibus licebat. Rex autem ex sententia eorum, qui Concilium inibant, permisit, ut priore veste posita, lineam induerent; parti autem Tribus in Templo operante, & his concessit, ut Hymnos ediscerent, quemadmodum monebant, quorum utrumque legibus erat adversum.*

CAP. VI.

De Janitoribus.

JAnitores (51) porro ministri fuerunt, qui ad januas Templi excubabant, & sacras arculas observabant; de quibus in primo Paralipomenon IX. hoc modo: *Janitores autem Sellum, & Acub, & Telmon, & Abiman, & frater eorum Sellum princeps. Usque ad illud tempus in porta Regis ad orientem observabant per vices suas de filiis Levi, Sellum filius Core cum fratribus super opera ministerii, custodes vestibulorum Tabernaculi, & familiæ eorum per vices castrorum Domini, custodientes introitum. Phinees filius Eleazari erat dux eorum coram Domino. Zacherias filius Mosolamiæ, Janitor portæ Tabernaculi Testimonii. Omnes hi electi in ostiarios per portas ducenti duodecim, & descripti in villis propriis: quos constituerunt David, & Samuel Videns in fide sua tam ipsos, quam filios eorum in ostiis domus Domini, & in Tabernaculo vicibus suis. Per quatuor ventos erant ostiarii, idest, ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus Janitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini; per gyrum quoque Templi Domini morabantur in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.*

Hi vero in viginti quatuor quoque classes, sive vices, divisi sunt, ut scriptum est XXVI. Quarum septem primæ nominatæ sunt à filiis Selemiæ, Zacharia, Jadihel, Zabadia, Jathanaël, Aelam, Johanan, Elioënai; octo sequentes à filiis Obededom, Semeja, Jozabad, Joaha, Sachar, Nathanaël, Ammiel, Issachar, Phollathi; & a filiis Semeiæ primogeniti sex, Othni, Raphaël, Obed, Elzabad, Eliu, & Samachia: reliquas à filiis Hosæ, Semri, Helcia, Tabelia, Zacharia. Quibus expositis additur: *Hi divisi sunt in Janitores, ut essent principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ut ministrarent in domo Domini. Missæ sunt ergo sortes ex æquo & parvis, & magnis per familias suas* (52) *in unamquamque portarum. Cecidit ergo sors Orientalis Selemiæ; Zachariæ filio*

sideratione dignum esset, merito sæpius in Psalmo repetitur. Lyrici etiam tum Græci, tum Latini, quod in carmine præcipuum est, illud interjecto intercalari aliquando solent repetere, ut ex illorum lectione neminem latet.

(51) Janitores sive custodes portarum extra Sanctuarium officio suo fungebantur. Horum erat aperire, & claudere portas præsertim atrii Gentium, quæ illorum curæ erant commissæ; nam aliquas portas ipsi Sacerdotes custodiebant. Templum enim universum in tria septa divisum erat, nec quibuscumque concessum erat in quodcumque penetrare.

Primo septo, quod toti Templo extimum erat, continebatur atrium Gentium, ita dictum, quod eò Gentes ingredi possent preces fundendi caussa vero Deo, qui in Templo colebatur. Tum in area subdiali, tum in porticibus Gentes colloqui poterant, & ambulare; non autem conquiescere, quod ibi non erant, neque conclavia, in quibus cubarent, neque culinæ, ubi coquerent cibos, neque cœnacula, in quibus comederent. Ultra quosdam clathros, in interiore parte hujus atrii positos, Gentibus progredi haud licebat. Ubi vero patebat aditus ad secundum septum, columnæ erant erectæ Hebraice, & Græce scriptæ, & novissimis temporibus etiam Latine, ut ait Philo, & Josephus, internecioni devoventes non solum quemcumque ethnicum hominem, sed singulos etiam Israëlitas impuros, si ultra ausi essent perrumpere. In locis perviis hoc genus plurimi stabant Janitores, caventes ne progrederetur nemo, quem Lex arceret.

Secundum septum atrium concludebat, in quod quum admitterentur mundi Israëlitæ, atrium Israëlis erat vocatum. Locus hic non solum porticibus, areisque subdialibus constabat; sed multis ædibus præterea, Israëlitarum gratia constructis. In hoc variæ erant officinæ, multa promptuaria, & popinæ; exedræ item, in quibus de iis disserebant, quæ spectabant ad Legem; gazophylacia, quæ opes Templi capiebant; & multa cubicula, quæ dies noctesque datum erat incolere ascendentibus in Templum precandi studio. Quum enim omnia essent tritega, plures suppetebant mansiones, in quibus Israëlitæ vitam transigerent, obirentque religionis officia.

Tertium septum denique atrium Sacerdotum ambiebat, in quod penetrare Sacerdotibus solis fas erat. In hujus atrii meditullio, quod totius Templi centrum dici poterat, Altare æneum sive holocaustorum eminebat. Juxta portam Orientalem erant loca Cantoribus propria, & ad vestibulum ejusdem portæ thronus Regis. Ad Occidentem vero sita erat Ædes Sacra, Sanctum nempe, & Sanctum Sanctorum.

(52) Judæi non pro eorum arbitrio, sed ordinem quendam servantes portas Templi ingrediebantur, & egrediebantur. Quicumque enim Templum intrabat, flectebat ad dexteram, & circuibat, donec exiret ea porta, quæ illi erat ad sinistram. Solus Princeps qua porta intrabat, eadem exire poterat: *Omnes*, inquit Maimonides de Domo electa capite VII. n. 3., *intra Ædem Montis venientes ad dexteram intrabant, quam partem obeuntes tandem exibant ad lævam*. Excipit Rabbinus illum, cui aliquid triste accidit, dicitque eundem circumambulasse ad sinistram, & interrogatum: Quid tibi, quod ad sinistram circumeas; respondere consuevisse: Quia ego lugeo; cui reponebatur: Qui hanc Ædem inhabitat, indat cordi tuo consolationem.

Neque vero dandus est Judæorum superstitioni hic ordo in portis Templi servatus; nam illis Deus per Ezechielem capite XLVI. 8, & 9. ita præceperat: *Quumque ingressurus est Princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eamdem viam egrediatur. Et quum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertatur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egrediatur*. Vide etiam caput Ezech. XLIV. 2.

Hujus autem præcepti duæ rationes solent assignari. Prima, ne Judæi inter ambulandum in Templo terga verterent Sancto, & Sancto Sanctorum. Altera, quæ mihi videtur probabilior, laudatisque Prophetæ verbis in solemnitatibus multo convenientior; ne tumul-

tus

filio ejus Septentrionalis; Obededom vero, & filiis ejus ad Austrum: in qua parte domus erat Seniorum Concilium. Sephim, & Hosa ad Occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis, custodia contra custodiam; ad Orientem vero Levitæ sex, & ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem similiter in die quatuor: & ubi erat Concilium, bini, & bini. In cellulis quoque Janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas. Hæ sunt divisiones Janitorum filiorum Core, & Merari. His expletis inde de custodia sacræ pecuniæ additur: *Et Levitæ fratres eorum super thesauros domus Domini, & thesauros Sanctificatorum. Subaël Præpositus thesauris: Eliezer, & fratres ejus super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David Rex, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & duces exercitus de bellis, & manubiis præliorum, quæ consecraverant ad instaurationem, & supellectilem Templi Domini.*

Jojada inde Pontifex, regnante Joa, constituit quosdam Levitas Janitores ad custodiam Templi, ut (53) neminem contaminatum ingredi finerent, ut XXIII. secundi Paralipomenon invenitur. Eosdem vero Janitores sacram pecuniam collegisse, indicat caput XXII. quarti Reg., ubi ita est: *Vade ad Helciam Sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in Templum Domini, quam collegerunt Janitores Templi à populo.* De his vero sic Philo de præmiis Sacerdotum: *Æditui alii Janitorum officio functi sunt, alii vestibulum observarunt, alii nocturnas diurnasque custodias, Templi vices sortiti, egerunt; quibusdam curæ fuit, porticus, atriumque verrere, & scobes, ac quisquilias exportare, munditiemque curare.*

Jam vero officia Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, & Janitorum adhuc apertius refertur XXXV. secundi Paralipomenon, ubi de nobili Pascha à Josia Rege celebrato differitur. *Præparatum* (inquit) *est ministerium, & steterunt Sacerdotes in officio suo, Levitæ quoque in turmis,* (Græce in divisionibus suis) *juxta Regis imperium, & immolatum est Phase. Et effuderunt Sacerdotes manu sua sanguinem. Et Levitæ detraxerunt pelles Holocaustorum, & separaverunt ea, ut darent per domos, & familias singulorum, ut offerrentur Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, & assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est. Pacificas vero Hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinato distribuerunt universæ plebi; sibi autem & Sacerdotibus postea paraverunt; nam in oblatione Holocaustorum, & adipum usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati; unde Levitæ sibi, & Sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis. Porro Cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun Prophetarum David. Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut ne puncto quidem discederent à ministerio; quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibum; omnis igitur* (54) *cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent Holocausta super Altare Domini, juxta præceptum Regis Josiæ.*

CAP. VII.

De Nathinæis.

NAthinæos (55) inde Janitoribus adhæsisse, docet Esdra capite secundo, ubi ordine recenset Sacerdotes, Levitas, Cantores, Janitores, & Nathinæos, qui è Babylonia redierunt. Ut autem Levitæ Sacerdotibus, sic Nathinæi Levitis operam ministerii præstiterunt; itaque ut illi Diaconi, sic hi Subdiaconi vocari possunt, de quibus capite IX. primi Paralipomenon: *Qui habitarunt primi in possessionibus, & Urbibus suis, Israël, & Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi,* & primo Esdræ capite II. *Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.* Hi olim dicti (56) Gabaonitæ, de quibus Josuë V., IX. &

tus fieret ad portas à populo ad illas confluente; sed ut ingressus æque ac egressus hoc ordine procederet, ut ingrediens exeunti haud occurrens, alter alteri impedimento non esset.

(53) A Janitoribus præter contaminatos arcendi erant à Templo Ethnici etiam, qui tamen si ingredi vellent preces ibi fundendi caussa vero Deo, in atrium Gentium admittebantur. Ezechiel capite XLIV. 7. Judæos objurgat, quod in Templum induxerint alienigenas, quæ carne, qua spiritu incircumcisos: *Eo quod induxitis*, inquit, *filios alienos* ערלי לב וערלי בשר *incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in Sanctuario meo, & polluant Domum meam.* Alienigenæ erant incircumcisi carne; sed inter eos aliqui esse poterant, qui corde non essent incircumcisi; atque adeo qui Deum timerent, vellentque in loco, quem sibi Deus elegerat, eum venerari. Parabola de Pharisæo, & Publicano, vectigalium scilicet homine exactore, notissima est ex S. Lucæ Evangelio capite XVIII. *Duo homines ascenderunt in Templum, ut orarent unus Pharisæus, & alter Publicanus.* An vero Publicanus in atrium Gentium ingressus fuerit, non satis compertum est, quum illum è longe stetisse dicat Evangelista. Imo ferunt Judæorum Magistri Publicanos è Templo, & à Synagogis, à judiciis etiam, & a testimonio ferendo remotos fuisse; rejectaque munera, si quæ Templo obtulissent, non secus ac pretium ex prostitutione receptum. Ita invisum erat hoc genus hominum Judæis tumentibus supra quam dici potest, insito libertatis ingenio.

(54) Liquet ex iis, quæ diximus hactenus, quomodo Levitæ distributi fuerunt a Davide ad diversa munera Templi obeunda per vices. Hanc distributionem Levitarum, ad numerum quod attinet, ita factam aliqui putant. David eos recensendo triginta octo millia invenerat. Ex his viginti quatuor millia ministerio Templi addixit; constituitque sex millia, qui præessent ceteris. Supererant octo millia; horum quatuor millia facti sunt Cantores, reliqui Janitores. Hunc numerum si in viginti quatuor Classes discerpas, invenies in unaquaque fuisse fere centum sexaginta-sex Levitas custodiendis januis in singula Sabbatha destinatos.

(55) A radice נתן *dedit* nomen Nathinæorum Hebraice נתינים *Nethinim* quasi נתונים *dati* vel *dediti* derivat: vel quod esset Gens deditia, ut ex dicendis in sequenti annotatione patebit; vel quod dati essent Levitis à Davide, & à Principibus populi, ut in servilibus operibus, puta in cædendis lignis, & haurienda aqua, eos sublevarent. Humiliora enim hæc officia habebantur, quam ut ingenuo Israelitæ convenirent.

(56) Palam est ex Josue capite nono Gabaonitas originem duxisse ab Hevæis veteribus incolis Chananææ, quibuscum non poterant Israëlitæ fœdus percutere, sed debebant occidione eos delere. Gabaonitæ tamen à cæde fuerunt servati; nam adventu novi victorisque populi timore perculsi mentiti sunt se ex longinqua regione profectos, ut fœdus cum illo sancirent. Hac fraude Josue, & Principes Israel de-

& XX. *Liberavit Josue Gabaonitas de manu filiorum Israël, ut non occiderentur; decrevitque in illa die, eos esse in ministerio cuncti populi, & Altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes usque in præsens tempus, in loco, quem elegisset Dominus*. David inde auctor fuit novi nominis, non officii, ac (57) pro Gabaonitis Nathinæos vocavit, ut apparet ex primo Esdræ, cap. VIII. *De* (58) *Nathinæis, quos dederat David, & principes ad ministeria Levitarum*. Unde capite II. scripsit: *Habitaverunt Sacerdotes, & Levitæ, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi*, (58) *in Urbibus suis*.

CAP. VIII.

De Nazaræis.

HActenus dictum sit de iis, qui Sacris ministerium præbuerunt. Fuit præterea quoddam aliud genus hominum, qui Deo etiam operam suam dicarunt, licet Sacra non attigerunt. Hi vero aut corpus suum Deo consecrarunt, aut oracula Dei fuderunt, aut legem Dei exposuerunt, quorum primi (59) Nazaræi, secundi Prophetæ; tertii Scribæ vocati

---

decepti sunt. Deo enim inconsulto, qui respondere solebat clara voce, quæ ex Propitiatorio audiebatur, simulantibus habuerunt fidem, eosque in societatem receperunt. Re intellecta, facti pœnituit Josue, & Principes Israël. Quæ tamen sacramento polliciti fuerant, rata habuerunt; solutique veluti mancipia in bello capta ad humiliora opera eos addixere, ad portanda nempe ligna, & aquam in Tabernaculi usum, quo in servitio Gabaonitæ usque ad extremam Judæorum cladem creduntur perstitisse; quum post Davidis tempora nulla Gabaonitarum, sed sola Nathinæorum, gentis ad famulatum Templi destinatæ, in sacris literis mentio habeatur.

Ætate Josue Gabaonitæ quatuor urbes incolebant, Gabaon aliarum Metropolim, Caphira, Beroth, quas Tribui Beniamin cessere, & Cariathjarim, quam Tribus Juda demum possedit.

(57) Postquam Nathinæi à Salomone servitiis Templi fuerunt addicti, traditique Sacerdotibus, & Levitis, ut humilibus ministeriis operam darent; constat illorum plures in imperato munere ad excidium usque secundi Templi permansisse. Nathinæi enim leguntur cum Tribu Juda Babylonem abducti fuisse; eorumque viginti supra ducentos cum Esdra regressi sunt, ut habetur I. Esdræ VIII. 20., & trecenti nonaginta duo cum Zorobabele, ut dicitur ejusdem libri capite II. 58.

Eorum labor in haurienda aqua, & cædendis, portandisque lignis non exiguus erat; sed procedente tempore lignorum collatio ad usus sacros evasit facilior; nam legimus constitutum diem Festum dictum ξυλοφορίων *Xylophorium*, in quo mos erat Judæis ligna ad Templum convehere, quibus inextinguibilis ignis Altaris Holocaustorum aleretur. Vide Josephum de bello libro II. cap. λα.

(58) Nathinæi extra Jerusalem urbes habitabant, quæ illis erant concessæ: at in Urbe sedem habebant in Ophel versus portam aquarum ad Orientem. *Nathinæi autem*, II. Esdræ scriptum est capite III. vers. 26. *habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat*. Hæc Urbis pars creditur fuisse minus amœna; neque enim illa loca depressa, quæ Templo subjacebant, valde grata esse poterant.

(59) Vox *Nazaræus* vel *Nazaræus*, quinque modis accipi potest. Primo significatur civis Nazaræus è patria Nazareth, ut liquet. II. Tum Christus Jesus, tum ejus Discipuli eo nomine vocati sunt. III. Quædam Secta Hæreticorum Nazaræorum Secta appellata est. IV. Nazaræi nomine interdum designatus est vir insigni dignitate conspicuus: quo sensu aliqui Interpretes dictum volunt Josephum Geneseos XLIX. 26. Nazaræum inter fratres ejus נזיר אחיו quæ verba de eodem Josepho repetuntur Deuteronomii XXXIII. 16. quod scilicet in Aula Pharaonis, primæ à Rege illi deferrentur. Huic interpretationi suffragatur utrobique Versio τῶν LXX. Græce reddens Hebraica verba ולקדקד נזיר אחיו *& in vertice Nazaræi inter fratres suos*; ad Gen. 49. Καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν, *& super caput fratrum, quorum Dux fuit*: & ad Deuter. 33. Καὶ ἐπὶ κορυφῆς δοξασθεὶς ἐπ' ἀδελφοῖς, *& super verticem glorificatus est in fratribus*. Alii tamen ex allatis verbis נזיר אחיו denotari sentiunt Josephum votiva sanctimonia Nazaræatus adstrictum. Quod in claro est; Josephus etsi aliquo tempore Nazaræus esse potuit, tota tamen vita Nazaræus non fuit, quippe qui leges Nazaræatus non semper servavit. Bibit enim quod inebriare poterat cum fratribus suis, Geneseos XLIII. v. ultimo, & funeribus Jacobi Patris ejus interfuit, Geneseos L.

V. demum dicti sunt Nazaræi, qui Nazaræorum legibus, vel totius vitæ spatio, vel certo quodam tempore se obstrinxerunt. De his dictis κατ' ἐξοχὴν Nazaræis agit Sigonius hoc capite: de quibus antequam nonnulla subjiciamus, non inutile erit attexere in præsenti annotatione quædam spectantia ad secundam, tertiamque acceptionem nominis Nazaræi.

Christus igitur vocatus est Nazaræus; sicut Prophetæ illum vocandum fore prænunciaverunt. *Ut adimpleretur*, inquit S. Matthæus cap. II. 23., *quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*. At quo loco Prophetarum Messias dicatus vocandus esse Nazaræus, non liquet; quum hoc testimonium nusquam in Scriptura eisdem verbis occurrat. Quamobrem in diversa abeunt sacrarum literarum Interpretes. Horum præcipua sententiæ in medium adducantur.

Aliqui putant nullum a S. Matthæo ex scriptis Prophetarum, sed oracula oratenus tantum de Messia ab ipsis prænuntiata indicari, quæ Evangelistæ, sive per traditionem, sive a Spiritu Sancto revelante, comperta esse poterant. Ex verbis ejusdem S. Matthæi probant eorum sententiam. ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, *ut impleretur quod dictum est per Prophetas*; non quod *scriptum est*. Alii sentiunt nullum testimonium ab uno Propheta S. Evangelistam proferre; sed unum testimonium ab omnibus adducere; nam quum omnes Prophetæ Christum Sanctum, imo Sanctum Sanctorum appellent; ex ore omnium Prophetarum conficitur Christum נזיר *Nazir* Nazaræum, *separatum* scilicet, vel Deo *consecratum* vocandum fuisse.

Nonnulli librum Judicum ad caput XIII. 7. citari credunt à S. Matthæo, ubi dicitur: *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua*: quod quamvis de Sampsone dictum est; in Christo tamen, cujus Sampson extitit typus, fuit tunc impletum. Horum sententia sequenti observatione confirmatur. Non dixit S. Matthæus *per Prophetam*, sed *per Prophetas*, ut librum Judicum significaret, qui non ab uno Propheta scriptus est, sed a multis, alio post alium succedente.

Sensit

cati sont, qui deinde diversas sectas intulerunt, Sadducæos, Scribas, Pharisæos, Herodianos, & alios.

Fuere igitur (60) Nazaræi homines, qui se

A Deo voto consecraverunt, ea ratione, quæ docetur Numerorum capite VI. *Vir, sive mulier, cum fecerint* (61) *votum, ut sanctificentur, & se voluerint Deo consecrare, à vino, & omni*,

Sensit S. Johannes Chrysostomus Homilia XI. in Matthæum, nullam ex his qui nunc extant, sed aliquem ex his qui perierunt, Prophetam ab Evangelista citari: qualis fuit Nathan, & Esdræ Prophetia, aliorumque, quorum scripta interiisse ex Historia præsertim Paralipomenon potest inferri.

Existimavit denique S. Hieronymus in S. Matthæi caput II. dici posse, *Isaiæ* caput XI. v. 1. ab Evangelista indicari, ubi juxta Hebraicam veritatem nomen *Nazaræ* scriptum est: *Exiet virga*, ut ipse interpretatur, *de radice Jesse*, B *& Nazaræus* נצר *Nezer, de radice ejus conscendet*. Hæc sententia ceteris mihi probabilior videtur. Dicit enim S. Matthæus Christum Infantem in oppido Nazareth moram duxisse, atque ab ejus incolatu Nazaræum vocatum. Equidem scio nomen urbis Nazareth in Hebraico fonte non reperiri, ut inde judicare liceat, quibus Hebraicis elementis sit scribendum. Constat tamen cum ex Crucis titulo, tam ex Syro, scriptisque Judæorum, Nazareth cum litera צ non cum ז esse ita scriptā נצרית, atque ab ea Christum vocatum נוצרי *Notsri*, & non נזיר *Nazir*. Græci vero, & Latini vitantes asperitatem soni literæ צ, quæ strictis dentibus C vix linguæ impressione profertur, eodem modo utrumque nomen reddiderunt; Græci Ναζωραῖον, vel Ναζαραῖον, vel Ναζηραῖον, vel Ναζαρηνόν; & Latini Nazaræum, vel Nazarenum. A Nazareth igitur urbe Galilææ in Tribu Zabulon, parta Beatissimæ Virginis, conceptione & educatu Christi celeberrima, à Nazareth, inquam, quæ à radice נצר *custodivit*, vel *floruit, custodita*, vel *florida* interpretatur, Christus dictus est נוצרי, per contemptum quidem ab impiis Judæis, sed gloriosissima significatione apud pios, qui noverunt mysterium. D *Numquid à Nazareth*, ita obcæcati loquuntur Johannis I. 46, *potest aliquid boni esse? Et numquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quod ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David?* Et rursum Johannis VII. 41. *Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.*

Sicut Christus vocatus est Nazaræus & Galilæus; ita ejus Discipuli (qui cœperunt Antiochiæ primum vocari Christiani) Nazaræi & Galilæi dicti sunt à Judæis. *Invenimus hunc hominem pestiferum*, verba sunt Judæorum S. Paulum coram Felice accusantium Act. XXIV. 5., *& concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem Sectæ Nazarenorum*. Judæorum impietatem ætate sua Julianus renovavit, qui solebat Christum vocare Galilæum, & Christianos Galilæos, ex Socrate Hist. Eccl. lib. III. cap. 12., hoc illis nomine E infamiam se illaturum existimans.

Denique vox Nazaræus, ut denotat Sectam Hæreticorum, significat fideles quosdam ab Judaismo ad Christi fidem conversos, qui pertinacissime tuebantur Veteris Legis necessitatem. Cærimonialibus Hebræorum moribus adhærebant, illorum utilitatem etiam post Novum Fœdus propagnantes. Hi Legem Moysis vel in primis servabant; sed Pharisæorum traditiones omnino contemnebant. *Nazaræi*, inquit S. Augustinus de Hæres., *quum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem, non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere cœperunt*. Hinc & Circumcisionem habebant Judæorum, &

Christianorum Baptisma, novamque Legem amplexi a veteri nolebant divelli.

(60) Nazaræi igitur illi erant, qui, ut liberius Legem expenderent, divinamque bonitatem meditarentur, se totos Deo consecrabant, aliorum commercio se abdicantes. Etenim nomen Nazaræus Hebraice נזיר est à radice נזר, quæ *separavit* significat; denotatque virum, vel mulierem à vulgo separatam, Deo consecratam, ut exprimitur in Hebræo B נזיר להזיר ליהוה, idest *separatus ad separandum se Domino*.

Duo autem Nazaræorum erant genera. Alii dicebantur Nazaræi seculi נזירי עולם, alii Nazaræi dierum נזירי ימים. Nazaræi seculi illi erant, qui per totam vitam Leges Nazaræatus servabant, cujusmodi fuerunt Sampson, Samuel, & S. Johannes Baptista. Nazaræi vero dierum ad tempus solammodo pro voventium voluntate institutum tenebant, nam in Lege de tempore nihil est definitum. Magistri tamen illud circumscribunt ad dies triginta, hunc numerum colligentes ex voce יהיה in V. versiculo capitis VI. Numerorum, cujus literæ numerice computatæ faciunt XXX. Hunc numerum bis ducunt, vel ter; protrahuntque tempus Nazaræi dierum, ad sexaginta dies, & etiam nonaginta, quibus poterant Nazaræatum servare. Josephus de Bello Judaico libro II. cap. 26., postquam scripsit Reginam Berenicem venisse Hierosolymam, ut εὐχὴν *votum* Deo solveret, hæc subdit: *His enim, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est, orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque à vino, & à tonsione capillorum.*

Leges autem Nazaræorum erant sequentes. Prima, abstinere sicut à vino, omnibusque vitis fructibus; ita ab omni potu, quod posset inebriare. Ebrietas enim morbus est mentis, à quo debebant cavere Nazaræi, qui Legis meditationi operam dabant. Secunda, abstinere D à novacula, hoc est tonderi non poterant diebus voti durantibus. Ostendit hæc Lex Judæos sæpius caput obtulisse tonsori, inter quos ut distinguerentur Nazaræi, non tondebantur: unde cæsaries promissa demissionis animi erat indicium, & oblongam comam apud Germanos, *votivum obligatumque virtuti oris habitum*, Tacitus dixit. Tertia, cavere à pollutione super mortuo, qualiscumque esset; qua Lege, observat Maimonides, eadem legalis puritas Nazaræis mandabatur, quæ ad funera quod attinet, Summo Pontifici erat præscripta. Quarta demum, suas in Templo comas comburere, & quasdam oblationes offerre, quæ laudato capite VI. Numerorum præcipiuntur vers. 14. & sequentibus.

(61) Jam diximus ad caput XVII. libri IV. in principio, Judæorum Magistros in duas classes vota distinguere, in vota scilicet promissionis, & in vota prohibitionis; nunc dicen-E dum superest, quum נדר *Neder* Hebraice, & Græce εὐχὴ, *votum* sine addito dicitur, votum Nazaræatus significari. A Philone εὐχὴ μεγάλη *votum magnum* nuncupatur. Ita enim hoc votum præstabat ceteris, ut votum per antonomasiam de Nazaræatu intelligatur: nam *mirandum est*, inquit R. Bechai, *deliciis assuetum, ab iis se continere, & abstinentiam voto servare*. A vino namque abstinebant Nazaræi, & ab omni eo, quod potest inebriare, a cervisia puta, omphacio, & aceto; a vino item ex dactylis palmarum, vel ex aliis fructuum generibus elaborato. Pli-

(62) *omni, quod inebriare potest, abstinebant. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent; uvas recentes, siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur; quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent. Omni tempore separationis suæ novacula non transibit super caput ejus usque ad completum diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur: quia consecratio Dei sui super caput ejus est. Omnibus diebus separationis suæ Sanctus erit Domino. Sin autem mortuus* (63) *fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet ilico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima; in octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ Sacerdoti in introitu fœderis Testimonii; facietque Sacerdos unum pro peccato, & alterum in Holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illa, & consecrabit Domino; dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.* Tres autem potissimum Nazaræos apud Hebræos invenio, (64) Sampsonem, Samuelem, & Jacobum Justum fratrem Domini. De Sampsone capite XIII. Judicum: *Cave ne bibat*

Plinius libro XIV. cap. 16. vina, quæ à Veteribus artu efficiebantur, fuse recenset, & qua ratione illa fierent exponit.

(62) In Hebræo ita legitur Numerorum VI. vers. 3. מיין ושכר יזיר *A vino, & Schechar abstinebit*. Quid præcise שכר significet, non una est Interpretum sententia; licet omnes conveniant, voluisse Moysem hac voce denotare omne id, quod esse poterat caussa temulentiæ. Theodoretus in Isaiæ V. 2. scribit siceram dactylorum vinum significare, quod inter omnia vina artefacta erat famosissimum. Huic Syro Scriptori, in iis locis degenti, ubi vox שכר erat communis, multi Auctores assentiuntur, nec immerito. Divus Hieronymus in Isaiæ XXVIII. significationem שכר non ad unicum dactylorum vinum circumscribit; sed vult, vocem genericam esse ad liquores omnes, qui possunt inebriare, sive frumento consient, sive hordeo, sive pomis. Paraphrastes Chaldæus Onkelos שכר *vinum vetus* exponit, laudatumque versiculum tertium ita interpretatur:

מחמר חדת ועתיק יזר חל־ דחמר חדת וחל דחמר עתיק לא ישתי:

A vino novo, & veteri separetur; acetum ex vino novo, & acetum ex vino veteri non bibat.

Habet hæc Paraphrasis viros Eruditos, quibus illius interpretatio arridet præ ceteris. Supponunt, ab hac interpretatione Onkelos superfluam significationem Hebræo fonti attribui; horum enim verborum מיין ושכר יזיר sensus esset: *à vino, & vino veteri abstinebit*, repetitione prorsus inutili; nam qui vinum dicit, omnem naturalis vini speciem designat: Reponent; verum quidem esse in nostro idiomate usu non esse receptas repetitiones juvenusti sermonis; at secus rem esse apud Hebræos, à quibus eadem res pluribus synonimis sæpius effertur. Plura ad id confirmandum exempla congerunt. Quod propius rei, de qua agitur, videtur accedere est versiculus undecimus Oseæ capitis IV., ubi legitur: יין ותירוש יקח לב *vinum, & vinum dulce* (ebrietas habet Vulgatus Interpres) *aufert cor*. Cur igitur, inquiunt, à Moyse eodem pacto dici non potuit, Nazaræus non bibet vinum, & vinum vetus? Quum præsertim apud Hebræos vinum in varias species distinguatur, in mustum scilicet, seu vinum dulce, quod exit è torculari, dictum ab ipsis תירוש *Thirosch*, & etiam עסיס *Hasis*; in vinum recens, quod fœcibus suis adhuc subsidens, servabatur in lacu, seu cisterna subterranea, quæ de more in vinea erat, & torculari proxima, quod vinum dicebatur יין *Jain*; & in vinum denique defæcatum, quod in lagenis peculiaris, ac probe obturatis includebatur, & dictum erat חמר *Chemer*, vel סבא *Sobe*. Quare vocem שכר *Schechar* ad hanc tertiam speciem putant referri, quum sit à radice שכר *Schachar*, quæ significat *inebriatus est*.

(63) Nazaræus tanquam Deo consecratus, ab omnibus quidem immunditiis debebat cavere, sed non sub præcepto seperendi dies Nazaræatus sui. Debebat tamen illos repetere, si super mortuum immundus evaderet. Si tangeret nempe hominis cadaver, aut ossa ejus in agro reperta; item si ad quodcumque funus, Patris etiam, & Matris se conferret; si domum intraret, in qua defunctus jaceret, aut tangeret vasa libitinaria; denuum si quis coram eo vel fortuito moreretur. Quodcumque ex his Nazaræo accidisset, coma ejus polluebatur, & ob immunditiem contractam votum continuare non poterat, sed tenebatur statim capillos radere, à quorum tonsione dies purgationis ejus incipiebant. Rursus die septimo radi debebat, quia capilli etiam à die purgationis crescentes, profani erant; atque adeo non poterant Deo offerri, & in ejus honorem cremari. Volunt quidam Hebraizantes, caput Nazaræi non radendum fuisse die primo purgationis, sed tantum septimo, quoniam verba Hebraici textus, ut modo habemus, sic pressius reddi possunt: *Radet caput suum in die purificationis suæ, in die septimo radet illud*. Sed Vulgatus Interpres bene intellexit subaudiendam esse in Hebræo ו *Vau* copulativam; nam verosimile non est, Nazaræum usque ad septimum diem in pollutione sua permansisse. Denique advertendum est, hactenus nos sermonem habuisse de Nazaræo dierum; nam Nazaræus sæculi nunquam radebatur, quomodocumque pollueretur, ut inquit Menochius.

(64) Exempla, quæ adducit Sigonius, ad Nazaræatum sæculi referuntur. Si quis exemple Nazaræatus dierum desiderat in Sacris literis, ea, ut fere omnes Interpretes sentiunt, in Actibus Apostolorum occurrunt capite XXI., ubi S. Jacobus cum senioribus suadet Apostolo, ut pecunias daret quatuor viris, qui votum in Templo consummaturi, oblationes non habebant in promptu: ut præsertim hoc facto opinionem amoveret de se conceptam, quod a Judaicis ritibus animo esset alieno: *Hoc ergo fac, inquiebant, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor* εὐχὴν ἔχοντες ἐφ᾽ ἑαυτῶν *votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita; & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt; sed ambulas & ipse custodiens Legem.*

Neque enim pauperum erat votum Nazaræatus perficere; nam in Nazaræorum sanctificatione non tenues sumptus erant decreti, quibus agnum, agnam, arietem, placentas, & lagana sibi compararent. Hinc apud Maimonidem legimus in Tractatu de Nazaræatu capite VIII. liberalitatem fuisse haud infolitam divitum Judæorum, impensas aliquando suppe-

bibes vinum, & siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua. De Samuele primo Regum Anna vovit filium Deo his verbis: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* De Jacobo sic Egesippus, teste Clemente Alexandrino: *Ex utero matris suæ Sanctus fuit, vinum, & siceram non bibit; sed neque animal manducavit: ferrum in caput ejus non ascendit.* Ceterum de voto ejusmodi sanctificationis præclare scripsit Philo in libro de Sacrificiis: *Cum aliquis, inquit, sacravit omnium rerum suarum primitias, ac decimas, non habens amplius materiam, in qua pietatem exerceat, (65) se ipsum dedicat: ideo magnum hoc votum appellatur; nihil enim quispiam possidet se ipso pretiosius, qua possessione tunc ceditur.* Hujus *voti reo præcipiuntur hæc: primum, ne mero utatur, aliove potu ex uvis facto; deinde ad præstitutam diem rite offeret tres votivas victimas, agnum, agnam, & arietem, illum in Holocaustum, illam pro peccato, arietem vero in salutis Hostiam; nam voventi conveniunt hæc omnia; Holocautoma, quia non sua solum, sed se quoque Deo dicat; pro peccato victima, quia homo cum sit, quantumlibet perfectus, peccato non caret; pro salute autem, quia salutem suam acceptam refert Deo vero Salvatori.*

CAP. IX.

De Prophetis.

SEquuntur homines, qui (66) spiritu divino repleti Hebræis jussu Dei futura bona ma-

peditare hujusmodi votum suscipientibus: *Si quis dixisset*, inquit Maimonides loco laudato, *ecce ego impendam in Nazaræo, ut radat caput, tenebatur impendere. Quod si quis dixisset, se velle dimidium tantum impensæ in victimas faciendæ præstare, Nazaræus quod erat reliquum præstabat.*

(65) Inter religiosos viros, qui se ipsos Deo dedicabant, censendi sunt Rechabitæ, qui veluti Nazaræi perpetui, vino tota vita abstinebant. Qui antiquissimam originem Rechabitis assignant, illam repetunt à Cinæis, qui parvo numero ætate Moysis Madianitidis portionem tenebant. Jethro enim socer Moysis, qui Judicum I. 16. Cinæus appellatur, totaque ejus familia, propria regione relicta, Hebræisque in terram promissionis tendentibus accedentes, in Chananitidem ingressi sunt, & circa mare Mortuum eorum sedes posuere. Ibi agrestia vitæ genus docentes, neglectis urbium, & domorum commodis, in specubus, locisque subterraneis habitabant, aut nullas certas sedes habentes, modo sub tentoriis, modo in nemoribus palmiferis, vitam agebant. Vox קין *Cin*, unde Cinæi dicti erant, *nidum* significat; atque adeo nil aliud insinuat nomen Cinæi, quam viros in adiculis se recipientes. Volunt præterea veteres Cinæos ex Jethro prognatos, vino abstinuisse, quod probant ex facto Jahel uxoris Haber Cinæi. Jahel enim fugientem Sisaram in suo excepit tentorio, à qua quum Sisara Princeps exercitus Regis Jabin, aquam petiisset, pro aqua lac à Jahel recepit: *Dixit ad eam: da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde. Qui aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere.* Judicum IV. 19.

Sed alii serius assignant Rechabitis originem, quippe qui illorum faciunt auctorem Jonadab filium Rechab, qui sub Jehu Rege Israel vivebat, hoc est ab anno Mundi 3120. usque ad 3148., quo tempore, ut diximus in laterculo chronologico Regum Israel, Jehu in Samaria regnabat. Jonadab ergo ejus posteritati præcepit, ut in tentoriis habitarent, & abstinerent à vino, vacarentque a colendis agris, solos eos fructus illis permittens, quos aut terra sponte gignit, aut pastoribus greges suppeditant: *Jonadab filius Rechab pater noster*, sic inquiunt Rechabitæ apud Jeremiam capite XXXV., *præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.*

Posteri Jonadab paruerunt ejus præceptis ultra spatium CCC. annorum. Ultimo enim anno Joachim Regis Juda, quum Nabuchodonosor totam late regionem circa Jerusalem depopularetur, Rechabitæ in Urbem se receperunt, pristino tamen more commorandi sub papilionibus retento. Interim Deo jubente Jeremias Rechabitas deduxit in Templi cellaria, ubi vinum servabatur pro sacrificiis, oblatoque illis vino invitavit ad potum. At illi: *Non bibemus vinum*, dixerunt, *quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Obedivimus ergo voci ejus, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, & filiæ nostræ.*

A Rechabitarum dictis arripuit occasionem Propheta Judæos objurgandi, qui mandata Dei non servabant, quum contra Rechabitæ præceptis ab homine impositis à tanto tempore obtemperabant. Hinc flagellum Judæis imminens verbis Dei annunciavit; & converso ad Rechabitas sermone ait: *Hæc dicit Dominus: Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcepit vobis: propterea non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

Quibus verbis opinor à Jeremia significari, Rechabitas in posterum servitiis Templi applicandos fuisse: & quamquam ex Levitica Tribu genus suum non ducebant, divina tamen voluntate per os Prophetæ manifestata videntur ad munera sacræ Ædis destinati: *Non deficiet de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Rechabitæ igitur, qui hactenus in agris palantes vixerant, procul ab urbibus, & à muniis Reipublicæ alieni; se in Urbem recepti Templo deputantur. At quodnam officium in Templo obirent, variant Eruditorum sententiæ. Illos præfero, qui Rechabitas putant Janitorum præcipue, & Cantorum etiam ministerio addictos fuisse. Commodum muneri januæ tuendi, Rechabitæ, si quæ alia Gens, erant maxime idonei; quum sub tentoriis cubarent, & vinum non biberent. Quare cum Tribu Juda, & Benjamin haud multo post Babylonem deportati, inde reduces pristino muneri fuerunt in secundo Templo restituti. Legitur enim I. Paralipomenon II. 55. *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Jabes, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore* (in Hebræo מחמת *Mechammath*) *patris domus Rechab.* Hi Rechabitæ *canentes* &c. dicuntur in textu Hebraico תרעתים *Thirhathim* Chaldaice *Janitores*, שמעתים *Shimhathim*, *obedientes*, שוכתים *Suchathim*, *in tabernaculis habitantes.*

(66) Prophetæ nomen variis modis accipitur. Primo modo illi vocantur Prophetæ, qui divino spiritu afflati, & ad aliquem sive Regem, sive populum missi, veluti legatione Dei fungentes, futura illis prænunciaverunt. Hæc acceptio est omnium maxime propria, & Prophetarum hoc genus solummodo sexdecim locum habent in Canonis parte, quæ Prophetas complectitur, quorum quatuor dicuntur Majores, quod prolixius scripserunt, reliqui Mi-

malave prænunciarunt : quos primo (67) Videntes, deinde Prophetas dixerunt, ut scriptum est libro primo Regum capite nono: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*. Ut autem reliquos tutores se daturum Hebræis Deus ostendit, sic præcipue quoque Prophetas ex medio illorum excitaturum promisit. Quin etiam antequam Prophetas lege promissos mitteret, multos quoque Patres spiritu Prophetico exornavit, ut (68) Abraam, Isaac, Jacob, & Joseph : quorum vaticinia extant sacris literarum monumentis consignata, neque multo post etiam inter exteros (69) Balaam, & Job, aliosque nonnullos eo munere insignivit.

Primum autem Prophetam, eumque omnium

Minoret, quod brevius. Dividunt enim Hebræi in tres partes universam Sacram Scripturam; in תורה *Thora* Legem; נביאים *Nevim* Prophetas; & כתבים *Chetuvim* scripta cetera, quæ Græci vocant ἁγιόγραφα.

Secundo modo Prophetas vocamus illos, qui licet non prænunciaverunt futura, solumque divinas laudes cecinerunt, Psalmos facientes, & Cantica; divina tamen inspiratione scripsere. Ita dicuntur Levitæ Cantores Asaph, Eman, & Ethan prophetasse coram Domino in citharis, & vasis musicis I. Paralipomenon XXV. Horum autem prophetare nihil aliud erat, quam canere divinas laudes; namque eodem capite appellantur doctores, & sapientes ad melodiam in cantu Domini. Abulensis in caput V. S. Matthæi quæst. 90. ad hanc classem Prophetarum Davidem refert, quippe qui non prænunciabat futura, ut Isaias, Jeremias, Elias, Elisæus &c., & quum occulta scire vellet, Dominum per Sacerdotes consulebat, sicut bis eum consuluit per Abiathar Sacerdotem magnum I. *Regum* XXIII. & XXX. Et quando Deus illi aliquid significare volebat, illud non per se ipsum, sicut Prophetis; sed Prophetæ alicujus ministerio eidem significabat; sicut bis factum est per Nathan II. *Regum* VIII., & XII., & semel per Gad Prophetam II. *Regum* XXIV. Vocatur tamen David Propheta κατ' ἐξοχὴν per excellentiam, quod omnibus Prophetis, qui Psalmos canebant, excellentior esset : & sicut illi Levitæ Cantores aliquando in eorum Psalmis prædicebant futura, loquente Deo per illos; ita Deus per David multo plura prædixit ad Messiam præsertim spectantia : unde legitur II. *Regum* XXIII. *Hæc sunt verba David novissima . . . . . . Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*. Quamobrem S. Ambrosius Sermone ultimo de Epiphania vere dixit, Davidem plus præ ceteris Prophetarum de nuptiis naturæ divinæ cum humana cecinisse. Et Thalasius in Epistola ad Johannem Presbyterum, & Anachoretam, illum nominat virum Dei afflatu illustrem in Regibus Prophetam, & in Prophetis Regem.

Tertio modo appellantur Prophetæ, qui Deo inspirante quoscumque libros Sacros scripsere, licet futurorum prædictiones non contineant, sed solas rerum gestarum historias. Hoc sensu scripsit S. Hieronymus in Prologo Galeato: *Secundum Prophetarum ordinem faciunt* (idest Hebræi) *& incipiunt ab Jesu filio Nave : qui apud eos* יהושע בן נון Josue ben Nun *dicitur. Deinde subtexunt* שפטים Sophetim, *idest Judicum librum, & in eundem compingunt Ruth : quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia. Tertius sequitur* שמואל Samuel, *quem nos Regum primum, & secundum dicimus. Quartus* מלכים Melachim, *idest Regum, qui tertio, & quarto Regum volumine continetur*.

Quarto modo possunt aliter distingui Prophetæ, alios dicendo cum S. Augustino Præfatione l. XIX. contra Faustum, Judæorum Prophetas; alios Ethnicorum, Christianorum alios. De Prophetis Judæorum loquuti sumus. Prophetæ Ethnicorum sunt illi, qui inter Gentes futura prædixere. Fuerunt enim inter illos aliqui veri Prophetæ, exempli caussa Balaam, qui fuit de Ammonitis, & venit contra Judæos, ut malediceret eis, *Numerorum* XXII., & XXIII. cujus Prophetiam scripsit Moyses *Numerorum* XXIV. Et ille Propheta apud Cretenses, cujus verba allegat S. Paulus ad Titum cap. I. 12 *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*. Et sequitur : *Testimonium hoc verum est*. Epimenides creditur ab Apostolo significari, qui Cicerone lib. I. de Divinatione, & Diogene Laertio testibus, ut Propheta a suis habitus est, & librum scripsit de Oraculis. Prophetæ demum Christianorum Apostoli fuerunt, & Apostolici viri, de quibus Christus Jesus dixit : *Ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas*. *Matthæi* XXIII., & quorum multitudo erat in Ecclesia post illapsum Spiritus Sancti, ut Joel prædixerat. Vide Actuum Apostolorum caput secundum.

(67) Quum duo potissimum Prophetæ præstaret, occultas scilicet res certo, & perspicue cognoscere, & easdem manifestare, quibus Deus volebat : hinc duo nomina fluxerunt, quibus viri illustres a Deo vocati sunt; dicti primum חוזים, vel רואים *Videntes*, & deinde נביאים *Prophetæ*, à radice nimirum נבא *annunciavit*. Utrumque munus in eorum profanis Vatibus agnoverunt Ethnici quoque; & Virgilius Æneidum VI. de Sibylla ita cecinit:

. . . . Bella horrida, bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

Mox Sibylla ad Æneam;

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint &c.

(68) Quinque Prophetas ante Moysis ætatem enumerat S. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I., nempe Adamum, Noë, Abrahamum, Isaacum, & Jacobum. Apud Cotelerium in notis ad Constit. Apost. lib. IV. cap. 6. extat fragmentum S. Epiphanii, quod protulit ex MSS. Regiis, in quo numerantur ex utroque Testamento Prophetæ LXXII., & Prophetides decem. Judæi in libro *Megillah*, Prophetas octo supra quadraginta, & septem Prophetides agnoscunt.

(69) An Balaam fuerit Propheta Dei, an Ariolus, & magicis artibus deditus, non solum inter Recentiores sacrarum literarum Interpretes; sed etiam inter Sanctos Patres non convenit. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. & 6. de Adorat. in Spir. scelestum, Magum, idololatram, & falsum Prophetam illum nuncupat, qui verum numquam, nisi invitus, protulerit. S. Ambrosius Epist. L. 1. clas. novæ Edit. eum Caiphæ comparat, qui imprudens Prophetam egit. His non dissimilia habet Origenes, Theodoretus, & alii. At S. Hieronymus Quæst. Hebr. in Genes. sentire videtur Balaam verum Deum novisse, cui aras erexit, fuisseque verum Prophetam, licet pravis moribus obnoxium. S. Augustinus lib. II. de divers. quæst. ad Simplicium art. 9. hanc non solvit quæstionem, tantumque ait, Balaam ex iis futurum, qui supremo judicii die Domino dicent : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Imo statuunt Sancti Hieronymus, Chrisostomus, Nyssenus, & alii, fuisse Discipulos, & Posteros Balaam Magos illos, qui ad Christi Jesu Præsepe sese contulerunt, edocti novum Regem, & Servatorem appariturum in Israel, quum primum novum sidus conspexissent.

nium præstantissimum, dedit Moysem; de quo sic loquutus est Numerorum XII. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis* (70) *servus meus Moyses: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Post Moysem inde alios se excitaturum ostendit, atque etiam excitavit; ut ipse Moyses testatur XVIII. Deuteronomii: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad vos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderet: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum,* & ibidem dicit Moyses: (71) *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies,* & XXXIV. *Et non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses.*

Hic vero spiritus Propheticus, quo Deus præcipue Moysem ipsum afflavit, à Moyse ad Seniores LXX. translatus est, ita ut & ipsi vaticinium edere cœperint. Quod declaratur Numerorum XI. *Venit Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum; descenditque Dominus per nubem, & loquutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, &* (72) *dans septuaginta viris; cumque requievisset in eis spiritus,* pro-

(70) Quid Moyses differat ab aliis Prophetis, hic locus ostendit. Moysi Deus loquebatur פה אל פה *ore ad os*, idest tamquam præsens cum amico loqui soles. Ceteris vero Prophetis per ænigmata, & per obscuras rerum imagines, & similitudines, cujusmodi sunt olla succensa Jeremiæ, currus Ezechielis &c.

Ut ista explicent Judæorum Magistri, similitudinem à speculo solent desumere. *Per decem specula*, inquit Rabbi Jehudah in Vajikra Rabba, *viderunt Prophetæ; Moyses autem vidit tantum per speculum unum.* Imo afferunt, Moysem præcelluisse aliis Prophetis quinque privilegiis. Primo quod Deus Moysi per se; aliis per Angelum, loqueretur. Secundo aliis noctu; Moysi interdiu. Tertio alii audientes verba Dei horrore concutiebantur; Moyses nihil tale patiebatur. Quarto Moyses prophetabat quando volebat; ceteri quum afflaret eos spiritus. Quinto demum reliqui prophetabant per somnia, aut visiones; Moyses vigilans, & stans. Verum hæc partim vera esse, partim falsa, partim etiam futilia, nemo non videt.

(71) Ad successionem Prophetarum refert Sigonius hunc locum Deuteronomii XVIII. 17.

נביא מקרבך מאחיך כמני יקים לך יהוה אלהיך אליו תשמעון׃

Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies: vultque per hæc verba significari alios Prophetas post Moysem Deum excitaturum populo suo, quos in occultis rebus posset consulere. Ita etiam recentiores Judæorum Magistri hunc locum exponunt, volentes נביא *Prophetam* per enallagen positum esse pro נביאים *Prophetis* modo hoc, modo illo tempore suscitandis.

Sed diligentius attendendum est ita de Prophetis hunc locum esse accipiendum; ut maxime tamen & in primis de Christo intelligatur esse exaratum. Ita enim firmiter ætate Christi id persuasum erat, ut Judæis hanc interpretationem vulgo receptam Apostoli asseruerint, illis non abnuentibus. S. Petrus in concione habita in Templo post restitutam claudo sanitatem, dicit in Jesu fuisse tandem completum, quod olim Moyses ipsis promiserat, futurum nempe, ut *Prophetam suscitaret vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me.* Actuum III. 22. S. Stephanus de Christo Jesu hunc locum intellexit, quum dixit Judæis: *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis.* Actuum VII. 37. S. Philippus Nathanaelem alloquens hoc idem de Christo testatus est: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth.* S. Johannis I. 45. Turbæ denique prodigio multiplicationis quinque panum sufursata, affirmare una voce non dubitarunt, Jesum esse Prophetam promissum Moysi. *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Neque enim alibi usquam in universa Scriptura Christus sub *Propheta* nomine promissus fuit. Nec insuper quisquam alius præ Moyse Christo fuit similior, sive officium Moysis spectes, qui fuit sequester inter Deum, & populum; sive ejus dignitatem, qui Legem populo dedit; sive miracula, quæ maxima imprimis edidit; sive demum excellentiam, qua Deum facie ad faciem cognovit, familiariter cum ipso versatus. Hinc Christus ipse objurgans infidelitatis Judæos, ad Moysem provocat: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*

Si veterum Sanctorum Patrum sententias exquirimus; non aliter adductum Deuteronomii locum sunt interpretati. Unum S. Athanasium satis sit legere pro cunctis, qui libro secundo contra Arianos scripsit turpiter labi referentes ad alium, præter Jesum Christum, quod Moyses de Propheta post se venturo pronunciat.

Enimvero si opponas cum recentioribus Judæorum Magistris, qui ab antiquorum sententia licet tunc unanimi, immane discrepant, laudatum Deuteronomii versiculum ad Messiam referri non posse; nam populus tum non Messiam, sed Moysem Mediatorem petebat. Respondeo hanc sane fuisse populi petitionem; sed Deus spectans intimum eorum cordis affectum, qui ad promissum Verbum salutis tendebat, dedit responsum per Moysem non secundum petitionem exterius sonantem, sed secundum desiderium flagrans interius. Quare licet populus timens Domini vocem Moysem Mediatorem petivit; Deus tamen qui miseratione sua supplicum preces excedit & vota, arripuit hinc occasionem venturum Messiam prædicandi Prophetam de Gente Judæorum, sicut Moyses erat, quem deberent audire.

(72) Non sensus est, spiritum, qui erat in Moyse, divisum fuisse, ut partem Moyses haberet, partem LXX. illi viri, qui ad regimen populi erant admoti: sed sacer textus significat productum fuisse de thesauris donorum Dei, spiritum similem illi, qui in Moyse erat, & datum LXX. Senioribus, tum ut futura prædicerent, & aperirent occulta; tum ut dubia explicarent, vel ad dicendum jus populo, vel ad religionem, & cærimonias spectantia; tum denique ut divinas laudes repente, & ex impulsu Dei extra ordinem canerent. Quare spiritus Moysis in LXX. viros derivatus, minime fuit in eo imminutus: sicut è lumine unius candelæ, plures sine sui luminis imminutione accenduntur; qua similitudine utitur Origenes Homilia VI. in Numer., & Theodoretus quæst. X. in Numer., aliique post illos.

prophetarunt, (73) *nec ultra cessarunt; remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant, cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nunciavit Moysi, Eldad, & Medad prophetant in castris. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, quando det eis Dominus spiritum suum?*

Tempore inde Judicum mentio fit (74) Deboræ cap. IV., quæ Prophetis fuisse, atque una populum judicasse dicitur; & VI. alterius cujusdam his verbis: *Populus clamavit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas, qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus.*

Demum Samuel prodiit, qui omnes ea gloria superavit, cujus tempore *Sermo Domini erat pretiosus, non erat visio manifesta*. Regum primo, cap. tertio: *Abiit Samuel, & dormivit, & vocavit eum Dominus ter, & dixit: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. Crevit inde Samuel, & Dominus erat cum eo, & cognovit universus Israel, quod fidelis esset Propheta Domini*. Ab illo inde ordinarium quoddam quasi (75) Prophetarum Collegium extitit, ita ut in singulis ætatibus, & Civitatibus greges Prophetarum invenirentur. Unde XXVIII. primi Regum: *Saul consuluit Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*. Convenerunt autem ad Samuelem multi, scripturæ exponendæ studio se dicantes, quibus ille præfuit: atque ex eis aliquot Deus suscitavit, qui Prophetæ officium exercerent. Itaque post Samuelem perpetua successione Prophetæ fuerunt usque ad Malachiam, tempore Darii, cum Templum est restitutum. De conventu autem virorum ad Samuelem, & ut eos Deus inspiraverit, sic X. primi Regum, ubi Samuel ita loquitur ad Saulem: *Venies in collem Dei, ubi est statio Philistæorum; &, cum ingressus fueris ibi Urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de Excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*, & paulo post: *Venerunt ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obvius est ei, & insiluit super eum spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum. Videntes autem eum omnes, qui noverant eum heri, & nudius tertius, quod esset cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis?* (76) *num & Saul inter Prophetas?* & XIX. *Misit Saul ad Ramatha, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nunciatum esset Sauli, misit & alios Nuncios; prophetarunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios Nuncios: qui & ipsi prophetarunt. Et iratus iracundiâ Saul abiit etiam ipse in Ramatha, & factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat usque dum veniret in Najoth; & exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis; & prophetavit cum ceteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die illa & nocte. Unde & exivit proverbium, Num & Saul inter Prophetas?* Ergo post Samuelem magnus fuit Prophetarum proventus, quorum omnium nomina non sunt literis prodita. Indicat caput II. quarti Regum, in quo scriptum est: *Helias sic alloquutus est Heliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel; cumque descendissent Bethel, egressi sunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel*. Item: *Sede hic, quia Dominus misit me in Hierico; cumque venissent Hierico, accesserunt filii Prophetarum, qui erant in Hierico*, & post: *Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Ierunt igitur & quinquaginta filii Prophetarum: & sequuti sunt eos*. Et post raptum He-

(73) *Prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Textus Hebraicus horum verborum: *nec ultra cessaverunt*, ad duas interpretationes oppositas potest adduci. Legitur enim ולא יספו *Velo jasaphu*; quod verti potest hoc modo: *& non cessaverunt*, idest prophetare: & etiam hoc modo: *& non addiderunt*, idest prophetare: nam verbum יסף non solum *cessare* significat, sed etiam *addere*, quorum sensuum exempla in fonte non raro occurrunt. Et re quidem vera utramque oppositam Versionem apud Interpretes legimus. Paraphrastes Onkelos habet sensum Vulgatæ, nam Chaldaice reddidit: *Prophetare cœperunt*, ולא פסקין *& nequaquam cessaverunt*. At LXX., quibus Syriaca Versio consentit, habent: *Prophetaverunt*, καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο, *& non ultra adjecerunt*.
Hæ autem interpretationes licet videantur contrariæ; censentur tamen intrinsecus ambæ inter se convenire. LXX. Seniores non cessaverunt prophetare, quia ratione deputationis divinæ spiritus prophetices illis aderat, quoties ad populi bonum lumine indigerent prophetico: Et non ultra adjecerunt prophetare, quod numquam reliquo vitæ tempore, illo miro, & inusitato spiritu fuerunt correpti, quo prima vice prophetaverant.

(74) Debora Prophetis uxor Lapidoth concinne Apis interpretatur; nam ut Apis casta & industria, suis mellea fuit, hostibus aculeata. Ipsa enim sedens sub palma inter Rama, & Bethel, hoc est in confiniis Tribus Benjamin, ubi Rama; & Tribus Ephraim, ubi Bethel, populum judicabat. Ipsa etiam Barac coegit jussu Dei exercitum 10000. virorum ad Thabor adducere, victoriam pollicita in Sisaram Ducem exercitus Jabini; & renuente Barac hoc bellum suscipere, nisi adesset Propheta; Debora adfuit; sed futurum prædixit, ut non ipsi Barac, sed feminæ tribueretur victoria. Hoc Deboræ vaticinium eventus liquido comprobavit: nam Jahel uxor Heber Ciuni, Sisaram se receptum in illius sectorium, & somno oppressum, adacto cervicibus clavo, interfecit. Vide Judicum IV.

(75) Apud Hebræos erant Prophetarum Collegia, in quibus aliquis eximius Propheta præerat, pollens auctoritate, & lumine occulta cognoscendi, & ceteros erudiebat, nunc hoc, nunc illud de divinis mysteriis illos informans. Qui vero Prophetam docentem audiebant, בני נביאים *filii Prophetarum* dicebantur, idest Prophetarum Discipuli.

(76) Hoc proverbium de eo dicitur, qui præter hominum expectationem, aut à Deo impellitur ad aliquid agendum, vel ab aliquo præstando cohibetur divinitus; quod spectat ad summam laudem omnipotentiæ Dei, quum scilicet volumus ostendere ipsum multa facere præter quam opinamur. Hinc populus stupore percitus, quod Saul videret in Najoth prope Ramatha ex inspetato prophetantem inter Discipulos Samuelis, quo profectus erat, ut Prophetam occideret, dicere cœpit; *Num & Saul inter Prophetas?*

Heliæ: *Videntes filii Prophetarum, qui erant in Hierico, dixerunt: Requievit spiritus Heliæ super Helisæum*. Nomina vero Prophetarum, qui sub Regum imperio, aut in servitute Babylonica floruerunt, hæc ferme fuere: Gad, Nathan, Asaph, Idithun, Ahias, Samajas, Jad, Azarias, Haoani, Jehu, Jaziel, Eliezer, Zacharias, Helias, & Helisæus; quorum nullius extant vaticiniorum editi Commentarii. At (77) qui Prophetias suas memoriæ prodiderunt, fuere, Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias; qui minores Prophetæ dicuntur, quod breviores vaticiniorum libros reliquerint: & Isaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel; qui majores appellantur, quod volumina Prophetiarum grandiora conscripserint. Hi vero de calamitatibus, quæ Regnis Israël, & Judæ venturæ erant, prædixerunt; multaque de Christo venturo adjecerunt, quorum finis fuit in Malachia, qui Præcursorem Christi ita prænunciavit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Neque inde usque ad Joannem Baptistam ab illo prædictum, insignis ullus Propheta in populo Judæorum est numeratus.

Quoniam autem de Prophetis dicere cœpi, quos præcipue adibant, cum Deum ipsum consulere cupiebant, ut hæc dilucidior disputatio fiat, placet de universa quoque consulendi Dei ratione adjungere. Consuluere ergo Deum Hebræi maxime per oraculum. Oraculum autem tum consuluere dicebantur, cum ad Propitiatorium Arcæ fœderis accedebant, atque ibi Deum rogabant, & ille respondebat; quod ipse Exodi vicesimo quinto admonuerat, ubi sic loquitur ad Moysem: *Loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam Testimonii, cunctaque, quæ mandabo filiis Israël*. Quod vero tum præcepit Deus, ut fieret, id post fecit Moyses Numerorum septimo: (78) *Cumque ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super Arcam Testimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei*, item Judicum primo: *Consuluerunt filii Israël Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?* dixit-

---

(77) Utile erit hoc loco Chronologice Prophetas censere, quorum scripta in Canonem reperiuntur illata, ut cognoscere possit B. L. quo ordine Prophetæ tum Majores, tum Minores oracula eorum fuderunt. Quare sit:

LATERCULUM CHRONOLOGICUM
Sexdecim Prophetarum, quatuor nempe Majorum, & duodecim Minorum.

1. OSEE, sub Ozia Rege Judæ Prophetam agere cœpit; atque munus illud sub Joathan, Achaz, Ezechia, Regibus Judæ, & sub Jeroboamo II. Rege Israelis, & successoribus usque ad excidium Samariæ prosecutus est.
2. AMOS, Propheticum munus inivit anno 23. Oziæ A. M. 3219., & 6. annis circiter ante obitum Jeroboami II. Regis Israelis, qui contigit A. M. 3220.
3. ISAIAS vaticinari cœpit ab obitu Oziæ, & ineunte Regnum Juda Joathan A. M. 3246. Sub Manasse, qui Regnum adivit A. M. 3306. vitam, & munus absolvit, supplicio serræ absumptus.
4. JONAS, in Regno Israëlis sub Joas, & Jeroboamo II. florebat, circa idem tempus, ac Osee, Isaias, & Amos. Jeroboamus II. obiit A. 3220.
5. MICHÆAS, sub Joathan, Achaz, & Ezechia Regibus Judæ. Porro Joathan Regnum inivit an. 3245., & Ezechias an. 3306. vitam absolvit. Isaiæ synchronus fuit, quamvis in munere prophetandi posterior.
6. NAHUM, sub Ezechia, & post expeditionem Sennacherib post an. 3291. in ditione Juda oracula fudit.
7. JEREMIAS an. 13. Josiæ Regis Juda, M. an. 3375. ministerium inivit; quo etiam tempore Sophonias celebrabatur. Sub Sellum, Joachim, Jechonia, & Sedecia usque ad captam per Chaldæos Hierosolymam, an. M. 3416. munus prosequutus est. Biennio post, in Ægypto vitam absolvisse creditur. *Baruc* Discipulus, & a secretis Jeremiæ fuit.
8. SOPHONIAS, sub initium Josiæ floruit, & ante annum ejusdem Regis 18. M. 3381., quin & ante expugnationem Ninives, quæ an. 3378. contigit.
9. JOEL, sub Osia, circa tempora Jeremiæ, & Sophoniæ.
10. DANIEL, deductus in Chaldæam an. M. 3398. anno 4. Joachim Regis Judæ, Babylone Prophetam egit, usque ad exitum captivitatis an. 3468., & fortasse etiam ultra illud tempus.
11. EZECHIEL, captivus Babylonem adductus, una cum Joachimo Rege Judæ an. M. 3405. ab an. 3409. usque ad 3442., ad exitum nempe Regni Nabuchodonosoris, prophetavit.
12. HABACUC, in Judæa degebat sub initium Joachimi, circa an. 3394., & ante expeditionem Nabuchodonosoris an. 3398. Traductis in captivitatem Judæis, ipse in Judæa subsistens, ad Danielem in lacum Leonum detrusum, cibos detulit.
13. ABDIAS, in Judæa floruit, post captam Jerosolymam, an. 3414., & ante vastatam Idumæam anno M. 3419., juxta nostram supputationem.
14. AGGÆUS, Hierosolymam ductus 3414., è captivitate vero rediit an. 3468., prophetavit tandem anno secundo Darii filii Hystaspis an. M. 3484.
15. ZACHARIAS, eodem tempore, ac Aggæus, longiori tamen, uti quidem conjicimus, temporis spatio, ac ille, munus obivit.
16. MALACHIAS. Hujus Prophetæ nullum certum tempus designari potest, nisi idem, ac Esdras, credatur. Esdras enim tempore regressus Nehemiæ an. 3550., munere Prophetæ fungi potuit.

(78) Summo Pontifici tantum semel in anno solenni Expiationis die licebat in adytum penetrare, ut jam suo loco probatum est: at Moysi Sacerdoti extra ordinem Aaron, Legislatori, & perpetuo Dei ad populum internuncio, licebat semper in rebus tam arduis, tum dubiis intrare in Sancta Sanctorum, ut Deum consuleret, qui ministerio Angeli, ut pluribus Interpretibus persuasum est, personam Dei gerentis, sensibili voce interrogatis dabat responsum. Verba enim sacri textus Numer. VII. 89. adducta à Sigonio ita perspicua sunt, & locutionis circumstantiæ ita manifestæ, ut nisi per vim ad significandam intelligibilem, ut dicunt, vocem, non possint referri. Versiculus Num. hic est:

ובבא משה אל אהל מועד
לדבר אתו וישמע את הקול
מדבר אליו מעל הכפרת אשר
על ארן העדת מבין שני
הכרבים וידבר אליו:

Cumque ingrederetur Moyses Tabernaculum Fœderis, ut consuleret Oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de Propitiatorio, quod erat super Arcam Testimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei.

dixitque Dominus, Judas. Et vicesimo: *Venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo, ubi erat Arca, consulueruntque Dominum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus Dominus respondit, Judas,* & post: *Prius ascenderunt, & fleverunt coram Domino, & consuluerunt eum, dicentes: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ait Deus: Ascende.* Et decimo primi Regum: *Consuluerunt Dominum, utrumnam Saul venturus esset illuc; respondit que Dominus: Ecce absconditus est domi.* Et vicesimo primo secundi: *David consuluit oraculum Domini, dixitque Dominus.* Hæc vero oraculi consulendi ratio, stante solum primo Templo servata est; nam in secundo Talmudici (79) negant Arcam ullam fuisse, sed lapidem, ut dixi, solum è terra tres digitos eminentem.

Excepto vero oraculo consultus Deus respondit modo per Prophetas, modo per Sacerdotes, modo per somnia; unde scriptum est, ut dixi: *Saul consuluit Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Per Sacerdotes autem, idest, per Pontificem, illud, credo, significat, quod tricesimo primi Regum refertur de Abiathar Pontifice: *At David ad Abiathar Sacerdotem: applica ad me Ephod? & applicavit Abiathar Ephod ad David, & consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere; absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Eodem pertinet illud octavi decimi Judicum: *Rogarunt Sacerdotem, ut consuleret Dominum, ut scire possent, an prospero itinere pergerent. Qui respondit eis: Ite in pace.* Hic vero Sacerdos post dicitur habuisse Ephod. Et quoniam scriptum est Exodi vicesimo quinto, institutos esse lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod, & Rationale, addidere Talmudici, lapides Urim, & Thumim, sive Doctrinam, & Veritatem, in Pectorali Pontificis extitisse, quorum conspectu Sacerdotes occulta intelligerent, & populo traderent, dum plus solito prælucerent; nam retento naturali colore, nihil immutandum significasse: atque hos etiam lapides secundo Templo constructo (80) lucere desiisse, ut supra diximus.

De Prophetis jam dictum est. *Olim,* inquit primo Regum, *sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, eamus ad Videntem, idest, ad Prophetam,* & quarti octavo: *Vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?* Inseram hic quoque locum insignem de Prophetis consultis à Josaphat, & Achab Regibus, octavodecimo secundi Paralip. *Congregavit Achab Rex Israel Prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? at illi: Ascende, inquiunt, & tradet Deus in manu Regis. Advocatus inde Michæas primum dixit eadem, deinde adjuratus, ut vera diceret, adjecit: Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala; accessit autem Sedecias, unus de Prophetis, qui prospera nunciarant, & percussit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam transivit spiritus Domini à me, ut loqueretur tibi? dixit Michæas: Tu videbis; inde ad Regem: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me.* Verum Prophetæ quoque post secundi Templi constructionem defecerunt, ut ante diximus.

Somniorum porro ratio fuit hujusmodi. Observationem somniorum Deus prohibuit, divinam in somnis nunciationem negligi noluit; prohibuit autem Deuteronomii octavo decimo: *Nec inveniatur, qui* (81) *ariolos sci-*

(79) Libro secundo annotatione XXXII. adduximus rationum momenta, quibus probatur, Arcam in secundo Templo desideratam fuisse. Quæ vero de lapide fundationis (quem loco Arcæ constitutum in Sanctuario à diebus priorum Prophetarum Thalmudistæ autumant) à Judæis dicuntur, ita flocci pendenda sunt, ut pigeat illa tum referre, tum confutare. Solum adverto Prophetas à Judæis distingui in ראשונים *Rischonim* priores, & אחרונים *Acharonim* posteriores. Priores sunt Scriptores librorum Josue, Judicum, Samuelis, & Regum. Posteriores vero sunt Prophetæ ceteri cum Majores, tum Minores, de quibus supra dictum est.

(80) Hæc est in secundo Templo Urim, & Thummim defuisse, ornamenta scilicet Sacerdotis Maximi maxima, & pretiosissima. Hanc sententiam, qui tuentur, illi putant auctoritatis momentum se invenire in libro I. Esdræ capite II. v. 63., ubi Athersatha, idest Zorobabel (ea enim vox Persica Præfectum significat) noluit sanctificatis dapibus vesci Sacerdotes, qui genealogicis tabulis genus eorum non poterant ex Aaron ostendere. *donec surgeret Sacerdos doctus, atque perfectus,* ut habet Vulgatus Interpres, & eo loci legit Hebræus עד עמוד כהן לאורים ולתמים *donec surgeret Sacerdos in Urim, & Thummim.* At Spencerius in Dissert. de Urim, & Thummim capite VII. putavit multo ante Babylonicam servitutem Oracula illa defecisse; nam sub Salomonis ætatem, eadem, Spencero opinante, siluerunt. Argumentum majoris ponderis, quod profert ad fulciendam ejus sententiam, detumit a silentio Sacræ Scripturæ, in qua post Salomonis tempora nullus legitur Deum per Urim consuluisse, aut Deus ipse ita respondisse. Locum ex Esdra laudatum, quod primæ sententiæ fundamentum probet, ita interpretatur, ut opinioni suæ nec minimum quidem videatur officere. Observat enim vocem עד *had donec* apud Hebræos ad personam fortiter negantem, & ad rem numquam futuram indicandam sæpiuscule usurpari. Exempla profert I. Regum XV. 35., ubi Samuel dicitur non ultra vidisse Saulum עד יום מותו *usque ad diem mortis suæ,* idest Samuel numquam postea vidit Saulum, & alia id genus, quæ sontam scrutantibus non infrequenter occurrunt. Vult igitur Spencerus vocem עד apud Esdram innuere, Urim, & Thummim ante secula tam multa defuisse, quod ea in perditis & desperatis rebus haberentur; unde quum diait Zorobabel Sacerdotibus, ut non comederent de Sancta Sanctorum, *donec surgeret Sacerdos cum Urim, & Thummim,* rem ad Kalendas Græcas denotavit futuram. Sed de hac re incerta, quam quod incertissimum, Erudito Lectori integrum judicium relinquo.

(81) Deus populo suo omne divinationis genus interdicit, sive id fieret per fictas revelationes & oracula, sive per nubium inspectionem, sive ea avium volatu & cantu, sive ex ies- peotibus caperetur. Vetat igitur Moyses consulere Pythones, Ariolos, Necromanticas, Mathematicos, ceterosque opera Dæmonum præstigia efficientes: quæ scelera in terra Chanaan oportet ætate Moysis passim fuisse perpetrata; nam Judæis prohibet non solum per genus, sed per species etiam, omnem superstitiosam divinationem.

fitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec devinos, nec quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Itaque secundo Paralip. tricesimo tertio, Rex Manasses reprehenditur, quod somnia observaret, & maleficis artibus inserviret, & XXIII. Hieremiæ scriptum est: *Propheta, qui habet somnium, narret somnium; & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* De spontanea vero Dei monitione per somnium multa supersunt testimonia. Numerorum duodecimo: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses, ore enim ad os loquor ei: & palam, non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Itaque Gedeon septimo Judicum, somnium se vidisse narrans, expositionem quoque veram accepir; & tertio tertii Regum: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi; & ille: Da mihi cor docile. Igitur ut evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium, profectus Jerusalem stetit coram Arca fœderis.* Hæc autem ratio monendorum hominum servata est à Deo usque ad extremum. Siquidem scribit S. Matthæus: *Hæc cogitante Joseph, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & II. Joël: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem; prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somniabunt.* Naturalium ergo somniorum, ut quæ plerunque incerta sint, & ab incerta caussa proficiscantur, nullam habendam esse rationem, censuit Deus: non autem eorum, quæ ipse immisit. Quod cum fecit, simul etiam id egit, ut homo intelligeret, somnium illud non oportere contemni, sed veri aliquid ab illo portendi, ut ea, quæ Joseph, & Daniel tanta cum laude ingenii conjecerunt.

Quatuor autem modis Deus sive consultus hominibus respondit, sive non consultus verba ad eos fecit; aut enim ipse simpliciter est loquutus, aut per visionem, & somnium alloquutus, aut Angelus simpliciter est affatus, aut per visionem, somniumve affatus. Primi sit exemplum: *Dixit Dominus ad Abraham, Jacob, Josuë.* Secundi: *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, dicens.* Tertii: *Et Angelus Domini de Cœlo clamavit, dicens Abraham.* Quarti: *Apparuit Angelus Domini Joseph in somnis dicens.*

Deum vero verba fecisse interpretantur sacrarum literarum Expositores, cum non verba, quæ auribus percipi possent, fecisse, sed eorum ad quos loquutus est, mentem ita informasse, ut non solum res, tanquam præsentes, oculis cernerent, sed etiam se à Deo divinitus moneri sentirent, & perinde afficerentur, ac si Deum loquentem audirent, & intelligerent, quæ dicerent. Quæ vero hoc modo dicta sunt, Propheria fuerunt, & quibus hæc dicta sunt, Prophetæ vocati sunt. Unde tertio decimo tertii Regum dixit Propheta quidam: *Loquutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi; tum Prophetes quidam ait illi: Et ego Propheta sum similis tui, & Angelus loquutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum, ut comedat panem, & bibat aquam.* Quod autem de verbo Dei dixi, id S. Basilius scripsit in commentario Psalmi XXVIII. *Vox Dei diversa est ab iis vocibus, quæ in sensum aurium cadunt; id enim accidit, cum mens hominum, quibus ille vocem suam tradere vult, visione quadam informatur, perinde atque in somniis; nam ut in his animus noster quorundam veluti verborum notis imbuitur, nulla voce ad sensum aurium accedente, sed ipsa mente quibusdam rerum insignibus informata; sic putanda est Dei vox, quam Prophetæ audisse dicuntur.* Neque vero omnes, de quibus scriptum est: *Dixit Dominus ad eos*, illud a Deo ipso loquente acceperunt, sed à Propheta aliquo, cujus mentem Deus imbuerat, illud hauserunt. Cum autem dicitur Dominus venisse ad aliquem, ea non Prophetia putatur, sed simplex monitio, ut de Laban, & Abimelech.

Prophetæ igitur aut per visionem vigilantes, aut per (82) somnium dormientes edocti de rebus futuris sunt, idque aut per Angelum, aut sine Angelo, visione (ut vocant) imaginaria, excepto uno Moyse, qui sine somnio, & Angelo, visione (ut appellant) intellectuali creditur instructus fuisse, atque ea, quæ edidit, prædixisse. Verum sacer sermo, ut inquit Philo de somniis, aut tanquam rex facienda imperavit; aut tanquam præceptor utiliter instituit; aut tanquam consiliarius opportune eos admonuit, qui sibi ipsi non poterant consilium capere; aut tanquam amicus arcana communicavit, quæ profanos audire nefas erat; aut demum ex quibusdam aliquid requisivit, ut de Adamo. Scriptura vero, quæ semper de Deo loqui reverenter est solita, tamen ut rudes homines erudiret, homini eum comparavit, atque ei membra, motus, & voces, non veritatem, sed utilitatem discentium respiciens, tribuit, quia plerique nequeunt Deum sine corpore cogitare, neque alio modo ad officium se referre, nisi audiant, Deum ire, redire, irasci, ulcisci, ac

(82) Legitur Numerorum XII. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Hinc in proclivi est intelligere, quam falso æque, atque impudenter Maimonides in More Nevoch part. 2. c. 45. Danielem ex albo Prophetarum expungat, ficulneum hoc argumentum in primis urgendo, quod rerum futurarum notitia in somnis fuit imbutus. Hac enim ratione Maimonides munit perfidiam Gentis suæ, quæ serius post excisionem Urbis & Templi, prophetico cognomento Danielem cœperunt spoliare: quod Daniel multo aperte Christi adventum prædixit, quæ ab ipso facienda erant commemoravit, præsignificavit tempus, numerum annorum adscribens, & calamitates enumeravit, quæ Judæos post admissum perfidiæ scelus debebant tenere. Sed mox laudata verba ex Scripturis aperte Judæum confutant, quum Prophetam non faciat hic vel ille modus revelationis, sed ipsa futurorum revelatio divinitus facta: *Prophetæ alii, & maximus quoque Propheta Samuel* (Theodoreti verba sunt Præfat. in Danielem, Judæos veritatis hostes insectantis) *ille à puero Editus, non quemadmodum alii Prophetæ, visionem habet propheticam; sed ipse etiam vel per somnia, vel per quadam sibi interdiu divinitus revelata, præcognoscendi, intelligendi, & prædicendi munere donatus est. Cum illis igitur palam contendite, eosque è Prophetarum cœtu aperte ejicite. Quod si in illos debacchari veremini, in hunc quoque cavete ne calumniam inferatis.* Vide quæ diximus libro III. annotatione LXX.

æ tela ad vindicandos ſceleratos in promtu habere, atque interdum etiam hominem appellare.

CAP. X.

De Scribis.

UT porro Prophetæ voluntatem Dei prænunciarunt, (83) ſic Scribæ legem ejus interpretati ſunt. Hujus autem rei primordia ab ipſo quoque (84) Moyſe ſunt introducta. Is enim alia voce populo tradidit, alia in ſcriptum contulit. Primæ traditiones, ſecunda lex dicta. Quæ vero voce Moyſes docuit, ea primum cum Joſue communicavit, Joſue inde cum Senioribus, Seniores cum Prophetis, Prophetæ cum Scribis. Has traditiones poſterior Hebræorum ſchola (85) Cabalam hiſtoricam appellavit. De traditionibus Moyſis extat teſtimonium S. Lucæ ſexto Actoum: *Audivimus hæc dicentem, quoniam Jeſus Nazarenus*

(83) Scriba Hebraice dicitur סופר *Sopher*, Græce Γραμματεύς, quæ vox non coërcenda eſt inter anguſtias illius ſignificationis, qua uſurpatur a profanis Scriptoribus; ſed tota ea latitudine eſt explicanda, quam habet vox Hebræa סופר, cui reſpondet, Nomen סופר & *Scribam* ſignificat, & *Legisperitum*: at Γραμματεύς proprie *Scribam* denotat; quatenus vero in ſacris literis reperitur, etiam *Legisperitum* importat, ſive Doctores tum Legis ſcriptæ, tum traditionum. Quamobrem non raro conjuncta inveniuntur in Novo Teſtamento iſta nomina γαμματεῖς καὶ φαρισαῖοι, γραμματεῖς καὶ ἀρχιερεῖς, γαμματεῖς καὶ πρεσβύτεροι, φαρισαῖοι καὶ νομοδιδάσκαλοι. Dubitatur tamen ab aliquibus, an γαμματεῖς idem ſint ac νομικοὶ nam inter hæc duo nomina hoc diſcrimen ponunt nonnulli. Γραμματεῖς fuerunt, ut ajunt, Legis Interpretes, ſed qui publice Legem in Synagogis interpretabantur, munere fungentes Eccleſiaſtico. Νομικοὶ vero Legem & ipſi interpretabantur, ſed in Scholis privatim. Quare ſicut Hebrææ voci סופרים reſpondet Græca vox γραμματεῖς; ita Græco vocabulo νομικοὶ Hebraicum חכמים *Sapientes* juxta horum ſententiam refertur. Sed hoc diſcrimen a ſacris literis prorſus excluditur: quandoquidem νομικὸν in illis legimus eum appellari, qui γαμματεύς alibi nuncupatur. S. Marci XII. 28. εἷς τῶν γαμματέων a Chriſto quæſiviſſe dicitur, quodnam præceptum in Lege maximum eſſet. Idem ille qui id quæſivit, apud Sanctos Matthæum XXII 35., & Lucam X. 25. νομικὸς appellatur.

Sed ut nominis סופר latius, qua patet, ſignificationem exponamus, tres hujus nominis acceptiones apud Hebræos animadvertere eſt præſentis operæ pretium. Scriba igitur primò Scriptorem, ſeu virum à ſecretis deſignat, quo munere primores in aula Regum præſertim Juda fungebantur. Ita in Scriptura occurrunt Saraja Scriba Davidis, Elihoreph Salomonis, Sobna Ezechiæ, Saphan Joſiæ &c. Secundò Scriba eſt caſtrorum Præfectus, qui militem recenſebat. Ita in bello, quod in Siſaram inſtituit Barach, adfuerunt Scribæ quidam ex Zabulon, *Judicum* V. 14. Jehiel Oziæ Regis Juda exercitibus præfuit, II. *Paralipomenon* XXVI. 11. Apud Jeremiam Scriba quidam legitur tyrones milites exercens, Jeremiæ LII. 25. Judas Macchabæus Scribis præcepit, ut in ripa torrentis ſtantes, caverent, ne quis militum transmeraret, I. *Macchabæorum* V. 42. Tertio Scriba eſt vir in Lege eruditus, rerumque gerendarum non ignarus, quo nomine plures in ſacris literis laudantur, & præſertim Eſdras commendatur I. *Eſdræ* VII. 6., ubi *Scriba velox in Lege Moyſis* dicitur. De Scribis poſtrema hac ſignificatione ſumptis, quibus munus legendæ & interpretandæ Legis erat commiſſum, in Novo Teſtamento frequens eſt mentio.

Poſtremò aliam acceptionem nominis סופר tradit Salomo Jarchi in Geneſeos XLIX. Scribas ſcilicet dictos fuiſſe etiam illos, quibus pueri inſtituendi mandabantur, inprimis ut ipſos docerent literas pingere, quo officio, Salomone teſte, Tribus Simeon fungebatur. Probat Jarchus in Simeonitas hoc ſcholaſticum munus derivaſſe, ex Jacobæo vaticinio Simeoni & Levi prænunciato: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſraël*; nam quemadmodum, inquit, Tribus Levi nullam propriam hæreditatem & portionem accepit, ſed paſſim habitabat, ſparſa inter reliquas Tribus, victitans ex altari; ita Tribus Simeon nullam propriam Rempublicam conſtituebat, ſed diſſipata per ceteras Tribus, ſibi alimoniam vitæque ſubſidia inſtituendis liberis comparabat. An hoc munere diſtinerentur Simeonitæ, diſquirant pro eorum more Judæorum Magiſtri: nobis hoc unum ex ſacris literis exploratum eſt, illos poſſeſſionem obtinuiſſe in medio hæreditatis filiorum Juda, *Joſue* XIX. 1.

(84) De tempore, quo Scribæ eſſe cœperint inter Hebræos, diverſa eſt Eruditorum ſententia. Alii, quibuſcum Noſter convenit, à Moyſe autumant Scribas primum cœpiſſe, quod Lege promulgata Scribis opus fuit, tum ut illam deſcriberent, tum ut illam interpretarentur. Alii eos referunt ad Davidis tempora, quem volunt munus Scribarum etiam inſtituiſſe, quum Levitarum claſſes, & Sacerdotum diſtribuit, I. *Paralipomenon* XXIV. Non deſunt, qui à Joſaphat Scribas deducunt, quippe qui Sacerdotes, & Levitas miſiſſe legitur ad populum Legem docendum, II. *Paralipomenon* XVII. S. Epiphanius ab incunabulis Sadducæis illos arceſſit; & S. Hieronymus ab Hillele, & Schammai eoſdem derivat. Pluribus arridet eorum ſententia, quæ Eſdram facit Scribarum auctorem. Quod certum eſt, nomen Scribarum סופרים non niſi in libris Judicum primum occurrere, ideſt Judicum V. 14.

(85) Cabbala Hebraice קבלה *acceptionem* ſignificat à radice קבל *accepit*, hoc eſt dictio Cabbala doctrinam importat aliunde acceptam, ſeu auditam. Voci Cabbala relativa eſt vox מסרה *Maſora traditio* à radice מסר *tradidit*; unde ſicut Maſora eſt doctrina tradita, ita Cabbala doctrina accepta nuncupatur. Maſora definitur traditio ſuper ſcriptione, & lectione divinorum librorum; eſt enim doctrina critica à Judæis Maſorethis (hos alii Rabbinos urbis Tiberiadis fuiſſe cenſent, alii viros magnæ Synagogæ ab Eſdra convocatos) inventa circa Hebraicum textum, qua verſus, voces, & literæ ejus numeratæ, omniſque ipſarum varietas notata fuit locis, ut ſic conſtans ejus lectio conſervetur. Cabbala vero definitur doctrina ex ore Dei à Moyſe accepta,

venus hic mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Seniorum horum quoque mentio usurpatur secundo Judicum: *Servierunt Israelitæ Domino cunctis diebus Josue, & Seniorum, qui post eum vixerunt, & noverunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel.* De traditionibus autem eorum loquitur S. Matthæus, & S. Marcus: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Jesus autem respondens ait illis: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Item: *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum.*

Ut vero Moyses primus legem dedit, sic etiam primus exposuit. Indicat id, quod scriptum est in Evangelio de cathedra Moysis, atque inde sequuti reliqui principes in eadem observatione steterunt. Unde Levitici X. scriptum est: *Dixit Dominus ad Aaron*: (86) *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Testimonii, ne moriamini: & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum; doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* Quare Josephus quoque scriptum reliquit secundo adversus Appionem: *Legislator non semel legem suos audire voluit, sed in unaquaque septimana alia opera relinquentes ad legem audiendam congregari, eamque perfecte discere.* Quod idem scripsit quoque Philo lib. III. de vita Moysi. *Moris* (inquit) *fuit, Sabbatis operam dare Philosophiæ, principe antecedente, ac docente, quæ opus facto ac dicto essent, reliquis audientibus, ex quo nunc etiam philosophantur Sabbatis patrio more: nam oratoriæ in Civitatibus Scholæ sunt omnium virtutum, quibus divina humanaque intelliguntur, & corriguntur.* Ex mandato etiam legis septimo quoque anno Levitæ verba legis populo tradere tenebantur.

His ita constitutis successit David, qui ut ceteras Reipublicæ partes, sic hanc quoque formavit. Etenim cum Levitarum numerum iniisset, ex his sexies mille Scribas, ac Judices fecit; cumque mox sacra Levitarum officia familiis distribueret, quasdam etiam super Israël constituit, *ad docendum, & judicandum*, ut XXIII., & XXVI. primi Paralip. continetur. Qui vero hi Scribæ ac Judices fuerint, qui & docuerint, & judicarint, nemo adhuc, quod sciam, ostendit. Græcus autem interpres priore loco eos γραμματεῖς, & κριτάς, posteriore τῷ γραμματεύειν, & διακρίνειν scripsit, quibus verbis duo officia exprimuntur eorum, qui legem interpretabantur; unum ut verba legis legerent; alterum, ut, si opus expositione esset, exponerent. Itaque γραμματεῖς aptius verterentur Lectores, quam vocem Ecclesia quoque Christiana servavit, quam Scribæ. Quod probatur ex III. Esdræ, ubi Esdra dicitur ἀναγνώστης τοῦ νόμου, idest, Lector legis, cum alibi dicatur γραμματεύς, idest, Scriba, & ex decimo S. Lucæ, ubi loquens Christus ad legis peritum, sive Scribam quendam, qui dixerat: *Doce, quid faciens vitam æternam possidebo; respondit, quid est scriptum in lege? quomodo legis?* idest, quomodo profiteris munus interpretis, si hoc nescis, quod sciscitaris? Quin etiam idem cap. V., VI., X., & XI. ejusmodi homines vocavit γραμματεῖς νομικούς, & νομοδιδασκάλους, idest, Scribas legis peritos, & legis Doctores. Quod vero iidem dicantur κριταί, idest, Judices, & διακρίνειν, idest, dijudicare, sive distinguere, id omnino ad interpretationis rationem refertur, quæ dijudicationem, & distinctionem desideravit, præsertim vero in lingua Hebræa, in qua constat, voces paucissimas esse, atque ex notarum, (87) & dispunctionum varietate varias significationes recipere. Probat hoc Philo in eo libro, qui inscribitur, omnes probos esse libe-

---

cepta, quum dies quadraginta, & totidem noctes in monte Sinai commoratus est. Hanc Moyses tradidit oretenus Jusue, Josua septuaginta Senioribus, hi Prophetis, Prophetæ viris magnæ Synagogæ, hi suis per multas ætates successoribus, usque ad illud tempus, quo tandem fuit mandata literis, & confectum inde Thalmud. Hæc scripta sunt juxta sententiam Rabbinorum, qui plerumque sub Cabbalæ nomine magnas nugas, veluti magna negocia, solent agitare; vel quum se futura investigare, vel quum difficiliora Scripturæ loca exponere per eam jactitant.

(86) Notat Hecatæus Abderita in Judaicis, Sacerdotes τὸ παράπαν οἶνον οὐ πίνοντες ἐν τῷ ἱερῷ *omnino abstinuisse à vino in Templo*, quæ profecto consona sunt iis, quæ ex Levitici X. 9. Noster adducit, quamvis nullam distinctionem textus Levitici admittit; volunt tamen Judæorum Magistri licuisse Sacerdotibus in Templo noctu vinum potare, non vero interdiu. Sed quis non videt posse hac distinctiuncula omnem vim Legis pessumdari?

(87) An puncta vocalia in Hebraicis Bibliis addita sint à libri cujusque canonici Auctore, aut etiam an ab Esdra primitus sint adinventa, an demum ferme sexcentis plus minus, ut creditur, à Christo annis, reperta sint a Post-Talmudicis Masorethis, quæstio est à Criticis maximo, si quæ alia, animorum æstu vexata. Nobis illorum magis arridet sententia, qui punctorum vocalium nec Moysem, nec Esdram, nec quemque sacrum scriptorem, sed Tiberienses Masorethas agnoscit auctores. Rationes, ob quas in hanc impellimur, sunt sequentes, quas unice Lectori subjicimus, quum in hac ratione scribendi non liceat singula excutere, quæ ex adverso proferuntur. Annotationes enim scribimus, in quibus potiora, quæ videntur, delibamus; quæstionesque exhaurire præ illarum brevitate non integrum est.

I. Id probatur à Judæorum more, qui ab omni retro antiquitate in eorum Synagogis obtinuit, publice legendi scilicet sacram Scripturam in voluminibus sine punctis vocalibus, & accentibus exaratis. Quis autem sibi inducere in animum potest, ut credat, Hebræos in solenni Scripturæ prælectione puncta rejecisse, si eadem aut à Moyse, aut ab Esdra, aut à quopiam Prophetarum in autographis fuissent notata? Qui præsertim ita sunt persuasi, ut profana ducant (jure ne, an injuria non est hujus loci disquirere) volumina omnia punctis insignita: quod non putarent, si puncta viros inspiratos crederent auctores habere.

II. Argumento sunt קרי וכתיב *Keri & Chetiv*, quæ marginibus librorum Hebraicorum sunt adscripta, notantque aliam lectionem in margine ab ea, quæ habetur in textu, nempe קרי ולא כתיב: כתיב ולא קרי *quod legitur & non scribitur: quod scribitur & non legitur*. Hæc autem circa consonantes dumtaxat versantur; & licet ex supputatione Eliæ Levitæ aliorumque numerantur 848. variæ lectiones hoc genus; nunquam tamen *Keri Chetiv* ad vocales referuntur, à quibus non minor lectionum varietas potuisset oriri; si quo tempore *Keri Chetiv* Bibliorum marginibus fuerunt notata, usus obtinuisset punctorum vocalium.

A libertos; sic enim de Essæis Judæis loquitur: *Constitutam maxime septimam habent diem, in qua ab aliis quiescunt operibus, in qua ad sacra loca adeuntes, quæ Synagogæ vocantur, ordine ætatis juvenes senioribus subsident, decoro cum ornatu audientes; deinde unus Biblia sumens legit, alter vero ex peritissimis minime nota exponit; nam pleraque per Symbola antiqua imitatione apud eos traduntur.* Probat item ejusdem cum Essæis ætatis S. Paulus, qui ei consuetudini congruenter ad Corinthios scripsit: *Prophetæ duo, aut tres in Ecclesia dicant, ceteri dijudicent.* Græce Ευαγγελιζεσθαι, idest, duo legant, reliqui explicent. Inde post Davidem Josaphat Rex, cum morem hunc exolevisse,
B ac legem plerisque incognitam esse videret, *Sacerdotes, ac Levitas per omnes Civitates Judæ dimisit, qui eam docerent.* Secundo Paralip. XVII. *Tertio anno Regni sui misit de principibus suis, ut docerent in Civitatibus Juda, & cum eis Levitas, & cum eis Sacerdotes; docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas Urbes Juda, atque erudiebant populum.* Idem post etiam fecit Josias Rex, invento in Templo, quod evanuisse putabant, Deuteronomio; quarto Regum XXIII. *Ascendit Rex Templum Domini, & omnes viri Juda, & universi, qui habitabant in Jerusalem, cum eo Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus; legitque omnibus au-*
C *dientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.* Successit inde post aliquot annos calamitas Babylonica. Qua post annos LXX. perfuncti, in patriam sunt restituti. Ab illo tempore aperte lex permissa videtur principibus Sacerdotum, & Scribis; quod ex iis, quæ dicentur, intelligetur: in illa certe rerum confusione lex aut amissa, aut neglecta, aut corrupta potissimum aut cognitionis, aut correctionis indiguit. Itaque Esdra, qui & Sacerdos, & Scriba, & princeps Sacerdotum, ac Scribarum dicitur, in patriam, jam restituto Templo, reversus, legis codices superiore exilio ac clade amissos investigavit, ac depravatos emendavit, atque, ut nunc sunt, ex Hebræorum traditione di-
D stinxit: idemque populo inicio, legem tradi-

A dit. Sic enim scriptum est apud eum: *Esdra paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret præceptum, & judicium.* Item: *Congregati sunt principes familiarum universi populi, Sacerdotes, & Levitæ apud Esdram Scribam, ut interpretaretur eis verba legis*, & nono tertii: *Stetit Esdras Sacerdos & Lector legis super ligneum Tribunal, quod fabricatum erat, & assumpsit librum coram omni multitudine.* Ab Esdra vero alii instituti putantur, qui legem explanarent, difficultates tollerent, librosque custodirent, ne rursus corrumperentur; siquidem eodem in loco sic pergitur: *Dixit Esdræ principi Sacerdotum, & Lectori, & Levitis, qui docent multitudinem.*
B Ecce, ut Esdra, qui Sacerdos, & Scriba dictus est, jam princeps Sacerdotum, & Lector legis dicatur; nam pro *Levitis, qui docent multitudinem*, nimirum ipsos principes Sacerdotum, & Scribas intellexit. Hi vero ab Esdra advocati communi cum eo Consilio quædam loca sacrorum librorum male affecta sanarunt, & Canonem scripserunt eorum librorum, qui maxime probarentur, ut Talmudistæ asserunt. Ergo ab illo tempore principes Sacerdotum, & Scribæ legis exponendæ munus præcipue obierunt, legisque Doctores, ut dicti, sic etiam habiti sunt; unde illud est Matthæi XIII. *Omnis Scriba doctus in Regno Cælorum similis est homini patri-familias, qui profert de*
C *thesauro suo nova, & vetera*; & XVI. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Heliam oporteat primum venire?* & Marcus XVI. *Quomodo dicunt Scribæ, Christum filium esse David.* Quare merito Herodes Rex, homo proselytus, idest, Judæus ascititius, cum de Christo nato audisset, nec locum, ubi oriturus erat, teneret, ea de re principes Sacerdotum, & Scribas consuluit; siquidem, ut scribit S. Matthæus, convocatis principibus Sacerdotum, & Scribis sciscitatus est, ubi nasceretur Christus? Post autem cum Christus docere in Templo cœpisset, qui nec princeps Sacerdotum, nec Scriba, nec Levites esset, præcipue principum Sacerdotum, & Scribarum oculos in se
D convertit. Quare hi potissimum, cujusnam auctoritate id facerer, quæsiverunt; nam Sanctus

III. Ex comparatione linguæ Hebrææ cum ceteris Orientalibus linguis, quibuscum habet affinitatem, idem elucet. Nam lingua verbi caussa Chaldaica, nulla olim habuit puncta vocalia, quod Eruditi viri deprehendere ex literis superfluis post punctationem relictis. Syriaca punctis caruit antiquitus, & postea ad faciliorem lectionis punctum unicum adhibitum fuit, quod modo supra, modo infra literas positum distinguebat vocales. Imo figuræ, quibus Syri nunc utuntur, à Græcis sunt mutuatæ, quod Masius testatur. In Arabica primitus puncta vocalia desiderabantur,
E solumque post conscriptum Alcoranum, a Muhammedanis in eam fuerunt invecta, ut peritissimi hujus linguæ testantur Golius præsertim & Erpenius. Demum Samaritana punctis vocalibus etiamnum caret, ut constat tum ex eorum Pentateucho, tum ex Siclis à Regibus Israelis olim percussis; vocalium vicem obeuntibus illis literis אהוי, quas Matres lectionis appellant, quæ habitæ fuerunt antiquitus pro ipsis vocalibus. Samaritani vero characteres creduntur idem fuisse cum Hebraicis, qui ante Babylonicam servitutem erant in usu apud Judæos. *Certum est*, inquit S. Hieronymus in Prologo Galeato, *Esdram Scribam Legisque Doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem Templi sub Zorobabele, alias literas reperisse, quibus nunc utimur: quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.*

IV. Demum grave argumentum ad excludenda puncta vocalia ante Tiberiensium ætatem, deducitur ex summo silentio eorumdem in Operibus Origenis, & S. Hieronymi Hebraicæ linguæ cum primis peritorum, quæ puncta si eorum temporibus obtinuissent, non fuissent certe illis ignota, & de illis tum maxime verba fecissent, quum verbum aliquod Hebraicum, quod sæpius Hieronymus præstitit, ex diversa punctatione diversum efficit sensum. Idem silentium etiam in toto Talmude deprehenditur, in quo nulla punctorum fit mentio, data quamquam occasione quæstionis plurium vocum, quæ a variis punctis vocalibus, varios sensus habebant: sed quoties lectorem admonent de varia lectione ita loquuntur: *Non legas sic, sed sic*, nec verbo quidem de punctis injecto.

Reliquum est igitur, ut Masorethis Judæis, qui sexto ad minus post Christum seculo Tiberiade in Mœsia minoris Asiæ congregati, doctrinam criticam cuderunt ad conservandam lectionem textus sacri, ejusque versus, voces, & elementa ad sarta tecta retinenda, punctorum vocalium, & accentuum inventionem tribuamus: nullaque adest ratio, cur in hac re suspectam habeamus fidem complurium Rabbinorum, qui ab eisdem puncta vocalia referunt inventa fuisse, præsertim David Kimchi, Aben Ezra, Jehuda Levita, Elias Levita &c.

ctus Lucas XX. sic prodidit: *Docente Jesu populum in Templo, & evangelizante, conveniunt principes Sacerdotum, & Scribæ, dicentes: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?* Itaque S. Matthæus, & S. Marcus huic quæstioni quasi occurrentes scripserunt, Christum docuisse, non tanquam Scribas, sed tanquam potestatem habentem, idest, non tanquam Interpretem legis, sed tanquam Legislatorem. Interpretes enim illa verba in ore habere solebant: *Dicit Dominus*. Christus autem: *Dictum est antiquis, ego autem dico*. Ejusmodi vero Scriba fuit ille, de quo S. Paulus prima ad Corinthjos: *Ubi Sapiens, ubi Scriba?* idest, legis peritus; ejusmodi Doctor fuit Nicodemus, quem Christus legis Magistrum vocavit, & redarguit; tales Doctores illi, quibus cum Christus duodennis in Templo de lege disseruit; talis Pharisæus ille, de quo S. Matthæus XXII. *Interrogavit unus ex Pharisæis, nomine* (88) *Gamaliel, legis Doctor honorabilis universæ plebi*. Denique ejusmodi quoque fuit Josias Scriba Pharisæus, de quo in vita S. Jacobi Majoris: *Josias unus è Scribis Pharisæorum, misit funem in collum Apostoli, & post conversus, martyrio cum eo affectus est.*

Legem porro docuere Scribæ duobus in locis, in Templo, & Synagogis. De Templo indicat S. Lucas, cum inquit, Christum inventum in Templo inter Doctores percontantem, & respondentem: item omnes Evangelistæ, qui tradiderunt, illum sæpe in Templo docuisse, ac concionatum esse. Unde apud S. Joannem XXVIII. ipse de se dixit: *Ego docui semper in Synagoga, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt*. Et S. Paulus Actuum XXIV. *Neque in Templo invenerunt me disputantem, neque in Synagogis*. Ea caussa fecit, ut Scribæ quidam Scribæ Templi vocati sint; quod indicat decretum Antiochi Magni apud Josephum lib. XII. *Senatus, Sacerdotes, Scribæ Templi, & sacri Cantores sint immunes à tributo, quod pro suo capite debent*. Quinetiam Helcias Pontifex *legem à se inventam dedit Saphan Scribæ Templi, ut Regi Josiæ legeret*. Et Josias Rex misit Scribam Templi ad Helciam Pontificem, ut pecuniam in Templi instaurationem erogaret; IV. Regum.

Synagogæ autem, ut dixi, fuerunt ædes, quò Judæi diebus Sabbatorum convenire instituerunt, ut legem audirent. Unde illud Actuum XV. *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. De more vero docendi in Synagogis, ad ea, quæ supra diximus, elici potest ex eo, quod narrat Philo de Essæis, & ex eo, quod de Christo scripserunt Evangelistæ Synagogas Galilææ percursante, atque ibi veritatem nunciante. S. Matthæus IV. *Circuivit Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni*. Lucas V. *Jesus venit Nazareth, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et descendit in Capharnaum Civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis, & stupebant in doctrina ejus, quia cum potestate erat sermo ipsius*. Item XIII. *Erat Jesus, docens in Synagogis Judæorum Sabbatis, & mulierem sanavit; respondens autem Archisynagogus indignatus est, quia Sabbato curasset*. Hæc vivente Christo. Post mortem vero ejus hæc doctrinæ in Synagogis tradendæ extra Judæam, & Galilæam memoria celebratur. Actuum IX. *Saulus petiit à Pontifice Epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem; inde conversus, & ingressus in Synagogas prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei*, & XIII. *Paulus, & Barnabas cum venissent Salaminem, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum*. Item: *Venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt; post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos; cumque dimissa esset Synagoga, sequuti sunt multi Judæorum; sequenti vero Sabbato pæne universa Civitas convenit audire verbum Dei*; & XIV. *Factum est in Iconio, ut simul introirent in Synagogam Judæorum, & loquerentur, ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo*; & XVII. *Venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum; secundum autem consuetudinem Paulus intravit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis. Cum autem venissent Berrhæam, in Synagogam Judæorum introierunt; cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Berrhææ prædicatum est verbum à Paulo, venerunt & illuc*. Paulus inde XVIII. *disputavit Corinthi in Synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, & migrans inde, intravit in domum cujusdam nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus conjuncta erat Synagogæ. Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua. Devenit inde Ephesum, & ingressus in Synagogam, disputavit cum Judæis*; inde XIX. *Ephesi ingressus Synagogam cum fiducia locutus est per tres menses disputans, & suadens de Regno Dei*. Neque vero solum in Asia, sed etiam Romæ Synagogæ Judæorum fuerunt, & præsertim (89) Libertinorum, qui, ut patet ex Actibus, Synagogam quoque Hierosolymis habuerunt. Testis est Philo in Legatione ad Cajum: *Tiberius non dissimulavit, probari sibi Judæos, qui abominarentur adulationem; alioquin passus non fuisset, trans Tiberim bonam Urbis partem teneri à Judæis. Romani vero hi erant, plerique Libertini; nam captivi in Italiam abducti à Dominis libertate donati fuerant, haudquaquam aliquid ex patriis insti-*

(88) Gamaliel Secta erat Pharisæus, Præceptor S. Pauli, & ut aliquibus persuasum est, Sancti etiam Barnaba & Stephanus illius auditores fuerunt. In historia inventionis Corporis S. Stephani a Luciano scripta, quæ extat tomo decimo operum S. Augustini, dicuntur Gamaliele auctore, Christiani Corpus Protomartyris à Judæis lapidati noctu sublatum, intulisse in sepulcrum in fundo Gamalielis, cui nomen *Caphar Gamala*, idest campus Gamalielis, qui septem vel octo leucis ab urbe Hierosolymorum distabat. Ceterum Gamaliel ob excellentem Legis peritiam, magnæ auctoritatis fuit apud Judæos, nec minoris gloriæ apud asseclas Christi, cujus fidei illum nomen dedisse nec ambigendum est, licet cujus opera, & quo tempore, incertum est. Nos de Gamaliele supra verba fecimus.

(89) Diximus de Synagoga Libertinorum annotatione LXXIV. ad librum secundum. Judæos autem Romæ non fuisse sine Synagoga, testis est Philo de Legatione ad Cajum. Plures enim Judæorum Romæ morabantur, ut ex Romanis Scriptoribus pronum est intelligere; & imperante Tiberio Claudio, Judæorum octomillia Urbe cedere coacti sunt, anno nono imperii ejus, & Christi 51., qui tandem intercedente Agrippa & Herode Regibus fuerant restituti. Vide Josephum libro IX. Antiquit. cap. 4.

institutis mutare coacti; sciebat enim eos habere Oratoria, & convenire in ea, & maxime septima quoque die, quando publice patriam docentur Philosophiam. Sciebat & sacras eos ex primitiis coacervare pecunias, ac Hierosolyma mittere. Sed tamen neque Româ eos expulit, nec Romanam Civitatem eis ademit, neque in Oratoria novi aliquid molitus est, neque convenire eos vetuit ad legum interpretationes. Atque hæc quidem de Scribis, idest, legis Doctoribus, hactenus.

CAP. XI.

De septem Judæorum hæresibus.

LOcos inde admonet, quoniam de legis Interpretibus diximus, ut de doctrina quoque Judæorum agamus, quæ ultimis celebrata temporibus, in septem partes divisa fuit, quas (90) septem hæreses appellarunt; fuerunt autem, teste S. Epiphanio, hæ: Sadducæi, Scribæ, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Nazaræi, Osseni, & Herodiani, de quibus primùm sigillatim, deinde conjunctim edisseremus.

Sadducæi (91) nomen à Sadoc accepere, A Antigoni discipulo, qui cum defecisset ad Templum montis Garizin à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante, hæresim intulit Sadducæorum, teste Rabbi Abraham in Cabala historica. Hi vero, ut inquit Josephus, (92) fatum negarunt, atque omnia nostro arbitrio subjecerunt, animas mortales esse, & propterea resurrecturas non esse, dixerunt. Deum mala omnia videre negarunt, & (93) inhumani, ac longe ab omni communione aversi fuerunt; &, ut addit S. Epiphanius, Angelos, & (94) Spiritum Sanctum ignorarunt, atque omnia æqualiter (95) cum Samaritis observarunt, cum tamen Judæi essent, & Hierosolymis Sacrificium facerent.

B Scribæ vero, inquit S. Epiphanius, *Legis Expositores fuere, velut Grammaticam quandam scientiam exponentes, reliqua quidem, velut Judæi, facientes, verum superfluam quandam, & sophisticam interpretationem inducentes, non solum secundum legem viventes, sed etiam abundantius: ut qui Urceorum demersiones, ac purificationes servarent, poculorum item, ac patinarum, & aliorum ministerii vasorum, & tanquam videlicet ad sinceritatem, ac sanctitatem dispositi, crebro manus lavarent, crebroque purifi-*

(90) Nulla hæresum, seu Sectarum divisio in religione Judæorum, tum ante Babylonicam deportationem, tum post eam reperitur, usque dum extiterunt Prophetæ, quorum auctoritate populus in Patrum fide continebatur. Postquam vero subjici cœperunt Judæi Græcorum imperio, tum demum variæ Sectæ apud ipsos prodiere, quod viri docti apud Hebræos in Græcorum studia incumbere, & exercitationes cœperunt. Hujus rei non infirmum argumentum est, duas præcipuas Judæorum Sectas Sadducæorum, & Pharisæorum, Græcorum Sectas Epicuræorum, & Stoicorum expressisse haud leviter in eorum placitis. Pharisæi austerum hominum genus & jactabundum, videntur Stoicorum mores imbibisse. Sadducæi molliores, & graves rerum futurarum curas de medio tollentes, animæ immortalitatem negando, censeri possunt Epicuræis persimiles. Dolet Auctor secundi libri Machabæorum cap IV. Judæos suorum temporum Gentium moribus assuescere, patrios honores nihili habentes, & Græcas glorias optimas arbitrantes, *quarum gratiâ periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant.*

(91) Origo hæresis Sadducæorum hæc fuisse dicitur. Antigonus Saddoki præceptor monuit auditores suos, ne spe præmii, ad morem vilis mancipii, venale servitium Deo exhiberent; sed, ut præcisa omni mercedis spe, illorum instar qui ministrant Principi suo, hac conditione, ne accipiant præmium, sinerent se in virtutem impelli. Hisce verbis Antigonus discipulos suos ad eximium pietatis studium provocabat, illos alliciens ad cultum purum atque prorsus gratuitum Deo præstandum. At Saddok retento præceptoris axiomate, repugnantem de suo interpretationem adjecit. Si Deo, inquit, nulla mercedis spe oportet servire; nulla etiam resurrectio mortuorum expectanda est, quum nihil præmii, sive pœnarum, in altera vita supersit.

(92) Male vir Christianus nomine *fati* exponit providentiam maximi Numinis, qua universa moderatur. Loqui enim hoc pacto est Ethnicorum in morem sententiam suam explicare.

(93) Sadducæi quanta facilitate excipiebant homines eorum Sectam profitentes, tanta animi arrogantia laborabant contra sentientes oppositum, & ut inquit Josephus libro II. cap. 12. erat Sadducæorum conversatio circa exteros inhumana.

(94) Habet ex S. Epiphanio hæresi XIV. Auctor Noster, a Sadducæis Spiritum Sanctum ignoratum fuisse: hinc non immerito quæritur quid nomine Spiritus Sancti, Sadducæi intellexerint. Aliqui sentiunt eo nomine propheticum spiritum designari, cujus afflatu Prophetæ vaticinati sunt. Quare si huic sententiæ standum esset, a Sadducæis omnes libros Prophetarum, præter Moysis, explosos fuisse credendum esset, quod an facile affirmari possit, sequenti annotatione dicemus. Alii putant ideo à S. Epiphanio dici Sadducæis Spiritum Sanctum ignotum fuisse, quod ipsi negarent illud Oraculi genus, quod cum primo Templo cessavit. Sunt qui Spiritum Sanctum tertiam divinæ Trinitatis personam a Sadducæis negatum sentiunt, quibus videtur favere Actuum Apostol. cap. XXIII. v. 8. *Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*; quæ duo posteriora verba ita sunt in Græco fonte μήτε πνεῦμα sine articulo, qua ratione πνεῦμα pro Spiritu Sancto sumitur non raro, ut S. Johannis III. 5. IV. 24. ad Romanos I. 4. VIII. 14. & XV. 19. Quamquam enim Judæorum vulgo cognitio ineffabilis Trinitatis mysterii fuit denegata; Patriarchis tamen & Prophetis, virisque sanctitate conspicuis fuit concessa; à quibus subobscura quædam traditio in Legisperitos profluxit.

(95) Quæ hic habet Sigonius difficultate non carent. Primum est, si Sadducæi omnia æqualiter cum Samaritis observarunt, solum Pentateuchum oportet illos agnovisse, rejectis Prophetarum libris. At qui fieri potest, ut id credamus, quum constet Sadducæos neque à Templo, neque a Synagogis abfuisse, in quibus frequens lectio librorum legalium, & parallela lectio Prophetarum habebatur? Deinde ex lectione Actuum Apostolorum liquet, S. Petrum, & Apostolos coram Sadducæis verba facientes, testimonia laudavisse ex Psalmis, aliisque Scripturis. Si Sadducæi universa Prophetarum scripta rejecissent, frustra quidem ex illis testimonia fuissent in medium producta. Altera difficultas est, si Sadducæi omnia æqualiter cum Samaritis observarunt, quis credet potuisse illos eadem cum ceteris Judæis communione coire, in idem Templum intrare, eorumdem Sacrificiorum participes, fungi primis partibus in eorum Republica, atque etiam ad Summum Sacerdotium ascendere, quum odio Vatiniano, ut neminem latet, Judæi in Samaritas flagrarent? Ab omnibus tamen his Sadducæi, ut ex Josepho pronum est intelligere, haud fuerunt exclusi.

rificationes quasdam per lavacra adhiberent. Habebant autem fimbrias quasdam significantes politiam ipsorum ad ostentationem elationis, & laudem spectantium, & phylacteria apud se ipsos palliis addebant, hoc est, latas notas purpuræ. Expositiones autem apud ipsos quatuor erant, una in nomen Moysis Prophetæ, secunda in præceptorem ipsorum Acibam appellatum, sive Baracibam, tertia in Andan, sive Annan, qui & Judas, quarta in filios Assamonæi. Neque vero dubium est, quin hi ex eorum numero fuerint, quos legis Doctores diximus.

Pharisæi (96) porro, auctore Josepho, *certiorem legalium rituum cognitionem professi sunt, vitam abjectam egerunt, nihil molle, nihil delicatum adhibentes; fato omnia tribuerunt, nec tamen liberum hominis arbitrium sustulerunt, judicium Dei futurum censuerunt, quo homines pro meritis præmia, pœnasque consequerentur, animas immortales duxerunt, earumque post mortem alias æterno carceri destinandas, alias in vitam reversuras, ita ut bonorum animæ in corpora hominum remigrarent, malorum autem in pecudum.* De his sic S. Epiphanius: *Pharisæi eadem cum Scribis sentiebant: conversabantur enim cum iis. Virginitati, & continentiæ studebant, frequenter orabant, caventes, ne qua se labe corporis macularent; durissimis stratis cubabant; bis in Sabbato jejunabant, secunda, & quinta die; decimabant decimationes, dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas; Sacrificia ac vota exactissime persolvebant, in prædicto vero Scribarum habitu incedebant per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, & calciamentorum ligulis procedentes. Dicebantur autem Pharisæi, eo quod separati essent ab aliis propter spontaneam superfluam religionem apud ipsos receptam.* (97) *Phares enim Hebraicâ linguâ separationem significat.*

Hemerobaptistæ *autem eadem cum Scribis, & Pharisæis senserunt, & cum Sadducæis resurrectionem mortuorum abnuerunt. Præcipue vero illud habuerunt, quod se quotidie baptizarunt, unde nomen etiam acceperunt.*

Jam vero Nazaræi *à Galaaditide, & Basanitide regione, & locis ultra Jordanem originem trahentes, in omnibus instituta Judæorum servabant, Circumcisionem, Sabbatum, Festivitates omnes; victimas autem non mactabant, neque animatis vescebantur. Patres accipiebant, de quibus scribitur in quinque libris Moysis, ipsos autem libros Moysis non probabant: dicebantque Moysen fuisse, sed aliam legem, quàm quæ tradita esset, accepisse.*

(98) Osseni *originem duxerunt à Nabatica regione, Ituræa, Moabitide, & Areilitide, quæ est ultra mare mortuum, Judæi quidem genere, sed moribus hypocritæ, mentis industria versuti.* Hi à Josepho Essæi dicuntur, atque secundo Belli his verbis describuntur: *Essæi nuptias respuerunt, alienos vero filios adoptarunt, divitias spernentes, haud certas Urbes, quas incolerent, habuerunt, & bona sua cum sociis suis communicarunt, nec vestitum, nec calceum novum, nisi veteribus attritis, sumserunt. Commerciorum nullus inter eos usus; egentibus præsto fuere, eandem ab illis beneficentiam relaturi; religionem mirifice coluere, frigida aqua se quotidie abluentes; inter vescendum, summum silentium adhibuere; nonnisi probata continentia homines in societatem recepere; receptos autem magnis execrationibus obstrinxere, se Deum, fidem, justitiamque culturos; deprehensos in peccatis societate deturbavere, ac ne cibum delatum caperent, vetuere, judicia severissime exercuere, mortem, & cruciatus contemsere; animas bonorum ad fortunatas Insulas abire, malorum ad loca inferna, putavere.* In libro autem Antiquitatum XVIII. ita: *Essæi cuncta ad Deum referunt, immortalem animam censent, in Templo anathemata prohibent; Sacrificia cum populo non celebrant, quod se putant munditia, & sanctitate illis præstare; moribus optimis sunt, agriculturæ student, omnia habent communia; neque uxo-*

(96) In Secta Pharisæorum maximi fuerunt hypocritæ; nam illorum pars major simulata vitæ sanctimoniâ, solam sapientiæ & probitatis speciem aucupabantur. Eleemosynas erogaturi, buccinâ ante se cani curabant, ut inde gloriam à populo assequerentur. Quum preces fundere vellent, eas fundebant in compitis, & in plateis, ut ab hominum frequentia laudarentur. Jejunantes pullas vestes induebant, & nativum faciei colorem vitiabant, ut apparerent squallentes. In lotione erant omnino superstitiosi, eamque sub religionis specie urgebant. Præ nimia sanctitate cum peccatoribus detrectabant diversari, vino & carne plerumque abstinebant. Dormituri, asseres ad palmi latitudinem sibi non raro subjiciebant, quo altius dormientes deciderent, & ad cultum divinum vigilantes audirent. Sabbathi observantiam adeo rigidam exigebant, ut nullam admitterent necessitatis, aut caritatis exceptionem. *Tephillim*, seu lora coriacea precatoria, Græce φυλακτήρια, majora & latiora ceteris gestabant. Decimas ex rebus etiam minutissimis, mentha, anetho, ruta, cymino, persolvebant. Hisce vero, aliisque exercitationibus pietatis hoc genus, quum Pharisæi fastum solummodo, dominandi spiritum, & gloriæ lacellum spectarent, sæpius meritò à Christo Domino redarguuntur in Evangelio, similes dealbatis sepulcris illos ostendens, quæ in extima superficia splendentia, intus sania inficiuntur.

(97) A radice פרש *separavit*, פרושים *separati* dicti fuerunt Pharisæi, quod se à communi vitæ consuetudine separarent, frugi videlicet, ac modestæ vitæ genera. Separabant enim se ab omni immunditia, & a ceteris Judæis, qui non habebant accuratam ciborum rationem. Et hæc explicatio nominis Pharisæi communior est apud Eruditos; non desunt enim qui volunt nomen *Pharisæi* Interpretem Legis significare, quod verbum פרש duos sensus admittat, separandi scilicet, & explicandi.

(98) Hujus nominis Osseni, aut Esseni incertum est etymon, quum orthographiam vocis in lingua originali ignoremus. Duodecim varias sententias de ea recenset Serarius in Trihæresio libro III. cap. 5. quem vide. Incerta item est Esseniorum origo: nam quidam putant illos cœpisse statim post exitum ex Ægypto. Alii sentiunt ad posteros Jonadab patris Rechabitarum illos pertinuisse; quæ sententia duplici ratione potest explicari, vel quod Esseni à Rechabitis sint propagati, quæ sententia idoneis caret documentis; vel quod Esseni imitatores aliquo modo fuerint Rechabitarum, quod potest admitti; nam Esseni vino quandoque abstinebant, genusque vitæ frugi & modestum sequebantur; illorumque nonnulli in Urbibus non morabantur, sed in desertis locis ritum ducebant Rechabitarum instar, qui in tentoriis tantum, & sub dio morabantur. Præterea quidam sentiunt Essenios incœpisse post Esdræ ætatem, sed ante Asmonæorum tempora; alii denique credunt post Antiochi Epiphanis tyrannidem eos natos fuisse, atque adeo sub initium principatus Macchabæorum, quæ sententia videtur ceteris esse probabilior.

uxoribus, neque servis utuntur; Sacerdotes viros optimos eligunt, cibum simplicem, atque habitum purum, & mundum adhibent, & Plinius libro V. *Ab Occidente litora Esseni fugitant usque, quà nocent, gens sola, & in toto Orbe præter ceteras mira, sine* (99) *ulla fœmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, large frequentantibus, quos vitá fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per sæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur, tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est; infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum. Inde Masada castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltite.* Sed multo præclarius Philo in eo libro, quem inscripsit: Omnes probos esse liberos. *In Syria*, inquit, *& Palæstina, quæ partes Judæorum sunt haud modicæ, dicantur quidam nomine Essæi, numero ultra quatuor millia, à voce Græca Essai, quasi ὅσιοι, idest, Sancti, vocati, quoniam Dei cultores præcipue sunt, nulla animalia sacrificantes, sed mentes suas sacras efficiendas existimantes. Hi vicatim habitant, urbes vitantes propter eorum, qui tractant civitates, improbitates; eorum alii agriculturæ student, alii artes exercent, quæ pacis sociæ sunt, neque aurum, neque argentum sibi con[...]unt, neque agros latos parant cupiditate reddit.uum, sed necessitate victus. Nemo bellicorum armorum apud eos est opifex, sed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt; servos non habent, sed liberi omnes sunt mutua ministeria suppetientes. Rationalem & naturalem Philosophiam respuunt, divinam amplectuntur. Morali maximè student patriarum legum auxilio usi: quas præcipue septima die docentur. Imbuuntur autem sanctitate, justitia, ceterisque virtutibus tres regulas adhibentes, Dei, virtutis, hominumque amorem. Quod Deum diligant, illud est indicio, quod perpetuam castitatem adhibent, jusjurandum, & mendacium non dicunt; & quod bonorum omnium, nullius vero mali auctorem esse Deum arbitrantur. Quod virtutis studiosi sint, ex eo perspici potest, quod pecuniam & gloriam negligunt, quod voluptates respuunt, & constantiam præstant. Quod hominum caritate flagrent, indicat amor & societas inter eos, una enim est omnibus domus, una vestis, unum ærarium, unus sumtus; communis victus, & vita, quin etiam quæstus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & seniores loco parentum habent.*

Herodiani (100) vero, ut inquit Epiphanius, *omnino Judæi erant, sed vani, atque hypocritæ, verum Herodem putabant Christum Dominum, qui in omnibus Scripturis, legeque, ac Prophetis expectatur, & ob ipsum decepti Herodem jactabant inducti ex dicto hoc: Non deficiet Princeps ex Juda, atque Dux ex femoribus ipsius, donec venerit cui reservatur; hunc reservatum esse dicentes, qui erat alienigena.* Item Tertullianus de Præscriptionibus: *Pharisæi additamenta quædam legis astruendo à Judæis divisi sunt. Herodiani Christum Herodem esse dixerunt.*

Ex his autem omnibus præcipue floruere ante Christi adventum Pharisæi, & Sadducæis itaque Hierosolymis, ut inquit Josephus, populares Pharisæis, optimates Sadducæis se adjunxerunt. Pharisæorum autem extraordinarias in Rep. opes ægre inde ferens Joannes Princeps legis ab eis allatas (hæ novæ traditiones erant præter antiquas Mosaicas) sustulit, & ad Sadducæos se contulit. Pharisæi tamen adeo potentia valuerunt, ut post auxilio Demetrii Eucæri, Syriæ Regis, bellum Alexandro Regi Judæorum intulerint, & Mosbitide ac Galaatide terra ipsum cedere compulerint, inde mortuo illo (101) Alexandram Reginam sibi obsequentem adepti, leges suas recuperarunt, ac multo vehementius sævire in urbe & regno toto instituerunt: quousque res ad duos fratres Regios recidit, Hyrcanum, & Aristobulum, quorum alter Pharisæus, alter Sadducæus fuit. Cum autem Christus Evangelium suum pandere populo cœpit, Scribæ, Pharisæi, Sadducæi & Herodiani præcipue viguerunt: ac propterea soli in

(99) Eruditissimus P. Harduinus ad hunc locum Plinii, qui est cap. XVII. duplex genus Essenorum distinguit, unum Theoreticum, alterum Practicum. Theoreticum in sola sacrorum codicum meditatione totum diem transigebant, Gens vere socia palmarum, quod in palmetis procul ab hominum strepitu & frequentia, palmarum fructu victitaret. Practicum in urbibus commorans, & a tractandis artibus, vel negociis non abhorrens; & hi bifariam erant divisi, nam alii cœlibes erant, alii nuptiis implicati, ut ex Josepho libro II. de Bello cap. VII.

(100) Quum in eam tempestatem regnum Herodis Magni inciderit, qua cognoscens Judæa universa tempus adfore adventus Messiæ à Prophetis prænunciatum, in novi Regis expectationem erat erecta; tum Herodis Aulici, qui ambitiosissimo Principi assentari voluerunt, tum Judæorum alii, quos amor terreni regni in transversum immane egerat, Herodem tamquam Messiam suscepere, dicti ob id Herodiani. Hujus sententiæ est S. Epiphanius Hær. X., Auctor additionum ad librum de Præscriptionibus Tertulliani, Theophyl. in S. Matth. XXII. 17., quos sequuntur ex gravissimis Recentioribus plurimi. Hanc opinionem sicuti satis firmam judicamus, & etiam aliquando asserimus; ita illis consentire non possumus, qui ad Herodem Magnum traducunt illud festum, quod Persius Satyra V. describit, Romæ quotannis à Judæis agitatum non sine largiore compotatione, & luminaribus:

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat Thynni; tumet alba fidelia vino.

Etenim magis pronum est credere, festum illud non ad Herodem Magnum, sed ad Herodem Agrippam ejus Nepotem referri, quem Judæi Christiani nominis hostes impense diligebant, quod atrox erat Apostolorum persecutor, & quod Caligulam Cæsarem deliniverat, qui se, vel Jovis colossum, ut Deum in Templo volebat adorandum. Quamobrem Judæi Romæ degentes Agrippæ diem natalem, tamquam festum aliquod, videntur feriati, ut homini Synagogæ malignantium præjudiciis vel in primis imbuto, qualemcumque grati animi significationem coram ostenderent. Persius vero, qui eodem tempore, quo Agrippa in deliciis erat Caligulæ, in Urbe morabatur, hunc diem festum Judæorum quotannis peractum in honorem diei natalis Agrippæ facile vidit, illumque expressit in ejus Satyra mox laudatis carminibus.

(101) Postremis temporibus Judæorum Reipublicæ moris erat duo nomina indere cuique personæ, Græcum unum, alterum Hebræum, vel Syriacum. Hinc uxor Alexandri Jannæi, & mater Hircani & Aristobuli, Græce Alexandra dicebatur, Hebraice autem Salome. Novem annis sola regnum administravit, quo tempore Pharisæi tanta auctoritate potiti sunt, ut vitam ab eorum licentia vix liceret servare.

in Evangelio memorantur, ut qui Christo novam doctrinam prædicanti se præcipue objicerent, atque ut ipsi sæpe illum tentandi caussa variis interrogationibus fatigarunt, ac verbis irretire conati sunt; sic & ipse illos insectatus, & hypocrisim ac doctrinam eorum, ut parum vitæ congruentem detegere nixus est. Recitabo ordine ipsa Evangelii loca, ut res clarissime cognoscatur. S. Marcus cap. III. *Exeuntes Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum*, & VII. *Pharisæi, & quidam de Scribis cum vidissent quosdam de discipulis Domini communibus manibus, idest, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum, & à foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum*. S. Lucas capite undecimo: *Vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis*. S. Matthæus capite decimoquinto: *Tunc accesserunt ad Jesum Hierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus suas, cum panem manducant, ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem: &, Qui maledixerit patri, vel matri, moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri; Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Quas traditiones declarans S. Hieronymus Epistola CLI., sic inquit: *Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo, neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere, dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ. Præpositos habent Synagogis sapientissimos quosque, fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis, sive menstruatæ, mundum, vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu prælibent. Præterea, quia jussum est, ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat: si quando eos juxta literam cœperimus artare, ut non jaceant, nec ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere, & dicere, Rabakida, & Symeon, &* (102) *Hille magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbata, & cetera hujusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei*. Hinc scripsit S. Eucherius super primum Actuum: *Sabbati habens iter*, Sabbati iter significare mille passus, quia Sabbato usque ad montem Oliveti ire Judæis licitum erat, vel certe, sicubi fuissent, tanto spatio deambulandi licentiam præsumebant. Jam vero S. Marcus VIII. *Cavete à fermento Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum*. S. Matthæus XVI. *Accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum, ut signum de Cœlo ostenderet eis. Itaque dixit: Intuemini, & cavete à fermentis Pharisæorum & Sadducæorum, tunc intellexerunt, quia non dixit, cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*, & XII. *Pharisæi videntes discipulos legere spicas Sabbata, dixerunt ei, Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in Sabbatis*. Item: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, Magister volumus à te signum videre*, & XII. *Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum; in resurrectione, cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam*, & post: *Pharisæi autem audientes, quod imposuisset silentium Sadducæis: convenerunt in unum, & interrogavit unus ex eis legis doctor tentans eum*, & S. Marcus XII. *Mittunt ad eos quosdam ex Pharisæis & Herodianis, dicentes: Licet tributa dare Cæsari, an non?* His ergo tentationibus irritatus Christus mores eorum ac vitam demonstravit, inquiens XXIII. S. Matthæi, & S. Lucæ XX. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dixerint vobis servate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt, alligant autem onera graviora & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias, amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comedetis domos viduarum, oratione longa orantes; quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos; quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ sunt graviora legis, judicium, misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia; væ vobis, quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum*. Quas autem (103) fimbrias & phylacteria Pharisæorum nominavit, de iis sic mandarat Deus Numerorum XV. *Lo-*

quere

(102) Hic est ille Rabbi Hillel, quem miris laudibus prædicant Judæorum Magistri. Ferunt huic viro rem adeo angustam domi fuisse, ut vitam labore manuum sustentare cogeretur: sed quum maximo ardore literas expeteret, parte lucri victui necessaria comparabat, partem Janitori Academiæ, in qua docebat Sammæas, impendebat, quo in illam admitteretur. Interim Legis studio operũ dans Hillel labori cessit; nec amplius habens quo Janitorem donaret, haud exorare potuit ingressum. Hillel è fenestra domus Præceptorem audiebat, quo in loco tota nocte perseverans, mane nive obrigens inventus est. Sammæas, re audita, amorem in literas admiratus, Sabbathi religionem violandum censuit, ut rigens foveretur. Hic autem adeo profecit, ut celeberrimæ Scholæ tandem moderator extiterit.

(103) Pharisæi studentes pietatem suam vulgo probare, toti erant in observandis quibusdam ritibus, qui non magni erant ad eam momenti, ut sunt deferre fimbrias & phylacteria, quarum primæ erant Lege institutæ Numer. XV. 38, alteræ usu receptæ. Fimbriæ Hebraice dicuntur ציצית *Zizith*, phylacteria Chaldaice תפלין *Thephillin*. Fimbriæ erant Judæis monimentum Legis, & phylacteria monimentum precum, nam precaturi illa apponebant fronti, & brachio sinistro; hinc alia sunt תפלין phylacteria של ראש,

ce-

quere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequentur cogitationes suas. Consuetudinem vero totam Pharisæorum sic explicuit S. Epiphanius: *Habebant fimbrias quasdam significantes solitias ipsorum ad ostentationem elationis, & laudem spectantium, & phylacteria palliis suis addebant, hoc est, latas notas purpuræ, fimbriæ enim oræ & margines sunt; phylacteria vero signa ac nota ipsius purpuræ, quæ inquit Dominus dilatata fuisse, nam fimbrias & prætextus quosdam in quatuor alis amiculi unusquisque habebat ex ipso stamine illigatos, quo tempore continenter agebant, ac virginitatem exercebant*. In Actis inde horum etiam mentio celebratur, ut cap. IV. *Loquentibus Apostolis Hierosolymis ad populum, supervenerunt Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducæi, dolentes, quod docerent populum, & annunciarent in Jesu resurrectionem ex mortuis*, & V. *Exurgens Pontifex, & omnes qui cum eo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo*, & XXIV. *Sciens Paulus, quia una pars erat Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in Concilio. Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe, & resurrectione mortuorum ego judicor; & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadducæos. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utrumque confitentur*. Hactenus de septem hæresibus dictum sit.

Pharisæis autem adjuncti sunt (104) Gaulonitæ. Hi Herode magno regnante, suborti sunt. Ea vero res ab hoc fonte profecta est. Cæsar Augustus sublatis vectigalibus tributa ordinaria in caput, & agros indixit, atque ob id totum censeri orbem Romanum instituit, ita ut Judæam etiam, quam Herodi Regi à se appellato subjecerat, censeri, ac tri-

A butum in caput pendere jusserit. Quo facto Judas quidam extitit, qui adjuncto Sadoco Pharisæo, negavit, populum Dei alium Dominum, quàm Deum, agnoscere debere, nec censum Augusto solvendum esse, quod servitutem ostenderet. Hunc vero qui sectati sunt, populum, ne tributum Cæsari daret, solicitarunt, mortem vero, & supplicia contemserunt, in vestitu, & ceteris cum Pharisæis consenserunt. Unde Pharisæi quoque aliquando Christum tentandi gratia sciscitati fuent, num dandum esset (105) tributum Cæsari, quod ea res per ea tempora varie jactaretur. Christus autem respondit, dandum esse, quod esset Cæsaris, Cæsari, & quod Dei, Deo; at-
B que ipse quoque in censum didrachma pro se, & pro S. Petro pependit. Præcipue autem Judas sicarios, & zelotas concitavit, qui gladio, & sica eam opinionem tuebantur, & vitam repugnantibus adimebant, nec ullis suppliciis deduci de sententia poterant, adeo ut pueri illa opinione imbuti pertinaci tormentorum patientia spectatores obstupefacerent. Hæc S. Lucas II., S. Matthæus XVII., Josephus libro Antiq. XVIII., & Belli VII., Isidorus libro Etymologiarum quinto, capite XXXVI.

Atque hoc quidem modo cultus, qui Deo ab hominibus sancta in Civitate debetur, est
C constitutus; cujus summa eò demum refertur, ut ita recte instituatur, atque ex illius præscripto, & voluntate formetur. Quod quidem facile obtinebitur, si assidue lex ejus in ore, pectore, manibusque versabitur, idest, si dicta, consilia, factaque nostra cum ea consentient: atque ea demum diligentia adhibebitur, ut & Deum diligamus, & Deo dilecti esse conemur, prout ille se velle ostendit, cum fœdere cum Hebræis icto se illis futurum in Deum, Hebræos vero sibi in populum demonstravit.

capitis, alia של יד *manus*. Fimbriæ erant fila quædam non texta, ex infima ora vestis pendentia: phylacteria vero lora quædam coriacea, quæ fronti & brachio circumponebant, dum vellent precari. Hujusmodi amiculis utuntur etiamnum Judæi in eorum Synagogis; imo fimbrias habent duplicis generis, alterum fere semper deferunt, & exteriore veste occultant; altero in Synagoga caput obnubunt.

(104) Judas Gaulonites, qui etiam Galilæus dicitur, quod Gaulone natus esset oppido ad superiorem Galilæam Transjordaniam spectante, Gaulonitarum auctor fuit. Habente enim Cyrino Judææ descriptionem, Judas impavide obstitit, vociferans, descriptionem hanc signum esse servitutis, Judæos liberos, neminem eos debere dicere Dominum, nisi eum, qui esset Dominorum Dominus, Cœli Deus & terræ. De turbis, quas Judas hisce verbis concitavit, & de ejus Sectatoribus, qui quælibet supplicia perferebant, quam mortalium aliquem Dominum dicere, Actus Apostolorum hæc habent V. 37. *Post hunc*, idest Theudam, *extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse periit; & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt*. Ceterum, ut intelligatur, quo tempore Judas Gaulonites excitaverit seditiones in populo, duplicem descriptionem, sive censum oportet distinguere. Primus census factus est vivente Herode seniore, quum descriptos est urbis nulla capitatione indicta; nam sub He-
D rode nullum a Romanis tributum Judæis fuit impositum. Alter habitus est Archelao relegato, quum bona ejus fisco fuerunt addicta, Judæa in provinciam redacta, coacti Judæi tributum persolvere. Hinc Judas Gaulonites rebellandi occasionem arripuit. Primus etenim census ad potentiæ Romanæ ostentationem factus, turbarum caussa non fuit, quum homines censerentur, non facultates. At posterior, decennio post habitus, in quo mandabatur tributum solvendum Cæsari, citra tumultum factum non fuit.

Eruditissimus Pater Calmet in Dissertatione de Sectis Judæorum, sentit Gaulonitas eosdem fuisse ac Herodianos; illam legere poteris; nam plura scitu digna ibidem reperire est.

E (105) Quum vidissent Pharisæi Theudam, & Judam factiosissimos homines, paullo ante tributorum caussa periisse, cupiebant Christum etiam, quem odio Vatiniano prosequebantur, circa easdem res suspicioni reddere obnoxium. Ideoque discipulos suos mittunt cum Herodianis, duplex præcipitium parantes, ut putabant, & undique laqueum tendentes, ut quidquid diceret caperetur ab eis; ut si pro Herodianis responderet, ipsi accusarent; sin pro ipsis, illi criminarentur. Contrarium autem omnino evenit; in majori quippe theatro, stultitiæ suæ argumentum dederunt. Vide S. Jo. Chrysostomum, à quo ista desumpsimus, graviter æque ac eloquenter Pharisæos reprehendentem Homilia in S. Matthæum LXX., quæ extat tomo septimo novæ editionis Clariss. P. D. de Montfaucon.

Explicit Liber Quintus.

CA-

CAROLI SIGONII DE REPUB. HEBRÆORUM

LIBER SEXTUS,

Qui de Consiliis, & Judiciis inscribitur.

CAPUT PRIMUM.

De Civitate.

MAxima, ac difficillima hujus disputationis parte perfecta, id est, Religione satis, ut judicare possumus, perpolita, tempus est ad reliquam aggredi; sequitur enim, ut de Civitate, idest, de ratione administrandæ à Civibus Reipublicæ disseratur. Neque enim cum M. Varrone, eruditissimo quondam viro, sentimus, qui de rebus divinis, humanisque disputaturus, ab humanis propterea se ordiri testatus est, quod prius Civitates extitissent, deinde Religionem instituissent; cum potius contra sit, atque ille putavit. Vera enim, ut S. inquit Augustinus, Religio non à terrena aliqua Civitate instituta est, sed plane cœlestem ipsam instituit Civitatem; eam vero inspirat, ac docet verus largitor vitæ æternæ Deus, quem Varro cum suis æqualibus ignoravit. Civitatem ergo post Religionem expositurí, universam tractationem in tres partes dividimus; Consilia, Judicia, & Magistratus. Sic enim in iis quoque libris fecimus, quos de Republica Atheniensium composuimus. Qua in re hanc potissimùm rationem, consiliumque sequuti sumus: Omnis civilis Societas, ut inquit in Politicis Aristoteles, utilis, ac justi communione conciliatur. Harum enim duarum rerum soli homines notionem adepti sunt, quod soli etiam sermonis compotes facti sint, quo illa inter se, re postulante, communicarent. Utilitatem autem Consilia, æquitatem Judicia perscrutantur. Quoniam autem hæc cœtus quidam sive Consultorum, sive Judicum sunt, propterea duce ac principe aliquo eguerunt, qui eos convocaret, atque ad eos, quæ essent de utilitate, & jure discutienda, referret. Neque enim multitudo regi sine capite aliquo potest. Qui vero aut Consiliis, aut Judiciis præfuerunt, Magistratus appellati sunt. Quamobrem duobus sequentibus libris ita civilem hanc Hebræorum Reipublicæ administrationem perse- A quemur, ut hæc tria præcipue, Consilia inquam, Judicia, & Magistratus edisseramus.

CAP. II.

De Consiliis.

COnsilia ergo appello cœtus illos, qui ea præcipue statuerunt, quæ (1) statum Reipublicæ universæ continuerunt, ut bellum, pacem, annonam, fines, legum institutionem, Magistratuum creationem, & quæ generis ejusmodi sunt; quod est nihil aliud, quam de singulari utili disceptare, quod comprehendi lege non potuit. Hæc vero Consi- B lia, ut in ceteris Rebuspublicis, sic in ipsa etiam Judaica, duo extiterunt; aut enim promiscue ab omnibus, aut seorsum à paucis, iisque natu grandioribus inita sunt: & quidem, si ab universis, Concionem; si à parte, Senatum appellaverunt. Atque hoc etiam sensisse David in Psalmis videtur. Etenim de laudibus Dei in omnibus, & ab omnibus cœtibus celebrandis agens & Concionis, & Senatus mentionem poëtice fecit, ut eum inquit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio justorum, & congregatione*. Et alibi. *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra Seniorum laudent eum*. Item: *Odivi Ecclesiam malignantium, cum impiis non sedebo*. Pro concione C enim dixit congregationem, Græce συναγωγὴν, & Ecclesiam; pro Senatu Consilium, seu βουλὴν; & Cathedram Seniorum; tertium etiam adjuncturus, si usus suæ, quam intuebatur, Reipublicæ permisisset.

CAP. III.

De Concione.

POpuli porro (2) concio in sacris libris duabus vocibus Græcis plerumque est explicata: Synagoga, & Ecclesia, ut ex locis quoque modo prolatis cognoscitur. Neque enim adhuc erat illa inter Synagogam, (3) D & Ecclesiam differentia, quæ post traditum à Chri-

(1) Scriptores juris publici ad statum universæ Reipublicæ referunt sequentia: Primò jus legum ferendarum. Secundò jurisdictionem sine provocatione, quia frustra leges ferrentur, si Respublicæ potestate carerent illas executioni mandandi, & in delinquentes animadvertendi. Tertiò potestatem instituendi Magistratus inferiores. Quartò potestatem exigendi tributa, & vectigalia. Quintò potestatem armorum tractandorum, indicendi belli, & fœderis feriendi. Sextò percussionem æris, & his similia.

(2) A *con* & *cieo*, idest à conciendo Concio etymon habet. Concio enim est conventus, seu convocatio, proprieque illum conventum significat, qui a Sacerdote, vel Magistratu publice per præconis vocem convocatur.

(3) Synagogam Veteris Testamenti Ecclesiam dictam fuisse liquet ex pluribus locis, in quibus LXX. promiscue reddiderunt vocem קהל tam per vocem συναγωγὴν, quam per vocem ἐκκλησίαν. Ecclesiam quoque Novi Testamenti aliquando Synagogam appellatam fuisse negari non potest. Legitur apud S. Jacobum capite II. vers. 2. *Etenim si introierit* in

à Christo Evangelium intercessit. Ut autem tres, quemadmodum ab initio dixi, Hebræorum quasi Respublicæ fuerunt, totius populi, singularum Tribuum, & singularum in quaque Tribu Civitatum; sic tres quoque populi Conciones extiterant; una, in quam omnes Tribus Israël convenerunt; altera, in quam omnes unius Tribus familiæ; tertia, in quam universi cujusque Civitatis viri, de quibus sigillatim, quod nobis compertum sit, exponemus.

Universi igitur populi Concio à Deo est instituta. Hujus rei illa testimonio sunt, quod is sæpe Moysen in Exodo alloquens dixit: *Loquere filiis Israel. Loquere ad universum cœtum Israel*, & quod populus respondit: *Quæ locutus est Dominus, faciemus, & obedientes erimus*. Quin etiam cum Deus omnia Mandata, Præcepta, Justificationes, Judicia, & Testimonia sua exponi jussit omnibus filiis Israël, sane popularem hanc, de qua agimus, Concionem instituit. Unde illa sunt Exodi XXXV. *Congregata omni turba filiorum Israel*; & Numerorum XXVII. *Josue stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabit ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ suæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel*; & Deuteronom. IX. *Dedit mihi Dominus duas Tabulas lapideas, quando Concio populi congregata est*.

Hanc autem universi populi Concionem nemo convocare potuit, nisi qui summo cum imperio fuit, ut Duces, Judices, Reges, & Principes. De Duce elicitur ex XXIII. Josuë: *Vocavit Josue omnem Israelem, Seniores, Principes, Judices, & Magistros eorum*. Et sequenti: *Congregavit Josue omnes Tribus Israel in Sichem, & vocavit Seniores, ac Principes, & Judices, ac Magistros*. De Judice ex VII. primi Regum: *Dixit Samuel Judex, congregate omnem Israelem in Massphoth*. De Rege ex XIII. secundi: *Congregavit David Rex omnem populum*. Et XV. secundi Paralip. *Congregavit omnem Israel in Jerusalem*. Inde post decem Tribuum divortium XI. tertii: *Venit Roboam Rex in Jerusalem, & convocavit universam domum Juda, & Beniamin*. Demum de Principe diserte expressum est in decreto, quo Simon Princeps factus est, primo Maccabæorum, ubi dicitur: *Ut nemini advocare populum liceat sine ipso*.

Itaque de ratione etiam convocandi populi scriptum fuit in lege, ut cum populus acciretur, vario tubæ concentu advocaretur: *Fac tibi* (inquit Deus Numerorum X.) *duos* (4) *tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra, cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium Tabernaculi fœderis, si semel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israel; si autem prolixior ac concisior clangor increpuerit, movebunt castra primi, qui sunt ad Orientalem plagam, in secundo autem sonitu, & pari ululatu tubæ levabunt tentoria, qui habitant ad Meridiem. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt filii Aaron clangent tubis*.

Convenire autem consuevit populus tribus de caussis, ad audiendum, ad orandum, & ad agendum. Ad audiendum, ut cum à principio convenit ad audienda mandata Dei, ut Deuter. IV. *Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos*. Quare scriptum est primo Paralip. XXIX. *Locutusque est David Rex ad omnem Ecclesiam*.

Ubi vero ad orandum convenit, maxime in oppido Judæ nomine Maspha convenire solitus fuit, ut XI. Judicum: *Jephte locutus est omnes sermones suos coram Domino in Maspha*. Et primo in Maccabæorum tertio: *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Hierusalem, qui locus orationis erat in Maspha ante in Israel, & jejunarunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua*. Recte, sic enim dixerat Samuel primo Regum septimo: *Congregate universum Israël in Maspha, ut orem pro vobis Dominum*. Quoniam autem in Maspha neque Tabernaculum, neque Area tum fuit, sed in Silo, quia, ut scriptum est Judicum XX., *discedentes è Maspha venerunt ad domum Domini in Silo, & in conspectu ejus sedentes flere cœperunt*, sequitur, ut altare aliquod ibi statutum sit, quemadmodum in Excelsis erat, cujus caussa ad Dominum venisse dicantur, cum eò orationis caussa venerunt. Sic enim sequenti quoque capite dixit: *Et perrexit omnis populus in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino*: cum tamen in Galgalis Tabernaculum tum non esset. Et XV. *Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis*. nam etiam in Ramatha Samuel altare construxit, septimo primi Regum.

Ad agendum autem convenerunt duabus de caussis, unâ creandi Judicis, Regis, & Principis; alterâ, jubendi, aut gerendi belli. De Judice creando scriptum est Judicum IIX. *Populus ad Gedeonem dixit: Impera nobis*. De Rege primo Regum X. *Convocavit Samuel populum ad Dominum in Massphot, & ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego eduxi Israel de Ægypto, vos autem projecistis Deum vestrum, & dixistis, Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per Tribus vestras, & familias*, & post: *Et statim misit populus, qui Saulem domi absconditum convenirent, atque eò Massphat adducta clamavit: Vivat Rex*. De Principe vero sic secundo primi Maccabæorum: *Nunc te hodie elegimus esse pro Juda nobis in Principem*.

Con-

εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν *in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida* &c. Item in Epistola S. Ignatii ad Polycarpum: *Crebrius* συναγωγαὶ *celebrentur*: & apud S. Clementem Alexandrinum Stromatum libro VI. *Verbi virtus, verbum Domini lucidum, veritas quæ de Cœlo desuper* ἐπὶ τὴν συναγωγὴν *ad congregationem Ecclesiæ venit, per manifestum ac consequens operabatur ministerium*. Vox tamen Ecclesiæ in communi more cessit convocationi fidelium Christi, & Synagogæ cœtibus Judæorum. Quare ad id, quod revera res est, attendens S. Augustinus Enarratione in Psal. LXXX. vult cœtus Judæorum dictos esse Synagogam, idest congregationem, quod congregari & pecora soleant; Christianorum vero dici Ecclesiam, idest convocationem, quia convocari magis sit utentium ratione.

(4) Notavit Plutarchus in Sympos. Judæorum tubas parvas fuisse; sed juxta Josephum in Antiquit. lib. III. c. 9. hoc solum distabant à nostris, quod curvæ minime essent. Subdit Josephus alteram ex duabus tubis ad congregandum populum, altera ad convocandos Principes, uti consuevisse; ambabus vero clangentibus generalem Principum, & populi cœtum indictum fuisse.

Convenere antem etiam in (5) Masphat belli caussa primum contra Ammonitas, deinde contra Beniamitas, tum adversus Philistæos. De Ammonitis X. Judicum: *Filii Israël congregati contra Ammonitas in Maspha castrametati sunt*. De Beniamitis è Gabaa XX. *Viri Israël, quasi vir unus, de Dan usque Bersabee, & terra Galaad congregati sunt ad Dominum in Maspha: omnesque anguli populorum & cunctæ Tribus Israel in Ecclesiam populi Dei convenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum, ad quos Levita dixit: Adestis omnes filii Israël, decernite quid facere debeatis; stansque omnis populus, quasi unius sermone respondit: Non recedemus in Tabernacula nostra, nec suam quisque intrabit domum, sed contra Gabaa in commune faciemus*. Et sequenti de eadem re: *Juraverunt filii Israël in Maspha; Nullus nostrûm dabit filiis Beniamin de filiabus suis uxorem*; & post: *Quis est de universis Tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha*? De Philistæis vero dixit Samoel primo Regum septimo: *Congregate universum Israel in Maspha, ut orem pro vobis Dominum, & convenerunt in Maspha, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa, & dixerunt ille, Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israël in Masphat, & egressi filii Israël de Masphat, persecuti sunt Philistæos*. Hactenus de populo Tribuum uoiverso.

De populo vero singularum Tribuum, verisimile admodum videtur, cum siogulæ Tribus Principes suos habuerint, ipsas ex eorum auctoritate convenisse, consultasse, judicia fecisse, & bella gessisse. Atque aliarum quidem rerum post vestigia indagabimus, ubi de Principibus Tribuum differemus. Belli autem gesti duo hæc monumenta habemus. Josue XIX. *Danitæ proprium bellum gesserunt contra Lesem urbem, eamque ceperunt*. Inde Effraimitæ adversus Jephte Judicem ita egerunt, Judicum XII. *Ecce in Effraim orta est seditio, nam transeuntes contra Aquilonem dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Quibus ille: Quid commerui, ut adversus me consurgatis in prælium? Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad pugnavit contra Effraim*.

Fuisse præterea io singulis civitatibus populum aliquem, qui corpus ejus civitatis confecerit, ex eo colligi potest, quod io iisdem fuere quoque Magistratus, quos Civitatum Principes appellarunt, qui ei populo præfuerunt. Populi certe Hierosolymitani illustris est mentio, ut XXX. primi Paralipomenon: *Initio consilio Regis, & Principum, & universæ Synagogæ Hierusalem decrevere*, & mox: *Decrevit Rex, & Principes, & tota Ecclesia in Hierusalem, ut facerent Pascha*, et XIII. tertii Regum: *Stetit Salomon ante Altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israil*. Quibus ex locis apparet, alium esse populum Hierosolymitanum, alium Israëliticum, sive Judaicum. Quoniam vero Resp. Hebræorum omnino popularis non fuit, verum aut (6) Optimatium, aut Regia, ut supra dictum est, propterea populus haud magnas admodum in illa opes habuit, cum in aristocratia Senatus, in regno Rex prævaluerit. Quod si quid nervorum, aut Majestatis in populo fuit, maxime post deletum Babylonico exilio regnum id fuit, tum cum populus Assamonæos Principes sibi ascivit, & Rempobl. Græco more constituit. Nam primo secundi Maccabæorum scriptum est, literas publice missas esse, cum hoc indice: *Populus, qui est Hierosolymis, & Senatus, & Judas, Aristobulo Magistro Ptolemæi Regis salutem*, & XIV. *Simoni Pontifici, & Senioribus, & cuncto populo*, & libro XX. Josephi: *Claudius Cæsar Principibus, Senatui, populo, gentique Judæorum*, quasi vero populus partem aliquam Reip. haberet. Item: *Pharisæi steterunt cum populo contra Regem*, & apud Cicer. pro Flacco: *Multitudinem Judæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro Rep. contemnere gravitatis summæ fuit*. Quin etiam quantas turbas populus Hierosolymitanus in judicio Christi concitatus conciverit, notum est.

Ex quo apparet, oon solum, dum Judæa Regibus suis obtemperavit, sed etiam eum populo atque Imperatori Romano paruit, juris aliquid populari concioni fuisse, perinde atque in ceteris etiam Asiæ civitatibus, in quibus & jurisdictionem, & rei capitalis cognitionem Proconsul Romaous totum agens exercuit, alia vero populos advocata legitima concione cognovit. Legitima vero coocio dicta est, quæ ex Lege certis diebus coacta; ut confusa, quæ temere & extra ordinem est vocata. Hæc vero probantur non solum testimoniis Romanorum & Græcorum, quæ io libros de jure Provinciarum, & de Repub. Atheniensium conjecimus, ubi de foris & conventibus agendis, ubi de habenda concione docuimus, sed etiam S. Lucæ, qui peritus Græci & Romani moris de conventibus Roman. & legitima Ephesiorum concione, quam illi Ecclesiam oominabaot, sic scripsit Actuum XIX. *His auditis repleti sunt ira, & exclamarunt dicentes: (7) Magna Diana Ephesiorum, & impleta est civitas tota confusione, & im-*

(5) Plura loca in sacris literis hoc nomine vocantur, quod *Maspha* vel *Masphat* nomen genericum est apud Hebræos, significans locum in edito positum, unde quum in longiora sit prospectus, vigiles præsertim ibi collocabantur. Ceterum Masphat, de quo hic est sermo, videtur fuisse in Tribu Benjamin, in monte Silo excelso loco, ubi comitia populi prope sedem Arcæ fœderis plerumque habebantur. De hoc oomine quædam annotavimus superius.

(6) Ad nullam Rerumpublicarum formam, quas Græci assignant, Rempublicam Hebræorum, si pressius loqui velimus, referri posse, nos suo loco advertimus. Theocratica enim fuit eorum Respublica, in qua Deus & leges condidit, pœnas in transgressores decrevit, constituit Magistratus, ritus Sacros præcepit &c. Et quamquam ex eo tempore, quo Judæi Regem petierunt, qui imperaret super eos, videtur aliquo modo Theocratia imminuta fuisse, dicente ipso Deo: *abjecerunt non te*, idest Samuelem Judicem, *sed me, ne regnem super eos*: non cessavit tamen Deus peculiari quadam ratione populum illum tueri, sæpius docens per ora Prophetarum, quid facto opus esset in arduis rebus, reputansque illum ad adventum usque Messiæ pro populo suo, cui credita erant oracula, & promissiones de Reparatore humani generis a Tribu Juda, & domo David nasciturο.

(7) Diana apud Ethnicos locum inter magnos Deos habebat; magni enim Dii erant duodecim, ceteri autem Dii minorum Gentium audiebant. Hoc disticho magnos Deos Ennius complexus est:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

impetum fecerunt uno animo in (8) *theatrum*. *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Erat enim Ecclesia confusa*, & mox: *Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem caussam, conventus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent invicem, si quid autem alterius rei quaeritis, legitima Ecclesia poterit absolvi. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam*. Quo in loco si interpres pro Ecclesia concionem reddidisset, sine dubio sententiam multo clarius expressisset. Has vero duas conciones, confusam, & legitimam, significavit etiam Æschines in oratione de ementita legatione, inquiens: *Plures conciones* (sive Ecclesias) *evocatas coacti estis inire cum metu, & tumultu, quam constitutas à legibus*. Ulpianus autem in Demosthenem prodidit, singulis mensibus ternas ex lege Conciones habitas esse: quod etiam S. Joannes Chrysostomus, scribens in Acta confirmavit. Quare meritò sedato tumultu, dixit Scriba ad Ephesios, qui confusam Concionem inierant, si crimen adversus aliquem habetis, quod deferre velitis, Proconsulem Asiæ adite, cum forum aget, & conventum habebit, idest, cum jus dicet Ephesi. Sin autem alia caussa est, expectate legitimam Ephesini populi Concionem, atque apud eam agite. Atque his dictis dimisit Concionem, quæ confusa erat, idest, temere, & non ex lege convenerat. De (9) foris porro, & convenientibus Asiæ sic Strabo libro XIII. *Phrygiæ, Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægre distingui possunt, quod inter se coëant; ad eorum vero confusionem non parum attulere Romani, qui non ex gentibus eos diviserunt, sed alio modo Diœceses descripserunt, in quibus fora agunt, & jus dicunt*. Diœceses porro, sive conventus, sive fora Asiæ, teste Plinio, fuerunt Laodicensis, Synnadensis, Apamensis, Alabandensis, Sardiana, Smyrnæa, Ephesina, Adramyttena, & Pergamena. De Concionibus autem Asiæ, & Græciæ fluctuantibus sic Cicero pro Flacco: *Græcorum tota Respublica sedentis Concionis temeritate administratur; vetus illa Græcia hoc uno malo concidit, libertate immoderata, ac licentia Concionum, cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignarique consedeant. Quod si hæc Athenis accidere sunt solita, quam moderationem putatis in Phrygia, aut in Mysia Concionum fuisse? nostras Conciones illarum nationum homines plerumque perturbant; quid cum soli sunt ipsi, tandem fieri putavit?*

CAP. IV.

De Senatu.

EXposita Concione, dicendum est de Senatu. Hunc vero habuere etiam Hebræi, eumque, ut populum, triplicem, unum, in quem convenere Seniores populi universi; alterum, in quem, qui erant Tribuum singularum; tertium, in quem, qui erant singularum Civitatum.

(10) Senatus universi populi constitutus est à Deo ex septuaginta hominibus, qui ceteris ætate toto Israële præstarent. Sic enim ille dixit Numer. XV. *Congrega mihi LXX. de Senioribus Israil, quos tu nosti, quod Seniores populi sint, & Scribas, & duces ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, & descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Itaque homines, qui ex hoc ordine fuerunt, Græci Senatum, Senes, & Seniores, & Senatores vocarunt, Consilium βουλὴ, Consilii locum βουλευτήριον, homines βουλευτάς appellarunt, quasi dicas Consilium, Consiliatorium, & Consiliarios.

(11) Assedere autem hi in Urbe Metropoli summo Reipublicæ principi, atque ab eo adhibiti una cum principibus populi de summa rerum Consilia inierunt; unde Josephus illud retulit ex lege: *Nihil agat Rex sine Pontificis, ac Senatorum sententia*. Horum Consiliorum hæc

(8) Theatrum locus erat, in quo & ludi spectabantur, & orationes audiebantur, & rei puniebantur, eos non raro feris objiciendo. In theatrum enim populus concurrere solebat apud Græcos magna frequentia, ut testatur Diodorus Siculus libro XVI. hisce verbis: *Universus vero populus orto statim diluculo concurrebat ad theatrum*.

(9) Forum an dictum sit à *ferendo*, quod eò quisque controversias suas, & quæ vendere vellet, conferret, an a voce *foras*, quod foras & sub dio esset, an demum a *fando*, quod in eo judicia fierent, conciones haberi solerent, & ageretur cum populo, Grammaticis disquirendum relinquimus. De foris Auctor Noster agit, prout loca erant, in quibus conciones habebantur. Nam priscis temporibus concio habebatur in foro, qua de caussa concio ipsa ἀγορὰ etiam appellabatur.

(10) Senatorum Collegium, seu Concilium Senatus definitur. Senatores apud Romanos, à senectute dictos, institutos feruntur a Romulo hac ratione. Primum ex omnibus unum secrevit, cui rerum Urbanarum regimen committeret, quoties ipse foris bello detineretur: jussit deinde unamquamque Tribum tres viros seligere, qui per ætatem maxime saperent, & genere præcellerent: post hos novem mandavit singulis Curiis, ut è Patriciis ternos eligerent cum primis idoneos, adjectisque ad illos novem, quos Tribus legerant, his nonaginta, centenarium numerum explevit una cum Duce, quem ipse secreverat.

Senatores etiam apud Græcos ab ætate dicebantur γέροντες, πρεσβύται, vel πρεσβύτεροι; non ita tamen appellati erant, ut in illis magis ætatis, quam virtutum ratio haberetur: non enim ætas hominem spectabilem facit, & Reipublicæ utilem, si a rerum prudentia, & animi fortitudine sejungitur.

Hebræi eorum Senatum appellabant בית דין *Beth din domum judicii*, in quem nisi senes spectatæ virtutis cooptare solebant: quamobrem ipsi adagio ferunt: *væ urbi, in qua senes desipiunt*. Postquam vero Judæi Græca lingua uti cœperunt, συνέδριον eorum Senatum cœperunt appellare.

(11) Tria in Republica Hebræorum fuisse dicuntur Synedriorum genera; minimum, seu Triumvirale, quod tribus constabat judicibus, atque in singulis oppidis, quæ pauciores, quam centum viginti incolas habebant, præerat: Medium viginti & trium virorum erat, & in oppidis, ubi plusquam centum viginti patres familias erant, considebat: Maximum denique, quod supremum in Gente Judaica judicium constituebat, summaque pollebat auctoritate, prope ipsum Sanctuarium habuisse sedem videtur, & tandem facta Hierosolyma Urbe Metropoli in ea morabatur, extructoque Templo considebat in conclavi הגזית *Agazith*, idest *caesura* propter cæsos lapides, quibus erat constructum.

hæc testimonio sunt, V. Deuteronomii inquit Moyses: *Accessistis ad me omnes principes Tribuum, & Seniores*; & XXVII. *Præcepit Moyses, & Seniores Israel populo dicentes: Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis*. Item Josuë XXIII. *Vocavit Josue omnem Israëlem, Seniores eorum, Principes eorum, Judices eorum, & Scribas eorum*. Inde sub Judicibus XXI. *Seniores statuerunt, ut Beniamitæ raperent virgines Siloitarum in uxores*. Tum sub Salomone Rege, septimo tertii Regum: *Congregati sunt omnes Seniores Israël ad Regem Salomonem in Jerusalem*; & primo secundi Paralip. *Ezechias Rex iniit consilium cum Senioribus obturandi capita fontium*. Quanquam autem diviso Regno Senatus Judæorum ex sola Tribu Juda, & Beniamin est delectus, numerus tamen LXX. Seniorum est conservatus; siquidem Ezechiel VII. dixit: *Et septuaginta viri de Senioribus Israel*, cum tamen ætate Ezechielis decem Tribus Israël in Assyria essent, & Hieremias XIX., Seniores populi nominavit: *Accipe lagunculam figuli à Senioribus populi, & Senioribus Sacerdotum*. Neque vero solum stante Regno, hic viguit Senatus, sed etiam illo everso post reditum Judæorum ex Babylonia idem est institutus; siquidem apud Isaiam primo scriptum est: *Restituam Judices tuos, & Consiliarios tuos, sicut antiquitus*; & apud Esdram decimo: *Omnis, qui non venerit in tribus diebus, juxta consilium Principum, & Seniorum, auferetur omnis substantia ejus*; & XII. primi Maccabæorum: *Jonathas Pontifex gentis, & Seniores, & reliquus populus Judæorum*; & primo secundi: *Populus, qui est Hierosolymis, & Senatus, & Judas Aristobulo Magistro Ptolemæi Regis salutem*; & XI. *Rex Antiochus Senatui Judæorum, & ceteris Judæis*, & XIV. *Simoni Pontifici, & Senioribus, & cuncto populo*; & S. Lucas XII. *Seniores plebis summo mane vocati*. Græce Presbyterium populi. Narrat etiam Josephus, ultimis Urbis temporibus Florum Judææ Procuratorem, advocatis principibus Senatorum, & Senatu, dixisse, se velle Urbe decedere; additque cum Templo Curiam etiam conflagrasse, quam ille Buleuterium nominat. Quanquam autem Senatus hic consultandi gratia semper mansit, est tamen intelligendum, Reges, qui in potestate Rempublicam habuerunt, neque obnoxii legibus fuerunt, etiam sine Senatus auctoritate decreta fecisse, ut qui cum summo imperio essent, non quales Deus præscripsisset, sed quales ipsi optassent.

Tribus porro singulas suos habuisse Senatores, ab iis, qui universi populi erant diversos, conjectura probabilius, quam auctoritate certius est. Quanquam enim scriptum est XX. quarti Regum: *Congregati sunt ad Regem Josiam omnes Seniores Juda, & Jerusalem*; & XXX. primi: *David misit dona de præda Senioribus Juda proximis suis*: & XIX. Hieremiæ dixit Deus: *Occidam Consilium Judæ*; fieri tamen potest, ut qui Judæ Seniores dicuntur, iidem sint cum Senioribus populi.

Civitates autem sine dubio suos quæque Senatores adeptæ sunt, ab illis, quos diximus, separatos; unde illa: *Congregati sunt ad Regem Josiam omnes Seniores Juda, & Jerusalem*; & Josephus libro XI. *Seniores Jerusalem graviter ferebant, fratrem Jaddi Pontificis mulierem alienigenam in matrimonio habere*; & Judicum XI. *Perrexerunt Seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium suum Jephte; dixeruntque ad eum: Veni, & esto Princeps noster*; & VIII. *Apprehendit puerum de viris Socchot, interrogavitque nomina Principum, & Seniorum Socchot*; & Ruth IV. *Tollens Booz decem viros de Senioribus Civitatis Bethleem, dixit ad eos*.

CAP. V.

De Judiciis.

Diximus de Consiliis, in quibus præcipue de utilitate Civitatis est disceptatum; deinceps dicendum est de Judiciis, in quibus singularis æquitas definita est, quæ lege aut provideri, aut præscribi non potuit. Hæc autem Judicia Græci Bibliorum Interpretes modo κρίσιν, modo δίκην verterunt, nimirum vim ipsam duplicem Judiciorum spectantes, in quibus condemnatio, & absolutio continetur: quas his duabus vocibus, Judicio, & Justitia, sive Justificatione, ut supra ostendimus, expresserunt.

Judiciorum porro Tribunalia apud Hebræos fuere duo, unum in singulis (12) Civitatibus κρίσις vocatum, alterum præcipue Hierosolymis, συνέδριον nominatum; quæ latinus Interpres vertit Judicium, & Concilium; unde dixit Christus apud S. Matthæum: *Omnis, qui (13) irascitur fratri suo, reus erit Judicio; qui autem dixerit (14) rhaca, reus erit Con-*

(12) Κρίσις, & συνέδριον, seu minus, & majus judicium, seu Senatus, multifariam inter se differebant; præcipue in sequentibus. Primò ratione potestatis, nam in minore Senatu, præsertim Triumvirali, caussæ capitales dijudicari non poterant, erantque reservatæ majori. Secundò ratione provocationis, nam à minore Senatu ad majus, & non contra, poterat appellari. Tertiò ratione loci, nam Senatus minor considebat sub portis urbium, sub quibus judicia exercebat: at Senatus major intra atrium Templi in conclavi הגזית, ut supra diximus, postquam Templum fuit constructum.

(13) Scribæ, & Pharisæi homicidia Legi divinæ subjiciebant; iram vero, & convicia, quæ ad homicidia viam sternunt, pro nihilo habebant, quod Lex Moysis id genus injurias nullibi mandabat, ut punirentur, nisi quis Principi, aut parentibus maledixisset. At Christus Dominus docere volens Pharisæos iram etiam, & quæcunque convicia in proximum prohiberi, itemque pro delictorum gradibus pœnarum gradus superesse; alludit ad civilia Judæorum judicia, quæ apud eos obtinebant antequam Romanorum ditioni subderentur, & præsertim ad secundum, & tertiam judicium, de quibus supra verba fecimus. Inquit enim apud S. Matthæum V. 21. & 22. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit* τῇ κρίσει *judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit* τῷ συνεδρίῳ *concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit* εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός; *gehennæ ignis*. De hac voce Gehenna vide infra capite septimo.

(14) Vox Raca apud Judæos ita scribitur ריקא *Rica*, vel *Reca*, & esse potest aut à radice רק *sputa*, atque adeo illa significat eum contemptum, quem despuendo quis ostendit; aut à radice ריק *vacuus*, ut Raca sit vox convicii levioris, fatuus vero gravioris. A qua-

Concilia. Aliud vero fuisse Judicium à Concilio, ostendit David in primo Psalmo, cum dixit: *Ideo non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum.*

CAP. VI.

De Judiciis Civitatum.

AGamus autem primum de Judiciis Civitatum, deinde de Concilio Hierosolymitano, quando instituta, confirmataque sint, quinam ea inierint, qui præfuerint, ubi convenerint, & quo demum ordine caussas cognoverint.

Dico ergo, Judices Civitatum cum principibus suis, qui Græce γραμματοεισαγωγεῖς dicti sunt, institutos esse in solitudine à Moyse, primum ex auctoritate soceri sui Jethro, deinde ex Dei præcepto. Cum enim Moyses anno primo in Deserto ad caussas audiendas assedisset, monitus est à (15) Jethro socero, ut labori illi parceret, ac viros sapientes, gnaros, & prudentes pro se ad judicandum statueret, ac sibi tantùm rerum graviorum cognitionem reservaret. Itaque ille tum principes, de quibus post dicetur, Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos, sive, ut Græcus edit, Chiliarchos, Hecatontarchos, Pentecontarchos, & Decadarchos, Judicibus caussarum introductores, sive Grammatoisagogeos præposuit. Exodi XVIII. *Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicarent plebem omni tempore.* Quamobrem post annum quadragesimum commemorans populo, quæ à se acta fuissent, intulit primo Deuteronomii: *Dixi vobis: Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus, ac jurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in Tribubus vestris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. Tulique de Tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos singula, præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod justum est, judicate, sive civis ille sit, sive peregrinus; nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.* Græce autem illud apertius, & ad horum Judicum rationem explicandam accomodatius: *Et constitui eos præesse super vos Chiliarchos, & Hecatontarchos, & Pentecontarchos, & Decarchos, & Grammatoisagogeos Judicibus vestris.* Pro eo enim, quod Latinus vertit: *Qui docerent vos singula*, Græcus refert, *Grammatoisagogeos Judicibus vestris*. Accessit inde lex Dei, qua de Judicibus hisce cautum est cap. XVI. his verbis: *Judices, & Magistros constitues tibi in omnibus Civitatibus tuis, quas Dominus Deus dat tibi secundum Tribus, & judicabunt populum justo judicio; neque flectent judicium, neque agnoscent personam, neque accipient munera.* Et hoc loco pro *Magistris* Græcus edit *Grammatoisagogeos*. Hanc autem legem sic retulit Josephus, ut Judices etiam sorte fuisse lectos ostendat: *Sint etiam, qui ad judicandum sorte exierunt, Civitatibus in summo honore, & præsentibus convicia non dicantur. Judices autem jus habeant pronunciandi, quod senserint, præterquam si quis eos accepisse munera ad judicandum ostenderit, aut aliam non recti judicii caussam attulerit.*

Ut autem eos Moyses instituit, sic postea (16) Josaphat Rex in Regno Judæ confirmavit; ut traditum est XIX. secundi Paralipomenon: *Constituit Judices terræ in cunctis Civitatibus Juda munitis per singula loca, & præcipiens Judicibus: Videte, inquit, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite; non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupiditas munerum.*

Perturbatis inde in Babylonica terra Judiciis, Judæi, postquam in patriam redierunt, ut cetera, sic hæc quoque restituerunt. Quod fore præmonuerat Isaias capite primo, cum has Dei voces ediderat: *Et restituam Judices tuos, ut fuerant prius*; & deinde ut ita fieret,

Rex

quacumque radice Hebræa deducatur, hoc constat, hac voce uti consuevisse Judæos ad insignem contemptum indicandum, exprimendumque animam adversus proximos vehementer commotum. Quin hæc vox esset usitatissima, plura ejus occurrunt exempla in scriptis Rabbinorum, ubi Raca apertam animi indignationem significat. Exempli caussa, legitur in Midras Tillin ad Psalmum 137. *Nupta est Regis filia sordido cuidam nebuloni: imperat ille, ut ea sibi adstet ut servula, & sit à poculis. Cui illa: Raca, ego sum filia Regis &c. Et alibi, dixit Ethnicus Israelitæ: paratum tibi apud nos est esculentum appositissimum. Quale? inquit Israelita. Cui ille: Caro Suilla. Raca, inquit Judæus, de bestiis etiam mundis apud vos non comedendum &c.*

(15) Habetur Exodi capite XVIII. hujus rei historia. Dicitur enim ibi, altera die, postquam Jethro Moysis Socer venit in solitudinem ad eum invisendum, vidisse Moysem ad audiendas caussas totius Israelis incumbentem, totaque die in eo re laborantem. Huic Jethro suasit, ut idoneos viros deligeret, quibus ea committeretur provincia, seque relaxaret ab immani labore minuta quæque cognoscendi, ad ardua negocia opportune se reservans. Moyses consilium probans, difficiliores quæstiones sibi reservavit, in reliquis viros optimos constituit super populum, alios super mille, alios super centum, alios super quinquaginta, & alios demum super decem. Si quæras, cur Moyses cum primis Sapiens, itemque Deo familiaris, hoc consilium aut à se ipso non excogitavit, aut à Deo non accepit: Respondeo cum S. Augustino, voluisse Deum ab alienigena famulum suum sibi familiarem admoneri, ut per hoc disceremus, per quemlibet hominem detur nobis consilium veritatis, illud non debere contemni.

(16) Josaphat Rex Juda filius Asa, pietate & zelo patri non modo æqualis, sed superior fuit. Restituendæ enim religioni diligentem navavit operam, Excelsa, & lucos evertens, in quibus infanda agebantur, etsi ex indulgentia, & quadam œconomia toleravit Excelsa illa, quæ Deo erant dicata, ut alibi diximus. Anno tertio Regni misit Principes, Sacerdotes, & Levitas in urbes totius ditionis, qui populos Legem Dei erudirent, illius librum deferentes. Ob hæc religionis officia pio Regi Deus gratificatus est, illum ita formidabilem reddendo finitimis Gentibus, ut Philistæi, & Arabes ei tributum ultro penderent. Judicum etiam subsellia oppidatim constituit, virisque probis, ac sapientibus id muneris commisit, illa gravi admonitione ad eos præfatus, quam Noster hic refert: *Videte quid faciatis &c.*

Rex Artaxerxes mandavit; sic enim scripsit VI. apud Esdram: *Constitue Judices, & Scribas, ut judicent omni populo*. Scribas enim vocavit ipsos, quos diximos, Grammatoisagogeos. Restitutos inde lætatus est Psalmista, auctore S. Athanasio, qui Urbe Hierosolyma reædificata, & judiciis restitutis, prout à Domino prædictum fuerat, lætitia exultans cecinit Psalmo CXXI. *Lætatus sum in iis, quæ dicta sunt mihi. In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, Jerusalem, quæ ædificatur, ut Civitas; cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini testimonium Israël ad confitendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in judicio* (vel in judicium, ut Græcus habet) *sedes super domum David*. Atque ita deinde usque ad extrema tempora Judæorum.

Judices autem hi è corpore Senatorum cujusque Civitatis videntur fuisse lecti: quemadmodum à primis etiam temporibus apud Romanos judicia à Senatoribus agitata sunt. Docet lex ipsa multis in locis. Deuteron. XIX. *Si fugerit percussor ad unam de prædictis Urbibus, mittent Seniores Civitatis illius, & arripiant eum de loco effugii*; & XXI. *Quando inventum fuerit cadaver, & occisor ignorabitur, exiet Senatus Civitatis ejus, & metientur à loco cadaveris*. Unde IV. Ruth: *Tollens Booz decem viros de Senioribus Civitatis Bethleem, dixit ad eos: Sedete hic, & testes estote. Respondit populus, qui erat in porta, & Seniores: Nos testes sumus. Et coram eis accepit possessionem Elimelech*.

Conditiones porro proborum Judicum, quatuor ex lege elicuit Philo in libro de Judice: Unam, ne (17) vanos auditus excipiat. Quod in lege Interpres vertit XXIII. Exodi: *Non suscipies vocem mendacii*. Cujus præcepti Philo hanc rationem reddidit: quia *oculi*, inquit, *rebus ipsis intersunt, & contrectant quodammodo negotia adjuvante luce, per quam illustrantur, deprehenduntur que omnia; aures autem, sicut recte dixit quidam è veteribus, minus fidei habent, quam oculi, ut quibus non cum rebus ipsis sit commercium, sed cum verbis rerum Interpretibus non semper veritatem sectantibus*. Alteram, ne (18) munera accipiant, quod excœcent etiam prudentes, & subvertant verba justorum. Nam muneribus induci ad injustitiam, est scelerati hominis, seminali, non reddere jus absque operæ præmio. Sunt enim quidam inter justos, injustosque medii instituti ad tuendos oppressos ab oppressoribus, qui tamen nolunt gratis ferre sententiam pro caussa meliore; oportet autem ut sententia Judicis sit non solum legitima, sed etiam incorrupta. Tertiam, ut caussas partium examinent ante judicium, semoto omni personarum respectu, sive sint cives, amici, familiares, sive contra: ne quid benevolentia, vel odium cognitioni officiat. Quartam, ne in judicio pauperis misericordia moveantur; sic enim inquit lex: *Non misereberis pauperis in judicio*, cujus dicti rationem hanc idem affert. Pauperes in solo judicio miserari nefas; nam misericordia debetur infelicibus, quisquis autem sponte male fecit, non infelix, sed iniquus est; iniquis autem pœna, justis præmium proponitur. Itaque nemini misero propter suam inopiam pœna remittatur, quia non misericordiam, sed iram meretur; & qui ad judicandum accedit, debet more boni nummularii naturas negotiorum discernere, ne turbatis signis, confundantur proba cum improbis. (19) Hæc de Judicibus.

Judicia porro in porta Civitatum, quæ Judicii dicebatur, exercita sunt. Indicat lex Deuteronomii XXV. *Si noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam Civitatis, & vocabit Senatum*. Item XXI. *Si quis genuerit filium contumacem, qui parentes non audiat, apprehendent eum, & ducent ad Seniores Civitatis ejus, & ad portam Judicii, & dicent ad eos: Filius noster inobediens est*; & sequenti: *Si quis odio uxoris objiciat ei, quod virgo non sit, parentes ferent secum signa virginitatis ejus ad Seniores Urbis, qui in porta sunt*; & XXV. *Perget mulier ad portam Civitatis, & loquetur Senioribus Urbis illius*. Quin etiam Josuë VIII. ita scriptum: *Stabit ante portam Civitatis, & loquetur Senioribus Urbis illius*; & IV. Ruth: *Tollens Booz decem viros de Senioribus Civitatis Bethlem, dixit ad eos: Sedete hic, & testes estote. Respondit populus, qui erat in porta, & Seniores: Nos testes sumus, & coram eis accepit possessionem Elimelech*. Hinc Proverb XXII. *Non conteres egenum in porta, quia judicabit Deus caussam ejus*; & XXXI. *Nobilis in porta vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ*; & Psalmo CXXVII. *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*.

Hæc vero hoc modo peracta sunt. Qui litem alteri intendere cupiebat, is aliquem ex Principibus Judicum, qui Grammatoisagogei dicebantur, adibat, & caussam suam exponebat, ab eoque, ut eam ad judices introduceret, postulabat. Ille vero, si controversiam recepisset, (nam & respuere poterat) eam statuto die ad Judices introducebat, unde nomen Introductoris accepit. Hæc autem eo loco probabo, in quo de Principibus Judicum di-

(17) Eleganter Sanctus Gregorius Nyssenus ad illud: Καθὼς ἀκούω, κρίνω, *sicut audio, judico*, necessitatem exponit utriusque partis audiendæ, antequam judicium proferatur: *Hæc est*, inquit Homilia VII. in Cantic., *justi judicii accuratissima definitio . . . . primum audire eos, qui subeunt judicium, & deinde in eos ferre sententiam*. Ad hanc rem fertur Alexander Macedo dum controversias audiret, aurem alteram obturasse, ut eam integram reo servaret. Plutarchus in vita Alexandri.

(18) Districte in Sacris literis Judici præcipitur, ne munera accipiat, quæ excæcant homines, & à recto virtutis tramite eos abducunt. Gentilis quoque nationibus idem fuit persuasum; observatque Plutarchus, Justitiam cœcam, & sine manibus pictam fuisse ab Ægyptiis, ut innuerent justitiæ Præsides, neque hominum vultu esse flectendos, neque capiendos muneribus.

(19) At Judæorum Magistri plura volunt necessaria fuisse, ut quis Judex esset, præsertim in magno Synedrio. I. ut Judex designandus esset sine ullo corporis vitio. II. ut calleret septuaginta linguas, ne adigeretur per interpretem audire. III. ne nimia senectute tabesceret. IV. ne esset Eunuchus, quum Eunuchos credunt fœdis moribus præditos esse. V. ut esset pater liberorum, quibus plus misericordiæ inesse putant. VI. demum ne esset Magiæ plane rudis, eamque artem tanti esse volunt Verpi, ut qui illa careret, non potuerit, eorum sententia, de Magis judicium ferre, & feminis de adulterio suspectis poculum סוטה *Sota* propinare. Nugæ, nugæ ab impiis nebulonibus cusæ.

disputabo; neque enim eadem bis reperenda videntur, sed suo quæque loco, eoque maxime idoneo dispensanda. Talmudistæ vero rem ita actam esse prodiderunt. Qui jus poscebant, primum ad judices suæ civitatis adibant, quibus non audientibus, ad propinquioris accedebant. Quod si ne illi quidem aures præbuissent, tum ad Judices Hierosolymitanos se conferebant, qui duabus in portis sedebant, inde ab eis, si ne ita quidem voti sui compotes facti fuissent, ad Concilium confugiebant, quod Sanhedrin appellabant. Verba eorum, qualia à Petro Galatino homine aliquando Hebræo referuntur, hæc sunt: *In principio non erat controversia in Israel, sed domus Judicii LXXI. Judicum in diversis locis sedebant, una enim earum sedebat in porta montis domus, idest, Templi, altera vero in porta Atrii, reliquæ autem domus Judiciorum XXIII. Judicum sedebant in singulis civitatibus Israel. Cum vero aliquid poscendum erat, à domo Judicii, quæ in civitate propria erat, poscebatur, si audiebant, dicebant: sin minus, ad illum ordinem veniebant, qui in propinquiore civitate erat, qui si audiebant, dicebant apud eos: sin minus, ad illum ordinem ibant, qui in porta montis Domini erat; dicebantque: Sic exposui, & sic socii mei exposuerunt; sic docui, & sic socii mei docuerunt, qui si audiebant, dicebant apud eos; sin minus, ad eum ordinem veniebant, qui in porta Atrii domus Domini erat, dicebantque: Sic exposui, & sic socii mei exposuerunt; sic docui, & sic socii mei docuerunt. Qui si audiebant, dicebant apud eos: sin minus, & isti, & illi ibant ad consistorium Gazith, in quo Sanhedrin à mane usque ad vesperam sedebant, in Sabbatis autem, & diebus solemnibus in muro sedebant.* Hactenus Talmudistæ.

Porro autem de (20) testibus audiendis hæc in lege sunt. Deut. XVII. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur, nemo occidatur una contra se dicente testimonium*, & XIX. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium stabit omne verbum*; atque inde addit de falsis testibus (21) judicio severissimo vindicandis. Unde eadem explicans dixit Josephus: *Uni testi fides non habeatur, sed tribus, aut duobus, quorum vita spectata sit, Mulieribus propter levitatem, aut temeritatem non credatur, neque servis propter generis humilitatem: quos aut lucro, aut timore ad testimonium dicendum adduci videtur verisimile; si quis testatus falsum deprehendatur, eadem pœna afficiatur, qua ille afficiendus fuit, pro quo testimonium dixit.* Eadem etiam lege sanctum, ne quis damnaretur indicta caussa, sic enim Nicodemus apud S. Joannem septimo: *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid fecerit?* Extat demum lex de sententia ferenda his verbis Deuteronomii cap. XXV. *Si fuerit caussa inter aliquos, & interpellaverint Judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis; sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

CAP. VII.

De Concilio Hierosolymitano.

Consistorium autem (22) Gazith, quod (23) Græci συνέδριον & Cathetram, Latini Concilium, Talmudistæ Sanhedrin nominarunt, fuit Tribunal omnium & numero, & di-

(20) Maimonides in Tractatu *Adoth.* cap. 9. sequentes rejectos fuisse scribit a testimonio ferendo, feminas, servos, minores, fatuos, surdos, & mutos, cæcos, impios, impudentes, propinquos, amicos, inimicos, & falsi ante convictos. Nonnulli Magistrorum addunt, aleatores, nundinatores fructuum anni septimi, qui ad usum, non ad quæstum erant concessi, & eos denique, qui columbas volare docebant.

(21) Lex habetur Deuteronomii XIX. 18., & sequ. *Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.*

(22) Hebraice גזית, & Conclave erat in Templo ex dolatu lapide, in quod Synedrium cogebatur, ut de capitalibus quæstionibus judicium ferret: itemque de gravioribus caussis ad Hebræorum Rempublicam spectantibus. Major pars Eruditorum collocat Conclave Gazith ad Meridiem Templi, & Rabbini scribunt illud situm fuisse partim in area Sacra, partim in profana, duoque ostia habuisse, quorum unum Sacrum versus, alterum profanum versus aperiretur, sedissque Senatores in dimidio Conclavis profano, quod nemini, Judæis testantibus, præter Reges familiæ David sedere in loco Sacro licuerit. Deinde Conclavi Gazith ita alligant Magistri auctoritatem Synedrii, ut judicia capitalia exercere extra illud, illicitum fuisse statuant, non solum a viris Synedrii Magni, sed etiam à Synedriis minoribus, postquam desiit illud Conclave esse sedes Magnæ domus Judicii. Hinc quum migraverit Synedrium ex Conclavi Gazith sub quadragesimum annum ante excidium Templi secundi (& decem migrationes enumerant Judæi, quarum ultima facta fuit Tiberiadem) hoc tempore dicunt, nullam fuisse Synedrio auctoritatem de re capitali sententiam ferendi. Excidium Templi ad annum attinet Vespasiani secundum, qui septuagesimo Christi respondet; atque adeo sub annum Christi tricesimum facta fuit Synedrii prima migratio ex antiqua sede Gazith. Dicunt Pilato Judæi apud S. Johannem XVIII. 31. *Nobis non licet interficere quemquam*; quæ tamen verba non ita sunt accipienda, ut dicamus, non licuisse Synedrio tunc temporis quemquam pœna mortis afficere, quod illud tum in Gazith non cogeretur: sed illis Interpretibus assentior, qui volunt ideo ea verba Judæos dixisse Pilato, quod a Romanis adempta erat potestas gladii Synedrio: unde licet illud potuerit litem instruere, & quempiam reum mortis pronunciare, non poterat tamen capitis sententiam executioni mandare. Non nego tamen nonnullos per id temporis a Judæis interfectos fuisse, & S. Stephanum quidem occiderunt; sed id factum fuit motu potius populari, quam Synedrii sententia; & fortasse absente Præside, ut aliqui advertunt.

(23) Συνέδριον Græcam vocem esse, & non Hebræam ita evidens est, ut plane desipiant quidam Rabbini, qui Hebraicam etymologiam in Synedrio investigant. Vox Græca *consessum* Latine significat, ab caedris, sive cathedris originem habens. Multa enim Græcorum vocabula in Judæorum linguam fuerunt invecta, postquam Græci in Judæa cœperunt dominari. De hisce verbis integrum Tractatum composuit Rabbi Cohen de Lara, quem legere poteris, si lubet.

dignitate Judicum amplissimom in ea urbe, quam Deus elegit, ac caput esse sanctitatis atque imperii statuit, idest, primùm in Silo, deinde Hierosolymis, sive primùm in Tribu Effraim, deinde Juda, eo consilio constiturum, ut quæ à Judicibus civitatum singularum variantibus de jure factove sententiis definiri non possent, huc denique referrentur. De hoc vero Tribunali acturus primùm omnia, quæ à Talmudistis dicuntur, exponam; deinde, quid ipse apud sacros scriptores legendo compererim, addam. Sic igitur variis in locis illi: *Tempore Moysis Dei jussu* LXX. *seniores ætate provecti, ac scientia probati delecti fuerunt, qui ipsius Moysis in populi regimine coadjutores essent, ad quos & omnes legis difficultates declarare, ac definire, & in rebus gravibus, & caussis arduis judicare pertinebat. De quibus illud Deuteronomio scriptum est: Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evocet. Hi autem Sanhadrin vocabantur, & sedebant in consistorio Gazith ad judicandum judicia animarum, dicebantur quoque Mechekim, idest, scribæ, sive legum latores, eo quod quidquid tradebant, & scribebant, tanquam lex ab aliis haberetur. Quorum collegium sceptrum datum à Spiritu Sancto Jacob domui repræsentabat, & in ipsis sceptrum ipsum pendebat. Quare non solum sub Regibus & Ducibus residentes judicandi potestatem exercuerunt, verum nullo etiam Rege aut Duce apud Judæos existente, eorum tamen duravit auctoritas. Quatuor autem modi occidendi traditi sunt eis, lapidare, comburere, occidere, & strangulare. Unde habebant, quod quando interfecissent animam, idest, cum aliquem occidendum judicassent, tota die illa nihil gustarent. Judicia porro de pecuniis & bonis mobilibus fiebant per tres judices, animarum per viginti tres. Nemo autem judicabat Tribum, sceptrum, Pseudoprophetam, aut Sacerdot magnemum, nisi domus judicii LXXI. judicum, nec egrediebatur ad bellum, nisi secundum os domus judicii LXX. judicum, nec addebant civitati, nec salarias templi nisi per eosdem, nec faciebant Sanhedrioth, idest, conventus judicum Tribubus nisi per eosdem. Collegium magnum erat LXXI. judicum, minus XXIII. erant autem LXX. seniores, de quibus Num. XI. Congrega mihi LXX. seniores, & unus Mosee. Minor ipsorum Sanhedrin conventus non poterat, nisi à LXX. majorum conventu ordinari, ipsi namque judices LXX. ordinabant aliorum judicum conventus, qui in aliis civitatibus & locis circunquaque populum regebant, hac tamen conditione, ut unusquisque cujusque regionis conventus magno majorum conventui Hierusalem, & in loco Gazith vocato existenti subesset. Judices autem manuum impositione legebantur, ita ut quinque necessarii essent, qui id munus præstarent. Hos vero Sanhedrin Herodes Rex sustulit. Inde alii substituti sunt, sed sine potestate sanguinis, unde Pilato responderunt: Nobis non licet interficere quenquam. Inde ob falsum Christi judicium annos quadraginta ante, quam Templum à Romanis incenderetur, ex consistorio Gazith expulsi sunt, & in Hamith consederunt, non licebat autem de capite agere nisi in Gazith, ut Deuteronomii XVII. Et facies secundum verbum oris, quod nunciabunt tibi de loco illo. Item: Et surges, & ascendes ad locum. Ad extremum hi judices quoque omnes à Romanis iterum interfecti sunt.* Atque hæc quidem Talmudistæ, qui (24) certam harum rerum sibi notitiam vindicant, Petro Galatino auctore.

Nos autem hæc ad ea, quæ illi quasi oculis comperta scripserunt, ex sacris & veteris & novi Testamenti thesauris, ac præterea ex Josephi monumentis adjungimus, quibus institutionem, confirmationem, jus, ac potestatem hujus Concilii explicemus. In primis ergo hoc Tribunal à Deo institutum esse apparet, ut à Judicio Judicum ad Concilium Seniorum & Sacerdotum veniretur: ut scriptum est XVII. Deuteronomii. Sic enim ibi Moyses ad populum ex Dei præscripto loquitur: *Si vero difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, caussam & caussam, lepram & non lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus evocet, venies que ad Sacerdotes Levitici generis, &* (25) *ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, &* facies

(24) At quæ narrant Talmudistæ de origine Synedrii à Moyse derivata, & perpetua fere successione producta ad ultimam usque excisionem Urbis & Templi, fabulosa reputentur à recentioribus Eruditis nonnullis, quibus verosimilius videtur Synedrium magnum aliquod tam demum constitutum fuisse, quum soluta Babylonica servitute in patrias sedes Judæi regressi sunt. Præsertim vero Asmonæorum temporibus, quibus Græcæ linguæ usus aliquis invectus est in Judæam, potientibus rerum Syriæ, & Ægypti Regibus Macedonici sanguinis. Nihil solidi putant elici ex Sacris literis ad asserendam Synedrio antiquitatem Esdræ ævo remotiorem. In Josepho item Talmudicam doctrinam non reperiunt, quum tamen ille è Pharisæismo sui temporis alienus non fuerit. Quæ igitur habent Talmudistæ de antiquitate Synedrii, & de ampla ejus potestate etiam supra Reges ipsos, volunt serius, & post deletam Urbem, & Templum, à Recutitis esse excogitata in odium regii regiminis. Huic Recentiorum sententiæ vel in primis suffragatur, quod Talmudistæ in duobus eorum Talmud refertis fabulis plurimis, & portentosis mendaciis, omnem merito fidem decoxerunt. Quæ sit nostra sententia de antiquitate Synedrii, non est hujus loci explicare: pluribus enim disserendum esset, quàm annotationum fines patiuntur; tum ut vera à falsis distinguerentur, tum etiam, ut à legalibus libris ad Esdram usque, loca omnia Scripturæ, quæ ad Synedrium aliquo modo referri possunt, collocarentur pro virium tenuitate in bono lumine.

(25) Novatores, qui auctoritatem Sacerdotum Veteris Legis conantur minuere, ut Ecclesiasticam jurisdictionem, si Superis placet, evertant, in hoc nono versiculo Deuteronomii XVII. duo judicum genera volunt distingui; unum, Sacerdotale judicium de controversiis ad religionem spectantibus, per hæc verba designatum: *venies ad Sacerdotes Levitici generis*: alterum civile de temporalibus rebus attinentibus ad Judæorum Rempublicam, per mox sequentia: *& ad Judicem, qui fuerit illo tempore*: contendentes in voce ואל השפט *& ad Judicem*, particulam ו disjunctivam esse, & non copulativam hoc loco, ac si sensus esset: *vel ad Judicem, qui fuerit illo tempore*. Verum sanior, potiorque Sacrorum Interpretum pars, illud ו copulativũ agnoscunt, sentiuntque Supremum Judicem è Moyse designatum, Summum Pontificem esse. Nec desunt rationes è Sacris literis desumptæ, quibus certissima redditur horum sententia.

I. Sacerdotes capite XXI. 5. ejusdem Deuteronomii dicuntur Judices esse, tum negotiorum om-

facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequérisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo suo, ex decreto Judicis morietur homo ille. Ex his apparet, hoc judicium mandatum esse Regi, Sacerdotibus, & Senioribus populi: hi enim præcipui erant, qui præerant loco, quem elegerat Dominus. Itaque Josephus sic hanc legem reddidit, ut præcipuam Senatus mentionem fecerit, sic enim scripsit: *Si vero judices nesciunt de rebus ad se delatis pronunciare, integram caussam in urbem sanctam mittent, & convenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod visum sit, pronuncient.* Post autem Moyses aperte judices nominat ipsos, quos diximus, Sacerdotes, XIX. inquiens: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo ante Dominum coram Sacerdotibus, & coram Judicibus, qui erunt in illis diebus.* Josephus autem ipsos etiam Sacerdotes commemoravit libro secundo ad Appionem, cum scripsit: *Sacerdotes inspectores omnium, Judices controversiarum, punitores damnatorum constituti sunt à Moyse.*

Quin etiam Moyses ipse in Concilio caussam cognovit ejus, qui Sabbato ligna collegerat, Levitici XV. Sic enim inquit Philo III. de vita Moysis: *Comprehensum hominem adduxerunt ad Principem, cui assidebant in Concilio Sacerdotes, aderat vero universa multitudo ad audiendum in die Sabbati. Moyses autem, quo supplicio dignus esset ignarus, Deum consuluit, qui lapidibus caedendum esse respondit.*

Ut autem hoc Tribunal Moyses instituit, sic postea Josaphat Rex Judæ sancivit, quomodo etiam Judicia in civitatibus confirmarat, sic enim scriptum est in secundo Paralip. XIX. *In Hierusalem quoque constituit Levitas, & Sacerdotes, & Patriarchas ex Israël, ut judicium & caussam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem caussam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem & cognationem, ubicunque quæstio de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus* (in Græca tralatione est de præcepto, mandato, justificationibus, & judiciis) *ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Pontifex vester in iis, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Zabadias filius Ismaël, qui est Dux in Tribu Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis Officia pertinent, Magistri* (Græce Scribæ) *Levitæ erunt coram illis.*

Inivere ergo hoc Concilium, ut ex his apparet, Rex cum Principibus populi, ac LXX. Senioribus populi, & Pontifex cum Principibus Sacerdotum, & Scribis, idest, Legis Doctoribus, ut perspicere liquet ex Evangeliis, ubi agitur de Judicio Christi. Voco autem Principes populi duodecim Principes Tribuum, qui Regi assidebant: Seniores vero ipsos, quos dixi, LXX. populi Senatores. Quare Joseph ab Arimathia, Senator, sive Decurio nobilis, idem Concilii particeps fuit, siquidem scriptum est, ipsum cum ceteris assensum damnationi Christi non præbuisse. Principes autem Sacerdotum dico illos, qui vicenis quaternis Sacerdotum classibus, seu vicibus, singuli singulis præerant: Scribas vero ipsos Legis Doctores, quos Prophetas Josephus vocavit.

Deleto inde Babylonica transmigratione Concilio, cum reversis in patriam Judæis reliqua instituta restituerentur, etiam Sacerdotibus potestas in Concilio judicandi est data, quod præmonuit Ezechiel cap. XLIV. mandato Dei inquiens: *Sacerdotes populum meum docebunt, quid intersit inter sanctum & profanum, & inter impurum ac purum, indicabunt eis, & circa judicium sanguinis ipsi insistent, ut dijudicent, & justificationes meas justificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus festis meis custodient*, idest, de caussis Religiosis & capitalibus cognoscent, atque *homines justificabunt*, idest, absolvent, & *judicabunt*, idest, condemnabunt, prout ego in lege faciendum esse præscripsi, ubi qui digni venia, & qui pœna essent, demonstravi. Sunt autem qui hoc Concilium post è familia Davidis lectum fuisse dicant, atque eos postea (26) ab Herode Rege fuisse sublatos. Quod si ita est, videndum est, num eò verba Psalmi in restitutione urbis Hierosolymitanæ, teste S. Athanasio, cantata, referri possint: *Quia illic*, idest, in Jerusalem, *sederunt sedes ad judicium, sedes super domum*

omnium, tum omnium rerum ad populi immunitatem spectantium: *Ad verbum eorum omne negotium, & quid mundum, vel immundum est, judicatur.* Hebræus legit: ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע, *& super os eorum erit omnis lis, & omnis plaga.* Item Ezechielis XLIV. 24. à Sacerdotibus ferendum esse judicium in iis omnibus, quæ explicationem ejus Legis respiciunt: *Et quum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt.*

II. A loco, in quo à Moyse Israëlitæ præcipitur, ubi ita difficilem, & ambiguam quæstionem haberet, quæ intra portas definiri non posset, aperte non alius Judex, quam Summus Pontifex indicatur, nam dicitur illi Israelitæ: *Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Locus autem a Domino electus primo fuit Tabernaculum, deinde Templum, in quibus locis semper Summus Pontifex præfuit.

III. Forma Judæorum Reipublicæ fuit, ut alibi diximus, ab aliis rebuspublicis plane diversa. Illa quum fuerit Theocratica, habebat ferme pro capite Deum ipsum, qui volebat ad suum Tabernaculum, veluti ad suum Tribunal, majoris momenti negotia deferri. Hinc se revelaturum promisit consilia sua Magno Sacerdoti, quum Ephod indutus, deferensque Urim, & Thummim, eum consuleret.

IV. Tandem accedit de Summo Pontifice textum hunc interpretari Philonem in libro de Principe constituendo, Josephum in libro secundo contra Appionem, & passim Judæorum Magistros.

(26) Caussa, ob quam Herodes Magnus Synedrium *de domo David*, ut inquit Philo de temporibus, delevit, morte afficiens LXX. Seniores, illis humiliores alios sufficiens, refertur à Josepho Antiqu. libro XIV. cap. 17., cujus verba paullo infra à Nostro laudantur. Summa est. Herodes homicidii reus apud Synedrium delatus, ad caussam in eo dicendam coactus est. Absolvitur tamen favore Hyrcani Regis. Sed quum Herodes regno potitus est, ira ardens adversus Synedrium, a quo parum abfuit, quin capitis pœna damnaretur, Seniores omnes, excepto Sammea, internecione delevit.

domum David, idest, sedes è domo David.

Advocatunt vero hoc Concilium aut Rex, aut Pontifex, prout crimen delatum aut civitatem attigit, aut religionem.

Ceterum ordo rei apud hos Judices peragendæ ferme fuit hujusmodi. Qui nomen deferre alterius cupiebat, is ferme aut Regem, aut Pontificem, aut Principes adibat, reumque denunciabat. Quo facto illi ministros ad hominem capiendum mittebant, &, si res tulisset, cohortem etiam à Præfecto templi acceptam adjiciebant: eumque ad se adductum ferme in carcere, atque in custodia militari habebant, donec de illo judicaretur. Inde universo convocato Concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accusatore crimen, & pœna his verbis: *Judicium mortis est viro huic, quia hoc, aut illud fecit*. Repellebatur autem à defensore, his: *Judicium mortis non est viro huic, quia illud non fecit, aut quia juste fecit*. Ubi vero perorata utrinque caussa erat, tum judicibus suffragia dabantur, atque ille pro numero sententiarum (27) aut condemnabatur, aut absolvebatur. Ubi vero res ad Romanos redacta est, Concilio relicta tantum est condemnatio, animadversio vero erepta, sed Procuratori Romano permissa. Quod in Judicio Christi avenit. Nam Concilium damnavit Christum & morti addixit, populus vero à Concilio incitatus à Pilato Procuratore poposcit, ut crucifigeretur: atque ille, ut ita fieret, judicavit.

Formula porro intendendi aut repellendi criminis est XXVI. Hieremiæ: *Loquuti sunt Sacerdotes, & Prophetæ ad Principes Juda dicentes: Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam. Et dixere Principes ad Sacerdotes: non est viro huic judicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos*. Formula vero damnationis est apud S. Matthæum XXVI. *Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*. Quod Marcus dixit: *Qui omnes condemnaverunt, eum esse reum mortis*. Verum hæc, quæ dixi, omnia clarius cognoscentur, si singula, quæ ab hoc ordine judicia facta sunt, de quibus literis proditum sit, exponentur.

Mentio (28) ergo Judicii & Concilii fit in Psalmo primo: *Ideo non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum*.

Primum autem Judicium, quod nominatim peractum à Concilio sit, in ipso Assamonæorum Imperio, nempe Hyrcano regnante, apud Josephum libro XIV. traditur, cum Herodes reus factus est, is qui postea Rex fuit. Quo tempore vigebat lex, cujus idem meminit: Ne cui Nocenti vita eriperetur, nisi Concilii, sive (ut Græco vocabulo utar) Synedrii sententia condemnato. *Herodes*, inquit, *Antipatri filius quosdam latrones sine Concilii sententia interfecerat, ac potentia sua terrorem omnibus inferebat. Quare multi Hyrcanum Regem & populum hortati sunt, ut ipsum caussam dicere in Concilio cogerent. Hyrcanus autem Herodem ad caussam in Concilio dicendam adesse jussit. Ille vero in Concilium cum cohorte sua progressus adeo terruit omnes, ut nemo ad accusandum accedere auderet. Silentibus autem omnibus, tunc Sameas, vir justus, dixit: Viri ex Concilio, & Rex, credo neminem vestrûm vidisse unquam similem huic aliquem in hoc Concilio consistentem. Nam qui huc accedere consueverunt, ut caussam dicant, humiliter astare, & misericordiam à vobis poscere capillis promissis, & veste atrata soliti sunt, hic vero de cæde caussam dicturus, adest purpuratus, & capite ornato, armisque stipatus, ut si condemnatus ex lege fuerit, nos morte afficiat, ipse vero vi facta veritati evadat. Verum Herodem non accuso, siquidem commodo suo, non lege consuluit; sed vos, aut Regem, qui ei tantam licentiam tribuistis. Unum scitote, maximum esse Deum. Quare hic, quem nunc propter Hyrcanum dimittere vultis, quandoque vos, & ipsum Regem torquebit. Hyrcanus autem cum vidisset Judices ad necem Herodis propendentes, Judicium in posterum diem distulit, & clam monuit, ut urbe abiret*.

Judæa inde post Aristobulum victum in Potestatem Rom. redacta, ac provincia facta, Antipatrum Herodis patrem Procuratorem accepit, eo jure, ut nec Pontifex Concilium ipso inscio atque invito Procuratore convocare, nec Concilium sine auctoritate Procuratoris

(27) Diversa apud diversas nationes forma proferendæ sententiæ in more fuit. Hebræi, ut habet Auctor Noster, absolvebant hominem, vel condemnabant, simplici sententiæ prolatione. Romani, si quem absolvebant, immittebant in urnam tabellam, cui inscripta erat litera A, quæ inchoat vocem *Absolvo*. Si condemnabant, mittebant in urnam literam C, quæ est prima litera vocis *Condemno*. Sin vero res adhuc obscurior esset, quam possent de ea sententiam ferre, injiciebant tabellam notatam literis N L, significantibus *Non liquet*. Græci itidem in judicando tribus literis uti solebant. Si quem absolvebant, symbolum Absolutionis erat litera T: si pronunciationem sententiæ differebant, litera A: si vero quem condemnabant, litera Θ, aut quia ea litera transfixi cordis speciem repræsentat, aut quia initialis est vocis Θάνατος, quæ mortem significat. Quare de hac litera cecinit Virgilius:

O multum ante alias infelix litera Theta.

Et Persius Satyra IV. versu 13.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Itemque Martialis:

Nosti mortiferum Prætoris, Castrice, signum;
Est opera pretium discere Theta tuum.

(28) Inter hoc Judicium, seu Synedrium magnum, & Synagogam magnam, oportet distinguere: non enim sunt eadem res, neque ad nomen quod attinet, neque quod spectat ad munia, & ad numerum. Synagoga magna à Judæis appellatur כנסת הגדולה; Synedrium vero magnum בית דין הגדול *Domus judicii magni*. Illa centum viginti viros complectebatur; hoc, unum supra septuaginta, viro Principe computato, qui ceteris præerat. Synedrium in capitalibus caussis judicandis præcipue versabatur; Synagoga Magna in religione sarta tecta retinenda. Erat enim Synagoga Magna illud Concilium, quod Esdra ejus Præses post exilium Babylonicum Hierosolymis congregavit, cujus auxilio universam Judæorum Ecclesiam a multis corruptelis per longam servitutem invectis, repurgavit, sacrosque libros diligenter collegit, ita disposuit, canonemque illorum restituit. Vide quæ de Canone per Esdram restituto, diximus annotatione LXXIV. ad librum primum. Ceterum inter viros Synagogæ Magnæ perhibentur fuisse Aggæus, Zacharias, & Malachias, quorum prophetici libri zelum vel maximum spirant componendi omnia ad Divinæ Legis præscriptum.

toris Rom. io damnatum animadvertere posfens: ut scribit Josephus libro vicesimo, ubi de Sancto Jacobo fratre Domini loquitur.

Inde P. Gabinius, ut idem prodit, Syriæ Proconsul ab Alexandro Aristobuli filio provocatus novâ victoriâ partâ rursus Judæam constituit; etenim quatuor Conciliis additis gentem in quinqoe partes distribuit, quarum una, teste Josepho, Hierosolymis egit, altera Gadaris, tertia Amathuote, quarta Hiericunte, quinta Sephoris Galilææ. Quare cum quinque Concilia essent, merito Christus ad Apostolos dixit X. apud S. Matthæum: *Cavete ab omnibus, tradent enim vos in conciliis*, (Græce *εἰς συνέδρια*, idest, in Concilia) *& in Synagogis flagellabunt vos*.

Post autem Herodes Rex à Romanis appellatus, ac Hierosolymorum positus, ut idem tradit Josephus, epistolas quasdam Hyrcani suspiciosas huic Concilio indicavit, atque illum jam regno orbatum, ut Sameas vaticinatus fuerat, interemit, & LXX. seniores morte affecit: atque eis humiliores alios subdidit, ut Talmudistæ quoque cum Philone notarunt, qui scripsit in libro de Temporibus: *Herodes anno XXX. principatus sui Sanhedrin ex domo David sustulit*.

Mortuo inde Herode, atque Archelao filio ejus Rege ab Augusto Imp. Viennam relegato, Judæa iterum provincia Romanorum facta Procuratori subjecta, Herode Antipa Herodis Regis filio Galilæam oomine Tetrarchæ tenente. Quo tempore Pharisæi, & Sadducæi magnas in Concilio opes habuerunt, (hæ duæ hæreses Assamoozorom, ut dixi, temporibus excitatæ tum Civitatem præcipue obtinebant), quod ex Senioribus, Sacerdotibus, Scribis, & Principibus alii io una, alii in altera hæresi versarentur. Quare Christus, qui per hos annos Evangeliom docuit, sæpe hujus Concilii, & eorum, qui illud inierunt, mentionem fecit. Primum enim cum quodam die sermonem longum in monte iostituisset, ac correctionem veteris legis afferret, novasque pœnas homicidio constitueret, peritus moris Judaici spirituales pœnas temporariis ipsis, quæ tum ex lege usurpabantur, expressit, Judicium nominans, & Concilium. Quemadmodum eoim dictum erat in Psalmo: *Impii non resurgent in Judicio, neque peccatores in Concilio justorum*; sic ipse dixit: *Audistis dictum esse antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit Judicio. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio; qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit Concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit Gehennæ ignis*. Quibus verbis significavit, majus periculum impendere ei, qui reus ad Concilium adducatur, quam ei, qui ad Judicium, quorum illud *συνέδριον*, hoc *κρίσιν* S. Matthæus vocavit; nam ut in Judicio crimina leviora, in Concilio graviora disquirebantur, sic in illo pœnæ leviores, in hoc acerbiores infligebantur; nam (29) Gehennam locum fuisse tradunt, quo cadavera damnatorum cremanda projiciebantur. S. autem Augustinus looge aliter interpretatur inquieos: *Tres reatus sunt, Judicii, Concilii, & Gehennæ ignis. Nam in Judicio adhuc defensioni datur locus; in Concilio autem, quanquam & Judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant, conferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum*. Apparet autem, ipsum judicialis rationis Hebraicæ notionem non habuisse. Alio inde loco Christus præmonens discipulos suos de morte, qua afficiendos esset à Concilio Hierosolymitano, dixit item apud S. Matthæum XVI. *Se oportere ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere*.

Inde cum prædicatio ejus omnibus innotuisset, ac legi veteri officere videretur, præcipue hoc Concilium ei obsistere instituit. Sic enim scripsit S. Lucas XX. *Principes Sacerdotum, & Scribæ cum Senioribus quæsiverunt à Christo: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut quis dedit tibi hanc potestatem? cumque eo modo capere non potuissent, observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderent illum Principatui, & potestati Præsidis, & interrogaverunt eum, dicentes: Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* Et Joannes XI. *Quidam ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo Principes Sacerdotum, & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit; si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat; ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum*; & post: *Dederunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, & apprehendant eum*.

Inde sequutum est ipsum Concilii judicium (30) omnium celebratissimum, in quo idem morte

(29) Hebræa vox גיהנם *Gehennom Vallè* significat, aut filiorum *Ennom*, aut *lamentationis*; est enim nomen compositum ex גיא, quod *Vallem* denotat, & הנם, quod aliqui indicare volunt filios *Ennom*, & alii à radice נהה *lamentatus est*, *Vallem lamentationis* interpretantur. Ea Vallis ad Orientem erat Jerusalem, cujus mœnibus adjacebat, porrecta tamen secundum torrentem Cedron, Meridiem versus. Nomen Gehenna translatum est in sacris literis ad Infernum, ubi perpetuos ignis alitoe ad impios torquendos. Ratio translationis vel ea fuit, quod in ea Valle perpetuus ignis morticinis, & immunditiis absumendis fovetur; vel quod in eadem superstitiosus ignis servatus fuerit à Judæis Molocho, cui non semel humanis victimis, quin & filiorum vita litarunt. Vel verius ab utraque re ratio traoslationis desumitur. Et quidem ab igne, qui continuo alebatur in ea Valle ad comburenda cadavera, & sordes Hierosolymis egestas, perpetuitas infernalium cruciatuum exprimitur: A miseranda vero lamentatione, & ululatu filiorum, qui Molocho ab impiis, ferisque eorum Patribus consecrati per ignem transibant, horrenda inferorum tormenta aliquo modo indicantur.

(30) Locus me monet, in quo de coodemnatione, & morte Christi Jesu sermonem habet Sigonius, de fide præstanda, qua me adstrinxi libro IV. annotatione XII. ubi benevolo Lectori promisi me adducturum perspicua Prophetarum oracula, quibus non solum mors Messiæ, sed mortis genus etiam, omnimque mor-

morte condemnatus, atque affectus est. Id vero pluribus locis Evangelistarum in unum collatis exponetur, quod ex eo mos hujus judicii facilius, quam ex ullo alio, percipi possit. Ordinem autem actæ rei, nullo citato præcipuo loco, quod singula notissima sint, exequemur. Convocati quippe sunt Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores populi in atrium Pontificis, qui dicebatur Caiphas, & Consilium inierunt, quemadmodum Christum dolo tenerent, & interficerent. Judas autem unus de duodecim discipulis Christi accessit ad eos tum, & pollicitus est, se illum traditurum, si sibi triginta denarios darent, & acceptâ pecuniâ abiit, quærens opportunitatem tradendi eum sine turbis. Interim Jesus Pascha cum discipulis suis celebravit, Cœnamque ultimam fecit, in qua se proditum iri ab uno eorum dixit; tum mysteriis omnibus perfectis, exiit cum Petro, & filiis Zebedæi in Hortum extra Urbem, atque orationi se tradidit. Tum Judas ministris, & cohorte à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi, & Magistratibus Templi acceptis, nocte accessit, atque illum prodidit. Jesus autem dixit ad eas, quæ ad se convenerant, turbas: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus, ut me caperetis; cum quotidie essem vobiscum in Templo, in me manus non jecistis? Cohors autem, & Tribunus, & Ministri Judæorum eum corripuerunt, & vinctum adduxerunt ad Caipham, qui erat Pontifex illius anni; Pontifex autem interrogavit illum de discipulis, & doctrina sua, qui vero tenebant eum, illuserunt ei cædentes eum; alii vero Petrum discipulum ejus ad focum stantem varie fatigaverunt. Ubi vero illuxit, convenere Seniores populi, Principes Sacerdotum, & Scribæ cum universo Concilio, ut eum morti traderent, & duxerunt illum in Concilium suum, quærentes falsum testimonium adversus eum, & non invenerunt. Tum dixerunt: Si tu es Christus, dic nobis. Quibus ille: Si dixero vobis, non credetis mihi, neque dimittetis; ex hoc autem erit filius hominis, sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo filius Dei es? qui respondit: Vos dicitis, quia ego sum. Tum illi dixerunt: Quid desideramus testimonium? ipsi enim audivimus ex ore ejus, & reum mortis condemnaverunt. Et surgens omnis multitudo, duxerunt eum à Caipha in Prætorium ad Pilatum Præsidem, ut eum morti traderent. Exivit autem Pilatus ad eos foras, & dixit: Quod crimen objecistis homini huic? responderunt: Si non esset hic facinorosus, non tradidissemus eum tibi. Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate. Dixere Judæi: Non licet nobis interficere quenquam. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum esse Regem. Pilatus autem rogavit eum, num esset Christus Rex Judæorum? Cui ille: Tu dicis. Pilatus autem ad Principes Sacerdotum, & turbam: Nullum crimen invenio in hoc homine. At illi invalescebant dicentes: Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, rogavit, num Galilæus esset: & ut cognovit eum Herodis ditionis esse, misit ad Herodem, qui Hierosolymis erat. Herodes autem cum nullum responsum ab eo elicere potuisset, sprevit, & remisit ad eum indutum veste alba. Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Principibus, & populo, dixit: Obtulistis mihi hominem hunc, quasi avertentem populum, ego vero nullum crimen invenio, sed neque Herodes. Cum autem moris esset, ut per diem festum Præses vinctum unum populo dimitteret, quem vellent, & latronem insignem in vinculis haberet, nomine Barrabam, rogavit populum, utrum vellet dimitti, Barrabam, an Jesum? illi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus inci-

mortis adjuncta præsignificata fuerunt. Ut igitur luce clarius patescat Judæorum perfidia, quibus nihil magis solenne est, quam audacter negare Messiam morte plectendum, sequentem prophetiarum catalogum libenter subjicio.

I. Consilium ineunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, ut Jesum dolo teneant, & occidant. Hoc David prædixit Psalmo secundo, quem litteraliter de Christo esse intelligendum ostendimus annot. LXXXIV. ad lib. I. & quidem manifeste per ea verba: *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Figurate vero versu 13. Psalmi vicesimi primi: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens ..... Quoniam circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me.*

II. Jesus noster venditur triginta argenteis, ejusque venditionis pretio projecto in Templum ager figuli emitur. Hoc prænunciatum fuit ab Amos cap. II. v. 6. *Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento Justum, & Pauperem pro calceamentis.* Hæc ultima verba ad indicandum pretii vilitatem faciunt; estque proverbialis loquendi ratio apud Hebræos illi simillima, qua Ezechiel utitur XIII. 19. *Et violabant me apud populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Idem multo apertius prænunciatum est à Zacharia XI. v. 12.: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.* In Hebræo ita legitur ultimum coma ואשליך אתו בית יהוה אל היוצר: *Et projeci illud in domum Domini ad figulum.*

III. Christus noster a Judæis captus ducitur ad Concilium, ut eum morte condemnent. Id prædixerat Jeremias cap. XI. v. 19.: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

IV. Christus noster conspuitur, & in faciem percutitur. Prænunciaverunt id Prophetæ non pauci. Isaias cap. L. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Jeremias Threnorum cap. III. v. 30.: *Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis.* Michææ cap. V. v. 1. *In virga percutient maxillam Judicis Israël.*

V. Christus noster flagellis cæditur. Non una vice, sed pluribus id a Davide fuit prædictum. Psalmo XXXIV. 15.: *Adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Psalmo XXXVII. 18.: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Et Psalmo LXXII. *Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

VI. Christus noster à falsis testibus accusatur. Idem Propheta David id prædixerat. Psalmo XXXIV. 11.: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Psalmo XXVI. 12.: *In-*

incitati, dixere, Barrabam. Tum ille: Quid faciam de Jesu? dixerunt; Crucifigatur. Tum Pilatus: Nullum crimen invenio in eo. Responderunt: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Quærente autem Pilato dimittere Jesum, clamavere Judæi: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui Regem se facit, contradicit Cæsari. Videns autem Pilatus se nihil proficere, sedens pro Tribunali, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine hujus, vos videbitis; respondit autem universus populus: Sanguis ejus super nos, & super filios. Tunc Pilatus volens populo satisfacere, adjudicavit fieri petitionem eorum, ut crucifigeretur. Tunc milites susceperunt Jesum, & eduxerunt eum portantem sibi Crucem in Calvariæ locum, & hora sexta crucifixerunt. Ex his apparet, cum dictum est, convocatum esse summo mane Concilium, atque eos duxisse Christum in Concilium suum, convocatum esse in Gazith, atque eò è domo Pontificis adductum esse Christum, ibique morti obnoxium esse, factum: inde à populo mortis genus esse indictum, eaque Pilati Præsidis sententia comprobata.

Tertium inde hujus Concilii judicium, ut ordinem temporum persequamur, memoratur in Actis, ubi de S. Petro, & S. Joanne agitur, cap. III., & IV. *Petrus, & Joannes cum Templum ingredientes, claudum quendam ab utero matris sanassent, & mirante populo, multa super ea re verba facerent, supervenere Principes Sacerdotum, Magistratus Templi, & Sadducæi dolentes, quod populum docerent, & annunciarent in Jesu resurrectionem mortuorum, & injectis manibus, condiderunt in carcerem. Postridie vero congregati sunt Principes eorum, Seniores, & Scribæ in Jerusalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant ex genere Sacerdotali; & statuentes eos in medio rogabant, in qua virtute hæc fecissent?* & mox: *Jusserunt autem eos extra Concilium secedere.* Hoc enim in loco Caiphas erat Pontifex, Anna Pontificius, sed potestatem Pontificis Caiphæ generi sui gerebat, Joannes, & Alexander, ut supra diximus, erant Principes Sacerdotum.

Quartum est cap. V. ubi agitur de Apostolis prodigia facientibus: *Exurgens autem Pontifex, & omnes Sadducæi, qui cum illo erant, repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica; adveniens inde Pontifex, & qui cum eo erant, convocavere Concilium, & omnes Seniores* (Græce πάσαν γερουσίαν) *filiorum Israel; & miserunt ad carcerem, ut adducerentur; ut autem neminem in carcere inventum audiverunt, Magistratus Templi, & Principes Sacerdotum ambigebant de illis quidnam fieret. Tunc abiit Magistratus cum Ministris, & adduxit illos sine vi; & cum adduxissent, statuerunt in Concilio, quos monuit Pontifex, ne verba facerent in nomine Jesu. Cum autem respondisset Petrus, Deo magis, quam illis, obedire oportere, surgens quidam in Concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis Doctor, jussit eos paululum foras secedere.* Demum: *Et convocantes Apostolos cæsis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.*

Quintum judicium fuit Sancti Stephani cap. VI. *Tunc submiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem, & Deum; commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium; & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum, & legem;* & post multa: *Exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.*

Sextum extitit S. Pauli cap. XXIII. *Tribunus timuit, postquam audivit Paulum Civem Rom. esse, & vinctum; postridie vero scire cupiens diligentius, cur accusaretur à Judæis, solvit*

Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Et Psalmo XXXVII. 13.: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.*

VII. Christus noster pedibus manibusque confossis affigitur Cruci. Id a duobus Prophetis fuit prænunciatum. A Davide Psalmo XXI. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et licet in Hebræo nunc legitur כארי ידי ורגלי, *sicut Leo manus meas, & pedes meos*: constat tamen Veteres legisse כארו, imo R. Chajim Masoræ Majoris collector, testatur se in quibusdam exemplaribus correctis invenisse scriptum in texto כארו, & in margine כארי. Idem testatur Masora Marginalis ad Numer. XXIV 9., & Johannes Isaac in Psalterio Avi sui idem se fatetur reperisse. Capito etiam in Instit. Hebr. lib. I. cap. 13. dicit se in antiquissimo MS. adscriptum margini invenisse כארו. A Zacharia cap. XIII. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, his plagatus sum in medio eorum, qui diligebant me.*

VIII. Christum nostrum è Cruce pendentem turbæ plangunt, & lamentantur. Præcinuit hoc Zacharias cap. XII. 10: *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum; & adspicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

IX. Cum Christo nostro in Cruce suffixo duo latrones suffiguntur, & ipse pro tortoribus Deum rogat. Id jam erat significatum in Psalmo LIII. 12.: *Cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.*

X. Christi nostri vestimenta sibi dividunt milites, in tunicam inconsutilem mittentes sortem. In Psalmo XXI. 19. id erat expressum: *Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

XI. Christus noster sitiens felle, & aceto potatur. Hoc prædictum jam erat tum a Davide, tum a Jeremia: ille Psalmo LXVIII. 22. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Hic Threnorum cap. III. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.... Recordare paupertatis meæ, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis.*

XII. Christo nostro insident prætereuntes, eorum capita moventes, & supplicia etiam exprobrantes. Id quoque apud Davidem reperitur Psalmo XXI 7.: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Quibus fere verbis Principes Sacerdotum, Scribæ, & Seniores Christo illudebant, ut legitur apud S. Matthæum XXVII. 42. Easdem Judæorum blasphemias disertis verbis prænunciaverat Sapiens cap. II. 18: *Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tamquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus si sermones illius veri sunt, & tentemus, quæ ventura sunt illi,*

vit eum, & jussit Principes Sacerdotum conveni-re, & totum Concilium; intendens autem in Concilium Paulus, ait. Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. Ananias autem Pontifex præcepit astantibus, ut os ejus percuterent. Tum Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens, judicas me secundum legem, & contra legem me percuti jubes. Et qui astabant, dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe, & resurrectione mortuorum ego judicor, & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo.

Septimum fuit Sancti Jacobi Minoris, de quo sic Josephus lib XX. *Ananus Pontifex ab Agrippa Rege factus audacia præstitit, & ut Sadducæus, acerbus in judiciis fuit; putans autem se idoneam occasionem nactum, quia Festus Procurator vitâ cessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset, convocat Concilium Judicum, & ad id adducit Jacobum fratrem Jesu, qui* (31) *dicebatur Christus, & quosdam alios, crimine oblato, quod legem violassent. Qui vero moribus erant mitioribus, ægre hoc tulerunt, & clam ad Regem miserunt, hortantes, ut Ananum ab ejusmodi incœpto revocaret. Quidam vero eorum etiam Albino obviam prodierunt, eumque docuerunt, non licere Anano injussu ejus Concilium convocare. Quare Albinus mandavit Anano, ne quid tale tentaret, nisi pœnas dare vellet: atque ei propterea Pontificatum ademit.*

Octavum fuit S. Matthiæ Apostoli, ut est in vita ejus: *Cum Matthias instantius de Jesu sermonem faceret, Judæi zelo repleti duxerunt eum vincientes, & nunciaverunt Pontifici, & Senioribus: Jesu discipulum comprehendimus, quem subvertentem populum in Synagogis deprehendimus; illi adduci jusserunt. Abeuntes igitur cum Ministris, adduxerunt in Concilium. Quem multis allocutus est Pontifex, cui respondit Matthias, Christi servus sum. Tunc Pontifex obturans aures suas, & stridens dentibus, ait: Blasphemavit Matthias. Audiat legem: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo, atque ita damnatum ad locum lapidationis perduxerunt.*

Nonum judicium est apud Josephum lib. IV. Belli, ubi scribitur: *Septuaginta plebeiorum honestissimos ex præcepto convocant ad Judicum speciem, potestate carentes, & apud eos Zachariam, quasi res proderet Romanis, accusant.*

Decimi mentio fit anno eo, quo Urbs Jerusalem à Tito eversa est, apud Josephum Gorionis. *Convocavit*, inquit, *Judices populi, & septuaginta Seniores, qui etiam Sanhedrin dicuntur, dixitque Jehocanam ad omnes Sacerdotes, & Seniores, & Judices: Nisi judicaveritis quoscunque ad vos adducemus, pro arbitrio nostro, omnes moriemini.*

Atque hæc quidem de Concilio Hierosolymitano à nobis dicta sint: in quo rei capitalis præcipue apud Hebræos tractata cognitio est.

CAP. VIII.

De Pœnis.

HIs expositis; deinceps sequi videtur, ut pœnarum, aut suppliciorum genera demonstremus. Harum vero in lege hæc ferme nomine inveniuntur, restitutio, multa, talio, verberatio, exilium, venditio, mors. Re-

illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, & sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum.

XIII. Christo nostro tandem moriente Sol obscuratur, terra concutitur in luctus significationem, & doloris; nam, ut inquit S. Leo Magnus, pendente in patibulo Creatore, universa creatura congemuit. Id etiam Prophetæ significaverant. Amos cap VIII. 8. *Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus . . . . Et erit in die illa dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis: & convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Et Joël cap. II. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt Cœli, Sol & Luna obtenebrati sunt, Stellæ retraxerunt splendorem suum.*

(31) Hæc verba: *Qui dicebatur Christus*, τῦ λεγομένυ Κριςῦ, licet Eusebius Historiæ Eccl. libro II. cap. XXIII. esse agnovit Josephi; ea tamen pro mero assumento a nonnullis habentur, qui habent eodem loco brevem illam, sed honorificam mentionem, quam de Christo Scriptor Judæus attexuit Antiquitatum libro XVIII. cap. III. *Eo etiam tempore fuit Jesus vir Sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt: multosque Judæos, multos etiam Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem quum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, Crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amarant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis Vatibus, & hæc & mille alia de eo mirenda effatis; atque ab eo denominata Christianorum Natio durat usque ad hunc diem.*

Sed velint nolint, Veteres omnes Eusebius, Hieronymus, Ruffinus &c. in eorum scriptis Flavianum testimonium agnovere, ut mirum profecto sit, Recentiores hosce nullius veteris codicis fidei innixos, levissimas ob conjecturas, pro socorde in hac re universam antiquitatem traducere. Mihi certe præ cæteris placet sententia maximi Annalium Ecclesiasticorum Parentis Baronii, qui ad annum Christi XCVI. de Josepho scripsit sequentia, quæ à similitudine veri nec latum unguem recedunt: „ Quum Romæ videret Ecclesiam Christi florentissimam, quæ in dies magis ubique Gentium, ac potissimum Romæ, & apud Nobiles, ipsosque Cæsaris affines, feliciter propagabatur; licet Christianus non esset; timens ne inofficiosi Historici querela tam justa urgeri posset, quod rem toto orbe perspicuam silentio obvolutam reliquisset: illud de Christo elogium suis scriptis intexuit. Quum enim Judæorum res inspiceret penitus esse collapsas, Vespasianumque defecisse, cui vaticinatus tribuerat, quod Christo severa Oraculis Prophetarum prænuntiatum erat imperium, jamque tempus Messiæ adventus præteriisse videri posset: prudentia potius, quam pii hominis, partes agens, illud de Jesu, quod CHRISTUS haberetur à plurimis tam Judæis, quam Gentilibus, protulit testimonium „. Qui de Flaviano testimonio plura desiderat, legere poterit Dissertationem Caroli Daubuz illud pluribus vindicantis, quæ extat tomo secundo Josephi editionis Havercampi prope finem.

(32) Restitutio, ut Exodi XXII. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quattuor oves pro una ove.*

Multa, ut ibidem cap. XXI. *Si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetiverit, & arbitri judicaverint.*

(33) Talio, ut in iis quæ ibi subjiciuntur: *Sin autem mors ejus fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

De (34) verberatione Deuteron. XXV. *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura autem peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

(35) Venditio, ut Exodi vigesimo secundo: *Si fur non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.*

(36) Exilium ut ibid. XXI. *Qui non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem effugere debeat.*

Necis (37) autem genera tria in lege nominatim exprimuntur, combustio, crucifixio, & lapidatio, reliqua sub hoc nomine generali *Occisio*.

Combustionis (38) mentio fit Levitici XX. *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis: nec permanebit tantum nefas in medio vestri.*

(39) Crucifixionis lex traditur à Deo, XXI. Deuteronomii: *Quando peccaverit homo, quod morte*

---

(32) Rei simplicis furti via morte afficiebantur apud Judæos. Pro ratione rei ablatæ eorum pœna erat, aut dupli, aut quadrupli, aut quintupli. Si fur eripuisset aurum, argentum, vel utensilia domus, tenebatur in duplum; si jumentum quodcunque, excepto bove, tenebatur in quadruplum; si bovem, in quintuplum. Fur, qui non erat solvendo, vendebatur, de cujus venditione dicemus infra.

(33) Vere ad literam quod attinet Moses [illegible] Legem talionis propter [illegible] furorem, & vindictam arceret a populo [illegible] damno reddebat obnoxium, quod intulisset in proximum. Hæc pœna non privata auctoritate illius, qui læsus erat, irrogabatur, sed Judicis, vel Magistratus sententia. Ad consuetudinem vero quod spectat, affirmant Rabbini illam non rigorose servatam fuisse, sed potuisse transigi pretio damni illati soluto, aut etiam a læso condonari. Et certe si pressius ad literam Lex talionis obtinuisset, plures habuisset Hebræorum Respublica, mutilos, cæcos, claudos, & infirmis injuriæque norit insultos. Vide S. Thomam 1. 2. quæst. 105. artic. 2.

(34) Ajunt Rabbini verberibus unde quadraginta cæsos fuisse reos pœna verberationis damnatos: nec, ut inquit Maimonides, si lictor per errorem unam plagam supra quadraginta addidisset, Legem transgrederetur. Nam ultra quadraginta ictus procedere, Lege prohibitum est; pauciores autem irrogare, non item. Ferunt præterea morem verberandi sequentem fuisse. Reo alligato ambas manus ad columnam lictor detrahit vestem, & pectus denudat: tum lapis pone illum collocatur, in quo stat lictor manu tenens flagellum, quo ferit reum non stantem, non sedentem, sed inclinatum. Dum lictor una manu, quantum potest, illum percutit, alius plagas numerat ad tricesimam nonam usque inclusive.

(35) Si fur, ut supra diximus, restituendo non erat, sententia Judicis vendebatur, sed Hebræo, usque dum illato damno & pœnæ satis fecisset. Herodes, ut refert Josephus Antiquit. libro XVI. cap. 1., pœnam dupli, vel quadrupli, vel quintupli fures liberavit, sed voluit illos vendi in perpetuum Gentibus; & non Judæis, ne tandem libertatem obtinerent. Hinc Herodes ob hoc factum contradicens Gentis, male etiamnum audit apud Judæos, illumque non Regem, sed tyrannum solent vocare.

(36) Exilia extra terram Chanaam Judæis in usu non erant, ne exules in medio Gentium versantes discerent colere Deos alienos. Sed erant sex Urbes Refugii, tres cis, tres ultra Jordanem, in quas se recipiebant, qui fortuito, & incaute hominem occidissent. De Judæorum Asylis vide quæ scripsi annotatione XLVIII. ad librum primum.

(37) Non tria, sed quatuor genera necis erant apud Hebræos, seu quatuor erant capitalia supplicia, quæ apud ipsos obtinebant; & sunt sequentia I. סקילה *Skila* lapidatio. II. שריפה *Scheripha* Combustio. III. הריגה *Harige* Decollatio. IV. חנק *Chagach* Suffocatio. Ex hisce suppliciis omnium gravissimum lapidationem fuisse, illâ minus combustio, sed gravius decollatione; levius autem suffocationem, Rabbinorum sententia est; atque adeo quum Scriptura morti reum addicit, & mortis genus non exprimit, suffocationem volunt significari, quod minimum esset suppliciorum.

(38) In inferendo hoc supplicio quisnam mos servaretur, ignotum est. Rabbini narrant ita reos combustos fuisse. Duplicem combustionem distinguunt, unam corporis, animæ alteram. Combustio corporis fiebat congestis circa reum lignis, & fasciculis, quibus incensis vivus comburebatur. Combustio animæ erat, quum in fimo ad genua usque reum sepeliebant, & mappa circumvoluta collum, duo lictores ita illum premebant, ut hisceret: interim plumbum liquatum ori ejus infundebatur, quod in interiora descendens eum enecabat corpore integro: unde Combustio animæ dicebatur.

(39) An mos suffigendi Cruci, idest vivos suspendendi reos expansis manibus in supplicii transverso, exitus fuerit apud Hebræos, pluribus disputant Eruditi. Qui apud Judæos antiquum fuisse Crucis usum opinantur, inhærent locis præsertim e Sigonio laudatis. Qui contra sentiunt, observant, tum vocem עץ apud Hebræos, tum σταυρὸς apud Græcos, latam significationem habere, exprimereque *arborem*, *stipitem*, *lignum*, vel *palum*, omneque lignum humi defixum, quod in aerem erigatur. Rem in medio relinquo; solumque adverto, Christum Redemptorem nostrum, quem Judæi seditionis accusarunt, Romano more a Pilato Cruci addictum fuisse: nam *Romana lege*, ut inquit Paullus libro V. tit. XXII., *auctores seditionis aut tumultus, pro qualitate dignitatis, aut tollebantur in Crucem, aut bestiis objiciebantur*. Erat enim Crux supplicium atrox, ignominiæ plenum, & servile; nam liberis hominibus apud Romanos Crux rare erat, qua in viliores, & provinciales utebantur; & sane non ob leves noxas admissas, quod eleganter expressit Horatius lib. I. serm. III. ver. 80.

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces, tepidumque ligurrierit jus,
In Cruce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur.

Ceterum à primordiis Imperii Constantini Magni Crux in publico honore esse cœpit, quo tempore Maxentium aggressurus rutilantem figuram ejus vidit in Cœlo, cum verbis: *in hoc vinces*. Tum enim militaribus signis, & maxime Labaro inter ea primo, signum Sanctissimæ Crucis inseruit, in galeis militum quoque ipsa cœpit fulgere, imo Imperator eam

morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. Inde scriptum est Josuë VIII. *Josue Regem Hai suspendit in patibulo usque ad vesperam, & solis occasum; præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce, projeceruntque in ipso introitu civitatis.* Græcus autem interpres neque patibulum, neque crucem nominat, sed lignum geminum vocat, quod ex duobus lignis crux constitueretur; & X. *Suspendit Josue quinque Reges super quinque stipites, fueruntque suspensi usque ad vesperam: cumque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis.* Inde secundo Regum XXI. *Gabaonitæ crucifixerunt filios Saulis permittente Davide Rege in monte coram Domino*, id est, coram tabernaculo, quod tum erat in Gabaon. & VII. Ester: *En lignum, quod paraverat Mardochæo, stat in domo Aman habens altitudinis quinquaginta cubitos; cui dixit rex: Appendite eum in eo; suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo*; & primo Esdræ cap. VI. *A me positum est decretum, ut omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo*; & Actuum V. de Christo: *Quem vos interemistis suspendentes in ligno*; de qua cruce dixit David Psalmo XXI. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Nullum autem occurrit crucifixionis exemplum judicio constitutæ, nisi unum judicio Dei, alterum vero Concilii. De priore scriptum est XXV. Num. *Iratus Dominus contra eos, qui fornicati erant cum filiabus Moab, ait ad Moysem: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.* De posteriore, quo Christus est condemnatus, agitur in Evangeliis. Nam qui è Concilio erant, postquam judicarunt eum reum esse mortis, adduxerunt ad Pilatum procuratorem, ut morti traderet, narrantes eum se Regem Judæorum vocare: *Quibus demum Pilatus dixit: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur; & titulum criminis inscripserunt:* REX JUDÆORUM; *& cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris. Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo; ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Credo autem eos crucifigi postulasse non legibus suis, sed Romanis: nam qui perduellionis erat compertus, is in crucem agebatur, ut in libris de Judiciis Romanorum ostendimus. Christum autem majestatis reum fecerant, quod se Regem Judæorum assereret, cum solus Rex esset Cæsar. Mos etiam fuit, ut crucifixi cognatis ad sepulturam concederentur, quod & in Christo servatum est, & in aliis, ut prodit Philo in Flaccum. *Novi quosdam*, inquit, *jam crucifixos instante festo Augustorum de cruce depositos, & ad sepulturam ex more cognatis redditos.*

De (40) lapidatione autem hæc invenimus. Lapidibus præcipue appetiti sunt, qui in Deum deliquerunt, id est, qui alienos deos coluerunt, qui Deo maledixerunt, qui Sabbata neglexerunt, & qui adulterium commiserunt. Qui vero ejus modi rem compertam habuit, is testimonio reddito primus lapides jecit, populus vero excipiens hominem lapidibus extra urbem est persequutus, donec mortem oppeteret. Sic enim præcipitur Levitici XXIV. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus super caput ejus, & lapidet eum universus populus. Nam qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* Inde Deuteronomii decimo tertio: *Qui suaserit, ut serviatur diis alienis, non parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum, sed statim interficies; sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum; lapidibus obrutus necabitur.* Item decimo septimo: *Vir, aut mulier, qui facient malum in conspectu Domini Dei sui, & transgredientur pactum illius, ut vadant, & serviant diis alienis, & adorent eos, & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisiveris diligenter, & verum esse reperreris, & abominatio facta est in Israel; educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur; in ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur; nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium; manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui*; & decimo quinto Numerorum: *Cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & universæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysem: Morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra; cumque eduxissent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus est.* De adulteris vero sic Deuteronomii vigesimo secundo: *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui.*

Hæc ferme de lapidatione scripta in lege reperiuntur. Extra legem etiam aliquot exempla ejus memoriæ consecrata sunt: ut blasphemiæ tertio Regum vigesimo primo: *Viri diabolici*

eam transtulit in diadema capitis sui, jussitque Romæ in media Urbe sibi statuam erigi, quæ manu hoc salutiferum signum gestaret. Vide Eusebium de vita Constantini libro primo, cap. XXII.

(40) Modus, quo Lapidatio peragebatur apud Judæos, hic erat, si Rabbinis, qui fere pro libito antiquos eorum mores exponunt, fides haberi potest. Reus ducebatur extra portam ad locum, qui altitudine duorum hominum staturam superabat; ex quo unus ex testibus illum dabat præcipitem recinctis manibus. Si hoc casu non efflabat animam, alter testis lapide arrepto, pectus ejus percutiebat, quo ictu si neque conficiebatur, tunc totus Israel lapidibus eum obruebat. Id probant ex Deuteronomii capite XVII. 7. *Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur.*

bolici dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & Regem; quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. Benedixit bono vocabulo pro *maledixit* usurpabant. Item apud Joannem decimo: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*; & sexto Actuum de S. Stephano: *Tunc submiserunt viros qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem & Deum. Commoverunt itaque plebem, & seniores, & scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium; & statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem*; & post ubi Stephanus verba fecit, subjicitur: *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*. Item de S. Matthia Apostolo, qui blasphemasse arguebatur: *Cum conduxissent ad locum lapidationis, testes duo secundum legis mandatum posuerunt manus suas super eum, ac primi lapides jecerunt*. De adulterio sic Joannes octavo: *Adducunt Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio; in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Quibus ille dixit: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illum lapidem mittat*. Ergo, ut dixi, condemnatio ad Concilium, animadversio ad populum pertinebat.

Reliqua occisionis genera minus celebrata: ut decollatio, de qua S. Matth. XXIV. *Et decollavit Herodes Rex Joannem in carcere*; nam strangulationis, aut suspendii (41) nulla mentio repertus, nisi Judæ proditoris, qui *suspensus crepuit medius*. Ac de Judiciis quidem hæc hactenus.

(41) In libris certe Rabbinorum sæpius reperitur strangulationis mentio facta, cujus modum ita describunt. Reum fimo immergunt ad genu usque, mappa linea collum ejus circumdant, quam duo Executores tamdiu trahunt in diversa, donec exanimetur.

Pro coronide eorum, quæ de pœnis Judaicis annotata sunt, placet hoc loco subjicere cautelas, quas Rabbini in Misna narrant servatas fuisse in exercendis capitalibus Judiciis, dum eorum stetit Respublica, ut æquitatem non minus, quam prudentiam Judicum suorum extollant. Discussa, ajunt, penitus caussa, judicium in alterum mane differebatur. Interim Judices in ædes suas concedebant, parco victu potuque, eo vespere reficiebantur. Mane facto secundis curis in rem inquirebant, ita tamen, ut qui reum pridie damnaverat, illum posset absolvere, non contra. Si prior sententia obtinebat, reus circa Solis occasum trahebatur ad supplicium. Præco insidens equo reum præcedebat, ita exclamans: Vir iste reus damnatur tali crimine, si quis insontem eum docere potest, accedat, rationesque suas exponat. Si quis compareret, statim dato signo a præcone reus reducebatur; idque quinquies permissum erat.

Hæ solertes Judæorum cautelæ revera essent laudabiles, nisi veritate, & sinceritate carerent, ut pleræque Magistrorum narratiunculæ. Vel enim ex eo fiunt subjectæ fidei, quod nullum ex Scriptoribus σύγχρονοις eorum Reipublicæ, illarum constat meminisse, solumque innitimur testimonio Rabbinorum sequioris ætatis. Imo, ut optime advertit P. Calmet, æquissimi isti Judices adeo a sanguine abhorrentes, ad furorem usque accusationes amant, ut quæstio sit anceps apud illos; an liceat litigantium controversias componere. Censet hac in re Rabbi Eliezer, id quidem sine crimine fieri non posse, & qui litigantium conciliatori fausta apprecatur, blasphemiæ execrabilis reus pronunciatur: judicium enim, vel montes ipsos penetrare fas est. Hæc mitissimorum Judicum sunt placita.

Explicit Liber Sextus.

CA-

CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM
LIBER SEPTIMUS,

Qui inſcribitur de Magiſtratibus.

CAPUT PRIMUM.

De generibus Magiſtratuum.

Conſiliis ac Judiciis ſubjiciuntur ordine (1) Magiſtratus: quippe qui Conſiliis, & Judiciis præfuerunt, aut omnino ſua auctoritate partem publicæ Conſultationis & Judicationis aliquam attigerunt. Hi à Græco interprete (2) ἄρχοντες, à Latino Principes convertuntur. Quoniam autem ἄρχειν eſt non ſolum præeſſe, ac ducem eſſe, ſed etiam imperare, atque jubere; propterea vis in magiſtratu inſita duplex eſt; una, ut populo præſit, eique quæ ſunt facienda præſcribat; altera, ut jus dicat, ac judicet, ſive (ut ſcriptura loquitur) *judicium ac juſtitiam faciat*. Quare magiſtratus in ſacra hiſtoria aliquando duces populi, aliquando judices appellantur. Id quod clare perſpici poteſt in Regibus. Hi enim vere & populi duces fuiſſe, & populum judicaſſe dicuntur. De ducatu elicitur ex primo Regum nono, ubi Deus dixit de Saule: *Unges eum ducem ſuper populum meum Iſrael*. Et quinto ſecundi ad Davidem: *Tu paſces populum meum Iſrael, & eris dux ſuper Iſrael*; & poſt David de Salomone primo tertii: *Salomon regnabit pro me, illique præcipiam, ut ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Judam*. De judicio vero extat primo Regum, ubi dixit populus ad Samuelem: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos*; & octavo ſecundi: *David Rex faciebat judicium & juſtitiam cuncto populo*. Et primo ſecundi Paralipomenon ad Salomonem: *Idcirco Deus poſuit te ſuper Iſrael Regem, ut facias judicium & juſtitiam*. Unde Pſalmo nono: *Feciſti judicium meum, & juſtitiam meam, ſediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam*: id eſt, præſtitiſti, quæ tradidit tibi facienda in lege mea; omnibus enim his in locis eſt Græce, κρίσιν, δίκην, & δικαιοσύνην, quæ reſpondent illis verbis, quæ mandavit Deus in lege, κρίματα, & δικαιώματα, id eſt, Judicia, & Juſtificationes, quibus ratio præſcribitur, qua impius condemnetur, & innocens abſolvatur. Eſt enim magiſtratus animata & loquens lex, ſive (3) legis executor & vindex. Atque utrumque quidem jus in magiſtratum convenire, & ducis, & judicis, docuit etiam Ægyptius quidam Exodi ſecundo adverſus Moyſem, qui hominem Ægyptium interfecerat, inquiens: *Quis te conſtituit principem, aut judicem ſuper nos?* Ducatum vero exercuerunt in bello gerendo, & de repub. conſultando, judicationem in jure reddendo.

Hæc autem poteſtas ſive ducendi, ſive judicandi primum Moyſi data eſt in populum Hebræorum, etiam antequam lex ſcriberetur, tum cum Deus ei mandavit, ut populum ſervitute Regis oppreſſum ex Egypto educeret. Itaque ille primis diebus volentem populum ac ſenatum ad conſilia advocavit, & ſine judicibus aut magiſtratibus ullis jura eiſdem volentibus reddidit. Poſt autem cum Jethro ſocer ejus ad eum in ſolitudine agentem primo anno veniſſet, atque aſſiduam ejus operam in cauſſis cognoſcendis animadvertiſſet, auctor fuit, ut rerum leviorum cognitionem præfectis aliquot, viris ſapientia atque æquitate præ-

(1) Magiſtratus à Feſto dicuntur, qui per imperia potentiores ſunt, quam privati. Hæc vox duabus ſignificationibus notatur: nam aut perſonam ipſam demonſtret; ut quum dicitur, Magiſtratus juſſit: aut honorem; ut quum dicimus, Tito Magiſtratus datus eſt. A *magiſtrare* verbo, quod idem Feſtus exponit *regere*, & *moderari*, etymon Magiſtratus deducit. Alii putant Latinum nomen *Magiſtratus* a Magiſtro dictum, hunc vero a *magis*, ut miniſter a *minus* deſcendit. Sed hæ fortaſſe ſunt potius alluſiones nominum, quam etymologiæ.

(2) A verbo ἄρχω *præſum*, *impero*, ἄρχοντες deſcendunt, qui, ut loquitur Etymologicum Magnum, ſunt Præpoſiti, Rectores, Magiſtratus, Præſides, & juxta Heſychium, ſunt etiam Imperatores, & Duces. Illi igitur ἄρχοντες dicuntur, apud quos eſt regimen, vel adminiſtratio alicujus rei. Hujus vocis non raro in Sacris literis occurrit mentio: & apud Athenienſes, qui judicibus præerant, erantque judiciorũ moderatores, ἄρχοντες dicebantur. Nam Athenienſes poſt Reges, quorum primus fuit Cecrops, & Codrus poſtremus, ἄρχοντας habuerunt, & primùm quidem perpetuos, deinde decennales, & tandem annuos. Vide Meurſii Miſcellanea Laconica libro II. cap IV.

(3) Finis, cujus ergo Magiſtratus inſtituti erant à Deo in Hebræorum Republica, erat juſtitiæ conſervatio, & ſubditorum utilitas, ut præmiis remunerarentur bonos, improbos autem pœnis a Deo ſtatutis coërcerent.

Tantam vero Magiſtratuum neceſſitatem agnovit S. Johannes Chryſoſtomus, ut Homilia VI. ad populum Antiochenum, omnia perſum afirmet itura, ſublatis Magiſtratibus. Si judicialia ſuſtuleris, inquit, tribunalia, omnem vitæ noſtræ ordinem tolles: & ſicut ſi gubernatorem a navi ſeparaveris, ſcaphum ſubmerſeris; & ſi Ducem ab exercitu removeris, vinctum hoſtibus tradideris militem: ita ſi Magiſtratus de civitatibus abſtuleris, ipſis brutis animalibus magis irrationabilem degemus vitam, alii alios mordentes, & devorantes, pauperiorem ditior, infirmiorem potentior, manſuetiorem audacior.

(4) præstantibus traderet, ipse vero sibi graviora, in primisque ad Deum pertinentia reservaret. Quam jurisdictionem ille deinde moriens tradidit Josuè Nave filio, ei qui populum in terram Chananæam induxit. Quo mortuo, populus rep. à Deo tradita uti cœpit. Sic enim dixerat Moyses anno quadragesimo in terra Moab loquens de iis, quæ facienda essent, ubi terram Chananæam obtinuissent: *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur; neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.*

Ceterum, cum Respublica triplex fuerit, nimirum universi populi, singularum Tribuum & singularum Urbium, propterea Magistratus in varia distributi genera sunt. Ac Magistratus quidem universi populi fuere primum Judices, deinde Reges, tum Principes, denique iterum Reges, qui in Urbe Metropoli consederunt. In singulis autem Tribubus Phylarchi, & Patriarchæ; in singulis vero Urbibus Principes Civitatum, sive Judicum, nempe Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decani, de quibus singulis res postulat, ut separatim agatur.

CAP. II.

De Judicibus Israël.

QUi ergo primam Hebræorum Rempublicam, idest, Aristocratiam in terra Chananæa gesserunt, cum duplicem potestatem & ducendi, & judicandi haberent, tamen non à Ducatu Duces, sed à judicio, tanquam à parte potiore, (5) vocati Judices sunt, idest, homines condemnandi, & absolvendi jus, atque auctoritatem ex lege habentes. Quod ut exprimerent Græci, duo verba adhibuerunt, κρίνειν, & δικάζειν, κρίνειν, & δικάζειν, κρίνειν, & δικαιοῦν, ut duo legis jussa in hoc Magistratu præcipue inclusa significarent, Judicium, & Justificationem, quæ in lege, ut jam sæpe pro re præcipue animadvertenda monui, κρίματα, & δικαιώματα dicta sunt, siquidem de Othoniele, Aod, & Debora dixerunt, ἔκρινεν, idest, *judicaverunt* Israël, de Samuele vero ἐδίκαζε, & filios ejus à patre ad judicandum constitutos non κριτὰς ut ceteros, sed δικαστὰς appellarunt; & secundo Baruch dicuntur οἱ δικασταὶ οἱ δικάσαντες ἡμᾶς.

Ergo horum Judicum hæc præcipua auctoritas fuit, ut judiciorum, consiliorum, & bellorum principatum tenerent. Ac judicii quidem potestatem in absolvendo, & condemnando positam hi fine minorum etiam Judicum consilio exercuerunt; quod Moyses ex soceri primum auctoritate instituit, deinde lege sua Deus confirmavit, ut supra demonstravimus; exercuerunt autem non solum in iis Urbibus, in quibus ipsi domicilium habuerunt (neque enim earum ætate Jerusalem sedes erat Imperii constituta) sed etiam Tribus ipsas circumierunt, ac certis in Urbibus conventus, & fora egerunt, ibique jurisdictionem, de qua diximus, absolverunt. Unde scriptum est quarto Judicum: *Debora judicabat populum illo tempore, & sedebat sub palma inter Rama, & Bethel in monte Effraim, ascendebantque ad eam filii Israël in omne judicium*; & septimo primi Regum: *Judicabat Samuel Israëlem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circumiens Bethel, Galgala, & Masphat, & judicabat Israëlem in supradictis locis, revertebaturque in Ramatha; ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Israëlem; ædificavit etiam ibi Altare Domino.* Jus vero occis liberum haudquaquam habuerunt, quia in omnibus legem sequuti sunt; qua deinde soluti Reges fuerunt.

De potestate vero populi convocandi, & Senatus habendi, atque ad utrumque, quæ è Republica videbantur, agendi, observatio obscurior est. Quoniam autem id jus & Moyses, & Josuè ante Judices, & Reges post Judices habuerunt, propterea & eo Judices instructos fuisse, credibile est. Neque enim hæc singula expressa sunt in eo libro, qui Judicum historiam continet, quod jejune adeo scriptus sit, ut vix successionem eorum, ac bella gesta quædam attigerit.

Jam vero eos (6) belli gerendi auctoritate armatos fuisse, argumento est, quod scriptum est de Jephte Judicum XI. *Perrexerunt Seniores de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte, dixeruntque ad eum: Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* Omnia certe bella, quæ Judicum tempore con-

(4) Jethro consultissimus senex, quum invisit Moysem generum suum, ei suasit, ut in cognoscendis caussis omnibus Israelitarum sibi parceret, institueretque Judices aliquot, quibus earum discussionem mandaret, reservatis sibi gravioribus. Socero suo Moyses morem gessit, selectosque viros in partem laboris accivit. Sed hæc politia modico tempore obtinuit; nam invaluit ab adventu Jethro, paullo ante, quam Hebræi è Cadesbarne moverent, usque ad castrametationem ad Sepulcra Concupiscentiæ, quò tridui itinere è monte Sinai pervenere. Ibi enim Deo præcipiente Senatus LXX. virorum, qui omnes divini Spiritus illapsu prophetarunt, selectus est, Moysique datus adjutor, pro controversiis populi dirimendis. An, hi septuaginta Seniores ex cœtu pridem constituto ob consilium Jethro, electi fuerint, nec ne, res plane incerta est, licet eos fuisse ex eodem numero Rabbini asserant, sed veteribus testimoniis destituti.

(5) Judices Hebraice dicuntur שופטים *Sophetim* qui non solum erant belli Duces, sed juri quoque dicendo præerant. Carthaginenses etiam Tyriorum colonia, summos eorum Magistratus *Suffetes* appellabant, ut Livius decade III. libro VIII. testatur: *Suffetes Summus erat Pœnis Magistratus.*

(d) Quum Deus suscitaverit Judices, ut populum suum à servitute, & oppressione liberarent; hinc præcipuum munus Judicum fuit bella administrare; ut aperte indicatur Esdræ II. cap. IX. 27. *Et tu de Cœlo audisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis Salvatores, qui salvarent eos de manu hostium.* Multæ enim fuerunt servitutes Judæorum post mortem Josue ad Samuelem usque, in quibus Deus populum suum plectendum hostibus tradidit, quod ad idololatriam defecisset.

I. Servitus fuit Assyriaca sub Chusan Rasathaim Rege Mesopotamiæ, quæ duravit octo annis: *Judicum* III. 8.
II. Moabitica sub Eglone Rege Moab, quæ decem & octo annis duravit: *Judicum* III. 14.
III. Chananæa sub Jabin Rege Chanaan, in Asor regnante, & hæc annis viginti populum oppressit: *Judicum* IV. 2. & 3.
IV. Madianitica, quæ septem annos duravit: *Judicum* IV. 1.
V. Ammonitica, qua Judæi annos octo supra decem vexati fuerunt: *Judicum* X. 8.
VI. Demum Philisthæa, quæ omnium fuit diuturnior, nam duravit annos quadraginta: *Judicum* XIII. 1.

contigerunt, ipsi Judices, tanquam summi duces, administrarunt; non tamen belli suscipiendi arbitrium habuerunt; alioquin Reges ipsos potestate æquassent, qui postea consequuti sunt.

Ceterum hic Principatus non fuit (7) hæreditarius, sed studiis populi delatus, prout vir fortis indicatus à Deo fuit, quod expressum est iis verbis: *Deus suscitavit eis Salvatorem*. Quare nec semper in eadem familia, nec semper in eadem Tribu mansit. Cum autem scriptum est, Deum populo hunc, aut illum Salvatorem excitavisse, significat, Deum populo in mentem injecisse, ut hunc, aut illum Judicem belli ducem designaret. Nam ad Gedeonem dixit Angelus Domini: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian, quasi virum unum*; & Seniores ad Jephte dixerunt: *Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon*.

Judices (8) autem fuerunt hi: Othoniel ex Tribu Juda, Aod ex Tribu Effraim, Debora ex Tribu Effraim, cum Barac ex Tribu Nephtalim, Gedeon ex Tribu Manasse: inde Abimelech filius Gedeonis, per vim occisis fratribus, sed à Civibus suis delectus, post Thola ex Tribu Issachar, tum Jair ex Tribu Manasse trans Jordanem, item Jephte, tum Hesebon ex oppido Bethleem, inde Ahialon Zabulonites, Labdon Effraimites, Samson Danites, inde Heli, ac postremo Samuel, uterque Levitea.

CAP. III.

De Regibus.

JUdicibus inde successere Reges, qui ab eis longe diversi fuerunt: quia & ratio creandi fuit alia, & potestas atque auctoritas multo major, ut quæ non tam à legibus, quàm ab arbitrio & voluntate Regis profecta sit; nam Regem ipsi intellexerunt more Aristotelis, qui solutus legibus plenissimo jure regnaret. Quod autem ad creationem pertinet, creatus est primum suffragiis populi universi, deinde oleo sancto inunctus, & in regali solio magna pompa locatus. Quod vero ad potestatem, primum XII. Tribuum principatum obtinuit; sic enim dictum est Sauli: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israël factus es, unxitque te Dominus Regem super Israël?* deinde judicavit ipsas Tribus, & cum filiis, & solus, atque omnino vitæ necisque potestatem arbitrariam habuit, & quodammodo superior legibus fuit: tum bella pro arbitratu suo & suscepit, & gessit. Hæc autem ut ordine doceam, historiam ipsam regiam à principio repetam, ut quid in Saule primo Rege, quid in Davide secundo, quid in Salomone tertio observatum sit, ex sacris voluminibus afferam. Quibus explicatis, facilè unusquisque quæ à me proposita sunt, cognoscere poterit.

Cùm ergo Deus à principio providisset, fore, ut Hebræi Judicibus, id est, Aristocratia non contenti, regiam dominationem optarent, legem inter ceteras sanxit, qua uti Hebræi deberent, si quando Regis habendi cupiditate flagrassent: qua lege & rationem illius creandi, & creati jura præscripsit, his verbis Deuteronomii XVII. *Cum* (9) *ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus* (10) *Deus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus; cum autem fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini; non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam sederit in solio regni sui, describet Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & justificationes ejus, quæ in Lege præcepta sunt: nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israël*. Hanc verò legem sic reddidit Josephus lib. IV. Antiquitatum: *Si vero Regis cupiditas vos incesserit, is ex eadem gente sit; curam autem gerat justitiæ, & aliarum virtutum omnino. Caveat verò, ne plus legibus, aut Deo sapiat; nihil autem agat sine Pontificis Senatorumque sententia, neque nuptiis multis utatur, nec copiam pecuniarum equorumque sectetur; quibus partis super legis superbia efferatur. Caveat etiam, si quid studio paraverit, ne utilitate vestra sit potentior*. Hæc ille.

(7) Munus Judicum nec hæreditario jure, nec electione possidebatur; sed Deus Judices suscitabat pro necessitatibus populi sui: quod manifeste indicatur Judicum cap. III. 9. *Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos; Othoniel videlicet filium Cenez*: tum II. 18. *Cumque Deus Judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium*. Hinc Judices Magistratus erant a Deo instituti, cujus nomine gubernabant Hebræorum Rempublicam, in quam præcipue supremam auctoritatem ita Deus sibi reservatam voluit, ut ætate Judicum hujus Reipublicæ formam Theocraticam fuisse, nemini omnino dubium possit suboriri.

(8) Nos dedimus laterculum Chronologicum Judicum annotatione LXXX. ad librum primum, quam inde repetat benignus Lector, si ei libitum est: solum hoc loco monentes Seriem Judicum per intervalla divisam esse; nam licet dignitas Judicum perpetua erat ad mortem usque; uni tamen vita functo, non alter statim suffectus erat; sed pro necessitatibus populi sui, novi Judices suscitabantur à Deo.

(9) Volunt Judæorum Magistri, eorum Patribus data fuisse tria præcepta, post ingressum in terram Chanaan executioni mandanda: ea sunt constituere Regem, Amalecitas delere, & Templum ædificare. Præceptum Regis constituendi supra se, probant ex verbis Deuteronomii XVII. 14 à nostro adductis hoc loco: sed ea non præceptum important, solamque permissionem indicant sub certis conditionibus sibi Regem constituendi, ut ex eisdem verbis pronum est intelligere.

(10) Primos Reges approbavit Deus per Prophetas suos; per Samuelem enim unctus fuit Saul, & David, per Nathanem verò Salomon. Post hos, Deo auctore, prior œconomia immutata fuit: nam Regnum successivum evasit juxta eas promissiones, quibus Deus spoponderat Davidi, se ei, posterisque in perpetuum Regnum esse traditurum. Quomodo autem Davidis Regnum perpetuum fuerit, nos alibi diximus.

ille. Quod ergo prospexit Deus fore, ut Hebræi aliquando Regis desiderio caperentur, id accidit tempore Samuelis Prophetæ, & Judicis; ut enim scriptum est primo Regum, populo offenso injustis judiciis filiorum Samuelis, Joël, & Abia, quos ille jam ætate confectus pro se jus dicere jusserat. Seniores Samuelem adierunt, atque ab eo Regem poposcerunt, qui sibi jura moderaretur, quemadmodum ceteræ gentes habebant. Quibus verbis Regem legibus superiorem, sive legib. scriptis solutum flagitarunt. Ea verò res his verbis tradita est: *Dixere Seniores: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis. Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut universæ habent nationes. Displicuit sermo in oculis Samuelis, & oravit ad Dominum; dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi; non enim te* (11) *abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Veruntamen contestare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem, & ait: Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis; Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum; filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas; agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis; sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo; greges quoque vestros addecimabit; vosque eritis ei servi, & clamabitis die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem. Noluit autem populus audire vocem Samuelis; sed dixerunt: Nequaquam. Sed Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. Et Samuel retulit verba populi Deo. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem; & ait Samuel ad viros Israël: Vadat unusquisque in civitatem suam.* Interim verò duo præcipua & legitima munera Regis detexit, principatum, inquam, judiciorum, & belli, cùm dixit populus: *Et judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Atque hæc quidem ad jura Regis comfirmanda, quibus Judices superavit, satis valere possunt, de quibus etiam ante ex Aristotelis sententia diximus.

Nunc de lectione, & (12) unctione ejus cetera subtexamus. His actis Samuel Saulem filium Cis de Tribu Benjamin ad se profectum, dum amissas patris asinas indagaret, jussu Domini oleo unxit, & osculatus est dicens: *Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum tuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt; & ipsum se expectare jussit in Galgalis.* Inde convocavit populum in Masphat, ut Regem deligeret. Ibi omnes Tribus conjecit in sortem, & exiit Tribus Benjamin: & Tribus Benjamin sorti commissa est, & exiit cognatio Metri; atque inde pervênit sortiendo usque ad Saulem filium Cis; & statim misit populus, qui Saulem domi absconditum convenirent. Atque eo Masphat adducto, clamavit: *Vivat Rex. Inde locutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit omnem populum, singulos in domum suam.* Deinceps agit de consecratione illius, quæ unctione fiebat, unde Rex *Christus Domini* sæpe dicitur, ut psalmo XVII. *Misericordiam faciens Christo suo David*; & primo Regum XXIV. *Ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini.* Cum autem quidam se parituros Sauli oegassent, dixit Samuel ad populum: *Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum; & perrexit omnis populus in Galgala, & unxit Samuel Regem Saulem, & immolaverunt ibi victimas pacificas.* Quod autem apud Latinum interpretem est, *Innovemus ibi regnum*, Græce est ἐγκαινίζομεν; est autem ἐγκαινίζειν non solum renovare, sed etiam consecrare, ac dedicare. Unde consecratio Templi dicitur *Encænia*, ut IV. primi Maccabæorum, ubi scriptum est: *Altare holocaustorum eodem die renovatum est, quo fuerat profanatum*, Græce est ἐνεκαινίσθη, id est, dedicatum est; Unde paulo post ἐγκαινισμὸς ab interprete dedicatio vertitur.

Saulem inde, quòd contra instituta holocaustum, non expectato sacerdote, obtulisset, Deus reprobavit, & Davidem filium Jesse ex Tribu Juda adhuc puerum, & pastorem Regem destinavit, misso Samuele in domum Jesse, ut inspectis septem filiis ejus, illum demum inungeret. Ita David minimus fratrum suorum Rex inunctus, ad Saulem Regem, tanquam citharœdus, accitus accessit; & post retentus multa pro eo fortiter ac strenuè gessit; præcipuè autem Goliadam gigantem Philistæum singulari certamine provocantem perculit, ex quo invidiam Saulis adversus se concitavit, & propterea persecutiones ejus varias tulit. Occiso inde Saule, David iterum à viris Judæ Rex unctus est in Hebron in Tribu Juda. Reliquæ verò Tribus Isboseth filium Saulis unxerunt, quo deinde à suis interfecto; David tertiò super totum Israël à cuncto populo unctus est, ut scriptum est deinceps quinto secundi Regum: *Venerunt universæ*

(11) Ratio potissima, ob quam Deus questus est, se abjectum fuisse à Judæis Regem petentibus, hæc mihi esse videtur, quod eo tempore Regem petierunt supra se constituendum, quo Samuelem habebant Judicem à Deo suscitatum, cujus vitæ sanctitas, moresque inculpati, perspecti erant omnibus, & explorati. Hinc quum per eam petitionem insolentius Samuelem impeterent, revera ipsummet Deum offenderunt, qui illum populi sui Judicem constituerat. Sed tum de hoc negumento, tum de jure Regis, vide, quæ dixi annotationibus LXXXII. & LXXXIII. ad librum primum, in quibus à Sigoniana sententia valde recedo.

(12) Tradunt Rabbini eodem oleo המשחה unctionis unctos fuisse Reges ex stirpe Davidica, quo Sacerdotes ungebantur; quorum traditio repugnat, ut quidem sentio, disertissimis verbis Exodi XXX 32., quibus Deus interdicit, ne quis oleo sancto, præter Sacerdotem, ad cujus consecrationem erat compositum, liniatur: *Caro hominis* לא ייסך *non ungetur ex eo* Unde multo verius puto Reges omnes, quotquot uncti fuerunt, unctos fuisse oleo אפרסמון *opobalsami*, quo ceteros Reges delibutos fuisse Judæi sentiunt. Confer annotationem tertiodecimam ad V. librum.

versæ Tribus Israël ad David in Hebron dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Venerunt quoque Seniores Israël ad Regem in Hebron, & percussit cum eis fœdus coram Domino; unxeruntque eum Regem super Israël. Erat triginta annorum, cùm regnare cœpit, & XL. annis regnavit; in Hebron super Judam septem annis & sex mensibus: in Hierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel, & Judam. Ubi vero regnum occepit, Jebusæum, qui Hierusalem tenebat, armis urbe dejecit, & arcem in monte Sion construxit, ibique habitavit, unde civitas Davidis appellata est, & Arcam fœderis eò transtulit, & materiam templo ædificando paravit, & demum Salomonem filium Regem sibi sublegit, eumque inungi præcepit; sic enim proditur primo tertii Regum: *Dixit David ad Sadoc Pontificem, Nathan Prophetam, & Banajam: Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon, ut ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israel; & canetis buccina, & dicetis: Vivat Rex Salomon; & ascendetis post eum, & venietis, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me; illique præcipiam, ut sit Princeps super Israël, & super Judam.* Atque hæc omnia ita, ut jussit, effecta sunt.

Mortuo deinde Davide regnavit Salomon, qui templum condidit, & Arcam in Sancto Sanctorum reposuit, atque opibus & gloria omnes longe superavit, ut scriptum est in secundo Paralipomenon.

Salomone inde ex humanis rebus exemto, convocatus est Israël in Sichem, ut Roboam filium ejus Regem constitueret. Verum cum populus petiisset, ut tributa à patre imposita tolleret, atque ille responsum acerbius reddidisset, decem Tribus ab eo discesserunt, & Hieroboam filium Nabath ex Tribu Effraim sibi Regem asciverunt. Quare regnum in duo distractum est; unum Tribus Judæ, cui etiam Tribus Benjamin erat adjuncta; alterum decem aliarum Tribuum, quod communi nomine regnum Israëlis est vocitatum.

Regnum inde Judæ semper in eadem Tribu, & familia Davidis mansit, ita ut filio pater ipsum ferme reliquerit. Regnum autem Israël ad diversas Tribus, & diversas familias transiit, quia *in* lege Dei *non* mansit; sed ad cultum idolorum se contulit. Quanquam autem regnum Judæ hereditarium fuit, tamen populi quoque suffragiis confirmatum est. Unde duodecimo tertii Regum: *In Sichem erat congregatus omnis Israël ad constituendum Regem Roboam.* Et vicesimo tertio: *Habitatores Jerusalem constituerunt Ochoziam Regem, filium pro patre*; sic in ceteris. Inter Reges porro Judæ fuit Joas; de cujus creatione, quoniam insignis ad memoriam fuit, hæc placet quoque ex vicesimotertio secundi Paralip. promere: *Eduxerunt Joam filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manum ejus tenendam legem, & constituerunt eum Regem; unxitque illum Jojada Pontifex, & filii ejus, imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex*; & XXVI. *Tulit populus terræ Joachaz filium Josiæ, & unxerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.* Desiit inde regnum Israëliticum multo maturius, quam Judaicum; nam illud defecit in Osee, quem Salmanassar Rex Assyriorum victor cum populo Israëlitico in Assyriam transtulit; hoc vero multos post annos in Sedecia, qui à Nabucdonosore Rege Babyloniæ in Babyloniam cum omnibus Judæis traductus est.

Ex hac rerum (13) expositione facile cognosci potest, quomodo Judæorum Reges creati, & quo jure ornati fuerint, & ut non solum hereditate, sed etiam suffragiis populi ad id fastigium dignitatis ascenderint. Quod idem clarius etiam unusquisque cognoverit, qui reliquorum quoque Regum res gestas sigillatim attenderit.

Judicavit porro populum Rex tripliciter, uno modo solus; ut XV. secundi Regum: *Omnem virum, qui habebat negocium, ut veniret ad Regis judicium, vocabat Absalon ad se, faciebatque hoc omni Israël veniente ad judicium, ut audiretur à Rege.* Itaque diximus supra, Davidem cuncto populo justitiam judiciumque fecisse. Quin etiam ipse David Salomoni Regi sibi subjecto sic à Deo precatus est: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio*; neque id injuria; nam Psalmo XCVI. scriptum est: *Justitia & judicium sunt throni Dei*; & XCVIII. *Tu parasti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti.*

Altero modo judicavit Rex, cùm una cum Senioribus & Sacerdotibus judiciale Concilium iniit, ut supra ostensum est. Tertio, cum Senioribus & Magistratibus advocatis cognovit, ac jura dixit, ut paulo post demonstrabitur, ubi de Principibus Tribuum dissertetur.

Senatum autem ab Regibus habitum, & populum ad conciones vocatum, supra declaratum est.

Nam bella ejus (14) arbitratu suscepta, & ductu gesta, libri ipsi Regum, Prætermissorumque ostendunt, qui regiorum bellorum expositionibus pleni sunt. Quibus illud additur, quod dixere Hebræi postulantes Regem: *Et judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

CAP. IV.

De Principibus Judæorum, & Regibus ultimis.

Atque Effraimitæ quidem nunquam postea patrias sedes repetiverunt, nec potestatem regiam receperunt. Judæi vero post septuaginta servitutis annos permissu Cyri Regis Persarum domum ex Babylonia terra reversi, Principatum, teste Josepho, suis Pontifi-

(13) Abulensis in IV. Regum IX. Quæst. 14. modum exponens, quo Hebræorum Reges creabantur, septem cerimonias enumerat, & quidem hoc ordine. Prima fuit solennis deductio ad fontem, vel arborem extra Urbem. Secunda ipsa unctio. Tertia fausta acclamatio: *Vivat Rex*. Quarta collocatio in throno regio. Quinta traditio libri *Legis*. Sexta impositio diadematis, sive coronatio. Septima demum sanctio fœderis cum Deo, & populo.

(14) In opposita sententia sunt plerique Judæorum Magistri, qui satis consentientes apud Seldenum, nullum bellum arbitrii, de quo infra capite nono, volunt susceptum fuisse à Regibus sine decreto Synedrii septuaginta unius viralis. Vide Seldenum de Synedriis libro III. capite XII.

tificibus mandaverunt, cum Reges primum Persarum, deinde Ægyptiorum, tum Syrorum Judæam cum imperio obtinerent, ac tributa à Judæis exigerent. Tum exorta inter domesticos de Pontificatu ipso seditione, Antiocho Epiphani Syriæ Regi, libertate ac religione orbati, per paucorum mensium spacium servierunt. Qua indignitate permoti Assamonæi, ex Tribu Levi homines, rem Judæorum armis consilioque recuperarunt, ac primum nomen sibi Principis, deinde Regis asciverunt. Principem vero cum dixerunt, belli ducem, & litium judicem intellexerunt; sic enim scriptum est secundo primi Maccabæorum, cum ad Matthatiam Principatum detulerunt: *Tunc descenderunt multi quærentes judicium, & justitiam*; recte, cui enim potestas justitiæ ac judicii faciendi tribuitur, is Princeps, sive Archon declaratur. Matthatiam inde Principem excepit Judas Maccabæus filius, qui Principatui Pontificatum adjunxit, quem sequutus est Jonathas frater, de quo ita scriptum est: *Nunc te hodie elegimus esse pro Juda nobis in Principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum, & suscepit Jonathas illo tempore principatum*. Inde Simon frater, de quo ita: *Tu esto dux noster loco Judæ & Jonathæ fratris tui, pugna prælium nostrum, & omnia quæcunque dixeris nobis, faciemus*. Item paulo post: *Judæi, & Sacerdotes eorum consenserunt, Simonem esse ducem suum, & Pontificem in æternum, donec surgat propheta fidelis, & ut sit super eos dux, & ut cura sit illi pro Sanctis; & ut constitueret præpositos super opera, & super regionem, & super arma, & super præsidia: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione; & ut operiatur purpura, & auro; nec liceat ulli ex populo & ex Sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere iis, quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso, & vestiri purpura, & uti fibula aurea; qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secundum verba ista. Et suscepit Simon, & placuit ei, ut summo Sacerdotio fungeretur, & esset Dux, & Princeps gentis Judæorum, & Sacerdotum, & præesset omnibus, & scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æneis, & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri: exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon & filii ejus*. Demetrius inde Rex Syriæ remisit eis omnia tributa. Atque ita Judæi prorsus in antiquam sub Regibus suis libertatem sunt vindicati, qua de re sic in eodem libro: *Remittimus ignorantias & peccata usque in hodiernum diem, & coronam, quam debebatis, & si quid aliud erat tributarium; & sit inter nos pax*. Inde sic infertur: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel, & cœpit populus Israel scribere in tabulis & actis publicis anno primo sub Simone Pontifice, Duce & Principe Judæorum*. Inde Antiochus Demetrii filius alia jura adjunxit, sic scribens: *Statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes Reges, & quæcunque alia dona remiserunt. Etiam promitto tibi facere percussuram propriam numismatis in regione tua. Hierusalem autem sanctam esse, & liberam, & omnia arma, quæ fabricata sunt, & præsidia, quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi, & omne debitum Regis, & quæ sunt futura Regi, ex hoc etiam in totum tempus remittuntur tibi*.

Successit inde Simoni Joannes filius, & Joanni Aristobulus, qui, ut inquit Josephus, Principatum ad Regiam dignitatem provexit, primusque sibi diadema imposuit, post CDLXXI. annos, & tres menses, ex quo captivitate Babylonica populus exemtus domum repetivit. Post Aristobulum inde frater ejus Alexander Janneus à Solina, sive Alexandra Aristobuli conjuge, quæ illi se connubio sociarat, evectus est. Quo vita functo, ipsa Alexandra regnum obtinuit, & post eam Hircanus filius, quem frater ejus Aristobulus expulit. Pompejus autem Dux Romanus, cum bellum Mithridaticum gereret, Syriâ in potestatem redactâ, atque Aristobulo Rege capto, Judæam occupavit, & in provinciæ formulam redegit, atque ei Procuratorem Antipatrum Ascalonitam imposuit. Cum autem mox Antigonus Aristobuli filius Urbe recepta regnum rursus invasisset, Romani adversus eum Herodem Antipatri filium Regem appellaverunt, qui magnis rebus gestis decessit, ac regni partem filio reliquit Archelao. Hoc Herode regnante Jesus Christus jampridem à Deo promissus est natus. Archelao inde Viennam ob immodica imperia relegato, ab Augusto Imperatore Judæa iterum in provinciæ formulam est adducta, & Procuratoribus commissa. Quare mox Pontio Pilato procurante Christus est Crucifixus. Inde Agrippa Herodes Aristobuli filius, Herodis N. à Claudio Imperatore Rex Judææ appellatus est; quo mortuo tertiùm Judæa provinciali more à Procuratoribus Romanis administrata est; quo tempore, imperante Vespasiano, & Gessio Floro procurante, Urbs cum gente & templo deleta est. Nomina vero Regum & Principum hæc fuerunt:

REGES JUDÆ ET ISRAEL.

SAUL	Rex primus, F. Cis ex Tribu Benjamin, annos 20.
DAVID	Jesse F. ex Tribu Juda, annos 40.
SALOMON	Davidis F. annos 40.

REGES JUDÆ EX FAMILIA DAVID.

ROBOAM	Salomonis F. annos 17.
ABIA	Roboami F. annos 3.
ASA	Abiæ F. annos 41.
JOSAPHAT	Asæ F. annos 25.
JORAM	Josaphat Filius annos 8.
OCHOZIAS	Jorami F. annum 1.
ATHALIA	Uxor Jorami, annos 7.
JOAS	Ochoziæ F. annos 40.
AMASIAS	Joæ F. annos 29.

AZA-

AZARIAS,	five OZIAS, Amafiæ F. annos 52.
JOATHAM	Azariæ F. annos 16.
ACHAZ	Joathæ F. annos 16.
EZECHIAS	Achazis F. annos 29.
MANASSES	Ezechiæ F. annos 55.
AMMON	Manaffis F. annos 2.
JOSIAS	Ammonis F. annos 31.
JOACHAZ	Jofiæ F. menfes 3.
ELIAZIM,	five JOACIM, Jofiæ F. annos 11.
JOACHIM,	five JECONIAS, Joacim F. menfes 3.
SEDECIAS	Jofiæ F. annos 11.

Transferuntur Judæi in Babyloniam, & poft annos LXX. reftituti parent Pontificibus fuis; inde Principatus Affamonæorum inftituitur fub Antiocho Epiphane Syriæ Rege.

PRINCIPES.

MATTHATIAS	Affamonæus annum 1.
JUDAS	Maccabæus Matthatiæ F. annos 4.
JONATHAS	Matthatiæ F. annos 18.
SIMON	Matthatiæ F. annos 8.
JOANNES	Hircanus Simonis F. annos 36.

REGES ITERUM.

ARISTOBULUS	Joannis Hircani F. fe Regem appellavit, annum 1.
ALEXANDER	Janneus Joan. Hircani F. annos 27.
SOLINA,	feu Alexandra, Uxor Alexandri, annos 9.
HYRCANUS	Alexandri F. menfes 3.
ARISTOBULUS	Alexandri F. pulfo Hyrcano F. annos 6.

JUDÆA SUB ROMANIS.

ANTIPATER	Afcalonita Judææ Procurator, annos 3.

REGES TERTIUM.

ANTIGONUS	Ariftobuli F. erepta Urbe Romanis, ultimus ex Affamonæis, annos 3.
HERODES	Magnus Antipatri Afcalonitæ F. Rex à Romanis contra Antigonum factus, annos 37.

JESUS CHRISTUS NASCITUR.

ARCHELAUS	Herodis Magni F. Rex Judææ, annos 9. Herodes Antipas frater Tetrarcha Galilææ, annos 34.

JUDÆA (15) ITERUM SUB ROMANIS.

C. COPONIUS	Procurator Judææ ab Augufto datus annos 2.
M. AMBIVIUS	item annum 1.
ANNIUS RUFUS	item annum 1.
VALERIUS GRATUS	Proc. à Tib. Imp. miffus annos 11.

JE-

(15) Quoniam in annotationibus ad librum primum catalogos Chronologicos exhibuimus Regum tum Juda, tum Ifraelis, itemque Regum Afmonæorum, & demum Herodiorum; reliquum eft, ut hoc loco laterculum Chronologicum Procuratorum Judææ fubjiciamus, ne humaniffimo Lectori defit ulla feries illorum, qui in Judæa dominati funt. Poftquam enim Archelaus Tetrarcha Judææ exilii pœna damnatus fuit, Romani in illam mifefunt Præfides, qui aliquando Prætores, & fæpius Procuratores appellantur, qui non folum Imperatoribus parebant, fed etiam Proconfulibus Syriæ, cujus pars Judæa habebatur.

A

B

LATERCULUM CHRONOLOGICUM
Præfidum, five Procuratorum Judææ.

COPONIUS, eques Romanus, omnium primus, ea Præfectura donatus eft, quam geffit ab A. Chr. 9., & Ær. 6. ufque ad A. Chr. 13., & Ær. 10. Syriam P. SULPICIO QUIRINO, de quo S. Lucas 2. 2. adminiftrante.

M. AMBIBUCUS, *five* AMBIVIUS, circa A. 10. Ær. Coponium excepit, ac triennio Provinciam adminiftravit, ufque ad annum fcilicet 13. Ær. circiter; neque enim certum ejufdem Præfecturæ tempus à Jofepho *Antiq. l. 18. c.* 3. notatur.

ANNIUS RUFUS, ab A. 13. Ær. circiter rerum potitus eft, anno fcilicet, vel biennio.

VALERIUS GRATUS, fucceffor Rufi, Provinciam habuit 11. annis, ab A. Ær. 15. vel 16. ufque ad 26., five 27. *Jofeph. ibid.*

PONTIUS PILATUS, ab A. 26., five 27. Ær. Præfecturam iniens, exeunte A. 36., & Chr. 39 abdicavit.

MARCELLUS, à Vitellio Procof. Syriæ Pilato fuffectus A. 36. Ær., altero anno Ær. 37. conceffam à C. Caligula Agrippæ Provinciam, una cum Regio titulo dimifit.

Sub Agrippa, vetus Judææ ftatus reftitutus eft: fed eo vità functo, an. Chr. 47. Ær 44., iterum in Provinciam a Claudio redacta, CUSPIO FADO fub Procuratoris titulo regenda commiffa eft.

Fado poft biennium, anno fcilicet Ær. 46. TIBERIUS ALEXANDER, filius Alexandri Alabarchæ Judæorum Alexandrinorum, & nepos Phi-

JESUS CHRISTUS PATITUR.

MARCELLUS	item 2000s 3.

REGES QUARTUM.

AGRIPPA	Herodes Aristobuli F. Herodis Magni N. Rex Judææ à Cajo Imper. factus, annos 10.

JUDÆA SUB ROMANIS TERTIUM.

CUSPIUS	Fadus Proc. à Claudio Imp. missus, annos 3.
TIBERIUS	Alexander item an. 2.
CUMANUS	item an. 3.
ANTONIUS	Felix item an. 3.
PORCIUS	Fastus à Nerone missus, an. 3.
ALBINUS	item an. 3.
GESSIUS	Florus item an. 3.

Urbs Hierusalem eum Templo à Tito Cæsare evertitur imperante Vespasiano Patre.

CAP. V.

De Principibus Tribuum, seu Phylarchis.

SEcunda Resp. Principes Tribuum & familiarum complexa est, de quibus deinceps differeodum est. Prineipes autem Tribuum fuere, qui singulas Tribus duserunt, earumque rationes administrarunt. Quare ut duodeeim Tribus, sic duodecim earum Principes extiterunt, quibus nominatis Numerorum primo sic additur: *Hi sunt, quos numeraverunt Moyses, & Aaron, & duodecim Principes Israel, singulos per domos cognationum suarum*; & quarto: *Recensuerunt Moyses, & Aaron, & Principes Synagogæ filios Cabat*; & tertiodecimo: *Egressi sunt Moyses, & Eleazar Sacerdos, & omnes Principes Synagogæ*. Synagoga enim est uoiversi populi eoncio; & Josue XXII. *Miserunt ad filios Ruben & Gad, decem Principes singulos de singulis Tribubus*. Quoniam autem Tribus φυλαὶ dictæ sunt, propterea Prineipes earum a LXX. Interpretibus φύλαρχοι, ἀρχίφυλοι, ἄρχοντες, & ἀρχηγοὶ τῶν φυλῶν dicti sunt, atque iidem etiam Principes Israël appellati. Nam VI. Numerorum, ubi Latina translatio habet, *Principes Israel*, Græca refert, *duodecim Principes Israel, Principes Tribuum*. Unde Philo dixit in libro de profugis: *Principes generis duodecim sunt, qui Phylarchi dicuntur*. Licet autem XXVII. primi Paralip. duo Principes nominentur Tribus Manassis, & unus Princeps Tribus Levi, quibus adjunctis essent quattuordecim, rotundus tamen numerus magis eelebratur, nempe duodecim.

Hi vero hæc consecuti jura sunt. Astitere lateribus Regis, & eum eo sedentes partim consilia inierunt, partim jus singulis Tribubus reddiderunt, & cum Rege se obligarunt, si quid jurejurando publico sanciendum putarunt. De illis ad consilium adhibitis hæc sunt doeumento. Num. XXX. *Loquutus est Moyses ad Principes Tribuum filiorum Israel*; & quinto Deuteronomii: *Accessistis ad me omnes Princi-*

A *pes Tribuum, & seniores*; & XXXI. *Advocate ad me Phylarchos vestros, & Seniores vestros*. Latinus autem minus apte: *Congregate ad me omnes majores natu per Tribus vestras*; & XXIX. *Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro Principes vestri, & Tribus, & majores natu*: Græce ἀρχίφυλοι, & XXVIII. primi Paralip. *Congregavit David Rex omnes Principes Israel, Duces Tribuum*; & quinto secundi: *Convocavit Salomon Rex omnes seniores Israel, & omnes Principes Tribuum*; & octavo tertii Regum: *Congregati sunt omnes seniores Israël cum Principibus Tribuum*. Hue autem allusit etiam Da-

B vid, eum de se Rege ereato loquens dixit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui*: idest, ut sedere Regem faciat inter duodeeim Prineipes Tribuum illi assidentes. Sie enim Græce sonat.

De jure autem ab eis reddito hæc erunt testimonio. Psalmo CXXI., ubi agitur de Hierusalem, quæ restituta post eladem Babylonicam erat: *Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum*

C *dum nomini Domini; quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David*. Quo eodem allusit etiam Isaias tertio: *Sed jam stabit ad judicium Dominus, & sistet ad judicium populum suum, ipse Dominus ad judicium veniet, cum senioribus populi, & cum Principibus ejus*; & XXXII. *Ecce Rex justus regnabit, & Principes cum judicio imperabunt*. Habuerunt autem singuli sedem suam, unde jus suæ quisque Tribui dixit. Quod elarissime docuit Christus, eum hue intuens dixit, se, tanquam Regem, in eœlesti throno Majestatis sessurum, duodeeim autem Apostolos, tanquam duodecim

D Phylarchos, super sedes duodecim, ipsas duodeeim Tribus judicaturos; neque enim alio, quam ad veterem Hebræorum Remp. respexit, quæ Davidis tempore floruit; sic autem dixit Matthæi XIX. *Amen dico vobis, quod vos*

qui

Philonis, in præmium ejuratæ Judaicæ Religionis successor datus est.
Post biennium, A. Ær. 48. VENTIDIUS CUMANUS in Provinciam venit, quam usque ad A. Ær. 52. habuit.
FELIX, libertus Claudii Imperatoris, ab A. Ær. 52. usque ad 60. in eadem Præfectura successit.
PORCIUS FESTUS, ab A. Ær. 60. Provinciam excipiens, an. 62. ibidem occubuit.
ALBINUS, Præses fuit ab A. 62. ad 64. Ær.
GESSIUS FLORUS, labente an. Ær. 64, sive ineunte a. 65. omnium postremus eandem Præfecturam inivit; qua pessime administrata, seditionem, ac bellum concitavit. Quid de illo factum sit ab A. Ær. 66., quo Judæorum seditio cœpit, prorsus latet. Urbis excidium ad an. Ær. 70. consignandum est.

qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & (16) vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim Tribus Iſraël.

Locum autem his Judieiis tributum in Templo à Salomone, apparet ex ſeptimo tertii Regum, ubi ſcriptum eſt: *Porticum quoque fecit, in qua Tribunal eſt, & domuncula, in qua ſedebatur ad judicandum, erat in media porticu.* Græcus enim interpres habet pro Tribunali Thronos, ideſt, ſedes, & locum ipſum vocat [illegible], ideſt, judicatorium.

De jurejurando porro liquet ex Joſuë nonodecimo: *Joſue fecit fœdus cum Gabaonitis jurans, & ſimul Principes Synagogæ*, ideſt, populi. Ceterum decem Tribubus ab ipſo Reip. corpore avulſis, ac poſtmodum in Aſſyriæ regiones translatis, Judæi tamen ipſum duodecim Principum Tribuum numerum, ut etiam LXX. ſeniorum, retinuerunt. Oſtendit locus ſexto primi Eſdræ: *Judæi Babylone reverſi duodecim hircos ſacrificant pro peccatis totius Iſraël, juxta numerum Tribuum Iſraël*; in ſeptimo vero tertii, ubi eadem res refertur, inquit: *Juxta numerum Phylarcharum, ideſt, Principum Tribuum Iſraël*; & ſequenti: *Et ſeparavi ex Phylarchis, & Sacerdotibus duodecim viros*. Quare merito Chriſtus etiam dixit, *Apoſtoles, tanquam XII. Phylarchos, duodecim Tribus judicaturos*. Ut autem hi Principes Concilii participes eſſent, ſupra oſtenſum eſt.

CAP. VI.

De Principibus familiarum, ſeu Patriarchis.

PRincipibus inde Tribuum adhæſere Principes familiarum. Ut autem quinam hi ſint, cognoſcatur r prius, quæ familiæ dictæ ſint cognoſcendum. Ut ergo populus Iſraëlita rum in XII. Tribus fuit diviſus, ſic ſingulæ Tribus in multas familias, atque ut totus populus nomen accepit ab Iſraële, & ſingulæ Tribus à filiis Iſraëlis, ſic ſingulæ familiæ à nepotibus ejus. Has vero familias Latinus interpres nominibus diverſis expreſſit. Nam generationes, gentes, cognationes, domos, & familias vertit; pro quibus Græcus habet [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], & [illegible]; ut primo Numerorum: *Capits ſummam congregationis filiorum Iſraël ſecundum cognationes eorum, & domos familiarum eorum. De Ruben per generationes, & familias, & domos ſuas, & nomina capitum ſingulorum numerata quadraginta ſex millia quingenti.* Nomina vero familiarum, quæ ex ſingulis filiis Iſraël manarunt, hæc XXVI. Numerorum traduntur. Ex Ruben, Henochitæ, Phalluitæ, Heſronitæ, Charmitæ. Ex Simeon, Namuelitæ, Jamınitæ, Jachinitæ, Zaretæ, Saulitæ. Ex Gad, Sephonitæ, Aggitæ, Sunitæ, Oznitæ, Heritæ, Aroditæ, Arielitæ. Ex Juda, Selaitæ, Phareſitæ, Zareitæ, Heſronitæ, Hamulitæ. Ex Iſſachar, Tholaitæ, Phuaitæ, Jaſubitæ, Semranitæ. Ex Zabulon, Saredıtæ r Elonitæ, Jalelitæ. Ex Manaſſe, Machiritæ, Galaaditæ, Jezeritæ, Helecitæ, Afrielitæ, Sechemitæ, Semedaitæ, Hepheritæ. Ex Effraim, Suthalaitæ, Becheritæ, Thehenitæ, Heranitæ. Ex Benjamin, Belaitæ, Asbelitæ r Achiramitæ, Suphamitæ, Huphamitæ, Hereditæ, Noëmanitæ. Ex Dan, Suhamitæ. Ex Aſer, Jemnaitæ, Jeſſuitæ, Brieitæ, Heberitæ, Melchielitæ. Ex Nephtali, Jeſielitæ, Gunitæ, Jeſeritæ, Sellemitæ. Ex Levi, Gerſonitæ, Caharitæ, Meraritæ. Hinc ſcriptum eſt VII. Joſuë: *Congregamini omnes mane per gentes: & quamcunque Tribum oſtenderit Dominus, producetis viritim. Et mane ſurrexit Joſuë, produxitque populum per Tribus ſuas, oſtenſaque eſt ei Tribus Judæ; & productus eſt per cognationes Judas, oſtenſaque eſt ei cognatio Zaræ: & producta eſt cognatio Zaræ, & oſtenſa eſt familia Zabdi viritim*; & XIX. *Exiit ſors prima filiorum Benjamin per familias. Exiit ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas*; & XVII. Judieum: *Fuit adoleſcens in Bethleem Juda ex cognatione populi Judæ*; & X. primi Regum: *State coram Domino per Tribus veſtras, & familias, & produxit Samuel omnes Tribus Iſraël, & exiit ſors Tribus Benjamin: & produxit Tribum Benjamin, & cognationes ejus, & exiit cognatio Mattari, & pervénit uſque ad Saulem filium Cis.*

Hæ igitur ſunt Familiæ Iſraëlitarum, quæ in ſolitudine floruerunt, quarum aliæ poſtea interierunt, aliæ ſuccreverunt; ſiquidem inter alias in Tribu Juda fuit Familia David, quæ poſtea eſt exorta; unde ipſe dixit primo Paralip. XXVIII. *Deus de Juda elegit Principes, porro de domo Juda domum patris mei.* Perierunt autem omnes ferme ex (17) decem Tribubus in Aſſyriaco exilio: conſervatæ autem ſunt reliquæ in Babylonico; unde regreſſæ dominum populum Judæorum reſtituerunt.

Hac

(16) Ut Chriſtus Dominus indicaret, Apoſtolos proximum à ſe locum occupaturos in judicio, tranſlationem ſumpſit, ut bene Sigonius advertit, à veteri ſtatu Regni Iſraelitici, in quo Φυλάρχαι in publicis cœtibus juxta Regis ſolium ſedebant in duodecim ſellis, quæ tum à S. Matthæo, tum à S. Johanne in Apocalypſi throni vocantur.
Communior tamen eſt inter Sanctos Patres ſententia, dum à Chriſto dicitur ſuper ſedes duodecim, poni definitum hunc numerum pro indefinito, ſcilicet pro omnibus aſſeclis Chriſti, qui parem cum Apoſtolis pro Chriſto laborem ſuſcipiunt. Nos unius S. Bernardi verba huc transferemus: „ Juſta prorſus, inquit *Sermone de S. Benedicto*, retributio, ut qui hic pro Chriſto humanam gloriam celſitudinis neglexerunt, illic à Chriſto Judices glorificati, ſingulariter cum eo aſſideant.
Nemo autem putet duodecim tantum Apoſtolos, quia pro Juda prævaricante Matthias electus eſt, tunc eſſe judicaturos; ſicut nec duodecim ſolæ ſunt Tribus Iſrael judicandæ, alioquin Tribus Levi, quæ tertia decima eſt, injudicata recedet; & Paulus, qui tertiuſdecimus eſt Apoſtolus, judicandi ſorte privabitur, quum ipſe dicat: *Neſcitis, quia Angelos judicabimus?* Sciendum namque eſt, omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, Judices cum eo venturos; ſicut etiam omne mortalium genus eſſe judicandum: quia enim duodenario ſæpe numero ſolet in Scripturis univerſitas deſignari; per duodecim Sedes Apoſtolorum, omnium univerſitas judicantium; & per duodecim Tribus Iſrael, univerſitas eorum, qui judicandi ſunt, oſtenditur. Si plura de hoc argumento deſiderat, vide Angelicum Doctorem in tractatu contra retrahentes à Religione cap. 6. & 7. ubi fusè hoc idem demonſtrat.

(17) Bene ſcribit Sigonius omnes ferme Judæos ex decem Tribubus in Aſſyriaca deportatione periiſſe; nam nulla ex his Tribus collecta Jeruſalem rediit. Aliquos tamen ex decem Tribubus reverſos eſſe, quum Babylone reverſæ ſunt Tribus Juda, Benjamin, & Levi, nos ſupra demonſtravimus annotat. LXXV. ad librum primum.

Hac divisione sic constituta, Familias, sive quo alio nomine voces, partes Tribuum esse, sequitur, ut, quemadmodum aliqui fuere Principes Tribuum, sic quidam etiam extiterint Principes familiarum, qui item variis nominibus appellati sunt: δήμαρχοι, ἄρχοντες τῶν γενεῶν, sive συγγενῶν, πατριάρχαι, ἀρχιπατριῶται, ἄρχοντες τῶν πατριῶν, & τῶν οἴκων, id est, Principes populorum, generationum, cognationum, familiarum, & domorum, atque uno nomine Patriarchæ. Horum vero etiam mentio frequentissima est; ut Numerorum primo: *Eruntque nobiscum Principes Tribuum ac domorum in cognationibus suis*; & VII. *Obtulerunt Principes Israel, & capita familiarum, quæ erant per singulas Tribus, Præfecti eorum, qui numerati fuerunt*; & XXXVI. *Accesserunt Principes familiarum Galaad, locutique sunt Moysi coram Principibus Israel*; & Josue XIV. *Principes familiarum per Tribus Israel*; & XIX. *Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Principes familiarum, ac Tribuum filiorum Israël in Silo*; & XXI. *Accesserunt Principes familiarum Levi ad Eleazarum Sacerdotem, & ad Josue filium Nun, ad Duces cognationum per singulas Tribus*. Græce ἀρχιπατριῶται, & ἀρχίφυλοι πατριῶν; & primo Paralip. XXIV. *Divisit filiis Eleazar Principes per familias sexdecim, & filiis Ithamar per familias, & domos suas octo*; & VIII. loquens de Benjamitis: *Hi sunt Patriarchæ, & cognationum Principes, qui habitaverunt in Hierusalem*. Hactenus quæ fuerint familiæ, & qui Principes familiarum, sit dictum.

Officium vero eorum (nam hoc explicandum relinquitur) fuit, ut familias, quibus præerant, convocarent, ad easque referrent, quæ ad Remp. pertinerent, & duces earum in bello essent; præterea à Regibus & ad consilia, & judicia peragenda adhibiti sunt. De relatione liquet ex eo, quod soli ex omnibus Magistratibus in exilio Babylonico Principatum suum aliqua ex parte retinuerunt, ut cum familiis quisque suis agerent, quæ è Rep. essent. Quare cum populus fuit ex Babylonia reducendus, soli Principes familiarum appellati, atque exciti per Tribus dicuntur, quæ tres tantum erant, Juda, Benjamin, & Levi: ut in tertio Esdræ proditum est, ubi varie in Græca historia nominantur; nam capite II. scribitur: *Archiphyle familiarum Judæ, & Benjamin, & Sacerdotes, & Levitæ convocati sunt*; & quinto: *Electi sunt, ut ascenderent duces domorum familiarum secundum Tribus suas*. Item: *Hæc nomina sunt eorum qui ascenderunt secundum familias suas ad Principatum partis*, idest, μεριδαρχίαν. Item: *Qui præsident in familiis*. Item: *Qui præcedunt in familiis suis*. Quam sententiam Latinus interpres non expressit, pro familiis pagos reddens; at vero VII. Nehemiæ scriptum est: *Et congregati sunt Principes familiarum universi populi, Sacerdotes, & Levitæ ad Esdram Scribam, ut interpretaretur eis verba legis*. De ducatu militari apparet ex eo, quod, ut post dicetur, in exercitu Tribuum militum fuere (18) Patriarchæ. Principes autem familiarum ad consilia à Regibus fuisse adhibitos, elicitur ex quinto secundi Paralipomenon, in quo scriptum est: *Convocavit Salomon Rex omnes seniores Israel, & omnes Principes Tribuum, & Præfectos familiarum filiorum Israel*; ad judicia vero ex capite XIX. *Josaphat Rex constituit Levitas, & Sacerdotes, & Patriarchas ex Israël, ut judicium & caussam Domini judicarent*.

CAP. VII.

De Principibus Civitatum, Tribunis, Centurionibus, Quinquagenariis, & Decanis.

Tertia vero Respub. quæ singularum Civitatum descriptionem continuit, proprios cujusque Civitatis Magistratus, sive Principes habuit. Ut enim post Tribus sequuntur familiæ, quæ partes earum fuerunt, sic familias excipiunt Civitates, in quas partes familiarum conjectæ sunt; ut enim supra diximus, singulæ Tribus multas nactæ sunt Civitates, in quas ipsæ ejus Tribus familiæ dispertitæ sunt. Civitatibus vero qui præfuerunt, ii Principes Civitatum vocati, ut nono Judicum, ubi de Effraim Urbe Sicima agitur: *Zebul Princeps Civitatis auditis sermonibus Galaad iratus est*; & mox: *Erat turris excelsa in media Civitate, ad quam confugerunt simul viri, & mulieres, & omnes Principes Civitatis*; & vicesimo quarto: *Josue Princeps Civitatis*, idest, unus ex Principibus Civitatis.

Hi vero Principes multi fuerunt, nempe chiliarchi, hecatontarchi, pentecontarchi, & decadarchi, ad id instituti, ut consiliis judiciisque præessent. Quare aliquando Principes Civitatum, aliquando Principes Judicum dicti sunt. Septenos autem in singulis Civitatibus fuisse, Josephus adjecit. Chiliarchi porro fuere Præfecti mille hominum, Hecatontarchi centum, Pentecontarchi quinquaginta, Decadarchi decem: quos Latinus interpres more Romano vertit Tribunos, & Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos.

Hos Moyses primum instituit in deserto, ac populo & Judicibus præesse jussit primum consilio Jethro soceri sui, deinde etiam jussu Dei. Consilium datum est octavo decimo Exodi, repetitum vero à Moyse primo Deuteronomii, loco ante citato: *Dixi vobis illo tempore: Non possum sustinere negotia vestra, & pondus, & jurgia; date ex vobis ipsis viros sapientes, & gnaros, & prudentes in Tribus vestras, ut ponam eos præesse vobis. Et respondistis mihi: Bona res est, quam facere vis; sumpsique* (19) *ex vobis viros sapientes, & gnaros, & prudentes, & constitui eos præesse super vos* Chi-

(18) De Patriarchis illis, quos Judæi sibi constituerunt post excidium secundi Templi, tum Babylone pro Judæis trans Euphratem sub Parthis degentibus, tum Tiberiade Galilææ pro Judæis dispersis intra fines Romani Imperii, nos supra verba fecimus libro secundo annotatione LXXV.; ideoque nihil est, cur hoc loco crambem recoquamus.

(19) Legitur in Textu Hebræo Deuteronomii I. 15.

ואקח את ראשי שבטיכם
אנשים חכמים וידעים ואתן
ראשים עליכם שרי אלפים
ושרי מאות ושרי חמשים ושרי
עשרת ושטרים לשבטיכם :

Pressius ad literam hic versiculus sic potest Latine reddi: *Et sumpsi capita Tribuum vestrarum, viros sapientes & notos, & dedi eos capita super vos: principes millium, & principes centenorum, & principes quinquaginta, & principes decem, & Satores Tribubus vestris*. LXX. vertunt, ut habet Auctor Noster: *Et sumpsi ex*

Chiliarchos, & Hecatontarchos, & Pentecontarchos, & Decadarchos, & Grammatoisagogeos Judicibus vestris. Hæc nunc ex Græca versione expressa sunt: quæ aliquando clarior est, quam Latina. Cum autem inquit: *Constitui præesse vobis Chiliarchos, & Hecatontarchos, & Pentecontarchos, & Decadarchos*, unum Principatum eorum in populum declaravit. Cum autem addidit, *& Grammatoisagogeos Judicibus vestris*, alterum Principatum eorundem in Judices indicavit. Ex quo efficitur, officium eorum fuisse duplex, unum, ut consiliis civitatum præessent; alterum, ut judiciis. Ceterum cùm priore munere fungebantur, Senatum convocabant ejus Civitatis, in qua erant, eumque de rebus publicis consolebant; atque eatenus Principes Civitatum appellabantur: cum posteriore, ad aliquot eorum Senatorum, tamquam ad legitimos Judices caussas judicandas introducebant; atque eo tempore Judicum Principes, & Grammatoisagogei, sive litium introductores nominabantur. Hanc vero doctrinam nobis præstantius Græca, quam Latina translatio, reddit. Quod ex utriusque collatione liquebit. De Principibus Judicum sic Exodi XIIX: *Moyses electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicarent plebem omni tempore*; & primo Paralip. XXIIX. *Convocavit David omnes Principes Israel, Duces Tribuum, & Præpositos turmarum*. Græca autem plenius: *Convocavit omnes Principes Israel, Principes Judicum, & Tribuum, & omnes Principes divisionum ephemeriarum*. De Grammatoisagogeis sic primo Deuteronomii: *Constitui Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos singula*; & decimo sexto: *Judices & Magistros constitues tibi in omnibus Civitatibus tuis*; & Deuteronomii XXIX. *Vos statis hodie coram Domino Deo vestro, Principes vestri, & Tribus, ac majores natu, atque Doctores*; & XXXI. *Congregate ad me omnes majores natu per Tribus vestras, atque Doctores*; & XXIII. Josue: *Vocavit omnem Israelem, majoresque natu, ac Principes, Duces, & Magistros*; & XXIV. *Vocavit majores natu, & Principes, & Duces, & Magistros*. Hæc autem eadem in Græca translatione sic expressa sunt: *Constitui præesse Grammatoisagogeos Judicibus vestris*. Item: *Judices, & Grammatoisagogeos constitues tibi in omnibus Civitatibus tuis*. Item: *Vos stetistis hodie coram Domino Deo vestro, Archiphyli vestri, & Senatus vester, & Judices vestri, & Grammatoisagogei vestri*. Item: *Advocate ad me omnes Phylarchos vestros, & Seniores vestros, Judices vestros, & Grammatoisagogeos vestros*. Item: *Vocavit omnem Israelem, Seniores, Principes, & Judices, & Grammateos*. Item: *Vocavit Seniores, & Principes, & Judices, & Grammateos*. Ex quibus apparet, sine dubio magistratum fuisse unum, qui Judicibus præpositus, Grammatoisagogeus dictus fuerit. Qui vero hi γραμματοεισαγωγεῖς fuerint, adhuc parum compertum, ut video, fuit. Ceterum S. Augustinus in secundo Quæstionum super Exodum sic scriptum reliquit: *Quos autem dicat γραμματοεισαγωγεῖς post Decuriones, non facilè sciri potest, quoniam hoc nomen in nullo usu habemus vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam Doctores interpretati sunt, ut intelligantur utique literati, qui introducant in literas, sicut resonat Græcum vocabulum. Hoc sane significatur, quòd ante Legem datam habuerunt Hebræi literas, quæ quando cœperint esse, nescio, utrum valeat indagari; nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noe, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israel; sed unde hoc probari possit, ignoro*. Et libro XIIX, capite XXXIX. de Civitate Dei: *Denique Moyses in populo constituit, qui docendis literis præessent, priusquam divinæ legis ullas literas nossent. Hos appellat Scriptura Grammatoisagogeos, qui Latinè dici possunt literarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant, vel introducant quodammodo in corda discentium, vel potiùs in ipsos, quos docent*. Ex his videtur S. Augustinus Grammatoisagogeos accepisse pro Grammaticis, qui populum literas docuerint; quo eodem allusisse translatio antiqua videtur, cùm vertit, *Doctores, Magistros, & qui docerent omnia*.

Quoniam vero hi non omni populo, ut sentire videtur S. Augustinus, Doctores constituti sunt, sed ex locis supra allatis, Judicibus tantummodo, propterea rectiùs Grammatoisagogei erunt Doctores & Magistri Judicum. Quæ expositio si cui fortasse minus arriserit, is paulisper ab ea recedendo dicere poterit, Grammatoisagogeos fuisse, non qui literas Judices docerent, sed qui caussas ad eos introducerent, & principatum, ut diximus, in eos tenerent. Hoc autem innuere videtur lex Dei supra posita: *Judices & Grammatoisagogeos constitues tibi in omnibus Civitatibus tuis, & judicabunt populum justo judicio*. Quam sic explicuit Josephus: *Imperent in singulis Civitatibus septemviri virtute & justitiæ studio eminentes; unicuique verò Principi duo viri ministri dentur ex Tribu Levi*; item tertio Esdræ: *Constitue Judices, & Præsides, qui judicent omni populo*; Præsides, id est, judicii moderatores.

Hi verò illa erant auctoritate ornati, ut caussas, quæ ad se deferrentur, recipere, & rejicere possent, & quas recepissent, ad Judices introducerent. Unde dixit Isaias capite primo: *Principes omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & caussa*

ex vobis viros sapientes, & gnaros, & prudentes, & constitui eos præesse super vos chiliarchos, & hecatontarchos, & pentacontarchos, & decadarchos, & grammatoisagogeos judicibus (videntur Senes legisse לשפטיכם pro לשבטיכם qui nunc legitur in Hebræo) *vestris*. Vulgatus autem Interpres hoc modo: *Tulique de Tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula*.

Vox *Soterim*, ut ex aliis Scripturæ locis colligitur, pro *Scribis* sumpta fuit à LXX., à Vulgato verò pro Doctoribus, qui instituerent populum. Ceterum quinam essent *Soterim* apud Hebræos, non concors est Eruditorum opinio. Probabiliorem illorum sententiam equidem censeo, a quibus *Soterim* judices fuisse dicuntur, qui magistratus nomine res judicatas executioni mandabant, aliaque ad judicia spectantia intimabant populo, apud quem maximæ auctoritatis eos fuisse oportet, quum inter capita populi à Moyse collocentur. Præfero hanc sententiam ceteris, quòd magis consona videtur sensui Auctoris Vulgatæ, qui tum mox laudato versiculo, tum alibi, viris *Soterim* in Hebræo dictis provinciam instituendi populi adscribit. Confer ea, quæ dixi libro V. annotatione LXXXIII.

caussa viduæ non ingreditur ad illos. Græcè hoc quoque loco apertiùs, & aptiùs: *Et litem viduarum non accipiunt*. Hanc verò vocem LXX. Interpretes ab Atheniensibus acceperunt, qui similes magistratus habuerunt, quos εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν appellarunt: prout nos latiùs in libris de Repub. Atheniensium scripsimus, ita ut quas illi γραφὰς vocant, hi γράμματα verterint. Fuere enim magistratus, qui caussas, seu accusationes ad Judices ei judicio destinatos introduxerunt. Qua locutione usus est etiam Cæsar libro primo Belli civilis. *Quascumque* inquit, *controversias inter se milites habuerunt, sua sponte ad Cæsarem introduxerunt*.

Quæ si ita sunt, sanè ordo actionis, ut supra diximus, sic constitutus fuisse videtur. Qui litem alicui intendere cupiebat, is adversarium ad aliquem horum Principum adducebat, & quodammodo in jus rapiebat; qui si litem aut nomen recepisset, rem ad judicium introducebat. Judices verò cognitâ caussâ aut absolvebant reum, aut damnabant; damnatum autem exactori tradebant, qui illum in carcerem conjiciebat; reus verò ibi manebat, donec solveret. Unde Christus dixit XII. apud S. Lucam: *Cùm vadis cum adversario tuo ad Principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem; unde non exibis, nisi ad unum quadrantem persolveris*. Fuere ergo Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decani Magistratus, qui inter cetera ipsorum munera Judicibus præpositi caussas ad eos introduxerunt, & fortasse etiam docuerunt; quod hodie quoque Venetiis faciunt, quos Advocatores Communis dicunt; unde scriptum est primo secundi Paralip. *Præcepit Salomon universo Israëli, Tribunis, & Centurionibus, & Judicibus*.

Tertium inde horum Principum munus fuit, ut à Rege advocati, cum eo, & ceteris Principibus de rebus publicis consultarent, & cum eodem quasdam etiam caussas judicarent. De Consiliis hæc testimonio sunt, quæ supra in aliam sententiam quoque prolata sunt. Deuteronomi XXIX.: *Vos constitistis hodie cuncti coram Domino Deo, Archiphyli vestri, & Senatus vester, & Judices vestri, & Grammatoisagogei vestri*, & XXXI.: *Advocate ad me Phylarchos vestros, & Grammatoisagogeos vestros*, & XIII. primi Paralip. *David de reducenda Arca consilium cum Tribunis, & Centurionibus, & universis Principibus iniit*, & XXXIIX.: *Vocavit David omnes Magistratus Israël, Principes Judicum, & Tribuum*, & primo secundi: *Salomon advocavit inter ceteros Principes, Tribunos, ac Centuriones, iturus ad sacrificium faciendum*. De judiciis significatur XXIX. ejusdem libri Paralip. *Ezechias Rex advocavit omnes Principes Hierusalem, & ascendit in domum Domini*. Item apud Hieremiam XXXVI.: *Cum Michæas detulisset ad Principes sedentes in domo Regis ad Gazophylacium se audisse Baruch legentem vaticinium Hieremiæ de excidio proximo urbis; Principes Barucho accito mandarunt, ut librum legeret; quo audito, obstupefacti ad Regem Joacim accesserunt, remque totam exposuerunt, Regique cupienti volumen illud exuri, aliquot è Principibus restiterunt, sed nihil profecerunt*. Item XXXVII.: *Comprehendit Jerias Hieremiam, quasi fugeret ad Chaldæos, & adduxit ad Principes. Quamobrem cuncti Principes Hieremiam cæsum miserunt in carcerem, deinde dixere Regi: Rogamus, ut occidatur homo iste. Quibus Sedecias Rex: Ecce in manibus vestris; nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare*, & XIIX. secundi Paralip. *Rex Achab misit Michæam ad Ammon Principem Civitatis, ut eum in carcerem traderet*, & XX. S. Lucæ: *Miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderent eum principatui, & potestati Præsidis*. Principatum enim cùm dixit, Magistratus Judæorum intellexit; cum Præsidem, Romanum Procuratorem.

Si ergo unus ex Principibus Civitatis fuit Chiliarchus, id est, Princeps mille hominum, hinc declaratur locus insignis apud Michæam Prophetam de Bethleem, ubi, & unde Christus erat oriturus, capite quinto: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël*; apertiùs autem Græcè: *Et tu* (20) *Bethleem domus Ephrata parvulus es, ut sis in millibus Juda; ex te mihi exibit, ut sit in Principem Israëlis*. Hoc enim significat: Tu Bethleem, licèt parva urbs adeò sis, ut mille homines non habeas, & Præfectum mille hominum sive Chiliarchum, creare non possis; tamen ex te exibit Christus archon, id est, Princeps, non solum Civitatis unius, sed etiam totius Israël.

CAP.

(20) Herodi sciscitanti, ubi Christus erat nasciturus juxta hanc prophetiam Michææ cap. V. 2. responderunt Judæi, Principes scilicet Sacerdotum, & Scribæ populi: *In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel*. Sacerdotes, & Scribæ ita protulerunt vaticinium Michææ: I. pro *Ephrata* posuerunt *terra Juda*, ut eundem locum nomine tunc temporis notiori indicarent Herodi homini in lectione Prophetarum minus versato; Bethlehem enim, quæ cognomen sumpsit *Ephrata* ab uxore Caleb, ut creditur, erat in Tribu Juda, sex milliaribus distans a Jerusalem; nam erat alia Bethlehem in Tribu Zabulon. II. pro *parvulus es*, posuerunt *nequaquam minima es*, quibus verbis magis Prophetæ mentem, quam verba, voluerunt Herodi explicare. III. pro *in millibus Juda* posuerunt *in principibus Juda*, sensu plane eodem, nam vox באלפי *Bealphe in millibus*, etiam verti potest *in principibus*, videnturque ipsi legisse *Bealuphe*. Hæc duo enim in idem recidunt, mille homines non habere, & Principem millium creare non posse, ut bene advertit Sigonius.

Hæc fuit mens Judæorum, qui ætate Christi vivebant, de hac prophetia Michææ; at qui post excidionem Jerusalem secuti sunt Judæi pertinaciter negare cœperunt eamdem ad Christum spectare, voluitque de Zorobabele dictam fuisse a Michæa. Sed duo sunt, quæ præ ceteris Judæorum errorem convellunt radicitus: primum est, Zorobabelem non Bethlehem, sed Babilone natum fuisse, vel id apertè indicante ejus nominis etymologia; nam dictus fuit *Zorobabel* quasi *semen Babel*; alterum est, Zorobabeli convenire non posse, quæ nascituro Principi in Bethlehem adscribit Michæa: *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*; quæ de æterna Christi generatione, quatenus scilicet Deus est, optime dicuntur; nam inquit S. Johannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Unde eodem versiculo Propheta perspicuè memorat utramque Messiæ generationem, temporalem in Bethlehem, *ex te mihi egredietur*, & æternam è sinu Patris, *egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, quæ verba apud Hebræos ita juncta veram æternitatem declarant.

CAP. VIII.

De Scribis, idest, Notariis.

JAm vero Scribas fuisse jurisperitos, qui legem populo interpretarentur, Græce γραμματεῖς appellatos, suprascripsimus, eum de religione tractavimus. Nunc illud necessario addimus, Scribas quoque fuisse homines, qui scriptum fecerunt, ac scribendo operam Magistratibus, populo, & Senatui præstiterunt. Scriptum fecisse, docet Psalmos XLIV. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis*. Et Hieremias XXXVI. obi inquit, se dedisse prophetiam suam scribendam & recitandam Baruch Scribæ; Regem autem Joacim, ubi illam audivit, ipsam scalpello ipsius Scribæ discidisse. Et VIII. ubi dixit: *Vere mendacium operatus est stylus Scribarum mendax*. Num vero hi ex eorum quoque numero fuerint, qui legem interpretati sint, an aliud quoddam quasi corpus confecerint, parum compertum; illos certe publicos legis expositores fuisse, hos vero Notarios quasi aliquos extitisse, apparet. Unusquisque vero cognitis Scripturæ locis judicium suum adhibebit. Antiquissima porro Scribatum memoria est Numerorum quintodecimo: dixit Deus ad Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israil, & Scribas, & duces ad ostium Tabernaculi*. Altera Deuteronomii vicesimo: *Loquentur Scribæ ad populum*; ubique Græce pro Scribis est γραμματεῖς. An vero eodem modo dati sint populo, & Senatui, & Magistratibus, & an jus suggesserint, sive acta eorum in scripta literasque retulerint, non liquet; certe eis apparuisse, operamque commodasse suam videntur.

Ac primum quidem Regem habuisse Scribas, indicat Sarajas, qui fuit Scriba Regis Davidis, & Elioseph, & Abia, qui Salomonis, & Sobna, qui Ezechiæ; & duodecimo quarti Regum: *Cumque viderent nimiam pecuniam esse in Gazophylacio, ascendebat Scriba Regis, & Pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini*. Item sæpe alias; Josephus quoque ostendit, Principibus Tribuum affuisse Scribas, eum inquit libro septimo Antiquitatum: *Joab Præfectus Davidis Regis descripturus numerum Hebræorum, sumpsit Phylarchos, & Scribas, & lustravit totum Israil*.

De Principibus vero Civitatis idem testatur in recitanda lege, cum inquit: *Singulis Septemviris Principibus Civitatis adsint duo ministri ex Tribu Levi*. Mioistros enim nimirum intel lexit duos Scribas, qui acta referrent. Eos vero ex Tribu Levi fuisse, ostendit etiam primus Paralipomenon: ubi *monitores & Scribæ ex Tribu Levi* nominantur.

De Scribis populi illa sunt argumento Deuteronomii vicesimo: *Loquentur Scribæ ad populum*. Et Josuë primo: *Præcepit Josuë Scribis populi, ut imperarent populo sibi præparare cibaria*. Item tertio: *Transierunt Scribæ per castra, ut sequerentur Levitas portantes Arcam*.

Fuisse autem qui populo ministrarint, & qui Senatui, illud est documento, quod primo Paralipomenon vicesimoseptimo scriptum est: *Tribuni, Centuriones, & Scribæ, qui ministrant populo*. Et Josephus libro V. belli nominat Aristæum, virum insignem, Scribam Senatus. Et Hieremias LII. nominat de Hierusalem abductum *Scribam, Principem militum, qui probabat tyrones*. Græce τὸν γραμματέα [illegible], idest, Scribam copiarum, scriptum facientem populo totius terræ. Ceterum cum in Græca versione sit ubique una vox γραμματεῖς, Latina tamen variat, ac *Duces*, & *Principes*, & *præcones*, vertit. Ex quo apparet, ne ipsi quidem Interpreti satis constitisse, quid esset γραμματεῖς, neque ibi pro Legis Doctoribus accepisse. Fieri autem potuit, ut Scriba idem qui scriptum faciebat, multis (21) aliis Officiis publicis inserviret.

CAP. IX.

De re bellica.

HActenus tradita sunt, quæ domi aut à populo, aut à Senatu, aut à Magistratibus peragenda fuerunt; nunc res postulare videtur, ut quæ foris, idest, militiæ, ratio rei gerendæ fuerit, exponamus; siquidem ut Sacerdotes, & Judices, sic etiam Imperatores partes præcipuæ sunt optimæ Civitatis, ut Aristoteles literis prodidit. Neque vero de hac re multa dicentur, quod sacræ literæ non multa suppeditent, quæ dicantur. Primum autem quæ belli gerendi præcepta Deus reliquerit, deinde per quos res gesta sit, tum quæ bella ab Hebræis administrata sint, exequemur. De bello igitur gerendo sic Deus præcepit Deuteronomii XX. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quam tu habeas, adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de Terra Ægypti. Appropinquante autem jam prœlio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabunt: Quis est homo qui ædificavit domum novam, & (22) non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo qui plantavit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam,* ne

(21) Quot modis nomen *Scriba* accipiatur in sacris literis, nos diximus libro V. capite decimo. Illinc benevolus Lector potest repetere, quæ ad illustrationem hujus capitis faciunt.

(22) Idest nondum Instituto in ea domo convivio, illam ad usum destinavit. Tria igitur hominum genera dimittuntur è prœlio. Primum illorum est, qui domum sibi ædificaverant, nec dum eam incoluerant. Alterum, qui vineam plantaverant, nec dum eam suo usui destinatam habuerant: nam solum anno quinto fructus ejus Domino cedebant. Tertium, qui sibi uxores desponderant, nec dum nuptias celebraverant. *Hi omnes*, inquit S. Augustinus Quæst. III. ad hunc locum, *domum redire jussi, ne desiderio rerum, quæ sibi tam caræ erant, remissius agerent . . . . Ne propter hoc minus fortiter agat, dum timet ne ante moriatur, quam domum dedicaverit, aut de novella sua biberit, aut sponsam suam duxerit*. Quæ tamen instituta reputat gravissimus æque ac doctissimus Pater Augustinus, propter Judæorum animos explorandos.

ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo qui despondit uxorem, & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres (23) *ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris, quæ in Civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis Civitatibus, quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his Urbibus, quas in possessionem accepturus es. De his autem Civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum. Quando obsideris Civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem; quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum; si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros apta usus, succide, & instrue machinas, donec capias Civitatem quæ contra te dimicat. Ex his*, inquit Philo, *liquet, Judæorum gentem amicam esse omnibus pacem amantibus, non contemnendam tamen, ut cui satis animorum sit ad repellendam injuriam, si quis ultro velit lacessere; discernit autem in bello, qui sibi infesti sunt, & qui non; nam cædibus sævire in immeritos, aut leviter noxios, immanis est ferociæ, & iisdem cladibus mulieres cum viris involvere; tantus porro amor justitiæ est, ut ne agros quidem hostiles vastare liceat, & arbores cædere ad fructuum interitum.*

CAP. X.

De Principe militiæ.

INter Magistratus autem, qui operam rei militari dederunt, primum locum tenuit Imperator, idest, Dux belli; is enim post Regem summam in castris Potestatem est nactus. Hic vero à Latino interprete Princeps militiæ dictus est, à Græco vero ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως, & ἄρχων πάντων ἀρχόντων τῆς δυνάμεως, idest, primarius Dux exercitus. Talis vero Princeps Principum omnium exercitus fuit Abner sub Saule Rege; nam Regum secundo capite secundo, (24) *Abner filius Ner Prin-*

(23) Bella ab Hebræis administrata ad duo genera possunt referri. Alia fuerunt bella præcepti, pugnata contra eas Gentes, quæ anathemati erant devotæ, Hethæos dico, Gergelæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Hevæos, & Jebusæos, Deuteron. VII. 1. Alia autem arbitrii, quæ à Judæis fuerunt suscepta, tum pro extendendis finibus, tum pro augenda fama, & majestate Judaici nominis, quas mitte caussas pro afferenda justitia belli arbitrii obtendunt Judæorum Magistri, quæ opinatio de bello inferendo non solum insedit Judæorum animis, sed omnibus quoque Orientalibus populis, apud quos, ut ait Salustius in Catilina, *una, ea, & vetus caussa bellandi, profunda libido imperii, & divitiarum, semper obtinuit.*

Nunc quæritur, an semper, antequam bellum Judæi indicerent, pacem offerre debuerint cuique hosti, etiam in bellis præcepti, contra nempe Gentes à Deo internecioni addictas. In hac quæstione fert communior apud Judæos sententia, omnibus prius pacem exhibitam fuisse, quam contra eos decertaverint prœlio: atque Gemara Hierosolymitana, Josue ad omnes regiones triplicem hanc conditionem misisse: fugam, pacem, vel bellum. Gergelæi fugam corripuerunt, in Africam secedentes. Gabaonitæ pacem ac fœdus elegerunt. At triginta & unus Chananæorum Reges bello decertare maluerunt. Hinc scribit Rabbi Maimonides in Tractatu de Regibus, & bellis eorum capite VI.: eos non gessisse bellum contra quemcumque, nisi prius pacem acclamaverint. Eandemque rationem fuisse belli præcepti, & arbitrii. Si pacem hostes accepissent, promittentes item se præcepta septem Noachi servaturos, illorum nullos occisos fuisse, dummodo servitutem, & tributum susciperent. Ad servitutem spectasse, ut essent humiles, Regisque Judæorum potestati plane submissi. Ad tributum, ut essent parati ad serviendum Regi eorum facultatibus, nempe in ædificiis mœnium, arcium, palatii regii, aliorumque hoc genus.

Sed ut dicam, quod sentio, hæc mihi serius procusa videntur ab otiosis Apellarum ingeniis, qui eorum antiquitates, ut magis lubet, solent narrare. In bellis enim præcepti, pacem haud oblatam fuisse, equidem pro certo reputo, quum excindendæ essent illæ nationes, quæ anathemati judicio Dei erant devotæ. Josephus certe, qui recentioribus Judæis comparatus majorem fidem meretur, testatus est Antiq. libro IV. cap. VIII. Legatos pacem offerentes missos fuisse *ad hostes voluntarios*, & nonnullis interjectis subdit: *Quum autem prœlio hostes superaveritis, eos, qui in adversa acie steterint, interficite: cæteros verò ad tributa vobis pendenda conservate, Gente Chananæorum excepta: hos enim ad internecionem delere oportet.* Accedit huc, nihil in Moyse, & Josue occurrere, quo vel leviter possimus cognoscere, pacis conditiones his populis oblatas fuisse, qui Chananæam incolebant: imo summopere in illos sævitum legimus: nam bellorum præcepti Israelitæ auctores non erant, sed ministri voluntatis divinæ, cujus justitia imperatum erat, ut in singulos animadverterent, eos *in ore gladii* interficiendo.

(24) Fuit Abner filius Ner Dux exercituum Saulis Regis, quo Rege è vivis sublato, regnum filio Isboseth, sive ex fide in Saulem, sive ex invidia in Davidem, conservavit, illumque septennio, vel præter propter, habitantem in urbe Mahanaim trans-Jordanica defendit à Davidis copiis. David interim in urbe Hebron regnabat milliariis XXII. ab Jerusalem dissita; nam Jerusalem, saltem quod ad ejus Arcem spectabat, tunc temporis Jebusæi obtinebant. Verùm qua de caussa Abner defecerit ab Isboseth, & Davidi accesserit, id narrat caput tertium II. Regum, ubi etiam mors refertur illata Abner a Joab, quam David publicè doluit. Statuit enim Abner publica exequiarum solennia, funeri ejus interfuit non sine lacrymis, recitavit lugubre carmen in ipsius laudem, ac tandem ad vesperam usque nihil se gustaturum juravit, videlicet nec minimum cibi sumpsit in parentali

Princeps exercitus Saul dicitur. Et tertio, ὁ ἡγούμενος μέγας, ideſt, Dux magnus, à Davide appellatur. Talis ſub Davide Joab, & Amaſa, qui in eodem libro *Principes militiæ Iſrael, & ſuper omnem exercitum* fuiſſe dicuntur. De Joab ſic XXIV. *David Joab Principi militiæ mandavit, ut univerſum populum Hebræorum recenſeret, & ſummam militum conciperet*. Ad Amaſam verò XIX. dixit ita: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non Magiſter militiæ fuerit omni tempore*. Quin etiam XXIV. quarti ſcriptum eſt, Nabuzardan ducem Naducdonoſoris tranſtuliſſe Babylonem Sopher Principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ. At Græcus habet, *Scribam Principis exercitus recenſentem populum terræ*. Multum verò valuiſſe apud Regem ipſam militiæ Principem, indicavit Heliſæus, cum in quarto Regum quarto dixit ad viduam: *Habes negotium? vis ut loquar Regi, aut Principi militiæ?*

CAP. XI.

De Tribunis, & Centurionibus.

Imperatori porrò paruere Chiliarchi, Hecatontarchi, Pentecontarchi, & Decadarchi Hos verò instituit Moyſes, ut Præfecti eſſent mille hominibus, centum, quinquaginta, & decem: quos Latinus, ut dixi, interpres tranſtulit Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos. Ex iis autem fermè fuere, qui Principatum familiarum geſſerunt; ſic enim ſcriptum eſt primo Numerorum: *Phylarchi ſecundum familias ſuas ſunt Chiliarchi Iſrael*: quaſi verò dicat, ex eorum numero maximè evectos eſſe ad Chiliarchatum, qui in ſuis Tribubus eſſent Patriarchæ; neque enim omnes Patriarchæ Tribuni fuerunt. Chiliarchi verò dicuntur etiam ἄρχοντες, & ἄρχοντες τῶν χιλιάδων, ideſt, Principes Chiliadum, ut XII. primi Paralip. *Transfugerunt ad David de Manaſſe Ednas & Jezabad Principes Chiliadum*; & XXIV.: *David convocavit Principes Chiliadum, ut Arcam reduceret*. Chiliadis porrò militaris mentio eſt in libro Judicum. Nam cum Gedeon vocatus eſſet ad Principatum, eum reſpuit dicens: *Chilias mea humilis eſt in Manaſſe, & ego in familia mea infimus ſum*. Item apud Michæam: *Et tu Bethleem parvulus es, ut ſis in millibus*, ideſt, ut Chiliadem, & Chiliarchum creare poſſis.

Centuriones autem, qui ἑκατόνταρχοι à Græco interprete verſi ſunt, iidem etiam ἄρχοντες τῶν ἑκατοντάδων, id eſt, Principes Centuriarum vocati, ut XXVIII. ſecundi Paralip. Ubi dicitur David convocaſſe Principes Chiliadum, & Centuriarum, id eſt, (25) Tribunos, & Centuriones. Tribunorum porrò, & Centurionum belli cauſſa mentio fit ſæpe: ut David exercitum contra Abſalon filium emiſſurus XVIII. ſecundi Paralip. conſiderato populo ſuo, conſtituit ſuper eos Tribunos, & Centuriones, & fecit tres partes populi ſub tribus Ducibus exercitus totius. Et quarto Regum XI.: *Jojada ut Athaliam Reginam opprimeret, Centuriones accivit*; pro quibus in ſecundo Paralip. XXIII., Principes familiarum advocati dicuntur. Et XXV. Amaſias Rex bellum moturus *congregavit Judam, & excitavit eos per domos familiarum ſuarum in Tribunos, & Centuriones in univerſo Juda, & Hieruſalem, & numeravit eos à viginti annis, ut ſupra: & invenit eos trecentas Chiliadas, qui exire ad bellum poſſent*. Et tertio primi Maccabæorum, Judas princeps bellum illaturus dicitur conſtituiſſe, qui ducerent populum, Tribunos, & Centuriones. Atque hos quidem etiam ἄρχοντας τῆς δυνάμεως, & στρατηγούς, id eſt, Principes exercitus, aliquando Scriptura vocavit; ut Numerorum XXXI.: *Iratus eſt Moyſes Principibus exercitus, Tribunis, & Centurionibus*, licet Græce non Principibus, ſed Epiſcopis, id eſt, inſpectoribus, ſcriptum ſit. Et XXIV. ſecundi Regum: *Egreſſuſque eſt Joab, & Principes exercitus à facie Regis, ut numerarent populum Iſrael*.

CAP. XII.

De Quinquagenariis, & Decanis.

Pentecontarchi verò, & Decadarchi memoria uſurpatur non ſolum in Exodo, ubi inſtituuntur à Moyſe, ſed etiam primo quarti Regum, cum inquit: *Ochozias Rex Juda miſit ad Heliam Prophetam Quinquagenarium Principem cum quinquaginta militibus, inde alterum, inde tertium*. Item primo Maccabæorum: *Judas conſtituit ſuper populo Tribunos, Centuriones, Pentecontarchos, & Decadarchos*.

Hi verò omnes pro arbitratu (26) deſignabantur à Rege. De Principe militiæ liquet ex eo, quod ſupra de Amaſa ſcriptum eſt. De Tribunis, & Centurionibus illa ſunt documento, VIII. primi Regum: *Rex conſtituet ſibi filios veſtros Tribunos, & Centuriones*; & XXVIII. *Saul fecit ſibi Davidem Tribunum*; & XVIII. ſecundi: *David conſtituit ſuper populo ſuo Tribunos, & Centuriones*; & poſt: *Stetit Rex juxta portam, egrediebaturque populus per turmas ſuas centeni, & milleni*; & primo Paralipomenon ſecundo: *David dixit: Qui percuſſerit Jebusæum, is erit mihi in principem & ducem*, Græce εἰς ἄρχοντα καὶ εἰς στρατηγόν, ideſt, principem in civitate, & ducem in exercitu faciam; & XXV. ſecundi: *Amaſias Rex conſtituit Judæos per familias, Tribunos, & Centuriones*. Græce *excitavit per domos familiarum ſuarum in Tribunos*,

rali convivio, quod peracto funere inſtruere ſolebant Judæi, ut ex Jeremia, & Ezechiele compertum eſt. Idem mos apud Ethnicos etiam obtinuit, de quo Perſius Satyra VI.
. . . . *ſed cœnam funeris hæres*
Negliget iratus.

(25) Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decani, militaria munera obibant Supremo Duce inferiora. Totus exercitus in Tribus diſtinguebatur, & Tribus in cohortes, quæ ex mille militibus conſtabant. Cohortes centuriis, centuriæ verò manipulis. Manipuli apud Hebræos manum quinquaginta militum non excedebant; cui rei ſunt documento illi Duces, qui aſſumpta quinquaginta militum manu venerunt ad Eliam ſemel & iterum, ut eum ad Ochoziam Regem deducerent. Ceterum in Hebræorum exercitibus familiarum, & Urbium, quoad fieri poterat, diſtinctio ſervabatur. Judæorum Magiſtri cuique Tribui vexillum aſſignant, unumquodque proprio colore depictum, per quæ una Tribus ab alia ſecernebatur. Quæ tradunt de Vexillorum coloribus, nos adduximus ad librum V. annotatione ſexta, ubi de duodecim lapillis Rationalis Summi Pontificis ſermonem habuimus.

(26) Ita planè, rerum potientibus Regibus. Abner copiarum Saulis Imperator fuit, quibus præfuit etiam ſub filio Saulis Isboſeth. Joab datus eſt Præfectus exercitui Davidis. Benaja verò copiis Salomonis &c.

bunos, & Centuriones. Ex quo apparet, non semper ex familiarum principibus Tribunos esse delectos, sed ex familiis ipsis; & primo Maccabæorum tertio: *Judas constituit, qui ducerent populum, Tribunos, Centuriones, Pentecontarchas, & Decarchas*.

CAP. XIII.

De Magistratu Templi.

EX Præfectis porrò militaribus quidam fuere, qui Græce στρατηγοὶ, & στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ dicti sunt, id est, Præsides Templi, & Præfecti exercitus templi. Hi verò præsidio Templi præfuerunt, quod olim Judas Maccabæus imposuit, itemque Turris Antoniæ, quam cum Templo junctam illius posteri condiderunt. De præsidio Templi sic scriptum est primo Maccabæorum: *Judas ædificavit montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, sicut ante fecerant, & collocavit illic exercitum, ut reservaret eum*. De Turri sic Josephus: *Principes Assamonæi turrim Templo continentem præcipuè communierunt, quam Barim dixerunt, atque ibi stolam Pontificiam asservari jusserunt; quam turrim Herodes Rex postea ad Templi custodiam confirmavit, & in gratiam M. Antonii Triumviri amici sui Antoniam appellavit*. Habuisse autem Judæos ejusmodi custodiæ caussa

A milites, indicat etiam S. Matthæus XXVII. cum enim petissent Judæi à Pilato, ut juberet custodiri sepulchrum Christi usque in tertium diem; respondit Pilatus: *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis*. Huic verò præsidio præerat Tribunus militum unus, aut fortasse etiam plures cum cohortibus suis, ut mox apparebit.

Præter milites verò, qui Templum custodiebant, erant quoque Ministri, id est, Lictores, quos ad comprehendendos reos jussu Principum Sacerdotum, & populi adhibebant. Quod si qui rei violati Templi, aut contemtæ religionis, aut gravioris alicujus flagitii essent, aut eis opibus præditi, ut eos timerent:
B tum Lictoribus custodes etiam milites adjungebant, Lictores advocantes, ut manum injicerent, atque vincirent, milites, ut vim, sicunde forte ingrueret, propulsarent. Probantur hæc omnia historia Christi. Primum enim Judas proditor accessit ad Principes Sacerdotum, & se, si sibi pretium darent, Christum illis proditurum esse, professus est: inde cum aliquot eorum adiit ad Tribunum militum, & cohortem accepit, tum Ministros sumsit; demum cum his omnibus contendit ad Christum capiendum. Loca Evangelii proferam, si Lectorem ante monuero, Latinum interpretem στρατηγοὶ Magistratum videri (27) parum apte vertisse; primum, quia militarem
C principatum non expressit, qui in voce στρατηγοὶ con-

(27) Videtur fugillare Sigonius Vulgatum interpretem, quod Græcum στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ minus aptè Latine dixerit *Magistratus Templi*; tum per verbum *Magistratus* militaris Præfectura, quam Græca vox denotat, ea Sigoniana sententia minimè exprimitur. Sed si penitius rem introspiciamus, levi certè de caussa Noster vellicat Auctorem Vulgatæ. Nomen enim Græcum στρατηγὸς esto, ad etymologiam quod attinet, *exercitus ductorem* significet (est namque ἀπὸ τῆς στρατείας *exercitus*, & ἄγω *duco*); res tamen per id
D nomen designata haud conveniebat ætate Christi Judæis, qui inter Templi Præfectos nomen militare quidem habebant στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ; sed munus militare non item. Romani siquidem milites Urbem servabant, & ex Antonia Templo imminenti ipsum Templum. In solemnibus insuper festis, & præsertim Paschatis tempore, Præses dare solebat cohortem, decimam nempe partem legionis, Principibus Sacerdotum, ut Templo esset præsidio, ne a Gente seditiosissima tumultus in eo fieret, in maxima Judæorum frequentia undique confluenti per eos dies Jerusalem. Hinc milites, quibus proditor Judas in vincula Præceptorem conjecit, non Judæorum fuerunt, sed Romanorum, videlicet, pars legionis, Principibus Sacerdotum
E a Pilato tunc temporis data. Quod ostendunt, tum verba Christi Jesu, qui se traditum dixit *in manus* ἁμαρτωλῶν *peccatorum*, idest militum Gentilium, qui quum essent ex lege, ἁμαρτωλοὶ a Judæis propria nuncupatione vocabantur: tum verba Pilati ad Judæos ad custodiendum Christi sepulcrum petentes milites: *Habetis custodiam* &c. idest illos Romanos milites, qui per id temporis permissi erant Sacerdotum imperio; alioquin si milites fuissent Judæi, & militari Templi Præfecturæ subjecti, nihil oportuisset pecuniam illis dare, ut de Christi Resurrectione mentirentur.

Ceterum aliis diebus Levitæ erant custodes Templi, atriique saltem interioris, qui in una supra viginti custodia, si quid credi potest Judæorum Magistris, excubias agebant in Sacro. Caput omnium excubiarum erat, ut equidem sentio, ille Præfectus, qui ממונה על השומרים *Præfectus Vigilibus* dicebatur, cui suberant minores Præfecti cujusque custodiæ. Quum autem tempore Passionis Christi nullo militari jure Judæi potirentur, essentque umbratile genus militiæ hæ Templi custodiæ; Levitarum cœtus, cui provincia excubandi in Templo erat commissa, apte per vocem *Magistratus Templi* a Vulgato potuit Latine reddi. Præsertim vero quod apud Latinos vox *Magistratus* ad civilia tantum munia significanda non coarctatur, sed latiorem etiam habet significationem, qua militarem Præfecturam quandoque designat. Sicut etiam militiæ nomen militiam aut armatam, aut civilem importat. *Nec solos nostro imperio*, dicebat Cicero pro Murena, *militare credimus illos, qui gladio, clypeis, & thoracibus nituntur: militant caussarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt*. Et propius ad rem nostram, in sacris literis nomen στρατεία, & verbum στρατεύω, ad significandum munus aliquod a militari diversum, non raro adhibentur. Sufficiat duo exempla ex Apostolicis Epistolis ad Timotheum in medium adducere. S. Paulus ad Timotheum scribens Epist. II. cap. II. vers. 3. & 4. hæc ait: Σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*. Quo loco genere ministerium Christi, Apostolus militare nuncupavit. Idem S. Paulus scribens Epist. I. cap. I. vers. 18. ita eum hortatur: Ταύτην τὴν παραγγελίαν παρα-

τίθεμαι

[A] contineetur; deinde, quia confudit hunc cum Principibus populi, qui post cum Senioribus eidem judicio affuerunt, & eodem Magistratus nomine afficiuntur, eum Græce non στρατηγοὶ, sed ἄρχοντες nominentur. Matthæus XXVI. & Marchus XIV. *Abiit Judas ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Lucas autem ipsis Principibus Sacerdotum etiam Principes populi adjicit, quos interpres Magistratus appellat, inquiens: *Abiit Judas, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.* Joannes autem XIIX. *Judas, cum accepisset cohortem, & à Principibus Sacerdotum, ac Pharisæis Ministros, venit illuc;* & mox: *Cohors autem, &* [B] *Tribunus, & Ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Lucas XXII. *Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi, & Seniores.* Græce pro Magistratus Templi, στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ. Ostendit idem historia Apostolorum, Actuum IV. *Loquentibus autem Apostolis ad populum, supervenerunt Sacerdotes Magistratus Templi,* (id est, στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) *& Sadducæi.* Et quinto: *Ut audierunt hos sermones Magistratus Templi, & Principes Sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret; tunc abiit Magistratus cum Ministris, & adduxit illos vi;* ex quibus liquet, Magistratus Templi duces militares fuisse ad reos capiendos adhibitos. [C] Atque hæc quidem mea est de (28) Magistratu Templi sententia: quæ si vera est, sequitur, ut errent illi, qui his eisdem auctoritatibus fulti eos judices fuisse, qui in Templo judicarent, asseruerunt.

CAP. XIV.

De bellis Judæorum.

His expositis sequitur, ut eorum etiam satisfaciam voluntati, qui bella ab Hebræis gesta summatim cognoscere cupiunt. Hæc verò in magna varietate versata sunt. Primum enim armis contendère Hebræi per Arabiam transeuntes, duce Moyse, cum ipsis Arabiæ incolis, antequam ad Jordanem transirent, ut cum Amalecitis, Arad Rege Chananæorum, Seon Rege Amorrhæorum, & Og Rege Basan, cum Moabitis, & Madianitis. [B] Deinde postquam Jordanem transierunt, Josue duce, cum Amorrhæis, Chananæis, Gergesæis, Hettæis, Hevæis, Jebusæis, & Pherezæis, qui terram Chananæam à Deo sibi promissam habitabant, eisque magna mole devictis eam in sortem conjecerunt. Divisâ inde terrâ, ac sedibus in ea collocatis bella vicinorum diu passi sunt, Regis Mesopotamiæ, Chananæorum, Madianitarum, Moabitarum, Ammonitarum, & Philistæorum, qui ultimi perpetui hostes fuerunt usque ad tempora Davidis, cum quinque urbes ad mare Syriacum obtinerent versus Ægyptum, Gazam, Ascalonem, Accaronem, Geth, & Azotum. Atque hæc ferme Judicibus rerum potientibus. [C] Saul inde Rex primus Naas Regem Ammonitarum devicit, Philistæos fatigavit, & Agag Regem Amalecitarum, licet longe positum, jussu Dei oppressit. Inde David certavit cum Isboseth filio Saulis, Rege à suis contra se acclamato, cum Jebusæis, quos urbe Hierusalem pepulit, cum Moabitis, & Ammonitis, cum filio Absalon, & Siba, quorum à se uterque defecerat,

---

τίθεμαι σοί, τέκνον Τιμόθεε, κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σε προφητείας, ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν. [D] *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Quo loco munus annunciandi Evangelium, militiam nominat Paulus. Plura exempla hoc genus legenti Sacras Scripturas passim occurrunt.

(28) Judæi enumerant quindecim ממונים *Memunim Præfectos* Templi, qui non semper è Sacerdotum numero, sed aliquando è Levitis eligebantur, quorum series est sequens.

I. Præfectus temporibus, ad cujus admonitum unusquisque in Templo se ad opus suum accingebat, quum hæc verba inclamaret: *Sacerdotes ad opera vestra, Levitæ ad suggestum vestrum, Israelitæ ad stationem vestram.*

II. Præfectus claudendis januis, & aperiendis.

III. Præfectus Vigilibus, qui Levitis excubias agentibus in Templo, præerat, [E] quos dormientes verberibus excipiebat, adurebatque eorum vestes. Hunc fuisse τὸν στρατηγὸν opinor, ut supra dixi; licet aliqui existimant Præfectum Vigilibus præpositum fuisse conficiendis ellychniis è vestibus Sacerdotum.

IV. Præfectus Cantoribus, qui Levitas cantores unaquaque die eligebat.

V. Præfectus Cymbalis.

VI. Præfectus sortibus, quæ quater quotidie ducebantur, ut per eas officia Sacerdotalia distribuerentur. De ratione in sortiendo servata dictum fuit supra annotatione XXX. ad librum V., quam vide.

VII. Præfectus avibus, qui turtures aut pullos columbarum vendebat pro sacrificio, quo in munere tam sordida mercatura exercebatur, ut Dominus Sacerdotes argueret, quod Domum Dei speluncam latronum fecissent, & everteret cathedras, in quibus exponebant pullos venales. Vide S. Matthæum XXI. 12.

VIII. Præfectus sigillis, qui accepto libaminum pretio, tesseram dabat deferendam ad Præfectum libaminum.

[D] IX. Præfectus libaminibus, qui farra & libamina in tesseris notata dabat ad sacrificia.

X. Præfectus ægris, qui ægrotantium procurationem habebat; nam Sacerdotes & Levitæ muniis Templi fungentes, viscerum doloribus potissimum torquebantur, quod nudis pedibus semper pavimento insisterent, plurimum carne vescerentur, aquam biberent, & Sacris operam darent una omnino tunica tegerentur.

XI. Præfectus aquis, & puteis, qui novos puteos curabat fodiendos, & veteres reficiendos, repurgandosque.

XII. Præfectus conficiendis panibus Propositionis, qui de vice in vicem debebant mutari.

XIII. Præfectus suffitui. Hanc præfecturam Judæi tribuunt familiæ Abtines, quam sibi asseruisse volunt quadam arte, quam nemo potuit imitari. [E] Noscebat enim hæc familia herbam, quæ mixta aromatibus, efficiebat, ut fumus in altari recta ascenderet ad formam baculi. At execrationem Magistrorum merita est hæc familia, quod docere herbam neminem Judæorum voluerit.

XIV. Præfectus velis tredecim, quæ ita recensentur, septem in septem portis atrii magni, unum ante portam Pronai, unum ante portam Sancti, duo ante Sanctum Sanctorum, & duo in Conclavi superiori.

XV. Demum Præfectus vestibus Sacerdotum, qui vestes tum Sacerdotis summi, tum gregariorum Sacerdotum, apparandas curabat, texendasque, easdemque in proprio Conclavi Templi custodiebat.

cerat, & quater cum Philistæis; quibus profligatis, ac Syria Damasci, & Idumæa ad regnum adjuncta, Imperium ex omni parte pacatum filio Salomoni reliquit: sub quo pax solida fuit. Diviso inde post obitum ejus in duas partes regno, quarum una Judæ, altera Israël appellata est, utraque sæpe arma inter se civilia contulerunt. Externos vero hostes pertulerunt, eos Reges, qui tum opibus excellebant, Ægypti, Assyriorum, Babyloniæ, ac Syriæ. Quibus cum resistere propter peccata non possent, Israëlitæ demum, qui decem Tribus obtinebant, ab Assyriis translati sunt Ninive, Judæi vero à Babyloniis Babylonem; postquam autem Judæi concessu Cyri Regis Persarum antiquum patriæ solum recuperarunt, primum Persis, deinde Macedonibus Alexandri Magni successoribus, Ægypti ac Syriæ Regibus tributarii paruerunt; ad extremum ab Epiphane libertate ac religione mulctati, captis armis tandiu Reges ipsos Syriæ fatigarunt, donec libertatem integram receperunt. Tum vero subactis Idumæis, Samaritis, Ituræis, Moabitis, & Galaaditis, cum inter se contendere de regno cœpissent, arma contra se Romanorum traxerunt; tria vero præcipua ab eis bella perpessi sunt; unum Cn. Pompeji, qui Urbem cepit; alterum C. Sosii, qui Aristobulo Rege Urbe pulso Herodem intulit; tertium Titi Cæsaris, à quo Urbs eversa, gensque ipsa deleta est.

Ex quibus intelligi potest, & ducibus, & scientia militari opus Judæis fuisse, ut tantam molem, varietatem, ac perpetuitatem bellorum egregie sustinerent. Bellis vero alienis Judæi non assuerunt, nec (29) gentium stipendia meruerunt, aut suis eas stipendiis asciverunt, quia quocunque modo commercium cum gentibus habere prohibiti lege sunt. Itaque Tiberius Cæsar, ut eos sibi militare propter patriæ legis custodiam abnuere vidit, summis tormentis affecit, ut Josephus XVIII. libro mandavit.

CAP. XV.

De statu Judæorum extremo.

His explicitis, nunc quæ de statu Judæorum extremo Philo scriptum reliquerit, addam, atque hac quoque parte illustrata huic commentario finem imponam. In primis ergo quanta per omnes terras imperante Cajo Judæorum esset diffusa multitudo, docuit in libro de legatione ad Cajum: *Populosa*, inquit, *est Judæorum natio, non, ut aliæ, comprehensa unius regionis spatio, sed totum pene Orbem passim incolens; diffusa est enim per continentis provincias omnes atque insulas, adeo ut non multo pauciores sint indigenis, absque eo quod ipsam Judæam innumera multitudo incolit, Ba-* A *bylon etiam, & multæ aliæ Satrapiæ ab eis tenentur, qui singulis annis sacram pecuniam mittunt in templum primitiarum nomine, quanquam per vias difficiles.* Adjicit inde de coloniis à Judæis in varias regiones deductis, hoc modo: *Sancta Civitas Metropolis est non unius regionis Judææ, sed & multarum, propter colonias inde olim deductas vel propius in finitimam Ægyptum, Phœnicem, Syriam tum ceteram, tum eam quæ Cœle dicitur, vel longius in Pamphyliam, Ciliciam, plerasque Asiæ partes usque in Bithyniam, & Ponti sinus intimos, pari modo in Europæ Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthumque Peloponnesi partes præcipuas; nec tantum* B *continentis provinciæ plenæ sunt coloniis Judaicis, sed & insularum celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus; excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum Præfecturarum, omnes Urbes, quæ bonum agrum habent, à Judæis incoluntur.* Inde de Templi Majestate sic intulit: *Templum jam inde ab initio nullam admisit manufactam effigiem, cum sit Dei domicilium; pictorum enim atque statuariorum opera sunt sensibilium Deorum imagines; illum autem invisibilem pingere, aut fingere, nefas duxerunt nostri majores. Agrippa illud invisit, & honoravit. Augustus per literas jussit, undecunque illuc mitti primitias, instituto ibi etiam quotidiano sacrificio.* C *Non Græcus, non Barbarus, non Rex, Satrapave ullus vel infensissimus, non seditio, non bellum, non captivitas, non vastatio, non alia res ulla tantam cladem intulit, ut contra veterem morem effigies manufacta in id importaretur; quamvis enim infensos haberet accolas, semper tamen sua religione tutum fuit, ut sacratum conditori, patrique rerum omnium; sciebant enim violationem ejus expiatam sæpe gravissimis calamitatibus.* Postremo subjicit & de Synagogis hoc modo: *Augustus cognito, quod negligerentur sacræ primitiæ, per literas mandavit Provinciarum Asiæ Procuratoribus, ut sinerent Judæos solos in Synagogis cœtus facere; non enim hoc esse Bacchanalia, vel seditiosorum conventi-* D *cula turbandæ pacis caussa, sed Scholas justitiæ, temperantiæque, in quibus studium virtutis floreat; primitias vero quotannis conferri, unde fiant sacrificia, missis in hoc sacra legatione ad Templum Hierosolyma; deinde edixit, ne quis sit impedimento Judæis cœtus, collectasve facientibus, aut Hierosolyma eas mittentibus more patrio.* Ut autem Judæi ritus patrios coluerint, idem etiam non dissimulat, inquiens: *Omnes gentes libenter servant ritus patrios, sed Judæi præ ceteris. Cum enim leges suas credant oraculis proditas, easque discant à pueritia, in animis circumferunt harum expressas imagines, & semper intuendo admirantur, ut honestissimas; alienigenas quoque harum observatores ample-* E *ctuntur pro suis Civibus; osores autem earum, aut*

(29) At meruerunt certe stipendia illorum Principum, sub quorum imperio aliqua ratione degebant: nec ultimo loco habita fuit Hebræorum in armis virtus, sive apud Persas, sive apud Græcos, Romanosve. Unius Græci Alexandri satius sit meminisse, ne videar præter annotandi modum, bellicas Judæorum laudes conscribere. Quum Hebræorum militum virtutem simul & fidem Macedo haberet in pretio, quod multa fortiter ab illis strenueque gesta intellexerat, vim illorum quam maxime potuit, in suo exercitu studuit censere. Ergo Judæorum multi Alexandro nomen dedere; sed ea lege, ut patrios mores tenerent, viverentque secundum illos. Hæc Josephus Antiquitatum libro XI. cap. ultimo. Et libro primo *contra Apionem*, factum refert ex Hecatæo Abderita rerum Judaicarum Scriptore Macedoni synchrono, quod virtutis ac roboris Judæorum exhibet non ignobile specimen. Quum aliquando apud Babylonem, inquit Flavius ex Hecatæo, esset Alexander, velletque Beli Templum, quod conciderat, reponere, omnibusque præcepisset militibus, ut humum aggererent, solos Judæos non opitulatos; imo & verbera & mulctas graves pertulisse, donec Rex eis ignoscens laboris hujusmodi gratiam fecit.

aut vituperatores habent pro hostibus: & in tantum abhorrent à quavis re suis legibus vetita, ut omnibus fortunis, felicitatibusque humanis ad prævaricationem adduci nequeant; sed nihil religiosius, quam templum, colunt, vel hoc argumento, quod certissima mors proponitur ultra septum interius penetrantibus; nam intra exterius recipiunt undecunque venientes suæ gentis homines. Hinc Rutilius in Judæos post Titi victoriam ubique dispersos scripsit:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset,
Pompeji bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Atque hæc (30) quidem de Repabl. Hebræorum iovenimus, quæ quam planissime ac distinctissime potuimus, explicuimos. Quibus diligenter mente ac ratione perceptis, si quis iterum se ad sacra volumina perlustranda contulerit, næ ille multo clarius multa ante tetra caligine mersa perspexerit, ac liquidiore illius doctrinæ haustu conceptam visceribus cœlestis scieotiæ sitim sedarit. Ceterum si in his opportuna sacrarum literarum auctoritate firmandis paucis fortasse in locis Græcam interpretationem attulimus, aut aliquid ex tertio Esdræ libro testimoniorom depromsimus, id nobis censemus vitio verti non oportere; sic enim fecimus cum ob nimiam rerum, qoas tractabamus, obscuritatem, quæ plane alia dilucidari ratione non poterat, illustrandam; tum propter Sanctorum Patrum auctoritatem, qui septusginta ioterpretes adhibuere, prodendam, & quidem cum non de dogmate ullo, sed de sola antiquitate disputaremus; qoiu etiam io veteribus iostitutis ac moribus declarandis lucem nos ex antiquissimo quoque monumento posse petere judicavimos; quo consilio, Philonis etiam, & Josephi, doctissimorum virorum, fidem sæpissime imploravimus, ut à quibus multa eaque insignia priscæ memoriæ præsidia ac supplementa Sanctos quoque Patres cognovimus accepisse. Sed hæc, & ejusmodi alia utconque animadversa prorsus exactæ Ecclesiæ censuræ judicioque remittimus. Illud quidem certè non dubitamus, quio ot multo plura desideraturi sunt: qui semel ad tantas admissi epulas haud planè saturati discesserint, meliora verò parituri, qui his quæstionibus excitati præclara sua ingenia ad ejusmodi generis alia indaganda contuleriut; sic multo felicius arcana, quæ his cootinentur, mysteria venaturi sint, qui faces ejusmodi secum ad abditas eorum latebras perscrutandas prætulerint. Mysteria verò intelligo, cœlestem vitam, atque æternam, quam S. Augustinus hac prænotatam Rep. docoit, asserens populum Hebræum in unam esse Remp. congregatum, quæ æternæ vitæ ageret sacramentum. Omnes enim, inquit, Prophetiæ, umnia præcepta vitæ, Sacra demum Sacerdotia, ceremoniæ, dies festi, sigoificata, & prænunciata sunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo, & impleta credimus, & impleri cernimos, & implenda confidimus. Utinam autem Deus ipse pro sua incredibili misericordia faxit, ut quam nos civitatem vivi descripsimus in terris, ejus post mortem conspectu perfruamur in cœlis, ut læti ob ea, quæ nobis dicta sunt, fore, ut in domum Domini veniremus, verè tandem dicere cum Propheta possimos: *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei nostri. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

(30) Hæc sunt, Lector humanissime, quæ ad illustrandam commodo tuo Sigonianam Hebræorum Rempublicam conferre opportunum duxi. Si minora accipis expectatione tua, ut certe meritis tuis sunt inferiora; causare, precor, non voluntatem meam erga te addictissimam, sed partim ingenii tenuitatem, partim otium, quod pro rerum varietate, & magnitudine non datum fuit per temporum vices experiri.

F I N I S.

INDEX
RERUM, ET NOMINUM,
PRO LIBRIS VII.
DE REPUBLICA HEBRÆORUM.

A

B

C

Chri-

D

E

F

G

H

I

N

O

P

Pen-

Q

R

Sab-

S

T

V

Z

F I N I S.

INDEX
VOCUM HEBRAICARUM,
Quæ in Notis ad Sigonianam Hebræorum Rempublicam explicantur.

בני

ג

ד

ה

ו

ז

ח

חמץ

נ

ס

ע

עס״ש

F I N I S.

CAROLI SIGONII OPERA OMNIA

TOMI IV. PARS ALTERA.

B. SULPICII
SEVERI
AQUITANI,
BITURICENSIS EPISCOPI,
SACRÆ HISTORIÆ
LIBRI DUO.

IN EOSDEM

CAROLI SIGONII MUTINENSIS

COMMENTARIUS.

Accedunt in hac nova editione

VARIORUM ILLUSTRIUM VIRORUM,

NECNON

JOHANNIS VORSTII

ANIMADVERSIONES ET NOTÆ

SUO QUÆQUE LOCO

Ad Lectorum commodum & utilitatem diligentissimè distributæ.

LECTORI HUMANISSIMO
PHILIPPUS ARGELATUS
BONONIENSIS.

NOn modicum sibi laudis & gloriæ argumentum inter tot alios difficillimos labores, quos Carolus Sigonius noster suscepit, atque feliciter implevit, jure sibi ac merito comparavit, cùm Sacram novi & antiqui Testamenti Historiam, stricto, ut ajunt, calamo à B. Sulpicio Severo conscriptam, explanavit atque exornavit, Sacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum subsidio, & veluti prælucenti face, ad opus complendum feliciter usus. Postquam igitur Hebræorum Historiæ ab eodem Clarissimo Scriptore concinnatæ locum dedi in hoc Tomo, ut sacrarum rerum seriem prosequerer, Severi Libros duos adtexui, cùm ii & Rempublicam Judaicæ Gentis, & priorum Pontificum Romanorum seriem, duobus veluti brachiis complectantur. Ne tamen eadem prorsus absque aliquo ornamento hæc Auctoris nostri lucubratio recuderetur, id in primis præstiti, ut editiones plurimas conferens, eam selegerim à Vorstio vulgatam, quam correctiorem atque concinniorem sum arbitratus; Me pariter, ut ingenuè fatear, non latebat, ejusdem Sulpicii Historiam ornatam antea prodiisse cum Notis variorum illustrium Virorum, & deinde cura studioque Johannis Vorstii supradicti, notis non paucis ad latinæ linguæ puritatem ut plurimùm pertinentibus typis iterum fuisse commissam. Pigebat equidem in primis, messem hanc uberrimam Sigonii explicationibus adnectere, cùm experientiâ didicissem, in maximam molem adnotationes excrescere, quibus persæpe integræ paginæ gravarentur: quod verò magis tædium augebat meum, illud profectò erat, quòd Notas quamplurimas ab acatholicis Auctoribus concinnatas, vindicias sibi ac correctiones exposcere comperissem. Tot inter difficultates diu anceps, tandem, ne Lectores Notarum commodo orbatos relinquerem, tanquam amœna ambulanti per prata contingit, qui suaviores colligit flores, aridos atque inconcinnos dimittens; ita peritiorum Virorum judicio atque approbatione, ex variorum animadversionibus illas in hanc editionem transtuli, quas utiliores intelligendo Sulpicii textui dijudicavi; ceteras prætermittens, cùm eas pene omnes Clarissimus Abbas Maseus in Notis ad Hebræorum Rempublicam doctissimè ad crysim vocaverit, errores detexerit, & doctissimè expunxerit. Vorstii tamen alias integrè accepi, & suo quasque loco subjeci. Quo tamen ordine ista digesserim, brevibus explicabo. Charactere grandiori, cui Typographi Antiqui-communis nomen dedere, Sulpicii Historiam in capite pagellæ imprimendam curavi; Sigonii commentarios strictiori, literis indicatos; tum ad calcem distinctas Notas alias, columnarum in speciem subjeci, ut uno veluti oculorum intuitu, quæ Sulpicius, quæ Sigonius, quæve ceteri scripserint, aspiciatur; & si ante tribus editionibus opus erat, nempe Sigonii commentariis, Variorum, ac Vorstii divisis Notarum libris, nunc uno tantùm Codice poterit quisquis esse contentus. De his omnibus te monitum volui, Lector humanissime, gratiam tuam probationemque me suscepturum sperans, quam præcedentibus curis laboribusque meis à tua benignitate jam nactum fuisse mihimet ipse polliceor. Vale.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

D. GABRIELI PALÆOTO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI, ET BONONIÆ EPISCOPO.

EX omnibus curis, Illustrissime ac Reverendissime Domine, quas multas Episcopi in Civitatibus ad rectam Christi disciplinam instituendis impendunt, nulla ferè fructuosior aut sanctior prudentum hominum judicio existimatur, quàm, ut prima hominum ætas præclaris ad officium & honestatem exemplis, ac literis imbuatur. Neque verò id sinè caussa. Fit enim ferme, ut quàm faciles pueri sunt ad omnia imbibenda, quæ propinantur, tam firmiter ea retineant, quæ semel tradita intimis pectoribus exhauserunt, &, si antequam pubescere incœperint, salutaria à parentibus suis documenta vitæ acceperint, talia & ipsi post liberis suis tradant, postquam canescere instituerint; contra verò si à principio aut pravis exemplis, aut pestilentibus præceptis aliquibus infecti sint, ægrè iidem ne maturescentibus quidem annis ad bonam frugem redigi à patribus, aut emendari à Pastoribus possint. Optima verò illa ratio esse rudimentorum videtur, si eæ percipiendæ ineunti ætati literæ proponantur, quæ timorem Domini, quod meritò initium esse Sapientiæ dicitur, inserere, ac religionem in teneras eorum mentes instillare facilè queant: ne fortè per negligentiam committatur, ut quorum Christus Regnum esse Cælorum asseruit, eorum perniciosa Sæculi consuetudine depravati ad damnationem animi polluantur. Quo tamen in genere multis, si rectè attendimus, hoc tempore modis peccatur; quorum nescio an ille omnium fœdissimus sit habendus, quòd huic ferme ætati ea pervolutanda Scriptorum volumina objiciuntur, quæ falsorum Deorum cultum, quæ flagitiosam vitam, quæ turpitudines, adulteria, libidines, ac spurcissima quæque vitia complectuntur: neque verò solùm datur opera, ut ea perspiciant, sed, quod exitiabilius est, ut memoriæ mandent, ut scriptis consignent, ut assidua exercitatione concelebrent. Itaque eò dedecoris jam res ipsa processit, ut si quis quid parum fortasse rectè aut pronunciaverit, aut scripserit, continuò, si reprehensus sit, ingenuâ quadam verecundiâ perfundatur; amores autem, ac delicias suas, clarissimas propriæ incontinentiæ indices, quæ optimus quisque, si posset, perpetuis tenebris libentissimè abderet, æternis (sic enim sperant) versibus celebrare, ac consecrare non solùm non erubescat, sed etiam commendationem ex eo apud homines eruditos imitationis atque ingenii quærat. Atque in has quidem difficultates & salebras mores nostros illi potissimùm compulerunt, qui Gentiles Poëtas, disertos illos quidem & elegantes, sed omnis sinè dubio petulantiæ libidinisque Magistros castis puerorum auribus temerè, ac sinè delectu aliquo ab initio inculcarunt, quibus nihil fingi potest à sancta disciplina Christianorum aversius, quorum vita nullum non modò dictum obscœnum, sed ne turpem quidem cogitationem admittit, verùm utrumque disertè aspernatur, ac respuit. Itaque Plato etiam, vir apud eos non minùs bonitate, quàm sapientia clarus, cùm optimam illam suam Rempublicam informaret, Poëtas omnes adeò improbavit, ac moribus civilibus noxios ita duxit, ut Homerum etiam, licèt ingenii inter eos principem, ac prope poëticæ imitationis auctorem, è Civitate exigere sua non dubitarit. Quare præclariùs multo consulere illi mihi videntur, qui aut Oratores, aut Historicos explicant, in quibus detractis ceteris ferè vitiis, paria ingenii, atque eloquentiæ lumina cum honestis omnibus prudentiæ, virtutis, æquitatis, ac moderationis exemplis elucent. Quo in genere tamen longè oratoriæ ipsa quoque præstat Historia; neque enim temerè aliud Scriptorum genus reperias, in quo aut cavenda hominum flagitia demonstrentur insigniùs, aut debitum virtuti, atque officio laudis præconium tribuatur ornatius. Quorsum hæc? dicet aliquis: nempe ut intelligant omnes, ad quorum hæc manus pervenerint, non sine summa ratione à pietate vestra perfectum esse, ut ad ceteras cogitationes, quas ipsa in Ecclesia sua ad veteris Apostolicæ exemplum, quoad consequi diligentiâ possit, ornanda defixit, præcipua quoque puerilis ætatis salutaribus studiis imbuendæ cura susciperetur. Nam ipsa & doctrinam Christianam pueris in scholis tradi tanto studio laboravit, ut illorum etiam quotidianis exercitationibus sæpe interesse, easque præsentiâ suâ provehere, sibi grave non duxerit, & lasciva Latinorum Poëtarum carmina, tanquam certa turpium voluptatum, & probrorum incitamenta, non modò interdixit, sed pro iis alia quoque honestiora, ac sanctiora substitait;

tuit; ad extremum verò Sacræ etiam Historiæ lectionem in eadem auditoria inducere, à quibus adhuc tanquam perpetuo quodam damnata exilio abfuerat, voluit: non quidem, ut profanarum inde rerum cognitionem ejiceret, quam robustioribus tradi convenire putavit; sed ut prima cognoscendæ vetustatis initia à Deo sumenda esse iis, qui ad sapientiæ, & pietatis professionem ingrederentur, ostenderet. Quanquam, si prudenter considerare volumus, ea sacræ memoriæ commoda, atque emolumenta existunt, ut eos etiam, qui magnos jam in doctrina, & bonitate progressus habent, variis & ad dicendum, & ad intelligendum, & ad agendum instruere monitis, atque exemplis frequenti repetita lectione possit; neque verò solùm eos, qui omnem suam ad semet industriam referunt, sed multo etiam magis illos, qui labores suos præcipuè ad populares animos imbuendos, & ingentem Dei pandendam in concionibus gloriam direxerunt. Quamobrem rectè prudentia vestra breviarium ejus aliquod ex immenso illo utriusque Testamenti corpore conquisivit, quo studiosa juventus omnia ab Adam usque ad Christum, id est, à peccato ad salutem in ipsius Dei populo gesta quasi in unam tabulam conlata conspiceret; & cùm duos B. Severi Sulpicii libros in hoc genere distinctè, atque ornatè admodum scriptos probavit, tum ad tollendum exquisitioris interpretationis hominibus occupatis laborem, eosdem etiam expositione illustrari aliqua voluit. Sic enim fore arbitrata est, ut universi non modò faciliùs ea, quæ præclarè tradita sunt, animo, ac notitia comprehenderent, sed ipsa etiam invitati facilitate, alacriùs ac studiosiùs ad eademmet haurienda contenderent. Id autem negotii ab Amplitudine vestra mihi mandatum, ego, licèt meis longè viribus impar, honesto parendi studio haud gravatè suscepi, præsertim verò cùm id ad rationes ejusdem juventutis aptissimum, atque opportunissimum judicarem, cui ab ineunte usque ad hanc jam inclinantem ætatem in primis Italiæ Gymnasiis constantissimè studuissem. Itaque quæ mihi ad rem pertinentia visa sunt, ea sacris Literis evolutis, & universis Hebræorum antiquitatibus memoriâ comprehensis, huc primo quoque tempore contuli, brevemque expositionis commentarium, Sulpicii ipsius æmulatus brevitatem, confeci. Quare si fructum aliquem meus hic hominibus labor attulerit, erit, quòd gratias Deo maximas agant, qui mentem Amplitudinis vestræ ad meam excitandam industriam excitarit; sin minus, me tamen non absurdi prorsus hominem ingenii existimabunt, qui judicii jacturam, quàm officii facere, & recto summi Episcopi, ac Cardinalis studio, ac voluntati obtemperare, quàm laudi fortasse, ac famæ meæ inservire maluerim. Mihi verò in omnibus malis præcipui illud erit solatii, quòd felicibus optimi Antistitis, ut ita dicam, auspiciis aliquot hujus jam ingravescentis ætatis menses in præclara de Deo, & de mirabilibus operibus ejus commentatione, ceterisque rebus ad salutem nostram pertinentibus explanandis consumpserim, quæque adolescens, extincta prorsus vetere disciplina, non didici, ea jam grandior natu, eadem insigniter in hujus seculi felicitate reviviscente, docuerim. Quidquid autem illud sit, quod mea industria, studiumve pepererit, cupio, ut in illustrissimo præcipuè Amplicudinis vestræ nomine appareat, atque adeò etiam in manus & præsentium, & futurorum hominum, tanquam certum singularis meæ erga illam observantiæ monumentum perveniat. Quam Omnipotentis Dei misericordiam oro, ut diu salvam, incolumemque custodiat, ut quemadmodum præclara priscæ revocandæ Bononiensi in Ecclesia disciplinæ fundamenta jecit, sic speciosum etiam fastigium imponere surgenti jam ad insignem, ut videmus, altitudinem operi possit. Quod ipsum sinè dubio, aut nulla ratione, aut certè hac, quam jampridem inivit, insignibus vitæ exemplis, ac rectis sapientiæ documentis facillimè obtinebit.

Bononiæ Idibus Februariis, MDLXXXI.

Illustriss. ac Reverendiss. Amplitudini Vestræ deditissimus

CAROLUS SIGONIUS.

PERINLUSTRI ET PERGENEROSO DOMINO,

DN. OTTONI,

LIB. BARONI A SCHWERIN,

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandenburgensis Consiliario & Toparchæ Ruppinensi; Itemque Hereditario Domino Altenlandsbergæ Zachani & Wildenhofii, &c.

JOHANNES VORSTIUS
S. P. D.

CUm de Sulpicio Severo Notis inlustrando nihil planè cogitarem, sed nonnulla potiùs alia in publicum extrudere vellem, exposuit mihi Bibliopola, Vir honestus, mihique amicus, in animo se habere, Sulpicium Severum typis rursus exprimendum curare: rogavitque, ut, si quid haberem, quod ad inlustrandum Auctorem eum faceret, id secum communicarem, novæque Auctoris editioni adjiciendum darem. Ego verò quamvis Sulpicium Severum Notis inlustratum à pluribus non ignorarem, adduci tamen me passus sum, ut aliquid Notarum in Auctorem istum scriberem. Cujus rei caussa præcipua hæc fuit, quòd opera Sulpicii non quidem omnia, sed tamen pleraque, manu exarata in Codice membranaceo celeberrimæ Bibliothecæ Electoralis, quæ hîc Coloniæ ad Spream est, offenderam, diversasque lectiones minimè sanè contemnendas, ac bis, quæ in Codicibus vulgatis reperiuntur, meliores, in iis observaram. Altera deinde caussa fuit, quòd nonnulla ad stylum Sulpicii, imò & ad historiam antiquitatemque pertinentia, ab his, qui in eum Auctorem Notas scripserunt, prætermissa videbam, de quibus moneri Lectores itidem non præter rem foret. Atque ita istud, quod, Perinlustris Domine, tibi nunc exhibeo, corpusculum Notarum exiit. Quod quidem corpusculum Notarum tuo judicio submissum volo, quippe quem non tantùm juridicis ac ad Rempublicam pertinentibus, sed ipsis quoque hisce philologicis studiis duci ac delectari non ignoro. Habebam adhuc alia quædam, quæ ad inlustrandum Auctorem fortasse facerent: verùm festinantibus operis typographicis, festinandum & mihi fuit, nonnullaque vel omnino, vel sinè exactiore trutina, dimittenda. Quorum unum tamen hic exhibere, & tuo itidem judicio submittere placet. De Arrianis in libro II. Historiæ sacræ Sulpicii legitur ita: *Ita missis per Illyricum, Italiam, Aphricam, Hispanias, Galliasque Magistris officialibus acciti numerative quadringenti & paulò amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere*. Et de vocabulo *numerative* quidem Carolus Sigonius monuit, legendum pro eo *aut coacti*; verùm pro *Magistris officialibus* quoque aliter legendum esse, nullus monuit. Imò quasi lectio vulgata rectissimè se haberet, scripsit Magistros Officiales hic esse, qui & Magistri officiorum adpellentur. Verùm enim verò satis adparet, de Magistris officiorum Sulpicium hic nihil dictum velle. Scribit enim, ipsos illos, de quibus agit, per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque missos fuisse ad Episcopos Ariminum acciendos. Quæ quidem res non est hujusmodi, ut ipsi Magistro officiorum competere possit. Notum quippe est, Magistrum officiorum majoris omnino dignationis fuisse, quàm ut ad Episcopos acciendos mitteretur. In Notitia quidem Imperii adpellatur ille Vir inlustris: in eademque memoriæ proditum est, sub ejus dispositione fuisse Scholam scutariorum primam & secundam, & varias item alias Scholas: deinde quatuor scrinia, memoriæ puta, epistolarum, libellorum ac dispositionum: denique verò & fabricas numero quindecim. Ceterùm inter Scholas istas, quibus Magister officiorum præfuit, fuit & *Agentium in rebus* Schola, qui mandata Principis varia ob negotia in provincias mittebantur: de quibus & peculiaris titulus in libro XII. Codicis Justinianei, & numero quidem vigesimus, agit. Atque ex ipso illo *Agentium in rebus* corpore puto fuisse eos, quos ad Episcopos acciendos Sulpicius missos ait. Sed ita lectio illa vulgata, de qua dicebam, *Magistris officialibus*, non quadrat. Agentes illi in rebus *officiales*, id est, ministri, quidem dici potuere: at *Magistri* dici potuisse non videntur. Siquidem *Magistri* adpellatio illi, de quo dicebam, magno Viro, hujusque similibus, isto ævo propria fuisse videtur. Dico igitur, pro *Magistris officialibus* legendum esse *magisteriis officialibus*. Sanè in capite XI. Dialogi III. Auctor hos, quos ad consimilia negotia peragenda missos ait, vocat *magisterii officiales*. Quæ quidem adpellatio Agentibus istis in rebus, de quibus dixi, optimè & quadrat. Quippe *officiales*, id est ministri, omnino fuerunt. Deinde *magisterii*, id est, Magistri officiorum, *officiales* fuere. Vox *magisterium* ipsam quidem Magistri officiorum dignitatem ac munus significat; sed hîc tamen pro ipso Magistro officiorum est accipienda: quomodo dominationes pro ipsis dominis, matrimonia & conjugia pro ipsis uxoribus, servitia pro ipsis servis, & id genus alia abstracta pro concretis ab Auctoribus sæpe usurpantur. Ceterùm & hoc addo, eos, quos *Magistros officiales* à Sulpicio dictos esse nego; *magisterii* autem *officiales* ab eodem dictos esse contendo, dictos etiam fuisse *magistrianos*. Glossæ Philoxeni quidem habent sic: *Agens in rebus* Μαγιστριανός. Suidas item: Μαγιστριανὸς ὁ καστρήσιος. Sic enim legendum esse; non autem, ut in codicibus vulgatis est κατρίνιος, ex Glossis Basilicorum adparet: quippe quæ itidem sic habent, Μαγιστριανὸς ὁ καστρήσιος. Victor etiam in Chronico *Magistranum* vocat. Pro quo tamen legendum potiùs *Magistrianum*, Joannes Meursius monuit. Atque hæc hactenus. Quod autem superest, Te Perinlustris Domine, optimè valere, & magni Parentis gloriæ feliciter succrescere ex animo opto.

AUCTORUM
ALIQUOT TESTIMONIA,
QUI
B. SULPICII SEVERI
MEMINERE,
Unde Vita, Mores, Doctrina, & Ætas ejus perspici potest.

EX *Commentaris S. Hieronymi in Ezechielem cap. XXXV.* Et nuper Severus noster in Dialogo, cui *Gallo* nomen imposuit.

Ex Epistola prima B. Paulini Episcopi ad Sulpicium Severum. Tu, frater dilectissime, ad Dominum miraculo majore conversus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, substantiâ facultatum non egentior, & in ipso adhuc Mundi theatro, id est, fori celebritate diversans, & facundi nominis palmam tenens repentino impetu discussisti servile peccati jugum, & lethalia carnis, & sanguinis vincula rupisti. Neque te divitiæ de matrimonio familiæ Consularis adgestæ: neque post conjugium peccandi licentia, & cœlebs juventus ab angusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis in mollem illam, & spatiosam multorum viam revocare potuerunt. Beatus, qui refugisti de consilio impiorum, & in via peccatorum persistere noluisti, & sedere in cathedra pestilentiæ dedignatus es, ut humilitate præcelsa pedibus Crucifixi accubares. Tu ergo verus factor Legis, & Evangelii, non surdus auditor, qui corpus, & Mundum configens crucis deliciis, juventutis, & vitæ præsentis mala gaudia pro venenis, & luctibus aversatus es, respuens patrimoniorum onera, ceu stercorum, merito socrum sanctam omni liberaliorem parente in matrem sortitus æternam, quia cœlestem Patrem anteverteras terreno parenti, exemplo Apostolorum relicto patre in navicula fluctuante, scilicet in hujus vitæ incerto, cum retibus rerum suarum, & implicatione matrimonii derelicto, Christum secutus, nec minoris domesticis opibus ingenii facultatis laudem ab hominibus non accipiens, & inanis gloriæ sublimiter negligens, piscatorum prædicationes Tullianis omnibus, & tuis literis prætulisti: confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum; mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris: & pollutam canina facundia linguam Christi laudibus, & commemoratione ipsa pii nominis expiares. O vere Israëlita, qui Deum Jacob tam fida mente vidisti, & tanquam in ipsius Domini conluctatione firmatus prævaluisti adversus Principem hujus Mundi, & spiritalia nequitiæ in cœlestibus debellasti scuto fidei, armisque justitiæ, præoptans Christo placere, quàm hominibus, hominibus stultus esse, quàm Deo: omni facundiæ, omnique sapientiæ hujus Mundi prætulisti scandalum crucis: ut quod pereuntibus stultitia est, tu in partem salutis ascitus, ut omnibus salvis futuris patescit, virtutem, & sapientiam Dei esse cognosceres. Beatus ea frater, quia non caro, & sanguis revelavit tibi hæc, sed Pater, qui in Cœlis est, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui convertit sapientiam eorum, & stultam fecit, & elegit infirma, ac stulta Mundi, ut Mundum istum his ipsis, propter quæ Dominum dedignatur nosse, confundat.

Ex Epistola quinta ad eundem. Ita pro parentibus & fratribus, & amicis tu nobis factus à Domino es, qui & parentum cura anxius, & fraterna dilectione sollicitus, & tota non fictæ amicitiæ fide sedulus, omnibusque in nos pietatis visceribus effusus, assiduis nos literis adeas, blandissimis solatiis mulceas. Neque sat habeas, occasionibus cunctis revisere, nisi & pueros tuos mittas: nec solum de famulis, sed & de filiis sanctis, quorum benedicta in Domino prole lætaris, eligas tabellarios, quorum oculis nos videas, & ore contingas, speciosi nobis pedes illorum tamquam evangelizantium bona. Nunciant enim nobis, & afferunt ea, quæ ad pacem sunt de te, cum præferunt opera Domini, quæ aut operaris in verbo Dei, aut scribis in spiritu verbi. *Item*: Quale te sacrificium Deo exhibere video in templo tui corporis, in sacrario tui cordis, in immolatione tuæ carnis, in oblatione tuæ animæ. Immolas taurum, cum pia humilitate depositus, cervicem altam percussisti timore divino. Immolas hœdum, cum omnis sinistræ partis opera, justitiæ sectator interficis. Ovem jugulas, cum diligens operarius, studiosusque meditator divinæ voluntatis, & legis, inertiam vitæ, & ignaviam quasi pecus molle prosternis, ætate vitæ istius impedimenta quasi vellera tondenti utilia, onerosa gestanti, forcipe verbi cœlestis accidis.

Item: Te vero victa lege membrorum, & exteriore corrupto puram conspersionem parare, & sine fermento azymum Christo confici, eloquia tua tam facunda, quàm casta testantur. Neque enim tibi donatum fuisset, enarrare Martinum, nisi dignum os tuum sacris laudibus mundo corde fecisses. Benedictus igitur tu à Domino, qui tanti Sacerdotis, & manifestissimi Confessoris historiam tam digno sermone, quàm justo affectu percensuisti: beatus & ille pro meritis, qui dignum fide, & vità suâ meruit historicum, qui & ad divinam gloriam suis meritis, & ad humanam memoriam tuis literis consecratur. Hæc quoque verba tua vellera sunt,

& Dominum Jesum gratissimo tegmine cooperiunt, cujus supellectili pulchra ambiunt, & ingenii tui floribus comunt.

Item ex Epistola nona: Præterea jussisti, nimium opulenter tibi de paupere tuo blandiens, ut quæ te de Annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet quasi peritior edocerem, sed sibi imputet famem, qui pauperis amici forem pulsat, & promptuarium inane scrutatur. Nunquam enim in hæc investiganda, & colligenda mihi commodum studium fuit. Nam etiam in tempore veteri, quo videbar legere, nec legendo ab historicis Scriptoribus peregrinatus sum: attamen nunc operis tui curam gerens, quo te pro utilitate fidei nostræ inspiciendis, & conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum indicasti, quod de me non habui, de fratris unanimi opulentiore thesauro petivi, & ipsam adnotationem, quam commonitorii vice miseras, literis meis inditam direxi ad Rufinum Presbyterum S. Melaniæ spiritali via comitem, vere sanctum, & piè doctum, & ob hoc intima mihi affectione conjunctum. Si ille has, quæ merito te permovent de annorum, sive Regnorum non congruente calculo hiantis historiæ causas non ediderit, qui & scholasticis, & salutaribus literis Græcè juxta ac Latinè dives est, vereor ne apud alium in his regionibus frustra requiramus. Quod si præsumptioni de te meæ satisfecerit, prima occasione, si Dominus faverit, transmittam unanimitati tuæ, utcunque mihi super hac ratione rescripserit. Interim ut aliquid de præceptis tuis facerem, misi ex his, quæ metuo ne inertiæ potius, vel imprudentiæ meæ testimonia sint, quàm supernæ ministrationis insignia, aut certe vel humanæ documenta sapientiæ: misi tamen tibi, id est, commisi meo pectori meas nugas, non ut sensus tuos polluant tenebræ meæ, sed ut tuis sensibus diluantur. Nugas autem meas de verbis, ac sententiis meis dixi: ceterum materia sancta & tuo potius ingenio, eloquioque digna, etsi meis sermonibus velut atro habitu vestiatur, speciem tamen divini luminis interni decoris, quanquam in egenæ supellectilis utilitate custodit. *Item:* Ineffabile mihi est, quanta me voluptate perfuderint, cum referrent & actus, & sermones tuos, & perfectum cor tuum charitatis divinæ, qua humilis, & excelsus, pauper, & dives, servus, & liber, famulis conservus, fratribus servus, pauperibus dives in visceribus misericordiæ, divitibus pauper, in spiritu mansuetudinis, humilis virtute pietatis, arduus sublimitate virtutis, & servus Deo, liber mammonæ, totum in se spirare Martinum, florere Clarum, maturari Evangelium prædicabant.

Ex Epistola CCV. S. Augustini de laudibus S. Hieronymi. Quod ut iterum clarius veritatis lumen pateat, pluribus testibus, quàm uno, censui quid supradictus noster Severus, vir doctrinâ, & sapientiâ pollens cum tribus aliis in ipso die, & hora obitus Hieronymi in Turronensi Civitate viderit, meæ addere visioni: de quo mihi quidem solummodo ipsemet pridie ad me veniens fuit testis.

Ex lib. II. Historiæ Sulpicii. Omne tempus in Stiliconem Consulem direxi. Stilico vero Consul fuit Anno Christi CCCC. triennio post mortem S. Martini, cui ipse interfuit, & quam scripsit.

Ex Gennadio in Vita ejus. Severus Presbyter, cognomento Sulpicius Aquitaniæ Provinciæ, Vir genere, literis nobilis, & paupertatis, atque humilitatis amore conspicuus, carus etiam Sanctorum Virorum, Martini Turronensis Episcopi, & Paulini Nolani, scripsit non contemnenda opuscula; nam Epistolas ad amorem Dei, & contemptum Mundi exhortatorias scripsit sorori suæ multas, quæ & notæ sunt. Scripsit & ad supradictum Nolanum duas, & ad alios alias. Sed quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur. Composuit & Chronica. Scripsit & ad multorum profectum Vitam B. Martini Monachi, & Episcopi signis, & prodigiis, & virtutibus illustris Viri, & Conlationem Posthumiani, & Galli, se mediante & judice, de conversatione Monachorum Orientalium, & ipsius Martini, habitam in specie dialogi, duabus incisionibus comprehendit, in quarum priore refert suo tempore apud Alexandrinam Synodum Episcoporum decretum, Origenem & cautius à sapientibus pro bono legendum, & à minus capacibus pro malo repudiandum. Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.

Ex Apologia Guiberti Abbatis Gemblacensis. Sulpicius Severus, ut patet ex gestis, quæ in Monasterio Majori positus legi, recepto intra cœli secreta B. Martino, cellam patris per quinquennium, hereditate videlicet præclara obtinuit, quem, quamvis admodùm renitentem, Bituricensis Clerus inde extrahens, Archiepiscopum sibi sublimavit. Quòd autem à Pelagianis seductus in aliquo à regula Orthodoxæ fidei exorbitaverit, nusquam omnino, nisi in solo Gennadio legi, qui nescio utrum hoc alicubi & ipse legerit, an ex sola fama, quæ facta infectaque loquitur, didicerit. Illud tamen fideliter credo, hunc ejus errorem gloriam sanctitatis ejus non obscurasse; cùm auctor idem, qui refert deceptum, testetur & correctum; quod profecto eo magis mirum, quòd cùm esset clarus genere, sublimis dignitate, Episcopus officio, & per hoc pluribus se debens, publicum desereret, secretum peteret, & carcerali latebra se damnans, simulque vigiliis, fame, & frigoribus carnem macerans, in spiritu humilitatis, & animo contrito Deo satisfaceret. *Item:* Si huic assertioni meæ non credatur, credatur tori Sanctæ Majoris Monasterii multitudini, quæ sacra Depositionis ejus solemnia festivo quotannis celebrat officio; cui celebritati ipse quoque apud eos degens & semel, atque iterum interfui, & hanc cum ceteris fratribus nonnulla devotione IV. Kal. Februarii, ut agitur, percolui.

Gratias tibi ago doctrix viarum Dei omnipotentis sapientia, quæ in eo vicisti malitiam, dilapsumque in foveam, & in vinculis peccati positum non dereliquisti, sed in fraude circumvenientium ei assistens, à peccatoribus gratiæ tuæ adversariis liberasti eum, tantaque sublimasti gratia, ut inter filios ejusdem gratiæ computetur, & inter Sanctos sors illius sit.

Gregorius Turonensis lib. I. Hist. cap. VII. Hoc verò holocaustum in monte Calvariæ, quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse, Severus narrat in Chronicâ.

Item lib. II. cap. I. Sic & Eusebius, Severus, Hieronymusque in Chronicis, atque Orosius & bella Regum, & virtutes Martyrum pariter texuerunt.

Ex

Ex Victore Giselino in Vita Sulpicii. Forum itaque secutus voluntatem labori non pepercit suo, quin ea, quæ permultis voluminibus perscripta retinebantur, duobus libellis concludens, res à Mundi exordio sacris literis editas breviter constringeret, & cum distinctione temporum ad suam usque memoriam carptim perduceret. Quo opusculo non sane magno aliud an ullo unquam seculo Reipublicæ Christianæ utilius, ac præstabilius editum sit, iis, quorum illud est judicium, judicandum relinquo; de elegantia vero præstare ausim, & affirmare me posse confido, nulli idem omnium Scriptorum Ecclesiasticorum quidquam concedere: alia vero omnia, quæ in eodem genere versantur, tanto intervallo omnimodis superare, ut ne sint quidem ad hoc comparanda; magnum est quod dico, & fortasse plurimis incredibile: sed ejusmodi tamen, quod non tam dicenti mihi, quàm testificanti pro me veritati creditum iri confidam, si quibus operæ precium erit, Orosium, Florum, Eutropium, aliosque epitomarum auctores cum hoc nostro omnibus partibus contendere. Eam vero palmam sola, ut mihi videtur, C. Sallustii rerum Romanarum auctoris florentissimi, imitatione consequutus est, in quo cùm multa virtutis locum obtinere videret, quæ tamen sub imitationem vix caderent, abruptum dico sermonis genus, quod audientem lectorem transvolat, nec, dum repetatur, expectat; sive, ut loquitur Seneca, amputatas sententias, & verba ante expectatum cadentia; eas virtutes utpote Sallustio suas, integras reliquit; à verbis item antiquis ex Catonis, ut volebat Augustus, Originibus excerptis consultò se abstinuit. At concinnam illam brevitatem, lectissimis, ac significantibus verbis temperatam, suo instituto cum primis adcommodam, tanta arte expressit, ut propemodum quis dicat non imitatum eum, sed æmulatum. Neque enim satis babuit eodem, quo ille, modo orationem ducere, secare, circumscribere, conligare, ac denique à re una ad aliam transire; nisi & principiis iisdem libros suos ordiretur; ita tamen ut quæ ille, teste Fabio, nihil voluit ad historiam pertinere, hic paulo propius ad rem accommodarit; quæ omnia in sacra saltem historia præclare elucere, vel primo oculorum injectu facile quivis animadvertit; confecta est enim, ut dixi, in primo ætatis flore, cum flagrans eloquentiæ studium severa Turronensis contubernii disciplina nondum restrinxisset. Ejus operis semel tantùm meminit Paullinus Ep. IX., quâ rogatus, si quas de Regnorum sive annorum non congruente calculo hiantis historiæ caussas observasset, se respondet eadem de re Rufinum consuluisse, & si quid opis adtulerit, facturum certiorem.

Quæ sequuntur ex editione Jo. Worstii.

Scaliger in Prolegomenis ad libros de emend. temporum. Sulpicium Severum nemo hactenus Aquitanum fuisse dubitavit: sed patria ignoratur, cùm tamen ipse Nitiobrigem sese manifestò prodat, cùm Servationem Tungrorum, Phœbadium autem suum Episcopum fuisse scribit. Phœbadius autem erat Nitiobrigum Episcopus. Iste Sulpicius Ecclesiasticorum purissimus Scriptor, post transitum Martini, recepit sese Elusonem, quo tempore ad eum scribebat Paullinus.

Idem paullo post: Mei Nitiobriges pro Sulpicio Sapplicium dicunt, quomodo & Bituriges suum illum vocant, quem eumdem cum hoc faciunt perperam, cùm inter transitum Martini, cujus noster Sulpicius discipulus fuit, & ordinationem Sulpicii Episcopi Bituricensis sub Guntchramno Rege, intercedant plus minùs anni centum nonaginta.

Gerb. Joh. Vossius lib. II. de Historicis Lat. cap. XII. Hieronymi ac Rufini æqualis fuit Severus Sulpicius Nitiobrix: nbi Sulpicius esse cognomen, clarè ait Gennadius, & id nomen postponit Gregorius Turonensis lib. I. de Miraculis S. Martini cap. I., & lib. X. hist. Franc. cap. XXXI. Obstare interim videtur, quòd Sulpicium Severum se vocet in inscriptione Epistolæ ad Aurelium Diaconum, item ad Bassulam Socrum. Sed sæpe prænomen postponi, comprobat Franciscus Sylvius Progymnasmatum centuriâ II. cap. XLI. De patriâ cognoscimus partim ex Dialogo I. cap XX., ubi se Aquitanum agnoscit, atque idem Gennadio prodidit; partim ex lib. II. Histor. Sacræ, ubi Phœbadium suum vocat Episcopum; eum verò Aginni (quod in Nitiobrigibus) Episcopum fuisse, clarè ait Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis. Malè verò Carolus Sigonius, Petrus Galesinius, & Victor Giselinus, Sulpicium hunc cum Sulpicio, Episcopo Bituricense, confundunt: ut rectè notatum Josepho Scaligero in Prolegom. lib. de Emendatione Temporum, item Baronio ad an. CCCCXXXI, & P. Fabro in opusculis posthumis, Schediasmate de Dionysio Areopagita; ubi Severum hunc ait fuisse Monachum Primuliacensem. Sanè nunc vivit Primuliaci, nunc Elusone, ut cognoscere est ex Paullini Ep. VI. XI. XII. Sed & Tolosæ habitasse, videmus ex epistolâ ejus ad Socrum Bassulam. Sed Monachum fuisse non lego apud Veteres, verùm Presbyterum, de quo nobis auctor Gennadius. Qui Episcopum fuisse ajunt, falli planè existimandi. Vir fuit doctrinâ & sapientiâ pollens, ut eum Augustinus vocat Ep. CCV.; Vir genere & literis nobilis dicitur à Gennadio, & Honorio. Vir summus appellatur ab Idacio, penè initio Chronici. Inter alia duos composuit libros de sacrâ Historiâ; quos à Mundi initio exorsus, perduxit usque ad Consulatum Stiliconis, & Aureliani: hoc est, annum quadringentesimum. Scripsit & vitam B. Martini, quo familiariter usus fuit: uti & B. Paullino; qui quanti Severum fecerit, satis laudes inculcatæ in ejus Epistolis ostendunt. Ad hæc tres ejus Epistolæ extant: una est adversùs æmulos B. Martini: altera agit de obitu & apparitione ejus: tertia refert, quomodo B. Martinus ex hac vitâ mortali transierit ad immortalem. Item extant Dialogi tres, quorum primus narrat virtutes & miracula Monachorum Orientalium; duo posteriores exponunt virtutes B. Martini, libro primo prateritas. Pro Sulpicii libellis de B. Martino Apologiam scripsit Guibertus Martinus, Abbas Gemblacensis, qui MS. extat Gemblaci & Lovanii ad S. Martinum. In Dialogis, quibus Postumianus & Gallus loquuntur, sequitur Sulpicius errorem millenariorum: ut & monet Hieronymus in Ezech. cap XXXVI. Unde apud Gelasium quoque legas in Concil. Rom. LXX Episcop. Opuscula Postumiani, & Galli, apocrypha. Dictione utitur tersâ, & eleganti, adeo ut Ecclesiasticorum purissimus Scriptor vocetur à Josepho Scaligero opere de Emendat. Temp. Sallustii imprimis æmulus est. Unde Christianum Sallustium vocat Barthius Adversar. lib. XLIX. cap. IV. Et alia quædam de Severo suppeditabunt Gennadius, ac Honorius, in Scriptoribus Ecclesiasticis, Ado in Chronicis, item Baronius Tom. V. Annal. ad an. CCCCXXXI. In eo tamen à Baronio dissentio, quòd Gennadium parùm caotè vocat Severi æqualem, cùm Gennadius post Severum floruerit annis plus minus LXX. Nam dicavit librum suum de Fide, (ut ipse ait) Gelasio Papæ, qui demum Episcopus Romanus factus est anno CCCCXCII. Valde autem Sulpicii sanctimoniam commendat, quòd in Romano Martyrologio ejus memoria celebretur ad IV. Kal. Februarias.

CAROLI SIGONII
IN SACRAM HISTORIAM
B. SULPICII SEVERI
COMMENTARIUS.

Quanta ad omnem humanæ vitæ usum solere veteris memoriæ pertractatio suppeditet adjumenta, nemo omnium præclarius, ac verius meo judicio docuit, quàm Gregorius Nazianzenus, homo non tam sanctitatis, quàm doctrinæ, atque eloquentiæ singularis, cum dixit: Historiam coacervatam esse sapientiam, hominumque multorum mentem in unum collectam. *Etenim, si diligenter attendere voluerimus, facile intelligemus, qui superiorum hominum consilia, actaque, mente, animoque suo comprehensa habuerit, eum præclaram quandam rerum, actionumque humanarum, quibus nihil esse potest inconstantius, artem doctrinamque nullo negotio confecturum; quam quidem, quoniam ferme fit, ut res similes ex similibus oriantur, si ad consilia de rebus suis aut privatis, aut publicis capienda contulerit, profecto prudenter, ac summa ratione, ut convenit, omnia dispensabit. Quare si tantam ad laudem fructumque sapientiæ colligendum opportunitatem veterum affert annalium comprehensio, temporumque præteritorum agnitio, nimirum danda homini præcipue opera est, qui potissimum ad cultum sapientiæ natus est, ut huic disciplinæ se in primis addicat, sive suis, sive aliorum consulere actionibus velit. Ceterum ut in plerisque aliis rebus instituendis, sic in jaciendis præclari hujus operis fundamentis nescio quo modo pravæ cujusdam consuetudinis æstu abrepti vehementer erramus, ab iis ferme lustrandis monumentis exordientes, quæ falsorum deorum traditiones, & commentitias fictorum heroum actiones à Græcis, acutissimis hominibus, sed plane veritatis ignaris, proditas complectuntur; quibus neque ad aliquem prudentiæ usum, neque ad ullum pietatis fructum excolimur; cum, si quid in nobis sensus, ne dicam sanitatis, inesset, ab iis potius, quæ sacris continentur Hebræorum literis, initium ducere deberemus. Nam si prima rerum principia quærimus, non altius repetere, quam ab ipso mundi, hominumque, quod ibi tractatur, opificio possumus; si vera, nihil tam verum existit, quam quod Dei ipsius viventis ore prolatum est; si gravia, quid magnificentius iis inveniri monumentis potest, in quibus sancta Dei mandata, salutaria promissa, certa oracula, ceteraque his adnexa salutis nostræ adminicula concluduntur? porro autem unde aut virtutum exempla præstantiora ad persequendum, aut vitiorum detestationes acriores ad declinandum, aut actiones insigniores ad memorandum, quam ab ipsis Hebræorum peti commentariis possunt: in quibus solis aperte docetur, quantum humanum genus aut religione colenda summo præsentis Dei auxilio sublevetur, aut eâ negligendâ acri ejusdem iracundia conteratur? Hæc autem historia quoniam in sacris Bibliorum monumentis longo voluminum multorum sermone contexta multos à sui cognitione, non sine maximo ipsorum detrimento deterret, ob id B. Severus Sulpicius, Bituricensis Episcopus, homo ut sanctus, sic disertus in primis, & eruditus, huic olim occurrere incommodo cupiens, eandem ita literis consignavit, ut simul & brevitati orationis, & plenitudini cognitionis servierit, eos credo imitatus, qui ante se profanas quoque historias in breviaria non sine summa laude industriæ redegerunt. Quare si quis antiquitatis cognoscendæ cupidus hos sibi libros ab initio legendos proposuerit, næ ille multo sibi melius consuluerit, quam, si Diodorum sequutus à Cælo, aut Dæmogorgone, & Saturno, reliquisque his continentibus Deorum fabulis orsus fuerit. Quo inde cognito, si Gentilium præterea ingenio, ac doctrinâ præstantium scripta, actaque subinde adjunxerit, facile demum ad eum, quem Gregorius significavit, doctrinæ, atque humanæ sapientiæ gradum, initio à vero Deo suscepto, pervenerit, ac summo, præcipuoque ipsius Dei præcepto simul optemperaverit, qui ita mandavit:* Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Non declines à verbis hujus ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quæ agis. *Quamobrem hortor omnes, qui se aut sacris, aut profanis studiis dediderunt, adolescentes, ut Severum hunc eo animo legant, ut plurimum se non tam in prudentiæ, quam in religionis, & innocentiæ studio profecturos esse confidant; addo etiam Latinæ eloquentiæ, quam ille tanta cum industria coluit, ut Sallustianam dictionem nobis magna ex parte expresserit. Hos autem adeo uberes, ac multiplices fructus ut omnes percipere commodius possent, ego dedi operam ut uberioribus commentariis res tam graves, ac tam insignes, indicatis potissimum, unde haustæ illæ essent, fontibus, explicarem. Quæ quantæ utilitatis, atque amplitudinis sint, placet argumento totius hujus historiæ proponendo breviter edocere. Argumentum autem erit duplex, unum, quo exterior vis verborum, alterum, quo intimum eorum mysterium explanabitur. Quanquam enim nos hoc loco nudam tantùm actionum, institutorumque Judaicorum explicationem cursim tradere profitemur, fit tamen nescio quo modo, ut dum gravissima Dei, ac salutis nostræ mysteria præterimus, vix continere nos possimus, quin occultiora etiam arcana sæpe insistentes introspiciamus, eaque, quoniam is summus hujus lectionis est fructus, ceteris, saltem intento ad rem digito, accuratius contemplanda monstremus.*

Historiæ igitur hujus summa est hujusmodi. In principio Deus sex dierum spacio condidit universa. Sexto virum creatum, atque Adæ nomine insignitum in Paradiso constituit, ac fœminam de illius latere sumptam ei adjunxit; cui vir Evæ nomen imposuit. His creatis præcipue mandavit, ut de ceteris Paradisi arboribus, præterquam de pomo scientiæ boni, & mali, comederent. Id si fecissent, eos salvos fore, sin minus, mortem oppetituros esse. Quod præceptum illi à diabolo, humani generis

hoste,

hoste, decepti turpissime violarunt, atque ita de Paradiso depulsi, morteque damnati, se, ac posteros suos omnes in perpetuum perdiderunt. Procreati inde ab eis filii, atque nepotes terras complevere. Cum autem Deum fœdis flagitiis, ac libidinibus offendissent, ille universale terris diluvium intulit, quo genus humanum universum extinxit, præter virum justum Noe, qui solus cum uxore, & tribus filiis, ac uxoribus in arcam ingressus evasit. His conservatis succrevere iterum homines, verum rursus mutis simulachris adorandis Deum læsere. Tunc Deus Abrahæ, homini Hebræo, Mesopotamiam incolenti mandavit, ut cum familia sua in terram Chananæam, quæ ad Jordanem amnem sita, post Judæa est dicta, contenderet, atque ei multiplicem ex semine suo progeniem, Christumque ex ea auctorem salutis humanæ, & firmam semini ejus terræ Chananææ possessionem promisit. In ea terra Abraham hospes genuit Isaac; Isaac vero Jacob: Jacob autem, qui & Israel dictus est, filios duodecim, unde post Tribus duodecim prodierunt, quæ ab ipso Jacob nomen Israëlitarum invenerunt. Isaaci vero, & Jacob Deus promissa ipsa facta Abrahæ confirmavit. Fame inde urgente Jacob in Ægyptum se contulit, ubi Joseph filius magna apud Regem auctoritate, & gratia erat; atque ibi per aliquot annos in summa rerum prosperitate vixit. Post autem cum mortuo Jacob & Josepho novus Rex Ægyptius Israëlitas, quorum jam numerus adoleverat, acerba servitute ad infirmandas suspectas eorum opes constringeret, tum Moyses Jacobi abnepos à Deo monitus surrexit, atque ope divina populum illum occulte ex Ægypto eduxit. Cum autem terram Chananæam veterem patriam sibi a Deo promissam jussu Dei repeteret, per vastam Arabiæ solitudinem iter instituit; in qua quadraginta annos populum continens, legem à Deo accepit, eamque populo tradidit. Mortuo interea Moyse, Josue Navefilius ducatum Israëlitarum excepit, atque eos demum in terram Chananæam perduxit, populisque, qui obstabant, extinctis, eam juxta Dei promissa tenuit, ac XII. Tribubus Israëlitarum distribuit. Constituta inde Republica Hebræi primum Judicibus, deinde Regibus paruerunt. Reges fuere Saul, David, qui sedem in Urbe Hierusalem, & Salomon, qui ibidem templum Dei constituit; quo vita functo, regnum in duas partes divisum est, quarum unam explevere duæ Tribus Judæ, ac Benjamin; alteram decem aliæ, atque illud Regnum Judæ, hoc communi nomine Israël appellatum. Uterque populus à Dei cultu & lege accepta, sed maxime Israëlitarum, defecit. Quare Deus Prophetas multos, qui denunciandis calamitatibus eos ab suscepta simulachrorum impietate revocarent, immisit. Sed nihil profecit. Quo factum est, ut permissu ejus subacti Israëlitæ in Assyriam à Salmanassare Rege, Judæi vero post pariter victi urbe, temploque everso in Babyloniam à Rege Nabuchodonosore traducti sint. Inde post septuaginta annos in patrium solum Cyri Regis Persarum concessu regressi, templum, legem, ac denique urbem restituerunt; nec multis post annis Republica intestinis discordiis laborante, ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege rursus oppressi, & ad sacra Gentilium suscipienda compulsi, mox virtute Assamonæorum libertatem, & religionem pristinam receperunt, regiamque dignitatem iterum usurparunt; quoad domesticis rursus seditionibus conflictati, primò Romanis, deinde Herodi Regi alienigenæ paruerunt. Quo regnante Deus Christum jampridem à se promissum ex Abrahami, & Davidis semine oriturum ad Mundi conservationem immisit. Hæc summa hujus historiæ est. Occultum vero mysterium est hujusmodi. Deus, qui propter bonitatem suam cuncta creavit, simul etiam creavit Adam ad imaginem, & similitudinem suam, dominumque omnium rerum, quas ipse in terra creaverat, fecit. Ceterum invidiâ diaboli, & Adæ inobedientiâ peccatum in Mundum intravit, & per peccatum mors: omnesque homines in Adam, & per Adam peccati labem contraxerunt. Deus vero misericordiâ non minus, quam justitiâ præditus, Christum Jesum Salvatorem, Abrahæ, & reliquis patribus promisit, qui credentes à morte, & tyrannide diaboli liberaret, cui omnes subjecti fuerant per Adam. Dum autem promissa salus expectabatur, legem dedit, qua homines peccatum cognoscerent, ut Christi adventum ardentius exoptarent, qui se peccatorum vinculis expediret, atque interim per Prophetas eundem venturum, & pro hominibus moriturum sæpe denunciavit. Postremo Christus missus est eo tempore, quo Deus ipse apud se constituerat, nempe eo, quo abundabat omnis iniquitas. Ille vero verus agnus, & vera hostia homines Patri, pœnas peccatis eorum debitas in Cruce persolvendo, conciliavit, ille à servitute diaboli liberavit, ille homines Dei filios adoptavit, ille demum in patriam cœlestem, Chananæa promissione significatam, induxit. Hæc autem nobis tradita sunt in sacris libris. Quorum alii veteris, alii novi Testamenti sunt. Veteris appellant, quæ ante Christi adventum; Novi, quæ post ejus adventum memoriæ literarum sunt consecrata. Veteris sunt Genesis, qui liber continet res à creatione Mundi usque ad mortem Joseph filii Jacob, id est, omnia, quæ de Adam, Noe, Abraam, Isaac, Jacob, & Joseph tradita sunt. Exodus, qui à morte Joseph, & ab exitu Israëlitarum ex Ægypto usque ad id tempus, quo ad montem Sinai in solitudine pervenerunt, nempe quomodo mare Rubrum transierint, & à Deo per Moysem legem ipsam acceperint; & tabernaculum, atque arcam Dei exponit. Leviticus, in quo de Ritibus sacrorum, Sacerdotumque præcipitur. Numeri, in quo Levitarum, ac Sacerdotum ministeria, atque officia demonstratur. Deuteronomium, in quo lex iterum, ac latius traditur, & reliquum itineris usque ad Jordanem exponitur. Atque hi quinque libri Pentateuchi nomine appellantur, & à Moyse scripti esse putantur. Sextus inde liber est Josue, in quo narratur, qua pacto Josue trajecto Jordane in terram Chananæam Israëlitas adduxerit. In septimo, qui Judices dicitur, refertur, ut Republica instituta, Israëlitæ in Chananæa Judices sibi constituerint, qui populo jus dicerent, neque enim Regem tum habere voluerunt, cum Deum solum Regem existimarent, & ut sæpe à Deo aversi in manus hostium suorum conjecti sint. In octava agitur de Ruth uxore avi Davidis Regis, quæ à Moabitis ad Israëlitas accessit. Nonus Reges Judæorum, & Israëlitarum continet, & res gestas, & calamitates eorum, quousque uterque populus in Assyriam, & Babyloniam est abductus. Paralipomena, quæ sequuntur, eandem narrationem repetunt, verum Regum Judæ tantum, non Israël. Græci vero putantes, quæ præcipue omissa in Regibus fuerant, ibi suppleri; eum librum Paralipomena, quasi prætermissa, vocarunt. Eum sequitur liber Danielis, qui quamquam inter Prophetas refertur, tamen historice quoque ea persequitur, quæ Judæi in captivitate annorum septuaginta perpessi sunt. Danieli adjungitur Esdras, qui facta Judæorum refert, postquam permissu Cyri Regis patrias sedes repetiverunt, ac templum, legem, & urbem renovarunt. Inde Nehemias, qui narrat, ut ipse ope Artaxerxis Regis urbem Hierosolymorum excisam à Babyloniis excitarit. Ad eadem vero tempora pertinent etiam mulierum Judæarum historiæ Hester, & Judith, quæ quibus Regibus annectendæ sint, merito & quæsitum est à doctis viris, & adhuc, ut tum maxime, quæritur.

Ultimi sunt libri duo Maccabæorum, qui res gestas Assamonæorum pro libertate Judæorum contra Reges Syriæ complectuntur.

Novi vero Testamenti sunt quatuor Evangelia, quæ Christi ortum, vitam, prædicationem, mortem, resurrectionem, & in Cœlum ascensionem enunciant. Item Actus Apostolorum à S. Luca scripti, qui actiones, & prædicationes Apostolorum, præcipue SS. Petri, & Pauli post missionem Spiritus Sancti usque ad carceres S. Pauli exponunt. Atque hi quidem sacræ historiarum sunt libri. Sunt præterea multi Prophetæ, qui non tam futura prænunciarunt, quam præterita retulerunt, ut Jonas, Isaias, Ezechiel, Hieremias, & de quo diximus, Daniel, quos ad hanc contexendam historiam Sulpicius quoque adhibuit. Ceterum libri illi Veteris Testamenti, hi Novi nomine nuncupantur, quod ut in illis Deus testatus est, se daturum omnia bona terrena Israelitis legi suæ parentibus, sic in his Christus testatus est, se largiturum omnes cœlestes Beatitudines non solum Israelitis, sed etiam ceteris omnibus, qui verbis suis fidem habuissent, eaque servassent; atque illi quidem figuras Christi, & Regni Cœlestis, hi vero Christum ipsum, & Regna Cœlestia tradiderunt. Atque hæc quidem Proœmii loco à nobis præmissa sint. Nunc ad expositionem accedamus, verbis S. Augustini usurpatis: Conjungar illis Domine in te, & delecter cum eis in te, qui veritate tua pascuntur in latitudine Charitatis, & accedamus simul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem tuam per voluntatem famuli tui, cujus ea calamo dispensasti.

B. SUL-



B. SULPICII
SEVERI (1)
SACRÆ HISTORIÆ
LIBER PRIMUS.



Es à Mundi exordio (*a*) facris literis editas breviter constringere, & cum distinctione temporum usque ad nostram memoriam (2) carptim dicere aggressus sum: multis id à me studiosè efflagitantibus, qui Divina, compendiosa lectione cognoscere properabant. Quorum ego voluntatem secutus, (3) non peperci labori meo, (4) quin ea, quæ permultis voluminibus (5) perscripta continebantur, duobus libellis concluderem: ita brevitati studens, ut penè nihil gestis subduxerim.

Visum autem (*b*) mihi est non absurdum, cum usque ad Christi Crucem, Apostolorumque Actus per sacram Historiam cucurrissem, etiam post gesta convertere: (6) Excidium Hierosolymæ, vexationesque populi Christiani, (7) & mox pacis tempora, ac rursum Ecclesiarum intestinis (8) periculis turbata omnia locuturus.

Cete-

(a) Sulpicius scripturus sacram Historiam, exordium de more præmittit, in quo paucis proponit, quid scribere aggrediatur, quomodo, & qua de caussa. *Res* enim cum inquit, præcipuè significat, quæcunque in iis libris continentur, qui veteris Testamenti nomine appellantur. Sunt autem successiones gentium, & regum in terra Chananæa, leges, sacra, bella, ac calamitates eorum populorum, unde genus traxit, quod ad carnem pertinet, Christus. *A Mundi* autem *exordio*, quod dixit, nimirum significavit, se neque à Troja capta, neque ab urbe Roma condita, aut incensa, quod gentiles fecere, narrationis exordium esse facturum, sed a primo tempore, quo Deus creavit Cælum, & Terram. Quod autem, *Breviter*, dixit, nimirum intelligi voluit, se eventa rerum solummodo perstrictorum, adjuncta verò earum præteriturum; quod verò, *Carptim*, profectò innuit, se non singulas res eodem modo persecuturum, sed quæ memoratu digniores visæ fuerint, selecturum. Sic enim dixit quoque Sallustius, cujus ipse fuit studiosus: *Statui res gestas populi Romani carptim, ut quæque memoriâ digna videbantur, perscribere*. *Cum distinctione* autem *temporum* dixit, quia ætates singulorum, & regnorum series, Regumque annos ostendet; idque *usque ad suam memoriam*, id est, usque ad Consulatum primum Stiliconis, imperante Honorio, qui in annum Christi quadringentesimum incidit; nempe, ut ipse supputat, anno ab orbe condito quinquies millesimo octingentesimo nonodecimo. Caussam inde scriptionis adjungit, cum se se *voluntate eorum adduci* inquit, qui sacræ Historiæ compendium cognoscere student, majore, credo, Bibliorum mole deterriti. Addit inde, quid perfecerit, quippe magno labore, quæ multis diffusa voluminibus erant, duobus libellis inclusisse, tanta brevitate, ut nihil tamen de rerum integritate detraxerit; *multa* verò *volumina* intelligit, non solum sacra

Bi-

Ceterum illud (1) non pigebit fateri, me, sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora, continuandamque seriem, usum esse historicis ethnicis, (9) atque ex his, quæ ad supplementum cognitionis deerant, usurpasse, ut & imperitos docerem, & literatos convincerem.

Verumtamen ea, (d) quæ de sacris voluminibus breviata digessimus, (10) non ita legentibus auctor accesserim, ut prætermissis illis, unde hæc derivata sunt, appetantur: nisi cum illa quis familiariter noverit, hìc cognoscat, quæ ibi legerit. Etenim universa divinarum rerum mysteria non nisi ex ipsis fontibus hauriri (11) queunt. Nunc initium narrandi faciam.

Muo-

Biblia, sed etiam Gentilium libros, & Judæorum, quos ad contexendam, & supplendam hanc usque ad Christum historiam advocavit. *Nihil* autem *gestis rebus subduxit*, quia rerum omnium eventa narravit, quamvis earum adjuncta siluerit, ut cum urbem aliquam deletam dixit, nihil rei gesto subduxit, quamvis neque quomodo capta, neque quo consilio, aut quo pacto deleta sit, docuit; quæ enim rem, aut antecedunt, aut consequuntur, adjuncta dicuntur.

(*b*) Quoniam sacra Historia, Vetere, & Novo Testamento comprehensa, morte Christi, & Actibus Apostolorum expletur, propterea monet, se ultra illud tempus narrationem etiam producturum, quod res cognitu præclaræ acciderint, ut excidium Hierosolymorum, Persecutiones Christianorum, & post partam pacem seditiones Ecclesiarum. *Vexationes* enim *populi Christiani* vocat decem Persecutiones, quibus Romani Imperatores Christianos vexarunt. *Pacis tempora* intelligit, quæ inceperunt regnante Constantino, qui primus Imperator Christianus libertatem Christi colendi omnibus dedit. Cum autem inquit, *rursus Ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia*, hæreses excitatas significat, Arrianam, & Priscillianistarum; has enim præcipuè persequetur.

(*c*) Historia Hebræorum usque ad Transmigrationem in Babyloniam, continuata temporum serie in Bibliis scripta est: inde deficientibus Annalibus intercumpitur; neque enim extant Commentarii, qui tempora captivitatis explanent; & post reparatam a Neemia urbem multa usque ad Seleucum Syriæ Regem desiderantur; expleta verò Maccabæorum narratione, quæ Joanne Hyrcano Rege concluditur, cetera usque ad Christum à Bibliis absunt, & à Josepho mutuanda sunt; neque verò Evangelia nisi trium ferme annorum historiam tradiderunt. Quare in his angustiis positus Sulpicius fatetur, se usum esse historiis gentilium in dispensandis temporibus per Reges Persicos, Syriacos, & Romanos; idque ut imperitos temporum edoceret; peritos autem, sed alner annos ab Orbe condito subducentes auctoritate gentilium confutaret, rectè; historiæ enim lumen est dispositio temporum.

(*d*) Monet denum, ne quis sacris Bibliis prætermissis, hos libros legat, sed postquam ea pervolutarit, hos demum adeat, & inde cognitionem, hinc recognitionem potius, quam cognitionem aliquam petat. Nam mysteria rerum divinarum ejusmodi esse, ut nisi ex ipsis fontibus hauriri non possint; quibus verbis significat, in ipsis Hebraicæ historiæ verbis secretius aliquid contineri diversum ab eo, quod literis nuncietur; quod quoniam ipse non patefecit, propterea ex fonte ipso esse petendum. Unusquisque verò intelliget, qui non unquam Fautor Manichæus se geret, qui, ut inquit S. Augustinus, *oculis clausis nihil se in literis illis invenisse dixit, quod ad prænunciationem Christi pertineret. Quid autem mirum*, inquit, *si oculos habet ad legendum, & cor ad intelligendum non habet, qui positus ante ostium clausum divini secreti, non fide pronatis pulsat, sed electione impietatis insultat.*

(1) Est tamen qui appellet: *Sulpicii Severi Chronicon*. Gennadius quoque hanc Historiam significat, quum ait: *composuit & Chronica*, idest, τὰ Χρονικά. Author is, qui disputationes Athanasii cum Ario in Latinum convertit: *Sed si illud recolat, quod in Chronica sua b. m. Sulpicius Severus posuit dicens: duo Arii, tamquam duo serpentes, ex uno ore sibilabant* &c. Porrò autem præcedentium nominum prius prænomen esse videtur, & posterius nomen proprium. Sic enim certe dicitur Sulpicius Severus, ut Septimius Tertullianus, Aurelius Prudentius, Decimus Ausonius, Sulpicius Pius, Aurelius Augustinus &c. Quamquam in Gennadio legitur: *Severus cognomento Sulpicius*.

(2) Infra libro II. *Omne tempus in Stilichonem Consulem direxi*. Ergo ad annum fere CCCC. Conss. Fl. Stilicone, & Fl. Aureliano, Imperatore Honorio.

Est autem locutio elegans *ad nostram memoriam*, pro *ad nostra tempora*. Cicero Orat. pro Font. *nostrâ memoriâ*: & pro Corn. *Superiori memoriâ*: & in Vat. *in omni memoriâ*. Nepos Themist. *Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt*. Sed & vocabula conjungunt. Cicero Or. in Rull. *Perlongo intervallo prope memoriæ temporumque nostrorum*.

(3) Optimè. Ita dicunt, *consilium*, *sententiam*, *auctoritatem alicujus sequi*.

(4) Et hoc optimè. Terentius Hec. II. c. *Meo labori haud parcens, præter æquum atque ætatem meam*.

(5) *Volumen* pro libro. Nepos præf. *Plura persequi magnitudo voluminis prohibet*. Idem Att. *Volumen, quo magistratus ornavit*

(6 Manifestum hic mendum est: pro quo Giselinus legendum putat *convellere*.

(7) De persecutoribus decem cruentissimis loquitur, quibus Romani Imperatores Christianum nomen delere aggressi sunt. Utitur vocabulo in speciem molliore. Quamquam ex consuetudine illorum, qui castigatissimè Augusteo ævo locuti sunt. Ita Cicero IV. Catil. dixit: *se vexationes Virginum Vestalium perhorrescere*.

Ita vocat, quod vulgò persecutiones dicunt; vocabulo satis apto ac commodo. Nam, ut Asconius docet, *Vexare ingentis calamitatis usum significat*. Et passim Auctores id verbi jungunt talibus, quæ ingentem calamitatem utique significant, scribuntque *vexare & perdere*, *diripere & vexare*, *populari & vexare*, *vexare & spoliare*.

(8) Arrianam, & Priscillianam hæresim innuit, quæ ingenti motu Ecclesias, & ipsum Imperium concusserunt. Nam ceteræ, quarum catalogum Sanctus Epiphanius texit, multo frequentesque ante Arrium, & Priscillianum, intra unam alteramque Provinciam se continuerunt, paucosque ex Episcopis sectatores habuerunt, nedum ut se Orthodoxis opponere, & eos cum Republica opprimere auderent.

(9) Infra cap. XIV. lib. II. *historicos mundiales* vocat. Latinitas Auctoris non inelegans est, & ad Latinitatem antiquiorum proximè accedit. Ceterùm dum res sacras, quæ Hebraicâ ac Græcâ linguis perscriptæ sunt, tractavit, facere non potuit, quin Hebraismos ac Græcismos orationi suæ subinde immisceret. Iis quippe Ecclesia tum temporis jam adsueverat. Quòd igitur historicos istos, qui veri cultus divini expertes fuerunt, *ethnicos* vocat, id ad Hebraismos referendum est. Nimirum quia vox Hebræa גוים notione duplici usurpata fuit, ut tum gentes cujuscunque generis, tum eas, quæ veri cultus divini expertes essent, significaret, atque ita modò latiùs, modò strictiùs usurparetur, factum est, ut Græca quoque vox ἔθνη, cùm propriè cujuscunque generis gentem significaret, primùm ab Interpretibus veteris, deinde ab Auctoribus novi Test. strictiùs usurparetur, significaretque eas gentes, quæ veri cultus divini expertes essent. Quâ de re, & in parte I. nostri de Hebraismis N. T. Commentarii pag. 43. egimus. Sed non primitivum ἔθνη tantùm, sed & derivatum ἐθνικός duplici notione usurpatum est; ut non tantùm significaret id, quod ad gentem pertinet, sed & quod ad eam gentem pertinet, quæ veri cultûs divini est expers. Deinde civitate quoque Latinâ vox donata est, dictique *historici ethnici*, quos dixi. Ipsæ quoque voces Latinæ *gentes* & *gentiles* diversâ notione sunt usurpatæ. Quâ de re infra ad cap. XLIX., & alibi.

(10) Verbo *breviare* & Quinctilianus usus est. An & antiquiores usi sint, dubium est. Composito verbo *abbreviare* usus est Vegetius. Utroque verò & interpres antiquus sacrarum literarum.

(11) Sigonius Authorem nostrum de Hebraicis fontibus loqui putat: *Significat*, inquit, *in ipsis Hebraicæ historiæ verbis, secretius aliquid contineri, diversum ab eo, quod literis nuncietur*. Sed aberrat à mente Authoris, qui Lectorem non ad Hebraicos fontes re-

mit-

Mundus à Domino (e) constitutus est, abhinc annos jam pænè sex millia, (12) sicut processu voluminis (13) illius digeremus: quanquam inter se parum consentiant, qui rationem temporum investigatam ediderunt. Quod cùm vel Dei nutu, vel vitio vetustatis evenit, calumniâ carere debebit.

Mundo autem condito, (f) homo factus est: viro Adam, mulieri Eva nomen fuit. Sed con-

A D A M.

(e) Qui sacram Historiam subtiliùs sibi tractandam susceperunt, ferme illius tempora in sex ætates distribuerunt, unam ab Adam usque ad Noë, alteram à Noë usque ad Abraham, tertiam ab Abraham usque ad Davidem, quartam a Davide usque ad transmigrationem Judæorum in Babyloniam, quintam a captivitate ad Christum, sextam à Christo ad Mundi finem. Hæc est igitur prima ætas, de qua sic S. Augustinus in libro de Genesi contra Manichæos: *Video per totum textum Divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in septima speretur requies; & easdem sex ætates habere similitudinem illorum sex dierum, in quibus ea facta sunt, quæ Deum fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei, quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius universi seculi; quod tanquam unum hominem pro portione magnitudinis suæ cogitare debemus, quia unusquisque homo cùm primò nascitur, & exit in lucem, primam ætatem agit in infantia: hæc tenditur ab Adam usque ad Noë, generationibus decem; quasi vespera hujus diei sit diluvium, quia & infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur.* Continet autem prima ætas ea supputatione Græcorum, idest, LXX. Interpretum, quos sequitur Sulpicius, bis mille ducentos quadraginta duos annos, in quibus Mundus initio est constitutus, Homo creatus, & ornatus, Adam Dei mandatis neglectis morte damnatus, Cain Abel fratrem occidit, ac posteri Seth illicitis commistionibus initis, Deo præcipuè offenso, diluvio perditi sunt universi præter unum virum justum Noë, unde secunda ætas est propagata. Quod autem dixit Sulpicius: *Mundum à Domino constitutum*, opera quinque dierum expressit; quæ illic primis verbis comprehensa post latiùs exprimuntur: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*; magis autem propriè loquutus esset, si & ipse: *Mundum à Deo constitutum* dixisset, quam à *Domino*. Nam Deus respicit creationem, Dominus imperium in res creatas, & Legem; nunc verò de creatione agitur, in aliis verò locis utraque vox sine discrimine usurpatur. Quod autem inquit, *abhinc annos penè sex millia*, rectè dixit, siquidem ex supputatione ejus colligebantur tum anni quinquies mille octingenti novemdecim. Moneo tamen, apud Sulpicium numeros sæpissime contra rectum Latinæ linguæ usum efferri, ut hoc loco, *annos sex millia*, cum mos Latinus ferat, ut aut *annos sexies mille*, aut *annorum sex millia* scribatur; id autem videri non Sulpicii vitio factum, sed librariorum, qui quos numeros ille notis expressit, explicare verbis volentes, perperam ediderunt. Ea verò si corrigere omnia voluerimus, ne nos laborem laboriorem, quam qui nostri est instituti, suscepisse videbimur. Addit inde *parum inter se consentire, qui rationem temporum investigatam ediderunt*; quibus verbis excusat se, si a ceteris in annorum summa dissentiat; nam Scriptores variis inter se sententiis dissidere. Hujus autem varietatis aliæ in aliis temporibus caussæ sunt, sed in prima, & secunda ætate, Hebræorum, Græcorumque dissensio præcipuam differentiam peperit; nam Hebræi primæ ætati annos mille sexcentos quinquaginta sex tribuunt, Græci verò, idest, septuaginta Interpretes, annos bis mille trecentos quadraginta duos; id verò vel Dei nutu evênit, ut inquit Sulpicius, qui nobis hanc veritatem prodere noluit, vel vetustatis vitio, per quam aliquot in libros menda irrepserint. S. Augustinus, cùm hanc discrepantiam cerneret, haud confiteri erubuit libro XV. *de Civitate Dei*, se hujus rei rationem nescire. Diversitas autem est hæc inter Hebræos, & Græcos.

Adam anno 130.	genuit Seth	Græci 230.
Seth anno 105.	genuit Enos	Græci 205.
Enos anno 90.	genuit Cainan	Græci 190.
Cainan anno 70.	genuit Malaleel	Græci 170.
Malaleel anno 65.	genuit Jared	Græci 165.
Jared anno 162.	genuit Enoch	Græci 162.
Enoch anno 65.	genuit Mathusalem	Græci 165.
Mathusalem anno 187.	genuit Lamech	Græci 187.
Lamech anno 182.	genuit Noe	Græci 188.

Hic anno sexcentesimo Arcam propter diluvium inivit.

(f) Hæc est insignis creatio hominis. Deus enim ceteris animantibus ante creatis, illum sexto demum die, & creavit, & amplis muneribus decoravit. Sic enim primo capite Genesis: *Creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & feminam, benedixitque illis; & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*; & capite II. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*; & post: *Immisit Deus soporem in Adam, cùmque obdormivisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam, & dedit ei in uxorem.* Item: *Deus Adam in paradiso voluptatis, quem plantaverat, posuit, dicens, ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Tum porrò subjecit: *sed conjuges in paradiso cum interdictam sibi arborem degustassent, in nostram, velut exules, terram ejecti sunt.* Peccatum exponit, quod commisit Adam, & pœnam, qua ipse cum universo genere humano à Deo mulctatus est, ut summis bonis spoliatus extrema mala sit consequutus; neque enim solum à paradiso ejectus est, sed etiam mortalis corpore, & anima factus est, siquidem peccatum occidit animam, ne Deum videre possit. Fortasse autem quæratur, quis paradisus iste fuerit, & quis hominem ad mandata Dei violanda impulerit. Longæ sunt ad respondendum ambages. Afferam verba S. Augustini, quibus rei hujus difficultas exponitur. Is in libro de Genesi sic inquit: *De paradiso tres sunt sententiæ: una eorum, qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt; altera eorum, qui spiritaliter tantùm; tertia eorum, qui utroque modo; quam mihi fateor placere sententiam; narratio enim in Genesi non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico Canticorum, sed omnino gestarum est, sicut in Regnorum libris, & hujusmodi ceteris. Sed quia illic ea dicuntur, quæ humanæ vitæ usus notissimus habet, non difficile, imo promptissime primitus accipiuntur ad literam, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significaverint, exsculpatur.* Ceterum ea aliis plerique in Chaldæa falsò paradisum existimarunt. Sanctus autem Joannes Chrysostomus putavit, post diluvium locum hunc ita esse obscuratum, ut in hominum ignorationem inciderit. Adam autem ad pomum interdictum gustandum ab uxore inductus est, quam serpens, idest diabolus, humani generis hostis deceperat, dicens: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus,* quod

mittit: sed vel ad LXX. Interpretum Græcam, vel ad Latinam Versionem ex ea exceptam, & in Occidente obtinentem. Nam quia ea illâ Sulpicius rivulos suos deduxerat, hinc fontem illam appellat.

Fontes vocat libros sacros veteris Test. non linguis Hebræâ & Græcâ scriptos, sed in Latinam aut quamcumque aliam versos. Alibi *origines* appellat, ut infra cap. XI. *Si quis studiosior erit, ad origines revertatur.*

(12) Pro *abhinc annos jam penè sexies mille*, aut *abhinc annorum jam penè sex millia*. Sic Interpres antiquus Jud. VIII. 10. *Quindecim millia viri remanserunt*. Quod ad ipsum numerum, quem collegit, attinet, secutus est interpretes Græcos, qui primos homines tùm, cùm genuerunt, multò plures annos natos fuisse prodiderunt, quam ipsi codices Hebræi. Secundùm hos quidem anni modò quater mille trecenti, & paullò amplius colligi possunt.

(13) Ammianus initio operis *processu temporis*. Pro quo Plinius uterque *procedente tempore*.

constituti in paradiso, (14) cùm interdictam sibi arborem degustassent, in nostram, velut exules, terram ejecti sunt. (15)

Deinde ex his Cain, (g) atque Abel nascuntur. Sed Cain impius fratrem interemit. Filium Enoch habuit, à quo primùm Civitas condita est, (16) auctoris nomine vocitata. Ex hoc Irad,

quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii scientes bonum, & malum. Quare mulier comedit, & dedit viro suo, qui comedit; deinde rogata à Deo, cur comedisset, respondit: Serpens decepit me. Caeterum, ut S. Augustinus scribit in libro de Salutaribus Documentis: *Diabolus est Angelus per superbiam separatus à Deo, qui à semetipso deceptus, nos decipere festinat; nam cùm primum hominem Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum videret pudicitia ornatum, temperantia compositum, caritate circumdatum, immortalitate vestitum, æmulus, atque invidus, tantam beatitudinem hominem terrenum accepisse, quam ipse, dum esset Angelus, per superbiam cognoscitur amisisse, invidit statim insatiabilis homicida primo parenti nostro, nos, nostrosque parentes tamis, & talibus bonis expoliavit, insuper & peremit.* Item de Civitate Dei libro tertiodecimo capite secundo: *Postquam superbus ille Angelus, ac per hoc invidus, per eandem superbiam à Deo ad semetipsum conversus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus, eligens, de spiritali paradiso cum sociis occidit, qui ex Angelis Dei Angeli ejus effecti sunt, male suasa versutia in hominis sensum serpere affectavit. Cui utique stanti quoniam ipse ceciderat, invidebat, colubrum in paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo, & fœmina animalia etiam terrestria cetera subdita, & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit; eoque tanquam instrumento abutens fallaciam sermocinatus est fœminæ.* Hæc ille. Hinc ergo omnium humani generis calamitatum initium; nam emisit Deus Adam è paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Neque hoc solum, sed ut scripsit S. Paulus quinto ad Romanos: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Morti autem animæ Deus se consulturum per Christum statim post peccatum Adæ significavit, inquiens conversus ad serpentem mulieris seductorem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*, idest, ut mystici interpretantur, Christus è Virgine natus conteret caput diaboli, ipse verò extremos quosqua tantùm disperdet; atque ita hæc est prima Christi à Deo mittendi promissio, qui hominibus propter peccatum morte damnatis salutem afferat; atque, ut dicit S. Paulus, mortem eorum moriendo everttat, ad quem unum, tanquam ad finem, omnes partes hujus Historiæ referuntur, ut postea loco suo ostendetur.

(g) Hæc est cædes Abelis à fratre Cain perpetrata, quod secundum in terris fuit hominum scelus. Ceterum plures filios genuit Adam, sed nominantur tantùm primi duo Cain, & Abel; de quibus sic Scriptura: *Cain agricola, Abel pastor ovium fuit. Cùmque Cain munera Deo de terræ fructibus obtulisset, Abel verò de primogenitis gregis sui, Deus Cain munera non respexit, Abel verò respexit.* Quare accensus Cain Abel fratri suo vitam eripuit; ac propterea Deus illi coram se adesse jusso maledixit. Satis autem constat, placere Theologis, justum sanguinem ipsius Abelis typum esse justi sanguinis, quem Christus effusurus erat pro nobis. Idem autem Cain *filium Enoch habuit, à quo primùm Civitas condita est, auctoris nomine vocitata.* Excepto Abel duos quoque nominat Scriptura Adæ filios, Cain, & Seth, qui post necem Abel à patre genitus est, ut impiorum, piorumque progeniem proderet; itaque stirpem utriusque commemorat, ut, quemadmodum Christus ex piis hominum genere ortus sit, doceat; cujus rei hoc loco placet summam breviter informare. Duo fuere filii Adæ, Cain, & Seth; progeniem Cain, ut quæ à Deo desciverit, & falsos Deos, ac sacra asciverit, Scriptura in longum admodum non producit. Seth verò usque ad Christum perducit. Cæterum post Seth decimus fuit Noe, homo justus; hic tres filios habuit Sem, Cham, & Japhet. Ex Sem pii homines procreati, idest, qui in Dei cognitione manserunt; ex ceteris, ii qui se ad falsa numina contulerunt. Posteri Sem Hebræi sunt dicti. Ex semine Sem decimus fuit Thara, qui tres filios habuit, Abraham, Nachor, & Aram; solus Abraham verum Deum coluit, reliquis ad simulachra veneranda traductis. Abrahæ filii fuere Ismael, & Isaac; Isaaci verò, Esau, & Jacob; eadem ratione progenies Isaac, & Jacob veri Dei cultum retinuit; Ismaelis verò, & Esau ferme falsorum Deorum ascivit. Jacob item duodecim filios suscepit, & Joseph filius ejus duos; unde Tribus, ac populus Israelitarum est propagatus, lege à Deo, & multis aliis beneficiis decoratus. Ex his decem Tribus ad cultum simulachrorum, relicta Dei lege, translatæ sunt; sola Tribus Judæ, & Benjamin ei adjuncta cum Levitis in vetere disciplina permansit; unde populus ipse Judæi sunt appellati, quia Tribus Judæ genus ducebat à Juda filio Jacob, nepote Abrahami; cujus stirpem Scriptura propterea usque ad extremum est persecuta; ut ortum Christi, à quibus secundùm carnem manasset, ostenderet. Nominat ergo hoc loco stirpem Cain, & ait Cain genuisse Enoch, & condidisse urbem, quam à nomine filii Enoch appellarit. Fallitur autem Sulpicius, qui urbem ab Enoch conditam prodit; cùm à Cain condita, sed nomine Enoch insignita sit; sic enim Genesis capite IV. consentientibus Hebræis, & Græcis: *Cognovit Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Enoch, & ædificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Enoch.* Quæsitum est autem antiquitus, quomodo Cain condere urbem potuerit, cùm adhuc in terris tantùm essent viri tres Adam, Cain, & Enoch. Respondet Sanctus Augustinus in libris *de Civitate Dei*, Moysem non omnes homines, qui tunc esse potuerunt, nominasse, sed eos solos, per quorum successionem generationibus ab uno homine propagatis ad Abraham perveniret, ac deinde ex ejus semine ad populum Dei; addit etiam, cùm prima illa ætate diutissimè viverent, nasci per tam multos annos plurimos homines potuisse, quorum cœtibus condi possent etiam plurimæ Civitates; cùm enim plures spatium nongentorum annorum transirent, adeò per unius hominis ætatem multiplicari genus humanum potuisse, ut esset, unde non una, sed plures Civitates construerentur, neque Cain nomen Civitati statim imposuisse, sed postquam ejus familia ita crevit, ut haberet populi multitudinem. Posteritas verò Cain fuit hæc, Enoch, Irad, Maviahel, Mathusala, Lamech, qui exemplo Atavi sui Cain cædem in terra fecit, ut ipse Genesis IV. testatur, his verbis: *Audite vocem meam uxores Lamech. Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Rectè. Gravius enim peccavit Lamech, quam Cain, quia Cain exemplum non habuit, quo à cæde patranda deterreretur, at Lamech exemplo Cain debuit revocari. *Mysterium* autem, de quo loquitur Sulpicius, fuit, ut peccatum Lamech, idest, omnium hominum, effusione Sanguinis Christi lueretur. Hoc enim tota hæc historia, ut dixi, refertur. Porrò autem cum addit, (*Adam post necem filii minoris Seth filium procreavit, cum jam tricesimum & ducentesimum annum ætatis explesset.*) sequitur supputationem Septuaginta Interpretum; nam ita habent: *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium Seth. Et factum est omne tempus, quo vixit Adam, anni CMXXX., & mortuus est.* Seth verò Hebraicè est resurrectio, quia in eo suscitatum est semen justum, quod est stirps filiorum Dei, ut Theologi produnt.

(14) Vocabulo *paradisus* Interpres quoque Latinus usus fuerat; & ante hunc ipsi Græci. Textus Hebr. habet גן. quæ vox significat *hortum*. Et hanc Interpretes voce παράδεισος expresserunt. Quæ quidem vox origine Persica est, ut peculiari Diatriba aliquando ostendimus.

(15) Scitè, & loquitur Sulpicius ex illorum sententia, qui inter Veteres Paradisum primorum Parentum, extra nostrum orbem situm crediderunt. Ceterum quo loci sita fuerit prima sedes primorum Parentum, ita variant Eruditorum sententiæ, ut nihil certi possit adduci.

Veterum quidam hortum, in quo Adam & Eva primitùs constituti fuerunt, extra nostrum orbem fuisse crediderunt. Inter quos & nostrum fuisse apparet.

(16) Atqui non à filio, sed à patre Caino, urbs structa, ut Moyses habet. Hæc urbs sita fuit in regione Nod. Illa ad Orientem Paradisi. Haud dubiè verò, & aliæ tum urbes conditæ (Pseudo Philo septem

Irad, atque ex eo Maüiaël nascitur. Hic Mathusalam (17) filium habuit, isque Lamech genuit, à quo juvenis quidam occisus traditur, nec tamen nomen refertur occisi: quod quidem futuro mysterio fuisse præmissum à prudentibus æstimatur. Igitur Adam, post necem filii minoris, Seth filium procreavit, cùm jam tricesimum & ducentesimum annum (18) ætatis implêsset. Vixit autem annos DCCCCXXX. (19)

Seth verò Enos, (20) Enos Cainan, (*h*) Cainan Malaleel, Malaleel Jared, Jared Enoch genuit: qui ob justitiam translatus à Deo traditur. (21) Hujus filius Mathusala dictus est, qui Lamech genuit, ex quo Noë natus, (*) justitiâ egregius, & præ ceteris mortalibus Domino carus acceptusque.

Qua tempestate (*i*) cùm jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus Cœlum sedes erat, (22) speciosarum formâ Virginum capti, (23) illicitas cupiditates adpetierunt: ac naturæ suæ originisque

(*h*) Nunc persequitur alteram progeniem, nempe ipsius Seth usque ad Noë, ut hominum justorum, unde Christus originem est ducturus; nominantur autem non semper primogeniti, sed ii, per quos ordo succedentium stirpium possit contexi, in quorum Familiis Dei promissiones hæserent; teste est S. Augustinus de Civitate Dei lib. XV. Hæc est autem successio illa, quam supra cum suis annis exposui. In utraque autem progenie est Enoch, quorum ille ntbi nomen dedit, hic (*translatus est propter justitiam à Deo.*) Sic enim capite V. *Et ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et S. Paulus capite XI. ad Hebræos: *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Item in stirpe posterorum Seth est Mathusela, & Lamech, ut etiam fuerunt in illa Cain. Hic est autem Mathusala, qui vixit annos CMLXII., idest, atque ad annum diluvii, ut Hebræi produnt; nam septuaginta Interpretes post diluvium XIV. annos mortem ejus producunt; quæ res quæstionem maximam, teste S. Augustino, attulit; cùm post diluvium Noë solus cum familia conservatus sit. De Noë verò sic Genesi capite VI. *Noë vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.*

(*i*) Alia flagitia hominum adjicit, quibus offensus Deus diluvium inferre decrevit. Peccavit enim Adam de arbore interdicta gustando, peccavit filius ejus Cain fratri Abel vitam eripiendo, peccavit abnepos ejus Lamech juvenem quendam occidendo, denique peccarunt ex altera stirpe justi homines, connubia cum filiabus injustorum hominum celebrando. Quare Deus cùm improbitatis humanæ mira facta incrementa vidisset, genus humanum delere, aut certe renovare decrevit. Hoc autem totum expressum est his verbis Genesi capite VI. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod pulchræ essent, acceperunt sibi uxores, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in hominibus his, quia caro sunt; eruntque dies illius centum viginti annorum.* Ceterùm (*filios Dei*) alii interpretati sunt Angelos, & (*filias hominum*) fœminas, quos sequitur Sulpicius, alii illos homines justos, progeniem Seth, hos injustos ex progenie Cain, quorum illi secundùm Deum viverent, hi secundùm hominem. Hanc quæstionem tractavit S. Augustinus libro XV. cap. VIII., & XXIII. de Civitate Dei. Porrò autem, cùm addit, (*Ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur*) expressit illa verba: *Gigantes erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Quæ verba, ut inquit S. Augustinus, satis indicant, jam illis diebus fuisse Gigantes super terram, quando filii Dei acceperunt uxores filias hominum, sed & postquam hoc factum est, nati sunt Gigantes. Quod autem ait, (*his rebus offensum Deum, maximèque malitia hominum, quæ ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decrevisse,*) ibi sic expressum est: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus; Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ.*

ptem meminit) quarum in sacris Scripturis nulla præterea mentio. A profanis una adhuc, *Joppe*, nominatur ante diluvium condita, ut Plinius, Mela, & Solinus tradunt.

Auctoris παρόραμα. Non enim à filio, sed à patre Caino urbem conditam, & nomine filii vocitatam, Moses prodidit.

(17) *Mathusael* ei nomen fuit. Et dubito, an pro ipsius auctoris errore habendum hoc sit. Nam ipsa quoque versio Latina vetus habet *Mathusaël*. Sit potius error librariorum, quibus Mathusala notior fuit, quàm Mathusael.

(18) Ita versio Græca LXX. Interpretum, quam vocant. At textus Hebræus, itemque versio vetus Latina, habet, Adamum tùm, cùm Setham genuit, centum & triginta annos natum fuisse.

(19) Præter testimonia hujus longævitatis, quæ apud Josephum extant, etiam Varro ex historiis notavit, antiquos ad mille annos vixitasse: sed male ipse pro annis accepit menses, in quo nihil esset mirandum. Vide Lactantium Instit. libro II. 13.

(20) Hujus ævo idololatriam cœpisse Judæi passim autumant ex capite IV. 26. Geneseos, quod ita interpretantur: *tunc cœptum est profanare invocando nomen Domini.* De idololatria ante diluvium, vide quæ dicta sunt ad Rempublicam Hebræorum.

(21) Samaritanus: *Accepit eum Angelus ejus.* Onkelos: *Non occidit eum Deus*, idest non passus est mori. Jonathan: *Sublatus fuit, & ascendit in Cœlum ex mandato coram Domino.* Arabs ad Hebræos: *Translatus est in Paradisum.* Josephus: *Translatus est ad Deum.*

(*) Mox *justitiâ egregius* dicitur Noe. In quibus vox *justitia* non id, quod vulgò ſ.let, idest, virtutem, quæ ad suum cuique tribuendum prompti sumus, significat; sed omnem pietatem. Estque hoc inter auctoris nostri Hebraismos habendum; quibus, ut jam dictum, ex versionibus sacræ Scripturæ Ecclesia jam adsueverat. Hebræa quidem vox צדקה tum illud, quod vox Latina *justitia* vulgò, tum quoque omne illud, quod ad pietatem & sanctam vitam pertinet, significat: Porrò voce *translatus* alludere videtur ad vocem Græcam μετετέθη, quâ Auctor epist. ad Hebr. cap. XI. usus est.

(22) Vetus opinio Judæorum, quam & plurimi veterum Christianorum & Doctorum Ecclesiæ amplexi fuerunt, Angelos è cœlo delapsos rem habuisse cum fœminis. Sed & Angelorum illorum quædam certis nominibus insigniuntur à Rabbinis. Textus Hebræus habet בני אלהים, quod interpretes Græci verterunt υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, & Latinus similiter *filii Dei*. Sed vertendum potius *filii magnatum*; & quod sequitur בנות האדם, id vertendum non, ut Græci & Latinus interpretes habent, θυγατέρες τῶν ἀνθρώπων, *filiæ hominum*; sed, *filiæ plebejorum*. Observare licet, vocem אדם, si voci איש opponatur, non cujuscunque generis hominem aut homines, sed *hominem plebejum* significare. Exemplum Ps. XLIX., גם בני אדם גם בני איש יחד עשיר ואביון: *Et filii plebejorum, & filii illustrium, seu magnatum, simul dives & pauper.* Quia igitur constat, vocem אלהים ideoque significare *principes & magnates*; eique opponitur vox אדם; quidni statuamus, בנות האדם hic dici *filias plebejorum*, & בני האלהים *filios magnatum*?

(23) De hac Sulpicii Severi sententia, quæ nonnullorum etiam Veterum fuit, jam dictum est ad librum primum Sigonianæ Hebræorum Reipublicæ annotatione IV., quam videre poteris.

nisque degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt. Hi paullatim mores noxios conserentes, humanam corrupère progeniem, ex quorum coitu Gigantes (24) editi esse dicuntur, cùm diversæ inter se naturæ permixtio monstra gigneret. Quibus rebus offensus Deus, maximèque malitiâ hominum, quæ ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decreverat.

Sed Noë, (*k*) virum justum, (25) vita innocens destinatæ exemit sententiæ. Idem admonitus à Domino, diluvium terris imminere Arcam, immensæ magnitudinis ex lignis contexuit: ac bitumine illitam, (26) impenetrabilem aquis reddidit, qua ille cum uxore, ac filiis tribus, & totidem nuribus est clausus: volucrum etiam paria, itidemque diversi generis bestiarum, eodem claustro recepta; reliqua omnia diluvio absumpta. Igitur Noë, cùm jam imbrem destitisse, ac quieto in salo Arcam circumferri, intelligeret, ratus id, quod erat, aquas decedere, corvum primùm explorandæ rei gratiâ, eôque non revertente (ut ego conjicio, cadaveribus (27) detento) emisit columbam: quæ cùm consistendi locum non reperisset, reversa est. Rursum remissa, (28) folium olivæ retulit: (29) manifestum indicium, nudari cacumina arborum; tertiò demum emissa, non rediit: unde animadversum, aquas destitisse. Ita Noë Arcam egressus est. Id gestum à Mundi exordio, post annos, ut ego comperio, II CC duos & quadraginta. (30)

Ac primùm Noë aram Domino statuit, (*l*) hostiasque ex volucribus immolavit. (31) Mox à Do-

(*k*) Erat ex stirpe Seth, idest, hominum justorum, solus Noë justus. Itaque, ut ibi scriptum est, *invenit gratiam coram Deo, vir enim justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*; unde S. Paulus cap. XI. ad Hebræos: *Fide Noë responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit Arcam in salutem domus suæ*. Conservaturus autem Deus ipsum Noe propter justitiam ejus, rationem universalis evadendæ cladis edocuit, inquiens: *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam; te enim vidi justum coram me in generatione hac*. Et fecit Noe omnia, quæ mandaverat illi Deus. Hac autem Arca præfiguratum item esse Christum venturum multis verbis docuit S. Augustinus libro XV. de Civitate Dei, capite XXVI. mysticam verò magnitudinem ejus tradidit libro XII. contra Faustum. Bitumen est Asphaltus in his locis jam tum copiosa; unde lacus Asphalti, in quem se Jordanes effundit. Cùm autem ait (*Volucrum etiam paria, itidemque diversi generis bestiarum eodem claustro recepta; reliqua omnia diluvio absumpta:*) nimis anguste Scripturæ sententiam reddidit. Nam omisit, ut Deus aquas de Cœlo per dies quadraginta, totidemque noctes effuderit; inde enim sequitur: *Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram*. Itaque cùm adjicit, (*igitur Noë, cum jam imbrem destitisse, ac quieto in salo Arcam circumferri intelligeret*,) non apparet, quis sit hic imber, quem destitisse ait: quia supra non nominavit. Imbrem autem destitisse sic in Genesi scriptum est, *reversæ sunt aquæ euntes de terra, & redeuntes, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies; requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniæ*. Quod autem inquit de corvo, (*ut ego conjicio*) idcirco dixit, quia nihil tale in Genesi reperit, sed naturam avis cadavera consectantis respexit; sic est autem ibi: *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram Arcæ, dimisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ; emisit quoque columbam post eum, ut videret, si jam cessassent aquæ super terram, quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in Arcam*. De columba verò iterum emissa inde ita pergitur: *Rursum dimisit columbam; at illa venit ad eum portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Post septem dies emisit eandem, quæ non est reversa ad eum. Intellexit ergo Noe, quòd cessassent aquæ super terram*. Ex his apparet Sulpicium ex ingenio illa verba supplesse. (*Manifestum indicium, nudari cacumina arborum.*) Supputatis inde temporibus addit (*id gestum à Mundi exordio post annos* (*ut ego comperio*) *II. & CCXLII.*) loquens, ut dixi, juxta supputationem LXX. Interpretum. Atque hæc prima humani generis ætas fuit; quæ propter impietatem a Deo extincta, humanum genus in uno Noe, qui est Christi Salvatoris venturi typus, est renovatum.

NOE.

(*l*) Hæc est secunda hominum ætas, de qua sic S. Augustinus: *Incipit mane temporibus Noë secunda ætas, tanquam pueritia, & tenditur hæc ætas usque ad Abraham aliis generationibus decem, & bene comparatur secundo diei, quo factum est firmamentum inter aquam, & aquam, quia & Arca, in qua erat Noë cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores, in quibus natabat, & superiores, quibus compluebatur. Hujus vespera est confusio linguarum in eis, qui turrim ædificabant. Sed nec ista ætas secunda generavit populum Dei, quia nec pueritia apta est* ad

(24) Eâ voce interpretes Græci vocem Hebræam נפילים expresserunt: eandemque Latinus retinuerat.

(25) Vox *justus* aliâ notione hic usurpata, quàm Latini solent. Quemadmodum enim paullò ante *justitia* pietatem & sanctimoniam, ita *justus* nunc pietate & sanctimoniâ præditum significat; idque rursus per Hebraismum, & exemplo vocabuli Hebræi צדק, quod homonymum est, pluresque significationes habet.

(26) Haud dubiè Arca in Babylonia, vel vicinis locis structa, ubi bituminis magna copia, quo etiam ad struendam turrim usi sunt. Josephus in aliam provinciam, procul ab impiis, Noe vult secessisse, & ibidem Arcam struxisse. Quod non videtur, quum impiorum opera tam vastam molem struxisse oportuerit.

(27) S. Augustinus: *Quæritur utrum corvus mortuus fuerit, an aliquo modo vivere potuerit? Si enim fuit terra, ubi requiesceret, similiter columba requiem invenisset. Unde conjicitur quod cadaveri potuit corvus insidere, quod naturaliter refugit columba*. In eandem sententiam plures alii post Sanctum Doctorem iverunt.

(28) Rectè Sigonius, Gisellinus ac Drusius conjecerunt, legendum esse *rursum emissa*. Etsi enim, quod Hornius monet, Sulpicius dicat, *rursum reversus*, & id genus alia alii; hic tamen *remissa* locum non habet. In aliis *rursus* plane παρέλκει, & vox ei addita tantumdem significare sola potest. Ut quod Svetonius in Cæs. dicit *rursum repetita Bithynia*, pro eo, voce *rursus* planè omissâ, dici posset *repetita Bithynia*; at pro *rursum remissa* non posset dici *remissa*; neque enim *remissa* potest idem esse, quod *rursum emissa*. At *emittendi* notio hic planè necessaria. Nec tantùm verbum *emisit* antecesserat, sed & mox sequitur, *tertiò demum emissa*.

(29) Idem S. Augustinus de Doctrina Christiana libro II. c. 16. *Oleæ ramusculo, quem rediens ad Arcam columba pertulit, significatur pax perpetua. Nam novimus & olei lenem attactum non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter*: Et Prudentius:

Nuncia diluvii jam decrescentis ad Arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus
Hæserat; illa datæ revehit nova gaudia pacis.

(30) Sequitur rursus Interpretes Græcos, qui his, qui ante diluvium universale genuerunt, multò plures annos tribuunt, quam textus authenticus, & Interpres item Latinus. Cùm enim textus authenticus Adamum tùm, cùm Sethum genuit, annos modò CXXX. natum fuisse dicat, versio Græca eidem CCXXX. tribuit: parique modo in ceteris numerum multo majorem facit. Ceterùm secundùm textum authenticum dicendum erat, gestum id fuisse à Mundi exordio post annos MDLVIII.

(31) Non ex volucribus tantùm, sed & ex ceteris animantibus mundis, Gen. VIII. 20.

à Domino cum filiis benedicitur: (32) præceptumque accepit, ne sanguine vesceretur, (33) aut sanguinem hominis effunderet: (34) quia mundi primordia, mandati istius liber, (35) Cain maculaverat.

Igitur vacuo tùm seculo, (36) ex filiis Noë Sem fuit. Tres enim habuit, (*m*) Sem, Cham, Japhet. (37) Sed Cham, quòd sopitum vino patrem riserat, maledictum à patre meruit. (38)

Hujus filius, Chus nomine, Nembrod gigantem (39) genuit: à quo Babylon Civitas constructa (40) traditur. (*n*) Pleraque etiam oppida, eâ tempestate condita, memorantur, quæ nomi-

ad generandum. Hæc ille. Complectitur autem hæc ætas, ut Noë aram Deo statuerit, sacrificium ex animantibus fecerit, præceptum à Deo de cibis immundis, & cæde humana vitanda cum benedictione acceperit, vite sata ebrius factus à filio Cham irrisus sit; ut posteri ejus diversas terras occupaturi gloriæ caussa turrim Cœlo æqualem extruere aggressi sint; quod opus Deus linguarum diversitate immissa impediverit: unde mox populorum divisio, & terrarum occupatio consecuta sit. De ara verò, & sacrificio Noë, sic capite VIII. Genesis: *Ædificavit Noë Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super Altare*. De præcepto verò cum benedictione à Deo accepto, capite IX. *Benedixitque Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad Noe: Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Quicunque autem effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Quod autem addit de suo Sulpicius, (*quia Mundi primordia mandati istius liber Cain maculaverat*,) significat, leviorem ejus pœnam fuisse, quia legem nullam, quæ cædem prohiberet, habuerit; ut enim plus peccavit Lamech, quàm Cain, quod exemplo revocari à nece debuit, sic posteri Noe gravissimo scelere se obstringent, si quid tale fecerint, quia lege prohibebuntur.

(*m*) Ut Adæ, sic Noë progeniem ex Genesi prodit, qua ad Abrahamum populi Deo dilecti auctorem pervenire possit. Sic enim est capite IX. *Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de Arca, Sem, Cham, & Japheth, à quibus disseminatum est omne genus humanum super universam terram*. Multa verò interim prætermisit, quæ ad historiam pertinentia sunt in Genesi. Quippe *cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum, inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foras. At verò Sem, & Japheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui; evigilans autem Noe, cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*. Erat autem Chanaan, teste quoque S. Augustino libro XVI. capite I. de Civitate Dei, filius Cham. Hinc factum quidam putant, ut posteri Cham nullam notitiam Dei habuerint, reliqui verò à patre eruditi Dei veri cognitionem adepti sint. Inter quos Lactantius præcipuè fuit. Quod de filiis Sem, qui in Chaldæam transierunt, verius esse opinor: unde Hebræi, quibus Deus notus fuit, fluxerunt.

(*n*) Quod fecit Sulpicius in Adam, idem etiam in Noë debuit præstare, ut duplicem utriusque posteritatem afferret, idest, justorum, & injustorum; ex verò ex Genesi cap. X. fuerunt tales, justorum quidem Sem, Arphaxad, Cainan, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare; injustorum verò, Cham, Chus, Nembrod, pertinent autem ad ea, quæ sequuntur. Quæ breviter, atque obscurè in libris Genesis prodita sunt, ea in majores orationis angustias à Severo redacta multo majoribus tenebris involuta sunt. Etenim tandem ad eum locum ventum est, quo veteres Hebræorum, de quibus dicendum erit, origines aperire oportet, quod nos facere pro virili conabimur. Post diluvium, cum Arca in montibus Armeniæ con-

(32) Quoniam verbo *benedico* Interpretes junxerunt accusativum, fecerunt deinde & passivum, *benedicor*, hujusque participium *benedictus*. At analogia requirit, ut verbo huic jungatur dativus; quomodo fecit Cicero, cùm in Orat. pro Sestio dixit: *Cui benedixit unquam bono?* Valla lib. I. cap. X. hoc de verbo ait: *Benedictus non invenio, quia nec Benedico invenitur: licet eo Priscianus utatur, & hoc tempore utamur more Græcorum, quorum auctoritate dedimus huic verbo accusativum præter naturam suam, cum postulet dativum, sicut Maledico: quod & ipsum nunc ad imitationem Græcorum habet etiam aliquando accusativum*. Et rectè sanè judicat, imitatione Græcorum verbo illi accusativum jungi. Græcum autem, ad quod alluditur, est εὐλογεῖν. Cujus exemplo aliam quoque significationem, *laudandi* nota, recepit. Qua de re Vossius in libro de vitiis Lat. sermonis: *Benedicere pro laudare, in Theologis ferendum. Benedictus pro laudatus. Quippe est Hebraismus. Sed classicos qui sequi Scriptores volet, eos hac parte nequeat imitari*.

(33) Creditur ante diluvium jus quidem homini in animalia fuisse, ut lacte, lana, & mortuorum suo lato exuviis uteretur; non ut in cibum ea verteret: quod jus antiquissimum etiam quædam gentes post diluvium servarunt, teste S. Hieronymo libro II. adversus Jovinianum.

(34) Pro *interficeret aliquem*, Hebraismus. Hebræi dicunt שפך דם האדם *effundere sanguinem hominis*: quâ de phrasi, & geminâ ei Græcâ, egimus in c. XXXVIII Comment. de Hebraismis N. T. Aliis Auctoribus *fundere, effundere, profundere sanguinem*, non est *interficere*, sed *interfici*. Curtius lib. VIII. *Militant vobiscum: pro imperio vestro sanguinem fundunt*. Et lib. X. *Nox de Regno Asiæ, sed de Rege ipsius sanguinem fundendum esse*. Virgil. lib. VII. Æn. *Quem magis effusa crudescunt sanguine pugnæ*. Cicero Orat. pro Cluent. *sanguinem pro patria profundere*.

(35) Ita quidem, ut de homine non occidendo lex nondum esset promulgata. Ceterùm lex homini insita fuit naturâ. *Liber mandati*, constructio rarior. Vulgo dicunt *liber aliquâ re*, & *ab aliquâ re*. Plautus tamen in Amphit. habet: *liber harum rerum*; & Horatius l. de A. poet. *Laborum liber*.

(36) *Seculum* pro *mundo* rursus per Hebraismum. Quem tamen noster non primus usurpavit; sed ex versione Latinâ sacrarum literarum, quomodo & alii, eum hausit. Hebræis עולם & *tempus*, & *mundum*, significat. Cùm ergo voces, Græca αἰὼν, & Latina *seculum* priori significatione cum Hebræâ congruerent, factum est, ut eædem & posteriorem receperint: quâ de re egimus p. 39. & seqq. parte I. de Hebraismis N. T.

(37) Opinio quorumdam est, maximum natu fuisse Japhet, minimum Cham, & inter hos medium Sem, qui tamen Gen. V. 32. & X. 1. primo loco recensetur. Respondent hoc fieri propter dignitatem eorum, qui ab ipso descenderunt. Firmant hanc opinionem tribus sacræ Scripturæ locis. Primus est Geneseos X. 21.; alter Geneseos IX. 24.; & tertius XI. 10.: qui tamen loci ab aliis aliter exponuntur. Vide Interpretes.

(38) *Mereri* hic *accipiendi*, *consequendi* notione positum videtur: ut sæpè fit apud Scriptores ejus ævi. S. Ambrosius lib. de Fide Resurr. *Etiam ipsa post usum vota fastidio sunt, & quæ mereri optavimus, cum meruerimus, abdicamus*. Sed & antiquiores, Plautum, Terentium, Ciceronem sic vocabulo usos, existimat Cl. Gronovius. Vide c. VII. Observationum ejus in Script. Eccl.

(39) Appellationis ejus origo ex versione Græcâ, quæ de Nimrodo sic habet: οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. Voce γίγας autem verterunt illi Hebræam גבור, quæ *potentem* significat. Hesychius: Γίγας, δυνάστης, ἰσχυρός.

(40) Quidam Babylonis conditorem Ninum faciunt, quem cum Nembrod confundunt. Sed repugnant tempora. Vixit enim certè Ninus diu post Nembrod. Fortè conditam a Nembrod Ninus postea reparavit. Orosius libro secundo cap. VII. *Babyloniam à Nembrod giganta fundatam, à Nino, vel Semiramide reparatam, multi prodidere*. Græcorum fabulas, qui Babylonis structuram Semiramidi adscribunt, benè refutat ex Beroso Josephus contra Appionem, ex Philone Byblio, & Dorotheo Sidonio. Quia x

multis

nominatim persequi animus non fuit. Sed cùm multiplicaretur humanum genus, diversaque loca atque insulas mortales haberent, (41) unâ tantùm omnes linguâ utebantur: (42) donec se in unum, dispergenda per totum orbem, (43) multitudo contraxit. His more humani ingenii con-

constitisset, Noe, ac filii ejus Sem, Cham, & Japheth in Oriente habitarunt; ea verò regio fuit illis citra Tigrim magna ex parte post Assyria nominata. Ex filiis ejus, Sem genuit biennio post diluvium Arphaxad, qui transisse Tigrim dicitur, & Chaldæam, regionem, teste S. Hieronymo, obtinuisse. Qui verò cum Arphaxad transivere (fuisse autem filii, & nepotes ejus videntur) Hebræi dicti sunt, idest, ulteriores; quòd ultra Tigrim flumen Occidentem versus venissent. Heber enim est ultra. Unde scriptum est capite X. Genesis: *Sem pater fuit omnium filiorum Heber*, idest, omnium Hebræorum, sive omnium, qui ultra flumen venerant. Inde posteri quoque Cham, & Japheth alias petere terras decreverunt, cùmque in Chaldæam tempore Heber concessissent, & campum Chaldæum Sennaar tenuissent, antequam inde abirent, auctore Nembrod Cham nepote, gloriæ caussa urbem cum turri, quæ Cœlum attingeret, condere voluerunt. *Erat autem terra unius*, ut inquit Scriptura, *labii*, idest, una tantum lingua omnes utebantur, quam ab Adam acceperant. Deus igitur eorum temeritatem ulturus linguarum varietatem immisit, ita ut alter alterum intelligere non posset; itaque cùm ex gloria confusionem nacti fuissent, quæ Babel dicitur, & turris, & urbs, & regio inde Babel, Babylonis, & Babyloniæ nomen invenit. Heber autem nepos Arphaxad, quia expers consilii ædificandæ turris fuerat, veterem linguam, ut docti putant, retinuit, atque hæc lingua fuit Hebræa, nempe qua Hebræi ex posteritate Sem usi sunt. Nam S. Augustinus in libris de Civitate Dei, ab ipso demum Heber Hebræos dictos affirmat. Inde divisis inter se terris Heber in Chaldæa, ad Tigrim in Oriente remansit, Japheth verò, sive posteri ejus, Occidentem tenuit; Cham autem, quæ inter hæc media sunt. Quoniam autem, dum hæc divisio fieret, Heber filium genuit, propterea ab ipsa divisione illum Phaleg appellavit, atque hæc quidem Scriptura docuit Genesis capite XI. *Erat*, inquit, *terra labii unius, & sermonum eorundem, cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo; dixitque alter ad proximum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos; habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento, & dixerunt: Venite, faciamus nobis Civitatem, ac Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Descendit autem Dominus, ut videret Civitatem & Turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui, atque ita divisit Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare Civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ; & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Confusio autem linguarum facta est anno Heber XXXIV., idest, post diluvium anno centesimo primo; siquidem confusionem linguarum statim ipsa est terrarum divisio consequuta: unde scriptum est capite X. *Natique sunt Heber filii duo, nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra*. Hinc XIII. capite Abraham, qui fuit sextus post Heber, Hebræus dicitur. Cum autem inquit (*diversaque loca, atque insulas mortales haberent*) intelligit eos, qui post Noe Assyriam, & Orientem cis Tigrim versùs Occidentem habitarunt, cùm Arphaxad, & posteri ejus in Chaldæam transissent, & ultra Tigrim venissent versùs Occidentem. Posteri verò Cham, & Japheth trajecto Tigri se posteris Arphaxad in campo Sennaar Chaldææ terræ adjunxerunt, ut diviso cum iis orbe, terras quisque suas occuparent, verùm antequam dividerentur, monumentum nominis sui in iis regionibus turrim relinquere voluerunt; sequuta verò linguarum varietate, eo properius in diversas partes abierunt, quod alter alteri peregrinus videretur. Quod autem addit (*sed filiis Noë ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japheth Occidentem, Cham medium contineretur*) hoc non est ita scriptum apud Genesim, sed apud Josephum: unde gentiles quoque orbem terrarum in tres partes veritate ipsa ducti distribuerunt. Inde hanc partem concludit, (*itaque usque Abraham ducta successio nihil sane insigne aut memorabile in se habuit.*) Hæc verò successio, de qua loquitur, fuit decem item patrum; in qua, ut in superiore, discrepant Græci cum Hebræis, non solum in annis, sed etiam, quod Cainam adjungunt, ab aliis prætermissum, hoc modo:

Hebræi:	Græci.
Sem an. 11. post diluvium genuit Arphaxad.	Sem an. 11. post diluvium genuit Arphaxad.
Arphaxad an. 35. genuit Sale.	Arphaxad an. 135. genuit Cainam.
Sale an. 30. genuit Heber.	Cainam an. 130. genuit Sale.
Heber an. 34. genuit Phaleg.	Sale an. 130. genuit Heber.
Phaleg an. 31. genuit Reu.	Heber an. 134. genuit Phaleg.
Reu an. 32. genuit Sarug.	Phaleg an. 130. genuit Reu.
Sarug an. 30. genuit Nachor.	Reu an. 132. genuit Sarug.
Nachor an. 29. genuit Thare.	Sarug an. 130. genuit Nachor.
Thare an. 130. genuit Abraham.	Nachor an. 79. genuit Thare.
Summa est annorum 453.	Thare an. 70. genuit Abraham.
	Summa annorum est 1072 de qua S. Augustinus lib. XVI. cap. X. de Civitate Dei.

Quod autem in hac successione, inquit (*nihil memorabile*) invenire, confirmatur ex eo, quod S. Augustinus cap. I. libri commemorati ait: *Non invenimus à Noè usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam, nisi quod Noë duos filios suos, Sem, & Japheth prophetica benedictione commendat, intuens, & prævidens, quod longe post fuerat futurum*. Ex his Sarug primus idola formasse dicitur, ut appareat, neque ab his veri cultum Dei penitus esse retentum.

multis Regibus aucta, teste Herodoto I., ideo à pluribus condita dicitur.

Gen. X. 10. *Fuit principium Regni ejus* (Nimrodi) *Babel, Erech, Accad, & Calne*. Inde noster collegit, Babylonem a Nimrodo & constructam esse. Ceterum per prolepsin scripta hæc sunt in Genesi. Nam in cap. XI. demum sequitur, quòd iidem, qui turrim, & urbem ædificare voluerint: eamque propter factam confusionem linguæ urbem ædificare destitissent, nomen huic inditum fuerit Babel. Turris instituti illorum pars præcipua fuit. A cujus ædificatione cùm desistere necesse haberent, simul & ab urbe condenda destiterunt. Fortasse igitur ipsius urbis, quod captum fuit, id Nimrodus perfecit.

(41) Synecdoche ista, quod *mortales* idem est quod *homines*, usitatissima est Sallustio. Sed habent tamen & alii elegantiores. Ipse Nepos Conone, *accidit huic quod ceteris mortalibus*. Hebræi synecdoche plane contrariâ utuntur, cum hominem חי dicunt: quæ vox propriè vivum seu viventem significat.

(42) Quænam fuerit illa lingua, qua omnes utebantur, Eruditi dissentiunt. Communior sententia vult, Hebræam fuisse, Theodoretus Syriacam, Philo Chaldaicam. Alii putant primitivam linguam nullibi puram extare, sed reliquias ejus esse in omnibus linguis.

Quæ non alia esse potest, quàm Hebræa; ut peculiari diatribâ aliquando ostendimus.

(43) Participio in *Dus* Auctor sæpè de tempore futuro utitur: & multa hujus exempla infra observabuntur. At alii Auctores participio isto, eâ quidem notione, rariùs utuntur. Unde Scioppius notat Stradam, quòd is scripsisset: *Orantius cum Augusto Saxone egit, non ducendam à se Annam Mauritii filiam*, pro *non ductum iri à se*: & in memoriam ei revocat, quod monuerit Alvarus, *participio passivo in Dus non tempus futurum, sed debitum officium aut necessitatem significari*. *Quod enim apud Cæsarem est lib. 2. B. Civ. Misericordia civium, quos interficiendos videbat, pro metus factum iri, fore ut interficerentur, id vero singulare, adeo diligenter loquenti, aut cavendum, aut saltem parcius imitandum esse, Viros elegantiæ Latinæ arbitros judicasse*. Vide pag. 95. Infam. Fam.

consilium fuit, (44) insigni aliquo opere famam quærere, priusquam à se invicem diducerentur. Ita turrim facere adgressi, (45) quæ cœlo accederet, nutu Dei, ut officia operantium præpedirentur, inadsueto sermonis genere, multa diverso, (46) neque ulli invicem intellecto, linguarum ritu (47) loquebantur: quò promiscuè dispersi sunt, cùm alter alterum velut alienigenam facilè relinquebat. (48) Sed filiis Noë ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japhet Occidentem, (49) Cham medius contineretur. Ita usque Abram ducta successio, (50) nihil sanè insigne aut memorabile in se habuit.

Abram autem patre Tharâ natus est, (*a*) post diluvium anno millesimo & septuagesimo. (51) Abram uxor Sara dicta est, primaque eis in regione Chaldæorum (52) habitatio fuit. Inde apud

A B R A H A M.

(*a*) Hæc est tertia ætas ab Abraham usque ad Davidem, de qua sic S. Augustinus: *Mane fit ab Abraham, & succedit ætas tertia similis adolescentiæ, & bene comparatur diei tertia, quo ab aquis terra separata est; quia ab hac gentium vanitate, & hujus seculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra, cum apparuit arida, idest, sitiens imbrem cœlestem divinorum mandatorum, qui populus unum Deum colendo tanquam irrigata terra, ut fructus utiles posset afferre, sanctas Scripturas, & prophetias accepit; hæc enim ætas potuit jam generare populum Deo, quia & tertia ætas, idest, adolescentia filios habere jam potest. Et ideo ad Abraham dictum est: Patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti, &c. Hæc ætas porrigitur ab Abraham usque ad David quatuordecim generationibus. Hujus vespera est in populi peccatis, quibus Divina mandata præteribant usque ad malitiam pessimi Regis Saul.* Continet autem Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, captivitatem Ægyptiam, res Moysis, Josue, Judicum, & Regis Saul. Multis autem mysteriis est memorabilis. Ab hoc enim tempore Deus semetipsum clarius hominibus patefecit, ac testificationes, & promissiones suas, quas post expletas vidimus in Christo, pandere cœpit; nã quidem aliquot fuere homines in prima ætate ex progenie Seth, sed ad extremum, cùm peccassent, præter unum Noë virum justum, extincti sunt omnes: nonnulli etiam fuere in secunda, ex progenie Sem; sed & hi, cùm defecissent a Deo, Deus sibi selegit ex eorum progenie virum pium Abraham ex semine Hebri natum, atque Hebræum; atque ei cum alia multa bona promisit, tum maxime ex ejus semine Christum oriturum, in quo omnes gentes benedicerentur, & terram Chananæam, melle, & lacte fluentem posteros ejus possessuros. Quare quæ posthæc dicentur, ferme omnia Jesum Christum venturum præfigurabunt. Res autem ita acta est. Cùm habitaret Thare jam inde post tempora Arphaxad in Chaldæa regione, & in Ur urbe tiftiles eos deos coleret, quorum simulacra Sarug avus induxerat; profectus est inde cum filio Abraham, & Loth nepote in Mesopotamiam, & sedes in urbe Charris posuit; illo defuncto Abraham a Deo monitus, & promissis ingentibus excitus cum Loth fratris filio, Eufrate trajecto, in terram Chanaam ultra Jordanem venit, atque ibi oppidum Sichem tenuit. Hæc ex Genesi capite XI. & XII. *Tulit*, inquit, *Thare Abraham filium suum, & Loth filium Aran filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaam, veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi, & facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.* Inde dixit Dominus ad Abram: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ generationes terræ, & egressus est Abram, & ivit cum eo Loth; septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran; tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederat, & animas, quas fecerat in Haran, & egressi sunt in terram Chanaam, cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, & usque ad convallem illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra.* Eadem scripta sunt Josue cap. XXIV. *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio Thare pater Abram, & Nachor, servieruntque diis alienis; tuli ego patrem vestrum Abram de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaam. Auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto.* Et sic in libro Judith. *Hæc progenies populi est Chaldæorum. Et antea habitaverunt in Mesopotamia, quia noluerunt sequi deos patrum suorum, & adoraverunt Deum Cœli, quem cognoverunt, & projecerunt eos à facie deorum suorum, & fugerunt in Mesopotamiam, & fuerunt ibi dies multos; dixitque illis Deus eorum, ut exirent de habitatione sua, & in terram Chanaam, & habitaverunt ibi.* Item S. Stephanus Actuum cap. VII. *Deus apparuit Abrahæ patri nostro, cùm esset in Mesopotamia, priùsquam* mora-

(44) Justinus lib. VI. *Mero ingenii humani; quò plura habent, eò ampliora cupientes. Consilium* pro proposito frequens: & ipsa phrasis quoque *consilium mihi est* pro *constitui*.

(45) Non turrim tantùm, sed & urbem; ut paulò ante jam monuimus.

(46) Pro *multum diverso*, accusativus plur. pro adverbio. Cicero l. VI. ep. 7. ad fam. *Cùm iratus esse omnibus, qui multa Deos venerati sunt contra ejus salutem.* Nepos Epam. cap. VI. *In oratione sua multa invectus esset in Thebanos*. Virgilius 5. Æn. *Multa gemens*; vide & Vechneri Hellenolex. p 99. & 100.

(47) Putat ergo, tot fuisse linguas, quot fuere homines: quod non est verisimile; neque ad præpediendum ejus ætatis hominum institutum necessarium fuit. Alii veterum putarunt, septuaginta aut amplius linguas tunc exortas fuisse, qui igitur linguarum tunc exortarum numerum multò minorem fecerunt, quam noster. At nec septuaginta exortas fuisse, est necesse. Ad præpediendum opus satis fuit, si una quædam familia usum linguæ Hebrææ retineret, ceterisque omnibus ejus oblivio induceretur. Deinde ceterarum familiarum uni linguæ Ægyptiacæ, alii Græcæ, alii Slavonicæ, & aliis aliarum usus daretur. Nam si una quædam familia linguam aliquam calleret, ceterarumque linguas non intelligeret, cum ceteris operas jungere nec potuit; solamque cœptum opus pertexere noluit. Quâ de re in Dissertat. de ling. omnium primâ, hujusque confusione, pluribus egimus.

(48) Non linguarum modò, sed & morum, & religionis secuta confusio. Hinc factum, quod quibusdam fœda barbaries placuit, colueruntque avia, horridaque situ & ingenio plagas. Alii mitiorem vitam sectati sunt. Cappadoces sine Rege vivere non poterant, alii in libertate summam felicitatem collocabant.

(49) Alii scribunt potius Septentrionem; nam tradunt Japheto cessisse omnia, quæ ad Septentrionem sunt, initio ducto a Media usque ad Hesperum Oceanum. Termini ejus apud Josephum: In Asia Taurus & Amanus montes usque ad Tanaim. In Europa Gades. Tenuit igitur totam Europam cum magna Asiæ parte.

(50) Paril. edit. *usque ad Abram*. Sed & *usque Abram* non malè. Ita enim Justinus, & alii vocula*m ad* sæpè omittunt. Justinus II. 5. 8. *usque tempora Janyri Regis*. Et II. 7. 7. *Prope usque interitum arcis dimicatum fuerat*.

(51) Rursus Interpretes Græcos sequitur, qui homines, qui proximè post diluvium vixerunt, tùm, cùm generarent, plurium annorum fuisse tradunt, quam textus Hebræus habet. Cùm enim hic dicat, Arphachsadum tùm, cum Selachum generaret, annorum triginta fuisse, Interpretes habent, eum fuisse annorum CXXXV. cum generaret Cainanum; atque ita non tantum annos multò plures Arphachsado tribuunt, sed & genealogiam uno homine ampliorem faciunt. Si autem textum authenticum sequi noster voluisset, aut potuisset, scribendum ei fuisset, *anno ducentesimo nonagesimo secundo*.

(52) Idest in Ur Chaldæorum, de qua nonnulla annotata sunt ad Rempublicam Hebræorum.

Secundum textum authenticum *in Ur Chaldæorum*; ut *Ur* sit nomen proprium. Atque ita ipsa quoque versio Latina vetus habet. Sed Auctor secutus rursus est Interpretes Græcos; aut versionem Latinam, quæ expressa esset ex Græcâ. Isti Interpretes habent, ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων Genes. XI. 28.

apud Charras (53) unà cum patre diversatus est. Qua tempestate admonitus à Domino, domum, patriam, ac patrem relinquens, adsumto Lot fratris filio, (54) in terram Chananæorum profectus, in loco, cui Sichem nomen est, (55) consedit.

Mox annonæ inopiâ Ægyptum concessit: (p) ac rursum reversus (56) Lot, præ multitudine familiæ à patruo digressus, ut laxioribus vacuæ tum regionis (57) spatiis uteretur, in Sodo-

moraretur in Charan; & dixit illi: Exi de terra tua, & de cognatione tua in terram, quam monstravero tibi; tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan; & inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua vos habitatis. Ex his hæc colliguntur ad intelligenda ea, quæ sequuntur, maximè necessaria, Tharam impium hominem fuisse, atque ex Chaldæa in Mesopotamiam trajecisse, Abraham filium ejus a Deo propter pietatem selectum esse, ut ex eo populum sibi dilectum propagaret, unde Christum salutem gentium gigneret, ac jussu ejus ex Chaldæa in Chananæam concessisse. Quòd autem Hebræi dixere *Haran*; septuaginta Interpretes, ut aspirationem Hebraicam exprimerent, vertêre *Charan*. Sunt autem Charræ urbs Mesopotamiæ post mortem Crassi Imperatoris Romani nobilis. Est porrò non omittendum, Scripturam non meminisse Nachor fratris Abrahæ, qui ex Chaldæa cum patre Thara transivit in Mesopotamiam, & Charris consedit, atque post discessum Abræ in Chanaan ibi mansit, credo, quod impius esset; itaque nepos ejus Laban idola coluit, quæ Rachel filia abstulit. Apud Sulpicium, cùm inquit, (*post diluvium anno millesimo septuagesimo*) retinendus est is numerus; nam post sæpe repetit: licet ad veritatem propensius legendum sit (*septuagesimo secundo*) ex ipsa supputatione Græcorum, & auctoritate S. Augustini, ut supra scripsimus. Item cùm scribitur, Abraham (*patrem*) Charris reliquisse, legendum est, *fratrem*. Nam Abraham patrem Tharam amisit, cùm esset Charris, & secum detulit mortuum in Chananæam, ut S. Stephanus dixit, Nachorem autem fratrem reliquit Charris, ut post apparebit. Terra porrò Chanaam fuit, quæ, ut dixi, post Judæa dicta est, citra Jordanem, si nostrum situm respiciamus, ultra, si illorum, urbs Sichem, quæ post in finibus Ephraim a Græcis Sicima nominata est. Ceterum omisit Sulpicius, quæ maximè pertinebant ad fructum ex hac Historia percipiendum; nempe promissa Dei facta Abrahæ, dixit enim: *Vade in terram, quam tibi monstravero. Faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentibus te, & maledicam maledicentibus te, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*; & postquam in Chananæam pervênit, adjecit: *Semini tuo dabo terram hanc*. Quatuor verò promissa fuerunt, unicuique hanc legenti Historiam in primis memoriâ retinenda, multiplicatio seminis ejus, benedictio & magnificatio nominis ejus, benedictio omnium gentium in eo, & promissio possessionis terræ Chananææ lacte, & melle fluentis. Historicè verò multiplicavit semen ejus in Jacob, & posteris; siquidem sexcenta millia capitum ex Ægypto egressa sunt. Benedixit, & magnificavit nomen ejus in Regno Israelitarum, qui omnes ab illo profecti nomen Abrahæ etiam inter gentes celebre reddiderunt. Dedit possessionem Chananææ, cùm eduxit eos ex Ægypto per Moysen, & introduxit in Chananæam per Josue. Mysticè autem, multiplicavit semen Abrahæ per fidem in omnibus fidelibus electis ab eo, & magnificabit nomen ejus, fideles, qui Abrahæ filii per fidem dicuntur, honorando; benedicet omnes gentes in eo, omnes gentes in Jesu Christo, qui ex semine Abrahæ secundum carnem fuit, benedicendo; terram Chananææ per Josue distribueret, sedes certas in Regno Cœlorum per Jesum Christum electis fidelibus partiendo. Horum verò mysteriorum lumen ostendit S. Paulus ad Galatas, cùm dixit: *Providens Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*. Omisit etiam, Abraham ædificasse ibi Altare Domino, ubi apparuerat ei, & invocasse nomen ejus. Ut autem ab Abraham Historia Hebræorum incipit, sic ab eodem etiam tempore Historiæ gentilium vocem mittere instituerunt. Nam Ninus Rex Assyriorum, teste Eusebio, in tempora Abrahæ incidit, qui, ut inquit Diodorus, primus rerum suarum Scriptores est nactus, a quo Ninive in Assyria condita est, ipsomet S. Augustino congruentes cum sacris & gentilium scriptis, testante.

(p) Persequitur inde acta Abrahæ, quæ multa fuerunt. Primùm paucis post mensibus, quàm peregrinus venit in terram Chanaam, annonæ inopia oppressus inde cum Loth fratris suo filio, & uxore Sarai discessit, atque in Ægyptum abiit; cumque Sarai specie esset eximia, sororem eam suam esse dixit. Unde a Pharaone, idest, Rege Ægypti, appetita est. Qua ex re Abraham multa bona est consecutus. Pharao verò multis muneribus propterea a Deo percussus, ut agnovit Saram non sororem Abrahæ, sed conjugem esse, eam dimisit, atque liberum omnibus ex Ægypto discessum cum omnibus bonis suis concessit: capite XII. Geneseos. Addit inde (*ac rursum reversus Loth, præ multitudine familiæ à patruo digressus, ut laxioribus vacuæ tum regionis spatiis uteretur, in Sodomis consedit*): narrans, ut Abram ex Ægypto in Chananæam se receperit, & quid ibi egerit. Ceterum legendum est (*ac rursum reversis, Loth præ multitudine*) non enim solus Loth reversus in Chanaam, sed etiam Abraham; siquidem scriptum est cap. XIII. *Ascendit Abram de Ægypto ipse, & uxor ejus, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo*. Inde addit: *Sed & Loth, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul, & facta vixa inter pastores ovium Abram, & Loth, dixit Abram, ne quæso sit jurgium inter me & te, & pastores meos & tuos, fratres enim sumus, ecce universa terra coram te est; recede à me, obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam; elegitque sibi Loth regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente. Abram habitavit in terra Chanaam. Loth vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis. Inde jussu Dei Abram habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron, atque ibi Altare Deo condidit*. Verùm ita tamen habitarunt, ut tanquam peregrini in aliena terra, & non sua. Interim verò Deus confirmavit Abrahæ promissa superiora, nempe possessionem terræ Chananææ, in qua tum hospitabatur, & multiplicationem posteritatis, inquiens: *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo. Faciamque semen tuum, sicut pulverem terræ*. Hebron autem fuit postea in Tribu Juda. De vitio porrò Sodomorum, sic loquuta est Scriptura: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Deo nimis*.

(53) Urbs Scriptoribus quoque profanis non ignota. Apud hanc enim exercitum Romanum a Parthis profligatum fuisse, memoriæ proditum. Plinius lib. V. cap. 24. *Arabia habet Carras, clade Crassi nobiles*. Quod Cl. Hornius ait: *eam urbem à Charane non structam, sed dictam fuisse*, intelligere videtur Haranem filium Tarachi, fratrem Abrahami, qui ante patrem decessit. Verùm ab eo urbs ne quidem dicta credi potest. Quippe viro nomen הרן, urbi verò חרן fuit.

(54) Haran, qui Ure Chaldæorum decesserat, relicto filio Lot. Erat ergo Lot frater Saræ uxoris Abrahami.

(55) Hæc est Sicima, quam posterior ætas Scythopolim appellavit. Nomen habuit a Sichem filio Hemor, qui Dinam Jacobi filiam stupravit. Notanda, quam anticipationem, alii prolepsin vocant. Ea utuntur frequenter Sacri Scriptores. Quanquam sunt, qui potius filium Hemor, ab urbe ejusdem nominis appellatum censent.

(56) *Rursum* redundat. Sic Plautus, *Revertar rursus*; Nepos, *Rursus restaurare*; Florus, *Rursus redire*; Svetonius, *Rursum repetere*. Vide Indicem Freinsh. in Florum, & Ind. in Nepotem, a nobis locupletatum, voce *rursus*. Quòd Sigonius putet, legendum esse *reversis*, ejus causam non video. Imò est in superioribus, quòd aliud suadeat. Præcedunt enim mera verba singularis numeri *consedit, concessit*. Ad verba *rursum reversus* subaudito *unà cum Abrahamo*: cum quo scilicet ex Mesopotamiâ venerat, & in Ægyptum profectus fuerat.

(57) Idest, *minus habitatæ*. Nam talis Chananæa Abrahami tempore: unde Patriarchæ pro lubitu agros occuparunt, quandoquidem vacua sunt occupantis. Ansibarii apud Tacitum: *Sicut cælum Diis; ita terras generi mortalium datas: quæque sint vacuæ, publicas esse*.

Sodomis consedit. (58) Id oppidum infame incolis, viris in viros irruentibus, atque ob id invisum Domino fuisse traditur.

Ea tempestate Reges vicinarum gentium (59) in armis erant: (q) cùm antea nullum inter mortales certamen (60) fuisset. Sed adversùm hos, qui bello vicina tentabant, Reges Sodomorum, Gomorrhæorum, (61) vicinarumque regionum in prœlium erumpunt: primoque impetu fusi, victoriam concessêre. (62) Tum à victoribus Sodoma direpta, prædæ hostibus fuit, ductusque Lot in captivitatem. Quod cùm Abram comperisset, properè armatis servis suis, numero trecentis decem & octo, Reges victoriâ feroces, exutos prædâ armisque in fugam compulit. Tum à Melchisedec Sacerdote (63) benedictus est, (64) eidemque decimas prædæ dedit. Reliqua his, quibus erepta erant, reddidit.

Per idem tempus (r) Abræ Dominus locutus est, multiplicandumque semen ejus, sicut arenas maris stellasque Cœli, (65) spopondit: (66) peregrinumque ejus semen prædictum futurum,

(q) Narrat porrò, ut Abraham peregrinus in terra Chananæa defenderit Loth adversùs Reges vicinos, qui captis direptisque Sodomis, illum bello captivum effecerant; & hoc primum bellum est, quod in sacris literis memoretur. Nomina Regum, qui arma intulerunt, fuere Amraphel Rex Sennar, Arioch Rex Ponti, Codorlahomor Rex Elamitarum, Thadal Rex gentium; qui verò bellum passi sunt, fuere Bara Rex Sodomorum, Bersa Rex Gomorrhæ, Senaab Rex Adamæ, Semeber Rex Seboim, item Rex Balæ, sive Segor; hi tertiodecimo anno defecerunt a Rege Codorlahomor; quare quartodecimo bellum est gestum contra quinque urbes, quæ sunt in mari Salinarum, qui & lacus Asphalti dicitur, in quem Jordanes amnis ita se effundit, ut ibi obruatur. Ceterum captis Sodomis simul etiam Loth captus. Quod ut Abrahamus audivit, cum servis trecentis octodecim accedens hostibus prædam eripuit, & Lothum liberavit. Capite XIV. Genesis. Inde obiter ostendit, ut Abraham decimas dederit Melchisedech Sacerdoti Regi Salem, de quo sic in eodem loco: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Hic est autem Melchisedech, de quo David: *Dixit Dominus Domino meo. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Est enim typus Christi, ut scribit S. Paulus ad Hebræos, inquiens: *Ubi præcursor nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei Summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium divisit Abraham, primum quidem interpretatur Rex justitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum:* probe; neque enim is habet in Cœlo matrem, neque in terra patrem. Salem autem postea dicta est Jerusalem.

(r) Deinde iterum Deus promissa Abrahæ facta firmavit: nam quærenti, quod filiis careret, & servum suum heredem habiturus esset (nam erat uxor Sara sterilis) dixit Deus: *Suspice Cœlum, & numera Stellas, si potes, sic erit semen tuum. Inde dormienti dictum: scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis; verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo; & post hæc egredientur cum magna substantia; generatione autem quarta revertentur huc.* Et mox repetens idem promissum dixit, se daturum semini ejus terram illam à fluvio Ægypti, usque ad fluvium magnum Eufratem. Ceterum, quod inquit, fuit hujusmodi. Jacob nepos Abrahæ post aliquot annos inopiæ caussa ex Chananæa in Ægyptum profectus est cum filiis suis, ac moriens ibi posteritatem reliquit: quæ ab Pharaone in servitutem redacta, post duce Moyse, Jacob abnepote, liberata est: educto ex Ægypto cum opibus Ægyptiorum populo, & in terra Chananææ firmam possessionem redacto. Ab anno verò septuagesimo quinto Abrahæ, quo hæc promissio facta est, usque ad exitum Israel de Ægypto, quadringenti triginta anni fuerunt, ut post ostenditur; qui nunc rotundiore numero quadringenti dicuntur. Narrat inde Scriptura, ut Sara sterilis ancillam suam Agar Abrahamo viro subdiderit, ex qua Abraham Ismaëlem susceperit. Capite decimo sexto. Inde cùm jam nonaginta novem annorum esset, rursus Deus illum ita appellavit: *Ego sum, & pactum meum tecum: erisque pater multarum gentium; nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te; faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te: daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Dixit quoque Deus ad Abram. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.* Capite decimo septimo. Hinc est, quod inquit Sulpicius, (*Abram & uxor ejus adjectione unius literæ nomen immutatum; ita nunc ex Abram Abraham, ex Sarai Sara dicitur.*) Quo loco satis constat, ut Sulpicii sententia constet, qui utrique nomini literam adjectam scribit, legendum esse, *ex Abram Abraham, ex Sara Sarra dicitur.* Sic enim apud LXX. legitur: aut *ex Sara Saram*, ut legit S. Augustinus de Civitate Dei. Mysterium autem, cujus meminit Sulpicius, fuit, quod cùm diceretur Abram, idest, pater excelsus, post vocatus est Abraham, idest, pater multorum, & cum uxor diceretur Sarai, idest, princeps mea, post dicta est Sara, idest, princeps, quasi omnium gentium ex Dei promissione princeps futura. Hinc Abraham Patriarcha dicitur, quod

(58) Nominibus urbium sæpè & alii præpositionem præmittunt: quâ de re deditâ operâ in libro de Latinitate falsò suspectâ, alibi egimus. Sodoma, orum dicitur, ut Græcè τὰ Σόδομα, ων, & τὰ Ἱεροσόλυμα. Sed paullò post dicit numero singulari, *Sodoma direpta, Sodoma conflagravit.*

(59) Amraphel, Kedorlaomor, Arioch, & Thidal, Gen. XIV. Ceterùm gentes, quibus hi imperitarunt, non adeò vicinæ Sodomis fuerunt. Nam Amraphel Rex Sinear, idest, Babyloniæ, Kedorlaomor Rex Elam, idest, Persarum fuit.

(60) Fortasse hic sensus est: *nullum certamen, quod quidem in sacris literis memoretur.* Nam credibile est, plura ante certamina fuisse. Nembrod enim v. g. sine certamine Regnum sibi parare qui potuit?

Non est verisimile.

(61) Suspectum hoc, quia præcedit *Sodomorum*, ipsius urbis nomen. Quid si legatur *Gomorrhæ*; ut & ipsum sit nomen urbis? Sanè Interpretes Græci habent βασιλεὺς Σοδόμων, βασιλεὺς Γομόῤῥας. Et Latinus vetus similiter, *Rex Sodomorum, Rex Gomorrhæ.*

(62) Justinus lib. XV. *Amissâ classe, bellisque concessâ victoriâ, in Ægyptum refugit.* Noster item rursus infra utitur hac phrasi.

(63) Quinam fuerit Melchisedec pluribus disputatum est contra Cunæum in annotationibus ad Rempublicam Hebræorum.

(64) De eâ Latinitate quid sentiendum, supra pag. 17. not. 32. dictum.

(65) Significat innumerabilem hominum copiam; quod comparatione crebro utuntur antiqui. Stellæ quamquam a Ptolemæo numerantur tantùm CIↃXXII. tamen innumerabiles sunt minores, tubis opticis Galilæi, ac Metii detectæ. Catullus:

Aut quot sidera multa, quum tacet nox.

(66) Pro *multiplicatum iri spopondit.* Ad hunc modum noster sæpissimè. Quid autem sentiendum de eo, dictum supra ad pag. 18. voce *dispergendam*. Porrò *semen* pro liberis & posteris Hebraismus est. Cùm enim vox זרע in Sacris non materiam tantum, unde nascuntur liberi, sed & liberos ipsos significaret, factum est, ut in versionibus quoque, vox Græca quidem σπέρμα, Latina verò *semen*, eamdem duplicem significationem haberet. Ex versionibus deinde in libros alios, & in ipsum hunc quoque, significatio est derivata.

rum, ac posteros in hostili solo per quadringentos annos laturos servitium, postea libertati restituendos. (67) Tum ei atque uxori ejus, adjectione unius literæ nomen immutatum: (68) ita nunc ex Abram Abraam, (69) ex Sarai Sara dicitur. Cujus quidem rei non inane mysterium (70) non est hujus operis exponere. Eodem tempore Abrahæ lex circumcisionis imposita est. Erat ei autem ex ancillâ filius Ismaël. Et cùm ipse esset annorum centum, uxor autem ejus nonaginta, futurum eis filium Isaac (71) Dominus pollicetur, qui eum duobus Angelis ad eum venerat.

Inde Sodomam missi Angeli, Lot in portâ sedentem repererunt. (f) Quos cùm ille, homines existimans, hospitio receptos, cœnatosque domi haberet: juventus improba ex oppido, novos hospites ad stuprum flagitabant. Lot pro hospitibus filias offerens, non acquiescentibus quibus illicita potius desiderio erant, ipse ad stuprum trahebatur. Quem Angeli properè injuriâ vindicantes, luminibus impudicorum (72) cæcitatem offuderunt. Tum Lot, ab hospitibus edoctus, perdendum oppidum, (73) properè cum uxore & filiabus est egressus: interdictum tamen eis est, ne retrorsum conspicerent. Sed mulier parùm (74) dicto audiens (humano malo, quo ægriùs vetitis abstinetur) reflexit oculos, statimque in molem conversa traditur. (75) At So-

quod est familiarum princeps. Eodem verò tempore, quo Deus tam præclara promissa fecit Abrahæ, & nova nomina imposuit, mandavit quoque, ut maribus pueris præputium circumcideret in signum fœderis, quod cum eo fecisset. Genesis XVII. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Secundum verò promissum Dei fuit, fore, ut præter Ismaelem filium, quem ei Agar ancilla peperisset, Sara uxor illi pareret alterum, quem Isaac nominaret, tum cùm ipse esset annorum centum, Sara verò nonagima. Quod autem inquit Sulpicius, (*pollicetur Dominus, qui cum duobus Angelis ad eum venerat*,) sciendum, Angelos cum Deo non fuisse, cum hæc promissa fecit, sed paullò post, eum apparuit in convalle Mambre.

(f) Narrat interim, quasi per egressionem, mirabilem eversionem Sodomorum: nam Deus non solum dilexit Abraham, sed etiam caussa ejus Loth, qui erat filius Aram, fratris Abrahæ. Itaque Sodomam turpi libidini deditam subvertere cupiens misit Angelos ad eum, monitum, ut urbe exiret cum uxore, & filiabus. Itaque, *venerunt*, inquit Scriptura, *duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis*, capite XX Hinc est, quod dixit S. Paulus XIII. ad Hebræos: *Per hospitalitatem etiam quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.* Mirificè autem Scriptura hospitalitatis studium in Abraham, & Loth commendavit, cùm uterque Angelos, homines esse putans, ultro exceperit, pedes laverit, munificèque tractarit. Ceterum populus Sodomitarum, priusquam illi irent cubitum, domum circumsteterunt, dicentes ad Loth: *Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos*: atque hoc est, quod Sulpicius inquit, (*ad stuprum flagitabant*.) Loth autem obtulit filias his verbis capite XIX. *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis; cui illi: Te ergo ipsum magis, quàm hos affligemus, vimque faciebant Loth vehementissimè.* (*At Angeli*, inquit Sulpicius, *properè ob injuriam vindicantes luminibus impudicorum cæcitatem offuderunt*.) Etenim, ut pergit Scriptura: *Jam prope erat, ut effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate.* Loth inde cum uxore, & filiabus servatus est; quod Angeli ita dixerunt: *Habes hic quempiam tuorum? educ ex urbe hac: delebimus enim locum istum: & eduxerunt eum dicentes: Salva animam tuam, noli respicere post tergum: respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Atque hæc est, quam molem vocat Sulpicius. (*Conflagravit autem divinis ignibus*) quia *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem.* Narrat deinceps mulierum concubitum filiarum Loth cum ipso patre ebrio; siquidem dixere: *Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen; & conceperunt filiæ duæ de Loth patre suo; peperitque major filium Moab, qui fuit pater Moabitarum, & minor filium Ammon, patrem Ammonitarum.* Qui omnes a Deo defecerunt, atque ita sola stirpa Abraham in Dei cognitione, cultuque remansit, ut supra dixi. De Mysterio S. Augustinus contra Faustum.

(67) Notione temporis futuri; ut paullò ante *multiplicandum*, & pag. 18. *dispergenda*.

(68) Quod quomodo factum, satis explicare Auctor non valuit, utpote linguæ Hebrææ expers. Est autem ה litera, ex nomine המון, quod multitudinem significat, decerpta, & tùm nomini אברם, tùm nomini שרי adjecta, ut pro his deinceps אברהם & שרה diceretur. Quòd autem dicit Auctor, *ex Abram Abraam, & ex Sarai Sara dici*, ad versiones alludere videtur; & in nomine *Abraam* quidem alterum A esse literam illam, quæ nomini Abram sit adjecta. Sed nondum adparet, quomodo adjectione unius literæ ex *Sarai* factum sit *Sara*: postquam hoc detractione potiùs unius literæ factum videtur. Putat igitur Drusius, alludere nostrum ad versionem Græcam, in quâ primò Σάρα, deinde Σάῤῥα scriptum est. Verba Gen. XVII. 15. Σάρα ἡ γυνή σου, οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς Σάρα, Σάῤῥα ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς.

(69) De nomine Abrahami vide annotationem I. ad librum I. Sigonianæ Hebræorum Reipublicæ.

(70) S. Hieronymus quæst. in Genesin: *Errant qui putant, primum Sara per unum R scriptum fuisse, & postea ei additum alterum R, & quia R apud Græcos centenarius numerus est, multas super hoc nomine fingunt ineptias: quum utique, utcunque volunt, ei vocabulum commutatum, non Græcam, sed Hebræam debeat habere rationem; Hebræum enim est. Nemo autem in aliena lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera. Sarai igitur primum vocata est per Sin, Res, Jod. Sublato igitur Jod, idest I elemento, addita est He litera, quæ per A legitur, & vocata est Sara. Caussa autem ita nominis immutati hæc est, quod antea dicebatur* Princeps mea, *unius tantum domus materfamilias, postea verò dicitur absolutè* Princeps, *idest* ἄρχουσα. *Sequitur enim*: dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, eritque in Gentes, & Reges populorum erunt ex ea. *Signanterque in Hebræo habetur*: non vocabis nomen ejus Sarai, *idest non dices ei* Princeps mea es: *omnium quippe Gentium futura jam Princeps est. Quidam pessimè suspicantur, ante eam Lepram fuisse vocitatam, & postea principem, quum lepra Saraath dicatur, quæ in nostra quidem lingua videtur habere aliquam similitudinem, in Hebræo autem penitus diversa sunt. Scribitur enim per Sadic, Res, Ain, & Thau; quod multum à superioribus literis, quibus Sara scribitur, discrepare manifestum est.*

(71) Advertit S. Hieronymus, quòd quatuor homines in Veteri Testamento, nominibus suis, antequam nascerentur, vocati sunt, Ismael, Isaac, Salomon, & Josias.

(72) *Lumina* pro oculis: ut cùm dicunt *effodere lumen*, *eruere lumen*, *declinare lumina in somnum*. Porrò qui Venere masculâ utuntur, passim ab Auctoribus impudici vocantur.

(73) Pro *perditum iri oppidum*. De quâ formâ loquendi jam aliquoties monuimus.

(74) *Parum* pro non eleganter, ut passim alii. Deinde *dicto audiens* pro *obtemperans*, & ipsum meliorbus frequentarum: qui & dativum personæ adjiciunt, dicuntque *dicto audiens alicui*: quâ de phrasi pag. 114. & seqq. libri de Latinit. falsò susp. egimus.

(75) Uxor Lot in salem conversa, magno admonuit sacramento, neminem in via liberationis suæ, præterita desiderare debere, inquit S. Augustinus,

oc

Sodoma divinis ignibus conflagravit. Lot autem filiæ existimantes humanum genus interiisse, concubitum inebriati patris adpetiverunt: unde Moab & Ammon nati sunt.

Per idem tempus ferè, cùm Abraam esset etiam centum annorum, Isaac filius natus est. (†) Tum ancillam, de quâ Abraam filium susceperat, Sara expulit: quæ habitasse in deserto una cum filio, & præsidio Domini defensa traditur. Non multùm post, (76) Dominus Abraæ fidem tentans, immolandum sibi à patre filium Isaac poscit. Quem ille non cunctatus offerre, cùm aræ puerum superposuisset, gladiumque educeret, vox missa de Cœlo est, puero ut parceret: victimæ aries præsto fuit. Consummatoque sacrificio, Abraæ Dominus locutus est, promittens ea, quæ jam spoponderat. At Sara, cùm septimum & vicesimum supra centesimum annum ageret, decessit: (77) corpus curâ viri sepultum in Hebron, (78) Chananæorum oppido. Etenim illic Abraam commorabatur.

Tum Abraam Isaac filium juvenilis ætatis videns (siquidem tum quadragesimum annum ætatis (*) agebat) servo suo imperavit, uxorem ei quæreret: ex eâ tamen Tribu (79) atque terrâ, de quâ ipse oriundus (80) videbatur: modò ut inveotam puellam in regionem Chananæorum deduceret, nec putaret eum caussâ conjugis in solum patrium (81) rediturum. Atque ut ea strenuè mandata exsequeretur, contacto domini femore, sacramentum dedit. (82) Ita servus profectus in Mesopotamiam, ad oppidum Nachor, Abraami fratris, devenit. Successitque in

(†) Redit ad Historiam Abrahæ, ut genuerit filium Isaac. Capite XXI. *Sara peperit filium in senectute sua, vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octavo die*. Sara verò post Isaac filium genitum superbia partus elata cum filium suum cum Agar ancillæ filio ludentem vidisset, expulit illam domo, quæ Ismaelem pepererat. Agar verò ejecta in solitudine Bersabee exulavit; ad quam morientem Deus Angelum misit, qui fitienti puteum aquæ ostendit. Capite XXI. (*Non multo*, inquit Sulpitius, *post Dominus Abrahæ fidem tentans, immolandum sibi à patre filium Isaac poscit*:) unde tertia promissorum confirmatio consequuta est. Quippe illum adesse jussum praecepit tollere filium unigenitum Isaac, ac sibi offerre holocaustum. Quod ille fecit. Verum cùm posuisset eum in Altare super struem lignorum, & gladium ad immolandum accepisset, ab Angelo notam satis esse Deo fidem suam afferente prohibitus est, atque arietem adesse cernens sacrificavit. Quare Deus ad eum loquutus superius promissum confirmavit, inquiens: *Quia non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut Stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in litore maris. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Satis autem constat, Isaac typum esse Christi, qui se in Cruce immolandum esset oblaturus, & in eo, tanquam in semine Abrahæ, omnes gentes terræ essent benedicendæ. Capite XXII. Mors inde Saræ sequenti capite traditur.

(*) Loquitur deinceps, ut Abraham uxorem quæsiverit Isaac filio suo, servumque miserit in Mesopotamiam ad oppidum fratris Nachor, ut posceret Rebeccam filiam Bathuelis, filii Nachoris fratris sui; neque enim ex Chananæis, inter quos habitabat, sed ex cognatione sua cognationem quærebat, ut semen integrum, ac syncerum conservaret. Quadraginta verò tum annos egisse Isaac, scriptum est. Verba verò Abrahami ad servum, quem misit, fuerunt: *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Deum Cœli, & Terræ*. Quòd autem contacto femore juravit, duplicem habet interpretationem, aut enim juravit in circumcisione Abrahæ, idest, in sanctificatione, ut Hebræi; est enim circumcisio signum fœderis cum Deo; aut juravit in semine Abrahæ, idest, in Christo, qui ex illo nasciturus erat, ut dicit S. Matthæus: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*. Manifestum est autem, ut dixi, Tharam in Mesopotamiam cum familia commigrasse; Nachor autem, transeunte inde in Chanaam Abrahamo fratre, ibi, nempe Charris, remansisse, ac post mortem filium Bathuelem, ex qua Rebecca erat genita, reliquisse. Quare nuncius Abraham in Mesopotamiam ire perrexit, unde oppidum *Nachor* Charras intellexit; reliqua ex Genesi manifesta. Inde exponit, ut Abraham Cethuram mulierem sibi adjunxerit. Cethura verò Genesis capite XXV. dicitur uxor Abrahæ, Paralipomenon libro primo capite primo concubina. Concubinæ porrò apud Hebræos ancillæ erant, quæ cum viro sine ceremoniis legitimis convenerant: unde filii earum in hereditatem patri non succedebant. Quare Isaac Sara uxore editus patrimonium adiit: filii Cethuræ donis insigniti fuere. Sic enim inquit capite vigesimoquinto: *Dedit Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo*: mors verò Abrahæ eodem capite continetur.

& in eandem sententiam Prudentius:

Nemo memor Sodomæ, quæ mundo forma cremandi est,
Ut semel è muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso, respectet funera rerum.

In statuam salis, Gen XIX. 26.

(76) *Multum* pro *multè*. Talia & apud alios observantur Livius lib. III. *Qua tum magis pastores patrum plebi se insinuabant, eò acrius contra Tribunos tendebant*. Sic & lib XLIV. *Quantum longius* pro *quantò longius*. Plinius & vocolam *IN* adjicit, dicitque *in multum velocior* pro *multò velocior*. Ut lib X Nat. Hist. c. 36. *Solutus columbarum volatus est in multum velocior*. Vide Grosipp. Parad. lit pag 42 edit Amstel.

(77) Ita melliores passim Cicero lib I. epist. IV. ad Att *Pater nobis decessit*. Nepos Arist *Decessit ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus*. Subaudiendum autem sine dubio aliquid. Valla lib. V. c. XCV. de Eleg *Eo modo dicitur Decessit, quo dicitur* Defunctus, *ut subintelligatur* vitâ. *At in Excedo additur* vitâ, *non subintelligitur*.

(78) Mortua est in oppido Arbe, quod à Græcis πόλις Ἀρβόκ vocatur, & alio nomine Hebron, sive Chebron dicitur: sepulta verò in spelunca Marhphala, quam Abraham emerat ab Ephrone Hetæo. Historia refertur Geneseos XXIII. Hæc urbs Metropolis erat Judææ, condita septem annis ante urbem Ægypti, quæ Tanais nuncupatur. Dicitur & Cariath-arbe; vel a viro quodam ejus conditore Arbe dicto, vel a quatuor Patriarchis ibi sepultis, ut Sanctus Hieronymus scribit. Distat ab Ægypto, teste Gerundensi, itinere septem dierum.

(79) In Græco Codice φυλὴ legitur, quod secutus est Sulpicius. In Hebræo *ex cognatione mea*. Φυλὴ etiam pro natione ponitur, Esth. XIII. 4. Quia nimirum Orientales Tribuum exactissimam rationem habent.

(80) E Mesopotamia, ubi commoratus fuerat, & fratrem reliquerat, patre ibidem sepulto. Et bene dixit *videbatur*, quia revera oriundus erat è terra Chaldæorum.

Pro *oriundus esset*. *Videri* pro *esse* non rarò ponitur Justinus lib. XXIX c. 2. *Sibi quoque non aliam ob caussam, quàm quod Italiæ finitimus videbatur, bellum inlatum*. Cicero 1 Off *Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur*, hoc est simus. Vide & Notas Castalionis ad cap. IV. epist. ad Hebr.

(81) Carras, in patriam Abrahami, quæ ei patria erat commorationis, non ortus. Sic Christus tres patrias habuit: Bethlehem, in qua natus; Nazareth, in qua educatus; & Capharnaum, ubi aliquot annos versatus est.

Abrahami, Carras nimirum: quæ ei patria commorationis, non ortus, fuêre.

(82) *Ut jusjurandum dero*, Plautus Amphitr. III. 2. *Arbitratu tuo jusjurandum dabo*. Item: *Jusjurandum verum te adversum dedi*. Est autem *dare* in talibus idem quod facere. Cujus generis plurima congessimus pag. 124. & seqq. libri de Latinitate f. fulp.

in domum Bathuelis Syri, Nachore patre geniti: hujus filiam Rebeccam, (83) speciosam virginem conspicatus, poposcit, (84) atque ad dominum adduxit. Post id, Abraam accepit uxorem Cetuzam nomine, quæ in Paralipomenis concubina dicitur: suscepitque ex ea sex filios. Sed Isaac Sarâ edito, (85) substantiam tradidit; (86) his autem, quos ex concubinis susceperat, dona distribuit, atque ita ab Isaac separati sunt. (87) Abraam diem functus est, (88) impletis annis centum & quinque & septuaginta: corpus sepulcro Saræ uxoris adpositum.

At Rebecca diu sterilis, (x) assiduis mariti ad Dominum precibus, à die matrimonii vicesimo ferè anno geminos edidit: (89) qui in matris alvo exsultasse (90) sæpiùs traduntur; dictumque responso Domini est, duos in his populos prænunciari, & majorem minori subdendum esse principio. (91) Sed priùs editus asper setis, Esau vocatus: minori Jacob nomen fuit. Eâ tempestate gravis annonæ inopia terras incesserat. Qua necessitate (92) Isaac in Geraris ad Regem Abimelech cessit, (93) admonitus à Domino, ne in Ægyptum descenderet: (94) eidem-
que

ISAAC.

(x) Jam aggreditur narrare facta Isaac, quæ sunt hæc; procreatio geminorum Esau & Jacob, peregrinatio ad Regem Abimelech, benedictio Jacob pro Esau. Procreatio verò sua talis. Post vicesimum annum Rebecca, licet sterilis, precibus Isaac ad Deum geminos peperit, qui in alvo matris sæpius inter se decertabant; mœrentique ex ea re Rebeccæ, responsum à Deo datum est: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* Quod oraculum duplicem habet interpretationem, unam historicam, alteram mysticam; historica est, fore, ut populus Jacob, qui minor erat, superaret Idumæos, quos Esau, qui & Edom vocabatur, propagaturus erat; eos enim post tributarios fecit David, qui fluxit de semine Jacob; mystice est, populum majorem esse, qui carnem sequitur, minorem, qui spiritum. Sunt etiam, qui a Jacob Israelitas natos dicant, qui verum Deum cognoverunt, ab Esau ceteros, qui Deum ignorarunt, quos Israelitæ gentilium nomine vocitarunt; alii majorem populum Judæorum minori populo Christiano serviturum. S. Augustinus de Civitate Dei libro XVI capite XXXV. (*ea tempestate*). Deinceps narrat prosperam peregrinationem Isaac ad Regem Palæstinorum in Gerara. Agente quippe Isaac in Hebron, ubi & pater egerat, gravis regionem annonæ invasit penuria; quæ solum vertere coactus est more Abrahæ patris sui. Monuit autem eum Deus, ne in Ægyptum (quod Abraham fecerat) se conferret, ac simul terram Chananæam posteris ejus promisit, & promissa Abrahæ facta sancivit, inquiens: *Dabo tibi regiones has complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo, & multiplicabo semen tuum, sicut Stellas Cœli: daboque posteris tuis universas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Itinere inde suscepto ultra Bersabæam ad Geraram pervênit, urbem in finibus Palæstinæ, & Ægypti locatam; atque ibi ab Abimelech Rege Palæstinorum benignè exceptus divitias magnas paravit. Itaque post aliquot annos jussus est ab Abimelech ob invidiam terrâ suâ excedere. Itaque profectus inde recessit ad torrentem Geraræ; inde ad urbem Bersabeam, ubi puteum effodit; ad quem Abimelech jusjurandum fœderis, & pacis cum eo perfecit, capite XXVI. Quod legitur apud Sulpicium (*in Geraris ad Regem Abimelech cessit*,) legendum *in Gerara*; sic enim ibi: *Abiit Isaac ad Regem Abimelech in Gerara*. Demum egit, ut Isaac primogenitum benedicere cupiens, Jacob pro Esau benedixerit, idque consilio matris Rebeccæ, quæ Jacob docuit, quomodo patrem luminibus captum deciperet. Etenim manus ejus, & collum pellibus hædinis contexit, ut hirsutam pellem Esau imitaretur, atque ipsum cum venatione pro Esau ad benedictionem primogeniti postulandum immisit; benedictio verò hic verbis concepta fuit: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & serviant tibi populi, & adorent te Tribus; esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*, capite XXVII. Atque ita vaticinium est expletum, quo majorem fratrem minori cessurum est dictum.

(83) Ex Græco Ῥεβέκκα, quod hodie legunt Ribca. Sonat autem σιτιστήριον, idest *saginarium* locum, in quo vituli saginantur. Sic uxor quædam Davidis nominatur *Egla*, idest *vitula*. Cujusmodi nomina mulierum sunt, Rachel, *ovis*, Sebia, *caprea* (unde Tabitha in Actis Apostolorum. Nam Syri S Sade cum Teth permutant) Jaala *ibex* rupicapra; aut, ut Davidi Camio placet, *hircus silvestris*.

(84) Scilicet *in matrimonium*. Infra etiam. *Eam sibi in matrimonio à patre postulans*; ubi legendum forsasse *in matrimonium*. Vide Notas ad eum locum.

(85) Scilicet *in lucem*. Tacitus, itidem de fœmina: *ubi Agrippina novissimo partu Juliam ediderat*. Noster frequenter ita locutus deprehenditur.

(86) *Substantia* pro bonis, facultatibus, exemplo vocis Græcæ οὐσία, quæ eâ notione passim usurpatur. Latinam vocem eâ notione, & apud Quintilianum reperias. An apud antiquiores quoque, non liquet.

(87) Isaacum heredem ex asse reliquit Abrahamus, aliis concubinarum muneribus ditatis, & in Orientem ablegatis. Nam liberi ex concubina conditionis servilis, aut extranea, seu gentili, à successione plane apud Hebræos excluduntur, ut scribit Seldenus. Occupaverunt autem Keturæi Troglodyticam regionem, & quidquid Arabiæ felicis ad mare Rubrum pertinebat. Ophres sub Hercule exercitum in Lybiam duxisse, & ibi Africam urbem regionemque condidisse dicitur. Certum est, plerosque in Arabia felice consedisse, & ab iis multi Arabiæ populi originem suam deducunt, veluti Omanæi, Adesientes, Sebaleni, & alii. Arabes ab Herodoto in Euterpe Æthiopum nomine, a Strabone Troglodytarum censentur; & circumcisionem argumentum originis retinuerunt.

(88) Phrasi eâ noster sæpe utitur. Subaudiendum autem *supremum*: quomodo &, cùm *obire diem* dicunt, *supremum* subaudiendum est; quod Corn. Nepos diserte addit, dicitur *obire diem supremum*, in Miltiade, Alcib. & al. Ceterùm illud *diem fungi* non adeo frequentatum. Exstat tamen L. *Proponebatur* D. de sasts. pce. Constructio verò cum casu quarto nec melioribus inusitata. Quippe non Plautus tantùm, sed & Nepos in Datame dicit *munus fungi*.

(89) Id accidit anno Abrahami centesimo septuagesimo, videlicet quinque annis ante mortem ipsius aut, ut Cajetanus putat, decem & quinque.

(90) Alludit ad versionem Græcam, quæ habet ἐσκίρτων τὰ παιδία ἐν αὐτῇ, vel certè ad Latinam, quæ ea Græcâ expressa esset, & verbum *exsultare* haberet. Hodie in versione Lat. vetere legitur, *collidebantur in utero ejus parvuli*.

(91) Pro *subditum iri principatu*. Solemne nostro, participio passivo de futuro tempore uti: ut jam supra monuimus. *Principium* posuit pro principatu. Cùm enim vox *princeps*, quæ propriè primum, & præcipuum significat, de dominio usurpari cœpisset, derivato *principium* quoque significationem novam tribuerunt posteriores. Lexicon vetus Drusii: Ἀρχὴ *imperium, magistratus, magisterium, præsidatus, principium*. Deinde in versione Psal. CX. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Quod expressum ex Græcis, Μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου: in quibus ἀρχὴ sine dubio *dominium, principatum* significat.

(92) *Necessitas* de urgente calamitate. Sic & alii. Nepos Themist. *Qua necessitate coactus Domino navis, quis sit, aperit*. Noster ulterius. *Qua necessitate compulsus*.

(93) Ad Abimelech Regem Palæstinorum, sive Philisthæorum, quem Græci vocant βασιλέα Φυλιστιείμ, qui & Rex Geraræ dicitur. Hos Philistinos iidem Græci appellant etiam Ἀλλοφύλους: quorum Rex communi nomine Abimelech dicebatur, ut cre-

que universæ illius terræ possessio promittitur, ibique benedicitur, multiplicatusque pecore atque omni substantiâ, agente invidiâ, ab incolis pellitur: pulsus apud Puteum juramenti (95) consedit. Igitur annis gravior, (96) luminibus obductis, (97) cùm Esau filium benedicere (98) pararet, consilio Rebeccæ matris, Jacob se benedicendum pro fratre obtulit. Ita Jacob adorandus principibus, (99) & gentibus, fratri præponitur.

Queis rebus Esau (y) accensus fratri necem moliebatur. Quo metu Jacob, hortante matre, in Mesopotamiam confugit: admonitus à patre, ut ex domo Laban, (100) fratris Rebeccæ, uxorem acciperet. Tanta illis cura fuit, cùm in alienis terris consisterent, genus tamen intra familiam suam ducere. Ita Jacob profectus in Mesopotamiam, per soporem Dominum vidisse (101) traditur: atque ob id locum somni sacratum habens, lapidem ex eo sumsit, vovitque,

J A C O B.

(y) Nunc aggreditur narrare facta Jacob, quæ plurima, insigniaque fuerunt, profectio ad Laban in Mesopotamiam, & multorum annorum servitus pro uxore Rachele obtinenda; connubia cum Lia, & Rachele, procreatio filiorum ex uxoribus, & concubinis, reversio ex Mesopotamia in Chananæam ad patrem, pactio pacis cum fratre Esau; in itinere luctatio cum Deo, Israelis nominis assumptio, oppidi Salem direptio; habitatio primùm in Salem, deinde in Bethel, tum in Hebron, ubi erat pater. Ceterum Jacob in Mesopotamiam profectus est hac de caussa. Is cum videret fratrem suum majorem Esau à se deceptum sibi insidias comparare, hortatu Rebeccæ matris in Mesopotamiam ad Laban matris fratrem confugit, admonitus quoque à patre, ut uxorem ex familia Laban acciperet; itaque, ut scriptum est capite XXVIII Geneseos, ex urbe Bersabea concessit in urbem Mesopotamiæ Haran, quam supra Charras fuisse diximus: ex quo apparet Nachor, & Bathuelem Nachoris filium, & Laban nepotem semper Charras Mesopotamiæ tenuisse, postquam inde Abraham cesserat, & in Chananæam venerat. Quod verò ait: *magnam illis curam fuisse, cùm in alienis terris consisterent, genus tamen intra familiam suam ducere*, hoc multo diligentius quoque post in duodecim Tribubus Israel lege Dei est observatum, ut nemo uxorem extra Tribum, & cognationem suam duceret. Factum autem idcirco videtur, ut impollutа sanguinis synceritas servaretur in Christo, qui ex Tribu Juda, & semine David erat oriturus. Numerorum capite ultimo: *Cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient, ut hereditas permaneat in familiis*. Narrat inde iter Jacob in Mesopotamiam, inquiens, quievisse quodam in loco, & in somnis vidisse scalam a Cœlo in terram descendentem, & Angelos ascendentes, ac descendentes per eam, & Deum innixum scalæ promittentem sibi terram illam, in qua dormiret, & multiplicationem seminis sui in terra, itemque fore, ut benedicerentur in eo, & semine ejus omnes Tribus terræ. Expergefactus autem Jacob, domum illam Dei, & portam Cœli arbitratus, cepit lapidem, quem subjecerat capiti suo, atque ex eo titulum erexit oleo superinfuso, & urbem vicinam, quæ Luza dicebatur, Bethel vocavit, votumque fecit, se, si à Deo promissa bona referret, ei loco decimas oblaturum. Votum verò his verbis conceptum est: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*. Hanc scalam intelligit Christus apud S. Joannem: *Videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis*. Laban autem, cùm audisset, venisse Jacob filium sororis suæ, occurrit obviam ei, complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Inde exponit, ut Jacob pro Rachele in matrimonium obtinenda servierit. Habebat Laban duas filias Liam, & Rachelem: Lia major lippis oculis erat, Rachel verò decora facie, sed natu minor, hanc præoptavit Jacob, & septem annos se illi pro ea serviturum professus est; siquidem dixit: *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis*. Servivit ergo septennio, ut Rachelem acciperet, quibus transactis, contra pacta Liam oculis deformem, quia major natu erat, suppositam ducere cogitur. Qua de re expostulanti Jacob inde Rachel septennalis alterius servitii pactione spondetur, ac demum etiam traditur. Rachel sterilis, Lia fœcunda fuit, capite XXIX. Etenim *videns Dominus, quod Jacob despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente*. Ceterum Lia primum peperit filios Ruben, Simeon, Levi, & Judam: inde Rachel suppositâ marito ancillâ suâ Balâ, filios & ipsa marito suo quæsivit, Dan, & Nephthalim. Qua re comperta, Lia, quæ parere desierat, & ipsa Zelpham ancillam suam marito subdidit, & Gad, atque Aser filios ei paravit. Inde Lia peperit Issachar, & Zabulon, & filiam nomine Dinam. Ad extremum Rachel quoque, Dei misericordiam consequuta, Joseph peperit, atque inde Benjamin, capite XXX. & XXXI.

si credendum Davidi Camio ad Psalmam XXXIV. 1. ita scribenti: *Abimelech nomen fuit olim commune Regibus Palæstinorum, ut Agag Amalecitarum*. Vide sis S. Basilium Hom. XIX. in Psalmos. S. Hieronymum Ezechiel XXIX. Procopium in Genesim, Glossam Græcam &c.

Sigonius legendum putat *in Gerara*, per accusativum: quia motus ad locum significatur. Sanè Interpres vetus Genes. XXVI. 1. *Abiit Isaac ad Abimelech in Gerara*. Sed Drusius tamen *Geraris* retinendum putat: quia veteres præpositione *IN* promiscuè usi sint, & Interpres vetus quoque Gen XX. 1. scripserit: *Peregrinatus est Abraham in Geraris*. Verùm veteris Interpretis illud nihil eum juvat. Hic enim sua expressit ex Græcis, παρῴκησεν ἐν Γεράροις & denotare voluit motum in loco, ut Grammatici vocant: at *peregrinari* nihil aliud hic sit, quàm *peregrinum, advenam esse*. Sed & cetera, quæ ex Auctoribus citat, *abjicere se in herbâ, abdere se in Menapiis, collocare in lecto*, diversa sunt ab illo, *in Geraris ad Regem Abimelech cessit*. In quo legendum fortasse *concessit*: aut certè simplex *cessit* pro *concessit* est positum.

(94) Possit videri Hebraismus; quoniam Hebræi dicunt ירד מצרימה *descendit in Ægyptum*, Gen. XXVI. 2. & al. Sed locuti tamen sic meliores quoque. Nepos Arist. *Postquam Xerxes in Græciam descendit*. Alcib. *His cum obviam universa civitas in Piræeum descendisset*.

(95) Vocem *juramentum* Scioppius censet barbaram esse; & Lipsium atque Scaligerum, quod eo vocabulo usi essent, reprehendit. Et sanè ævi optimi vocabulum esse, ipse vix crediderim. Videmus enim, Plautum, Terentium, Ciceronem, aliosque antiquiores, quoties de jurejurando agunt, non *juramentum*, sed *jusjurandum*, aut voce simplici *jurandum*, dicere. In Foro Romano citatur locus ex lib. II. Senecæ de Clem. in quo sit: *juramentum faciant*. Verùm meliores codices habent *jurant*. Interim vox *juramentum*, quâ noster & ejus æquales usi sunt, ad analogiam linguæ formata sanè est.

(96) Horatius lib. I. sat. 1. *Gravis annis miles*. Dicunt & *natu gravis*, *ætate gravis*. Terentius Heaut. IV. 1. *Quando tuus est animus natu gravior*. Livius lib. X. *Ingressi milites, refractis foribus paucos graves ætate, aut invalidos invenium*.

(97) Significat caliginem, & hebetem visum; vel si placet, cæcutientiam; nam præ senio cæcutirbat.

(98) De eâ constructione dictum supra ad pag. 17. not. 32.

(99) Ex Gen. XXVII. 29. ubi versio Lat. vetus: *Serviant tibi populi, & adorent te Tribus*. At versio Græca, προσκυνησάτωσάν σοι ἄρχοντες. Ergo vocem *Principibus* hinc expressit, aut versionem Latinam, quæ ex Græcâ facta esset, secutus est.

(100) Ex familia Laban, qui erat filius Bathuel, nepos Nachor fratris Abrahæ, & frater Rebeccæ matris Esau, & Jacobi. Quod autem Geneseos XXIX 5. vocatur filius Nachor, eo in loco filius nepotem denotat, ut alibi sæpe. Nam juxta proverbium Hebræorum: *filii filiorum tamquam filii sunt*. Notior enim erat Nachor, inquit Gerundensis, ideoque pro Bathuele nominatur, qui minus notus erat.

(101) Ut alii *per somnum*, *per quietem videre*: Justinus I. 9. *Per quietem vidit fratrem suum Mergim regnaturum*. Et illud *per soporem*, *per somnum*, *per quietem videre*, nihil aliud est, quàm *in sopore*, *in somno*, *in quiete videre*.

vitque, si rebus prosperis revertisset, titulum sibi domûs Domini (102) futurum: decimasque omnium, quæ adquisita sibi forent, Domino daturum. Inde se ad Laban fratrem matris contulit: quem ille sororis filium agnitum, in hospitium benignè recepit.

Erant Laban duæ filiæ, Lia, & Rachel. Sed Lia oculis deformior, Rachel pulchra fuisse traditur. Cujus specie Jacob captus, amore virginis conflagrabat: eamque sibi in matrimonio à patre postulans, (103) septem annorum servitio se mancipavit. Sed impleto tempore, Lia ei supponitur: ac rursum septem in servitio subditur, atque ei Rachel traditur. (104) Sed hanc diu sterilem, Liam fœcundam fuisse, accepimus. Filiorum, quos ex Liâ Jacob habuit, hæc sunt nomina: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dina. Ex ancillâ verò Liæ, Gad & Aser. Ex ancillâ Rachel, Dan & Nephtalim (105) nati sunt. At Rachel, desperato jam partu, Joseph edidit.

Tum Jacob redire ad patrem cupiens, (z) cùm ei Laban socer partem pecorum mercedem servitii dedisset, ob quæ parùm sibi eum æquum gener Jacob ratus, dolum ab eo suspectans, (106) clam profectus est vicesimo primo ferè anno, quàm advenerat. (107) Rachel, viro inscio, patris idola furto abstulit; quâ injuriâ Laban generum persecutus, (108) non repertis idolis, pace factâ, (109) regressus est: multum obtestatus generum, ne uxores filiabus suis superinduceret. (110) Inde digressus Jacob, vidisse Angelos, & castra Domini, traditur. (111) Sed cùm præter regionem Edom, quam Esau frater incolebat, iter destinaret, missis priùs legatis

(z) Exponit nunc reversionem Jacob à socero ad patrem, & ut cum socero de pecore contenderit. Laban autem partem majorem pecoris dederat ipsi Jacob non ultro, sed ex pactione, qua ab illo victus fuerat; nam si quando inter se pepigissent, ut orituræ pecudes omnes albæ essent Jacob, omnes albæ nascebantur, si variæ, variæ oriebantur. Id autem ex eo evenerat, quòd Jacob in ea re artificium adhibuerat; primùm enim candorem in virgis populeis detracto cortice fecerat, ut oves eas aspicientes similem fœtum conciperent, deinde maculosos agnos antecedere gregem ovium fecerat, ut sequentes oves ex aspectu præcedentium conciperent, atque ita fœtum earum pro sua arbitrio variarat: id etsi Laban non comperetat, tamen se in partitione victum dolens, aliquam vultu significationem alienati à genero animi dederat, quod Jacob cernens clam sibi ab eo abeundum cum pecore parto putavit, atque ita fecit. Accessit, quòd Rachel quoque idola patris sui surripuit, quod ut Laban sensit, una & occultâ generi fuga, & ipsorum idolorum surreptione permotus, generum infesto animo est insecutus; postquam autem idola sua non reperit, quoniam ea Rachel ipsa abscondit, pacem cum genero fecit, eumque rogavit ne uxores filiabus suis superinduceret. Quod verò, inquit Sulpicius, (*vicesimoprimo ferè anno, profectum,*) expressit verba illa Jacob ad Laban: *Per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.* Mentio porrò idolorum hæc in sacra Scriptura prima est. Sunt qui scribant, Sarug octavum a Noe idola primùm excogitasse, nempe statuas hominibus in honorem posuisse, posteros autem ignorato ejus consilio eos tanquam Deos coluisse. Hac de re sic Salomon Sapientiæ XIV. *Supervacuitas hominum id in adventi in orbem terrarum. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit; deinde convalescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex, custoditus est, & tyrannorum imperio culta sunt figmenta.* Idola verò Laban cùm quæreret, Deos suos appellavit; ex quo apparet, solum ferme Abraham, & posteros ejus, ut supra dixi, in vera Dei cognitione mansisse. Quod cerò, inquit, (*Laban obtestatum esse Jacob, ne uxores filiabus suis superinduceret,*) id his verbis expressum est à Labane: *Judicet Dominus inter nos, quando recesserimus à vobis, si afflixeris filias meas, & si traduxeris alias uxores super eas.* Quod cerò addit, (*inde digressus Jacob vidisse Angelos, & castra Domini traditur*) Hoc sic expressum est in Genesi: *Jacob abiit in itinere, quod cœperat; fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt hæc, & appellavit nomen illius loci Manahim, idest, castra.* Esau verò frater Jacob, alio nomine Edom appellatus, regionem tenuit trans mare Salinarum, sive lacum Asphaltitem, eamque Edom nominavit; unde Idumæa regio nomen accepit; cùm ergo Jacob abiens agmen pecodum suarum illac præterduceret, timuit, ne ab eo invaderetur, veterum simultatum nondum oblito, & missis nunciis, qui suspectum ejus animum explorarent, & partem gregis afferrent, pacem obtinuit, & in amplexus ejus obviam prodeuntis unà cum tota familia venit. Quod autem inquit, (*nec tamen Jacob se ultra fratri credidit,*) expressit illud, quod cùm Esau se socium itineris ei offerret, respuit, & illum, præire, se verò secuturum adjecit.

(102) Gen. XXVIII. 18. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Ita Interpres vetus. Est autem versum ex Græca, ἔστησεν αὐτὸν στήλην. Et *titulus* hic nihil aliud quàm στήλη columna, statua. Hinc & in versione sequitur: *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* Rursus cap. XXXV. 14. *Erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus.* Et vers. 20. *Erexit Jacob titulum super sepulcrum ejus.* Noster, quia voce *titulus* in eâdem historiâ exprimendâ usus est, adparet, ipsam illam versionem veterem ab eo lectam fuisse; aut certè vocem Græcam στήλη ab Interprete Latino, & à nostro Auctore unâ eâdemque voce Latinâ expressam esse.

(103) Supra pag. 24. *Hujus filiam poposcit*, subaudito *in matrimonium*. Infra: *In matrimonium adsumsit.* Et paulò post: *In matrimonium accepit.* Item: *In matrimonium dedit.* Quid si ergo, & hic legeretur: *in matrimonium postulans?*

(104. Videtur velle, non ante Jacobo traditam fuisse Rachelem, quàm septem alios annos servisset. Verùm aliter habent fontes; videlicet cùm unam hebdomadem vixisset eam Liâ, statim ei & Rachelem traditam fuisse; sed eâ tamen conditione, ut Labano septem alios annos pro eâ serviret. Quod vel ex versione Latinâ intelligere potuisset noster. Habet enim sic: *Tandemque potitus optatis nuptiis, (Rachelis) amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis*, Genes. XXIX. 30.

(105) In margine editionis Amstelodamensis positum *Nephthali*; quasi nostrum non scripsisse *Nephthalim*, & emendandum hic aliquid esse, fit verisimile. Verùm sciendum, alludere eum ad versionem Græcam, quæ omnino habet Νεφθαλείμ, adjecto μ. Quæ eadem scriptio & in ipso Novo Test. observatur Matth. IV. 15.

(106) Tacitus lib. I. *Quidam sceleris uxoris suspectabant.* Ceterùm propriè *suspectare* est frequenter sursum conspicere. Ut apud Martialem, *oculis suspectans sidera.*

(107) Omisso & subaudito *post*, quod alibi disertè additur. Nepos Attil. *Sexto ferè anno, postquam erat expulsus.* Item Hamilc. *Nono anno, postquam in Hisp. venerat, occisus est.* Noster lib. II. *Sexto anno, postquam redierat, in patriâ obiit.*

(108) Nec nisi post tertiodecimum diem discessus fugientem attigit. Nam quum Jacob abiret, tridui itinere abfuit. Donec Carras reverteretur, alii tres dies elapsi sunt. Restant septem, quibus ad montem Galaad pervenit. Difficiles enim per Mesopotamiam viæ sunt, ut Josephus notat.

(109) Satis Latinè. Cicero de Senect. *Cùm sententia Senatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho.* Vide & pag. 97. libri de Latinit. falsò susp.

(110) Ne præter suas filias uxores alias duceret. Verbo *superinducere* & alii usi; sed alio sensu. Plinius lib. XV. cap. 17. *Duum pedum terra superinducta.*

(111) Adjecta ea adpellatio, quâ Angelus ipse Jacobus vocavit dicendo מחנה אלהים זה. Quod Interpretes Græci vertunt, παρεμβολὴ Θεοῦ αὕτη, & Latinus: *Castra Dei sunt hæc.*

gaiis, & muneribus, suspectum sibi fratrem exploravit. Tum ille obviam fratri processit: nec tamen Jacob se ultra fratri credidit.

Sed pridie, quàm inter se fratres convenirent, Dominus humanâ specie adsumtâ, colluctatus cum Jacob refertur. (a) Et cùm adversùs Dominum prævaluisset, (112) tamen non esse mortalem, non ignoravit: (113) benedici sibi ab eo flagitabat. (114) Tum à Deo illi immutatum nomen est, ut ex Jacob Israël diceretur. (115) Sed cùm ille vicissim à Domino nomen Domini quæreret: Non esse quærendum, quia admirabile esset, responsum est. Ex colluctatione autem, latitudo femoris Jacob obtorpuit. (116)

Igitur Israël declinans fratris (b) domum, (117) promovit agmen in Salem Sicimorum oppidum: atque ibi loco pretio accepto, (118) tabernaculum statuit sibi. Huic oppido Emor, Chemoreus princeps (119) præerat. Hujus filius Sichem, Dinam filiam Jacob ex Liâ genitam, stupro subdidit. Quo comperto, Simeon & Levi, Dinæ fratres, omnes in oppido sexûs virilis dolo peremerunt, ac impigrè sororis ulti sunt injuriam: oppidum à filiis Jacob direptum, præda-

(a) Hæc est mystica Dei cum Jacob luctatio, quam sic expressit Scriptura: *Et ecce vir luctabatur cum Jacob usque mane, qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit: dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora; respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Hac lucta verò significatum Theologi volunt, Jacob adversa omnia virtute superaturum. Passionem verò Christi S. Augustinus præfiguratam putavit, *ubi visi sunt et prævalere Judæi, & tamen Jacob benedictionem ab Angelo eodem, quem superaverat, impetravit.* Inde (*à Deo illi immutatum nomen est, ut ex Jacob Israël diceretur.*) Sic enim dixit Deus in illa lucta: *Quod nomen est tibi? respondit: Jacob; at ille: Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Israel autem alii interpretantur: *Videns Deum*, alii, *Princeps cum Deo.* Josephus verò interpretatur reluctantem Angelo sacro. Hinc Hebræi Israelitæ postea nominati (*Sed cùm ille vicissim à Domino nomen Domini quæreret: Non esse quærendum, quia admirabile esset, responsum est.*) Ibid. *Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* (*Ex colluctatione autem latitudo femoris Jacob obtorpuit.*) Ibidem: *Jacob claudicabat pede, quam ob caussam non comedunt nervum filii Israël, qui emarcuit in femore Jacob.* Hebraica lectio habet *nervum femoris*: septuaginta Interpretes, *latitudo femoris*, quam etiam Josephus est sequutus.

(b) Narrat demum, ut Jacob domus in Chananæam pervenerit. Quippe cùm à sinistra regionem Idumæam haberet, fratrem Esau vitans, eam reliquit, & ad dexteram conversus secus Jordanem ipsum è regione oppidi Salem transivit, atque ibi in loco pretio empto consedit; unde scriptum est: *Transivitque in Salem urbem Sicimorum, quæ est in terra Chanaam, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, & habitavit juxta oppidum; emitque partem agri, in quo fixerat tabernaculum, à filiis Hemor patris Sichem agnis centum.* Hæc autem Salem post fuit in finibus Effraim in Samaria, longe alia, atque ea, quæ post in Tribu Juda dicta est Jerusalem. Interim Sichem regis Hemor filius Dinæ Jacob filiæ, fratribus absentibus, stuprum intulit, ac deinde eam à patre in matrimonium postulavit. Jacob consilio cum filiis capto respondit, nefas sibi esse filiam homini incircumciso in matrimonium dare; si circumcidi vellent, se puellam daturos, atque apud eos domicilium posituros. Assensere illi, & circumcisionem accepere; tertio verò post die, quo maximè vulnerum sævire ex circumcisione dolor solet, Simeon, & Levi Dinæ fratres contumeliam illati sorori stupri sibi ferendam non arbitrantes urbem ingressi, viros omnes cum Rege, & filio trucidarunt, & prædam inde abegerunt, licèt patre Jacob repugnante. Ita Jacob relicta Salem, Dei monitu venit Bethel, quæ Luza dicebatur, & Altare erexit, & locum Domum Dei vocavit. Inde Bethleem, quæ vocatur Eufrata, atque trans turrim Gader tabernaculum fixit; ibique Rachel ex partu mortua est, cùm Benjamin peperisset; venit demum Jacob ad patrem Isaac in Hebron, tumque Isaac vita cessit. Quod autem legitur apud Sulpicium, (*huic oppido Emor, Chemoreus princeps præerat*) sumpsit à Græcis, ut solet, *Hemor Chorræus*; nam Hebræi habent: *huic oppido Hemor Hevæus princeps præerat*: cap. XXXIV. Quod autem inquit, (*in parte turris Gader tabernaculum fixit*:) capite XXXV. sic scriptum est: *Egressus inde fixit tabernaculum trans Turrem gregis*; & Græci: *Fixit tabernaculum trans turrim Gader.* Ex quo declaratur, Sulpicium hunc locum parum aptè vertisse, (*in parte turris*,) quod etiam alii notarunt; mors inde Isaac narratur, capite XXXV. Progeniem autem Esau hic recensere recusat, referens lectorem (*ad Origines*,) idest, ad Genesin, capite XXXVI., ubi copiosè refertur; imitatione enim Catonis vocat librum Geneseos Origines; nam & ille in 20 origines scripserat urbium Italicarum. Ejus verò progenies gentem Idumæam edidit, quæ à Deo recessit, sed tandem circumcisionem accepit.

(112) Tali locutione & Interpres usus fuerat Genes. XXXII. 28. *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis.* In Hebræo est:

כי שרית עם־אלהים ועם־אנשים ותוכל׃

(113) *Mortalis* pro homine. Nepos IX. 5. 1. *Accidit huic, quod ceteris mortalibus.* Sallustius B. Jugurth. *Multos mortales cum pecore atque aliâ præda capit.* Sed hi tamen in num. plur. usurpant.

(114) Hoc paullò latiniùs, quàm si dicatur *benedici se à Domino*. Ex phrasi *benedicere alicui* commodè dicitur impersonaliter *benedicitur alicui ab aliquo*. Sed pro *benedicere alicui* dicunt etiam *benedicere aliquem*; idque per Græcismum, ut supra pag. 17. not. 32. monuimus. Atque inde dicendum porrò foret, *ille benedicitur à Domino*, & *benedici se à Domino flagitabat*.

(115) De nomine Israël vide quæ annotata sunt ad librum I. n. 19. Sigonii de Hebræorum Republica.

(116) Notat Tostatus, die sequenti Jacob sanatum fuisse, ut sine claudicatione Esavo obviam iret. At alii sentiunt, illum tota vita claudicasse: atque hinc morem invectum fuisse apud Judæos, illius partis abstinendi ab esu.

Secutus est versionem Græcam, aut quæ ex eâ facta esset, Latinam. Græca habet Gen. XXXII. 25. Ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνάρκησε τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ἰακώβ. Latinus vetus habet: *Tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Per *latitudinem femoris* intelligendum os latum, vel nervus latus femoris. Josephus lib. I. cap. 19. appellat τὸ νεῦρον τὸ πλατύ.

(117) At dixerat, venturum se ad fratrem in Seir, Gen. XXXIII. 14. Fortasse non consultum ei visum fuit, quòd metueret, ne frater sententiam mutaret. Non faciendo autem, quod dixerat, nihil peccavit: quia nihil incommodi aut damni inde ortum est fratri, quòd ad eum non venit.

(118) Nempe agnorum centum ἑκατὸν ἀμνῶν, ut vertunt LXX., & ut explicat S. Hieronymus, & Onkelos Chaldæus. At Hebræi de certo nummorum genere intelligunt, qui dicuntur apud eosdem pretiam agni æquasse, habuisseque ob id agni figuram. Sic bos apud Græcos, & pecunia à pecu, & opes, olim oves, ut opilio pro ovilio.

(119) Interpretes Græci, Ἐμμὼρ ὁ Εὐαῖος, Latinæ *Hemor Hevæus*. Drusius legendum conjicit *Hemor Chorræus princeps*, vel *Hemor Hevæus*; quoniam in editione Aldinâ versionis Græcæ Gen. XXXIV. 2. est Χορραῖος. *Chemoreus* legendum non esse, satis manifestum.

daque omnis est abducta. Id factum ægrè admodum tulisse Jacob traditor. Mox à Domino monitus, Bethleem petiit, ibique Altare Domino statuit. Inde in parte turris Gader (120) tabernaculum fixit. Rachel ex partu obiit: puer Benjamin vocatus est. Isaac decessit annos natus centum & octoginta. At Esau potens divitiis erat, uxoribus sibi etiam è Chananæorum gente adsumtis: cujus progeniem in hoc tam præciso opere inferendam non putavi. Si quia studiosior erit, ad Origines revertatur.

Post excessum patris, (121) Jacob in solo eo, in quo Isaac vixerat, commorabatur: (c) filii ejus aliquantùm ab eo, pascui gratiâ, (122) cum gregibus secesserant: Joseph tamen, ac Benjamin parvus, domi resederant. Carus admodum Joseph (123) patri, obque id invisus fratribus: simul, quia frequentibus ejus somniis, majorem eum omnibus futurum, portendi videbatur. Igitur ad inspiciendos greges, revisendosque fratres à patre missus, opportunus injuriæ (124) fuit. Namque viso fratre, consilium necis ejus ceperunt. Sed obsistente Ruben, (125) cui à tanto facinore abhorrebat animus, in lacum demissus: mox suadente Juda, deducti ad mitius consilium, negotiatoribus eum, qui tum Ægyptum petebant, vendiderunt: atque ab his Potifari, Præposito Pharaonis, (126) traditus est.

Per idem tempus (d) Judas, Jacob filius, Suam Chananæam in matrimonium adsumsit. Ex quâ tres filios sustulit, Her, Onan, Selam. Sed Her, Thamar connubio sociatur. Quo

mor-

JOSEPH.

(c) Ex hoc loco inquit Historia Joseph, quæ in hæc capita est distributa: Ut venditus sit à fratribus Mercatoribus Ægyptiis, ut à Mercatoribus Potiphari curatori regio traditus, ut à Potiphare in carcerem conditus, ut propter egregiam somniorum interpretationem liberatus, & annonæ curandæ præpositus, ac demum ut fratres, & patrem in Ægyptum per annonæ angustias advocarit, & a patre in Ægypto moriente benedictionem filiis suis obtinuerit. Ceterùm Jacob senex vitam agebat in Hebron, ubi & Isaac pater obierat; filii verò aliquantum ab eo pascui gratiâ Ægyptum versùs secesserant, Joseph, & Benjamin soli cum patre domi remanserant. Joseph autem ad fratres, ut greges inviseret, à patre missus insidias eorum evitare non potuit; nam primùm in cisternam demissus, deinde Mercatoribus Ægyptiis venditus est, qui eum Potiphari Pharaonis curatori tradiderunt; ii deinde fratres, a quibus venditus fuerat, rei frumentariæ inopia laborantes conservavit, verus, ut inquit S. Augustinus in Quæstionibus, Christi typus, qui post Judæis, a quibus crucifixus fuit, salutem dedit. Genesis capite XXXVII. Caussas autem affert, cur fratres Joseph ipsum vendiderint; quarum una fuit, quòd illum unicè à patre diligi viderent; altera, quod somniis illi portendi similem principatum animadverterent; de amore patris sic capite XXXVII. *Israël diligebat Joseph supra omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum; videntes autem fratres ejus, quod à patre plus amaretur, oderunt eum*; ex somniis autem Joseph unum fuit tale: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare meum manipulum: responderunt fratres ejus; numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Inde alia hujusmodi subsecuta odium accenderunt. Hoc igitur odio instigati, ubi Joseph a patre ad invisendos greges, revisendosque fratres missum procul viderunt, illum occidere statuerunt, dicentes: *Ecce somniator venit; venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, & dicemus: Fera pessima devoravit eum.* Primum autem consilium fuit necandi ejus, secundum in puteum demittendi, tertium vendendi; secundi consilii auctor fuit Ruben, qui in cisternam projici censuit, ne manus fraterno sanguine macularent; quod illi sequuti, ipsum Joseph, ut pervênit ad se, nudaverunt, inque cisternam dejecerunt, quæ carebat aqua. Quem enim (*lacum*) vocat Sulpicius, Scriptura appellat *cisternam*, cap. XXXVII. tertium consilium iniulit Judas; sic enim dixit: *Melius est, ut venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur*; cui assensi fratres prætereuntibus Mercatoribus Madianitis, qui Ægyptum petebant, viginti argenteis vendiderant; Mercatores autem vendiderunt illum in Ægypto Potiphari spadoni præposito Pharaonis. Quem verò hoc loco Sulpicius vocat (*Præpositum*,) post *curatorem regium* nominat. Hebraica verò versio, *principem militum*. Græca, *principem coquorum*; qua de re S. Augustinus agit in Quæstionibus super Genesim.

(d) Hic Scriptura per egressionem intexerit progeniem Judæ filii Jacob, ut ejus, à quo Rex David, ipseque in primis Christus descendit. Judas autem duxit uxorem, nomine Suam, mulierem Chananæam, ex qua suscepit tres filios Her, Onan, & Sela; verùm ex his, ut pravis hominibus, non est propagata stirps David, verùm ex Phares, quem suscepit ex Thamar nura sua, quod divina voluntate effectum videtur; nam cùm Her primogenitus ejus Thamar uxorem duxisset, ac sine liberis mortem oppetiisset, mandavit Judas Onæ minori filio, ut cum Thamar concumbens semen fratri suo excitaret; coivit ille, sed ne fratri filium gigneret, semen in terram profudit, qua de re a Deo item extinctus est. Tum Thamar ad patrem suam redire jussa cum socero Juda artificiosè concubuit; nam positis viduitatis vestibus, & meretricio habitu sumpto, cùm audisset, Judam venisse in Thamnas, in bivio itineris sedit, & a Juda ignorante ad concubitum appetita, cùm ei obsequentem se præbuisset, geminos concepit. Ubi verò dies partus venit, res mirabilis accidit; nam in ipsa effusione infantium unus protulit manum, cui obstetrix coccum alligavit, dicens: *Iste egredietur prior*; illo verò retrahente manum, egressus est alter. Horum, qui prius editus est, Phares, qui verò cocco signatus posterior, Zara est nominatus. Phares autem fuit, unde genus Davidis fluxit. Hæc cap. XXXVIII. Genesis, & cap. II. primi Paralip. S. Matthæus cap. I. Apud Sulpicium est *Heth*, pro *Her*. Sic enim in Genesi, & Paralipomenis, Hebraica, & Græca versione consentientibus. Quod ait (*postero die*,) in Græca versione est, *statim*.

(120) Sensus est, in tractu illo, ubi turris Gader erat. Male Victor, *in parte aliqua turris*: & frustra Sigonium Severum hic reprehendit, quem non intellexit. Græca Versio, ἐπέκεινα τῦ πύργυ Γαδὲρ, idest, *trans, aut ultra turrim*. Turris Gader, vel Ader, structa fuit in præsidium pastorum, & gregum, de qua scribit Eusebius de locis Hebraicis: *Gader turris, ubi habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum; quæ absque g litera in Hebræo Ader scribitur.* Vox *Ader* gregem sonat: unde legitur apud S. Hieronymum: *trans turrim gregis*.

Versio vulgata Gen. XXXV. 21. *Fixit tabernaculum trans turrim gregis*. Græca verò, ἐπέκεινα τῦ πύργυ Γαδὲρ. Secutus ergo rursus versionem Græcam, quæ vocem *Gader*, ut nomen proprium habet ex Hebræo עדר.

(121) *Excessus* pro morte, & ab aliis dicitur. Cicero I. de leg. *Certè non longe à tuis ædibus inambulans, post excessum suum Romulus Julio Proculo dixit, se Deum esse*. Subaudiendum autem *è vita*.

(122) Non modò numero plur. *pascua*, sed & singulari *pascuum*, idque substantivè dicitur. Varro lib. II. de re rust. cap. 11 *Pascuum viride*. Ceterùm dicunt quoque *pascuus ager*, *pascuus mons*, *pascua rura*.

(123) Tum quia è Rachele carissima uxorum natus erat; tum quia pater senex cum genuerit; quales præcipuè amantur. Plures amoris hujus caussas recenset Cornelius a Lapide, quem videre poteris.

(124) Cui facilè injuria fieri potest. Ita locutus Plinius lib. I. cap. 31. Et ad eumdem modum Sallustius B. Jugurth. *opportunus hosti*.

(125) Orationem ejus vide apud Josephum II. 3. Josephi verò ad fratres deprecationem egregiè descriptam invenies apud S. Ephrem de laudibus Joseph. Sunt qui scribunt, Ruben hoc facto meruisse, ut ex ejus Tribu Propheta Osea oriretur.

(126) *Præpositus* substantivè, ut *Præfectus Regis*. Ambrosius lib. de Joseph cap. 4. *Præpositus coquorum*; iisdem substantivè, sed cum alterius generis relatione. Pari modo *Præfectus alicujus generis* dicitur, aliâ atque aliâ ratione factâ.

mortuo, Onao fratris (127) oxorem accepit. Qui, quia spermata io terram effunderet, extinctus à Domino refertur. Tum Thamar meretricio habitu adsumto, (128) socero missa est, (129) exque eo geminos edidit. Io partu autem illo mirabile fuit, (130) quòd cùm prodeunti puero, ad dignoscendum, qui priùs nasceretur, obstetrix manum ejus cocco inligasset, reductus in alvum matris puer, postero die editos est. Nomen infantibus Fares, & Zara inditum. (131)

At Joseph, (e) cùm benignè à curatore regio, qui eum pretio acceperat, haberetur, domumque ejus, & familiam procuraret, decorus ipse insigni specie, (132) uxoris domini oculos in se converterat. (133) Cùmque amore ipsius deperiret, (134) adpetitum sæpiùs, nec adquiescentem sibi, (135) falso scelere infamat: ac viro queritur, stuprum sibi intentatum. Ita Joseph in carcerem est conjectus. Erant in eâdem custodiâ Ministri Regis duo, qui cùm somnia sua ad Joseph retulissent, futura ex somnio conjectans, unum eorum pœnas capite luiturum, alium absolvendum pronunciavit. (136) Atque ita accidit. (137) Igitur post biennium somnium Regi objectum est. Quod cùm à prudentibus Ægyptiorum (138) non posset absolvi, (139) Minister Regis ille carcere exemtus, Regem admonet, Joseph esse mirum somniorum ioterpretem. Ita Joseph solvitur, interpretatusque est Regi somnium: septem anois proximis maximam frugum ubertatem (140) futuram, consequentibus ioopiam. Quo metu Rex perculsus, videns divinum in Joseph spiritum, rei eum annonariæ præfecit, æquato secum imperio. Tum Joseph abundantibus per totam Ægyptum frumentis, magnam copiam congessit: multiplicatisque horreis, adversùs

(e) Redit ad Joseph, narrans, ut à Potiphari in carcerem missus sit. Joseph, inquit, propter eximiam oris speciem ab uxore domini ad libidinem appetitus, cùm ei obsequi noluisset, ab eadem falsò apud dominum de tentata pudicitia insimulatus, atque eo nomine à domino custodiæ traditus est. Inde exponit, ut propter somniorum peritiam è carcere exemptus sit. Ibi, inquit, posuit magnam sibi opinionem peperit egregii conjectoris, idest, somniorum interpretis; quòd duo somnia duobus Ministris Regis, qui secum in carcere tenebantur, enucleavit; cujus expositionis veritatem exitus comprobavit: nam alter eorum carcere liberatus, alter capite mulctatus est, ut ille futurum prædixit. Tertio loco docet, ut propter eandem scientiam a Rege ad maximum dignitatis fastigium evectus, atque annonæ præfectus sit. Interim enim Regi somnium hoc est objectum: *Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ, & pingues valde, & pascebantur in locis palustribus, aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, & devoraverunt eas, quarum mira species, & habitudo corporis erat*; item alterum tale: *septem spicæ pullulabant in uno culmo plenæ atque formosæ, aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ uredine oriebantur devorantes omnem priorum pulchritudinem*. Cùm autem horum somniorum interpretationem scire cupiens Rex neminem peritum inveniret, unus ex Ministris, qui carcere exemptus fuerat, Regi narravit, Joseph, qui in custodia esset, mirum esse somniorum interpretem. Ita Joseph solutor hoc modo somnia illa exposuit: *septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ septem ubertatis anni sunt; septem boves tenues & macilentæ, & septem spicæ tenues, & vento urente percussæ septem anni venturæ sunt famis, qui hoc ordine complebuntur. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti; quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retroabundantia*. Monuit inde, ut virum prudentem rei annonariæ præficeret, qui frumenta in annos sterilitatis necessaria congregaret. Rex autem cùm divinum in Joseph spiritum cerneret, eum provinciæ annonariæ præfecit, inquiens ad suos: *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Inde ad Joseph: *Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero? tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum Regni solio te præcedam. Ecce constitui te super universam terram Ægypti*. Inde addit Scriptura: *Egressus est Joseph ad terram Ægypti, venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti*. Postremò interserit progeniem Joseph, idest, filios duos Manassem, & Effraim ex Aseneth filia Potipharis Sacerdotis Heliopoleos uxore sua susceptos: erat autem annorum triginta, cùm stetit in conspectu Regis Pharaonis: nam sexdecim cùm esset, paverat gregem cum fratribus suis, cap. XXXVII. & XLI. Genesis.

(127) Jure propinquitatis, quod *Ibbum* vocant: quo tenebatur frater propinquus uxorem defuncti fratris in matrimonium ducere, ut ex ea semen excitaret. Fratris autem nomine intelligo fratrem πρός τι; qui si deerat, ibatur ad proximum agnatum. Poterat tamen is, qui uxorem, & liberos habebat, nuptias recusare.

(128) Interpres vetus Gen. XXXVIII. 14. *Depositis viduitatis vestibus adsumpsit theristrum, & mutato habitu sedit in bivio itineris*. Mox: *Deposito habitu, quem sumserat*.

(129) Cicero I. de Div. *Corpus cum matre miscere*. Peccavit autem graviùs, quàm socer: quia hic nurum suam esse nesciivit, putavitque cum prostibulo se rem habere. Cur tamen nurum suam justiorem se dixerit, exposuit Vossius in lib III Dissert. sacr. c 8.

(130) Hoc Deum ita dirigente factum, ut docet S. Johannes Chrysostomus: quia nimirum volebat Messiam ex Phares primogenito nasci.

(131) S. Hieronymus in Tradit. *Hoc nomen interpretatur Oriens. Sive igitur quia primus apparuit, sive quia multi justi ex eo nati sunt, ut in libro Paralipomenon continetur, Zara, idest Oriens, appellatus est*. Alii à filo coccineo, quo manus ejus revincta erat, sic appellatum arbitrantur. Nicolaus de Lyra: *ex fulgentia coccinei ad manum ejus ligati; Zara enim refulgentiam sonat*.

(132) *Species* pro pulcritudine. Unde *speciosus* pro pulcro. Supra pag. 15. *Speciosarum forma virginum capti*.

(133) Nepos Alcib. *Quâ re fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret*. Pari modo Curtius lib. III. & VIII. Nec multò aliter Florus in lib. II. dixit: *convertere in se omnium mentes*.

(134) Dicitur sanè *deperire aliquem*, & *deperire*

aliquem amore: easque phrases Plautus, Catullus, & alii habent. Sed dicitur tamen etiam *deperire amore alicujus*: & locutus est ita Livius non semel.

(135) Non gratificantem sibi. Dicitur sanè *adquiescere in aliqua re*, aut *in aliquo homine*. Sed dicitur tamen etiam *adquiescere alicui rei*, aut *alicui homini*. Seneca epist. XXIV. *Ut meliora tibi proponas, & adquiescas spei blandæ*. Noster rursus lib. II in princ. *Cum impudicis non adquievisset*: & quidem eâdem, quâ hic, significatione.

(136) Pro *absolutum iri*. Planè frequens nostro, participio passivo in *Dus*, uti pro futuro infinitivi modi.

(137) Ad præscriptam enim in somniis diem, Rex natalitium epulam celebrans, præpositum pistorum in crucem egit: pincernam vinculis exsolutum ministerio pristino restituit.

(138) Sacerdotibus & Prophetis: ita enim ipsorum Philosophi dicebantur. Tractabant hi primis Geometriam, Astronomiam, & Astrologiam, teste Laertio libro I. Hujus Sectæ conditor Hermes Trismegistus fuit, dictus Theut, Taith, Τάαυτος variante scriptura.

(139) *Absolvere somnium* pro *solvere somnium*, verbo composito pro simplici. Sic Plautus *absolvere navim* pro *solvere navem*; Tacitus *absolvere solem*; & Varro *absolvere promissum*; ut ad hunc locum monuit Drusius.

(140) Fertilitas Ægypti, & sterilitas ex Nilo pendet: *Duodecim cubitis si Nilus exundat, famem sentit Ægyptus; si tredecim, etiamnum esurit. Quatuordecim cubitis hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim*. Plinius lib V. 9 Haud dubie Nilus septem prioribus annis fuit cubitorum circiter sedecim, posterioribus non supra duodecim.

versibus futuram famem (141) consuluerat. (142) Eâ tempestate spes atque salus Ægypti in illo sita erat. (143) Per idem tempus verò duos ex Aseneth filios genuit, Manassem & Effrem. Ipse autem, cùm summam à Rege potestatem accepit, erat annorum XXX. Nam à fratribus, septemdecim annos natus, venundatus est.

Interea rebus in Ægypto adversùs famem (f) benè compositis, orbem terræ gravis (144) frumenti inopia quatiebat. Quâ necessitate compulsus (145) Jacob, filios in Ægyptum misit, Benjamino tantùm secum domi retento. Igitur rerum potentem, (146) penes quem annonæ arbitrium erat, (147) fratres adeunt, & more regio adorant. (148) Quibus ille visis, callidè agnitionem dissimulans, hostiliter eos venisse, & subdolè loca explorare, arguebat. Angebatur autem, quòd Benjamin fratrem non videbat. Res ergo in id deducta, (149) ut præsentiam ejus pollicerentur: nimirum ut ex eo quæreretur, an isti explorandi causâ Ægyptum intrassent. Ad promissi autem fidem Simeon obses traditur: ipsis frumentum gratis datum. (150) Rursum igitur revertentes, (151) Benjamin, ut convenerat, deduxerunt. Tum se cognoscendum (152) Joseph fratribus præbuit, non sine pudore malè merentium. Ita eos oneratos frumento, multisque donatos, domum remisit: præmonens, quinque adhuc annos famem futuram: cum patre atque omni progenie ac familiâ ad se commigrarent. Igitur Jacob in Ægyptum descendit, (153) Ægyptiis admodum lætantibus, gaudente Rege, benignè à filio susceptus. Id gestum anno ætatis

(f) Deinceps narratur, ut Joseph fratres, & patrem inopia rei frumentariæ oppressos in Ægyptum acciverit; unde Israelitarum genus in Ægypto est propagatum. Quippe Jacob, eadem frumenti inopia, qua ceteri, conflictatus, audiens frumenta vendi in Ægypto, dixit filiis suis: *Quare negligitis? audivi triticum vendi in Ægypto; ite, & emite nobis necessaria, ne consumamur inopia*. Euntes igitur fratres decem, Benjamino domi à patre retento, ne quidquam mali in itinere pateretur, intere Ægyptum; & Joseph annonæ Præfectum adeuntes, postulavere frumentum; ille eos quidem agnovit, sed re dissimulata, ad explorandа loca Ægypti immunita venisse arguit, neque eos se ante dimissurum, quam fratrem minimum, quem domi se reliquisse dicebant, nempe Benjamin, ad se adducerent, dixit; nam ex eo se causam itineris eorum exquirere velle: illi se facturos promiserunt, atque Simeone fratre obside relicto, abierunt, ac gratis frumentum retulerunt. Reversi inde cum fratre Benjamin eis demum ipse se plane, quis esset, indicavit, inquiens: *Ego sum Joseph. Adhuc pater meus vivit?* Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti; ad quos ille clementer: *Accedite ad me: Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum, nolite pavere*. Inde frumento, vestibus, pecuniisque donatos remisit, & monitos, quinque annos adhuc inopiæ superesse, rogavit, ut patrem ad se cum familia tota deducerent. Ita Jacob in Ægyptum concessit. Hæc pluribus, & satis perspicuis verbis narrantur in Genesi cap. XLII. XLIII. XLIV. & XLV. Quod verò addit: *Id gestum anno ætatis Jacob centesimo & tricesimo, à diluvio autem anno MCCCLX. Ceterum ab eo tempore, quo Abraham in terra Chananæorum consedit, in id, quo Jacob Ægyptum ingressus est, referuntur anni CCXXV*. Ex eo colligitur, quòd centum triginta annos tum agebat Jacob; nam a Rege interrogatus: *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* respondit: *centum triginta*. Quod verò annos Sulpicius numerat a diluvio ad hunc annum MCCCLX. librariorum vitium habet, cùm sit legendum MCCCLXX. nam à diluvio ad ortum Abrahæ supra numeravit annos MLXX. Abraham inde annos natus centum genuit Isaac, Isaac annorum septuaginta genuit Jacob, qui juncti faciunt MCCXL., quibus si addamus CXXX. ipsius Jacob, colligimus MCCCLXX. Item ab eo anno, quo Abraham in Chananæam venit, usque ad eum, quo Jacob in Ægyptum se contulit, non sunt anni CCXV., sed CCXXV. Abraham enim annos natus centum genuit Isaac, Isaac annos agens septuaginta genuit Jacob, Jacob anno centesimo tricesimo venit in Ægyptum, nempe anno CCC. post natum Abraham; deme igitur CL. ex CCCLXXV. quo anno Abraham venit in Chanaam, remanent anni CCXXV. atque ita sine dubio corrigendum est, cùm error ex notis manarit.

(141) Meminit hujus famis Justinus Historicus libro XXXVI. ex Trogo Pompejo. Accidit autem, putante Orosio libro primo capite octavo, anno ante Urbem conditam CIↃXLVIII.

(142) *Consulere* pro providere, prospicere. Quibus verbis subinde & adjungitur. Cicero III. in Verr. *Quibus unis consulere, ac prospicere debemus*. Eâ significatione plerumque Dativum sibi junctum habet; ut *consulere alicui benè vel malè, consulere commodis, & utilitati alicujus, consulere paci, pudori, fortunis, vitæ*. Annon ergo dici potuisset *futuræ fami consuluerat?* Sanè non rebus bonis tantùm, sed & malis consulere dicimur: etsi paullò rarius hoc fit quam illud. Plinius quidem in epistolâ quâdam dicit, *consulere infirmitati*. Ceterùm *consulere adversus aliquam rem*, noster & infra alicubi dicit.

(143) Terentius Adelph. III. 5. *In quo nostræ spes opesque omnes sitæ erant*.

(144) An ergo universalis fames? Non videtur. Non enim suffecissent horrea Ægypti, ut advertit Abulensis. Lege orbem terræ, idest magnam ejus partem, ut Æthiopiam, Lybiam, Arabiam, Chananæam, vicinasque Ægypto regiones.

(145) Quod orbem terræ gravis frumenti inopia quatiebat, id necessitatem vocat. Nepos Themist. *Quâ necessitate coactus*

(146) Ut *rerum potiri* dicitur, ita noster hic, & infra quoque *rerum potens*.

(147) *Arbitrium* pro *potestate*. Ut in illo Ovidii: *Te penes arbitrium nostræ vitæque necisque*. Pari modo dicunt: *Penes aliquem est imperium, res, ubertas*. Nepos Themist. *Penes quos summum imperium erat*.

(148) Vocabulo *adorare* usus fuerat & Interpres vetus vertendo Genes. XLII. *Cumque adorassent eum*. Atque ita Hebræum השתחוה exprimere voluit; vel Græcum προσκυνεῖν, ut sit, corpore in terram prostrato venerari. Scriptores profani id vocabuli, ut plurimùm de cultu Deorum usurpant; qui tamen non sine plicatione genuum, & gestu corporis &c. Interdum tamen, & de veneratione hominum, & civili. Plinius lib. VIII. cap. 1. *Quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt*, scilicet elephanti. Justinus lib. VI. *Conon à Regis conspectu, & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet*. Lampridius in Alex. Severo: *Adorari se vetuit Regum more Persarum*. Alii rem eam verbo venerari exprimunt. Nepos Con. *Necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te Regem*. Curtius lib. VIII. *More Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare, prosternentes humi corpora*.

(149) Nepos, *rem eo perducere*. Ut Dione, *eò rem perduxit*. Et Epam. *eo res utrorumque perduxit*.

(150) Soluta quidem pecunia fuit; verum, quia ipsis inscitis in saccos eorum conjecta, frumentum meritò gratis datum censeri potest.

(151) Ita Plautus Prol. Pœn. *Revortar rursus*. Et Florus *rursus redire*. Vide Indicem in nunc Freinshemii, & a nobis locupletatum in Nepotem, voce *rursus*, & etiam supra.

(152) Rabbini putant, eum ostendisse ipsis circumcisionem suam. Sed sola venditionis commemoratio sufficit: *Ego sum Joseph* &c. Hæc vox inopina, quasi fulmen perculit fratres, eosque attonitos, elingues, & quasi amentes reddidit. A formidabili ejus potentia, sceleri suo non nisi mortem meritam expectabant.

(153) Non sine gravi metu hoc iter Jacob suscepit. Primò, ne posteri ejus idololatria inficerentur, quæ tum maxime in Ægypto invaluerat, ut inquit S. Augustinus XXIII. de Civ. Dei IV. Deinde etiam, ne illecti amœnitate regionis, Chananææ, quam Deus promiserat, obliviscerentur. Sedes Israelitarum fuit regio Gosen, quæ sita fuisse creditur Nilum inter & mare Rubrum, non longè ab On, sive Heliopoli, ubi Joseph agebat. Ejus pars fuit Rameses, ubi postea urbs ejusdem nominis ab Israelitis structa. Separatim degebant ob diversa Ægyptiorum instituta, quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium. Pastores enim vitam pecori adimebant, quod grande nefas apud Ægyptios.

tis Jacob centesimo & trigesimo: à diluvio autem, anno CIↃ. CCC. & LX. (154) Ceterùm ab eo tempore, quo Abraam in terrâ Chananæorum consedit, in id, quo Jacob *Ægyptum* ingressus est, referuntur anni CCXV.

Igitur Jacob septimo & decimo anno, (*g*) quàm *Ægypto* advenerat, (155) urgente morbo, Joseph filium obtestatur, corpus sepulcro suo (156) redderet. Tum Joseph patri benedicendos

(*g*) Denique agit de morte Jacob; primum autem ut Joseph ad corpus suum avito sepulcro mandandum, rogavit, deinde ut filios Joseph benedixerit, ac minorem majori præposuerit, postremò ut filios suos benedictione lustrarit, & de omnibus vaticinium illustre cecinerit. De primo sic cap. XLVII. *Jacob vixit in Ægypto annos XVII. factique sunt omnes dies vitæ illius CXLVII. cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulcro majorum meorum.* Apud Sulpicium porrò legendum est (*pro septimo & decimo*,) *septimodecimo* vitio eorum, qui notas explicuerunt, pro (*Ægypto*) *Ægyptum*. (*Sepulcrum autem suum*) intellexit, in quo majores sui reconditi fuerant contra faciem Mambræ; deinde addit de benedictione (*Tum Joseph patri benedicendos filios obtulit, quibus benedixit, cùm tamen benedictione merito majori minorem præposuisset.*) Operæpretium autem est scire, qui fuerint filii Joseph, & qua ratione Jacob minorem majori præposuerit. Ubi Joseph morbum gravem patris agnovit, filios suos ad eum adduxit, Manassem majorem, & Effraim minorem, ac posuit Effraim ad dexteram suam, idest, ad sinistram patris, Manassem verò in sinistra sua ad dexteram patris, admovitque ambos ad eum; ille verò extendens manum dexteram posuit super caput Effraim, sinistram autem super caput Manasse, commutans manus, benedixitque eis. Videns autem Joseph, eum posuisse dexteram super caput Effraim, graviter accepit, & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Effraim, & transferre super caput Manasse, inquiens: *Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus, qui renuens ait: Scio, fili mi, scio; & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater ejus minor major erit illo, & semen ejus crescet in gentes, benedixitque eis dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus, sicut Effraim, & sicut Manasse; constituitque Effraim ante Manassem; & ait Joseph filio suo: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum; do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Hoc autem historicè sic exponi posse putamus, majorem futurum Effraim, quàm Manassem, quia Josue, Dux Hebræorum, ex ejus sanguine esset oriturus, aut quia Hieroboam, qui fuit è progenie ejus, Regnum decem Tribuum esset adepturus: unde populus ille Effraimitæ dictus; sicut Roboam nepos David ex posteris Judæ fuit Rex duarum, unde Judæorum nomen manavit. S. Augustinus verò lib. XVI. de Civitate Dei mysticè sic explicuit: *Sicut duo Isaac filii, Esau, & Jacob figuram præbuerunt duorum populorum in Judæis, & Christianis, quamvis quod ad carnis propaginem pertinet, nec Judæi venerint ex semine Esau, sed Idumæi, nec Christiana gentes de Jacob, sed potius Judæi. Ad hoc enim tantum figura valuit, quod dictum est: Major serviet minori; ita factum est etiam in duobus filiis Joseph. Nam major gessit typum Judæorum, Christianorum autem minor. Quos cum benediceret Jacob, manum dexteram ponens super minorem, quem habebat ad sinistram, sinistram verò super majorem, quem habebat ad dexteram: grave visum est patri eorum, & admonuit patrem velut corrigens ejus errorem, & quisnam eorum esset major, ostendens. At ille mutare manus noluit, sed dixit: Scio, fili, scio. Et hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater ejus junior major illo erit, & semen ejus erit in multitudinem gentium. Etiam hic duo illa promissa demonstrans, nam ille in populum, iste in multitudinem gentium. Quid evidentius, quàm his duabus promissionibus contineri populum Israëlitarum, orbemque terrarum in semine Abrahæ, illum secundum carnem, istum secundum fidem?* Deinceps docet, ut filios suos benedixerit, atque eos vaticinio prosequutus sit. Rem autem memorabilem nimia brevitate complexus est, multis, quæ necessaria & egregia sunt, de re acta subductis. Filii Jacob duodecim fuerunt, Ruben, Simeon, Levi, Juda, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Aser, Nephthali, Joseph, & Benjamin. Horum supra etiam mentio celebrata est, nam ab his populus Israëlitarum Deo carissimorum manavit, de quibus sequens Historia contexitur. Israëlitæ verò dicti sunt Hebræi, qui ab Israële, is erat Jacob, genus traxerunt. Hos singulis Israël moriens benedixit, ac fata eorum prædixit: ex quibus quod Judæ prænunciatum est, hoc loco præteriri non potest, sic enim dixit: *Juda te laudabunt fratres tui; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui; catulus leonis Juda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem o fili mi asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum; pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Et hæc verba historicè, ac mysticè possunt exponi; historicè prædicatur, fore, ut ex progenie Judæ Reges orirentur, quos reliquæ Tribus venerarentur, quod in Davide est perfectum; nec transiturum principatum ad alienigenam, nisi sub adventum Christi, quo tempore Herodes Idumæus Regnum occupavit. Mysticè verò omnia referuntur ad Christum, qui mittendus a Deo, nunc multo clariùs, quam adhuc factum sit, prænunciatur. *Juda laudabunt te fratres tui*; per hunc enim Judam verus Confessor Christus exprimitur, quia ex ejus Tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudant fratres sui, Apostoli scilicet, & omnes coheredes ejus; quippe qui per adoptionem filii Dei effecti sunt, & Christi fratres per gratiam, quorum ipse est dominus per naturam. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum*: iisdem enim manibus, & amicos suos liberavit, & inimicos perdidit. *Adorabunt te filii patris tui*: quoniam multi ex filiis Jacob adoraverunt eum, qui per electionem gratiæ salvi facti sunt. *Catulus leonis Juda*: quoniam nascendo parvulus factus est; unde scriptum est: *Parvulus natus est nobis. Ad prædam fili mi ascendisti*, idest, ascendens in Crucem captivos populos redemisti; & quos ille leo contrarius invaserat, tu moriens eripuisti. *Requiescens accubuisti ut leo*; nimirum in Passione Christus recubuit, quando inclinato capite tradidit spiritum, sive cùm in sepulchro quievit. *Quis suscitabit eum*; nempe, quia nemo, sed ipse se suscitavit; unde dixit: *Solvite Templum hoc, & post triduum suscitabo illud. Non auferetur sceptrum de Juda*: Et certè non est ablatum, nisi quo tempore Christus venit, cùm ad Herodem Idumæum Regnum est delatum. *Ipse erit expectatio gentium alligans ad vineam pullum suum*; nempe pullum asinæ, nempe quia gentilium populum vineæ Apostolorum, qui etiam Judæi sunt, alligabunt. Christus autem alligavit asinam, cui supersedit, ad vineam, & ad vitem; ipse enim est vitis, asina verò Ecclesia est ex gentibus congregata; alii asinam synagogam accipiunt. *Lavabit in vino stolam suam*; hæc apertè ad effusionem sanguinis in Cruce pertinent. Hæc S. Augustinus docuit libro XVII. de Civitate Dei, capite XLI. Mortuus inde Jacob anno CXLVII. corpus ejus a Joseph sepulchro majorum mandatum est, cap. L. (*Joseph inde fratres post patris obitum pro conscientia paventes* bene-

(154) Sequitur rursus versionem Græcam, secundùm quam a diluvio usque ad nativitatem Abrahami sunt anni CIↃLXX., ut & supra noster habet: ab Abrahamo usque ad Isaacum anni C. Ab Isaaco ad Jacobum LX.: quibus si addantur anni Jacobi CXXX. exeunt ipsi anni CIↃCCC. & LX. Quem quidem numerum Sulpicio restituit Victor Giselinus, cùm lectum antea esset CIↃCCLX., aut CIↃCCCXL. Ceterùm secundùm textum originalem a diluvio usque ad ingressum Jacobi in Ægyptum, sunt modò anni IↃLXXXII.

(155) Omissa vocula *post*, quomodo supra pag. 26. *Vicesimo primo anno, quàm advenerat.*

(156) Majorum suorum, quod in terra Chanaan in spelunca, quæ in agro Ephron Hethæi, sive in spelunca, quæ in agro Machphala, è regione Mambre, quam emerat Abraham ab Ephrone Hethæo. Geneseos XLIX. 29. 30. Voluit in Chananæam deportari, ut testaretur eam terram posteris suis promissam, & ne illi in Ægypto sibi manendum putarent. Idem Joseph sibi fieri voluit, & verosimile est, etiam reliquos duodecim Patriarchas Hebrone sepultos fuisse: vel in Sichimis, ut S. Hieronymus vult; quod insinuatur Act. VII. 16.

cendos filios suos obtulit, quibus benedictis, (157) cùm tamen benedictionis merito majori minorem præposuisset, (158) filios omnes benedictione lustravit. Decessit autem annos natus CXLVII. Funus magnifice curatum: corpus in sepulcro majorum Joseph condidit. Fratres post patris obitum pro conscientiâ paventes, benignè habuit. Decessit autem Joseph ipse, ætatis anno decimo & centesimo.

SERVITUS ISRAELITARUM IN ÆGYPTO.

Hebræi igitur, qui in Ægyptum devenerant, (*h*) incredibile memoratu est, quàm citò numero aucti sint, multiplicataque progenie Ægyptum repleverint. Sed defuncto Rege, qui eos ob meritum Joseph benignè fovebat, succedentium Regum imperio deprimebantur. Nam & opus durum ædificandarum Civitatum eis impositum: & quia jam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicarent, (159) parvulos recèns editos aquis mergere edicto regio cogebantur. Nec dissimulari cruentum imperium licebat.

MOYSES DUX ISRAELITARUM.

Quâ tempestate (*i*) filia Pharaonis (160) infantem (161) in flumine repertum, nutriendum pro filio (162) curavit: nomen puero Moyses dedit. Moyses hic, cùm viriles annos ageret, con-

benignè habuit.) Quippe fratres sibi à Joseph timentes, ne fortè memor esset injuriæ, quam passus esset, obsecrarunt eum, ut oblivisceretur scelerum suorum, & proni adoraverunt eum, dicentes: *servi tui sumus.* Quibus ille respondit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? ego pascam vos, & parvulos vestros.* capite L. Genesis. Mortuus est inde Joseph centum decem vitæ suæ annis expletis. Huc usque pervenit Genesis.

Summa annorum ab ortu Abrahæ ad mortem Joseph est annorum CCCLXX.

Abraham enim anno LXXV. venit in terram Chanaam; anno C. genuit Isaac. Isaac anno LXX. genuit Jacob. Jacob anno XC. genuit Joseph; inde venit in Ægyptum anno CXXX., & ibi vixit annos XVII. Joseph vixit annos CX.

(*h*) Ab hoc loco incipit liber Exodi, qui continet servitutem Israëlitarum in Ægypto, & exitum eorum inde, duce Moyse; itaque cap. I. Exodi scriptum est: *Mortuo Joseph, & universis fratribus ejus, omnique cognatione sua, filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.* Inde ærumnas affert, quas Israelitæ pertulere in Ægypto post mortem Joseph. Etenim *surrexit Rex novus, qui ignorabat Joseph, qui dixit ad Ægyptios: Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est; venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.* Et (*opus durum ædificandarum Civitatum eis impositum.*) Quippe præposuit eis magistros operum, *ut affligerent eos oneribus, ædificaveruntque urbes tabernaculorum*; & post: *Atque ad amaritudinem traducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Et (*parvulos recens editos aquis mergere edicto regio cogebantur.*) Quippe jussit, ut obstetrices pueros mares interficerent, fœminas conservarent. Quod cùm non fecissent, præcepit, ut mares in flumen abjicerentur, fœminis parceretur. Hæc de servitute Israelitarum Ægyptia cap. I. Exodi continentur; in qua centum quadraginta quatuor annos vixerunt. Interim Levi, Jacob filius, genuit filium Caath, ex quo natus est Amram, cujus filius fuit Moyses, & Aaron, de quibus dicturi sumus. Levi vixit annos CXXXVII. Caath annos CXXX. Amram CXXXVII.

(*i*) Sequitur admirabilis liberatio servitutis Hebræorum duce Moyse, viro insigni, & gentilium quoque literis celebrato, qui incunabula Judæorum ab Ægypto prima duxerunt. Hic jussu, & ope Dei Hebræos ex Ægypto eduxit, ut in terram Chananæam patribus a Deo promissam adduceret. Per solitudinem iter ingressus, eos per quadraginta annos in ea tenuit, & cum Deo collocutus in solitudine, & monte Sinai Legem a Deo acceptam populo tradidit, & Rempublicam Israelitarum instituit. Inde ad Jordanem amnem progressus, Regibus omnibus regionis ejus subactis vita cessit, neque Jordanem trajicere, & Chananæam tenere morte præceptus potuit. Narratur autem primum genus, ortus, & educatio mirabilis ejus. Fuit enim filius Amram, pronepos Levi, abnepos Jacob, propter metum Pharaonis tribus mensibus occultatus; deinde ex lege ejus, cista inclusus, in flumen projectus, atque a filia Pharaonis fortè exceptus, & nutrici datus ad nutriendum. Adultum inde nutrix Reginæ reddidit, quem illa filium adoptavit, vocavitque nomen ejus *Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.* Exod. cap. II. (*Moyses hic, cum viriles.*) Refert inde quæ Moyses in virili ætate digna memoratu peregerit. Quippe egressus ad fratres suos Hebræos, vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de fratribus suis Hebræum, cùmque circumspexisset omnibus neminem adesse vidisset, Ægyptium percussum sabulo occultavit; inde iram timens Regis, qui eadem a se patratam compererat, aufugit ex Ægypto in terram Madian, ubi uxorem duxit Sephoram filiam Jethro Sacerdotis ejus regionis, ac pascendis ovibus operam dare cœpit. Exod. cap. II.

(157) De quâ Latinitate quid sentiendum, monitum est supra Notis ad pag. 17.

(158) *Merito* hic fere παρέλκει: ut *benedictionis merito* nihil amplius sit, quam *benedictione*, vel *per benedictionem*. Sic infra. *Merito fidei* pro *fide*, vel *per fidem*. Vide & infra.

(159) Tres causæ afflictionis Israëlitarum. Primò, metuebant, ne ingruente bello, hostibus se conjungerent. Deinde odium conceptum ex diversitate religionis. Tandem vaticinium quoddam, nasciturum ex Hebræis, qui imperium Ægypti everteret, ut inquit Josephus. Triplex est metus a peregrinis, ubi multum increscit eorum multitudo: ne conspiratione indigenas opprimant; ne hostibus se adjungant; ne vi exitum quærant.

Quandoque pro *aliquando*. Justinus lib. VII. cap 5. *Ignarus ejsdem quandoque exitiosum fore.*

(160) Thermuth, sive Thermuthin eam Josephus appellat, Merin Artapanus apud Eusebium. Addit Philo, eam unicam fuisse Pharaonis hæredem, & sine prole ullâ, licet diu nupta fuisset.

(161) Filium Amrami, quem ex Jochabed uxore genuerat. Hic Amramum patrem habuit Caath, Levi nepotem, Jacobi pronepotem. Fuit autem septimus a Patriarcha Abrahamo; quod significat Salmaticensis in libro Johasin per hæc verba: *Moyses Doctor noster, super quem pax, fuit septimus Sanctorum Patrum, sicut dies est Sabbatinus.* Hoc vult dicere, ut Sabbathum septimum dierum est; item Moyses septimus Patriarcharum.

(162) Matri eum tradidit nutriendum, quam per sororem Mariam, quæ ad flumen stabat, ad se vocaverat. Inquit S. Augustinus: *Mens filiæ Pharaonis servans paternæ sævitiæ vindicem.* Educatus autem inter Hebræos fuit, usque dum adolevisset. Ex quo patet, Moysem non ignorasse se esse Hebræum. Et in Epistola ad Hebr. XI. dicitur Moyses contempsisse adoptionem illam, malens publice haberi Hebræus & contemptibilis, quam filius Reginæ. Philo dicit, Thermuthin quum nuptolia esset, gravidam se finxisse, & genuisse Moysem, quasi Moyses non adscititius, sed naturalis ejus filius esset. Idem videtur innuere Apostolus ad Hebr. XI 25. quum ait, Moysem grandiorem factum, negasse se esse filium filiæ Pharaonis. Ergo ante habebatur genuinus ejus filius. Cur ergo Pharaoni mortuo, non Moyses, sed alius successit? Fortè quia matris fraus, & Moysis adoptio detecta fuit, inquit Cornelius a Lapide.

conſpicatus Hebræum ab Ægyptio pulſari, permotus dolore, fratrem ab injuriâ vindicans, Ægyptium calce perculſum interemit. Mox ſupplicium è facto metuens, (163) in terram Madian profugit: & apud Jethro Sacerdotem regionis illius diverſatus, (164) filiam ejus Sepphoram in matrimonium accepit, exque eâ duos filios Gerſom & Elieſer ſuſtulit.

HISTORIA JOB.

Hoc tractu (165) temporum Job fuit, (*k*) legem naturæ, & agnitionem Dei, & omnem justitiam complexus, (166) prædives opibus: (167) atque eò illustrior, quòd his neque integris corruptus, neque amiſſis depravatus eſt. Nam cùm per diabolum exutus bonis, filiis etiam eſſet orbatus, ad extremum diris ulceribus adſectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientiâ aliquâ in parte peccaret. Mercedem denique divini teſtimonii conſecutus, ſanitati redditus, (168) omnia, quæ amiſerat, in duplum recepit.

At Hebræi multiplicato ſervitutis malo (*l*) preſſi, querelis in cœlum converſi, ſpem auxilii à Deo exſpectabant. Tum Moyſi, paſcenti oves, repentè rubus ardere viſa: flammis tamen

(*k*) Hoc loco intexit per egreſſionem hiſtoriam Job viri gentilis, ſed cognitionem Dei habentis. De quo ſic S. Hieronymus: *Job in terra Hu*ſ*itide habitaſſe in finibus Idumææ, & Arabiæ fertur, & erat ei ante nomen Jobab, & accepit uxorem Arabiſſam, & genuit filium, quem vocavit Ennon. Erat autem ipſe quidem filius Zara, de Eſau filiis filius, de matre verò Boſra, ita ut ſit quintus ab Abraham. Et hi ſunt Reges, qui regnaverunt in Edom, in qua & ipſe regnavit. Sed primus in ea regnavit Bela filius Beor, & nomen Civitatis ejuſdem Denaba. Poſt hunc autem Bela Jobab, qui vocatur Job.* Item S. Auguſtinus lib. XVIII de Civitate Dei, cap. XLVII. *Nec ipſos Judæos exiſtimo audere contendere, neminem pertinuiſſe ad Deum, præter Iſraëlitas, ex quo propagatio Iſraël cœpit eſſe, reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quoſdam non terrena, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraëlitas ſupernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuiſſe, negare non poſſunt: quia, ſi negant, faciliimè convincuntur de ſancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proſelytus, id eſt, advena populi Iſraël fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibidem mortuus eſt, qui divino ſic laudatur eloquio, ut, quod ad juſtitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo ſuorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus licèt non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui merito Iſraëlitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe, quàm Iſraël.* Hactenus ille. Hic Job ſanctitate, opibuſque inſignis rogatu Sathanæ divitiis, & filiis ſpoliatur, neque tamen a laudibus Dei deterretur: inde ulcere teterrimo affectus diem ortus ſui deteſtari incipit: tum ad ſinistra conſilia ſe recipiens, juſſû ſe à Deo perculſum confitetur, ac duplum eorum, quæ amiſerat, cum peſtinaa valetudine recipit.

(*l*) Jam de libertate ſervitutis agere incipit, quæ per Moyſem facta eſt. Quippe, ut ſcriptum eſt capite II. Exodi: *mortuo Rege Ægypti ingemiſcentes filii Iſraël propter opera vociferati ſunt, aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus, & audivit gemitum eorum, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Jacob, & reſpexit Dominus filios Iſraël, & liberavit eos*, cap. II. Ratio verò liberandi fuit ea, quæ ſequitur: (*Tum Moyſi paſcenti oves rubus ardere viſa, flammis tamen, quod erat mirabilius, innoxiis:*) Ab hoc enim loco Deus incipit præſtare promiſſa facta Abrahæ, & pactum ſuum cum eo ſervare, ut ſemini Abrahæ poſſeſſionem Chananææ tribueret; ſic enim ſcriptum eſt cap. III. Exodi: *Moyſes paſcebat oves Jethro ſoceri ſui, Sacerdotis Madian, cùmque duxiſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb; apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat rubum ardere, & non comburi.* Accedenti inde ad rubum Moyſi Deus ſe patefecit mandans, ut in Ægyptum ſe referret, & Hebræos adiret, eoſque ſervitute exemptos in terram Chanaam, jampridem Abrahæ, Iſaac, & Jacob promiſſam educeret; diffidentem autem poſſe Hebræis perſuadere, poteſtate ſignorum edendorum confirmavit. Nam cùm juſſiſſet virgam projicere, in ſerpentem convertit; cùm præcepiſſet, ut manum intra ſinum conderet, lepra eam affecit; poſt autem eùm mandaſſet, ut ſerpentem cauda ſumeret, in virgæ formam redegit; cùm juſſiſſet, ut manum è ſinu extereret, eam priſtinæ ſanitati reſtituit. Verba porrò, quibus Deus appellavit Moyſem, hæc fuerunt: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiem eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem ejus deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram fluentem lacte, & melle, ad loca Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Hevæi, & Jebuſæi. Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, ut mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Reverſus eſt ergo Moyſes in Ægyptum, fide à Deo facta, mortuos eſſe, qui quærebant animam ejus. Quippe aſſumpto fratre Aaron, homine diſerto, qui ſibi in ſolitudine juſſu Dei occurrerat, prodiit ad Iſraëlitas, & ad eos convocatos ſigna Dei edidit, & per fratrem, Dei voluntatem, & mandata renunciavit, & populum ad relinquendam Ægyptum induxit; inde Pharaone convento dixit: *Dicit Dominus Deus Iſraël: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto; at ille reſpondit: Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro; ne fortè accidat nobis peſtis, aut gladius. Ait ad eos Rex Ægypti: Quare Moyſes, & Aaron ſollicitatis populum ab operibus ſuis? ite ad onera veſtra.* Narrat inde Scriptura, quod omiſit Sulpicius, ut gravioribus oneribus eos laterum faciendorum oppreſſerit, & non obedientes flagellis cæciderit; & ut Iſraëlitæ ea de re cum Moyſe ipſo conqueſti ſint, ut Moyſes eam rem ad Deum retulerit, ut Deus eum conſolatus ſit, promiſſis, quæ fecerat Abraham, Iſaac, & Jacob, confirmatis, his verbis: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo Omnipotente, & nomen meum non indicavi eis, pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. Ego audivi gemitum filiorum Iſraël, quo Ægy-*

(163) E & ex, ſæpe & cauſam notant. Nepos XXV. c. 3. *Qua ex re nobilis ferebatur*. Item XII. 2. 2. *Qua ex re Athenienſes magnam gloriam ſunt adepti*.

(164) Ibi quoque Geneſin ſcripſiſſe putatur, ad conſolationem Hebræorum, qui in Ægypto opprimebantur. Sed Theodoretus, Beda, Toſtatus, à quibus non diſſentit Euſebius VII. πρoπ., ſi verba ejus accuratè expendantur, totum Pentateuchum in deſerto, poſt exitum ex Ægypto, ſcriptum volunt.

(165) *Tractus* pro ſerie, ordine. Ut cùm dicitur *tractus terrarum, tractus maris, tractus arborum*. Virgilius Ecl. IV. *Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum*. Nepos I. 5. 3. *Ut arborum tractu equitatus hoſtium impediretur*.

(166) *Juſtitia* rurſus pro omni virtute & pietate, ut ſupra pag. 15; & juſtus pro pio & probo, pag. 16. Ceterùm *omnem juſtitiam complexus* dicitur, qui, ut Lucas Evang. cap. I. loquitur: πορέυεται ἐν πάσαις ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τȢ Κυρίȣ ἄμεμπτος.

(167) Habebat enim ovium ſeptem millia, camelorum tria millia, juga boum quingenta, & aſinas totidem, copioſiſſimumque ſervitium. Denique Orientalium omnium maximus erat, hoc eſt clariſſimus, & locupletiſſimus.

(168) Sic & inf. cap. XVI. lib. de V. Mart. *Confide enim, quod per te reddenda ſit ſanitas*. Pari modo dicit *redditur vitæ* cap. VII. ejuſdem libri. Pro quo eodem loco dicit etiam *vitæ reſtitutus*.

men, quod erat mirabilius, innoxiis. (169) Quâ novitate obstupefactus, rubo propius accessit, illatimque ad eum istiusmodi ferè verbis Deus locutus est: Dominum se esse Abraham, Isaac, & Jacob: quorum progeniem, Ægyptiorum dominatione depressam, ereptam malis cupiat. Iter ergo susciperet ad Regem Ægypti, ducemque se populi in libertatem restituendi (170) præstaret. Cunctantem potestate confirmat, virtutem ei signorum faciendorum (171) impertiens. Ita Moyses in Ægyptum profectus, signis priùs apud suos editis, adsumto fratre Aaron, Regem adiit: missum se à Deo prodit, verbisque se Dei dicere, populum Hebræum uti dimitteret. At ille, negans se Dominum nosse, parêre imperio abnuebat.

Cùmque Moyses (*m*) in testimonium mandatorum Dei ex virgâ draconem fecisset, mox aquas omnes in sanguinem convertisset, totamque terram ranis opplesset: facientibus similia (172) Chaldæis, (173) magicas esse artes, quæcunque per Moysen fierent, potiùs quàm Dei virtutem, pronunciabant, donec superductis cinyphibus (174) terra oppleta est, Chaldæis fatentibus, majestate

Ægyptii oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israel: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de servitute, & redimam in brachio excelso, & judiciis magnis; & assumam vos mihi in populum, & ero Deus vester, & scietis, quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, & Jacob; daboque illam possidendam vobis, ego Dominus, capite IV. V. & VI. Exodi.

(*m*) Narrat signa portentifica, quæ edidit Moyses ex præcepto Dei, ut Pharaonem ad Hebræos dimittendos adduceret, & plagas decem, quibus eum reluctantem affecit, quas deinceps exponemus. Prima plaga fuerunt aquæ in sanguinem conversæ; sic enim cap. VII. scriptum est: *Ingressi Moyses, & Aaron ad Pharaonem fecerunt, sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter, projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum, induratumque est cor Pharaonis, & non audivit eos*. Inde jussu Dei Moyses ad eum redit, & petiit, ut dimitteret populum, & sacrificaret Deo in deserto, minatus, se aquas in sanguinem conversurum, ut pisces morerentur, & aquæ computrescerent, quo non obediente virga percussit aquam fluminis, ut non possent Ægyptii bibere; cùmque eadem malefici peregissent, Pharao in contumacia perstitit, capite VII. Secunda plaga fuit ranarum. Rursus enim ingressus ad Pharaonem Moyses, verbis Dei mandavit, ut dimitteret populum ad sacrificandum, alioquin se terram, & amnes ranis oppleturum, quæ domum, & cubiculum, & lectum ejus invaderent; eo verò non obsequente, ranas induxit. Oravit autem Pharao Moysem, ut eam pestem abigeret, nam se populum dimissurum. Necatis ranis, tamen Pharao in pertinacia mansit, capite VIII. Tertia plaga fuere cinyphes. Siquidem *jussu Dei extendit virgam suam, & percussit pulverem terræ, & omnes facti sunt cinyphes in universa Ægypto*, capite VIII. Cinyphes autem tam in hominibus, quam in jumentis fuerunt, quos alii culices, alii muscas ex interpretibus fuisse dixerunt; malefici autem, quos (*Chaldæos*) Sulpicius vocat, eadem conati explere non potuerunt, cùm dicerent: *Digitus Dei hic est*. S. Augustinus in Sermone LXXXVI. *Sciniphes animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed adeò subtile est, & minutum, ut oculi visum nisi acutè cernentis eludat, corpus tamen cùm insederit, acerbissimo terebrat stimulo, ut quem volantem quis videre non valet, sentiat stimulantem*. Sumpsit autem hoc à Philone. Quod addit, (*Tum Rex malo coactus, advocato ad se Moyse, & Aaron*) Sulpicius id factum post cinyphes ait, ut se Pharao obsecuturum, peste illa depulsa, dixerit, liberatus verò malo ad ingenium suum redierit, cùm tamen post ranas immissas evenisse Scriptura prodiderit. Reliquæ inde plagæ septem, quæ numerum decem explevêrunt, fuere muscæ caninæ, pestilentia, ulcera pecorum, grando, locustæ, tenebræ, ac denique mors primogenitorum, quas Deus eo modo, quo superiores, repugnanti Pharaoni inflixit; ubi verò primogenita passim morientia Pharao vidit, demum victus, vocatis Moyse & Aaron nocte dixit: *Surgite, & egredimini à populo meo vos, & filii Israëlitæ, & immolate Domino, sicut dicitis, oves vestras, & armenta sumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi*. Quid autem hæ decem plagæ significatum ac prænuntiatum sit, pluribus in locis docuit S. Augustinus, sed maximè in sermone LXXXVI.

(169) Deus enim vim ignis naturalem non abstulit, sed suspendit: sicut factum, quum tres socii Danielis in fornacem igneam conjicerentur. Deus igitur hîc conservavit ignis substantiam; sed actionem & ustionem ejus impedivit, subducendo concursum & influxum suum, ne ageret in rubum, vel virentia folia ejus nimium afflaret, aut dissiccaret. Deo enim cum igne nolente concurrere, ne inferius quidem totus vel stuppam adusserit, ut scribit Cornelius a Lapide.

(170) Pari modo dicitur: *Auctor rei faciendæ*. Justinus II. 9 10. *Miltiades, & dux belli erat, & auctor non expectandi auxilii*. Ponitur autem participium passivum pro gerundio.

(171) Mox, *signis editis*. *Signa* pro operibus mirabilibus, pro miraculis, quo vocabulo eadem tes & Interpres Latinus adpellavit. Est autem Hebraismus. Alluditur enim ad vocem Hebræam אותות, quæ & signa, & opera mirabilia significat. Exod. IV. 17. *Virgam quoque hanc sume in manu tuâ, quâ facturus es signa*. In Hebræo est אותות. Similem Hebraismum & versio Græca habet, quòd in eâ vox Hebræa expressa est Græcâ σημεῖα: quæ & in novo Test. & eâdem quoque significatione, frequentissima est: pertinetque ad primam illarum classium, in quas Hebraismos novi Test. peculiari libro digessimus. Porrò *Virtus* pro δύναμις, *facultate, potentiâ* scriptoribus quoque ceteris inusitatum non est. Plautus Mostell. *Virtute formæ evenit, te ut deceat quicquid habeas*. Cicero I. de leg. *Arbores vel equi virtus*. Nolles quoque mox deinde *Dei virtutem* dicit pro *Dei potentiam*. Ceterùm ipsa quoque illa, quæ nunc signa dicit, idest, miracula, alibi *virtutes* dicit. Cognatæ enim hæc sunt, potentia, per quam miraculosa actio fit, & actio miraculosa ipsa.

(172) De hoc facto Magorum videndi sunt Sanctus Augustinus Quæst. XXI. & in tertio de Trinitate capite VII. & VIII. S. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 2. in coroll. quæst. & super Matthæum cap. XXIV. Lippomanus in Catena Patrum, & alii. Fuerunt enim hæc miracula spuria: *Nam quisquis credit aliquid posse fieri, aut aliquam creaturam mutari, aut transmutari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore*, procul dubio infidelis est, & pagano deterior. Concil. Arausic.

(173) Pari modo mox, *Chaldæis fatentibus*. Vox *Chaldæi* hic non gentis, sed artis vox est. Fuerunt enim Chaldæi isti natione Ægyptii. Sunt cujuscumque nationis, & gentis *magi* & mathematici dicti Chaldæi, quod Chaldæi præcipuè illi patriæ arti, passim superstitioni dediti fuerunt.

(174) Vocem *cinyphes* ex versione Latinâ Exod. VIII. mutuatus videtur. Ibi enim legitur: *Percussit pulverem terræ: & facti sunt cinyphes in hominibus, & in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in cinyphes per totam terram Ægypti*. In Hebræo est כנים. Versio Græca autem habet σκνῖφες. Ex qua voce Græcâ Latina *cinyphes* exiit; ita quidem, ut σ, quod per prosthesin additum, neglectum sit, & I interfertum. Dicunt vulgò κνίψ, κνιπός, & deinde per prosthesin σκνίψ, ut pro μικρός dicitur σμικρός. Quid insecti autem hic intelligatur, non adeò liquet. De vocabulo Græco Hesychius: Κνίψ, ζῶον πτηνόν, ὅμοιον κώνωπι. Ipsam vocem Hebræam nonnulli Latinâ *pediculi* vertere malunt.

jestate divinâ ista fieri. Tum Rex malo coactus, advocato ad se Moyse, & Aaron, dat populo discedendi potestatem, modò ut superductam cladem (175) averterent. Sed ubi clades exemta est, impotens sui animus, in se reversus, (176) exire, ut convenerat, Israëlitas non patiebatur. Ad extremum, decem plagis (177) corporis & regni sui contusus, & evictus est.

PASCHÆ INSTITUTIO.

Sed priùs, quàm Ægypto (n) populus est egressus, mandatis Domini instruitur, rudis adhuc temporum, (178) mensem illum, qui tunc erat, primum omnium mensium esse cognosceret; sacrificium autem diei illius in solennitatem consequentium seculorum ita esse celebrandum, ut quartadecimâ die mensis Agnus immaculatus, anniculus, victima cæderetur, ejusdem sanguine postes illinirentur: (179) carnem penitus exedendam, os autem non conterendum: (180) septem diebus fermento abstinerent, azymis uterentur, ritumque hunc posteris traderent.

Ita populus egressus (o) dives suis copiis, & Ægypti spoliis cumulatior: (181) cujus numerus, ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primùm Ægyptum descenderant, (182) ad millia

(n) Ab hoc loco incipiunt leges, & instituta Hebræis à Deo data, quæ sequentem eorum Rempublicam complectentur. Hebræi annum a Septembri, idest, ab æquinoctio autumnali ordiebantur; siquidem capite XXXV. Exodi, *fruges condis redeunte anni tempore* inquit. In primis verò, cùm annum lunarem in XII. menses, & CCCLV. dies distributum haberent, Deus jussit, ut primum anni mensem ab illo mense numerarent, quo ex Ægypto egrederentur; is autem post fuit apud eos Nysan, qui apud Romanos respondet Martio, nam tum ab ordine numerabant, ut tantùm dicerent primum, & secundum, & tertium mensem. Monuit præterea, ut quartam decimam diem illius mensis præcipuo in honore haberent, ac Phase, idest, transitum appellarent, & vespere agnum anniculum immaculatum comederent, & ne comederent ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed assum tantùm igni; caput autem cum pedibus ejus, & intestinis vorarent. Dum autem comederent, renes accingerent, calceamenta in pedibus haberent, baculos in manibus tenerent, & festinantes comederent, quia id ad Phase esset, idest, transitus Domini, & addidit: *Et cùm dixerint vobis filii vestri; quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos vestras liberans.* Agnum autem hunc præsignificasse Christum venturum, & passurum pro nobis, docuere satis S. Joannes Baptista, cùm dixit: *Ecce Agnus Dei*, & Christus, cùm agnum in Paschate edens cum Apostolis, ac panem offerens, suum illud esse corpus asseruit, quod offerendum esset pro multis in remissionem peccatorum; & S. Paulus, cùm ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus*; ut omittam S. Augustinum, qui cum ceteris id sæpissime repetivit, & maximè libro XII. contra Faustum. Inde per septem dies sequentes Azyma, idest, panem infermentatum edi præcepit, & primum ac septimum diem sanctum constituit.

(o) Jam narrare incipit de exitu Hebræorum ex Ægypto, qui discessuri jussu Dei petiere ab Ægyptiis mutuo vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam, eaque facile ab Ægyptiis impetravere; atque ita spoliatis Ægyptiis, divites & suis copiis, & Ægyptiorum spoliis abiere; cap. XII. Exodi. Quod autem ait: (*numerum ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primùm Ægyptum descenderant, ad millia virorum sexcenta pervenisse*;) sumptum est ex capite Genesis XLVI. & Deuteronomii X. ubi scriptum est. *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta*, pro quo numero Græca versio habet septuaginta quinque, quem numerum agnoscit quoque S. Augustinus libro XVI. de civitate Dei, capite XL. *Ingressi referuntur in Ægyptum simul cum ipso Jacob septuaginta quinque homines, annumerato ipso cum filiis suis, in quo numero duæ tantùm feminæ commemorantur, una filia, neptis altera. Sed res diligenter considerata non indicat, quod tantus numerus fuerit in progenie Jacob die, vel anno, quo ingressus est Ægyptum. Commemorati quippe in eis etiam sunt pronepotes Joseph, qui nullo modo jam tunc esse potuerunt, quando jam tunc centum triginta annorum erat Jacob, filius vero ejus Joseph triginta novem, quam cum accepisse tricesimo anno suo, vel amplius uxorem constet, quomodo potuit per novem annos habere pronepotes de filiis, quos ex eadem uxore suscepit?* Solvit inde quæstionem, intelligendum esse introitum Jacob in Ægyptum non unum annum, sed totum illud tempus, quamdiu vixit Joseph, per quem factum est, ut intraret, sexcenta verò inde millia peditum fuisse, cùm egressi sunt, scriptum est capite XI. Numerorum. Quod autem addit: (*Ab eo autem, quo primum Abraham terram Chananæorum accesserat, anno CDXXX.*) eum numerum sumpsit ex XII. Exodi, ubi est: *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum: quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Hoc autem aperte falsum est; neque enim tot annos in Ægypto fuere Hebræi. Itaque melius versio septuaginta Interpretum: *Habitatio filiorum Israël, qua habitaverunt in Ægypto, & in terra Chanaam ipsi, & patres eorum anni CDLXX.* Cui consensit S. Paulus scribens ad Hebr. *Testamentum confirmatum à Deo ea, quæ post CDLXX. annos facta est, lex non irritum facit ad evacuandam promissionem.* Incipit autem habitatio in terra Chanaam ab anno LXXV. Abraham, ut supra diximus, quo Deus testamentum suum Abrahæ confirmavit; summa verò annorum, qua inquit: (*A diluvio mille quingentis quinque & septuaginta*;) concipitur hoc modo, ut supra dictum est. A diluvio ad ortum Abrahæ MLXX.

(175) Verbum *superducere*, & ex Plauti Truculento affertur pro *præter jam addacta, alia adducere.*

(176) *In se reverti* alio sensu, quam quo Terentius dicit *ad se redire*, Andr. III. 5. 16.; nimirum pro eo ferè, quod idem Terentius dicit *redire ad ingenium* Hec. I. 2. 38. Pro *impotens sui animus*, Terentius, Cicero, & alii antiquiores dicunt etiam *impotens animus*, vocula *sui* omissâ.

(177) Has decem plagas metro comprehensas invenies apud Johannem Sarisberiensem in Polycratico 8. 18.

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda &c.

Et vide etiam annotatione 19. lib. I. cap. II. ad Rempublicam Hebræorum.

(178) Quod populus Hebræus novæ illius partitionis temporum expers fuit, ex eo non est colligendum, temporum eum planè rudem fuisse.

(179) Non tantùm *lino*, *linere*, sed & *linio*, *linire* reperitur. Propertius lib. III. el. 12. *Linuntur* *fagittæ*. Columella lib VI. cap. 17. *Quicquid vitiosi est mutrire, atque ita liquida pice cum oleo linire.*

(180) Omnes fere ritus edendi Pascha innuebant magnam festinationem. Et hinc calceati, stantes, cum baculis in manibus, edebant. Quidam ex his ritibus tantùm illam noctem primam spectabant; alii perpetui erant, veluti de non confringendis ossibus. Vide quæ annotata sunt ad Rempublicam mox laudatam, ubi de Paschate agit Sigonius lib. III. cap. IX.

(181) Spolium jussu Dei admissum, justum & sanctum est. Deus enim jubens tibi, aliquem spoliare, hoc ipso tibi jus & dominium in ejus bona largitur, ut ait S. Augustinus. Deinde merces erat, quam debebant: *Ægyptii enim populi erant debitores, non solum rerum, sed & vitæ suæ, propter Patriarchæ Josephi præcedentem benignitatem*, inquit S. Irenæus: *Reposcunt Ægyptii de Hebræis vasa aurea & argentea. Contra Hebræi allegant sibi mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis*, scribit Tertullianus II adversùs Marcionem. Qui tamquam ex antiqua traditione refert, Ægyptios, missis ad Moysem in desertum legatis, bona sua repetiisse: Hebræos contra mercedem. Subducta ratione, mercedem debitam longè majorem fuisse repertam.

(182) Fortasse *in Ægyptum*. Certè supra pag. 30. ita scripserat. Quanquam non novum est, nomina quoque Regionum sine præpositione poni.

lia virorum sexcenta pervenerant: ab eo autem, (183) quo primùm Abraham terram Chananæorum accesserat, anno trigesimo & quadringentesimo; à diluvio autem mille quingentis quinque & septuaginta. (184) Igitur properè egressis, (185) columna nubis interdiu, noctu columna ignis (186) præferebatur. Sed eùm ob interjectum sinum rubri maris, (187) præter terram Philistiim via duceret, (188) ne postea Hebræis eremum adspernantibus, (189) redeundi in Ægyptum continentibus terris noto itinere facultas panderetur; nutu Dei aversi, in rubrum mare inlati sunt, castraque ibi cunctantes constituerunt. Quod ubi Regi nunciatum est, Hebræum populum viæ errore in objectum mare devenisse, nullum ei esse exitum obsistente elemento, furens animi, quo angebatur, tot hominum millia regno suo, & potestati decedere, exercitum properè educit. Jamque eminus arma signaque & portentæ patentibus latè campis acies visebantur, cùm Hebræis metu trepidis, & cœlum adspectantibus, Moyses à Deo monitus, percussum virgâ mare discidit. (190) Ita populo, cedentibus in latera aquis, velut in continenti, iter pervium fuit. Nec cunctatus Rex Ægyptius cedentes insequi, mare, quà patebat, ingressus: mox coeuntibus aquis, eum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suorum, exitio hostium, virtuteque exsultans, (191) canticum Domino cecinit, idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit.

Sed ingressos (192) eremum, (p) cùm jam per triduum iter agerent, aquæ penoria urgebat,

MLXX. ab orto Abraha ad ingressum in terram Chanaam anni LXXV. inde ad egressum ex Ægypto anni CDXXX. Refert inde oblata Hebræorum profectioni impedimenta, quæ omnia Moyses consilio, & ope Dei superavit, quorum primum fuit maris obstaculum, de quo multo uberiùs, & elatiùs Exodi cap. XIII. *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans, ne fortè pœniteret eum si vidisset adversùm se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum, sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare rubrum, & armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Ex quo apparet, Sulpicium parum aptè vertisse: (*Hebræis eremum aspernantibus*,) non enim, si ad Philistium accessissent, eremum intraturi erant, sed bellum suscepturi; quare pro (*eremum*) *bellum*, erat dicendum. Philistium autem fuit Regio a nepote Cham appellata, ut scriptum est Genesis capite X. Hæc post à Græcis Palæstina vocata ad mare sita. Columnæ autem, & nubis præcedentis serenæ alia testimonia sunt. Addit deinceps, ut Pharao certior profectionis Hebræorum factus, eos sit persecutus; quod ex XIV. capite Exodi sumptum est: *Et nunciatum est Regi, quod fugisset populus, immutatumque est cor Pharaonis, & servorum ejus super populum, & persecutus est eos, & reperit in castris super mare.* Inde subjicit, ut Moyses a Deo monitus percussum virgâ mare disciderit, quod est scriptum ibidem ita: *Expostulantibus, & clamantibus Hebræis, quod in periculum essent adducti, Moyses dixit, ne timerent, nam virtutem Dei eos esse illo die experturos. Tum dixit Deus ad Moysen: Loquere filiis Israël, ut proficiscantur; tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio maris per siccum.* Post: *Cumque extendisset manum Moyses super mare, abstulit illud Dominus, divisaque est aqua.* Tum suggerit, ut Moyses cedentibus aquis Rubrum mare transierit, prout est in eodem loco: *Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus, à dextra eorum, & sinistra, persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, & respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis in ersecit exercitum eorum: cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis.* Deinde, ut Moyses feliciter mare transgressus exultans canticum Deo cecinerit, quod ita incœpit: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Quod autem scriptum est, Moysem (*exultasse incolumitate suorum, exitiu hostium, & virtute*) prope ridiculum est; nam si virtutem referas ad Hebræos, absurdum est, cùm nihil fortitudinis adhibuerint; si ad hostes, multo magis, cùm omnes quasi pecudes gurgitibus hausti sint; quare puto desiderari vocem *Dei*, ut sit, *virtuteque Dei*; nam in toto cantico nihil aliud celebratur, quàm virtus & fortitudo Dei. Unde illa post sæpe repetuntur: *Qui eduxit populum de Ægypto in fortitudine magna, & manu robusta.*

(p) Exponit deinceps alia profectioni impedimenta objecta, quorum unum fuit, aqua aut nulla, aut amara, de qua cùm Moysem populus, ut supra, accusaret, ille Dei monitu lignum aquis intulit, atque ita aquis dulcedinem addidit; ostendit enim ei Dominus lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, capite XV. Quod autem ait (*tum primum impotentis populi contumaciam apparuisse*) falsum est; nam prima expostulatio eorum, & in Moysen invectio fuit, cùm mare progressui suo objectum viderunt, non cùm aquæ ad potum inopiâ laborarunt. Porrò ingressos, non (*ingressus*) legendum. Aliud verò incom-

(183) Vox *autem* supervacua, imò incommoda, hìc videtur; quia mox in altero membro, & quidem tempestivè, ea sequitur. Vox *tempore* autem deficere, neque abesse sinit posse, videtur.

(184) Sequitur rursus Interpretes Græcos, qui primis post diluvium hominibus plures annos, quos, cum generarent, nati fuerint, tribuunt, quam Scriptura originalis Hebræa. Ex hâc quidem anni non nisi Iͻ CC XCVII. colligi possunt.

(185) Adjuncta Israelitis fuit ingens Ægyptiorum, & aliarum Gentium multitudo. Exodi XII. 37. Caussa fuit non tam tyrannis, vel sterilitas Ægypti, quam prodigia illa, quibus moti, quum internecionem totius Gentis suæ metuerent, se Israelitis adjunxerunt. Nec mirum Ægyptios fuisse exire cum Hebræis permisisse: nam tot plagis, & ultima omnium gravissima, perculsi, vel non curabant, vel non advertebant eorum egressum.

(186) Nempe, ut viam demonstraret. Scire licet in deserto Arabiæ nulla vestigia hominum apparere. Ideo gnomone utuntur, qui per illa loca iter faciunt, perinde, ut qui in mari navigant. Nec duæ diversæ columnæ erant; sed eadem, quæ per diem nubes videbatur, noctu ignem referebat. Igitur eâ & contra ardorem Solis, & contra tenebras noctis, utebantur. Solent enim in calidissimis illic desertis, noctes frigidiores interdum incidere; quod etiam sub ipso æquatore fieri solet.

(187) Rubrum mare statuere videtur latiùs, quàm ut solum sinum Arabicum denotet: idque ex veterum Geographorum dimensione, qui rubrum mare dixerunt, quicquid Arabiam & Persiam alluit. Verumtamen neque illud negandum, potiùs sinum Arabicum hoc nomine dictum fuisse, quam partes maris alias. Unde verò nomen sinui inditum fuerit, scitè conjecit Nic. Fullerus in Miscellaneis Theolog. lib. IV. cap. XX.

(188) Exod XIII. 17. *Non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est; reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset, adversùm se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum: sed circumduxit per viam deserti* &c. Scripsit fortasse Sulpicius: *Cùm per terram Philistiim via duceret.* Phrasis *via ducit* nota etiam ex illo Virgilii: *Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?*

(189) Alia hæc est causa, quàm quæ in adlatis modò verbis Exodi expressa est. Hanc autem Severum non animadvertisse, vix est verisimile. Et latet hic fortasse aliquid mendi.

(190) De transitu maris Rubri vide annotationem 30. ad librum I. Hebræorum Reipublicæ.

(191) Legendum sine dubio, *virtuteque Dei*, ut monuit Sigonius. Sanè virtus, id est, potentia, Dei in toto isto Cantico Mosis celebratur.

(192) Editiones, etiam recentiores, habent *ingressus*. Sed quidni recipiatur in textum, de quo Sigonius monuit, *ingressos*? Superstitio est, maculas adeò manifestas eluere nolle. Quod idem de proximâ quoque superiore maculâ dicendum videtur; nisi quis monuisset pro *virtuteque* legendum fore ut esse *interstugas*; ut adeò res adhuc ambigua hic sit.

bat, repertaque ob amaritudinem usui non erat. (193) Ac tum primum impotentis populi contumacia (194) adparuit, jamque in Moysen ferebatur, cùm edoctus à Deo, lignum aquis intulit, (195) cujus hæc vis fuit, ut dulcem saporem fluentis redderet. Exin promotum agmen, (196) apud Elim duodecim fontibus aquarum, & septuaginta arborum palmarum repertis consedit. Rursum populus famem conquerens, (197) Moysen increpabat, Ægypti servitium, cum saturitate ventris, desiderans: tum grex coturnicum supernè missus, castra opplevit. Postero autem die animadvertunt, qui extra castra processerant, parvis quibusdam siliquis oppletum solum: (198) quarum species in modum coriandri seminis, (199) glaciali albedine erat, ut crebrò hibernis mensibus superductis pruinis tegi terram videmus. Tum per Moysen populus admonetur, panem hunc, eis munere missum Dei, (200) unumquemque in id paratis vasculis, tantum usurpare debere, quantum in diem unum pro numero singulis satis esset: sexto tamen die, quia Sabbato colligi non liceret, (201) duplum præsumerent. (202) Verùm populus, ut semper parùm dicto audiens, more humani ingenii, non refrenavit cupiditatem, ex reconditis in posterum quoque diem consulens. Sed reposita, fœtore diro in vermes effervescebant: cùm die sexto in Sabbatum reservata, integra permanerent. Hoc Hebræi per XL. annos cibo sunt usi: cujus sapor melli proximus: nomen Manna traditur. (203) In testimonium autem divini muneris, reservasse Moyses gomor plenum in vase aureo dicitur.

Inde

commodum, quo Hebræi Moysi maledixerunt, fuit fames, cui consuluit Deus coturnicibus, & manna immissis. Ceterum apud Sulpicium duo vitia sunt, unum librariorum, alterum auctoris; librariorum puto, pro (*arborum*,) *arboribus* reponendum esse, Sulpicii illud, quod significare videtur, apud Elim populum fame conflictatum fuisse, cùm tamen id factum sit, postquam inde discessum est; sic enim scriptum est capite XVI. *Profectique sunt de Elim; & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim, & Sinai: & murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen. Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros jacuit in circuitu castrorum, cùmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem, Manhu, quod significat, quid est hoc? ignorabat enim, quid esset. Quibus ait Moyses: Hic est panis, quem nobis dedit Dominus ad vescendum*. Numer. autem cap. XI. *Erat Man quasi semen coriandri coloris bdellii, circuibatque populus, & colligens illud frangebat mola, & faciebat ex eo tortulas saporis, quasi olei*. Quid autem significaret manna illud, primùm declaravit Moyses, cùm dixit: *Hic est panis, quem vobis dedit Deus ad vescendum*, deinde Christus, cùm in cœna panem porrigens dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*. Unde illud apud S. Joannem VI. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est. Panem de cælo dedit eis manducare. Amen dico vobis, Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum; panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam Mundo: dixerunt ergo ad eum: Domine da semper nobis panem hunc; dixit eis Jesus: Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum*. De his sæpe S. Augustinus, & ceteri. Verba verò, quibus Moyses populum monuit, (*panem hunc eis munere missum Dei, unumquemque in id paratis vasculis tantum usurpare debere, quantum in diem unum pro numero singulis satis esset: sexto tamen die, quia Sabbato colligi non liceret, duplum præsumerent*) hæc fuerunt: *Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. Id ita illi fecerunt; die autem sexta collegerunt cibos duplices, idest, duo gomor per singulos homines. Itaque Moyses ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus, requies Sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite; quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane*. Cùm autem dixit: (*Ex reconditis in posterum quoque diem consulens*) expressit illa: *Dixit Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane; qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, & scatere cœpit vermibus, & computruit*; & cùm addidit: (*Hoc Hebræi per quadraginta annos cibo sunt usi*) expressit illa cap. XVI. *Filii Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem, hoc cibo aliti sunt, usquequo venirent fines terræ Chanaan*. De sapore verò mannæ sic ibi: *Gustusque ejus quasi Simila cum melle*. Nomen autem impositum est ab eo, quod diximus, *Manhu*. Jam verò quod addidit, (*In testimonium autem divini muneris reservasse Moysen gomor plenum in vase aureo dicitur*) sic ibidem: *Dixit Moyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi man, quantum potest capere gomor, & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras*; gomor autem mensuræ genus fuit, de quo non convenit inter antiquos. Hoc est autem, quod dixit S. Paulus, IX. ad Hebræos, in Arca fœderis urnam auream fuisse, habentem manna.

(193) Unde locus מָרָה dictus, qui videtur is esse, quem Plinius VI. 29. fontes amaros appellat.

(194) Supra pag. 35. *Impotens sui animus in se reversus extra Israëlitas non patiebatur*. Sed additur illic *sui*, quod in præsens non adparet. *Impotentem iræ, amoris*, animi hominem dicunt: ceterùm vocem *sui*, neque antiquiores addunt, dicuntque sine hoc, *impotentem hominem* & *impotentem animum*, qui sibi moderari nequit. Terentius Andr. V. 3. 8. *Adeone impotenti esse animo*, &c. Pari modo Cicero, & alii: *Animus impotens*. Sed videtur tamen vox *sui*, quam noster disertè addidit, subaudienda.

(195) Ita *cùm* non initio periodi, sed in eâ mediâ adparet: quomodo in capitis proximi superioris illis: *Jamque enim acies viscebantur, cùm Hebræis Moyses percussum virgâ mare discidit*. Faciunt ita & elegantiores. Nepos XVIII. 9. 1. *Dimidium ferè spatium confecerat, cùm ex fumo castrorum ejus, suspicio allata est ad Eumenem, hostem adpropinquare*. Virgilius lib. I. Æn. *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant, cùm Juno* &c.

(196) *Agmen* de magnâ hominum multitudine, & de justo exercitu, usurpant passim auctores. Justinus II. 2. 21. *Huic tanto agmini* (loquitur de exercitu Xerxis) *dux defuit*. Ita dicunt *in primo agmine* pro *in primâ parte exercitûs*.

(197) Non tantùm *de aliquo*, sed & *aliquid queri* aut *conqueri* dicunt. Cæsar 1. B. Gall. *Abditi in tabernaculis, aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur*.

(198) Siliqua est folliculus seu integumentum, quo legumina vestiuntur. Oportet igitur nostrum statuisse, manna integumento quodam vestitum fuisse.

(199) Semen coriandri nigrum est. Non ergo colore referebat hoc semen; sed figura; nam figuram habebat rotundam. Nicolaus de Lyra: *Quale semen coriandri, quantum ad quantitatem & figuram, non quantum ad colorem: unde subditur album Exodi XVI. 31. Semen autem coriandri nigrum est*.

(200) Cibum, quem siliquas dixerat, nunc *panem* vocat: Paullòque post vocabulo generali *cibus* utitur, cùm dicit, Hebræos XL. annos hoc cibo usos esse. Quòd *panem* vocat, id Hebraismum sapit. Hebræi notionem tum specialem *panis*, tum generalem *cibi*, uno eodemque vocabulo לחם exprimunt: hosque imitati Scriptores N. T. vocabulum ἄρτος itidem dupliciter usurpant.

(201) Hoc demum tempore Sabbathi religionem institutam fuisse plures Veterum, & Recentiorum tradunt. Vide quæ dicta sunt ad Rempublicam Sigonianam de Sabbatho.

(202) *Præsumere* usurpatum propriè de actione, quæ parte quâdam corporis fit: quomodo Plinius lib. XXXVI cap 6. *Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere farinam ejus*, lapidis puta. Plerumque verò, ut notum, de actione, quæ fit animo, usurpatur; & vox *animo* interdum disertè additur, diciturque *præsumere animo*.

(203) Nam quum illud primum viderent, dicebant *Manhu*. Id valet antiqua declaratione: *Quid est hoc?* Sed à Recentioribus alii *donum*, sive *munus* in-

Inde progressus populus, (*q*) cùm aquæ penuriâ tentaretur, ægrè ab exitio ducis temperabat. (204) Tum Moyses, mandante Domino, apud locum, cui Oreb nomen est, virgâ petram percutiens, largè aquæ copiam fecit. (205) Sed ubi Raphidin perventum, Amalechitæ populum incursionibus vastabant. Moyses suis in prœlium eductis, (206) cùm Jesum bellantibus præfecisset, (207) adsumto Aaron, & ut spectator pugnæ futurus, simul precandi Dominum gratiâ, montem conscendit. Sed cùm dubio eventu acies concurrissent, (208) Moysi precibus victor Jesus, hostes in noctem cecidit.

Per idem tempus, Jethro Moysi (209) socer, (*r*) cum filiâ Sepphorâ, (210) quæ Moysi nupta, proficiscente in Ægyptum viro, domi resederat, liberisque ejus, cognitis rebus, quæ per Moysen gerebantur, ad eum venit. Hujus consilio Moyses ordines populi distribuit; (211) Tribunos,

(*q*) Narrat aliud incommodum, nempe novam aquæ penuriam, qua de re increpante Moysen populo in loco, quo inde venerat, Raphidin nominato, ex præcepto Dei Moyses virgâ percussit petram Horeb, & aquam excussit; sic enim dixit Deus: *En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus.* Hæc autem mysticè sic explicuit S. Paulus I. ad Corinth. cap. X. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spirituali, consequente eos petra; Petra autem erat Christus.* Aliud inde incommodum fuit bellum Amalechitarum. Verùm Sulpicius perinde loquitur, quasi Moyses priùs aquam excusserit, quam Raphidin attigerit; cùm tamen dicat Exodus cap. XVII. *Castrametati sunt in Raphidin, ubi non erat aqua ad bibendum populo*; inde narrat, ut ex petra Horeb elicita aqua sit. Cùm autem adhuc in Raphidin manerent, Amalechitæ incursiones fecerunt; sic idem ibidem: *Venit Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim.* Pro (*vastabant*,) mallem vexabant. In iis autem verbis, quæ sequuntur, (*Moyses suis in prœlium eductis, cùm Jesum bellantibus præfecisset, assumpto Aaron, & ut spectator pugnæ futurus, simul precandi Dominum gratia montem conscendit;*) nemo adhuc vitium insigne notavit, nam pro (*ut*) reponendum est *Hur*, sic loquente scriptura: *Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Et cùm levaret manus Moyses, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Aaron, & Hur sustentabant manus ex utraque parte: & factum est, ut manus ejus non lassarentur usque ad occasum Solis, fugavitque Israel Amalech.* Est autem Josue, quem & Jesum vocant, Nave filius, ex Tribu Effraim, qui post Moysen ducatum Hebræorum excepit.

(*r*) Narrat deinceps, ut Moyses consilio Jethro soceri ad se adeuntis, Rempublicam constituerit. Fallitur autem, qui Sephoram, proficiscente in Ægyptum Moyse, domi remansisse scribit, nam, ut scriptum est capite IV. *Tulit Moyses uxorem suam, & filios suos & imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum*; inde, ut scriptum est capite XVIII. *Jethro tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat, & duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gerson, alter Eliezer, & venit cum eis ad Moysen in desertum*; exceptus autem hilariter à Moyse, & rebus ejus gestis lætatos, holocaustum, atque hostias Deo obtulit.

REIPUBLICÆ INSTITUTIO.

Hæc est autem prima Reipublicæ Hebræorum descriptio, qua Magistratus, & judicia constituta sunt; Jethro Moysis socero præscribente; res autem ita acta est. Cùm adhuc Moyses ipse unus lites omnes cognovisset, atque omnia judicia exercuisset, monitus est a socero, ne eum laborem ipse subiret, sed lites leviores judicibus Hebræis cognoscendas permitteret, ipse sibi graviora reservaret, atque una curam rerum, quæ ad Deum pertinent, ageret, cujus ille consilio paruit. Verba Jethro fuerunt hæc: *Esto tu populo in iis, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant; provide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint superbiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore; quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent. Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille monuerat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicarent plebem omni tempore; quidquid autem gravius erat, referrent ad se, & ipsi minora tantummodo judicarent.* Addit autem Josephus, eum divisisse populum in multas partes, exempli gratiâ in mille, in quingentos, in centum, in quinquaginta, triginta, viginti, & decem, atque Præfectos eis præposuisse, quos vocant Chiliarchos, Ecatontarchos, Pentecontarchos, Decadarchos; quasi dicas Millenarios, Centenarios, Quinquagenarios, Decanos. Latinus verò interpres, qui mille hominibus præfecti essent, Tribunos, qui centum, Centuriones vertit. Paucis verò post diebus instituit etiam consilium, constans ex septuaginta senioribus, jussu Dei; sic enim scriptum est Numerorum capite XI. *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*, quod idem fuisse cum seniorum consilio arbitramur.

interpretantur: alii deducunt à verbo *Menna præparo*, quasi panem à Deo præparatum dicas. מן pro מה est Ægyptiacum, ut notat Hiskuni. Ex eo sermone multa adhuc retinebant Hebræi. Sic & Græci interpretantur, & Onkelos, & Jonathan. Josephus itidem addens κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον.

(204) Infra habes: *Abstinuit regis exitio.* Item: *Gravi opera exitium ejus molitebatur.* Et rursus: *In perniciem eorum ferebatur.* Ita vocabulis *exitium* & *pernicies* ipsa hominum cædes significatur. Ita Nepos XIV. 3. 4. *Ut impellantur ad eorum perniciem.*

(205) Gentiles finxerunt, asini ductu repertam aquam: & hinc fabula illa fluxit, Judæos asinum coluisse. Vide Tacitum Hist. lib V.

(206) Arma ex Ægypto Israëlitæ nulla attulerunt; sed in submerso Pharaonis exercitu, quum ad litus ejicerentur, potiti sunt: cujus rei est Auctor Josephus libro II. cap. VII.

(207) Nomen Hebræum יהושע Interpretes Græci nomine Ἰησοῦς expresserunt, Quos secuti Interpres Latinus vetus, nosterque Auctor, scripserunt similiter *Jesus*.

(208) *Concurrere* de prœlio, conflictu. Justinus III. 5. 14. *Tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prœlium fuerit.*

(209) *Moysi* pro *Moysis*, ut *Achilli* pro *Achillis*, ex *Achillei*, a nominativo *Achilleus* pro *Achilles*. Virg. I. Æn. *Troas reliquias Danaum, & immitis Achilli.* Vide & Hellenolex. Vechn. lib. I. cap. IV. Nomen Hebræum *Mosche* Græci exprimunt per Μωϋσῆς, & per Μωϋσεύς. A quorum posteriore in sermone Latino dicitur *Moyseus*, *Moysei*, atque ita porrò *Moysi*. Interpres Latinus Exod. XVIII. 1. 2. *Cognati Moysi*, *uxor Moysi*.

(210) Ex Hebræo צפרה Interpretes Græci fecerunt Σεπφώρα. Quos imitatus Interpres Latinus vetus scripsit itidem *Sephora*.

(211) De hisce ordinibus vide Sigonianam Hebræorum Rempublicam lib. VII. cap. I. & deinceps; atque ad eam annotationes.

bunos, Centurionesque, & Decuriones præficiens, (212) necessarium disciplinæ situm posteris tradidit: Jethro in patriam regressus.

LEGES DEI.

Exin ad Sinam montem perventum. (*f*) Ibi Moyses à Domino monetur, populus ut sanctificaretur, auditurus Dei voces: idque solicitè curatum. Sed ubi Deus monti institit, validis tubarum clangoribus (213) aër quatiebatur, crassæque nubes crebris cum fulminibus advolvebantur. Sed Moyses & Aaron in montis cacumine Dominum propter, populus circa ima montis constitit. Ita lex lata multiplex & copiosa, Dei verbis, & sæpe repetita: cujus si quis erit curiosior, fontem ipsum adeat, (214) nos eam breviter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi Dei alieni præter me: (215) Non facies tibi idolum: (216) Non sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbato nullum opus facies: Honorifica patrem (217) tuum, & matrem tuam: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices adversùs proximum tuum: Non concupisces quicquam proximi tui. (218)

His

(*f*) Inde ad montem Sinai ventum, locum maximè ob res ibi à Deo gestas ad memoriam posteritatis insignem. Quod autem inquit Sulpicius, Sinam montem, sciendum est, in Scriptura vocari, solitudinem, sive desertum, & montem Sinai; sic enim capite decimo nono Exodi: *Tertio mense egressionis Israel de terra Ægypti in die hac venerunt in solitudinem Sinai; nam profecti de Raphidim, & pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco*, et paulo post addit: *Die tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai*; inde Numerorum capite X. *Profecti sunt de monte Domini viam trium dierum*, & capite IV. *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb*. Ex his autem patet, Sinai nomen esse solitudinis, sive deserti, in ea verò solitudine montem fuisse, nomine Horeb, qui mons dicitur Sinai, & mons Dei, & mons Horeb, quia sit solitudinis, quæ Sinai dicitur; esse autem eundem montem, unde apparuit Moysi Deus primùm è rubo ardenti, de quo cap. III. Exodi: *Cùmque duxisset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi*, atque eundem esse, in quo Deus post legem dedit Hebræis. Quod si ita est, non rectè dixit Sulpicius ad (*montem Sinam*,) non enim *Sinam* potest esse casus genitivus, ut Sinai; nam ita significavit, montem Sinam dictum. Fœdus autem, quod pepigit in monte Horeb, his verbis conceptum fuit; cap. XIX. Exodi: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*. Cùm autem hic dictis mandasset Deus, ut populus sanctificaretur, descendit super montem, & leges duas præscripsit, unam ad religionem, alteram ad judicia pertinentem.

Ac primùm quidem lex de religione hoc ordine data est: *Tertio mense cùm venisset Moyses ad Sinai, atque ibi castrametatus esset, monitus à Deo convocavit seniores populi, & ex ejus præscripto monuit, ut sanctificarent se, & lavarent vestimenta sua, & parati essent in diem tertiam; nam Deum eo die descensurum, & coram omni populo verba facturum super montem Sinai*. Ea res curata sunt. *Ubi tertia dies illuxit, cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepere, & timuit populus, qui erat in castris. Cùmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixius tendebatur. Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei*. Lex vero tradita est his verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbati sanctifices. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt*. Hæc decem præcepta legis ejusmodi sunt, ut tria prima ad Deum, septem alia ad proximum referantur.

(212) Ita vocat quos Interpretes Græci Χιλιάρχυς, Ἑκατοντάρχυς, & Δεκαδάρχυς dixerant in versione Exod. XVIII. 25. Quos autem iidem Interpretes Πεντηκοντάρχυς dixerant, illos noster omisit. Ceterùm voce *Tribunus* & Interpres Latinus usus hic fuerat; quòd sciret Tribunos Latinorum numero militum, quibus præessent, τοῖς Χιλιάρχοις ferè respondere. Pro *Decuriones* autem dixit *Decanos*.

(213) Septem erant terribilia in Sina, quum ibi daretur Lex. Totus mons tremebat. Igne & fumo ardebat. Horrenda tonitrua & fulgura. Caligo densissima. Pluvia & procella. Sonus buccinæ. Vox horribilis. Ex Corn. a Lapide.

(214) Supra pag 28. *Si quis studiosior erit, ad origines revertatur*. Et pag. 10. metaphorâ planè eadem dixit: *Universa rerum divinarum mysteria non nisi ex ipsis fontibus hauriri queunt*. Nimirum fontes ipsam Scripturam Sacram & Canonicam vocat.

(215) Secutus est versionem Græcam, quæ habet: Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Nam illud *præter me* respondet Græco πλὴν ἐμοῦ; ab eo autem, quod versio Latina vetus habet, discrepat. Rursus tamen cum Interprete Latino nostro congruit, quòd vocem *alieni* usurpat, non *alii*.

(216) Hoc præceptum distinguit ille a primo, ut veteres plerique omnes fecerunt; & nominatim Tertullianus, Origenes, Athanasius, Gregorius Nazianz. Ambrosius: ut de Hebræis nihil nunc dicam. Augustinus autem aliter sensit. Cujus auctoritatem secuta Ecclesia Occidentalis, illud de non faciendis idolis præceptum conjunxit cum primo.

(217) Novum verbum à nomine adjectivo *honorificus*. Quo usus, ut observavit Drusius, & Interpres Siracidæ: itemque Augustinus. Ille quidem cap. X. 31. *Fili mi, in mansuetudine honorifica animam tuam*.

(218) Ita breviter ille, quod Moses pluribus verbis. Ceterùm quod in prohibitione utitur voculâ *Non*, eique futurum indicativi modi adjicit, id Hebraismus est: quem tamen non ex ipso textu Hebræo, sed ex versione Græcâ, aut vetere Latinâ, hausit noster. Quâ de re & in parte I. libri de Hebraismis N. T. pag 122 egimus. Quintilianus lib. I. cap 5. *Cognata sunt NE ac NON adverbia: qui tamen dicat pro illo Ne feceris, Non feceris, in idem incidit vitium; quia alterum negandi est, alterum vetandi*. Vide & Vossium pag. 159. libri de Vitiis Lat. Serm. Deinde quòd *quidquam proximi tui* dicit pro *quicquam quod alterius est*, id partim Græcismus, partim Hebraismus est. Græci quemvis alium vocant τὸν πλησίον, idest, *propinquum*, *proximum*, dicuntque ἀγαπᾶν τὸν πλησίον pro ἀγαπᾶν τὸν ἕτερον. Quòd autem additur pronomen, diciturque ἀγαπᾶν τὸν πλησίον αὐτοῦ, *diligere proximum suum*, id fit Hebræorum more, qui dicunt אהב רעהו. Verba Hebræa Lev. XIX. 18. sunt ואהבת לרעך כמוך. Quæ Interpretes Græci verterunt: Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Et similiter Latinus: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: ut scilicet pronomina adjicerent, quomodo adjiciunt Hebræi. Quâ de re & in parte I. libri de Hebraismis N. T. pag. 67. & seqq. egimus.

His à Deo dictis, (1) cùm tubæ circumstreperent, (219) lampades inardescerent, montem fumus obtegeret, populus præ timore inhorruit, verba Dei non sustinens. poposcitque à Moyse, ut ipsi tantùm loqueretur Dominus, atque ita audita ad populum referret. Edicta autem Dei ad Moysen istiusmodi sunt: Hebræus puer (220) pecuniâ emtus, sex annis serviet, post hæc liber erit: Sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur: Qui hominem occiderit, capite pœnas luet: (221) Qui imprudens, (222) ritè exul erit. (223) Qui patrem matremve pulsaverit, conviciumque eis dixerit, capitali supplicio afficitor: (224) Si quis Hebræum subreptum vendiderit, morti dabitur: (225) Si quis servum proprium, servamve percusserit, exque eo ictu obierit, (226) reus judicio fiet: (227) Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, neci dabitur: (228) Si quis servo oculum aut dentem extorserit, servus vindictâ libe-

(1) Inde narrat, quo ordine lex judicialis sit lata, quâ de re sic capite XX. *Cunctus populus audiebat voces, & videbat lampades, & sonitum buccinæ montemque fumantem, & perterriti, ac pavore perculsi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur*. Edicta vero judicialia Dei ad Moysen neque universa, neque integre attulit Sulpicius, monens, ut qui ea cognoscere cupiunt, fontes adeant, nempe Exodi caput XIX. XX. & XXI. Ceterùm quæ sequuntur crimina continent promiscuè adversus proximum, & adversus Deum, adjectis pœnis temporalibus; nam de spiritualibus infligendis post Christus legislator acturus est. Pertinent autem maximè ad cædem, furta, fornicationem, & falsum testimonium.

Hebræus puer pecuniâ emptus, sex annis serviet, post hæc liber erit: sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur.) In lege scriptum est: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber, offeret eum dominus Diis, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum*. cap. XXI.

Qui hominem occiderit, capite pœnas luet; qui imprudens, ritè exul erit.) Quæ sequuntur, ad cædem pertinent. Ibi sic scriptum est: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur; qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem fugere debeat*. Ex his manifestum est, apud Sulpicium deesse verbum, *prudens*, quòd respondeat alteri, quod sequitur, *imprudens*, & illud exprimat, quod est in Scriptura, *volens occidere*. Quare ego ita legerim (*Qui prudens hominem occiderit, capite pœnas luet; qui imprudens, ritè exul erit*.) Ritè autem exulem jubet esse, qui in urbes exilio destinandas confugeret, de quibus Num. XXXV. Deuter. XIX. Josue XX. *Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum vobis per manum Moysi, ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nesciens*.

Qui patrem, matremve pulsaverit, conviciumve eis dixerit, capitali supplicio afficitor.) Item: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur; qui maledixerit eis, morte moriatur*.

Si quis Hebræum surreptum vendiderit, morti dabitur.) Eodem in loco: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, morte moriatur*.

Si quis servum proprium, servamve percusserit, ex eoque ictu obierit, reus judicio fiet.) Ibidem: *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit*.

Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, neci dabitur.) Hoc sumptum est ex versione septuaginta Interpretum: *Si viri duo contenderint, & percusserint mulierem ventrem ferentem, & exierit puer ejus non deformatus, obnoxius erit damno, quantum maritus ejus expetierit; si vero deformatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente*. Ex quo liquet, aut apud Sulpicium illud, *Non*, a librariis esse additum, aut Sulpicium non sincerè legis sententiam reddidisse; tum enim demum lex capitale jubet esse, cùm partus jam deformatus erit: sic enim est in Græco ἐξεικονισμένος.

Si

(219) Unius tantùm mentio fit Exodi XX. 18. Tuba, quæ ante Decalogi promulgationem Hebræos ad Legem audiendam evocaverat, quum Lex promulgaretur, siluit: ea re peracta, turium clangere cœpit. Ex eodem Corn. à Lapide.

(220) *Puer* pro servo. At Interpres vetus: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi*. Quòd ergo noster vocabulo *puer* usus est, adlusit ad versionem Græcam, quæ habet: Ἐὰν κτήσῃ παῖδα Ἑβραῖον. Vox παῖς non tantùm ætatis, sed & conditionis & status hominum vox est, significatque passim apud Auctores & *servum*. Quòd autem noster eamdem significationem vocabulo Latino tribuit, id in Græcismis est numerandum. Ceterùm ipse quoque Interpres Latinus vetus in locis aliis vocabulo Latino eamdem significationem tribuit. Ut Luc. I. *Suscepit Israel puerum suum*. Fit sanè ut Scriptores quoque alii eum, qui servus est, puerum vocent: verùm tunc ad ætatem simul udluditur. Ut quod Horatius dicit: *Persicos odi, puer, adparatus*. Et Terentius: *Puerum inde abiens convenit Chremus*.

(221) Ita alii: *capite puniri, capite plecti*. Livius lib. III *Qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique Magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur*. Item in eodem lib. dicit *agro mulctari*, & *fortunis pecunia damnare*; per ablativum puta. Quarum phrasium ea vis est, ut caput, agrum, pecuniam amisisse aliquem intelligatur. Vox *caput* autem in talibus vitam significat. Vide & Indicem in Corn. Nep. a nobis locupletatum, voce *caput*.

(222) Imprudens pro *nec opinante*. Ita Nepos XVII 2 3. *Omnes imparatos imprudentesque offendit*. Dicitur autem *prudens* quasi *providens*, & *imprudens* quasi *improvidens*.

(223) Ritè, idest, νομίμως, secundùm legem. Exul autem ita, ut locum, ubi vixerat, relinquat, & ad certas urbes, aut ad aram confugiat, ibique ad certum tempus permaneat.

(224) Orationem variat. Est autem *supplicium capitale*, si quis capite plectatur, atque ita caput, idest, vitam, amittat.

(225) Rursus orationem variat. Sic & paullò post: *neci dabitur*. Item infra: *Comprehensum neci dedit*. Horatius lib. II. sat. 3. *Mille ovium insanus morti dedit*. Quod autem Interpres Latinus ter repetit *morte moriatur*, id resipit phrasin Hebræam, & eam quidem, de quâ in cap. XXXIV. libri de Hebraismis N. T. egimus.

(226) *Obire* pro *mori*: Subaudiendum autem *diem suum*, aut, quod Nepos addidit, *diem supremum*. Vide Indicem in Nep. voce *obire*.

(227) Interpres vetus: *Criminis reus erit*. Græcè δίκῃ ἐκδικηθήσεται.

(228) Respexit ad versionem Græcam: Ἐὰν ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται. Ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς. Sed sunt quædam omissa, & locus integrè legendus ferè sic est: *Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, mulctam pendat: si quis deformatum, neci dabitur*. Ceterùm textus Hebræus illam partûs deformati & non deformati distinctionem non habet. Imò nec versio Latina vetus, quæ sic habet: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro animâ*. Porrò *deformatus* pro simplici *formatus*. Quintilianus præf. lib VI. *Non enim flosculos sicut prius, sed certos & deformatos fructus ostenderat*.

liberabitur. (229) Taurus si hominem occiderit, lapidabitur. Si Dominus sciens bestiæ vitium, non consuluerit, (230) & ipse lapidabitur: aut pretio se redimat, in quantum (231) accusator poposcerit. Si servum taurus occiderit, in triginta drachmis pecunia domino numerabitur. Si quis defossum lacum (232) non cooperuerit, pecusque in lacum ceciderit, pretium pecudis domino dabit. Si taurus alterius taurum occiderit, (233) pecus venundabitur, pretiumque domini partientur: peremtum etiam divident. Quòd si dominus vitium tauri sciens, non consuluerit, taurum dabit. Si quis vitulum (234) subripuerit, quinque restituet. Si ovem subripuerit, quadrupli pœna erit. Si viva penes abactorem pecora reperientur, dupla restituet. Nocturnum furem occidi licet, diurnum non licet. Si cujus pecora alterius sata depaverint, dominus pecoris eversa restituet. Si depositum perierit, is, penes quem depositum fuit, jurabit, nihil se dolo egisse. Fur inventus duplum dabit. Commendatum pecus à bestiâ interceptum, non restituetur. Si quis virginem nondum desponsatam corruperit, dotabit puellam, & ita eam uxorem accipiet. Si pater puellæ nuptias recusaverit, dotem raptor dabit. Si quis se pecudi miscuerit, morti dabitur. Sacrificans idolis, pereat. Viduam & orphanum non premendos: (235)

Pau-

Si quis servo oculum aut dentem excusserit, servus vindictâ liberabitur.) Ibid. *Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillæ, aut luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.* Sulpicius more Romano (*vindictam*,) quod est manumissionis genus, de suo adjecit, & rem obscuriorem redegit.

Taurus si hominem occiderit, lapidabitur,) Ibid. *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur.*

Si dominus sciens bestiæ vitium non consuluerit, & ipse lapidabitur: aut precio se redimat, in quantum accusator poposcerit.) Nemo est, qui non intelligat, juberi hac lege dominum tauri lapidari, cùm tamen lex jubeat, lapidari taurum, & hominem occidi. Sic enim inquit: *Si bos cornupeta fuerit, & contestati sint dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident. Quòd si precium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.* Græcè, *lapidabitur taurus, & dominus ejus admorietur.*

Si servum taurus occiderit, in triginta drachmis pecunia domino numerabitur.) Item: *Si bos servum, ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit.* Sulpicius putavit idem valere siclum & drachmam: at Josephus lib. III. scribit, siclum valere quatuor drachmas Atticas.

Si quis defossum lacum non cooperuerit, pecusque in lacum ceciderit, pretium pecudis domino dabit.) In eadem lege: *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium jumentorum; quod autem mortuum est, ipsius erit.*

Si taurus alterius taurum occiderit, pecus venumdabitur, preciumque domini partientur, peremptum etiam divident.) Item: *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & divident pretium, cadaver etiam mortui inter se dispertient.*

Quod si dominus tauri vitium sciens non consuluerit, taurum dabit.) Item: *Si autem sciebat, quòd bos cornupeta esset, & non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove.*

Si quis vitulum subripuerit, quinque restituet; si ovem subripuerit, quadrupli pœna erit.) Ibid. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.*

Si viva penes abactorem pecora invenientur, dupla restituet.) Ibid. *Si inventum fuerit apud eum, quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet.*

Nocturnum furem occidi licet, diurnum non licet.) Sequuntur leges de furto. Ibid. *Si in ipsa effractione fuerit deprehensus, & accepto vulnere perierit, percussor non erit reus sanguinis, quod si sole orto hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.*

Si cujus pecora alterius sata depaverint, dominus pecoris eversa restituet.) Ibid. *Si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.*

Si depositum perierit, is penes quem depositum fuit, jurabit, nihil se dolo egisse; fur inventus duplum dabit.) Ibid. *Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat furto ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet; si latet fur, dominus applicabitur ad Deos, & jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem.*

Commendatum pecus à bestia interceptum non restituetur.) Ibid. *Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur.* Ex quo apparet non (*à bestia*,) sed *ab hoste* legendum esse; quod Græca versio confirmat, quæ habet αἰχμάλωτον.

Si quis virginem nondum desponsatam corruperit, dotabit puellam, & ita eam uxorem accipiet; si pater puellæ nuptias recusaverit, dotem raptor dabit.) Transit ad leges fornicationis: ibidem: *Si quis seduxerit virginem nedum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.*

Si quis se pecudi miscuerit, morti dabitur.) Ibid. *Qui coierit cum jumento, morte moriatur.*

Sacrificans idolis pereat.) Hæc ad Deum pertinent, & primum præceptum attingunt. Ibid. *Qui immolat diis, præterquam domino soli, occidetur.*

Viduam, & orphanum non premendos.) Ibid. *Viduæ, & pupillo non nocebitis.*

Pau-

(229) Plinius in epistolâ quâdam: *Si velis vindictâ liberare, quos proximè inter amicos manumisisti.* Prætor capiti servi manumittendi virgulam imponens, eum in libertatem vindicabat: eaque virgula & vindicta vocabatur. Phrasin hic Latinam adhibuit, quamvis eadem res apud Hebræos non eodem modo perageretur. Moses tantùm sic habet: *Dimittet eum liberum pro oculo, quem eruit.*

(230) *Consulere* pro *providere*, *prospicere*. Unde & subinde cum his vocabulis conjungitur. Cicero I. in Verr. *Vos, quod ad famam vestram pertinet, prospicite ac consulite.* Idem in epistolis: *Ut quibuscumque rebus poteris, prospicias, & consulas rationibus meis.*

(231) *In quantum* noster sæpe ponit pro *quantum*. Sic Juvenalis: *In quantum sitis atque fames & frigora poscunt.* Ita dicunt *in tantum*, *in multum*. Vide Scioppium epist. V. Paradox. liter.

(232) Adludit ad vocem Græcam λάκκος, quâ Interpretes Græci usi his sunt. Interpres Latinus *cisternam* vocat. Græca vox & fossam significat. Quam ipsam rem noster Latinâ voce *lacus*, quæ à Græcâ orta est, videtur exprimere voluisse. Porrò *defossus* est pro simplici *fossus*: quomodo Virgilius dicit *defossi specus*; & Columella *defodere scrobem*.

(233) Interpres vetus: *Si bos alienus bovem alterius vulneravit, & ille mortuus fuerit.* Nollet secutus videtur Interpretes Græcos, qui verterunt: Ἐὰν κερατίσῃ τινὸς ταῦρος τὸν ταῦρον τοῦ πλησίον. Sed vocem *alicujus* omisit: aut culpâ librariorum ea excidit. In versione vetere perperam legitur *bos alienus* pro *bos alicujus*.

(234) Adludit ad vocem Græcam μόσχος, quâ usi hoc loco sunt Interpretes, quæque alibi vitulum, hîc autem bovem vel taurum significat. In Hebræo est שׁוֹר.

(235) Nunc in casibus obliquis edicta divina recenset, cùm antea casibus rectis id fecerit, & mox rursus casibus obliquis utatur.

Pauperem debitorem non perurgendum: Nec usuram poscendam: Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum: Principem populi non increpandum: Primogenita omnia Domino offerenda: Carnem à ferâ captam non edendam. Cotiones in testimonium falsum, aut in quacunque malitiâ, non esse faciendas. Inimici pecus errans non præteribis, sed reduces. Si animal inimici succubuisse oneri inveneris, erigere debebis. Innocentem & justum (236) non occides. Non justificabis (237) impium pro muneribus. Munera non accipienda. Advenam benignè habendum. Sex diebus opus faciendum: Sabbato requiescendum: Fructûs septimi anni non metendos, sed pauperibus & egenis relinquendos. Hæc ferè Moyses ad populum verba Dei retulit, altariumque (238) ex duodecim lapidibus (239) sub monte constituit.

Ac rursum (u) montem, in quo Dominus consistebat, conscendit: adhibito secum Aaron, Nadab, & Abiud, majoribusque natu septuaginta. Sed hi non volentes (240) Dominum intueri, locum

Pauperem debitorem non perurgendum, nec usuram poscendam.) *Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.*

Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum.) *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.*

Principem populi non increpandum.) *Principi populi tui ne maledices.*

Primogenita omnia Domino offerenda.) *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi; de bobus quoque, & ovibus similiter facies; septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi.*

Carnem à fera captam non edendam.) *Carnem, quæ à bestia fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.*

Cotiones in testimonium falsum, aut in quacunque malitia non esse faciendas.) Quæ sequuntur ex cap. XXIII. sunt Exod. *Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium.*

Inimici pecus errans non præteribis, sed reduces.) Ibid. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.*

Si animal inimici succubuisse oneri inveneris, erigere debebis.) Item: *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.*

Innocentem, ac justum non occides; non justificabis impium pro muneribus; munera non accipienda.) Hæc omnia ad judicem dicuntur, ne innocentem damnet, aut nocentem absolvat muneribus, atque omnino ne munera capiat, quia justitiam pervertunt. Hæc vero sumpta sunt ex Græca versione, *Insontem, & justum non occides, nec justificabis impium pro muneribus, & dona non accipies.* Latina verò translatio habet: *Insontem, & justum non occides, quia aversor impium.*

Advenam benigne habendum.) Ibid. *Peregrino molestus non eris.*

Sex diebus opus faciendum, Sabbato requiescendum.) Ibid *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis.*

Fructûs septimi anni non metendos, sed pauperibus, & egenis relinquendos.) Ibid. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus; anno septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri.* Hic septimus annus Sabbatarius dictus est, ut quinquagesimus, quem omisit, Jobileus. Moyses autem multo plura, & multo pleniora attulit. Et (*altare ex duodecim lapidibus sub monte constituit.*) Sic enim cap XXIV. *Scripsit Moyses omnes sermones Domini, & mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel.* Quos verò Latina versio habet titulos, Græca habet lapides.

(u) Tertio loco Deus præscripturus est ritum sui colendi, & lapideas tabulas legis daturus, & propterea novo apparatu est opus. Quare Moyses cum Aaron, & sociis rursus montem ascendit, ut Dei colloquio frueretur; cùm autem addit Sulpicius: (*Sed hi non volentes Dominum intueri, locum tamen, in quo Dominus stabat, viderunt, cujus mirabilis forma, & claritudo eximia refertur.*) Vertit verba septuaginta Interpretum: *Et viderunt locum, ubi steterat Deus Israel, & quæ sub pedibus ejus, quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi cælum, cum serenum est.* Nam in versione Latina est: *Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus ejus*; sed Græcè sine dubio melius. Credo autem Sulpicium illa de suo addidisse: (*Non valentes Dominum intueri,*) & legendum esse: (*Non valentes,*) idest cùm non possent intueri Deum, videre locum, in quo erat, miro splendore fulgentem, sic proximè infra: (*Ut intueri eum populus non valeret.*)

Moyses autem accersitus à Domino, interiorem nubem, quæ circum Dominum steterat, ingressus, quadraginta diebus, totidemque noctibus ibi fuisse traditur.) Ibidem: *Dixit Dominus ad Moysen, ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, ut doceas eos. Surrexerunt Moyses, & Josue minister ejus, ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic, donec revertamur ad vos; cùmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus; septimo autem die vocavit eum de medio caliginis; erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super vertice montis in conspectu filiorum Israel, ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

TA-

(236) Drusius putat, *innocentem & justum* non esse hic Synonyma; quòd innocens sit, qui sine culpâ est, licèt damnatus sit: justus verò, qui culpam habet, licèt a judicibus absolutus sit. Quod verum nobis non videtur. Sanè vocabulum *justus* respondet Hebræo צדיק, & Græco δίκαιος. At צדיק in talibus nihil aliud est, quam *innocens*. Deut. XXV. והצדיקו את צדיק, *& absolvent justum*, idest innocentem. Interpretes Græci: Δικαιώσωσι τὸν δίκαιον. Ceterùm vox *justus*, itemque Græca δίκαιος, hoc sensu numeranda est in Hebraismis, quippe significatio illis nova, & quidem exemplo vocis Hebrææ, tribuitur. Quâ de re in cap. I. Dissertationis, quam de conciliandis Paulo & Jacobo edidimus, deditâ operâ egimus.

(237) *Justificare* est absolvere. Estque vocabulum totum novum, & ad exprimendum Græcum δικαιοῦν ab Interpretibus formatum; ut verbum quoque Latinum haberent, quod Græco illi, etymo, vel etymi potius significatione, responderet. At Verbum Græcum non quidem totum novum est; sed significatio tamen ei planè nova tributa est, & quidem illa, quam verbum Hebræum הצדיק habet. Quod quâ ratione, quâve occasione, evenerit, in prædictâ Dissertatione exposuimus. Respexit autem noster ad Versionem Græcam Exod. XXIII. 7. Οὐ δικαιώσεις ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων. At sensus textûs Hebræi paullulùm diversus est: isque Latinè exprimi sic potest: *non justificabo*, idest, non innocentem habebo, non absolvam, *impium*; Et, *munera non accipies*.

(238) Vocabulo *altarium* usus est & infra in Dial. II. Sed & alii ejus ætatis Scriptores eo vocabulo usi deprehenduntur.

(239) Duodecim lapides statuit in Altari, ut testaretur, omnes eos consensisse in fœdere. Simile quid fecit Elias in monte Carmeli. Et accepit duodecim lapides, juxta numerum filiorum Israel. Præter Altare hoc etiam duodecim columnæ, monumentum Legis latæ, fuerant erectæ.

(240) Sigonius legendum monuit *valentes*. Sic & paullo post de Moyse: *Ut intueri eum populus non valeret*,

locum tamen, in quo Dominus stabat, viderunt: (241) cujus mirabilis forma, & claritudo eximia refertur. Moyses autem accersitus à Domino, interiorem nubem, quæ circum Dominum steterat, ingressus, quadraginta diebus totidemque noctibus ibi fuisse traditur. Quo tempore super ædificando Tabernaculo atque Arcâ, rituque sacrificandi edoctus verbis Dei est: quæ ego, quia prolixa admodum videbantur, inserenda huic tam præciso (242) operi non putavi.

Sed immorante diutius (x) Moyse, quippe qui XL. dies apud Dominum duceret, (243) populus, desperato ejus reditu, (244) Aaron compulit simulacra facere. (245) Tunc ex metallis conflatis vituli caput extitit. Cui cùm populus, Domini immemor, hostias obtulisset, vinoque se & ventri dedisset, (246) despectans (247) hæc justo dolore Deus, improbum populum, nisi à Moyse fuisset exoratus, delesset.

Sed regressus Moyses, (y) cùm duas ex lapide tabulas, manu Domini scriptas, detulisset, populumque luxui & sacrilegio (248) deditum deprehendisset, tabulas confregit: indignam esse gen-

TABERNACULUM, ET ARCA.

Inde verba Dei sequuntur, quibus rationem cultus sui exercendi præscripsit, quam divisit in Tabernaculum, Arcam fœderis, & ritum sacrificiorum. Hæc qua ratione jusserit Deus fieri, tractatur in Exodo à capite XXV. ad XXX. quod Sulpicius afferre prætermisit propter prolixitatem; neque enim id epitome convenire est arbitratus. Tabernaculum porrò opus fuit ex lignis mobile, instar Templi, cujus ingressus erat ab Oriente; locus autem orationis, qui Sancta Sanctorum dicebatur, ab Occidente, & ante Sancta Sanctorum erat velum, & Altare thymiamatis; in Atrio verò erat Altare holocausti, & labrum; in loco verò qui dicebatur Sancta Sanctorum, reponebatur Arca fœderis, quo opposito, de quo dixi, velo obducebatur. Arca erat lignea cum operculo aureo, quod Propitiatorium dicebatur, in cujus finibus consurgebant duo Cherubin; & in lateribus annuli, per quos Arca ferri immissis vectibus posset; in Arca verò lapideæ tabulæ legis duæ reponebantur; extra velum erat Mensa cum panibus duodecim, qui dicebantur Propositionis, & Candelabrum, & super Mensam corona aurea. Hæc autem omnia circumvehi posse, quòcunque liberet, instituit. Hoc autem Tabernaculum terrenum, & manufactum typus fuit Tabernaculi cœlestis, & non manufacti, quod introivit Christus, qui Novi Testamenti fuit mediator, ut inquit S. Paulus epist. ad Hebræos; ordinavit porrò Summum Sacerdotem Aaron, & in ejus progenie manere Sacerdotium voluit, inquiens: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar*; inde præcepit vestimenta Pontificalia, nempe Rationale, sive Pectorale, Superhumerale, tunicam lineam, Baltheum, Cidarim, seu Mitram, inde rationem consecrandi Pontificem. Hic autem Sacerdos etiam Christum æternum Sacerdotem prænunciavit. Quod verò addit Sulpicius: (*Deum docuisse ritum sacrificandi*) exprimere voluit verba illa capitis XXIX. *Hoc est quod facies in Altari. Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, & alterum vespere; decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam hin, & vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno, alterum verò agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea, quæ diximus, in odorem suavitatis*. Cùm autem hæc Deus Moysi multis, ut dixi, verbis præcepisset, tum ad extremum datis legis tabulis lapideis eum dimisit; sic enim scriptum est cap XXXI. *Et completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai Dominus dedit Moysi duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.*

(x) Hic interrumpitur series historiæ; etenim refertur, quid interim, dum Moyses cum Deo per quadraginta dies colloquitur, in castris ab Hebræis sit actum; nempe is populus, desperato Moysis ad se reditu, ad idololatriam conversus est, nam ita ad Aaron dixerunt: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit*. Inde: *Accepit Aaron inaures aureas ex manibus eorum, & fecerunt ex eis vitulum conflatilem, & dixerunt: Hi Dei tui sunt Israël, qui eduxerunt te de Ægypto*. Itaque Psalmo CV. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile*. Expressit autem Sulpicius verba Aaron ad Moysem: *Dixi eis; Quis vestrum habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus*; hoc enim est: (*ex metallis conflatis vituli caput extitit.*) Quod verò addit: (*Cui cum populus, Domini immemor, hostias obtulisset, vinoque se, & ventri dedisset.*) Ibidem sic: *Surgentesque mane obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; inde illa (*Despectans hæc justo dolore Deus, improbum populum, nisi à Moyse fuisset exoratus, delesset:*) expressere verba Dei ad Moysem: *Cerno, quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptii: Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra; quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui; placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.*

(y) Narrat porrò quæ Moyses fecit, postquam populum à Deo aversum deprehendit; quod ita ibi exprimitur: *Et reversus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis; arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem*. Quod verò inquit: (*Multis tamen ante ictis*) non video, quid velit: an Moyses multos è populo increpuit? at hoc Scriptura non edit, an multis verbis increpuerit.

(241) Alludit ad versionem Græcam Exod. XXIV. 10. Καὶ εἶδον τὸν τόπον, οὗ εἱστήκει ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ. At textus Hebræus aliter habet. Et quidem Latinè vertendus ille sic est: *Et viderunt Deum Israelis.*

(242) *Præcisus* pro *conciso*, *brevi*. Sic & infra alicubi. Quintilianus lib. IV. cap. 2. *Præcisa narratio.*

(243) Drusius putat, *ducere* hic idem esse quod *agere*, quomodo Seneca dicat *diem somno ducere*. At verisimilius est, quòd sit *cunctando extrahere*. Qua notione etiam dicunt *tempus trahere*. Nepos II. 7. 1. *Dedit operam, ut quàm longissime tempus duceret*. Sic & Cicero III. in Verr. Infra lib. II. noster dicit *diem trahere*.

(244) Exodi cap. XXXII. Rabbi Salomo arbitratur, populum existimasse Moysem mortuum, & à Diabolo in aere ipsis monstratum funus ejus. Sed hoc fabulosum. Procul dubio variæ inter ipsos opiniones fuere, & plerique in mortem ejus, conjecturis suis conspirarunt.

(245) Tota hæc historiæ pars abest à Josepho, verito, credo, Romanos offendere, qui & serpentem pro Æsculapio coluere, & Apidis cultum in Ægypto prohibitum, ac tuitabantur. Rabbi Salomo existimat ab Ægyptiis populum ad idololatriam fuisse incitatum: sicut & Numer. XI. 4. factum legitur. Idque fieri potuit. Sed tamen Israelitæ prono studio in eam incubuerunt; unde & Israelitis exertim objicitur, & à S. Stephano Act. VII. 41., & à S. Paulo I. Cor. X. vers. 7.

(246) Meliores quoque dicunt *dare se alicui rei*, pro *dedere*. Cicero V. in Verr. *Dabat se labori atque itineribus*. Alibi: *Dare se rei familiari vitæque rusticæ*, *dare se historiæ*. Nepos VII. 11. 4. *Dare se duritiæ.*

(247) Verbum *despectare* propriè usurpatum pro *de superiore loco spectare*. Ita Ovidius IV. Metam. *Ex æthere terras despectat*. Idem alibi: *De vertice montis despicere in terras*. Per translationem deinde idem est quod contemnere.

(248) *Sacrilegium* pro *idololatria*. Ita infra: *Mirum id Elia fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crederet*. Item: *Exprobratoque ei sacrilegio*. Quo autem adpellationis sit ratio, facile adparet. Idololatræ enim honorem & cultum vero Deo debitum eidem subtrahunt & suffurantur.

gentem existimans, cui lex Domini traderetur. Multis tamen increpitis, (249) Levitas ad se adgregavit, eisdemque præcepit, ut districtis gladiis populum cæderent. Quo impetu XX. tria millia (250) virorum peremta traduntur.

Tum Moyses tabernaculum (z) extra castra constituit: quod quoties fuisset ingressus, columna nubis (251) adstare pro foribus (252) videbatur, coramque ad Moysen Dominus loquebatur. Poscente autem Moyse, ut Dominum in majestate propriâ videret, responsum, formam Dei mortalibus oculis perspici non posse, posteriora tamen ejus videre concessum: tabulæque, quas Moyses prius confregerat, refectæ. Sed in hoc colloquio Dei XL. diebus diversatus apud Dominum Moyses traditur.

Cùmque de monte descenderet, (a) tabulas præferens, tantâ claritudine facies ejus renitebat, ut intueri eum populus non valeret. Sed cùm mandata Dei relaturus esset, vultum velamento obtexit, atque ita ad populum verbis Domini locutus est. Hoc in loco, tabernaculi in-

crepuit? ne hoc quidem; adde quod unum tantùm increpuit Aaron, cui ille respondit: *Ne indignetur Dominus meus; tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum.* Inde: (*Levitas ad se aggregavit, eisdemque præcepit, ut districtis gladiis populum cæderent; quo impetu viginti tria millia virorum peremta traduntur.*) Ibid. *Sic mandavit Moyses filiis Levi. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum; ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi triginta tria millia hominum.* Non est autem ignorandum, in Græca versione esse ter mille. Cæde inde facta, reliquos è populo Moyses allocutus increpuit, loquens: *Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro; ascendit inde, & oravit Dominum, & populus mutatis vestibus luxit.* Inde rursus ad ejus colloquium posito Tabernaculo prodiit; sic enim in Historia sequitur.

(z) Pergit inde referre, quæ intermiserat, nempe de Tabulis Legis refectis, & ritu colendi Dei; & ut posthac allocutus sit Moysen Deum ad Tabernaculum fœderis. Hæc verò sic expressa sunt cap. XXXIII. *Moyses quoque tollens Tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis. Ingresso autem illo Tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse cernentibus universis. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Quod autem adjecit: (*Poscente autem Moyse, ut Dominum in majestate propria videret: responsum, formam Dei mortalibus oculis perspici non posse, posteriora tamen ejus videre concessum.*) Ibidem ita expressum est: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, & inveniam gratiam ante oculos tuos, respice populum tuum gentem hanc. Dixitque Dominus: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet. Ecce est locus apud me, & stabis supra petram; cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Hæc altissima Mysteria sic Theologi interpretantur: *Moyses gloriam Dei videre sublatum petra, Petra autem,* teste S. Paulo, *erat Christus; nemo verò venit ad Patrem, nisi per Filium. Pertransit autem gloria Domini Judæos, cujus posteriora tantùm videbunt, quia cùm plenitudo gentium intro erit, tunc omnis Israel salvus erit.* De refectis inde Tabulis sic ibidem: *Ac deinceps. Præcide, inquit Dominus, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai solus. Excidit ergo tabulas duas lapideas, quales antea fuerant.* Item jussu Dei ascendit solus in montem, & cum eo rursus colloquutus est, in quo colloquio Deus ex nube multa superiorum præceptorum renovavit; in primis verò tria festa celebranda mandavit, Azyma, Pentecosten, & Tabernacula; & se habitatores terræ Chanaam deleturum, eique terram illam daturum confirmavit, capite XXXIV. Quod verò inquit: (*Sed in hoc colloquio Dei quadraginta diebus diversatus apud Dominum Moyses traditur.*) Ibi ita est: *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes; panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Colloquium autem secundum in monte intelligit, non ad Tabernaculum.

(a) Narrat porrò de splendore faciei Moysis de monte descendentis; quod ibi ita scriptum est: *Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.* Sic Vulgata versio. At Augustinus Steuchus, inquit, vocem Hebræam significare *radiantem.* Græca verò versio pro *cornuta*, habet *gloriosa*; atque hoc est, quod expressit Sulpicius, cùm faciem ejus (*splenduisse*) ait. Idem sensit S. Augustinus in Quæstionibus super vetere Testamento: *Ascendit*, inquit, *Moyses in montem cum Tabulis, in quibus accepta Lege cum descenderet, gloriosa facta est facies ejus, ut non possent aspicere filii Israel vultum ejus.* Item S. Paulus ad Corinth. *lucem faciei Moysis* expressit. Inde quomodo ad populum Dei mandata renunciaturus, vultum velarit, exponit; quod ibi sic expressum est: *Vocatique ab eo reversi sunt tam Aaron, quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Israel, quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai; impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam; & tunc loquebatur ad filios Israel omnia, quæ sibi fuerant imperata.* Hinc verò fuerunt, quæ ad cultum divinum pertinuerunt, de Sabbato, de Primitiis, de construendo Tabernaculo, & Arca; quæ capp. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX. Exodi narrantur, nempe ut Hebræi verbis Moysis accensi aurum, vestes, muneraque contulerint; ex quibus Moyses ex præcepto Dei Tabernaculum, & partes ejus per Ministros extruxit; item Arcam, Mensam, Candelabrum, Altare thymiamatis, Altare holocausti, Labium æneum, Atrium Tabernaculi, Pontificalia ornamenta, & alia à Deo supra præcepta, ac Tabernaculum erexit, & Arcam in eo cum ceteris rite posuit. Ex quo apparet, cùm inquit Scriptura supra, *Deum ad ostium Tabernaculi cum Moyse colloquutum*, per prolepsim, idest, anticipato tempore esse dictum; cùm nondum Tabernaculum fœderis esset constructum; aut Tabernaculum illud tentorium Moysis fuisset, non Sanctuarium.

Quo consummato, nubes supernè decidit, atque ita Tabernaculum obumbravit, ut ipsum Moysen aditu excluderet.) Ibidem. *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud; nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.* Quæ verò hactenus dicta sunt, ex Genes. & Exod. repetita sunt.

(249) Suspicantur aliqui Sulpicium ita scripsisse: *Multis tamen* (idest verbis) *increpitos Levitas* &c. Sed non opus hac correctione. Ad Israelitas enim refertur illud: *increpitis*, ita, ut plenus sensus sit: *Multis tamen verbis increpitis Israelitis, Levitas ad se aggregavit.*

Credo, rectè habere se conjecturam Drusii, putantis, legendum esse: *Multis tamen increpitos Levitas ad se adgregavit.* Sanè infra lib. II. scripsit similiter: *Is cum deprehendisset Judæos gentilium connubiis permixtos, multis increpitos renunciare hujusmodi matrimonia jubet.* In quibus *multis* est pro *multis verbis*; ut *paucis* dicitur pro *paucis verbis*.

(250) Mirum, hic legi *XXIII. millia*, cùm non tantùm textus originalis Hebræus, sed & versio Græca, quam noster subinde sequitur, tantum tria millia memoret. Ego non dubito, nostrum scripsisse *tria millia*: cùmque versionis Latinæ, quam vulgatam vocant, codices nonnulli perperam haberent *viginti tria*, eumdem numerum ad marginem primùm nostri Auctoris notatum fuisse; deinde verò in ipsum textum irrepsisse.

(251) Tostatus duas nubes fuisse vult, unam quæ castris adversùs tempestates tegumento esset. Alteram specie columnæ, quæ proficiscentibus viam indicaret. Idque ex Numer. XIV. 14. probat; ubi tamen non diversæ nubes, sed diversa unius commoda describuntur.

(252) Non tantùm *ante januam* & *ante fores stare* dicunt, sed & *pro foribus*. Cicero II. Phil. *Hasta posita pro æde Jovis Statoris.* Et pro Mil. *Illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis.*

interiorumque ejus (253) ædificatio refertur. Quo consummato, nubes supernè decidit, atque ita tabernaculum obumbravit, ut ipsum Moysen aditu excluderet. (254) Hæc ferè duobus libris, Genesi atque Exodo, continentur.

SACRIFICIA, FESTI DIES, ET SACERDOTES.

Exin Leviticus liber sequitur, (*b*) in quo litandi præcepta traduntur, mandata etiam latæ superiùs legis adduntur, plena omnia Sacerdotalibus institutis. Quæ si quis cognoscere volet, perfectiùs inde capiet. Nos enim suscepti operis modum custodientes, (255) solam Historiam persequimur.

Igitur Levi (*c*) Tribu in Sacerdotium segregatâ, reliquæ Tribûs (256) dinumeratæ, repertaque hominum DC. & III. M. (257)

RE-

(*b*) Exodum Leviticus excipit, ita dictus, quòd Levitarum, quibus sacra ministeria tradita erant, officia complectetur. In hoc libro Deus vocatum Moysen docuit rationem Sacrificiorum, quæ fuerunt Oblationes, Holocaustum, Pacifica, Sacrificium pro peccatis scienter, & non scienter admissis, simulque qua lege, & ritu unumquodque Sacrificium esset faciendum. Docet autem S. Augustinus, quid differat holocaustum à ceteris Sacrificiis in Psalmum LXV. ita: *Quid est holocaustum? totum incensum, sed igne divino. Holocaustum enim dicitur Sacrificium, cùm totum accenditur; aliæ sunt partes Sacrificiorum, aliud Holocaustum; quando totum ardet, & totum consumitur igne divino, Holocaustum dicitur; quando pars, Sacrificium; omne quidem Holocaustum Sacrificium, sed non omne Sacrificium Holocaustum*. Nos autem addimus, oblationes, quæ & libamenta dicta sunt, aliqua parte esse incensa, in Sacrificiis Pacificorum & ceteris adipem, & exta esse incensa, in Holocaustis omnia conflagrasse, & cum fumo in odorem suavitatis ad Deum perlata esse. Erant autem Pacificorum sacrificia, quæ pro impetrandis felicibus rerum successibus, aut pro gratiarum actione offerebantur; ut ex aliis locis elicitur. Inde jussit Deus, ut Moyses Aaron fratrem suum cum filiis ejus offerret populo, & Aaron Pontificem consecraret. Ita Aaron unctus est, filii verò ejus vestiti sunt. Qui mox Sacrificio facto populo benedixeront; egressus autem ignis a Domino devoravit holocaustum. Nadab verò, & Abiu filii Aaron arreptis thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis preceptum non erat; egressusque ignis a Domino devoravit eos, & mortui sunt. Ostendit inde, quibus animantibus vesci, & a quibus abstinere deberent, idest, quæ munda, quæque immunda essent; item quot dies puerperæ immunda esse statueretur, & quomodo mundari deberet. Rationem porrò lepræ cognoscendæ, & expiandæ tradidit; quando, & quomodo Pontifex sanctuarium ingredi deberet; item eos ab esu sanctificatorum abstinere oportere. De feriis porrò, quæ celebrandæ essent, addidit, quæ fuerunt: Dies Sabbati, Phase, sive Pascha cum septem diebus azymorum, & secunda die azymorum, festum Primitiarum, & post septem hebdomadas, idest quinquaginta dies, festum Pentecostes cum festo Primitiarum. Septimo autem mense primo die festum Tubarum, decimo die dies Expiationum, & à quintodecimo die ejusdem mensis feriæ Tabernaculorum septem diebus, & octava collecta; de quibus ita Deus: *Omnis, qui de genere est Israel, manebit in Tabernaculis, ut discant posteri vestri, quòd in Tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Ægypti*. Præterea verò tradit, quomodo lucernæ concinnandæ, & duodecim panes Propositionis conficiendi, septimo anno terræ quietem dandam esse; idque Sabbatum terræ vocandum; quinquagesimo anno, qui annus Jubilæi vocabitur, remissionem cunctis habitatoribus dandam esse, neque tunc serendum esse, aut metendum, aut colligendum esse aliquid ex agro; omnibus ad possessiones suas permitti oportere recessum. Præcepit ergo, ut dies septimus, hebdomada septima, mensis septimus, annus septimus, ac septies septimus in honore haberentur, ac populus requiesceret die septimo, quia in eo ipse ab opere sex dierum cessavit; septimâ hebdomadâ, quia tum legem populus accepisset; septimo mense per septem dies, in memoriam quietis, quam traduxerunt in solitudine sub Tabernaculis; septimo anno, quòd tum terræ quietem ab aratione, & vineæ à putatione concedi vellit; septies septimo anno, idest, quinquagesimo, qui Jubilæi dicitur, quod debitoribus quietem, idest, relaxationem a solvendis pecuniis debitis tradi censuerit; ut ex his intelligeremus, septima quoque ætate, idest, post diem ultimum Judicii universalis, requietem fore electis. Sacerdotum autem ratio fuit hæc. Satis constat, unum fuisse Pontificem, sive Sacerdotum principem, qui non solum Sacerdotum ceterorum, sed etiam sacrorum omnium principatum gesserit. Hic primus Dei jussu fuit Aaron Moysis frater, atque inde in ejus posteris, usque ad Assamonæorum ætatem ejusmodi dignitas mansit; sic enim Deus præceperat; reliqui verò fuere Sacerdotes, omnes ex filiis Aaron Eleazaro & Ithamaro.

(*c*) Leviticum consequuntur Numeri; in quibus populus Israelitarum dinumeratur ex præscripto Dei. Ubi verò quot in quaqua Tribu viri militares supra annum vicesimum fuerint, recitavit, tum demum summam sic concipit; cap. I. & II. *Hic numerus filiorum Israel per domos cognationum suarum, & turmas divisi exercitus sexcenta millia quingenti quinquaginta*. De muneribus autem Levitarum sic perrexit: *Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel; sic enim dixit Dominus: Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel, sed constitue eos super Tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quicquid ad cæremonias pertinet; ipsi portabunt Tabernaculum, & omnia utensilia ejus, & erunt in ministerio, ac per gyrum Tabernaculi metabuntur; cùm proficiscendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum, cùm castra metanda erigent; quisquis externorum accesserit, occidetur*; & cap. III. *Applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei, & excubent, & observent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonii, & custodiant vasa Tabernaculi servientes in ministerio ejus*; & cap VIII. *Hæc est lex Levitarum; A viginti quinque annis, & supra ingredientur, ut ministrent in Tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum ætatis annum impleverint, servire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in Tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint mandata, opera autem ipsa non facient*.

(253) Quæ sunt Arca, Mensa, Candelabrum, Altare thymiamatis, Altare holocausti, Labrum æneum, Atrium Tabernaculi, Pontificalia ornamenta, & alia a Deo mandata.

(254) Nubes obumbrans Tabernaculum, Moysem ab aditu excludebat; stans supra Tabernaculum eundem admittebat. Quoties verò recedebat, simul Israelitæ castra movebant, dum ea consisteret. Nam ducem viæ nubem habebant interdiu, noctu verò præcedebat eos columna ignis.

(255) Satis Latinè *modum custodire*. Plinius lib. XX. Nat. Hist. c. 13. *Auribus quoque in dolore succus infunditur, custodito, ut diximus, modo*. Modus operis autem dicitur, ut *modus hastæ*, *modus plantæ Herculis*, *modus agri* apud alios auctores. Vide & Ind. in Corn. Nep.

(256) Vocabulo *Tribûs* utitur, ut Interpres Latinus Scripturæ sacræ; ut significet prosapiam, familiam. Ceterum antiquioribus ea vox aliud significavit; nimirum partem aliquam civitatis Romanæ; quæ quidem non homines unius, sed diversarum prosapiarum habebat.

(257) Textus Hebræus quingentos quinquaginta amplius habet. Sed numerum hunc minorem noster non curavit.

REDIT AD NARRATIONEM EXPEDITIONIS.

Cùm ergo populus (*d*) mannæ cibo, (258) ut supra retulimus, uteretur, tot tantisque beneficiis Dei, ut semper, ingratus, viles, quibus in Ægypto adsueverat, dapes (259) desiderabat. Tum Dominus immensam copiam coturnicum castris intulit: quas cùm avidè diriperent, primoribus labiis (260) admotis carnibus, interibant. Magnaque eo die clades in castris fuit, adeò ut XX. & III. virorum millia periisse tradantur. Ita populus eo, quem desiderabat, cibo punitus est. Inde promotum agmen, & in Faran ventum est: edoctusque à Domino Moyses, vicinam esse terram, cujus possessionem eis promiserat Dominus: exploratoribus in eam missis, (261) renunciatur, felicem omni copiâ esse regionem: sed gentes validas, & munita ingentibus muris oppida. Quod ubi populo compertum, magna mentes omnium formido incesserat: eoque mali ventum, (262) ut spreto Moysi imperio, ducem sibi constituere pararent, cujus ductu in Ægyptum reverterentur. Tunc Jesus & Chaleb, qui inter exploratores terræ fuerant, conscissis vestibus (263) flentes, populum obtestantur, ne exploratoribus credant, formidolosa referentibus: se quoque unà cum his fuisse, nihil metuendum in solo illo reperisse: promissis illos Dei confidere oportere, hostes prædæ potius quàm exitio fore. Sed gens indomita, sanis consiliis malè renitens, in perniciem (264) eorum ferebatur. Queis rebus commotus Dominus, partem populi hostibus cædendam objecit.

Exploratoribus interfectis (*e*) ad vulgi formidinem, secuta est eorum contumacia, qui se Dathan & Abiron ducibus adversùm Moysen & Aaron erigere (265) conati sunt. Sed eos vivos hiatu suo terra absorbuit. (266)

Nec multò post, (*f*) totius populi in Moysen & Aaron orta seditio est, (267) adeò ut taber-

(*d*) Deinceps reliquum narrat itineris Moysis versus Chananæam. Quippe anno secundo postquam Hebræi Ægypto discesserant, ex monte Sinai, sive ex monte Horeb, castra moverunt, & cùm pisces, cucumeres, pepones, porros, cæpe, & allia, quæ in Ægypto comederant, jam mannam fastidientes, desiderarent, coturnices Deus immisit; quarum avido pastu interiere XXIII millia. Sic enim scriptum est cap. XI. Numerorum: *Et ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis; vocatusque est ille locus Sepulchra Concupiscentiæ; ibi enim sepelierunt qui desideraverant.* Inde in Pharan ventum est; ibi audiens terram Chananæam esse vicinam, duodecim misit exploratores, qui eam inspicerent, & perspecta renunciarent, ut ad eorum verba totius belli rationes accommodare posset; omnes verò præter Josua, & Chaleb terram opimam quidem, sed inexpugnabilem esse retulerunt. Quo nuncio perculsi Hebræi conflata seditione in Ægyptum se recipere statuerunt, & manus vix à Josue, & Chaleb abstinuerunt; cap. XIII. & XIV. Numerorum. Cùm autem addit: (*Iis rebus incensum Deum partem populi hostibus cædendam objecisse.*) Verba Dei significat, cùm dixit cap. XIV. *Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Chaleb & Josue. Vestra cadavera jacebunt in solitudine*; & post: *Descendit Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens eos, atque concidens persecutus est eos usque Horma.* Ut autem Deus noluit intrare in terram promissam eos, qui tum adversùs se peccarant, sic non intrabunt in Regnum Cælorum, qui adversùs Legem Christi peccabunt. Decem autem exploratores extinxit Deus, qui reversi adversùs Moysen seditionem concitecant. Sic enim inquit cap. XIII. *Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd esset mala, mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini. Josue autem & Chaleb vixerunt ex omnibus, qui perrexerunt ad considerandam terram.*

(*e*) Multæ inde aliæ seditiones narrantur adversùs Moysen & Aaron excitatæ. Quarum unam commovere Core, Dathan, Abiron, Hun, & alii CCL., quærentes, cur Moyses, & Aaron imperium in se exercerent, an aliis sanctiores essent? Cùm autem Moyses jussisset, Core, Dathan, & Abiron thuribula sumere, atque illi sumpsissent, statim terra eos absorpsit, tanquam indignos, & novo genere necis ostendit Deus, quantum eorum sibi audacia displiceret; simul autem cum eis interfecti CCL. viri, qui simul incensum offerebant, cap. XVI.

(*f*) Aliam affert seditionem, & ipsam Dei præsenti iracundia vindicatam. Nam postridie cùm populus Moysi, & Aaroni maledicere pergeret, dicens: *Vos interfecistis populum Domini, repentè in eos immissus est ignis, quem Deus precibus Moysis fatigatus restinxit XIV. millibus septingentis absumptis.* Sulpicius autem scribit, popu-

(258) Ut *herba lapathi*, *metallum auri* apud Poëtas Horatium & Virgilium. Nimirum vocabulum speciei vocabulo generis in casu obliquo adjicitur.

(259) Cucumeres, pepones, porri, cæpe, allia. Hujus seditionis authores feruntur vulgus promiscuum, qui simul cum Hebræis ex Ægypto egressi, vel se in via adjunxerant Judæis.

(260) Propriè dixit, quod Cicero & alii figuratè. Cicero pro Cœll. *Qui primoribus labris gustassent genus hoc vitæ.* Ceterum *primoribus* dicitur pro *primis*. Nam & *primorem partem domus*, *primorem aciem* dixerunt pro *primam partem domus*, *primam aciem*. Deinde *primoribus labris* dicitur pro *primore* seu *primâ parte labiorum*: quomodo *extremus digitus* pro *extremâ parte digitorum* dicitur; ut notio partis simul involvatur. Cujus generis varia in Indice Nepotis, voce *pars*, & in epist. priore ad Gerh. Titiom p. 93. congessimus.

(261) Numer. XIII. Duodecim pro numero Tribuum, in queis Josua & Chaleb. Reliquorum nomina invenies loco laudato Numerorum.

(262) Locutio talis, qualis illa, *eò insolentiæ procedere*, *eò desperationis adducere*; quorum illud Plinius in Paneg. hoc Justinus lib. III. cap. 5. habet. Curtius quoque lib. VI. dicit: *Huc malorum ventum est*: & lib. V. *Eò rerum ventum erat, ut tam periculosum esset non credere fuit, quam decipi.*

(263) In luctu vestes conscindere, lacerare comas, atque immundo pulvere perfundere apud varias Gentes in usu. Virg. XII.

...... *Id scissa veste Latinus*

Canitiem immundo perfusam pulvere turbans.

Justinus XIV. *Scissa veste, & crinibus sparsis in exilium abit.* Svetonius in Cæsare: *Pro concione fidem militum flens, & veste à pectore discissa, imploravit.*

(264) Josuæ & Calebi puta, ceterorumque, qui eos a pessimo instituto retrahere studebant. Neque opus est emendare *in perniciem suam*, ut vult Drusius. Cædem alicujus perniciem dici, simile est illi, quod supra adnot. 204. *exitium* dicitur in verbis: *Ægrè ab exitio ducis temperabat.* Nepos XVIII. 11. 2. *Cujus in pernicie positam habuissent spem victoriæ.*

(265) Fabius lib. VI. Instit. Orat. proœ. *Sed vel propter hoc nos contumaciter erigamus*, (contra fortunam puta) *quod illam ut praferre nobis difficile est, ita facile contemnere.* Sed & Statius lib. VIII. Theb. dixit *erige contra aliquem*.

(266) Numer. XVI. Ducenti & quinquaginta viri igne absumpti, corpore integro; & parvuli etiam, licèt innoxii, absorpti sunt. Excipe tamen filios Core, de quibus dicitur cap. XXVI. hoc grande miraculum, ut pereunte Core filii non perirent. Unde familia Core inter Levitas numeratur, Psalmosque plures vel composuerunt, vel decantaverant, qui etiamnum eorum nomine inscribuntur.

(267) Eleganter inter participium & verbum substantivum aliquid interponitur. Atque ita noster sæpissimè, ut paullo pòst: *Catervatim in eos grassata mors est.* Item: *Ob aquæ penuriam populi exorta seditio est.* Ita passim & alii. Justinus lib. XXX. cap. 1. *Regis mores omnis secuta regia erat.* Item lib. XI. c. 1. *Ita vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est.*

tabernaculum (quod erat nefas, nisi Sacerdotibus, introire,) (268) irrumperent. Tum verò catervatim in eos grassata mors est: momentoque omnes interissent, nisi Moysi precibus placatus Dominus cladem avertisset. Numerus tamen peremtorum, septingenti & XIV. millia fuit. Nec multò post, ob aquæ penuriam, ut jam sæpius, populi exorta seditio est. Tunc Moyses à Domino monitus, ut petram virgâ feriret, familiari sibi experimento (siquidem id jam antè fecisset) semel atque iterum petram percussit, atque ita aqua effluxit. In quo quidem notatus à Domino Moyses refertur, quòd per (269) diffidentiam non nisi iterato ictu aquam eduxerit. Denique (270) ob hoc peccatum, promissam sibi terram non ingressus est, sicut inferiùs ostendam. (271)

Igitur Moyses (g) ex eo loco promovens, (272) cùm præter Edom (273) agmen ducere pararet, (274) missis ad Regem legatis, transeundi copiam poposcit, ob jus sanguinis bello abstinendum ratus. Etenim gens illa Esau progenies erat. Sed Rex supplices adspernatus, transitum negavit, paratus armis contendere. (275) Tum Moyses in Or montem iter convertit, (276) vetitâ viâ abstinens, ne quam inter consanguineos causam belli præberet. In eo quoque cursu Regem gentis Chananæorum delevit. Seon quoque Regem Amorræorum perculit, omniumque eorum oppidis potitus est. Basan (277) quoque & Balac (278) Reges devicit, & castra super Jor-

populum irrupisse in Tabernaculum, quod erat nefas omnibus, nisi Sacerdotibus; at Scriptura inquit, Moysen & Aaron fugisse ad Tabernaculum, atque inde Deum ad eos locutum monaisse, ut se à populo separarent, nam se eos esse deleturum, nihil tamen falsi affinxit Sulpicius. Tertiam inde populi seditionem aquæ penuria concitavit in solitudine Sin, cui penuriæ occurrit Moyses Dei monitu, virga, qua petram bis percussit, cap. XX. Quia verò non semel, sed bis, quasi Deo diffidentes, petram percusserant, Deus dixit: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Atque ita utrique & Moysi, & Aaron mortem proximam nunciavit.

(g) Narrat inde, ut sedatis omnibus seditionibus ulteriùs agmen Hebræorum abduceret, & cùm præter terram Edom, quæ & Idumæa dicebatur, duceret, Legatos ad Regem eorum de transitus potestate misisse, quia ab Esau genus trahebant, fratre Jacob, a quo fiebat, ut Israëlitis antiquâ cognatione attingerent. Atque hoc est, quod Sulpicius (*jus sanguinis*) dixit. Rege verò transitum per fines suos non concedente, Moyses ad Hor montem iter convertit, & diligenter, ne belli causam ei præberet, providit; ibi verò Moyses fratrem suum Aaron Pontificem amisit, ac jussu Dei Eleazarum filium ejus illi suffecit. Cùm autem perventum esset ad montem Hor, Moyses bello provocatus ab Arad Rege Chananæorum, eum devicit. Interim populus nova seditione commota turere cœpit. Cùm autem misisset Dominus ignitos serpentes, qui plurimos necarent, inde ad sanitatem reversi, Moysem, ut sibi adesset, orarant. Ille jussu Dei serpentem fecit, & pro signo posuit; quem cùm percussi aspicerent, sanabantur, capite XXI. Quo signo mysterii Crucem Christi præfiguratam dicunt, quæ generis humani mortem extinxit. Demum multis peragratis terris, & multis in locis castris factis, misit Moyses Legatos ad Sem Regem Amorrhæorum, ut sibi transire per fines suos liceret, quod cùm non impetrasset, arma intulit, atque ei Regnum ademit. Inde ad Basan iter convertit, & Regem ejus Og, adversùs se venientem perculit, terramque ejus occupavit. Sulpicius autem putavit, (*Basan*) esse nomen Regis, ut est Balach, cùm sit regionis. Sic enim Græca versio: *Et conversi itinere ascenderunt viam ferentem ad Basan, & Og Rex ipsius exiit in occursum. Balach autem filius Sephor Rex Moab, cum Israëlitas in finibus Moabitarum castra posuisse videret, metu perculsus accivit Balaam, qui Israëlitis malediceret; qui asina vectus obstante Angelo progredi non potuit; demum agnito Angelo progressus pro maledictione benedictionem populo dedit*. Quare Balac neque lacessivit Israëlitas bello, neque ab eis lacessitus est, quod Scriptura tradiderit, ut miror, Sulpicium scripsisse, eum à Moyse fuisse devictum; addit ad extremum: (*Et castra super Jordanem haud longe ab Hiericho molitus est*;) quibus verbis expressit verba illa, capite XX. *Victo Rege Og profecti castrametati sunt in campis Moab, ubi trans Jordanem Hiericho sita est*; idest, castra fixerunt cis Jordanem in ea parte, quæ respicit Hierichuntem urbem trans Jordanem sitam. Græci verò: *Castrametati sunt apud Jordanem è regione Hierichuntis*. Interim XXIV. millia Israëlitarum occisa jussu Dei a suis sunt, quia cum mulieribus Moabitis fornicati fuerant. Festos etiam dies rursus præcepit, & nominavit, cap. XXVIII. & XXIX. Numerorum. Inde (*adversus Madianitas certatum, victique & subacti sunt*.) Quod bellum narratur cap. XXXI. Nam jussu Dei gestum contra Madianitas ob fornicationem commissam, & quia deos suos adorandos Israëlitis proposuerant. Sequuntur inde multa Dei mandata super divisione terræ Chanaam data Israëlitis in campis Moab juxta Jordanem è regione Hierichuntis anno quadragesimo, postquam egressi erant ex Ægypto, ut scriptum est in extremis capitibus Numerorum, & primo Deuteronomii.

(268) Tabernaculum tres partes habebat, quarum intima vocabatur Sanctum Sanctorum, quod solus Pontifex ingrediebatur semel in anno. Media Sanctum dicebatur. Extrema erat atrium, quod iis erat ingredi omnibus Judæis. Hoc etiam posterior distinxit in duas partes, quarum una dicebatur atrium virorum, altera atrium feminarum, quòd in eo solæ feminæ apparerent. De Tabernaculo qui plura desiderat, videat annotata ad Sigonianam Hebræorum Rempublicam de Tabernaculo.

(269) *Per* pro *propter*. Justinus X. 1. 1. *Darium per indulgentiam pater Regem vivus fecit*. Item VIII. 3. 10. *Receperant per misericordiam duos fratres ejus*.

(270) *Denique* pro *breviter*, uno verbo. Nepos XVIII. 11. 1. *A quo tot annos adeò essent male habiti, ut sæpè ad desperationem forent adducti; quique maximos duces interfecisset: denique in quo uno essent tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent*. Item XXI. 2. 2. *Minimè libidinosus, non luxuriosus, nec avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii*. Curtius VII. 1. 36. *Denique non ostendit auctorem* &c. Vide & Indices Freinshemii in Curtium & Florum.

(271) *Ostendere* pro *exponere*, *narrare*. Ita passim meliores. Nepos XVI. 5. 1. *ostendimus*. Et XVII. 1. 4. *Ut ostendimus supra*.

(272) Subaudi *agmen*, idest, exercitum. Supra pag. 37 *Exin promotum agmen*. Curtius IV. 1. 30. *Pelusio Memphim copias promovit*.

(273) *Edom* pro *Idumæa*, aut *terrâ Edom*, more Hebræorum, qui regiones adpellant ipsis primorum Dominorum ac habitatorum nominibus.

(274) Modus movendi castra hic erat. Vexilla in castris Israëlitarum quatuor erant, Judæ, Ruben, Ephraim, & Dan. In vexillo Judæ erat leo, Ruben homo, Ephraim bos, Dan aquila. Ceteræ Tribus ad hæc vexilla referebantur. Quum videbant nubem ascendentem, Sacerdotes tubis & clangebant, & proficiscebantur, castra Judæ initio, & sic deinceps. Ibant enim more castrametationis eorum. Levitæ & plaustra in medio. Gersonitæ, & Meraritæ proficiscebantur inter vexillum Juda, & Ruben. Chaatitæ, & cum iis Aaron inter vexillum Ruben, & Ephraim. Ceterum quæ tradant Judæorum Magistri de vexillis duodecim Tribuum vide annotata ad Hebræorum Rempublicam, ubi de lapillis Rationalis Summi Pontificis.

(275) *Contendere cum aliquo* pro *bellum gerere*. Nepos IX. 4. 1. *Quod majus bellum suscipere arbitrabantur, quàm si cum barbaro solum contenderent*. Deinde addunt vocabula *armis*, *acie*, dicuntque *contendere armis*, *contendere acie*: quorum utrumque idem Nepos & alii usurpant.

(276) Ita ut resteam cursu circumiverit Idumæam ad latus Orientale, ac necessariò partem aliquam Idumææ transire debuerit, ut veniret in Moab & Ammon, & inde in Chanaan.

(277) Μνημονικὸν ἁμάρτημα, quòd *Basan*, nomen regionis, cujus Dominus Og fuit, pro nomine ipsius Regis posuit.

(278) Idest Og Regem Basan, & Balac Regem Moabitarum, qui pugnasse in Israëlitas legitur, Josue XXIV. 19.

Jordanem (279) haud longè ab Hiericho molitus est. Tunc adversùs Madianitas certatum, victique & subacti sunt.

Moyses mortuus est, cum XL. in deserto annos populo præfuisset. (*h*) Ceterùm Hebræi ob hanc causam tanto tempore in eremo fuisse traduntur, donec omnes, qui verbis Dei non crediderant, interirent. Excepto enim Jesu & Chaleb, nemo ultra XX. annos natus, (280) Ægypto profectus, Jordanem transiit. Ipse Moyses, ut terram promissam videret tantùm, nec contingeret, peccato ejus adscribitur: quòd eo tempore, quo saxum ferire & aquam producere præceptus est, (281) post tot virtutum (282) suarum experimenta, dubitaverit. Decessit autem anno ætatis vigesimo & centesimo. De sepulcri loco parum compertum.

JOSUE DUX ISRAELITARUM.

Moyse mortuo, (*i*) summa rerum (283) penes Jesum Nave (284) filium erat. Etenim illum sibi Moyses successorem constituerat, verum virtutibus suis (285) simillimum. Principio

antem

(*h*) Refert inde mortem Moysis jam sæpius illi à Deo denunciatam. Ea verò tractatur cap. ultimo Deuteron. Hic liber, ut diximus, sequitus Numeros, neque aliud ferme continet, quam longam concionem Moysis ad Israelitas. Nam cùm esset in terra Moab juxta Jordanem, & mortem sibi imminere à Deo prædictam videret, neque enim Jordanem transiturus erat, populum alloquutus est, & oratione, quæ totum ferme Deuteronomii librum complectitur, commemoravit beneficia à Deo in illos collata, & repetivit præcepta legis, & judicia sibi à Deo in monte Sinai tradita, eaque ut sanctè custodirent, admonuit. Josue sibi successorem in ducatu deligit. Scripsit autem legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus, ut librum ponerent in latere Arcæ; præcepitque eis, ut septimo quoque anno in anno Remissionis, in solemnitate Tabernaculorum, populo verba legis recitarent. Inde benedixit Tribubus, ac montem Nebo jussu Dei ascendit, ac terram inde promissam contemplatus est; dixitque Dominus ad eum: *Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Ceterùm mortuus est ibi Moyses jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus.* Hæc in toto Deuteronomio; quod inde nomen apud Græcos accepit, quòd secundam legis lationem contineat; nam prima duabus lapideis tabulis à Deo scriptis est mandata, & in Arca servata, secunda libro Deuteronomii à Moyse ipso conscripta. Quod ait: (*Hebræos ob hanc caussam tanto tempore in eremo fuisse, donec omnes qui verbo Dei non crediderunt, interirent:*) ea dixit Moyses in concione ultima, de qua diximus: *Tempus autem*, inquit, *quo ambulavimus de Cadesberne, usque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus, cujus manus fuit adversùm eos, ut interirent de castrorum medio; postquam autem universi ceciderunt pugnatores, loquutus est ad me Dominus, dicens: Tu transibis hodie terminos Moab*. Deuter. cap. II. quod addit: (*Excepto Jesu, & Chaleb, nemo ultra viginti annos natus Ægypto profectus Jordanem transivit.*) Idem Moyses cap. XXXI. Deuteron. dixit: *Centum viginti annorum sum hodie; non possum ultra ingredi, præsertim cum & Dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum, & Josue iste transibit ante te*. Neminem autem transisse de majoribus natu, scriptum est in Josue cap. V.

(*i*) Narratur inde reliquum expeditionis Israeliticæ ad terram Chanaam expugnandam, quæ duce Jesu, sive Josue Nave filio facta est. Ille verò cum exercitu Hebræorum Jordanem transivit, & terram Chananæam à Deo promissam, deletis ejus Regibus, sibi subjecit, atque eandem decem Tribubus Israël divisit; atque hoc est argumentum ejus libri, qui Josue dicitur, & Deuteronomium proximè sequitur. Ceterùm Jesus Nave nova quoque Jesu Christi figura fuit; ut enim ille terram Chananæam promissam profligatis hostibus populo electo divisit, sic Christus, devicto diabolo, sedes cœli promissas fidelibus electis distribuit, ut S. Augustinus contra Faustum scribit libro XII. Constituit autem Moyses Josue successorem sibi Deuteronom. cap. XXXI. his verbis: *Vocavit Moyses Josue, & dixit ei coram omni Israël: Confortare, & esto robustus; tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum, juravit Dominus, & tu eam sorte divides*. Puto autem legendum apud Sulpicium (*Verum virtutibus suis simillimum*) non *suis*. Inde Josue à Deo promissione vetere confirmatus præcepit principibus populi dicens: *Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*. Quis autem cibus hic fuerit, neque enim communem intelligere potuit, a doctis quæritur (*frumentum*) illud esse dixit Sulpicius ex ingenio. Quos idem nuntios vocavit, Græce est scribæ. Quod addit: (*sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat, quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur:*) hoc totum ex ingenio Sulpicii dimanavit, ut ostenderet rationem, qua populus amnem tantum tempore alieno trajecerit. Illud enim est solum in Scriptura: *Jordanis ripas alvei sui tempore messis impleverat*. De Jordane lege Plinium libro V. cap. XV. & Josephum de Bello Judaico libro III. cap. XVIII. Docet inde Josue, quemadmodum Hebræi tutò trajicere amnem tumentem possint, nempe Arcam Dei præcedentem sequentes. Hoc autem sumptum est ex cap. III. Josue ad suos: *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes Leviticæ stirpis portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes*. Inde narratur, ut præcedentibus cum Arca Sacerdotibus aquæ Jordanis recesserint, atque ingressum, ac transitum exercitui Hebræo præbuerint; sic enim inquit Scriptura: *Sacerdotes, qui portabant Arcam fœderis, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat*. Ut verò ante Moyses Dei monitu percussum virga mare discidit, atque ita populo, cedentibus in latera aquis, velut in continenti iter pervium fuit, sic nunc Josue successor ejus præmissâ Arcâ fœderis Jordanis aquas incidit, ac sicco alveo populum transmisit. Unde Josue dixit: *Siccante Deo Domino nostro aquas Jordanis in conspectu nostro, donec transiretis, sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit, donec transiremus*. Quod autem dixit Sulpicius (*siccum*) Scriptura dixit: *Arentem alveum*. Ceterùm transgressus Jordanem Josue castra in loco posuit, qui Galgala dictus est; atque ibi monitu Dei eos circumcidit, qui nati fuerant, postquam egressio facta ex Ægypti finibus fuerat, quod præterit Sulpicius.

(279) Idest, apud Jordanem, prope Jordanem. Versio Græca Num. XXII. 1. παρενέβαλον παρὰ τὸν Ἰορδάνην.

(280) Nemo plus quàm viginti annos natus, nemo viginti annis major.

(281) Pro *præceptum est ei, ut saxum feriret*. Verbi, quæ Dativum personæ adsciscunt, non sæpe in forma passivâ de personâ usurpantur. Simile autem est huic, quod infra Dial. I. dicit *imperatus* pro eo, cui imperatum est.

(282) *Virtus* pro facultate, potentiâ aliquid faciendi, ut sæpe.

(283) *Summa rerum* pro *summo imperii*. Nepos XVIII. 5. 1. *Rerum summa ad Antipatrum defertur*. Sed dicunt etiam *summa res*; & numero plur. *summæ res*. Nepos XVIII. 10. 3. *Cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum*. Justinus lib. VI. cap. 2. *Diu Lacedæmonii, an eum summæ rei præponerent, deliberarunt*.

(284) Qui etiam Josue dicitur. Hic fuit primus Dux Israelitarum, qui cum exercitu Jordane trajecto, Chananæam subegit, distribuitque: & sicut primus post Aaronem Summus Sacerdos fuit Eleazar; ita Josue primus fuit post Moysem populi Dux.

(285) Sigonius legendum putat *suo*. Ceterum virtutes hic aliâ notione dicuntur, quam in proximo superiore paragrafo, & quidem notione maxime usitatâ.

autem ſuſcepti imperii, dimiſſis per caſtra nunciis, populum certiorem facit, frumentum uti pararent: triduoque proximo iter pronunciat. (286) Sed Jordanis flumen validiſſimum, tranſitum prohibebat: quia neque navium copia pro tempore (287) erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur Arcam præferri à Sacerdotibus, eoſdemque adverſo flumine conſiſtere jubet. Quo facto, inciſus Jordanis traditur: (288) ita per ſiccum copiæ traductæ.

Erat in his locis oppidum (*k*) nomine Hiericho, muris validiſſimis munitum, neque expugnationi, neque obſidioni facile. (289) Sed Jeſus Domino fretus, non armis aut viribus urbem adgreſſus, ferri Arcam Dei circa muros jubet: Sacerdoteſque præire Arcam, & tubâ canere. (290) Sed cùm Arca ſepties circumlata eſſet, muri ac turres conciderunt: direptum oppidum atque incenſum. Tum Jeſus Dominum traditur **.

Inde adversùs Geth ductus exercitus: (*l*) locatiſque à tergo urbis inſidiis, Jeſus metum ſimulans, terga hoſti dedit. Quo viſo, qui in oppido erant, patentibus portis cedentibus inſtare. Ita hi, qui in inſidiis fuerant, vacuam urbem cepere: cæſique omnes, abſque ullius effugio: (291) Rex captus, ſummoque ſupplicio (292) adfectus.

Quod ubi vicinarum gentium (*m*) Regibus compertum eſt, in bellum conſpirant Hebræis armis

(*k*) Prima expeditio Joſue trans Jordanem fuit adversùs oppidum Hierichontem. De ſitu urbis hujus latè Joſephus libro XVI. cap. IV. inquiens, abfuiſſe a Jordane ſtadia ſexaginta, a Hieroſolymis centum quinquaginta. Quod verò vertit Sulpicius (*muris validiſſimis munitum, neque expugnationi, neque obſidioni facile,*) id ea ingenio prompſit potius, quam ea Scriptura, quæ ſic habet: *Hiericho clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſrael, & nullus egredi audebat, aut ingredi.* Quibus verbis ſignificatur, clauſas portas habuiſſe, ne quis civium temerè exiret, aut fugam iniret; munitam verò fuiſſe, ne quis hoſtium ingredi poſſet. Quare difficilis mihi videtur fuiſſe ad expugnandum, at ad obſidendum non item. Quid eſt enim operoſum, eos obſidere, qui clauſi ita ſunt, ut exire non audeant? Quanquam autem urbs inexpugnabilis erat, tamen capta eſt, verum non ope humana, ſed divina. Nam Joſue juſſu Dei per ſex dies urbem exercitu circumdedit, ſeptimo Arcam ſepties circumtulit; cùm Sacerdotes ſeptem præeuntes clangerent buccinis, ad ſonitum earum mœnia corruerunt; urbs capta, & incenſa cum omnibus, quæ ibi inventa ſunt; populus ad unum interfectus. Hæc cap. VI. Joſue. Quare quod inquit Sulpicius: (*oppidum direptum*) falſum eſt, nam Joſue mandarat, ne quidquam attingerent; & poſt additur: *Urbem, & omnia, quæ inventa ſunt in ea, ſuccenderunt, abſque auro, & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt* **. In iis verò, quæ ſequuntur: (*Tum Jeſus Dominum traditur;*) Deſunt nonnulla verba, quibus Joſue urbem Hierichuntis devovit, quæ ſunt eodem capite: *In tempore illo imprecatus eſt Joſue dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit civitatem Hiericho.* Hæc autem urbis devotio anathema ibi dicitur; quòd quæ Deo dicata ſint, ad homines pertinere non poſſint, & dira vota exitium conſequi ſoleat.

(*l*) Altera expeditio fuit adversùs Hajenſes. Hæc urbs in Hebraica lectione dicitur Hai, in Græca Gai, quam ſequutus Sulpicius vertit Geth. Uſus eſt autem Joſue conſilio ejuſmodi. Poſuit inſidias a tergo oppidi, atque oppidum aggreſſus, ſimulato metu fugam arripuit. Cives veram eſſe fugam arbitrari, potius effuſi fugientes ſunt inſecuti; quod cùm illi avidius faciunt, qui in inſidiis erant, urbem intrarunt, atque omnibus cæſis, Regem etiam ſuſpendio affecerunt. Suſpendium autem cùm dico, crucis ſupplicium intelligo; ſic enim ibi: *Regem quoque urbis ſuſpendit in patibulo, uſque ad veſperam, & Solis occaſum, præcepitque Joſue, & depoſuerunt ejus cadaver de cruce*; id verò ex lege, quæ eſt Deuteronomii, cap. XXI. & XXII.

(*m*) Tertia expeditio fuit contra Gabaonitas, quarta verò contra Reges eos, qui Gabaonitarum ſervitutem vindicare armis conati ſunt. Res autem ita narratur cap. IX. Audita expugnatione oppidi Hai, finitimi Reges omnes, Hethæus, Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, Hevæus, & Jebuſæus in unum coierunt, ut uno animo contra Joſue, Hebræoſque pugnarent. Gabaonitæ verò, qui vicini erant Hieroſolymis in Tribu, quæ poſtea fuit Benjamin, nuncios miſerunt cum muneribus attritis, rogatique unde eſſent, longè terrarum ſe venire mentiti ſunt; atque ita Hebræi jurati illis pepercerunt. Poſtquam autem mendacium agnoverunt, jurejurando, quominus durius in eos conſulerent, impediti, ea ſervitute mulctarunt, ut exercitui ligna, & aquam afferrent. Quo comperto, quinque Reges eorum populorum exercitus ad vincendum oppidum Gabaon adduxerunt; contra quos auxilio Gabaonitarum Joſue prodiit, atque in fugam actos die longiſſima facta profligavit. Quinque Reges cùm ſe in ſpeluncam retuliſſent, extracti, ſuſpendio pœnas dedere. Reges autem hi fuerunt, Adoniſedec Hieruſalem, Oham Hebron, Pharam Hierimoth, Japhia Lachis, & Dabir Eglon. Eſt autem ſcire operæpretium, terram, quam vocamus Chananæam, primùm ab his populis eſſe cultam, Chananæis, Hevæis, Hethæis, Amorrhæis, Jebuſæis, Pherezæis, & Gergezæis; quibus deletis eam diviſam eſſe duodecim Tribubus Iſraelitarum, ac ſingulas partes ab eis appellatas fuiſſe; poſtremò in tres quaſi diviſam, Judæam, Samariam, & Galilæam; quibus addi quoque Idumæa, & Palæſtina poteſt, poſtquam Judæorum ſacra ſuſceperunt. Sed de his poſterioribus infra ſæpius. Cùm autem dixit. (*Merito fides dux Hebræus noctem avertit, dies perſeveravit:*) expreſſit verba illa: *Dixit Joſue, Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon; ſteteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque in medio Cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei; non fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Unde in Eccleſiaſt. ſcriptum eſt cap. XLVI. *An non in iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt*, ut duo? & apud S. Auguſtinum libro XXI. de Civitate Dei, cap. VIII. *Nunc in divinis libris legimus, etiam Solem ipſum ſtetiſſe, cùm hoc à Domino petiſſet vir ſanctus Jeſus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret.* Hæc eſt autem fides, de qua S. Paulus ad Hebræos: *Fide, muri Hiericho corruerunt circuitu dierum ſeptem.* Nomina verò Regum, & urbium devictarum ſunt cap. XI. & XII. quæ multis expeditionibus geſta, non ſolum Sulpicius, ſed neque Scriptura ſigillatim eſt perſecuta. Quod autem inquit: (*XX. & IX. Reges imperio Hebræorum ſubjecta*) legendum eſt XXXI. ut non viginti novem, ſed triginta unum ſit. Sic enim Scriptura enumeratis ſingulis Regibus concludit: (*omnes Reges triginta unus.*) Error ex notis natus.

(286) Curtius lib. IV. *Inimmeat Dario iter ad Euphratem pronunciat.* Livius quoque alicubi: *Pronunciare prælium in poſterum diem.* Eſt ergo pronunciare pro indicere.

(287) *Pro tempore*, ideſt pro conditione temporis. Ut in illo Virgilii: *Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.* Juſtinus XI. 1. 8. *Ita vulgus omne conſolatus hortatuſque pro tempore eſt.*

(288) Aquæ Jordanis ſteterunt a Bethabara uſque ad urbem Adam, quæ eſt a latere Sarthan. Immotos ergo ſtetit fere a mari Mortuo uſque ad mare Galilææ, hoc eſt per viginti circiter milliaria.

(289) Quædam editiones habent *facilis*; ſed manifeſto errore; neque enim ulla ratione defendi id poteſt. Ceterùm conſtructio notetur *expugnationi facile* pro *expugnatu facile*, vel *expugnari facile*, vel denique ad *expugnandum facile*. Tot enim modis id exprimunt. Verumtamen neque illa prior planè ignota eſt. Ex Livio adfertur *facilis diviſui provincia* pro *facilis ad dividendum*. Item: *facilis impetrandæ veniæ Claudius.*

(290) Buccinis ſeptem arietinis, quarum in Jubilæo uſus erat. Quas tubæ tres Sacerdotes, qui Arcam præibant.

(291) Etiam infantes & feminæ. Deus in bellis Hebræorum, etiam poſt pacem oblatam & repudiatam, parci vult feminis & infantibus: extra paucas Gentes ſpeciali jure exceptas, adverſum quas quod erat bellum, non erat hominum, ſed Dei, atque ita appellabatur.

(292) Ideſt extremo, capitali. Virgilius lib. II. Æn. *Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus Dardaniæ.* Nepos XXV. 5. 1. *Ut hujus ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam.* *Summum ſupplicium* habet ipſe Cicero I. in Catil. Verba ejus ſunt: *Nonne hunc ſummo ſupplicio mactari imperabis?*

armis depellere. Verùm Gabaonitæ, (293) gens valida, ex urbe opulentâ, ultro se Hebræis dederunt, (294) jussa facturos pollicentes: receptique in fidem; ut ligna & aquam convehherent, imperatum. Sed Regibus proximarum urbium, deditio eorum, iras conciverat. Itaque admotis copiis, oppidum eorum, Gabaon nomine, obsidione circumsistunt. Igitur oppidani, arctis rebus suis, nuncios ad Jesum mittunt, obsessis uti succurreret. Ita ille maturato itinere inopinantibus supervênit, cæsaque ad internecionem (295) multa hostium millia. Cùm dies cædentes deficeret, noxque victis futura præsidio videretur, merito fidei (296) dux Hebræus noctem avertit; dies perseveravit: ita nullum hostibus effugium fuit. Quinque Reges capti, interfecti sunt. Eodem impetu vicinæ quoque urbes (297) imperio adjectæ, Regesque earum peremti. Verùm quia omnia hæc in ordinem persequi non fuit consilium, dum brevitati studemus, id modò adnotandum curavimus, XX. & novem Regna imperio Hebræorum subjecta. (298)

Quorum terra per undecim Tribûs (299) viritim distributa est. (n) Levitis enim in Sacerdotium (300) adsumtis, nulla portio data, quo liberiùs servirent Deo. (o) Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur. Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupîdo veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque negotiantes, quod est multò turpiùs, sedentes munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. Sed longiùs quàm volui egressus sum, dum me temporum nostrorum piget tædetque. Ad incœptum redeo.

Igitur, ut supra dixi, diviso per Tribûs (p) captivo solo, (301) pace summâ Hebræi perfruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis nobiles armis nemine audente tentare. Eodem tractu

(n) Partâ, pacatâque terrâ à Deo sibi promissâ, Josue eam sorte divisit Tribubus Israëlitarum, quæ tredecim erant; nam duodecim fuerant filii Israel, & pro Joseph duo filii ejus Manasses & Ephraim substituti fuerant. Ex horum autem numero, Tribu Levi exempta, relictæ sunt duodecim. His verò duodecim terra divisa est; nam Levi nulla terra est assignata, sed urbes tantùm quadraginta octo. Ac primùm quidem Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manassis terram a Moyse trans Jordanem partem adepti sunt. Reliquam verò cis Jordanem, reliquæ, nempe Simeon, Judas, Issachar, Zabulon, Aser, Dan, Nephthalim, Benjamin, & altera dimidia Manassis, & Ephraim. Sulpicius XII. in totum putavit esse Tribus, quia duodecim fuerant filii Israel, atque undecim tantùm terram esse divisam. Quod ne cui admirationem afferret, addit: (*nam Levitis nihil terræ est attributum*.) Oblitus scriptum ita esse cap. XIV. *Levitæ nihil terræ acceperunt inter fratres suos, sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi Tribus, Manasse, & Ephraim*. Tribum autem Levi XIII. esse apparet etiam ex eo, quod scripsit S. Augustinus lib. XX. de Civitate Dei, cap. V. *Non quia dictum est: Judicantes XII. Tribus Israël, Tribus Levi, quæ XIII. est, ab eis judicanda non erit*. Rectius ergo dixisset, duodecim; nam Levitæ propriæ terræ sortem non habuere, sed in alienis sortibus urbes habitavere; quare Levitis eis Tribubus attributi sunt, in quibus consedere.

(o) Hoc Deus Moysi primum præcepit, his verbis Deuteronomii cap XVIII. *Non habebunt Sacerdotes, & Levitæ, & omnes, qui de eadem Tribu sunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Israël, quia sacrificia Domini, & oblationes ejus comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum. Dominus enim ipse est hæreditas eorum*. Quod autem Deus præcepit Moysi, id executus est Josue cap. XIII. Sic enim inquit: *Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia, & victimas Domini Dei Israël, ipsa est hæreditas ejus, sicut locutus est illi*; & cap. XIV. *Nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta, & pecora sua*. Quare illud: (*Quo liberius servirent Deo*,) videtur Sulpicius ex ingenio suo, non ex divina exprompsisse Scriptura. Quod enim loquit Scriptura: *Dominum esse hæreditatem Levitarum*, non id significat, quod ille prodit. Quoniam autem Clerus est hæreditas Græcè, propterea hinc Clerici nomen apud Christianos invenerunt, quia hæreditatem Domini adepti sunt; & quia Cleros hæreditatem, & sortem significat, hinc fratres a Latinis consortes dicti sunt, qui simul indivisa hæreditate agunt. Opportunè inde carpit Clericos sui temporis, qui contra Dei mandata hæreditatem suam non Deum constituissent, sed prædia, aurum, & divitias; atque aut eis parandis enixe operam darent, aut quiescentes, aliena munera expectarent, & sanctitatem quasi venalem haberent. Vixit autem, & scripsit anno Christi quadringentesimo, ut mirum esse videatur, quam citò veteres mores Ecclesiæ lapsi sint.

(p) Pacem demum, & mortem Josue consequutam ostendit. Prætermisit autem, Josue ex Dei mandato, quod etiam Moysi fuerat nuntiatum, constituisse sex urbes, in quas confugere possent, qui imprudentes cædem fecissent. Quò ibi tuti ab injuria propinquorum occisi hominis essent, quandiu causam suam apud Synagogam, Conciliumve probassent, aut Pontifex, sub quo cædes ea facta fuisset, mortem oppetiisset. Omisit etiam, ut Levitis oppida XLVIII. inter alias Tribus assignata sint, ut eas incolerent, & sub-

(293) De Gabaonitis dictum fuit ad sæpius citatam Rempublicam libro V. annotatione 56.

(294) Pro *dediderunt*. Ita supra pag 43. *Vino & ventri se dare*. Ad quem locum & ex antiquioribus talia sunt notata.

(295) Corn Nepos XVIII. 3. *Bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt*.

(296) Quod Auctor epist. ad Hebr. toties dicit πίστει *fide*, itemque διὰ πίστεως *per fidem*, id noster dicit *merito fidei*. Et vox *merito* ferè παρέλκει. Ut & in illa pag. 17. *Benedictionis merito majorem minori præposuisset*, idest, *benedictione*, vel per *benedictionem*. Vide & Notas infra: Illud *fidei merito* adparet etiam in Dial. II. cap. II.

(297) Maceda, Libna, Lachis, Eglon, Hebron, Dabir. Vide Josue XI. 12.

(298) Hoc Gentis Chananææ horribile excidium tanto terrore perculit Palæstinos, & Phœnices, ut arreptis navibus, multa simul millia, fugam in Ægyptum, Africam, Insulas, terrasque Occidentis, arriperent. Cujus memorabilis rei meminit Procopius II. de Bello Vandalico, qui columnæ Urbis Tingitanæ meminit, cui inscriptum: *Nos Maurusii sumus, qui fugimus à facie Josue filii Nave, prædonis*.

(299) Rectiùs dixisset *per duodecim Tribûs*. Etsi enim Levitis nulla peculiaris portio cessit, rectè tamen dicitur per duodecim Tribûs distributam fuisse terram: quia Tribus Josephi divisa fuit in duas, Manassis & Ephraimi; quibus tantumdem fere terrarum tributum, quantum duabus aliis Tribubus. Josue cap. XIV. v. 4. *Filii Josephi duæ Tribus, Manasse & Ephraim*.

(300) Vel vocabulo *Sacerdotii* omnia Levitarum munera ac ministeria comprehendit, vel non scripsit id, quod res est. Nam soli Levitarum posteri Aaronis propriè Sacerdotio fungebantur: ceteri his in Templo ministrabant. Supra pag. 45. similiter dixit *Levi Tribu in Sacerdotium segregatâ*.

(301) Ita igitur Chananæa in terram Israël mutata, regio optima frugumque feracissima, cujus amplitudo continebat τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν ut Hecateus Abderites apud Josephum tradit. Primò in Tribus divisa: deinde singularum Tribuum familiis, certusque cuique modus agri assignatus; ac lege agraria vetitum, ne quis venditione aut ullo contractu, plenum dominium fundi sui transferret in alium. Nam & iis, qui egestate compulsi agnum vendidissent, redimendi quovis tempore jus, &, ni redemptus esset, restitui in Jubilæo debebat.

tractu Jesus mortuus est, anno ætatis decimo & centesimo. De imperii autem ejus tempore parùm definio. Frequens tamen opinio est, XX. & VII. annis eum Hebræis præfuisse. Quod si ita est, à Mundi exordio in excessum ejus, anni sunt III. DCCCLXXXX. & III. (q)

RESPUBLICA AD JUDICES TRANSLATA.

Jesu mortuo, populus sine duce agebat. (r) Sed cùm adversùs Chananæos bellandum esset, dux belli Judas (302) adsumtus est. Hujus ductu res prosperè gestæ: (303) domi militiæque summum otium: (304) populus, aut subactis, aut per deditionem acceptis gentibus imperitabat. Inde, ut semper fieri secundis rebus solet, morum disciplinæque immemor, matrimonia ex victis adsumere, (305) paullatimque externos mores trahere, ac mox profano ritu idolis sacrificare, occœpit. (s) Adeò cuncta cum externis societas perniciosa est; quæ Deus longè ante prospiciens, salubri Hebræos responso instruxerat, (t) devictas gentes ut internecioni darent. (306) Sed plebs cupida dominandi, imperare victis cum pernicie malebat. (u)

GOTHONIEL JUDEX.

Igitur cùm, relicto Deo, (x) idola colerent, destituti divino auxilio, à Rege Mesopotamiæ

suburbana eorum, quo armenta sua alere possent. Inter ceteras verò urbes datæ sunt, quæ refugii, aut exilii urbes dixerunt. Qua re narrata inde pergit Scriptura: *Dataque est à Deo pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt*, cap. XXI. Demum Josue quoque mortuus est annos centum decem natus. Quot verò annos ducatum gesserit, Scriptura non adjicit. Sulpicius XXVII. annos plerosque ei tribuisse scribit; quod credo ab Eusebio sumpsit; nam Josephus tantùm viginti quinque agnoscit. Sanctus autem Augustinus cum Sulpicio sensit lib. XVIII. de Civitate, cap. XI.

(q) Hæc summa apud Sulpicium sic concipitur ex iis quæ dicta sunt:

Ab Adam ad Diluvium anni 2242.	Servitus Ægyptia annorum 144.
A Diluvio ad ortum Abrahæ 1070.	Mansio in deserto annorum 40.
Ab ortu Abrahæ ad mortem Joseph 370.	Josue anni 27.

Summa est annorum 3893.

(r) Hoc in loco Respublicæ à Deo institutæ incipit, re a ducibus ad Judices traducta, postquam in terra promissa sedes collocarunt. Qua de re sic Apostolus: *Post destructas septem gentes in terra Chanaan, & terram sorte distributam, Deus dedit Judices populo.* Hæc historia mandata est ei libro, qui a Græcis Judices dicitur; in quo nomina, resque gestæ ipsorum Judicum explanantur. Non statim tamen post mortem Josue Judices creati, sed Interregnum extitit; quod est tempus illud, quod vocat Josephus Aristocratiam. Ante Judices autem bellum adversùs Chananæos est gestum; de quo sic primo Judicum: *Post mortem Josue consuluere filii Israel Dominum dicentes: quis ascendet ante nos contra Chananeum, & erit dux belli? Dixitque Dominus, Judas ascendet; ecce tradidi terram in manus ejus. Et ait Juda Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananeum, & ego pergam tecum in sortem tuam.* Josephus autem interpretatur, ducatum belli traditum esse non viro alicui nomine Judæ, sed Tribui Judæ, quæ Tribum Simeonis assumpserit; quem sequitur S. Augustinus in Quæstionibus super Judices. Itaque (*ejus ductu res prosperè gestæ.*) Nam & Chananæum, Jebusæum, & Pherezæum subegerunt, & urbem Hierusalem captam incenderunt, & Gazam, Ascalonem, & Accaronem Palæstinis eripuerunt, cap. I. Præter eas verò urbes habuere, & Palæstini Azotum, & Geth urbes insignes; mansere inde in pace Palæstini usque ad tempora Jephtæ Judicis. Quod addit: (*Domi, militiaque summum otium; populus aut subactis, aut per deditionem acceptis gentibus, imperitabat;*) hoc ex verisimili protulit, non ex Scriptura: probabilis enim conjectura videtur, iis Regibus, nationibusque devictis, Hebræos otium domi, atque militiæ agitasse; unde post morum ac disciplinæ depravatio consequuta sit.

(s) Hebræi inde ceteris populis in potestatem adductis, illud contra Dei mandata fecerunt, quod eos, quos delere debebant, incolumes conservarunt, & intra eos habitarunt. Qua de re ab Angelo increpiti peccatum suum luxerunt, cap. II. Mortuis verò patribus illis, exorti alii sunt, qui Dominum ignorantes, malum in conspectu ejus fecerunt, & Baali servierunt, ac filias eorum sibi desponderunt, & suas eis collocarunt, & diis eorum servierunt, cap. I. & III. Jud.

(t) Mandata Dei, quæ illi neglexerunt, tradita fuerant cap. XXIII. Exodi his verbis: *Angelus introducet te ad Amorrhæum, & Ethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum, & Jebusæum, quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, & confringes statuas eorum. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum, quod tibi certè erit in scandalum.* Sanctus Augustinus confictas hoc tempore fabulas deorum a Græcis fuisse tradidit, lib. XVIII. de Civitate Dei.

(u) Quippe, ut ibidem scriptum est: *parentes victis sequuti sunt deos populorum, qui habitabant circa se, & adoraverunt eos, & ad iracundiam concitaverunt Dominum, dimittentes eum, & servientes Baal, & Astaroth.*

(x) Inde impietatem Judæorum susceptam justù Deus irà vindicavit, post pœnitentiâ cognitâ eis ignovit, ac Judicem ad inimicos repellendos dedit. Hoc autem totum his verbis expressum est cap. III. Jud. *Fecerunt malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, servientes Baali, & Astaroth; iratusque contra Israel Dominus in manus Cusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ tradidit; servieruntque ei octo annis. Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fuitque in eo spiritus Domini, & judicavit Israel, egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus ejus Cusan Rasathaim Regem Syriæ, & oppressit eum, quievitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel.* In his hæc animadvertenda. Qui ab Hebræo dicitur Othoniel, à Græco dici Gothoniel, quod sequutus est Sulpicius. Regem verò Cusan Rasathaim appellari à Josepho Cusarthem Assyriorum Regem. Sulpicium porrò contra utriusque versionis auctoritatem, quinquaginta annorum numerum edidisse; idque ex sequenti ejus supputatione tenendum esse. Eum verò numerum non soli Gothonielis Magistratui tribuendum esse, sed totum tempus complexum esse, quod a morte Josue ad mortem Gothonielis effluxit. Quod apertè Eusebius his verbis admonuit: *Hebræorum primus Judex ex Tribu Judæ Gothoniel an. XL. post mortem Jesu tenuerunt subjectos Hebræos alienigenæ annis octo, qui junguntur Gothonielis temporibus secundum Hebræorum traditionem.* Idem S. Augustinus, & ferme alii omnes senserunt. Quin etiam S. Augustinus legit *Baalis, & Astarthibus*, exponitque Jovi, & Junonibus. Joseph autem vocat *Baal* Idolum, *Baalim* Baalis Templum.

(302) More Hebræorum *Judas* pro posteris Judæ, quomodo in ipsis fontibus Jud. I.

(303) Nam Chananæo, Pherezæo, Jebusæo subactis, Hierosolymam captam incenderunt, eripueruntque Palæstinis Gazam, Ascalonem, & Accaronem. Vide Judicum I. & Josephum V. 2.

(304) Paullo superiùs *summa pax*.

(305) Idest uxores. Sic infra: *Cùm ex alienigenis conjugia sumsisset*. Ita *servitia* pro servis: *legationes* pro legatis: *custodiæ* pro custodibus: *dominatio* pro dominis. Vide Ind. Freinsh. in Flor. v. *dominatio*; & Ind. in Nep. à nobis locuplet. v. *auxilium*.

(306) Ut supra pag. 40. *Mortis dabitur*, *neci dabitur*; & infra: *letho dare*,

miæ evicti, & subacti, VII. (307) annis captivitatem pependerunt: donec Gothoniel (308) duce in libertatem restituti per quinquaginta (309) annos rerum potiti sunt.

ADON JUDEX.

Rursumque corrupti (y) longæ pacis malo, idolis litaverunt. Moxque aderat pœna peccantibus; ab Eglo (310) enim Rege Moabitarum devicti, duodeviginti annis servierunt, donec instinctu Dei Adon (311) Regem hostium dolo interemit, contractoque tumultuario exercitu libertatem armis vindicavit. Idem per LXXX. annos in pace Hebræis præfuit.

SEMIGAR JUDEX.

Huic Semigar successit: (z) hicque adversùs Allophylos (312) congressus, secundum eventu (313) prœlium fecit.

BARAC, ET DEBORA JUDICES.

Rursumque Hebræos, (a) sectantes idola, Rex Chananæorum Jabin nomine subjugavit, gravissimamque in eos per XX. annos dominationem exercuit: donec pristinum Debbora (314) mulier statum reddidit. Adeò nihil spei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio (315) defenderentur. Quanquam hæc in typum Ecclesiæ (316) forma præmissa sit, cujus auxilio captivitas est depulsa. Sub hâc duce, vel Judice, XL. annis Hebræi fuerunt.

GEDEON JUDEX.

Rursumque ob peccata Madianitis traditi, (b) duro imperio habebantur, afflictique malo servitutis divinum auxilium imploraverunt. Ita semper in secundis rebus immemores cœlestium

(y) Mortuo Jud: Gothoniele, Hebræi sine Judice agentes malum in conspectu Domini fecerunt, idest, ab illo ad externos deos defecerunt. Itaque Dei voluntate ab Eglo Moabitarum Rege subacti XVIII. annos servierunt. Tum Adon, qui & Aod, & Judas dicitur, Legatus ad Regem missus, secreti colloquii copiâ potitus, ipsum manu sinistra, quâ æquè utebatur, ac dextera, peremit. Deinde comparato exercitu Moabitas adortus, decem millibus interfectis gentem delevit; & quievit terra octoginta annis. Hæc cap. III. Hanc autem annorum summam Eusebius in id tempus totum contulit, quod est à morte Gothonielis usque ad obitum Aod, sic scribens: *Post Gothonielem Judicem Aoth Hebræorum Judex annos LXX. Post Gothonielem Hebræos habuerunt alienigenæ subjectos annis XVIII. qui copulantur temporibus Aoth secundum Judæorum traditiones*. Sunt tamen qui illos annos ab his distinguant.

(z) Eodem cap. *Post hunc Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere; & ipse quoque defendit Israel*. Hic anno primo principatus obiit, teste Joseph. Philisthiim a septuaginta Interpretibus Allophyli, idest, alienigenæ versi sunt, quos sequutus est Sulpicius. Eusebius hunc præterit.

(a) Sequuntur Barac, & Debora Judices ex Tribu Effraim, & Nephthalim, de quibus deinceps sic in libro Judicum cap. V. *Post obitum Samgar Jabin Rex Chanaam, qui regnavit in Asor, duce Sisara, Hebræos malum in conspectu Domini facientes subegit, ac per viginti annos servitute oppressit. Debora verò Prophetis, quæ judicabat populum illo tempore, vocavit Barac, & contra Sisaram misit, ita ut et se sociam expeditionis adjunxerit. Ita Sisara victo, atque extincto, opes Jabin fractæ, & pax Hebræis est restituta. Per quadraginta annos terra quievit*. Et hac annorum summa totum tempus inter Samgar, & Deboram est complexa, teste Eusebio sic scribente: *Debora ex Tribu Effrem. Barach de Tribu Nephthali in annis XL. Post Aoth in ditionem Hebræos redegerunt alienigenæ annis viginti, qui conjunguntur temporibus Deboræ, & Barach secundum Judæorum traditiones*. Sulpicium autem addit: (*Quanquam hæc in typum Ecclesiæ præmissa sit, cujus auxilio captivitas est depulsa.*) Credo, Sulpicium significare, quod scribit S. Augustinus interpretatus illud Salomonis: *Mulierem fortem quis inveniet? nempe mulierem fortem esse Ecclesiam, difficultatem inveniendæ, non impossibilitatem intelligens*.

(b) Rursus post mortem Deboræ cùm se ad cultum idolorum recepissent, oppressi sunt à Madianitis per septem annos. Quare ad Deum implorandum, ut ante, conversi, opem ejus obtinuerunt, Gedeone duce validissimo dato; in eod. lib. cap. VI.

(307) Legendum omnino VIII. Ita enim disertè Jud. III. 8. *Captivitatem pendere* est talis phrasis, qualis *servitutem pendere*, quâ infra usus est. Alibi dicit etiam *servitutis pœnas pendere*.

(308) Pro *Othoniel* ex Hebræo: עתניאל idque exemplo Interpretum Græcorum, qui scripserant Γοθονιὴλ: quemodo & ex עמרה fecerant Γόμοῤῥα.

(309) In fontibus Jud. III. est *quadraginta*.

(310) Non puto, Auctorem sic scripsisse; sed vel *ab Eglone*, vel *ab Eglom*. Versio Græca habet Ἐγλώμ: Latina verò *Eglon*. Solenne autem est nostro, nomina propria peregrina ἄκλιτα facere.

(311) *Adon* sine dubio perperam scriptum pro *Aod*. Ipsum illud *Aod* autem hausit ex versione vel Græcâ, vel Latinâ, libri Judicum. Versio Græca habet Ἀώδ. Et Latina similiter *Aod*. At in Hebræo est אהוד.

(312) Idest Philisthæos, quos ἀλλοφύλους Græci vocant, idest *alienigenas*, nomine generis ad certam speciem revocato: ita passim LXX.

Idest, adversùs Philisthæos. Imitatur rursus Interpretes Græcos, qui Philisthæos appellant ἀλλοφύλους, idest, alienigenas, alterius originis homines, vocabulo generis ad speciem translato.

(313) Drusius mavult *secundo eventu*; quia observavit, alibi nostrum scripsisse: *Crebra prœlia secundo eventu habuit*; &, *secundo eventu, perempto Rege, gentem imperio adjungit*.

(314) Exemplo Interpretum Græcorum, qui scripserunt Δεββῶρα, quamvis in Hebræo esset דבורה.

(315) Paulinus:

Femineas quoque personas virtute virili
Induit alma fides: mulier quo fecit peremit
Terribilem Sisaram transfixum tempora palo.

Et S. Ambrosius lib. de Viduis: *Ad provocandos animos feminarum, femina judicavit, femina disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit, & præliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare femineo. Secundum mysterium verò, fides militia, Ecclesia victoria est*.

(316) Quòd, quomodo Debora fœmina hostis Sisaræ tempora clavo transfixit, eumque peremit, ita Ecclesia diabolum victura esset.

stium beneficiorum, idolis supplicabant: in adversis, Deo. (c) Unde cùm reputare in animo soleo, populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus eùm peccaret coërcitum, expertumque & misericordiam & severitatem Dei, nequaquam emendatum; & eùm semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam: nihil mirum videri potest, Christum ab his non esse receptum, cùm jam inde ab initio toties in Domino (317) rebelles deprehendantur: magisque mirum est, illis semper peccantibus, nunquam Dei, si quando eum imploraverunt, defuisse clementiam. Igitur cùm eis, ut supra retulimus, Madianitæ dominarentur, conversi ad Dominum, misericordiam solitam flagitantes, (318) impetraverunt. Erat in (319) Hebræis Gedeon quidam nomine, vir justus, (320) & carus Domino, acceptusque. Huic Angelus de campo messis domum reverrenti adstitit: Dominus, inquit, tecum, (321) potens in virtute. At ille voce humili, non esse in se Dominum, (322) ingemiscebat: siquidem, quòd populum captivitas premeret, virtutumque Domini, (323) qui eos de terra Ægypti eduxerat, flens recordabatur. Tum Angelus: Vade, inquit, in hoc spiritu, (324) quo locutus es, & populum de captivitate eripe. Ille verò abnuere, se infractis suorum viribus, (325) cùm ipse minimus esset, tantum onus suscipere; perstare contra Angelus, ne dubitaret (326) posse fieri, quæ Dominus loque-

(c) Hanc sententiam sic expressit S. Augustinus libro XVIII. cap. XIII. de Civitate Dei. Ex cap. II. Judic. *Judicum temporibus alternaverunt apud Hebræos, & humilitates laborum pro peccatis eorum, & prosperitates consolationum propter miserationem Dei.* Addit inde Sulpicius per excursum, haud mirandum esse, si Judæi Christum non receperunt, cum neque Deum receperint, cujus eximiam justitiam, ac misericordiam toties experti essent, ac post tam multa peccata veniam tam sæpe obtinuissent. Hebræis porrò dubiis suis in rebus auxilium à Deo postulantibus adversùs Madianitas, qui adjunctis Amalecitis trajecto Jordane, in eos irruerant, Deus non defuit, atque hominem Gedeonem excitavit, misso ad eum Angelo, cùm frumentum in torculari purgaret. Is XXXII. millia militum comparavit, deinde monitus a Deo, eam nimiam multitudinem esse, Hebræos viribus suis, non divino auxilio victoriam tributuros, potestatem abire volentibus dedit. Ita decem millia remansere, ex quibus Deus monuit, ut trecentos tantùm retineret, atque eo numero adortus hostes CXX. millia eorum cæcidit, ac XV. cepit. Ibid. cap. VII. quod ait: (*Dominus tecum potens in virtute.*) Græcam translationem expressit, quam sequitur S. August. inquiens: *Quod Angelus dixit ad Gedeon, Dominus tecum, potens in fortitudine, nominativus casus est, non vocativus, hoc est, Dominus potens tecum est, non tu potens.* Videtur autem consultò reprobasse lectionem Hebraicam, quæ habet: *Dominus tecum virorum fortissime*, cap. VII. Verba verò, quibus abnuit, hæc sunt: *Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infirma est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Græci verò ita: *In quo ego servabo Israel? Ecce chilias mea humilior est in Manasse, & ego sum minor in domo patris mei.* Quibus verbis, teste S. Augustino, significat, se fuisse Chiliarchum in Tribu Manasse, idest, Præfectum mille hominibus, eamque Chiliadem infirmis viribus, & se imbecillum in domo patris sui fuisse. Ex quo apparet, in Hebraica versione non rectè familiam pro Chiliade esse expressum, nec Sulpicium perspicue reddidisse. Ibidem cap. VII. (*Perfectoque sacrificio*) quippe coxit hædum, & de farina modio azymos panes, carnemque ponens in canistro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit Deo; ex quo apparet sacrificium fecisse in Excelso. Quæritur autem, cur sacrificium fecerit contra jussa Dei extra Tabernaculum, quod tunc erat in Silo. Respondetur, permissu Dei id fecisse; nam sæpe extra Tabernaculum etiam ab aliis factum est sacrum; sed quia Dei voluntate factum est, gratum fuit; non enim Deus Leges sibi præscripsit, sed hominibus; tamen verò consuetudo per hæc tempora increbuit sacrificandi extra Tabernaculum, ut etiam Salomon Rex in collibus excelsis id fecerit, nec tamen reprobatus a Deo sit. Deus enim sustinuit, non vetuit consuetudinem sacrificandi extra Tabernaculum, & postea extra Templum, quod successit Tabernaculo, dummodo sibi, non diis alienis id fieret; cujus rei multa exempla videbimus in Regibus. Hæc S. August. in lib. Judicum.

(317) Mirum, si Severus scripserit *in Domino*; & non potius in *Dominum*. Est quidem enallage casuum non infrequens; sed in talibus tamen vix reperitur.

(318) De hac captivitate ita quit Josephus: *Israelitæ in montana compulsi, campestri solo cedere coguntur. Qui speluncis & subterraneis ædificiis excavatis, quidquid hostium violentiam evadere poterat, intro receptum asservabant. Nam Madianitæ per æstatem facientes expeditionem, hieme agros colere Israelitas permittebant, ut possent deinde labores eorum vastare. Itaque in perpetua fame ac egestate vivebant, nec jam ullum supererat præsidium, nisi in precibus ad Deum, & supplicationibus.*

(319) Elegantiores quoque subinde *in* pro *inter* usurpant. Nepos I. 4. 4. *Decem creati decem Prætores; in eis Miltiades.* Item præf. *In ejus virtutibus commemorari.*

(320) Vide supra Notas in pag. 16. num. 25.

(321) Legendum fortasse: *Et, Dominus, inquit, tecum.* Neque enim aliter vox *inquit*, cum præcedente verbo *adstitit* videtur cohærere posse. Ceterùm vox *inquit*, more planè Romano posita hic adparet; puta post primam vocem orationis, qua refertur. Ita enim veteres omnes vocem eam usurparunt, ut in libro de Latinitate meritò suspectâ ampliùs ostendimus. Interpres Latinus vetus habet: *Adparuit ei Angelus Domini, & ait, Dominus tecum.* Porrò *Dominus tecum* formula salutandi est Hebræorum more formata, & versa quidem ex Hebræis יהוה עמך qua Jud. VI. 12. adparent. Denique illud *potens in virtute* respondet Hebraicis גבור החיל: quæ Interpretes Græci verterunt, ἰσχυρὸς τῇ δυνάμει: Latinus autem, *virorum fortissime. Virtus* enim hic, ut sæpe, δύναμιν, potentiam, robur significat. Et videtur noster rursus ad versionem Græcam adludere.

(322) Formatum ex illis Jud VI. *Si Dominus nobiscum est, cur adprehenderunt nos hæc omnia?* Ergo illud *in se* est pro *secum*, vel, *inter se*. In versione Græca est μεθ' ἡμῶν.

(323) Idest, potentiarum, vel, quæ per potentiam ac robur facta erant, miraculorum.

(324) Græca habent: Πορεύου ἐν ἰσχύι σου ταύτῃ. Et versio Latina similiter: *Vade in hac fortitudine tua.* Noster, quia meminerat, vocem πνεῦμα *spiritus* in sacris literis quandoque & δύναμιν potentiam significare, ideò voce *spiritu* hic usus videtur.

(325) Nihil hic morandum; nec legendum, ut Hornius putat: *Abnuere, in se, fractis suorum viribus, tantum onus suscipere. Infractis* est pro simplici *fractis*; ut optimi quique eâ voce utuntur; quâ de re in libro de Latinitate meritò suspectâ pluribus. Deinde *abnuit se hoc facere* vel *facturum esse*, insolens videri non debet; cùm dicendum similiter sit *negat se hoc facere* aut *facturum esse*, neque pronomen *se* abesse hinc possit. Denique *abnuit se suscipere* pro *abnuit se suscepturum esse*, sine exemplo dictum itidem videri non debet. Cæsarem memini scripsisse *pollicetur dare* pro *daturum esse*.

(326) Vocibus *non dubito* non semper voculam *quin*; sed subinde & accusativum cum infinitivo subjici, monuit Gebhardus ad illud Nepotis: *Non dubito fore plerosque*, congestis plusculis Auctorum exemplis.

loquebatur. Perfecto igitur sacrificio, dirutâque arâ, (327) quam Baalis idolo Madianitæ fabricaverant, ad suos profectus, castra castris hostium contulit. Sed Madianitis etiam gens Amalech se conjunxerat. Gedeon verò non ampliùs (328) quàm ad triginta & II. millia exercitum paraverat. Sed priusquam confligeret, Deus ad eum locutus est, nimiam esse hanc multitudinem, quam in prœlium vellet educere: Hebræos pro solitâ perfidiâ eventum pugnæ non Deo, sed virtuti suæ daturos. Itaque daret volentibus discedendi potestatem, quod ubi populo divulgatum, XXX. & II. M. à castris recesserunt. Sed ex X. millibus, quæ resederant, admonitus à Domino, non ampliùs quàm trecentos tenuit: (*d*) reliquos ab armis dimisit. Ita mediâ vigiliâ (329) castra hostium ingressus, jussis omnibus tubâ canere, (330) magnum terrorem injecit: neque cuiquam resistendi animus fuit, turpi fugâ, quò quisque potuit, dilapsis. Sed occurrentibus omni ex parte Hebræis, passim fugientes cadunt. Reges Gedeon persecutus ultra Jordanem, comprehensos neci dedit. (331) Eâ pugnâ centum & XX. M. ex hostibus cæsa, XV. capta traduntur. (332) Tunc consensu omnium Gedeoni, ut princeps (333) populi esset, delatum. Quod ille adspernatus, communi jure cum civibus vivere, quàm præesse suis, maluit. (*e*) Depulsâ igitur captivitate, quæ septem annos populum continuerat, pax per XL. annos fuit.

ABIMELECH JUDEX.

Sed defuncto Gedeoni, (*f*) filius ejus Abimelech, (334) ex concubinâ ortus, fratribus interemtis, pessimis quibusque consentientibus, (335) & maximè Sichimorum principibus operam ei

(*d*) Omisit dicere, quomodo eos tenuerit, & artem à Deo præmonstratam adhibuerit; nimirum omnes, qui curvatis genibus aquam ex amne hauserant, respuit; trecentos verò, qui manibus aquas in os projecissent, & more canum bibissent, retinuit. Significat autem, selegisse eos, qui magis contemnendi essent, & mores canum referrent, ut major Dei virtus appareret. Cùm autem adjecit: (*Jussis omnibus tubâ canere, magnum terrorem injecit*) concidit nimis rei præclaræ narrationem, quæ est cap. VII. *Cæperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas, cùmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaverunt: Gladius Domini, & Gedeonis; omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, ululantesque fugerunt*. Ex quibus apparet, quam multa à Sulpicio, brevitatis gratiâ, sint omissa. At cùm addit: (*Reges Gedeon persecutus ultra Jordanem.*) Reges intelligit Madianitem, & Amalecitem, qui consociatis armis, Jordane superato, Hebræos invaserant.

(*e*) Quanquam autem negavit se præfuturum, tamen præfuit, ut scribit Josephus, annis quadraginta, exprimens verba Scripturæ cap. VIII. *Quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit*. Quod idem secutus Eusebius scribens: *Gedeon Judex annis quadraginta. Post Deboram Hebræos in ditionem redegerunt alienigenæ annis septem, qui conjuncti sunt temporibus Gedeonis secundùm Judæorum traditiones.*

(*f*) Gedeoni successit Abimelech filius nothus hoc modo. Is septuaginta fratres suos legitimos interfecit in urbe Sichem, ac civibus ipsis Sichimitis opem ferentibus, principatum sibi ascivit. Inde Sichimitæ fratrum cædem et objicientes ab illo defecerunt, eumque ex urbe depulerunt; cujus belli socium Zebul in primis se præbuit. Abimelech autem parato exercitu eorum urbem recepit, atque evertit; inde ad turrim oppidi Thebes pugnans a muliere fragmento molæ percussus est, triennio postquam præesse post patrem cœperat, cap. IX. Jud.

(327) Fuit prope lucum, quæ loca præcipuè in Oriente magna religione culta sunt. Colebant etiam sæpè unam arborem: qualis illa platanus Theocriti, quæ Helenæ sacrata fuit. Tales lucos violare & excindere summum nefas credebant. Si hoc facerent, secures in sua membra redituras. Lucanus III. de luco, quem Cæsar excindere parabat:

Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.

(328) Sic & paullo post: *Non amplius quàm trecentos*. *Non amplius* elegantes pro *non plura*, *non plures*. Vide Ind. in Corn. Nep. a nobis locupletatum. Voculam *ad* malè adjectam putat Drusius; quia fuerint ipsa XXXII. millia, ut ex Jud. VII. 3. constet: vocula *ad* verò idem sit quod *circiter*; ut in illo Terentii: *Quasi talenta ad quindecim coegi*. Verùm sciendum, voculam *ad* sæpè παρέλκειν: ut in ipso quoque illo Terentii. Nam non *ad*, sed *quasi* idem ibi est quod *circiter*. Sulpicio vero voculam *ad* non idem esse quod *circiter*. sed & ipsum ipsa XXXII. millia memorare voluisse, id vel ex eo adparet, quod præmisit *non amplius*. Simile est, quod infra lib. II. dicit: *ferè ad septuaginta erant*: tum voculâ *fere*, tum quoque vocula *ad* redondante. Vide Notas ad eum locum.

(329) Jud. VII. 19. *Ingressus est Gedeon & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ*. Ergo vigiliam *mediam* dixit noster vigiliam noctis mediæ; quod crederet, vigiliam mediæ noctis & mediam esse, quia vigiliæ tantùm tres essent. Sed sunt tamen, quæ & quartam vigilium fuisse arguant. Vide Drus. Observ. lib. X. cap. 10.

(330) Simili stratagemate Annibal à Q. Fabio Maximo ad Casilinum obsessus, eum elusit. Nam duobus boum millibus ad cornua singulorum faces accensas alligavit, eosque impulit in montes a Romanis obsessos. Vide Livium Decad. III. lib. II.

(331) Ad ulciscendam necem fratrum suorum, quos hi Reges in spelunca Thaboritica interemerant. Nam alioquin eos occidere non tenebatur illius præcepti vi, quod Numer. XXXI. 17. datum fuit.

(332) Non satis adsecutus est mentem Historici sacri; qui, cum centum & viginti millia cæderentur, quindecim millia remansisse, cumque suis Regibus servata fuisse scribit; ceterum non obscurè tamen significat, ipsa quoque quindecim millia, quæ ex priore pugnâ remanserant, maximam partem cæsa fuisse. Vide modò Jud. VIII. 10. 11. 12.

(333) Voculæ *princeps* si eam hic notionem esse velit, quæ tempore Octavii Augusti esse cœpit, benè est. Octavius Augustus, ut ex Tacito constat, cùm reverâ Rex esset, potestateque uteretur ἀνυπευθύνῳ non Rex tamen, sed Princeps dici voluit. Ita factum, ut vocabulo *Princeps* eadem notio subjiceretur, quæ vocabulo *Rex* subjecta erat: atque vocabulis tridem derivatis *principatus*, *principalis*, *principium*, nova notio subjiceretur. Si igitur, ut dixi, vocem *Princeps* hic quoque sic accipi velit Severus, benè est, & verum scripsit. Voluerat populus, Gedeonem suum Principem, idest, Regem & Dominum esse. At Gedeon jure cum civibus communi vivere maluit, quam suis præesse; ut Princeps puta & potestate regiâ. Interpres Latinus vetus id expressit verbo *dominari*, vertitque *dominare nostri tu & filius tuus*. Ceterum vocabulo *Princeps*, itemque *Principatus*, imò & ipso vocabulo *Regnum*, non aliâ notione utitur, quòd scribit: *Tholam Regno potitum fuisse*, & *Jairum Principatum obtinuisse*. Fuerunt hi Hebræorum judices. Quales in sacris מלכים *Reges* sanè dicuntur; verùm, ut Nepos in Agesilao loquitur: *nomine magis quàm imperio*, Reges fuerunt.

(334) Nomen hoc proculdubio ex materna ambitione impositum, quæ filium occultè in spem Regni educabat. Erat enim insolens, & inter tot fratres majoris dignitatis meritò suspectus.

(335) Conduxerat enim sibi latrones, quos manus atque lingua, perjurio, & sanguine civili alebat. Postremò omnes, quos egestas, flagitium, conscius animus exagitabat. Quo satellitio stipatus, velut alter Catilina, in perniciem Reipublicæ grassabatur.

ei aavantibus, regnum occupavit. (336) Iſqun diſcordiis civilibus exercitus, cùm ſuos bello premeret, turrim quamdam, in quam ſe amiſſo oppido fugientes receperant, expugnare adgreſſus, dum incautiùs ſubit, ſaxo à muliere ictus periit, (337) cùm triennio imperium tenuiſſet.

THOLA JUDEX.

Huic ſucceſſit Thola, (*g*) qui duobus & XX. annis regno potitus eſt.

JAIR JUDEX.

Poſt hunc Jair fuit, qui cùm æquè viginti & duos annos principatum obtinuiſſet, (*b*)

JEPHTA JUDEX.

Populus relicto Domino (*i*) idolis ſe mancipavit. Obqua id Iſraëlitæ ſubacti ſunt ab Allophylis (338) & Ammonitis, duoqua da XX. annis ſub eorum imperio fuerunt. Qua tempore eis Dominum invocantibus, divinum ſcilicet reſponſum redditum eſt: Simulacra potiùs invocarent, ſe non ultra miſericordiam ingratis præſtiturum. At illi flentes culpam fateri, & precari veniam, abjectiſque idolis Deum implorantes, negatam licèt miſericordiam impetraverunt. Igitur Jephta duce ad libertatem armis vindicandam frequentes convaniuat: miſſis priùs ad Ammon (339) Regem Legatis, ut finibus ſuis contentus, bello abſtineret. At ille prœlium non abnuens, aciem inſtruxit. Tum Jephta priùs quàm ſignum pugnæ daretur, voviſſe dicitur, ſi proſperè pugnaſſet, eum, qui ſibi primus reverteati obvius fuiſſet, hoſtiam Deo dandum. Ita victis hoſtibus, cùm domum rediret, filia ei obviam fit, quæ patrem exceptura victorem, cum tympanis & choris læta proceſſerat. Tum Jephta conſternatus, dolore conſciſſis veſtibus, indicat filiæ voti neceſſitatem. (340) At illa, non fœmineâ conſtantiâ, mori non recuſans, duos tantùm tamen menſes vitæ ſpatium petit, ut æquales (341) ſuas priùs videret. Quibus actis, ultro ad patrem redit, votumqua Domino reddidit.

ESEBON JUDEX.

Jephta principatum (*k*) ſex annis tenuit. Huic Eſebon ſucceſſit, & tranquillis rebus (342) exacto imperio, anno ſeptimo deceſſit.

AL-

(*g*) Sic cap. X. *Poſt Abimelech ſurrexit Thola filius Phua patrui Abimelech, qui habitavit in Samir monte Efraim, & judicavit Iſraëlem viginti tribus annis*. Conſentiunt autem in numero annorum ambæ verſiones. Euſebium Sulpicius eſt ſequutus.

(*b*) Idem ſcriptum eſt cap. X. neque aliud ampliùs.

(*i*) Tranſit ad Jephtæ principatum multis rebus inſignem. Mortuo enim Jaire, Hebræi cùm fine duce eſſent, ad cultum idolorum Baal, & Aſtaroth ſe retulerunt. Itaque iratus Deus tradidit eos in ditionem Palæſtinorum, & Ammonitarum; afflictique ſunt admodum omnes, qui trans Jordanem incolebant in terra Amorrhæi per annos octodecim. Quinetiam Ammonitæ trajecto Jordane vaſtarunt Tribus Judæ, Benjamin, & Effraim. Itaque in tantis calamitatibus cùm confugiſſent ad Deum, juſſi ſunt, ut opem ab idolis, quæ colebant, implorarent; tumque Jephtam hominem humili loco natum ducem contra Ammonitas legerunt, & contra hoſtes profecti victoriam retulerunt, cùm Jephta votum feciſſet, ſe, quicumque primus è domo ſua ſibi occurriſſet, immolaturum. Cùm autem filia unica obviam prodiiſſet, eam ſacrificavit, cap. X. Quod ait: (*Voviſſe dicitur, ſi proſperè pugnaſſet, eum, qui ſibi primus reverteati obvius fuiſſet, hoſtiam Deo dandam*:) addere debuit, *qui ſibi primus à domo ſua*; ſic enim ſcriptum eſt cap. XI. *Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino*. Ceterùm: *Occurrit ei filia ſua unigenita cum tympanis, & choris; non enim habebat alios liberos*. Quæ non fœminea constantia, mori non recuſans, duos tantùm tamen menſes vitæ ſpatium petit, ut æquales ſuas prius videret, inquiens: *Dimitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, ac plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis*. Inde: *Expletis duobus menſibus, reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increvit in Iſraël, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Jephta diebus quatuor*, cap. XI. De hujus Judicis temporibus ſic Euſebius: *Poſt Jair Hebræos in ditionem ſuam redigunt Ammonitæ annis XVIII. qui cum temporibus poſteriorum Judicum copulentur ſecundùm traditiones Judæorum*.

(*k*) Eſebon à ſeptuaginta Interpretibus dicitur, qui ab Hebræis Abeſan, cap. XII. ubi de annis ejus agitur.

(336) Conſtituerunt Sichemitæ Regem Abimelech, juxta quercum, quæ ſtabat in Sichem. Hanc quercum aliqui putant eam fuiſſe, ad quam Abrahamus Altare conſtituit, Geneſeos XII. 6. Sia fuiſſet annoſa quercus

Relligione patrum multos ſervata per annos,

Quidquid ſit, locus erat, ubi ſolennes conventus ſuos, & comitia magiſtratui creando, exercebant Sichemitæ.

(337) Juſtè lapide percuſſus interiit, qui ſuper lapidem LXX. fratres occiderat. Sic regula à muliere dejecta miſerè Argis periit Pyrrhus Rex Epirotarum. Plut. Hermannus quoque Saxonum Rex, arcem oppugnans, ſaxo à fœmina dejecto interemptus eſt. Avent. V.

(338) Rurſus *Allophylos* dicit Philiſtæos; imitatus, ut monui, Interpretes Græcos.

(339) Veritas hiſtoriæ poſtulat: *ad Regem filiorum Ammon*. Sic eſt etiam in LXX. conſentientibus libris Hebræis, & Latinis: Πρός βασιλέα υἱῶν Αμμών. Judicum XI. 12.

Editiones vulgò habent *Amon*. Ceterùm pro *Amon* ſcriberetur ſaltem *Ammon*; quoniam de Rege Ammonitarum agi manifeſtum eſt. At *Ammon* nondum tamen ſufficit: ſed legendum ampliùs *Ammonitarum Regem*; vel, ut Druſius putat, *Regem filiorum Ammon*: ut una vox omiſſa, alia verò trajecta ſit.

(340) De voto à Jephte emiſſo vide quæ ſcripta ſunt ad Sigonianam Hebræorum Rempublicam.

(341) Æquales pro his, qui ſunt ejuſdem ætatis, optimi ævi vocabulum: & paullo meliùs quam, quo etiam Juſtinus lib. XXIII. utitur, *coæquales*. Voſſius quidem in Indice libri de Vitiis Latini ſermonis ſcribit: *Coæqualis barbarè pro æqualis*. Sed aliquid nimium hoc videtur; cùm non tantùm Juſtinus, ut dixi, ſed & Petronius eo vocabulo uſus ſit. Hujus in Satyrico verba ſunt: *Coæqualis natalium ſuorum ſunt illud totidem habere annos, quot ipſa vetula*. Illud tamen verum eſt, ſimplex *æquales*, quo noſter uſus eſt, eſſe meliùs; hoc quippe Cicero, Nepos, aliique antiquiores perpetuò uſi deprehenduntur. Cicero Bruto: *Memoria proditum eſt, poëtas nobiles poëtarum æqualium morte doluiſſe*. Nepos Attico: *Soror, quam prope æqualem habebat*.

(342) In Judæa: at Græcia tum omnis, & Aſia minor horribili bello tremebat. Nam ſub eo ortum eſt Trojanum bellum. Samuel Solem ad librum Jephaſin.

ALLON JUDEX.

Postque eum Allon Zabulonites annis X. (*l*)

ABDON JUDEX.

Itemque Abdon annis VIII. (*m*) rerum potiti, pacis tempore nihil, quod historia loqueretur, ediderunt.

SAMSON JUDEX.

Rursum Israëlitæ (*n*) ad idola conversi, divino destituti præsidio, subjecti Allophylis, per XL captivitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt. Ea tempestate Samson natus traditur. Hujus mater diu sterilis, Angelum vidit: (343) dictumque ei est, vino & sicerâ (344) atque immundis abstineret: (*o*) fore, uti puerum ederet libertatis vindicem & hostium ultorem. Ita mulier enixa puerum, Samson nomen ei indidit. Is intonso capite, (345) miræ virtutis traditur: adeò ut leonem, in viâ obvium, manu discerperet. Uxorem ex Allophylis habuit: quæ cùm absente viro in alterius matrimonium convenisset, dolore ereptæ conjugis perniciem genti molitus est: fretus Domino, & viribus, palàm victores clade afficiebat. CCC. siquidem vulpibus captis, ardentes lampades earum inligavit caudis, (346) atque eas agris hostium immisit. At

(*l*) Hic Ahialon Zabulonites dicitur in Hebræo, ac decem annos Israël judicasse. De quo Eusebius: *Post Hesebon in libro Hebræorum fertur Judex Allon rexisse populum annos decem, qui non habetur apud LXX. Interpretes.* Quod miror ab eo dictum; nam nunc in Græco Codice reperitur Aelon.

(*m*) Et hunc judicasse populum Israel annis octo post Allonem scriptum est cap. XII. Hunc Allonis filium vocat Josephus.

(*n*) Ex hoc loco incipit bellum Philisthæorum, sive Palæstinorum, qui post mortem Josue domiti rebellarunt, atque arma Hebræis intulerunt. Siquidem Hebræi, postquam Ammonitarum servitute per Jephtem fuerant exempti, ad vomitum redeuntes rursus ad cultum idolorum se receperunt; quare in potestatem Palæstinorum traditi, eis per XL. annos servierunt. De his XL. annis sic Eusebius: *Post Abdon Hebræos in ditionem redigunt alienigenæ annis XL., qui computantur temporibus Judicum posteriorum secundum Judæorum traditiones. Post quem Samson annis XX.* Capite autem XIII Judicum ita: *Rursumque filii Israël fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manus Philisthinorum quadraginta annis.* Ceterum Samson altius est Christi liberatoris nostri futuri typus, ut ille fuit Hebræorum, ut tradunt mystici. *Pater autem Sampsonis nomine Manue fuit, ex Tribu Dan, mater sterilis*, cap. XIII. Judicum. Samson autem non liberavit omnino Israel servitute Philisthinorum, sed incœpit. Unde dixit Angelus: *Ipse incipiet liberare Israël de manu Philisthinorum.* Sed liberator fuit David Rex, qui Palæstinos demum subegit.

(*o*) Angelus matri dixit, non tanquam Hebrææ, sed tanquam Nazaræum parituræ. *Vinum* enim, & *siceram* cum dixit, quæcunque ebrietatem afferre possent, intellexit. Qui sint porrò Nazaræi, patet ex cap. VI. Numerorum. Porrò autem occasionem belli inferendi Palæstinis aperit. Quippe Samson voluntate Dei contra legem, quæsivit uxorem ex Palæstinis incircumcisis, ut occasionem haberet ad eos invadendos. Eo verò tempore Palæstini dominabantur Israeli; cumque iret cum parentibus suis ad visendam sponsam, in itinere leonem obvium manibus discerpsit, cap. XIV. cujus rei occultam significationem aperuit S. Augustinus lib. XII. contra Faustum. Socer autem, absente Samsone genero, filiam collocavit alteri viro, & revertenti Samsoni dixit, se illi minorem filiam traditurum, quæ res iram Samsonis adversùs Palæstinos incendit, atque eis damna inferre instituit, ope Dei, viribusque propriis nixus. Hæc detrimenti inferendi occasio fuit. Primùm autem incommodum consilii potius fuit, quam roboris, & divina magis, quam humana ope perfectum, ut maturas segetes, & vineas hostium immissis in eas trecentis prope ardentibus vulpibus exureret; per (*lampades*) autem faces intellexit, quas caudis vulpium alligavit. Quo damno permoti Palæstini patrem cum filia in ædibus combusserunt, cap. XV. Secundum inde detrimentum illis vitam tribui debuit, quam Deus adjuvit. Cùm enim Samson Palæstinos vexare insisteret, Hebræi, qui in ditione Palæstinorum erant, ut eorum ita mandantium gratiam promererentur, Samsonem comprehenderunt, & vinctum Palæstinis tradiderunt; ille verò ope Domini solutis vinculis oblatam asini maxillam arripuit, & Palæstinos mille delevit. Miror autem Sulpicium os asini pro maxilla dixisse, cùm dentis etiam, unde aqua defluxit, esset mentio facienda, cap. XV.

Ingre-

(343) S. Ambrosius: *Mater verò sterilis, sed virtutibus animi haud infecunda, quæ propter hospitio mentis receptæ meruit visionem Angeli.* Josephus turbat castitatis ejus laudem, & zelotypiæ crimen Manoë (hoc nomine appellatus dicitur Sampsonis pater) aspergit. Quasi quia Angelum se vidisse pulcherrimum retulerit, hinc suspecta Manoë de adulterio fuerit. Nugæ studio affectatæ, quos primus sacrarum literarum aspectus confutat.

(344) De sicera dictum est in Hebræorum Republica, quam videre poteris lib. V. cap. VIII.

Judicum XIII. 4. *Cave, ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas.* Retinet ergo tam Interpres vetus libri Judicum, quàm noster Severus vocem Hebræam שכר; sed leviter tamen, ut fieri solet, immutatam, novàque adfectam terminatione. In versione Græcâ Judic. legitur: Μὴ πίῃς οἶνον καὶ μέθυσμα. Ex quo adparet, voce שכר Interpretes credidisse significari, quicquid potentiam inebriandi habet. In quam sententiam, alterum quoque veterum scripserunt. Hieronymus in lib. de Nom. Hebr. *Omne, quod inebriare potest, apud Hebræos sicera dicitur.* Idem in epist. ad Nepotianum: *sicera Hebræo sermone omnis potio appellatur, quæ inebriare potest, sive illa, quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua coloratur.* Ita vinum siceræ species fuerit: cùmque primaria species posita esset, ipsum quoque genus subjecerunt. Mecum autem, quod non & verbo Græca ipsam vocem Hebræam habet. Sane alibi in ea versione ipsa illa servata est. Ut Ex. XXIV. 9. Πικρὸν ἐγένετο τὸ σίκερα τοῖς πίνουσι. Et similiter S. Lucas in cap. I. Evangelii servavit, cùm scripsit: Οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ.

(345) In eadem Republica fuse actum est de voto Nazaræatus, & quæ ibi scripta sunt, repetere poteris ad hunc locum.

(346) Binas & binas simul emittebat. Itaque fuerunt centum quinquaginta paria. Hoc stratagemate totam penè illius anni messem absumpsit, unà cum vineis, & olivetis. Una vulpecula Carseolana, si Ovidio credimus, errore pueruli, igne segetibus illato, integros agros jam ad messem albos exussit. Quid tot vulpium paria, tot titionibus armata fecisse putamus?

At tum fortè maturis messibus, (347) facile incendium fuit, vineæque & olivarum arbores (348) exustæ. Grandi Allophylorum exitio abreptæ uxoris injuriam (349) ultus videbatur. Quo dolore Allophyli permoti, mulierem tanti mali causam cum domo & patre incendio consumserunt. Sed Samson parùm se vindicatum (350) ratus, urgere omnibus incommodis profanam gentem non desinebat. Tum compulsi Judæi, vinctum cum Allophylis tradiderunt. Sed traditus, ruptis vinculis, adrepto osse (351) asini, quod casus telum (352) dederat, mille ex hostibus prostravit. Ingravescente autem æstu, cùm siti adfectus esset, invocato Domino, ex osse, quod manu tenebat, aqua fluxit. Eâ tempestate Samson Hebræis præerat, Allophylis unius virtute domitis. Igitur insidiantes vitæ ejus, nec palàm eum tentare audentes, uxorem ejus, (353) quam ille postea acceperat, pecuniâ corrumpunt, virtutem (354) viri uti proderet. Illa eum blandimento muliebri adgressa, diu eludentem, & multùm cunctantem perpulit, ut indicaret, in crinibus capitis virtutem suam subsistere. Mox dormienti insidiata, crinem ejus abstulit, atque ita eum Allophylis tradidit. Nam sæpe priùs traditum, comprehendere nequiverant. Tum illi effossis oculis, (355) vinctum compedibus in carcerem conjecerunt. Sed spatio temporis accisus crinis crescere, (356) & cum eo virtus redire cœperat. Jamque Samson conscius recepti roboris, tempus modò justæ ultionis opperiebatur. Erat Allophylis moris, cùm dies festos agerent, Samson quasi in pompam publicam producere, capto insultantes. Ita die quodam, cùm publicum epulum in honorem idoli dedissent, Samson exhiberi jubent. Templum autem, in quo omnis populus, (357) omnesque Allophylorum principes epulabantur, duabus subnixum columnis miræ magnitudinis erat. Productus Samson, inter columnas statuitur. Tum ille tempore adrepto, invocato priùs Domino, columnas disjecit: turbaque omnis ruinâ domus obruta, ipse cum hostibus non inultus occubuit, (358) cùm XX. annis Hebræis præfuisset.

Huic

Ingravescente autem æstu, cùm siti effectus esset, ex osse, quod manu tenebat, aqua fluxit.) *Quippe aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ.* Ibidem.

Ea tempestate Samson Hebræis præerat.) Expressit illa verba, quæ sequuntur: *Judicavit Israel in diebus Philisthiim XX. annis*, cap. XVI.

Uxorem ejus.) Inde narrat, ut Palæstini viribus suis diffisi ad dolos se contulerint. Græca versio habet gynæca, quæ mulierem & uxorem significat, at Vulgata habet *mulierem*, ut fuerit potius amica, quam uxor. Hæc Dalila, ut Græci scribunt, Dalida dicta est. Ea igitur corrupta à Palæstinis Samsonem rogavit, ut diceret, quibus tandem vinculis astrictus elabi non posset? ille primùm, si septem nervis; secundò, si novis funibus; tertiò, si crinibus septem ad clavum alligaretur, se evadere non posse respondit. Quorum primum illa vanum experta, ad secundum, atque inde ad tertium subsidium sese contulit. Nam cùm ter dormientem vinxisset, ille somno excitus instantibus Palæstinis repentè cuncta dirupit, ad extremum, cùm rursus rogasset, verum aperuit, atque in crine vires suas positas esse dixit, atque illa dormienti crinem dissecuit, atque in manus Palæstinorum tradidit; (*Tum illi effossis oculis vinctum compedibus in carcerem conjecerunt.*) Sic cap. XVI. *Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.*

Sed spatio temporis accisus crinis crescere, & cum eo virtus redire cœperat.) Ibidem: *Jamque capilli ejus renasci*; extremum verò virtutis facinus Samsonis aperit, quo mortem sibi paravit, ut Israelitas servaret, verus Christi Salvatoris typus.

Erat Allophylis moris, cum festos dies agerent, Samson quasi in pompam publicam producere.) Hujus moris non meminit Scriptura.

Ita die quodam cum publicum epulum in honorem idoli dedissent, Samson exhiberi jubent.) Quippe convenerunt *Principes Philisthinorum in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur. Lætantesque per convivia sumptis jam epulis præceperunt, ut vocaretur Samson, & ante eos luderet*, cap. XVI.

Productus Samson inter columnas statuitur.) Ibidem: *Feceruntque stare inter columnas duas.*

Ipse cum hostibus non inultus occubuit.) Quippe inquiens: *Moriatur anima mea cum Philisthiim, columnas concussit, & domum deturbavit, in qua erant tria millia Philisthinorum; multoque plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat. Judicavitque Israel viginti annis.*

(347) Pro *maturis frugibus*. Ovid. VIII. Metam. *Gravidis oneratis messibus agri*. Virgilius I. Georg. *Illius immensæ ruperunt horrea messes*. Nec Poetæ tantùm, sed & Historici vocem ita usurpant. Justinus lib. XXIV. cap. 7. *Prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes, vinaque, villis efferre.*

(348) Ut *arbor palmæ*, *herba lapathi*, *metallum auri*: nomine generis juncto nomini speciei. Quâ formâ & noster supra dixit *cibus mannæ*.

(349) Injuriam, non quam fecisset uxor, sed quam accepisset. Sic Nepos IX. 5. 1. *Cùm ultum se injurias patriæ putaret*. Ubi *injuriæ patriæ* sunt, quas patria ipsius Athenæ acceperant. Ceterùm *injuria patris* dicitur & illa, quam patria fecit. Nimirum casûs genitivi vis non eadem semper est; sed modò caussam efficientem, modò objectum notat.

(350) Dicitur sanè non tantùm *ulcisci alium*, sed & *ulcisci se*. Ovidius lib. II. de Remed. Am. *Parce, quæris: melius sic te ulciscere tacendo*. Plinius lib. VIII. epist. 7. *Nihil liberius mittam ex meis missurus sum tibi, in quo te ulciscaris*. Pati modo non dubium, quin dixerint *vindicare se*. Et manifestum hujusquoque exemplum est in oratione Ciceronis pro Dejotaro, si quidem vulgata lectio sit genuina: *Qui possit*, inquit, *de absente se vindicare*. Porrò quia dicunt: *Ille vindicat se de aliquo*, dici item potest: *Ille vindicatus est de aliquo*, a seipso scilicet. Hâc formâ igitur dicit noster: *Parum se vindicatum ratus*; ubi subaudiendum: *è ipso de Philisteis*. Vindicatus fuit Samson, & quidem à seipso, dum ipse se vindicavit, & quidem de Philisteis.

(351) Genus posuit pro specie. In textu originali est, maxillam fuisse.

(352) Vocabulo *telum* commodè usus est pro quovis instrumento, quo quis defendit se, aliique damnum dat.

(353) Dalila est in libris Hebræis, Dalida in Græcis: Sic cassida, & cassila, in quibus D, & L commutantur. Eam autem uxorem Sampsonis fuisse præter Nostrum, etiam S. Ephrem, S. Chrysostomus, & Cassianus affirmarunt. Contra eam meretricem, & quidem è pauperioribus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, Abulensis, & alii volunt. Quomodo enim ausi fuissent Philisthæi principes, tam fidenter & primo aggressu, sola spe lucelli sollicitare uxorem ad prodendum maritum? Quomodo toties & tam diu latuissent tot armati in domo propria Sampsonis, nec ipso, nec ullo familiarium conscio?

(354) *Virtus* pro potentia, robore, ut sæpe. Sic paullo post: *In crinibus capitis virtutem suam subsistere*. Item: *Cum crinibus virtus redire cœperat*. Mox deinde ipso vocabulo *robur* utitur, dicitque *conscius recepti roboris*.

(355) Oculi in pistrinum damnatis adempti, ne vertigo labori obstaret. Qua de causa & servis lac versantibus, & vas, in quo lac erat, circumcursantibus, ademptos oculos narrat Herodotus *Melpomene*.

(356) Manifestum sphalma est in editione tum Leidensi, tum Amstelodamensi: *Accisus crinis crescere*, quod & jam ante editio Coloniensis habuerat.

(357) Fuisse hanc non privatam domum, sed publicam, & quidem Templum Dagonis, cum Auctore nostro censet Suidas, Abulensis, Salianus, & alii. Ibi enim Idolis suis immolabant, & idolothyta comedebant.

(358) Josephus: *His finis viri fuit, admirandi ob incomparabilem animi simul ac corporis fortitudinem, qua in hostium perniciem, usque ad extremum halitum, usus est.*

Huic Simmichar (359) successit, (p) de quo nihil ampliùs Scriptura prodidit. Nam neque finem imperii ejus reperi, & fosse populum sine duce invenio. Ideo cùm adversùs Benjamin Tribum civile bellum fuit, Judas (360) temporarius dux belli adsumtus est. Sed plerique, qui de temporibus scripserunt, annum unum imperio ejus adnotaverunt. Plerique ita eum præterierunt, ut post Samson Heli Sacerdotem subjunxerint: nos enim rem, ut parùm compertam, in medio relinquemus.

Per hæc tempora civile, ut diximus, bellum exarserat. Caussa autem motûs hæc fuit. Levites quidam cum concubinâ iter faciens, urgente nocte compulsus in oppido Gabaa, quod ab Benjamitis incolebatur, secesserat. Cùm eum senex quidam hospitio benignè recepisset, juvenes ex oppido hospitem circumsistunt, stupro eum subdere parantes. Multùm à sene increpiti, ægrèque exhortati, (361) vicario demum concubinæ ejus corpore in ludibrium accepto, advenæ pepercerunt: inlusamque nocte totâ, postero die reddiderunt. Sed illa (stupri injuriâ, an verecundiæ, (362) parùm definio) viso viro animam efflavit. (363) Tum Levita in testimonium diri facinoris, membra ejus in duodecim discissa partes, per duodecim Tribûs misit, quò promtiùs omnes facti invidia (364) commoveret. Quod ubi omnibus compertum, undecim reliquæ Tribûs adversùs Benjamin (365) in bellum conspirant. Huic bello Judas, ut diximus, dux

(p) In libro Judicum non invenitur nomen Simmichar, sed Michas, ubi de Samsone perorans Scriptura, inquit: *Judicavitque Israel viginti annis. Fuitque eo tempore vir quidam de monte Effraim, nomine Michas*; & post: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod rectum sibi videbatur, id faciebat.* Quæ verba Micham Samsoni successisse non indicant. Sulpicius ergo recitat opiniones; unam eorum, qui ipsi Simmichar annum unum tribuerint; alteram eorum, qui illum omnino silentio prætereant, atque Samsoni ipsum Heli subjecerint, quod omnes fecerunt, in quorum ego scripta incidi, ut Josephus, Eusebius, S. Augustinus, & alii.

Per hæc tempora civile.) Sequitur interregnum, quo civile bellum gestum, quod undecim Tribus Tribui Benjamin intulerunt propter jus hospitii violatum. Gestum autem est per eos dies, dum Israel erat sine Regibus, idest, sine summo Magistratu, qui populum coerceret; quibus verbis status Aristocratiæ describitur, nam additur: *Et unusquisque faciebat, quod sibi rectum esse videbatur.* Caussa verò belli fuit, quæ sequitur.

Levites quidem cum concubina iter faciens.) Vir Levites discessit Bethleem à socero jam advesperascente die, & cùm Hierosolyma noluisset inire, ad oppidum Gabaa, quod a Benjamitis incolebatur, accessit; & in forum progressus, cùm a nemine oppidanorum reciperetur, a sene quodam inquilino, qui & ipse, ut ille, erat ex monte Effraim, domum est adductus, & hospitaliter habitus. Hoc cognito venerunt viri civitatis filii Belial, idest, absque jugo, & circumstantes domum senis fores percutere cœperunt, clamantes ad dominum domus atque dicentes; Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. Tum senex dixit ad eos: *Nolite facere malum hoc. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam; educam eas ad vos, ut humilietis eas, & vestram libidinem compleatis; tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum; nolebant acquiescere sermonibus illius, quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam; qua cùm tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane, quæ post contumelia impotens doloris est mortua.* Levites autem membra ejus ad XII. Tribus dimisit, atque eas ad tantum ulciscendum scelus accendit; itaque bello suscepto Benjamitæ deleti sunt. Cap. XIX. ibi verò: (*Multum à sene increpiti ægreque exhortati*) sine dubio legendum est, (*exorati*). Increpuit enim eos senex, cùm dixit: *Nolite facere malum hoc*; exoravit, cùm tradita illis concubina effecit, ut viro parcerent. Ægrè autem exoravit, quia inquit Scriptura: *Nolebant acquiescere sermonibus ejus.*

Sed illa stupri injuria, an verecundia, visa viro, animam efflavit.) Ibi. *At Mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, & ibi corruit.*

Tum Levita in testimonium diri facinoris membra ejus in XII. discissa partes per duodecim Tribus misit, quo promptius omnes facti injuria commoveret.) *Quippe arripuit gladium, & cadaver cum ossibus ejus in duodecim partes, ac frusta concidens misit in omnes terminos Israel. Quod cùm vidissent singuli conclamabant; nunquam res talis facta est in Israel ex ea die, qua ascenderunt patres nostri de Ægypto usque in præsens tempus; ferte sententiam, & in commune decernite, quid opus facto sit. Itaque convenerunt omnes de Dan usque Bersabee* (hi enim erant fines terræ, quam Hebræi possidebant,) *& convenerunt in Maspha, & scelere comperto decrevere bellum contra Tribum Benjamin, inde venere in domum Dei, idest, in Silo, & ducem belli Judam legerunt, atque inde adversus Gabaa castra moverunt*, cap. XIX. & XX. (*Duobus prœliis malè pugnatum.*) Primo prœlio XXII. millia cecidere ex Israelitis, secundo XVIII. millia, tertio Benjamitorum cæsa XXV. millia & centum, urbs capta, & incensa. Omnes urbes, & vici Benjamitarum combusti, cap. XIX. Omittit inde Sulpicius, ut Tribus Benjamitica reparata sit ex Jabes. Nam ceteri omnes Israelitæ juraverant, se Benjamitis filias suas non collocaturos. Illi verò, quia ad bellum non convenerant, capetes sacramenti reperti reliquiis Benjamitarum CD. filias suas desponderunt. Atque hic est finis Judicum, in cujus extremo repetitur: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque, quod rectum sibi videbatur, id faciebat.*

(359) Scripsisse videtur *Semigar*. Ita enim supra legitur; & infra quoque in cap. proximo. *Cum*, inquit, *post Samson judicem Semigar fuerit*. Estque Semigar ex Hebræo סמגר. Mirum autem, cur Samsoni Severus subjiciat Simgarem, cùm ipsæ sacræ literæ id non faciant. Memorant quidem illæ Judicum aliquem nomine Simgarem; sed hunc non Samsoni, sed Ehudo subjiciunt. Vid. Jud. III. 31.

(360) *Judas* pro Tribu Judæ, Hebræorum more, qui solo nomine auctoris familiæ familiam ipsam significant. *Temporarius* pro eo, qui non in perpetuum, sed ad tempus adhibetur. Pari ratione Apulejus *sedem temporariam*, & *cantum temporarium* dixit; videlicet ad tempus durantem: uti Scioppius in Judicio de Stylo hist. p. 188. monet. Quòd autem Nepos in Attico *temporariam liberalitatem*; & Seneca epist. IX. *temporariam amicitiam* dixit, paullo diversa vocabuli notio est: notatusque liberalitas & amicitia talis, quæ fit & colitur *temporis caussâ*, ut phrasi Nepotis utar. Vide & Ind. in Nep. a nobis locupletatum.

(361) Legendum sine dubio *exorati*, uti Sigonius monuit.

(362) Legendum *verecundia*. Duplicem caussam mortis affert Josephus: unam, summum eorum, quæ passa esset, dolorem; alteram, summum pudorem atque verecundiam, ob quam in viri sui conspectum venire non auderet. In sacro textu ea caussa maximè innuitur, quòd labore & vexatione nocturna fatigata, deficientibus jam viribus, collapsa sit, & extincta.

Ita rectè editio Coloniensis. At perperam tum Leidensis, tum Amstelodamensis, *verecundiæ*.

(363) Μνημονικὸν ἁμάρτημα Auctoris. Origenes habent, cùm Levita manè ostium aperuit, concubinam hîc ante ostium jacuisse sparsis in limine manibus; cùmque hortatus eam fuerit, ut surgeret, nihil eam respondisse, quod jam esset mortua. Vide Jud. XIX. 27. 28. Ergo non viso viro demum; sed ante quam videre eum potuit, animam efflasse intelligitur.

(364) *Invidia* pro odio, optimis quibusque frequentatum. Nepos X. 4. 2s. *Id cum factum multi indignarentur, magnaque esset invidia tyranno.* Cicero: *facere, parare alicui invidiam*, idest, odium. Vide Indicem Nizolii.

(365) Judicum XXI. Conspiratio hæc inita fuit Maspha, per quam Masius putat intelligi posse Silo. Alii putant Maspham eam esse, quæ in Tribu erat Benjamin non longè a Silo, & ex qua fortasse ipsam Ta-

dux fuit. Sed duobus prœliis malè pugnatum: (366) tertio demum Benjamitæ victi, cæsique ad internecionem. (367) Ita paucorum scelus, publico (368) exitio punitum. Hæc quoque Judicum volumine continentur.

Regum libri sequentur. (369) Sed mihi annorum ordinem, (q) & seriem temporum persequenti, parùm continuata videtur historia. Nam cùm post Samson Judicem Semigar fuerit, paulloque post historia consignet, populum sine Judicibus egisse; Heli etiam Sacerdos libris regnorum fuisse referatur: (370) sed cùm, (371) quot anni inter Heli & Samson fuerint, minimè Scriptura prodiderit: video, medii quiddam fuisse temporis, quod laboret ambiguo. Ceterùm à die mortis Jesu, usque in id tempus, quo Samson defunctus est, numerantur anni CCCC. & IX. A Mundi autem exordio anni IV. MCCCC. & III. Quamquam ab hâc supputatione nostrâ ceteros discordare, non nesciam. Sed mihi conscius sum, me non incuriosè latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor: nunc reliqua exsequar.

HELI PONTIFEX, JUDEX.

Igitur, ut supra retuli, Hebræi sine Judice, (r) aut duce ullo, proprio arbitrio agebantur. (372) Heli Sacerdos erat: (373) sub hoc Samuel natus est. Huic pater Elchana, mater Anna.

(q) Interserit quæstionem de temporibus. Ambigit enim quot anni intercesserint inter Samsonis exitum, & Heli Pontificatum, ac Judicatum, quòd id Scriptura non prodiderit, ac post Samsonem ter Israel sine Regibus fuisse adjecerit. Cùm autem Heli quadraginta annos judicasse dicitur, primo Samuelis cap. IV.; intelligendum est, illos annos complecti, & interregnum ante Heli, & Pontificatum ejus; atque ita Eusebius, & ceteri observarunt.

Ceterùm à die mortis Jesu, usque in id tempus, quo Samson defunctus est, numerantur anni CDXIX.) Immo verò CCCXXXIX. ut colligitur ex ipsius supputatione omnium annorum, hoc modo:

Gothoniel	annos 50.
Adon	annos 80.
Simigar	annum 1.
Debora	annos 40.
Gedeon	annos 40.
Abimelech	annos 3.
Thola	annos 22.
Jair	annos 22.
Jephte	annos 6.
Ebeson	annos 7.
Ahialon	annos 10.
Abdon	annos 8.
Samson	annos 20.

A Mundi autem exordio IIII. CCCC. III.) Legendum est ex supra positis supputationibus IIII. CCXXIII. *Sed mihi conscius sum, me non incuriosè latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor.*) Hæc annorum quæstio à multis tractata auxit quoque eis difficultatem, dum unusquisque suas proferre conjecturas voluit, & novos temporum calculos adhibere; ut qui plus curæ adhibuerint, minus lucis attulerint. Obscuritatem attulit ipsa Scriptura, quæ annos Josuë, Samgar, & Samuelis cum Saule omisit. Quod autem inquit, se latentem annorum ordinem non incuriosè protulisse, confirmatur epistola S. Paulini ad ipsum nona; in qua hæc verba sunt: *Præterea jussisti, ut quæ te de annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet, quasi peritior edocerem.* Respondetque, se in ea re hæsitantem Rufinum Presbyterum consuluisse, & addit: *Sed si ille has, quæ meritò te permovent de annorum, sive Regnorum non congruente calculo hiantis historiæ causas non ediderit, qui à Scholasticis, & salutaribus litteris Græcè juxta, ac Latinè dives est, vereor ne apud alium in his regionibus frustra requiramus.*

(r) Hinc agere orditur de Heli Pontifice, & Judice, qui post interregnum Samsonem excepit. Sacerdotem autem vocat, quem Græci dicunt Principem Sacerdotum. Septimus autem fuit Heli Pontifex post Aaron. Quippe, teste Josepho, primus fuerat Aaron, secundus Eleazarus, tertius Phinees, quartus Abisua, quintus Buquis, sextus Ozis, septimus Heli. Hic ergo Heli Pontifex populo præfuit, nemine ducatum, aut judicatum post Samsonem exercente; & propterea res sub eo gestæ subinde referentur; inter quas illa insignis, Arca Dei bello Palæstinorum amissa.

Sub

Tabernaculum, quod erat in Silo, conspici poterat. Porrò in Maspha frequentes comitia habita legimus: & de hac voce vide his annotata ad Hebr. Rempubl.

Aut *Benjamin* dicitur pro Tribu Benjamin, ut supra *Judas* pro Tribu Juda; aut ad vocem *Benjamin* vox *Tribum* subaudienda. Superiore capite dixit plenè: *Adversùs Benjamin Tribum*; ut *Benjamin*, quomodo & alia nomina Hebraica: ἄκλιτον sit; ceterùm vim casûs secundi habeat.

(366) Idest, infeliciter. Justinus lib. XXXII. *Cùm adversùs Bastarnas male pugnassent.* Nepos pro eo dicit *malè rem gerere*. Vide Indicem v. *malè*. Valerius Maximus dicit: *infeliciter pugnare*.

(367) Nepos XVIII. 3. 1. *Bella ad internecionem gesta*. Noster utsupra: *Cæsa ad internecionem multa hostium millia*.

(368) *Publicum* vocat, quod est omnis populi, & ad omnem populum redundat: idque vi originis, & exemplo optimorum quorumque. Nam *publicum* manifestè dictum quasi *populicum*. Nepos XXV. 2. 4. *Sæpe suis opibus inopiam eorum publicam levavit*. Ubi *inopia publica* est, quæ est totius populi. Pari modò II. 2. 2. *publica pecunia*. Sic & *publicè ali*, *efferre*, *sepelire* Nepoti est nomine & sumtu omnis populi & totius civitatis talia fieri. Vide Indicem in Nep.

(369) Numero quatuor, quorum priores in Canone Hebræorum Samueli tribuuntur; posteriores Regum nomine inscribuntur: & ut inquit S. Hieronymus Præfatione in libros Regum: *Melius multo est Malachim*, *idest Regum*, *quam* Malachoth, *idest regnorum dicere. Non enim multarum Gentium describit regna, sed unius Israelitici populi, qui Tribubus duodecim continetur.*

(370) Ad vocem *fuisse* subaudiendum *Judex*, vel *inter Judices*. Antea dixerat *Regum libri*. Sed nunc imitatur Interpretes Græcos, qui libros βασιλειῶν *regnorum* dicunt, eoque numero libros quoque Samuelis comprehendunt. Hieronymus quoque lib. II. ad Ruff. c. 7. *In libris quoque Samuelis & Malachim, quos nos regnorum quatuor nominamus.* Alibi tamen fatetur, rectiùs *libros Regum* dici.

(371) Vocula *cùm* non otiosa quidem hîc est; sed ab ipso Auctore tamen adjecta non videtur, quòd jam initio periodi posita ea esset. *Scripturam* κατ' ἐξοχὴν vocat, quæ sacra, & canonica est; imitatione Pauli, ipsiusque Christi. Ad *prodiderit* subaudiendum *memoriæ*. Dicunt enim plenè *prodere memoriæ* pro *scribere*, *in historiam conferre*; & deinde per ellipsin *prodere*. Nepos VII. 1. 1. *Omnes qui de eo memoriæ prodiderunt*. Cicero Orat. *Sermonem Crassi memoriæ prodamus*. Idem I. in Verr. *Quod est proditum memoriæ & literis*. In quo proximo & vocem *literis* adjicit. Rursus in Tusc. Qq. omissa utroque: *Cujus ne nomen quidem proditum est*.

(372) Ita habent editiones. Verùm legendum sine dubio *agebant*, voce formæ activæ. Sanè eâ formâ in capite superiore scripsit: *populum sine Judicibus egisse*. Accedit quòd in hoc capite repetit, quæ in superiore jam dixerat. Addit enim: *ut supra retuli*. Subaudiendum autem utrobique *vitam*. Atque ita Auctores optimi quique loquuntur.

(373) Heli septimus erat ab Aarone, ab Ithamaro ejus filio altero, genus ducens. Fuit autem, ut Josephus

Anna. Hæc diu sterilis, cùm conceptum à Deo peteret, vovisse traditur, si puer nasceretur, sacrandum (374) Domino. Ita anixum puerum, (375) Heli Sacerdoti tradidit. (376) Mox cùm adolevisset, Dominus ad eum locutus est. Heli Sacerdoti iram denunciat, ob vitam filiorum, qui Sacerdotium patris in quæstum verterant, munera à sacrificantibus exigentes, quamquam plerumque eos pater increpâsse referatur. Sed levior objurgatio (377) non satisfecerat disciplinæ.

Igitur Allophylis in Judæam iruentibus, obviam itum. (f) Sed victi Hebræi, parant aciem restituere: Arcam Domini secum in pugnam efferunt, & cum eâ filii Sacerdotis prodeunt: quia ipse annis gravior luminibus obductis satisfacere officio nequiverat. Sed ubi Arca in conspectum hostium deducta est, majestate quadam præsentis Domini territi, (378) fugam parabant. Adsumtâque rursum constantiâ, & non sine Domino mutatis animis, totis viribus concurrunt. Victi Hebræi: Arca capitur: filii Sacerdotis cadunt. Heli, delato ad se mali nuncio, consternatus, animam exspiravit, (379) cùm per annos XX. (380) Sacerdotium administrasset.

Vi-

Sub hoc Samuel natus est. Huic pater Helchana.) Ortum inde, educationem, & incrementa Samuelis Prophetæ sub Heli explicat Scriptura, ut viri magni, & Deo accepti, & populum post Heli judicaturi. Mater ejus Anna sterilis vovit eum Deo, dicens: *Dabo eum Deo omnibus diebus vitæ ejus; & novacula non ascendet super caput ejus.* Natum inde Heli Pontifici educandum dedit; itaque Nazaræus est appellatus; sic enim Deo consecratos vocabant. Hoc cap. I. & II. traditur libro primo Regum, qui Samuelis dicitur; & cum historia Judicum continuatur.

Mox cum adolevisset, Deus ad eum locutus est.) Cap. III. primi Regum: *Puer Samuel ministrabat Domino coram Heli. Samuel dormiebat in Templo Domini, ubi erat Arca Dei, & vocavit Dominus Samuel.* Hinc est argumento, quanti Samuelem fecerit Deus, qui Ministrum Pontificis potius, quam Pontificem, alloquutus sit.

Heli Sacerdoti iram denunciat ob vitam filiorum, qui Sacerdotium patris in quæstum verterent, munera à sacrificantibus exigentes.) Peccatum inde filiorum Heli refert. Nam, ut scriptum est cap. II. filii Heli Phinees, & Ophni nescientes Dominum, carnes Sacrificiorum sibi dari è privatis offerentibus contra Dei mandata postulabant, &, nisi dedissent, minabantur, se vi ablaturos. *Erat ergo peccatum eorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini. Iidem etiam dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi; corripiebat autem eos pater ipse Heli dicens: Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui. Inde Deus locutus est ad Samuel: Prædixi Heli, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem eorum, quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas ejus victimis, & muneribus usque in æternum.*

(f) Narrat inde, ut Deus filios Heli propter conceptum scelus vita exuerit in bello contra Palæstinos, cujus ipsi duces erant, partè propter cæcitatem domi manente; & ut in eo bello Arca Domini in hostium potestatem concesserit, & post mortem Heli ad Hebræos remissa sit, cap. IV. Hebræi verò e Palæstinis pugna victi Arcam Domini de Silo extulerunt, quasi præsentis Domini hostes in fugam essent acturi. Cum autem Heli Pontifex Arcam comitari pro officio deberet, quòd captus oculis esset, filios misit Ophni, & Phinees, qui post in prælio ceciderunt, cap. IV.

Sed ubi Arca in conspectum hostium deducta est, majestate quadam præsentis Domini territi fugam parabant.) Cap. IV. *Timuerunt Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra, & ingemuerunt dicentes: Væ nobis.*

Assumptaque rursum constantia, & non sine Domino mutatis animis totis viribus concurrunt.) Adhuc loquitur de Palæstinis, qui dixerunt inter se: *Confortamini, & estote viri Philisthiim, ne serviatis Hebræis, sicut & illi servierunt nobis, confortamini, & bellate.*

Victi Hebræi, Arca capitur, filii Sacerdotis cadunt.) Instaurato prælio ex Hebræis cecidere triginta millia peditum. Arca Dei in potestatem hostium venit. Ophni, & Phinees perierunt. Ibidem.

Heli delato ad se mali nuntio exspiravit, cum per annos viginti Sacerdotium administrasset.) Heli autem erat annos natus nonaginta octo, & aspectum amiserat; ut autem audivit cladem Hebræorum cum nece filiorum, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Eusebius scribit, Heli præfuisse annos viginti ex auctoritate septuaginta Interpretum. At nunc in ea versione, quæ LXX. interpretum dicitur, quadraginta scriptum est, non minus atque in Hebræo. Josephus etiam XL. agnovit, Scripturæ vero tacuit judicasse annos XL. non Sacerdotium gessisse, ut Sulpicius.

sephus refert, Pontifex ex hac familia primus, cujus genus in Pontificatu mansit usque ad Salomonis tempora, quando ad Eleazari familiam rursum rediit.

(374) Ut in Templo serviat: sed hoc matris votum ratum esse tum demum cœpit, quum id pater probavit.

Subaudi esse. Et sacrandum esse scribit pro sacrandum iri. Qua formâ loquendi sæpe usus est supra; & sæpe utitur infra.

(375) Non uno exemplo est, quòd participio temporis præteriti à verbo deponenti derivato usus est significatione passivâ. Passim enim in Auctoribus talia occurrunt. Justinus lib. VII. cap. 6. *Alia (bella) intergredienda passione composuit, alia redemit, facilemus quibusque egressus.* Item lib. VIII. cap. 5. *Pectio ejus fidei fuit, cujus emtio fuerat deprecati belli promissio.*

(376) Lyranus tenet, Samuelem in Templo ministrasse Deo usque ad annum quinquagesimum dumtaxat: illi enim Levitæ, quasi emeriti, libertate donabantur, nec amplius in Tabernaculo servire tenebantur. Numer. VIII. 25. Verùm id oppugnat dicta Scriptura: nam illa dicit, Samuelem cunctis diebus sacratum Domini ministerio fuisse. Unde alii passim censent, cum in Templo serviisse per omnem vitam. Ita Philo libro de Somniis. S. Augustinus in Psalmum 97. S. Hieronymus in 44. Ezechiel. S. Jo. Chrysostomus Homilia IV. in Act. & alii.

(377) S. Hieronymus: *Eli pro iniquitate filiorum suorum damnatus est. Corripuit quidem eos, sed lenitate patris, non auctoritate Pontificis: & quia eos tenebatur corripere, ideo non solum pro iniquitate filiorum, sed etiam pro sua fuit punitus.*

(378) 1. Sam. IV. 6. 7. *Et cognoverunt, quod Arca Domini venisset in castra. Timueruntque Philisthiim dicentes: Venit Deus in castra.* Ergo ipsam Arcam Deum vocârunt. Prudentius quoque Arcam *Deum circumvagum* vocat.

(379) De sella resupinus cecidit, cervicemque fregit. Sedebat enim in sella Pontificia, ante postes Tabernaculi, ubi responsa dare consulentibus solebat.

Quod per ellipsin dicitur *exspirare*, id noster plenè dixit: *exspirare animam*; ut supra *efflare animam*. Sic & Virgilius lib. III. Æn. At Livius lib. II. per ellipsin: *Inter primam curationem exspiravit*. Et Plinius in Paneg. per metaphoram: *exspiravit libertas.*

(380) Secutus est codices Græcos, qui, ut Eusebius in Chronicis auctor est, habuerant: εἴκοσιν ἔτη: quomodo & editio Romana, & hanc secuta Anglicana, habet: 1 Sam. IV. 18. Verùm fontes Hebraici habent *quadraginta*. Deinde non è fontibus tantùm, sed & ab ipsa versione Græcâ discrepat nonnihil noster, quòd Heli per annos viginti Sacerdotium administrasse scribit, de munere Judicis autem, quo idem functus est, nihil addit; cùm textus Hebraicus habeat, annis quadraginta; versio Græca autem annis viginti ipsum Israelitas judicasse.

Victores secundo prœlio Allophyli, (t) Arcam Dei, quæ in potestatem venerat eorum, oppido Azoto, (381) in Templum Dagon intulerunt. Sed simulacrum dæmoni dicatum, (382) ubi Arca inlata est, corruit. Quumque idolum loco restituissent, nocte insecutâ discerptum est. Inde mures per omnem regionem exorti, (383) noxiis morsibus multa hominum millia letho dabant. (384) Quo malo compulsi Azotii, ad declinandam calamitatem, Arcam Dei ad Gethæos transtulerunt. Qui cùm simili clade adficerentur, in oppidum Ascalonensium (385) Arcam transvexerunt.

His verò, advocatis gentis (u) ejus primoribus, consilium fuit, Arcam Domini Hebræis reddere. Ita ex sententiâ Principum, Augurumque, & Sacerdotum, imposita vehiculo, multis cum muneribus remittitur. Illud mirabile, quòd, cùm oneri boves feminas subjecissent, vitulosque earum domi retinuissent, iter nullo duce in Judæam pecudes direxerunt, non revocante adfectu fœtûs relicti. Cujus rei miraculo reguli Allophylorum usque in fines Hebræorum Arcam secuti, religiosum officium præstiterunt. Judæi autem, ubi referri Arcam viderunt, certatim ex oppido Bethsamis cum gaudio obviam ruere, festinare, exsultare, grates Domino referre. (386) Mox Levitæ, quorum hoc negotium erat, (387) sacrificium Deo celebrant: bovesque eas, quæ Arcam adduxerant, immolant. Sed in oppido, quod supra diximus, teneri Arca

(t) Miracula inde Arcæ inter Palæstinos locatæ exponit. Quippe Arca Dei ad hostes perlata plura miracula ad ostendendam præsentem Dei majestatem edidit in eorum perniciem, apud quos mansit; ex quibus unum fuit, quòd in Templum Dagon oppidi Azotiorum illata, simulachrum ejus sponte corruit, atque ab eis repositum in sequenti nocte est dissolutum. Qua de re cap. V. ita scriptum: *Rursumque mane die altera consurgentes invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo.*

Inde mures per omnem regionem exorti noxiis morsibus multa hominum millia letho dabant.) Alterum Arcæ miraculum Azoti editum fuit, quòd mures à Deo immissi plantas, & fruges consumpserunt. Deus autem percussit homines in secretiore parte natium. Interpretatur autem Josephus, eos periisse dysenteria. Quare non rectè Sulpicius homines murum morsibus periisse scripsit. Nam cap. V. ita est: *Et nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in Civitate*; & post: *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiore parte natium.* Unde anos aureos obtulerunt.

Quo malo compulsi Azotii.) Tertium inde miraculum, quòd Arca ab Azotiis inde ad Gethæos translata iisdem malis eos affecit. Geth autem fuit Urbs Palæstinorum, ut Azotus.

Qui cum simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium Arcam transvexerunt.) Græca versio habet Ascalonem, Latina Accaronem. Est autem utraque urbs Palæstinorum. Sulpicius LXX. sequutus est.

(u) Nunc quomodo Arca ad Hebræos remissa sit, demonstratur. Sic cap. V. *Cùm venisset Arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, ut interficiat nos, & populum nostrum. Miserunt itaque, & congregaverunt omnes Satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & revertatur in locum suum, ut non interficiat nos cum populo nostro.*

Ex sententia Principum, Augurum, & Sacerdotum.) Cap. VI. Latina versio: *Vocaverunt Philisthim Sacerdotes, & Divinos.* Græca: *Sacerdotes, Vates, & Incantatores.* Ex horum ergo sententia Arca ad Hebræos ut remitteretur, decretum.

Illud mirabile, quòd.) In reducenda verò Arca etiam miraculum editum est, quòd vaccæ, quæ illi adducendæ destinatæ fuerant, spreto naturæ amore relictis domi vitulis nullo ducente ad Hebræos rectò itinere contenderunt, quam rem mirati Palæstini Arcam officii gratia prosequuti sunt usque ad fines Hebræorum, idest, ad terminos Bethsames, qui erat vicus Tribus Judæ, teste Josepho, cap. VI. Reg. libr. 1. Judæos autem Sulpicius vocat Bethsamitas ex Tribu Juda. Ad eos enim primùm Arca delata fuerat. Illi conciderunt ligna plaustri, in quo erat Arca, & vaccas imposuerunt super ea holocaustum, idest, præparârunt sacrificium, quod Levitæ celebrarent.

Mox Levitæ sacrificium Deo celebrant, & boves immolant.) At cap. VI. longè aliter: *Levitæ deposuerunt Arcam Dei, & Capsellam, quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super eo lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolaverunt victimas in die illa Domino.*

Sed in oppido, quod supra diximus, teneri Arca non potuit.) Deus enim percussit Bethsamitas eo, quod vidissent Arcam Domini, & tetigissent, nempe septuaginta viros de populo, & quinquaginta millia de plebe. Itaque misêre nuncios Cariathjarim oppidum vicinum ocantes, ut ad se Arcam abducerent, quod cùm fecissent, usque ad Regnum Davidis per annos viginti apud se habuerunt in domo Aminadab in Gabaa, cap. XI.

(381) Editio Coloniensis, quam & Leidensis, itemque Amstelodamensis sequitur: *eorum oppido Azoto.* Verùm manifestè adparet, aliter distinguendum esse, & *eorum* pertinere ad *potestatem*. Si enim ad *oppido* pertineret, dicendum potiùs esset: *oppido suo Azoto intulerunt.* Non ignotum est quidem, pronomina demonstrativa & reciproca quandoque permutari; verùm hîc quoque ita factum esse, nihil opus est statuere, cùm *eorum* ad *potestatem* referri necessum sit. Certè vocabulo *potestatem* necesse est adjectum esse vocabulum secundi casûs; ut intelligatur, in quorum potestatem Arca venerit. Nam quod venit in potestatem, id in potestatem venit alicujus.

(382) Nam Dii Gentium Dæmonia: & refert Sulpicius in Vita S Martini Segm. XXIV. Diabolum in Jovis, aut Mercurii forma sæpe apparuisse: *Frequenter autem Diabolus visibilem se ei formis diversissimis offerebat. Nam interdum in Jovis personam, plerumque Mercurii, persæpe etiam se Veneris ac Minervæ transfiguratum vultibus offerebat.* Fluxit autem impius ille mos Dæmoniis simulacra dedicandi ex disciplina Chaldæorum, qui singulis creaturis talia etcaerunt.

(383) Hausit ex versione Græcâ, aut quæ ex hac expressa esset, Latinâ. Versio Græca 1. Sam. V. 6. Καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες. καὶ ἐγένετο σύγχυσις θανάτου μεγάλη ἐν τῇ πόλει. Et similiter versio Latina vetus: *Ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in Civitate.*

(384) Sic supra: *morti dare, neci dare, internetioni dare.*

(385) Εἰς Ἀσκάλωνα, idest *Ascalonem*. Sic Græci Codices. Sed Latini, ut & Hebræi, *in Accaron*. Utcumque oppidum erat Palæstinæ propriè dictum. Descriptionem ejus accuratam vide apud Tyrium XVII. belli sacri XXII.

Secutus est rursus Interpretes Græcos, qui 1. Sam. V. 10. habent: Εἰς Ἀσκάλωνα. At in textu Hebræo alia Philistæorum urbs, & quidem *Ekron*, nominatur.

(386) *Grates referre* nihil ampliùs hîc est, quàm *grates aut gratias agere*. Apud alios autem *gratiam referre*, ut notum, aliquid ampliùs est.

(387) Imò negotium hoc erat Sacerdotum, non Levitarum. Verùm Noster hæc nomina confundere videtur.

Ut supra vocabulis *Sacerdos* & *Sacerdotium* non satis rectè utebatur, quòd omnes Levitas, idest, Levi posteros, Sacerdotes vocabat: ita hîc quoque hallucinatus videtur, quòd Levitarum in universum hoc munus fuisse putat, ut sacrificium celebrarent.

Area non potuit. Itaque passim Dei nutu per totam urbem sævitum. Arca in Cariathjarim (388) oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit.

SAMUEL JUDEX.

Ea tempestate Samuel Sacerdos (389) Hebræis præerat: (x) quietis à bello rebus populus in otio degebat. Pax deinde Allophylorum irruptione turbata, (390) trepidantibus cunctis ob conscientiam peccati. Samuel, cæsâ prius hostiâ, Domino fretus, suos in prœlium deduxit: primoque impetu fusis hostibus, victoria penes Hebræos stetit.

RESPUBLICA AD REGES TRANSLATA.

SAUL REX.

Sed hostili metu remoto, (y) secundis tranquillisque rebus, (391) corruptis consiliis, more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, Regium nomen, cunctis ferè liberis gentibus semper invisum, populus desiderabat, planeque non sine exemplo (392) amentiæ præoptabat (393) libertatem servitio mutare. Igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut, quia jam ipse senuisset, (394) Regem eis constitueret. At ille placidè, salubri oratione ab insanâ voluntate (395) detorquere plebem: dominationem regiam & superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari: (396) postremò, divinam eis iram denunciare, siquidem

(x) Deinceps de Samuele Judice agit, quem Scriptura non appellat Sacerdotem. Is enim est Pontifex, quem honorem ille non gessit, cum Heli avo successerit Achitob. Inquit autem cap. VII. *Judicavit Samuel filios Israel in Maspha*. Itaque convocatis eò Hebræis auctor fuit, ut preces, & jejunium facerent, ac rejectis Idolis Deo uni servirent. S. Hieronymus in Jovinianum contendit, Samuelem simplicem Levitam fuisse.

Pax deinde Allophylorum irruptione turbata.) Inde bellum Palæstinorum narrat duce Samuele Judice bene ab Hebræis, fusis hostibus irrumpentibus, gestum, cap. VII.

Samuel cæsâ prius hostia.) Eodem capite: *Tulit Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit ad Dominum pro Israël, & exaudivit eum Dominus. Victis inde, fugatisque Palæstinis, omnis ager ab Accarone usque ad Geth ademptus; liberavitque Israël de manu eorum, & judicavit Israëlem Samuel cunctis diebus vitæ suæ.*

(y) Hoc tempore mutata est Respublica Hebræorum, re à Judicibus ad Reges traducta. Quippe Samuel viribus jam propter ætatem effœtis statuerat filios suos Joel, & Abia, qui pro se populum judicarent; quibus iniqua judicia facientibus, Hebræi Samuelem rogarunt, ut sibi Regem daret. Miratur autem Sulpicius, Hebræos Reges Judicibus prætulisse, cùm in Republica Judicum libertatis esset species, in Regia servitutis, idque naturæ vulgi nova semper optantis tribuit, quorum nihil est in Scriptura. Quod dixit: (*Regium nomen cunctis fere liberis gentibus semper invisum*) ex Demosthene sumpsit in Olynth. sec. Liberi autem populi aversantur Reges, quia liberi populi obediunt legibus, idest, rationi, qui verò parent Regi, obediunt voluntati, idest, libidini utitur plerumque pravi. Quare amens est, qui Regem libertati anteponit.

At ille placidè salubri oratione detorquere plebem, dominationem regiam, & superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari.) Plura dixisse ostendit Samuelem, quam in Scriptura reperiantur. Sic enim tantùm capite VIII. *Displicuit sermo in oculis Samuelis eo quod dixissent: Da nobis Regem, ut judicet nos*; ac paulo post jussu Dei dixit: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas*. Cùm autem subjecit: (*Postremò divinam eis iram denunciare, siquidem homines mente corrupti Deum Regem habentes, Regem sibi ex hominibus flagitassent*:) Credo, verba Dei expressit illa: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super illos*. Quæ verò sequuntur: (*His atque aliis istiusmodi frustra dictis, cùm populus in sententia perseveraret, Dominum consulit, qui permotus vecordia vesanæ gentis nihil adversùm sese petentibus negandum respondit.*) Sic expressa sunt cap. VIII. *Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Verumtamen contestare eos, & prædic jus Regis, qui regnaturus est super eos; itaque fecit Samuel; & illi* Regem

(388) Adrichom: *Cariathjarim* Urbs Silvarum, *quæ est Cariath Baal, & Baala, & Pharasim, & conjunctim Baal-Pharasim. Hieronymo etiam Jarim. Est de Jerusalem ad quatuor milliaria, & dimidium contra Occidentem, euntibus Diospolim. Hieronymus ait, milliari uno. Urbs prius Gabaonitarum, postea Tribus Judæ, atque terminus Tribus Juda & Benjamin, sita in colle.*

(389) Levita fuit, non Sacerdos. Ita disertè & Hieronymus lib. I. contr. Helvid. c. 13. *Noscendum, quod Samuel Levita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit.*

(390) Caussa hujus belli fuit conventus Israëlitarum in Maspha. Nam Philistæi filiis Israël conventus omnes & congregationes interdixerant, quum illos ultimo prœlio sibi subjecissent. Suspicabantur enim, Hebræos velle rebellare.

(391) Non solum Philistæorum jugum excussit Samuel, recuperavitque oppida amissa; sed etiam vicinos populos coegit à bellis abstinere. Hinc illa luxuria, & ut in otio, negligentia. Ne arma quidem, cessantibus bellis, fabricabant, & vetera in rem rusticam convertebantur: ut mirum non sit, sub initium regni Saulis, nulla penè toto Israële arma reperta fuisse, & omnino fabrilem artem, quum iterum prævaluissent Philistæi, interdixerunt Israëlitis.

(392) Adeò ut insigne exemplum amentiæ hoc esset.

(393) Nepos XXV. 12. 1. *Præoptaret equitis Romani filiam generosarum nuptiis*. Ubi constructio talis præoptare aliquid alicui. Sed & cum infinitivo construunt, ut noster. Plautus Capt. III. 5. 30. *Meumque potius me caput periculo præoptavisse, quàm is periret, ponere*. Justinus lib. VIII. c. 4. *Ut perire ipsi, quàm non perdere eos præoptarent.*

(394) Hebræi tradunt, Samuelem fuisse LII. annorum, eumque mortuum; sed errant. Senex fuit, sed diu adhuc, regnante Saule, superstes. Quare melius Abulensis, Salianus, & alii censent, Samuelem fuisse hoc tempore circiter LX. annorum, & cum Saule Rege XV. annos adhuc vixisse, ac defunctum anno ætatis LXXVII.

Adlegarunt & aliam caussam; & hanc quidem, quòd filii Samuelis dissimiles essent patris. Vide 1. Sam. VIII. 5. Imò & tertiam caussam adlegarunt; quòd scilicet omnes cæteræ gentes Reges haberent: ut ex eodem loco, & amplius ex vers. 20. ejusdem capitis adparet.

(395) De jure Regis, quod Samuel Israëli annunciavit, vide annotata ad Hebræorum Rempublicam Sigonii lib. VII. cap. III. not. 10. & seqq.

(396) *Detestari* significat hic aliquid, quod fit verbis; nimirum verbis exponere & docere, quam misera & execranda eis sit servitus. Sic & *miserari* non tantùm adfectionem aliquam animi significat, sed & verbis uti, quibus adfectionem illam animi prodat. Sallustius B. Jugurth. *Eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat*. Justinus lib. VIII. *Nunc suam, nunc filiorum vicem miserantes.*

dem homines mente corrupti, Deum Regem habentes, (397) Regem sibi ex hominibus flagitarent. His atque aliis istiusmodi frustra dictis, cùm populus in sententiâ perseveraret, Dominum consulit. Qui permotus vecordiâ insanæ gentis, nihil adversùm se petentibus negandum respondit.

Igitur Saul Sacerdotali priùs à Samuele unguento perfusus, (398) Rex constitutus est. Hic ex Tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, formâ excellenti erat: ut meritò dignitas corporis dignitati regiæ conveniret (399).

Sed principio Regni (a) hujus aliquanta ab eo pars populi defeiverat, parere imperio abnuens, seque Ammonitis conjunxerat. Verùm hos Saul impigrè ultus est: victique hostes, & venia Hebræis data. Tum Saul iteratò à Samuele unctus traditur.

Inde Allophylorum (a) irruptione atrox bellum exortum: locum exercitui ad conveniendum Saul in Galgalis constituerat. Et quum per septem dies Samuelem opperitus esset, ut sacrificium Domino fieret: tardante illo, quum populus dilaberetur, inlicitâ præsumtione (400) Rex ad vicem Sacerdotis holocaustum obtulit: multumque à Samuele increpitus, serâ peccatum pœnitentiâ fatebatur. Igitur ex peccato Regis metus omnem exercitum pervaserat. Castra hostium haud longè sita, præsens periculum ostendebant: neque cuiquam exeundi in prælium animus: plures lacrimas, & latebras petiverant. (401) Nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum à se Dominum delicto Regis arbitrabantur, in maximâ ferramentorum inopiâ exercitus erat: adeò ut præter Saul & Jonathan filium ejus, nemo gladium aut lanceam habuisse

Regem se velle dixerunt, qui judicaret se, & in bellis dux esset, & pro se pugnaret; & Dominus dixit, ut audiret vocem eorum, & constitueret super eos Regem.

Igitur Saul Sacerdotali prius à Samuele unguento perfusus Rex constitutus est.) Hic est autem primus Rex Judæorum Saul, Cis filius, ex Tribu Benjamin divina voluntate delectus. Fuit autem ex oppido Gabaa, 1. Reg. cap. X.

Forma excellenti erat.) Quippe *altior fuit universo populo ab humero & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis ei in populo*, cap. IX.

(a) Refert inde bella gesta a Saule, & primùm contra Ammonitas Arabiæ populos. Sulpicius autem scribit: Hebræorum partem a Saule defecisse ad Ammonitas, eamque a Saule vindicatam esse; quod non est in sacris libris. Sic enim cap. X. *Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Ille verò dissimulabat se audire.* Cùm autem Saul Ammonitas moventes, ac parte Hebræorum servitium intentantes vicisset, rursus à cuncto populo Rex acclamatus est.

(a) Aliud bellum a Saule contra Palæstinos in fines irrumpentes bene gestum, in quo Saul Rex peccavit, munere Sacerdotis, nempe Sacrificio, sibi adscito, quod munus Regis non erat. Deumque in primis offendit, qui propterea Regnum Davidi destinavit, homini secundùm cor suum, quæ res timorem exercitui attulit, cap. XII.

Multumque à Samuele increpitus est.) Qui dixit: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Dei Domini tui.* (*Sera peccatum pœnitentia fatebatur.*) Cùm dixit: *Necessitate compulsus holocaustum obtuli*. Sera autem fuit pœnitentia, quia jam Deus offensus Regnum alio transferre destinaverat.

Igitur ex peccato metus omnem exercitum pervaserat.) Consternationem animorum ingentem in Israëlitis exponit, ex delicto Regis, vicinitate hostium, & inopia gladiorum. Nam usus eorum fuerat à Palæstinis superiore bello ademptus. Hæc autem ideirco à Scriptura dicuntur, ut major virtus Dei elucescat, quæ duobus solis Sauli, & Jonathæ gladium habentibus victoriam dederit. Accedebat igitur, quòd neque armati Israëlitæ erant: *Quia*, ut inquit Scriptura, *descenderet omnis Israël ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, tridentium, & securium usque ad stimulum corrigendum, cùmque venisset dies prælii, non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule, & Jonatha, excepto Saule & Jonatha filio ejus*, cap. XIII.

Igitur Jonatha audaci consilio, solo armigero suo comite.) Exercitus maximus demum a duobus est fugatus, Jonatha, qui hostes terrore perculit, & Saule, qui eos perculsos cum Hebræis ex latebris egressis delevit, cap. XIV.

Accessit inde ad peccatum Saulis in Deum peccatum quoque Jonathæ filii. Nam in ipso persecutionis articulo edixit Saul, ne quis cibum caperet antequam hostis profligatus esset. Jonathas autem filius ejus edicti nescius ex favo oblato gustavit. Qua re comperta, Saul eum morte affici jussit, sed precibus populi illi supplicio est exemptus, cap. XIV.

Cùm autem Saul Deum consuluisset, Deus non respondit. Itaque Saul iratum sibi Deum suspicatus, peccatum populi indagavit, ac se & Jonathan peccasse comperit; & cùm se, ac Jonathan in sortem conjici vellet, captus est Jonathas, ut interficeretur, quem populus ob victoriam meritum liberavit. Ibidem.

(397) 1. Sam. XII. 2. *Videntes autem, quòd Naas, Rex filiorum Ammon, venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis: cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Item cap. VIII. v. 7. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* De Θεοκρατείᾳ istâ, quam Josephus vocat, pluribus in Differt. de Synedriis Hebræorum egimus.

(398) E lenticula. Nicolaus de Lyra: *Lenticula olei est vasculum factum ex auro, vel argento, ad reponendum oleum sanctum; unde inungebantur Reges, & Pontifices.* Etiam è cornu perfundebantur; & dicunt Judæorum Magistri: *Saul, & Jehu uncti fuerunt è lenticula, non fuit diuturnum regnum eorum. David & Salomon uncti fuerunt è cornu, fuit diuturnum regnum eorum.* Magistrorum nugæ.

(399) Formam in Regibus suis Orientales populi admodum æstimant, ita ut apud Æthiopes, honores mandatos ex corporis magnitudine dixerit Aristoteles IV. Politic. 4. Et Spartæ mulctatus Rex, quod exigui corporis uxore ducta, Reges minutos daturus diceretur.

(400) Vocabuli *præsumtio* alia hîc est notio, quàm apud antiquiores. His quidem *præsumtio* actus erat ante aliquid capiendi. Quâ notione noster quoque supra pag. 37. scribit: *Sexto tamen die duplum præsumerent.* Deinde per metaphoram dicebatur de animo. Plinius lib. IX. ep. 3. *Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumtione perfruitur.* Subinde & vocem *animo* disertè addunt; dicuntque *animo præsumere.* At posterioribus seculis voces *præsumere* & *præsumtio*, cœperunt significare audaciam, confidentiam, insolentiam. Concilium Agathense Can. XV. *Statuimus, ut Civitatenses sive Diœcesani Presbyteri vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ rem Ecclesiæ, sicut permiserint Episcopi, teneant; vendere autem aut donare penitus non præsumant.* Et Can. 23. *Clericum nullus præsumat apud secularem Judicem Episcopo non permittente pulsare.*

(401) Abulensis explicat, esse loca secreta tam orbium, quam domorum. Tales sunt Romæ cryptæ, & cœmeteria Sanctorum Sebastiani, Laurentii, Pancratii &c. in quibus tempore persecutionum se abdebant Christiani.

Drusius legendum censet *lacunas* vel *lacus*, & *latebras*; quia versio Græca habet: Καὶ ἐκρύβη ὁ λαὸς ἐν τοῖς σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς μάνδραις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, καὶ ἐν τοῖς βόθροις, καὶ ἐν τοῖς λάκκοις: Lexicon vetus autem habet: Βόθρος, *fossa, fovea, lacunas*. Λάκκος, *lacuna, lacus, cisterna*. Sanè supra pag. 28 dicit: *in lacum demissus*,

huisse traditur. Nam Allophyli superiore bello victores usum Hebræis ademerant, (402) neque cuiquam conficiendi teli bellici, aut rustici ferramenti, potestas fuerat. Igitur Jonatha audaci consilio, solo armigero suo comite, castra hostium ingressus, viginti ferè ex hostibus interemtis, universum exercitum terrore perculerat. Tum verò nutu Dei in fugam versi, non imperia exsequi, non ordines (403) observare, omne præsidium (404) in pedibus habere. Quod ubi Saul animadvertit, suis properè eductis fugientes persecutus, victoriâ potitus est. Eo die Rex edixisse traditur, ne quis nisi confectis hostibus, cibum caperet. Sed Jonatha (405) interdictionis ejus inscius, favo reperto, tincto spiculo, mel degustaverat. (406) Sed ubi Regi ex Domini irâ compertum est, (407) morte adfici filium jussit. Sed populi auxilio ab exitio vindicatus est.

Eâ tempestate Samuel (*b*) à Domino monitus, Regem adiit, verbis Domini nuncians, uti genti Amalech, quæ olim Hebræos, ex Ægypto venientes, transitu prohibuerat, bellum inferret: addito interdicto, ne quid ex spoliis devictorum concupisceret. Ita in fines hostium ductus exercitus, Rex captus, gens subacta. Saul victus prædæ magnitudine, præcepti divini immemor, capta servari & ferri jubet. Quo facto offensus Dominus, Samuelem adloquitur: pœnitere se, quòd Saul Regem constituerit. Dictum Sacerdos Regi refert. (408)

Mox à Domino monitus, David (*c*) regali unguento perlinit, parvum etiamnum puerum, (409) sub patre agentem, pastorem ovium, adsuetum sæpiùs citharâ canere: ob quod posteà à Saule adsumtus, inter Ministros Regios habebatur.

Quâ

(*b*) Aliud bellum à Saule jussu Dei Amalechitis illatum, ac prosperè gestum, in quo ipse iterum adversùs Deum peccavit, prædâ contra jussum ejus in suam domum versâ. Ex quo Deus pœnitentia captus est, quòd Saulem Regem fecisset, cap. XV. Verba verò Domini jubentis fuerunt: *Hoc dicit Dominus exercituum. Recensui quæcumque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via, cùm ascenderet de Ægypto; nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire universa ejus, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ejus aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, camelum, & asinum*, cap. XV. Verùm (*Saul victus prædæ magnitudine præcepti divini immemor capta servari, & ferri jubet.*) Siquidem, ut ibi scriptum est: *pepercit Saul, & populus Agag Regi, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea.*

Quo facto offensus Dominus dixit Samueli, se pœnitere, quod Saulem Regem fecisset; quod ille Regi retulit.) Ibidem: *Factum est verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non complevit.* Item: *Samuel ad Saul; Scidit Dominus Regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.*

(*c*) Ab hoc loco incipit historia Davidis, qui Regnum Saulis jussu Dei est excepturus. Hic filius Jesse fuit ex Bethleem, Tribu Juda, optimus Citharœdus, Propheta, Bellator, & Rex cum progenie sua usque ad tempora Christi. Sed, quod excellentius ad laudem fuit, ejusdem Christi, quod ad carnem pertinet, generis auctor. Siquidem huic dictum est, Psalmo 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde Christus à S. Matthæo Davidis filius dicitur. Hic verò in Regem jussu Dei ter unctus est. Primùm verò hoc tempore. Siquidem Samuel jussus à Domino venit Bethleem, & vocavit patrem ejus Isai, sive Jesse, & filios ejus sigillatim, ac rejectis majoribus natu, minimum omnium, David nomine, qui pascebat oves, accersitum oleo linivit, & inde abiit, cap. XVI. Quoniam verò idem assuetus erat cithara canere, propterea non multo post assumptus est inter Ministros Regios, ut Saulem furentem cantus dulcedine permulceret. Sic enim ibidem scriptum est: *Spiritus Dei directus est in David, & recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino; dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Jubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, & levius feras.* Et Saul Davidem ea præstantem ad se adduci jussit, atque armigerum suum fecit.

(402) Excidit sine dubio vox *armorum* aut similis. Quòd autem usum armorum Philistæi Hebræis ademerint, quòdque, ut porrò dicis, nemini Hebræorum teli aut ferramenti rustici conficiendi potestas fuerit, id colligit ex verbis S. Scripturæ istis 1. Sam. XIII. 19. *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terrâ Israël. Caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim, ut exacueret quisque vomerem* &c. Adparet, fuisse id inter conditiones pacis, quas Hebræis Philistæi tulerant, ut nulli inter Hebræos fabri ferrarii essent, qui quidem artem illam facerent.

(403) Alii dicunt *ordines servare*. Et fortasse noster quoque ita scripserat.

(404) *Præsidium* per metaphoram pro auxilio. Et *præsidium in pedibus habere* eleganter pro *conferre se in pedes, dare se in fugam*.

(405) Legerim potiùs hîc & paullo ante: *Jonathan*, quòd videam, Interpretes quoque Græcos, quos noster subinde sequitur, scribere Ἰωνάθαν; ut quidem vim casûs primi habeat.

(406) Hoc est baculi extremo. Quamprimum autem gustavit mel, illuminati sunt oculi ejus; idest vires ipsi redditæ priores, quæ fame antea planè erant debiles, sic ut oculi vix viderent, genua vix sustinerent. Quod à famu provenire docet Curculio Plaut.

— Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt
Perii, prospicio parum.

Quæ satis ostendunt; cur Jonathas famelicus, paullulo mellis comesto, sibi oculorum dixerit redditum lumen. Nam quum omnis id habeat cibus, ut vires deperditas instauret; tum præcipuè hoc, uti vinum, sic mel præstat, quia ambo subtilia sunt, eoque citius vires diffundunt.

(407) Lego: *Quod ubi Regi ex Domini irâ compertum est*. Necesse omnino est, nominativum quemdam hîc præmitti. Quod cùm & Drusius animadverteret, addidit voculam *id*; ut legeretur: *sed id ubi Regi compertum est*. At ego malim sic, ut dixi. Sanè vocula *sed* parum huic loco congruit, cùm ab eâdem vocula & proximè antecedens, & proximè sequens periodus incipiat: ut, si hæc quoque periodus ab eâdem incipiat, periodi omnino tres ab unâ eâdemque voculâ *sed* initium capiant. Ceterùm iram Domini ex ejusdem Domini silentio intellexit.

(408) Quum per totam noctem, fusis precibus Deum frustra conciliare conatus esset. Orationem ejus, quâ Regem increpavit, lectu dignissimam, vide apud Josephum.

(409) Puerulum fuisse Chrysostomus tradit Psal. L. Contra Hebræi in *Seder Olam* censent, eum fuisse XXIX. annorum, eo quòd putent Saulem duos duntaxat annos regnasse, quo mortuo statim successerit David annorum XXX. Media sententia verior est, Davidem, quum ungeretur, fuisse XX. annorum circiter.

Videtur David tunc non parvus, vel admodum puer, sed jam adolescens aut juvenis fuisse; quia Saulus, proceræ staturæ homo, ei vestes & arma sua utenda dare voluit. *Etiamnum* pro *adhuc* de tempore, quod non nunc est præsens, sed præsens tunc fuit, cùm ista gererentur. Ita & *præsens tempus, præsens bellum, præsentes res secundæ* dicuntur non tantùm, quæ nunc sunt, sed & quæ olim fuerunt, & tum quidem cùm res, de quibus agitur, gerebantur. Nepos XVII. 8. 4. *Præsens tempus hoc desiderabat*. Item VII. 6. 2. *Sic populo erat persuasum, & adversas superiores & præsentes secundas res operâ ejus accidisse*. Dicitur quoque *in præsentiâ* pro tum temporis. Idem Nepos II. 8. 4. *Huc cùm venisset, & in præsentia Rex abesset*.

Quâ tempestate, Allophylis (*d*) atque Hebræis bello flagrantibus, (410) cùm ex adverso acies constituerent, Goliat quidam ex Allophylis, vir miræ magnitudinis & roboris, suorum ordines prætergressus, ferocibus verbis probra in hostes jaciens, singularem pugnam (411) ciebat. Tum Rex magna præmia, & filiæ nuptias despondit, si quis provocantis spolia retulisset. Sed nemo ex tanto agmine adgredi audebat. Igitur David etiamnum puer, pugnæ se obtulit, rejectisque armis, (412) quibus infirma ætas gravabatur, (413) virgâ tantùm & quinque lapidibus sumtis, in prœlium processit; primoque ictu, misso fundâ lapide, Allophylum perculit, caput victi & spolia abstulit, gladium postea in Templum posuit. (414) Allophyli autem omnes in fugam versi, victoriam concessere.

Sed è prœlio reversis, (*e*) multus circa David favor invidiam Regis accenderat. Timens autem tam charum omnibus cum invidiâ (415) & pernicie necare, sub specie honoris (416) objectare eum periculis statuit. Ac primùm Tribunum eum fecerat, (417) ut rem bellicam curaret. Inde, cùm ei filiam spopondisset, fidem fregit, eamque alteri tradidit. Mox filiâ Regis natu minor, Melchol (418) nomine, amore David flagrare occœperat. Igitur nuptiarum ejus ejusmodi conditionem proposuit: si centum præputia (419) David ex hostibus retulisset, regiam virginem matrimonio illius cessuram. Sperabat enim, juvenem periculosa audentem, facilè periturum. Sed longè aliter, ac ratus erat, evênit. Nam ut proposuerat, impigrè David centum præputia ex Allophylis retulit: atque ita Regis filiam in matrimonium accepit. Cre-

scebat

(*d*) Novum bellum narrat à Saule gestum cum Palæstinis, in quo David funda Goliam gigantem Gethæum interfecit, & Palæstinos in fugam dedit, cap XVII. primi Regum. Interserit autem prœlium singulare Davidis cum Golia, qui fuit ex Geth urbe Palæstinorum altitudinis sex cubitorum, & palmi, cap. XVII. *Ille verò castris Palæstinorum egressus.*

Singularem pugnam ciebat) Inquiens: *eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.*

Tum Rex magna præmia, & filiæ nuptias despondit, si quis provocantis spolia retulisset.) Sic enim pronunciatum est: *Virum, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum ejus faciet absque tributo in Israel.* Ibid

Igitur David etiamnum puer pugnæ se obtulit.) Nempe sic loquens: *Non concidat cor cujusquam in eo. Ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philisthæum.*

Rejectisque armis, quibus infirma ætas gravabatur.) Galea & lorica, quas illi dederat Rex. Neque enim eorum habebat aliquem usum, sed fundam cum quinque lapidibus, & virgam sumpsit, atque eam conjecit, ac Goliam lapide jacto in fronte percussum interemit; & gladio ejus usus caput ei amputavit, ac retulit, cap. XVII.

Gladium postea in Templum posuit.) Putavit Sulpicius, cùm legit: *Davidem posuisse arma gigantis in Tabernaculo suo:* Tabernaculum esse Templum, & deceptus est, cùm esset tentorium militare.

(*e*) Hinc incipit odium Saulis adversùs Davidem, ex quo maxima pericula adiit. Siquidem David re bene gesta clarus in primis Jonathæ Saulis filio carus fuit, & eo nomine donatus ab illo, nec ad paternum gregem redire permissus. Saul autem offensus est cantu mulierum Hierusalem dicentium: *Percussit Saul mille, & David decem millia. Non rectis ergo oculis aspiciebat Saul David.* Quare, ut eum per speciem honoris necaret, periculis objectandu (*Tribunum fecit*) idest, Chiliarchum, sive mille militum Præfectum.

Inde cum ei filiam spopondisset, fidem fregit, eamque alteri tradidit.) Hæc fuit filia major nomine Merob, quam deinde Hadrieli Molathitæ collocavit.

Mox filia Regis natu minor, Melchol nomine, amore David flagrare occœperat.) Translatio LXX. Interpretum habet, Melchol amore Davidis flagrasse, at Latina Davidem amore illius captum fuisse. Hanc igitur pollicetur se daturum Davidi, si centum præputia ex hostibus Palæstinis retulisset, sperans illum hæc conantem ab hostibus interfectum iri; sed ille percussit ex Philisthiim centum viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea Regi, ut esset gener ejus, cap. XVIII.

Mandavit inde Saul Jonathæ filio, & omnibus servis suis, ut occiderent David; quod Jonathas amans David ad eum detulit, & ut caveret, admonuit; atque his verbis patrem increpuit: *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde.* Quare Saul juravit se non occisurum.

Non servavit autem fidem datam Jonathæ, sed cithara canentem Davidem palam lancea appetivit, quem ille David vitavit. (*Spiritum erroris*) vocat; quem Scriptura spiritum Domini malum, capite XIX.

Exinde jam non occultè, sed palam ei necem parabat.) Cùm misisset satellites in domum David, qui eum custodirent, & manè interficerent, inde indicio uxoris evasit, nec se ampliùs Sauli commisit, cap. XIX.

(410) Justinus lib. XXXI. c. 3. *Hispanis bello flagrantibus ducem tantùm deesse.*

(411) Unius cum uno pugnam, quam vulgò duellum dicunt, eleganter & more meliorum *singularem* vocat. Ita *singularis potentia, singulare imperium* Nepoti dicitur, quod est unius. Vide X. 9. 3. XXI. 11. 2. Porrò *pugnam ciere*, & aliis, iisque melioribus, usitatum.

(412) S. Ambrosius I. Offic. 35. *David adversùs Goliam, immanis corporis virum, singulari certamine dimicaturus, arma, quibus onerarетur, respuit. Virtus enim suis lacertis magis, quàm alienis integumentis, nititur.*

(413) Non est questus David de infirmitate aut imbecillitate suâ; sed modò dixit, se non adsuetum esse, armis onustum incedere. 1. Sam XVII. 39. *Non possum sic incedere*, inquit, *quia usum non habeo.* Et præmissum est: *Cœpit tentare, si armatus posset incedere; non enim habebat consuetudinem.*

(414) Posuit enim Nobæ in Tabernaculo Dei, victoriæ monumentum, & inde eum postea Saulem fugiens recepit. Falsò igitur Sigonius hoc loco Sulpicium erroris insimulat, quasi tentorium militare pro Templo accepisset. Fuitque ille mos antiquissimus, arma hostium devictorum Diis consecrare, & in publico suspendere. Ita igitur:

Vidimus horrendum membris armisque Goliam
Invalida cecidisse manu: pueriles in illum
Dextera fundalis verfit stridere lapillum.
Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum se se ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid possint ludicra parvi
Succubuit teneris bellator turbidus armis.

Paulinus.

(415) Idest, ut invidia, idest, odium, ac pernicies necanti inde oriretur. Ita dicunt: *cum amore, cum odio aliquid facere.* Justinus lib. VII. cap 2. *Cum amore popularium administrare regno.* Nepos XXV. 7. 3. *Summâ cum offensione ejus domi remanserunt.*

(416) Sic cum Germanico Tiberius egit. Tacitus II Annalium. Frequens id in Principum aulis arcanum.

(417) Parùm tutum putans, armatum circa se versari, Tribunum fecit, non tam illius honori, quàm suæ securitati consultum volens: ut sæpe hostibus objectum, aliquis casus è medio tolleret. Idem Corbuloni apud Neronem, Agricolæ apud Domitianum contigit. Tacitus.

(418) Secutus est versionem Græcam, quæ habet Μελχόλ. Ceterùm in textu originali est *Michal.*

(419) Cur non capita petiit? Ne David afferret capita Hebræorum, vel aliorum, fingens ea esse Philisthæorum. Nam præputia Hebræi in circumcisione posuerant. Non ergo falli Saul poterat. Ita Theodoretus, & Procopius. Josephus historiam turbat, qui Saulem petiisse refert capita Philisthæorum. Nempe apud Romanos præputiorum mentionem fabulæ fugit, ne risu rem exciperent.

scebat in dies in eum Regis odium, stimulante invidiâ: quia bonos semper mali insectantur. Igitur Ministris & Jonathæ filio imperavit, vitæ ejus ut insidias pararent. Sed Jonathæ charus acceptusque jam inde à principio David fuerat. Itaque Rex increpitus à filio, cruentum imperium repressit. Sed non diu mali boni sunt. Nam cùm spiritu erroris Saul (420) adfligeretur, eique David adsisteret, citharâ laborantem deliniens, lanceâ eum ferire conatus est, nisi ille lethalem ictum properè declinasset. Exinde jam non occultè, sed palàm ei necem parabat: nec ultra se David Regi credidit.

Ac primum fugiens, (f) ad Samuelem se contulit: inde ad Abimelech, (421) postremò ad Regem Moab (422) confugit. Mox per Gad Prophetam monitus, in terram Judæ regressus, vitæ periculum adiit. Eâ tempestate Saul Abimelech Sacerdotem interemit, quod David recepisset: & cùm ex Ministris Regis nemo in Sacerdotem manûs inferre auderet, Doëg Syrus (423) cruentum ministerium executus est. Post id David desertum petiit. Illuc quoque eum Saul persequutus est, sed inani operâ ejus exitium moliebatur, quem Dominus protegebat. Erat in deserto speluncâ, (424) vasto recessu patens. In hujus interiora David se conjecerat. Saul nesciens, in primo speluncæ aditu (425) reficiendi corporis gratiâ successerat: (426) ibique somno captus requiescebat. Quod ubi David animadvertit, hortantibus cunctis, ut opportunitate uteretur, abstinuit Regis exitio: (427) diploidem tamen ejus abstulit. (428) Mox egressus, tutu eminùs

(f) Narrat deinceps fugam Davidis Saulem metuentis. Venit primùm ad Samuelem in Ramatha, & nunciavit ei omnia, quæ fecerat sibi Saul, & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Najoth. Inde venit in Nobe ad Abimelech Pontificem, inde ad Achis Regem Geth; & tanquam furiosus non est admissus, item postremò trans Jordanem ad Regem Moabitarum se contulit, cap. XX.

Mox per Gad Prophetam monitus in terram Judæ regressus periculum adiit.) Quia cùm Saul Davidem comparuisse in Juda audisset, insidias in eum renovavit, capite XXII. Porrò Saul Abimelech Pontificem ad se accersivit, objiciens, quòd adversùs se Davidem sustentasset, atque octoginta Sacerdotes, in primisque ipsum Principem eorum interfecit, & Nobe Civitatem Sacerdotum extinxit, usus opera Doeg Idumæi, cùm ceteri facinus illud respuerent, cap. XXII. Inde cùm David desertum Ziph petiisset, illuc quoque Saul eum persecutus est. Verùm intercurrentibus Palæstinis inani incœpto regredi coactus est. Inde in desertum Engaddi fugientem insectatus, pariter a Palæstinis repulsus, conatu iterato rediit, cap. XXIII. Cùm autem Saul ad desertum Engaddi venisset, Davidem latitantem indagans speluncam ingressus est, ut ventrem purgaret, in quam David se cum suis abdiderat. Tum verò David clam oram chlamydis Saulis abscidit, manus autem ab illo, licet a suis incitatus, abstinuit, cap. XXIV. Sulpicius Saulem somnum cepisse inquit, quod non est in Scriptura.

Reficiendi corporis gratia) Hebræa lectio, *purgandi*. Græca, *curandi*.

Ibique somno captus requiescebat.) Neutra lectio somni mentionem facit.

Hortantibus cunctis, ut opportunitate uteretur.) Dixerunt enim: *Ecce dies, de qua loquutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*.

Diploidem tamen ejus abstulit.) Græcus: *Oram tamen diploidis ademit*. Hebræus, *præscidit oram chlamydis*, cap. XXIV.

Mox

(420) Hebræi, Josephus, Cajetanus, & alii, censent fuisse atram bilem, sive melancholiam, & μανίαν, quæ in Saule causabatur suspiciones, invidiam, mœrorem, furores, deliria. Alii censent fuisse Angelum bonum a Deo Sauli immissum. Verius est, Diabolum fuisse, qui occupaverit Saulem. Ita Theodoretus, S. Isidorus, & alii.

Spiritum erroris vocat, qui in Scripturis Canonicis *spiritus Dei malus* vocatur. Intelligit autem Diabolum: quem & in capite proximo sequente ita vocat.

(421) Abimelech Nobæ degebat, quæ urbs refertis Sacerdotibus, occasione Tabernaculi fœderis cò translati. Noba hæc in Tribu Manasse, trans Jordanem sita erat. Tabernaculum fœderis continens Arcam fuit in Silo, ibique mansit usque dum caperetur Arca a Philisthæis, a quibus post septem menses remissa, collocata fuit Arca in Cariathiarim. Inde translata fuit in domum Obededom, à Davide in Sion, a Salomone in Templum ab eo erectum. Tabernaculum verò Mosaicum, captâ Arcâ, videtur in Nobe fuisse, quâ a Saule subversâ, translatum fuit in Gabaon, & a Salomone traductum in Templum.

Secutus rursus Interpretes Græcos. In textu originali est *Ahimelech*.

(422) Moab pro Moabitis, nomen patriarchæ & progenitoris pro patronymico, Hebræorum more: quemadmodum supra *Judas* pro Tribu & posteris Judæ.

(423) Secutus est rursus Interpretes Græcos, qui habent: Δωὴκ ὁ Σύρος. In textu originali est האדמי *Idumæus*.

(424) In montibus collibusque, ubi summa erat devexitas Prisci mortales, præsertim in Judæa, & vicina Arabia, maxime Trachonitide, effossa habebant, & excisa intra quam fax fossa capacissimaque, quò nunquam ad arces tutissimas, penèque inexpugnabiles confugiebant, repentino hostium, vel gravioris alicujus periculi metu impellente. *Arabiam, & Ituræam versus*, inquit Strabo, *sunt montes asperi, & altis speluncæ insignes; quarum una quatuor hominum millia recipere posset*. Multa & mira narrat Josephus de Trachonitarum hujusmodi rupibus, earumque amplissimis speluncis, quibus se diu tutati sunt adversùs Herodem, & lectissimas illius copias.

(425) Supra pag. 24. *successit in domum Labanis*. Ergo *in primo aditu* scripsit hic pro *in primum aditum*. Sic & supra *in matrimonio accipere* pro *in matrimonium*.

(426) Cui consonum, quod mox sequitur: *ibique somno captus requiescebat*. Sed unde ille hæc habet? & ad quid adlusit? An ad verbum Græcum παρασκευάσασθαι, quod in versione Græcâ 1. Sam. XXIV. 3. legitur? et putaverit παρασκευάσασθαι esse idem, quod *preparare, reficere corpus*. Ita sanè videtur. Adparet autem, quam vetus sphalma sit illud; si quidem verum sit, quod Henr. Stephanus in Thesauro ad hanc vocem suspicatur, pro παρασκευάσασθαι legendum esse ἀποσκευάσασθαι. Sanè exoneratio alvi ibi notata videtur. Quam ob causam & Interpres Latinus vertit *purgare ventrem*. Et ipsum illud Græci vulgò ἀποσκευάσασθαι dicunt.

(427) Ex textu patet, primò Davidem Sauli necem molitum, & eo animo ad illum accessisse. Ita enim inquit: *Cogitavi ut occiderem te*. Disputant an licitè potuerit? Et videtur Cajetano, atque aliis. Contra sunt Tostatus, & plerique Interpretum. S. Johannes Chrysostomus ait: *Quod David magnificentius trophæum erexerit parcendo Sauli, quàm occidendo Goliat*.

Exitium pro *cæde*, ut paullo ante: *ejus exitium moliebatur*. Et supra pag. 38. *Ægrè ab extremâ dimes temperabat*. Pari modo *perniciei* pro *cæde* pag. 46. *In perniciem eorum ferebatur*. Nepos XIV § 4. *Quo facilè fieri, ut impellantur ad eorum perniciem*.

(428) Rectiùs dixisset: *oram diploidis abscidit*. Vide 1 Sam. XXIV 4. Vocabulum Græcum mutatum ex versione Græcâ est, quippe quæ habet: τὸ πτερύγιον τῆς διπλοΐδος. Interpres Latinus vetus habet: *oram chlamydis*.

eminùs loco à tergo Regem adlocutus est, sua in illum commemorans beneficia, ut sæpe pro Regno ejus caput periculis objectasset: utque postremò præsenti tempore (429) à Domino sibi traditum, interimere noluisset. Ad hæc, culpam Saul fateri, veniam precari, lacrymas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare, (430) Regem eum & filium adpellans. (431) Tantùm ex feroci illo animo mutatum: crederes nihil ultra adversùm generum ausurum. Sed David, qui penitus (432) ingenium mali spectatum haberet & cognitum, nihil Regi credendum ratus, intra eremum se continebat. Saul vecors animi, quia comprehendendi generum potestas non erat, filiam suam Melchol, David, ut supra retulimus, nuptam, Faltim (433) cuidam in matrimonium dedit. David ad Allophylos confugit. (434) Eâ tempestate Samuel diem functus est.

Saul Allophylis bellum inferentibus, (g) Dominum consulit, nullumque est ei responsum (435) redditum. Tum per mulierem, cujus viscera spiritus erroris (436) impleverat, Samuelem evocatum consulit. Dictum ei ab eo est, postero illum die cum filio (437) victum ab Allophylis, in prœlio casurum. Igitur Allophyli castris in hostili solo positis, postero die aciem instruunt: David tamen ex castris remisso, quia parùm crediderant sibi illum, adversùm suos, fidum

Mox egressus tuto eminùs in loco à tergo Regem allocutus est, sua in illum commemorans beneficia.) Hoc sic expressum cap. XXIV. *Porrò Saul exurgens de spelunca pergebat cœpto itinere. Surrexit autem David post eum, & egressus de spelunca clamavit post tergum Saul dicens: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & cogitavi, ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. Quin potius pater mi vide; & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te.*

Ut sæpe pro Regno ejus caput periculis objectasset.) Hoc de suo attulit Sulpicius.

Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lachrymas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare, Regem eum, & filium appellans.) Verba fuerunt hæc: *Justior tu es, quàm ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et nunc, quia video, quod certissimè regnaturus sis, jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.*

Tantum ex feroci illo animo mutatum.) Hoc est, Sulpicii monentis, Saulem falsò in gratiam cum Davide rediisse, ac postea novas insidias genero tetendisse.

Sed David, qui penitus ingenium mali suspectum haberet, & cognitum, nihil Regi credendum ratus intra eremum se continebat.) Abiit David in desertum Pharan, cap. XXV.

Faltim) Hebræa lectio *Falti*, Græca *Faltiel*, quam sequi solet Sulpicius; & propterea *Faltiel* reponendum putarim.

David ad Allophylos confugit.) Scilicet timens, ne caperetur in deserto à Saule, concessit ad Achis Regem Geth, & ab eo Siceleg oppidum obtinuit, atque inde prædatum in fines Saulis irrupit, cap. XXVII.

Ea tempestate Samuel diem functus est.) Quem universus luxit Israel. Mors Samuelis tractatur cap. XXV. secundi Regum, & capite X. primi Paralipomenon. Ab hoc autem loco utrumque opus & Regum & Paralipomenon conjunctim ad hanc concinnandam historiam erit advocandum.

(g) Narrat ultimum bellum Saulis cum Palæstinis, in quo ipse cum filiis cecidit. Illa autem mirabilia contigerunt, quòd ipsi consulenti Deum, Deus non respondit, consulenti per pythonem mortuum Samuelem, responsum datum, postridie eum filiis in prœlio periturum, cap. XXVIII.

Consuluit autem Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.) Cùm autem dixit: (*mulierem, cujus viscera spiritus erroris impleverat*) expressit vocem, quæ est in Græca translatione, engastrimython, idest, in ventre loquentem. Nam Hebræa lectio habet: *mulierem Pythonem habentem, sive Pythonissam*. Hæc autem mulier pythonem habens jussu Saulis arte sua Samuelem mortuum evocavit, idest, suscitavit, quem Saul consuluit. Quare dixit Samuel: *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Ibidem.

Postero illum die cum filio victum ab Allophylis in prœlio casurum.) Quippe dixit: *Dabit Dominus Israël tecum in manus Philisthiim, cras autem tu, & filii tui mecum eritis; sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim.*

Igitur Allophyli castris in hostili solo positis.) *Palæstini castrametati in Aphec, antequam manum consererent, David, qui Regis Achis subsidio erat, tanquam suspectæ fidei, ut Hebræum, è castris emiserunt, dicentes: Non descendat nobiscum in prœlium, ne fiat nobis adversarius, cùm prœliari cœperimus; quomodo enim aliter poterit placare dominum suum (Saulem) nisi in capitibus nostris.* Ibid.

Sed conserto prœlio Hebræi fusi, filii Regis cadunt.) Commisso prœlio, Hebræi maximam cladem accipiunt, cum filii Regis pereunt, Jonathas, Aminadab, & Melchisua; & Saul a sagittariis sauciatus mandavit armigero suo, ut se percuteret, quod illo facere abnuente, ipse gladio incubuit, & armiger ejus super eum, cap. XXXI. Quod autem addit Sulpicius, (*Saulem ex equo depulsum*) non est in Scriptura.

(429) Dicunt etiam *in præsenti*, subaudito *tempore*, & additâ præpositione, quam noster subaudiendam reliquit. Nepos VII. 4. 2. *Inimici ejus quiescendum in præsens decreverunt.*

(430) Pro *malitiam se incusare*. Cicero lib. VII. ep. 26. *Superbiam tuam accusant.* Nepos VI. 4. 2. *In quo libro avaritiam ejus accusarat.*

(431) *Regem adpellare* idem est quod *Regem facere, constituere*. Quo sensu & noster infra dicit: *Regali unguento delibutus, Rex adpellatus est.* Si igitur vocabulum eâ notione hic usurpasset, falsum planè dixisset. Nihil minùs enim quam Regem Davidem adpellavit Saulus. Sed nec de simplici nominatione intellectum vocabulum, id, quod res est, exprimit. Non enim dixit Saulus, Davidem jam esse Regem; sed modò, ominari ac scire se, Davidem aliquando Regem futurum esse. Vide 1. Sam. XXIV. 21.

(432) Editio Coloniensis habet *penitus*: quod & magis placet. Porrò *spectatum* pro *cognitum*, *exploratum*. Quomodo dicunt: *homo spectatæ fidei*.

(433) In textu originali vocatur פלטי, & in versione Græca φαλτί. Nam פ Hebræorum, etiam initio positum, Interpretes Græci plerumque per φ expresserunt. Porrò φ Græcum Latino F, ejusdem organi literâ, expressit noster. Sed unde litera M, quæ in fine adjecta? Drusius perperam eam scriptam putat pro N; ipsum φαλτίν autem & Faltin literam N adjectam habere ad eum modum, quo eamdem adjectam habent nomina Λευὶν & Σαβὶν. Ceterùm *Faltim cuidam* meliorum imitatione dictum pro *cuidam nomine Faltim*. Nepos IV. 4. 4. *Argilius quidam.* V. 1. 3. *Callias quidam.* X. 8. 1. *Callicrates quidam.*

(434) Ad Achis Regem Gath, à quo oppidum Ziclag habitandum ei datum. Quæ autem in capite proximè antecedente XXVI. libri I. Samuelis perscripta sunt, ea noster non attigit.

(435) Quomodo edita fuerint Oracula, sciscitantibus Sacerdotibus, incertum est. Alii quæstioni in scheda inscriptæ responsum divino miraculo subscriptum fuisse: Alii ad Sacerdotis aures sonum quemdam accidere, quo quid facto opus esset indicaretur: Alii in Sardoniche, qui erat ad humerum dextrum Pontificis, splendorem apparere solitum, quo Numinis præsentia, & prosper eventus significaretur. Sed vide annotationes ad Rempublicam Hebræorum, ubi fusè de Urim, & Thummim disputatur.

(436) Adpellatione *spiritus erroris* & in proximo superiore capite usus fuerat, eâque Diabolum designaverat. Videtur autem mutuò sumta illa ex 1. Joh. IV. 6.

(437) Legendum fortasse *cum filiis*: quia paullo post sequitur: *filii Regis cadunt*.

fidum fore. Sed conferto prœlio, (438) Hebræi fosi, filii Regis cadunt: (439) Saul equo delapsus, ne vivus in potestatem hostium veniret, gladio suo incubuit.

De ætate imperii ejus (*b*) parùm certa comperimus, (440) nisi quòd in Actibus Apostolorum XL. annos regnasse dictus est. Quamquam ego arbitror, cum à Paulo, cujus illa prædicatio (441) refertur, etiam Samuelis annos sub Regis istius ætate numeratos. Plerique tamen, qui de temporibus scripserunt, XXX. eum annos regnasse adnotaverunt: cui opinioni nequaquam accedimus. Nam eâ tempestate, quâ Domini Arca in Cariathjarim oppidum translata est, necdum regnare Saul cœperat: refertur autem, per David Regem ex illo oppido Arcam sublatam, cùm per XX. annos ibi constitisset. (442) Ergo, cùm intra id tempus Saul regnaverit atque decesserit, parvo admodum spatio tenuit imperium. Eadem nobis de temporibus Samuelis caligo, (443) ut qui, cum Heli Sacerdote natus, admodum senex Sacerdotio functus (444) referatur. A nonnullis tamen, qui de temporibus scripsere, (quia ferè nihil de ejus annis sacra historia signavit,) LXX. annis præfuisse populo refertur. Sed unde hæc auctoritas fuerit adsumta, non reperi. Nos in tantâ erroris copiâ, Chronicorum adnotationem secuti, (445) quia eam ex Apostolorum Actibus, sicut superiùs memoravimus, profectam arbitramur, Samuelem & Saulum XL. annos principatum egisse referimus.

DAVID REX CONTRA ISBAAL REGEM.

Saul peremto, David (*c*) in terrâ Allophylorum, perlato ad se mortis ejus nuntio, miro pietatis exemplo flevisse traditur. (446) Tum Chebron Judææ (447) oppidum petit. Ibi rursum

(*b*) Quoniam in libris Regum contra morem mentio non fit annorum, quibus Saul regnavit, propterea ea res maximam temporibus Hebræorum caliginem intulit. S. Paulus in Actibus cap. XIII. Sauli quadraginta annos adscripsit, inquiens: *Deus Israëlitis dedit Judices usque ad Samuelem Prophetam. Exinde postulorunt Regem, & dedit eis Saul filium Cis, virum de Tribu Benjamin, annis quadraginta.* Putat autem Sulpicius eo numero contineri quoque annos, quibus ante Saulem Samuel pro Judice Rempublicam rexit, quæ est opinio Eusebii, & reliquorum, ut S. August. lib. XVIII. de Civitate Dei. *Reprobato Saule, atque defuncto, David successit in Regnum post annos à Saulis imperio quadraginta.* Refellit autem eorum opinionem, qui annos decem Samueli, triginta Sauli adjunxerunt, utens hoc argumento, Arca Domini in Cariathjarim translata est, nondum regnante Saule, atque ibi inde per XX. annos constitit, inde a Davide Rege ea eo loco submota est. Quare si intra eos viginti annos Saul regnare cœpit, & desiit, non triginta, sed multo pauciores annos regnavit. Pariter obscuros esse annos principatus Samuelis arbitratur; de quibus sacram itam literæ nihil loquuntur. Refutat autem eos primùm, qui eum LXX. annis præfuisse populo dixerint, quòd sine auctoritate loqui sint; deinde opinionem suam Chronicis Eusebii congruentem infert, Samuelem & Saulem indiscreto tempore præfuisse annis, ut supra dixit, XL.

(*c*) Hæc est quarta ætas, de qua sic S. Augustinus: *Inde fit manè Regnum David. Hæc ætas similis juventuti est. Et re vera inter omnes ætates regnat juventus, & ipsa est firmamentum & ornamentum omnium ætatum; & ideo benè comparatur quarto diei, quo facta sunt sydera in firmamento Cæli. Hujus quasi vespera est in peccatis Regum, quibus illa gens meruit captivari, & servire.* Continet autem tempora Regum, & res gestas, ac calamitates eorum; quorum primus est David, qui primò adversarium habuit Isbaal filium Saulis Regem, deinde solus regnavit: *David in oppido Sicelec ab Achis Rege ei tradito nuncium mortis Saulis accepit à viro Amalecita, qui se illum gladio incumbentem, sed adhuc spirantem, jussu ejus confodisse narrabat; qua re audita apprehendens David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui cum eo erant, & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, & David jussit eum interfici, qui Saulem interemerat, & planxit planctum super Saul, qui incipit: Considera Israel pro iis, qui mortui sunt.*

Post necem autem Saulis, David consultus Deum, atque jussu ejus Hebron oppidum Tribus Judæ venit. Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Sola autem domus Juda sequuti est David Regem, quia eodem tempore Abner Princeps exercitus Saulis ad Regnum erexit Isbaal filium Saulis, atque ille duos annos super universum Israel imperium tenuit. David autem in Hebron Regnum tenuit in Tribum Juda annos septem, & sex menses, cap. I. & II. secundi Regum. Hæc est autem secunda unctio Davidis in Regem. Hebron porrò à Græcis expressi aspiratione dicitur Chebron, oppidum, in quo olim habitavit Abraham, Isaac, & Jacob. Isbaal dicitur ab Hebræis lib. I. Paralip. cap VIII. Isboseth II. Regum, cap. III.

Magi-

(438) Loquuntur ita & alii. Justinus VII. 2. *Conserto prœlio magnâ cæde Illyrios fudere.* Item XXIV. 5. *Interjectis diebus prœlium conseritur.* Ceterum & conserere manum dicunt, eâque phrasi justum itidem prœlium designant. Nepos XIV. 8. 4. *Quod numquam manum conseruerat, nisi cum adversarios locorum angustiis clausisset.* Item XXIII. 4. 2. *Cum his manum conseruit, utrosque profligavit.* Apparet phrasin *conserere prœlium* esse ferè talem, quales sunt *icere fœdus*, *percutere fœdus*. Nimirum, cùm propriè dicatur, *icere porcum*, *percutere porcum*, ad faciendum fœdus, factum est, ut verbis: *icere* & *percutere*, ipsum quoque nomen *fœdus* adjiceretur, diceretur que *icere fœdus*, *percutere fœdus*. Pari modo cum propriè dicatur *manum conserere*, eâque phrasi justum prœlium significaretur, factum est, ut verbo *conserere* ipsum quoque nomen *prœlium* adjiceretur, diceretur que *prœlium conserere*.

(439) Saul & filii contra hostem egregiè certantes, & hoc tantum agentes, ne inulti caderent, atque honestis vulneribus confecti, luctuosam hosti victoriam relinquerent, totam vim hostium in se converterunt, & circumventi multitudine, magna circum se strage Palæstinorum edita, postremò & ipsi hostium telis sunt obruti. Josephus.

(440) Miræ enim tenebræ sunt, & opinionum divortia. Josephus dicit, Saulem, vivente adhuc Samuele, regnasse XVIII. annos, & eo mortuo XX., idest in nul XXXVIII. Legionensis XXXIX. S. Augustinus XL. Salianus XVIII. Sanctius II. Petavius XII. Calvisius XV. Tot sensus, quot capita.

(441) Vox *prædicatio* usu Ecclesiastico hic pro sermone, pro oratione ponitur. Cujus origo ex versione Latinâ novi Testamenti, in quâ verbo *prædicare* τὸ κηρύσσειν exprimitur.

(442) In Seder Olam Rabba, quod est Chronicon Hebræorum majus: *Tabernaculum conventus fuit Nobe annis tredecim, & Gabaone septem. Interim Arca mansit in Cariathjarim annis viginti.*

(443) S. Augustinus XL. annos ante Saul regnasse vult. Salianus XXII. Sanctius XXXVIII. alii XX.

(444) Videtur putasse, Samuelem fuisse Summum Sacerdotem, & in locum Eli successisse. Paullo ante Heli quoque Sacerdotem vocavit; quem tamen Sacerdotem Summum fuisse constat. Quòd igitur de Samuele ita sensit, plaussimè erravit. Vide supra Notam in pag. 62.

(445) Eusebii verba sunt: *Hebræorum primus Rex Saul ex Tribu Benjamin, & Samuel annis XL.*

Intelligit præcipuè Eusebium, qui in Chronicis disertè ita scriptum reliquit.

(446) Non tam de Davide hoc dicitur, quàm de iis, qui cum eo erant. Sic Cæsar viso Pompeji capite lacrymatus est.

(447) *Judæam* nunc vocat Tribum Judæ, vel potiùs terras Tribûs Judæ. At in novo Test. ἡ Ἰουδαία *Judæa* paullo plus terrarum complectitur.

sum regali unguento illitus Rex adpellatus est. Sed Abner, (448) qui Magister militiæ Saul Regis fuerat, spreto David, Isbaal (449) Regis sui filium Regem constituit. Crebris deinde prœliis inter duces Regum concursum: pulsus Abner sæpiùs: fratrem tamen Joab, qui ex parte David exercitui præerat, fugiens peremit. Quo dolore postea Joab, cùm se Abner David Regi dedisset, (450) jugulari eum præcepit, non sine dolore Regis, (451) cujus fidem cruentaverat. Per idem tempus omnes ferè natu majores (452) Hebræorum publico consensu Regnum ei totius gentis detulerunt. Nam per septem annos in Chebron tantùm regnaverat. Ita tertiò Rex ungitur, annorum circiter XXX. Allophylos in Regnum inruentes, secundis prœliis repulit.

Ea tempestate Arcam Domini, (k) quæ in Cariathjarim oppido, ut supra retulimus, erat, in Sion transtulit. Cùmque ædificare Domino Templum in animo haberet, divinum ei responsum redditum, semini illius id reservari. (453)

Bello deinde Allophylos domuit. (l) Moabitas subjugavit, Syriam subegit, (454) stipendiumque (455) ei imposuit. Auri atque æris ex prædâ immensum modum retulit.

Bellum

Magister militiæ.) Dicitur more Romano à Sulpicio, qui à Græca tralatione, primarius dux. Nam Latina tralatio *principem exercitus* vocat.

Crebris inde prœliis inter duces Regum concursum.) Duces autem erant à parte David Joab, à parte Isbaalis Abner. Narrat inde mirabile factum, inquiens: Abner fugiens peremit Asael fratrem Joab se insequentem; nam aversâ hastâ percussit eum in inguine, & mortuus est. Post autem cùm Abner relicto Isbaal se Davidi tradidisset, Joab illum in Hebron dolore occisi fratris victus jugulavit non sine molestia Davidis, In cujus ille fidem confugiens oppressus fuerat, cap. II. Inde additur cap. III. *Facta est longa concertatio inter domum David, & inter domum Saulis. David proficiens, & semper se ipso robustior; domus autem Saul decrescens quotidie.* Quod ait:

Jugulari eum præcipit.) Scriptura habet: *jugulavit*. Sic enim cap. III. *Cùmque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei in dolo, & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem sanguinis Asaël fratris sui.*

Non sine dolore Regis, cujus fidem cruentaverat.) Sic enim dixit David: *Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum usque in sempiternum à sanguine Abner filii Ner, & veniat super caput Joab, & super omnem domum patris ejus. Dixit autem ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo; Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.*

DAVID REX SOLUS.

Per idem tempus omnes ferè.) Narrat deinceps, quas res gesserit David post adversarium Isbaal interfectum, tum cùm solus regnare cœpit. Interim Isbaal dolo à quibusdam interfectus est, & caput ad David in Hebron relatum, quod omisit Sulpicius. Tum verò universæ Tribus, & post seniores Israel venerunt ad David in Hebron, unxeruntque eum in Regem super Israel, cap. V. Ter autem, ut dixi, unctus est David, primùm per Samuelem cùm pasceret oves, iterum post necem Saulis, tertiùm nunc post necem Isbaalis.

Nam per septem annos in Chebron tantum regnaverat.) Quod ad annos regni Davidis pertinet, nihil explicatius est. Sic enim scriptum est cap. V. unde sumpsit Sulpicius: *Filius triginta annorum erat David, cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit. In Hebron regnavit super Judam septem annis, & sex mensibus, in Hierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel, & Judam.*

Allophylos in Regnum irruentes secundis prœliis repulit.) Hinc incipiunt res magnæ Regis David, qui omnes Hebræos virtute, & gloria superavit. Primum opus Davidis à Sulpicio omissum fuit, quòd statim à Regno suscepto Jebusæum pepulit ex Hierusalem, & quòd Arcem Sion occupavit, ibique habitavit; atque illam Civitatem David appellavit, & ut domum Cedrinam ibi sibi ædificaverit. Secundum fuit, quod profectos in se Palæstinos Dei ope fugavit, cap. V. Ab hoc tempore Hierusalem Regni Metropolis facta, jampridam à Deo sibi sedes electa.

(k) Tertium opus Davidis. Arcam Domini, quæ per XX. annos fuerat in Cariathjarim in domo Aminadab, ipse in Sion cum plausu retulit; & imposuit eam in loco suo in medio Tabernaculi, quod tetenderat ei, cap. VI. secundi Regum.

Cùmque ædificare Templum.) Quartum opus Davidis. Cùm otium ab inimicis haberet, dixit ad Nathan Prophetam: *Vides ne, quòd ego habitem in domo Cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem, omne quod est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum est. Responsum autem Dei fuit: Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum Regni ejus usque in sempiternum. Ego ero illi in patrem, ipse erit mihi in filium.* Quæ verba historicè de Salomone dicuntur, mysticè verò de Christo, teste S. Paulo in I. ad Hebræos.

(l) Quintum opus Davidis multa bella bene gesta continet, quæ breviter etiam prodita sunt cap. VIII. *Humiliavit Philisthæos, percussit Moab, percussit de Syria XXII millia virorum, & posuit præsidium in Syria Damasci, factaque est Syria Davidi serviens sub tributo; & tulit arma aurea, & æs multum, & detulit in Hierusalem, & posuit in Idumæa custodes, & facta est universa Idumæa serviens Davidi*, cap. VIII.

(448) Consobrinus Saulis: nam Ner pater Abner, erat frater Cis, qui pater Saulis.

(449) Nomen Viri tale 1. Par. VIII. 33. legitur. At in libris Samuelis Isboseth adpellatur.

(450) *Dare* pro *dedere*: ut supra non semel. Vide Notas in pag. 43.

(451) Qui sublatâ ad cœlum dexterâ, magna voce protestatus, quòd nec jubente se, nec conscio, cædes ea fuerit commissa. Ad hæc diris imprecationibus auctorem necis hujus execratus, & familiam ejus, & facinoris socios, præjudicio suo damnavit. Josephus.

(452) Idest Seniores. Nimirum *majores natu* dicuntur non tantùm, qui ante nos neque eodem tempore nobiscum vixerunt; sed qui ætate sunt provecti, & cùm ante nos vixerint, tamen & nobiscum vivunt. Nepos II. 2. 8. *Arcem paucis majoribus natu tradunt*. Miratur Drusius, cur adjecerit voculam *ferè*, cùm nemo excipiatur. Sed solemne hoc est Auctori nostro, ut eam voculam παρέλκουσαν faciat. Ut infra paragrapho posteriore bis.

(453) Coloniensis editio habet *servari*. Per *semen Davidis* intelligit filium ejus Salomonem. Estque modus loquendi Hebraicus, quòd filius dicitur semen. Sed vocabulum plerumque collectivum est, & plures notat. Est tamen, ubi perinde ut à nostro, de uno usurpatur. Gen. IV. 25. *Posuit mihi aliud semen pro Habele.*

(454) Adeò laxè voce hac Veteres Geographi usi sunt, ut etiam Assyriam sub ea comprehenderent. Mela I. XI. *Syria & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascus, & Adiabene, & Babylonia, & Judæa, & Sophene.* Idem Plinius V. 13., & alii antiquiores passim.

(455) Idest tributum. Sic infra: *laxare stipendium*. Qui tributum pendunt, *stipendiarii* adpellantur.

Bellum deinde (*m*) adversùm Ammonitas ex injuriâ (456) Chanun Regis eorum exortum. Syris denuò rebellantibus, qui cum Ammonitis in bellum conjuraverant, David summam rerum (457) Joab principi militiæ permiserat: ipse à bello remotus, intra Jerusalem commorabatur. Quâ tempestate Bersaben quamdam, (458) miræ fœminam pulcritudinis, stupro compertam (459) habuit. Hæc viri cujusdam uxor, qui tum in castris erat, fuisse traditur. Hunc David iniquo pugnæ loco objectum hostibus, (460) interficiendum curavit. Ita mulierem in matrimonio viduam, sed jam ex stupro gravidam, numero uxorum adgregavit.

Tum per Nathan Prophetam graviter increpitus, (*n*) licèt agnito errore, castigationem Domini non effugit. Namque filium ex furtivo illo concubitu editum, paucos post dies amisit, multaque in domum familiamque ejus execranda acciderunt. Ad extremum Absalon filius ejus

(*m*) Sextum opus fuit bellum Ammonitarum hac de caussa commotum. Mortuo Naas Rege Ammonitarum, qui amicus Davidis fuerat, misit David Legatos ad Ammon filium ejus, qui consolarentur eum. Ille eos exploratum venisse ratus, barbam eis præcidit, & vestes usque ad nates succidit, atque ita dimisit. Eam rem David iniquo animo tulit, ac propterea arma in eos paravit; qua re cognita Ammonitæ Syros stipendio conduxerunt. David misit ad bellum Joab ducem exercitus, ipse domi remansit; ex quo occasio facinoris patrandi oblata est, quod sequitur. Pro (*Chanum*) utraque versio habet *Hanum*.

Qua tempestate Bersaben quamdam miræ fœminam pulchritudinis stupro compertam habuit.) Interserit insigne Davidis non minus pœnitentiæ, quam intemperantiæ inter homines documentum. Intemperantia illa fuit: *Surrexit*, inquit Scriptura, *David de strato suo post meridiem, & deambulavit in solario domus regiæ, viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde; misit ergo Rex, & exquisivit, quæ esset mulier, nunciatumque ei, quòd ipsa esset Bersabee uxor Uriæ Hethæi. Missis itaque David nunciis tulit eam, quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea; statimque sanctificata est ab immunditia sua, & reversa est domum concepto fœtu. David autem accersivit Uriam ex castris; & Urias cum uxore non dormivit. Quare David eum ad exercitum remisit, mandans Joab, ut illum periculis objectaret, atque ita ibi in prælio pugnans occubuit. David autem uxorem ejus Bersabeam sibi matrimonio copulavit*; cap. XI. secundi Regum.

Interficiendum curavit.) Scriptis litteris ad Joab ducem in hæc verba: *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat.*

(*n*) Deinceps exponit calamitates à Deo Davidi illatas propter adulterium. Primùm Deus per Nathan Prophetam David increpuit his verbis: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in Regem super Israel, & erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Juda, & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me. Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixit Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris. Verum quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur*; & post: *Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, & desperatus est; deprecatusque est Dominum pro parvulo, & jejunavit, & ingressus seorsum jacuit super terram, & die septima mortuus est infans*, cap. XII. Alterum malum Davidi illatum, quod Ammon Davidis primogenitus sororem fratris sui Absalonis, & Davidis filiam stupro sibi subdidit, atque eum Absalon ad vindicandam sororis injuriam interfecit, & tribus annis in Gessur exulavit, inde revocatus rogatu Joab duobus annis conspectu patris caruit, demum admissus pacem impetravit, cap. XIII. Aliud malum fuit bellum ab Absalone adversùm patrem commotum, ut eum Regni fastigio deturbaret. Ea res sic perfecta est. Absalon sollicitatis Israelitis, qui in jus veniebant ad patrem, dixit, se ire velle in Hebron ad persolvenda vota, quæ fecerat, ut patris gratiam recuperaret, & permittente David abiit; atque ibi Regnum contra patrem, Israelitis ad eum confluentibus, occupavit. Qua re audita David fugit urbe Hierusalem, relictis decem concubinis; & Absalon ingressus est Hierusalem, contra quem armatum David misit Joab cum suis, inquiens: *Servate mihi puerum Absalon*. Prælio verò commisso accidit, ut Absalon occurreret exercitui David vectus mulo, & cùm subiisset quercum, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Quod ubi Joab comperit, accurrens lanceas tres in cor ejus infixit. Armigeri verò ejus confecerunt, cap. XVIII. atque hoc est, quod Sulpicius dixit: (*Sed ille sperata imperio parricidialis conatus ferro altus est.*)

Flebilis eo victoria fuisse Regi traditur.) *Nam David contristatus ascendit cœnaculum portæ, & flevit, & sic loquebatur, vadens, fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon?* Ibidem.

(456) Violatorum Legatorum. David quum fugeret Achisum Regem Geth, venit ad Naas Regem Ammon, & ab eo humaniter susceptus est. Ita ex traditionibus Hebræorum recenset S. Hieronymus. Nam in Scriptura hujus rei expressa mentio non est. Tantum dicitur: *Sicut fecit pater ejus Naas mecum misericordiam*. Hujus beneficii memoriâ motus David, filium ejus per legatos officiose consolatur, paternam cum eo amicitiam renovaturus. Contra novus Rex suspectate potentiam Davidis, & Legatos, abrasis ex parte barbis, cum ignominia dimittere. Hæc justa belli caussa. Legati enim sunt

---- *Sanctum populis per secula nomen.*
Statius.

Et jus Legatorum cum hominum præsidio munitum, tum etiam divino jure est vallatum. Cicero de Haruspic. Respons. Nec aliam caussam justiorem existimat idem Cicero adversus Mithridatem. Ob legatos contumeliose habitos Romani bella sumpsere in Tarentinos, Illyrios, Ligures, Senonas, Issios, Corinthios, aliæque Gentes idem fecerunt.

(457) *Summa rerum* pro summâ imperii, pro summo imperio; nec tantùm absoluto & ἀνυπευθύνῳ, sed & quod alterius imperio subest. Nepos XVIII. 5. *Rerum summa ad Antipatrum defertur*. Idem XIV. 3. 5. *Posteaquam Pharnabazum Rex revocavit, illi summa imperii tradita est*. Alibi *summam belli* vocat idem Nepos. Ut XVI. 5. 3. *Cujus belli cum ei summa esset data*. Vocant eti in *summam rem* & *summas res*. Vide Ind. in Nep. & supra Notas in pag. 48. Porrò *principem militiæ* vocat, quem alii Imperatorem dicunt: & *permittere* dicit pro *committere*. Quâ notione & Nepos XXII. 1. 3. dixit: *permittere aliquid alicujus arbitrio*.

(458) Pro *quamdam nomine Bersaben*. Vide supra Notas in pag. 67. Deinde *Bersaben* dicit pro *Bersabam*, secutus rursus Interpretes Græcos, qui habent Βηρσαβεέ. Infra in pagina 72. legitur *Bersabee*; prorsus, ut Interpretes Græci habent.

(459) Ut Hebræi suum ידע, & Græci suum γινώσκειν, ita Latini suum *cognoscere* de re Venereâ usurpant. Ovidius lib. IV. Metam. *Ille sua lambebat conjugis ora: Inque sinus caros veluti cognosceret ibat*. Turpilius apud Nonium: *Mulier meretrix, quæ me quæstûs causâ cognovit sui*. Atque ita non tantum vir, sed & fœmina cognoscere dicitur. Noster pro *cognoscere* utitur verbo *comperire*, atque *stupro compertam* pro *stupro cognitam*. Aliud autem est *stupro compertam*; videlicet manifestam & quasi convictam: quomodo Livium atque Justinum locutos esse Freinshemius Indice in Justinum. V. *comperta* notavit.

(460) Ita jussus erat Joab per literas, quas ipse Urias miser, & ignarus, attulerat. Sic Prœtus Bellerophonti dedit literas ad Jobaten, quibus Bellerophontis nex mandabatur. Homerus, & alii. Eadem Sanchez, fabulam de Bellerophonte ex hoc casu Uriæ derivatam. Quin & frequens hoc in Scriptoribus proverbio, ut pluribus S. Clemens Alexandrinus id demonstrat.

ejus arma impia adversùs patrem sustulit, Regno eum depellere cupiens. Adversùs hunc Joab acie conflixit, admonitus à Rege, ut victo parceret. Sed ille spreto imperio, parricidiales conatûs ferro ultus est. (461) Flebilis ea victoria fuisse Regi traditur: Tanta in eo pietas erat, ut etiam parricidæ filio ignosci voluerit.

Vix hoc bellum (o) exstinctum videbatur, aliud rursum exortum, (462) Sabæa quodam duce, qui pessimum quemque ad arma incitaverat. Sed properè motus omnis morte ducis repressus.

Crebra deinda adversùs Allophylos David prœlia secundo eventu habuit: (p) cunctisque bello domitis, & tam exteris quàm domesticis motibus compressis, florentissimum Regnum in pace habebat.

Tum eum subita cupido incessit, ad metiendas imperii vires populum censere. (q) Ita à Joab militiæ Magistro, decies centena & trecenta civium millia dinumerata. Hujus eum facti mox piguit, pœnituitque, (463) veniam à Domino petens, cur in id animos extulisset, (464) ut Regni sui potentiam ex suorum potiùs multitudine, quàm ex favore divino æstimaret. Itaque missus ad eum Angelus, (465) trinam ei pœnam denunciat, datque arbitrium unam eligendi. Sed propositâ triennii fame, trium mensium fugâ, morte tridui: fugam & famem detestatus, mortem elegit, (466) momentoque temporis LXX. millia virorum interere. Tum David videns Angelum, cujus dexterâ populus prosternebatur, veniam precari, seque vivum pro omnibus (467) pœnæ objicere: se dignum exitio, quia ipse peccasset. Ita aversum plebis suppli-

(o) Allud bellum suscitavit Seba, inquiens: *Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai, revertere in Tabernacula tua Israël. Et separatus est omnis Israel à David, sequutusque est Seba filium Bochri. Viri autem Juda adhæserunt Regi suo à Jordane usque Hierusalem. Jussu Davidis Joab obsedit oppidum Abelae, cùmque oppidani caput Sebæ, quod unum petebatur, ad eum tulissent, ab obsidione recessit*, cap. XX. Qui verò *Sebas* in Hebræa lectione dicitur, in Græca *Sabee* vocatur, quam sequutus est Sulpicius, apud quem legendum videtur (*Cùm aliud*)

(p) Quatuor inde bella contra Palæstinos à Davide gesta tradit Scriptura, unum irrumpentibus Palæstinis in Israel, secundum, & tertium in Gob contra eosdem, & quartum in Geth, atque omnibus in locis bene pugnatum a Davide, capite XXI.

(q) Sequitur opus pacis, sed Deo invisum, recensio populi; qua censa sunt decies centena & trecenta civium millia. Dixit autem ad Joab Principem exercitus sui: *Perambula omnes Tribus Israel à Dan usque Bersabee, & numerate populum, ut sciam numerum ejus. Dedit inde Joab numerum descriptionis populi Regi, & inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, & de Juda quingenta millia pugnatorum*, capite XXIV. secundi Regum.

Hujus mox facti piguit, pœnituitque.) Sic enim dixit: *Peccavi valde in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.* (*Veniam petens, cur*) pro *veniam, quod.*

Itaque missus ad eum Angelus.) Deus statim peccatum pœna debitâ vindicavit. Nam per Angelum optionem Davidi dedit, ut ex tribus malis unum eligeret, famem trium annorum, fugam trium mensium, & pestilentiam trium dierum, ille pestilentiam optavit, qua statim LXX. virorum millia periere; at David precibus placato Deo reliquum populum incolumem conservavit. Quod inquit (*Angelum missum*) Scriptura inquit: *missum esse Gad Prophetam, & Videntem.*

Trinam et pœnam denunciat.) Sic enim dixit Dominus: *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi; aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur, aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Quod autem Hebræus habet in libris Regum *septem annis*, idem in Paralipomenis una cum Græco refert, *tribus*, ut fecit Sulpicius cap. XXI.

Angelus, cujus dextera populus prosternebatur) *Angelum percutientem* vocat Scriptura.

Veniam precari, seque unum pro omnibus pœna objicere.) Dixit enim: *Ego sum, qui peccavi; & ego inique egi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Idem ait in Regibus, & in Paralipomenis.

David in loco, in quo Angelum viderat, aram Domino statuit.) Nampe in area Areuna Jebusæi: *cum ab Areuna aream, & boves emisset argenti siclis quinquaginta, ibi ædificavit Altare, & obtulit holocausta, & pacifica, & placatus est Deus, & plaga cessavit.*

Mox annis & morbo infractus) Expressit verba prima tertii Regum: *Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos annos, cùmque operiretur vestibus, non calefiebat.*

Salomonem filium ex Bersabee Uria uxore susceptum successorem Regni constituit.) Cùm audisset, Adoniam filium suum ex Aggith Regnum usurpasse, rogatu Bersabees uxoris Regnum Salomoni filio destinavit, ac Sador Pontifici, & Prophetæ Nathan, ut illum Regem ungerent, imperavit. Ea res in Gihon magna ceremonia est perfecta, cùm Israel, & Juda Regem Salomonem acclamassent, Adonias sibi timens in Tabernaculum confugit, cap. I & II tertii Regum.

David cùm regnasset annos XL. defunctus est.) Regnavit annos VII. in Hebron, & annos XXXIII. in Hierusalem. Ibidem.

(461) Prœlio commisso accidit, ut Absalon occurreret exercitui David, vectus mulo, & quum subiisset quercum, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Quo comperto, Joab accurrens, lanceas tres in cor ejus infixit, eumque armigeri confecerunt.

(462) Sigonius voculam *cùm* excidisse putat, legendumque: *cùm aliud rursum exortum*. Ita *cum* non initio periodi, sed in illâ mediâ positum esset: cujus rei supra quoque exempla vidimus.

(463) Religio erat veteribus numerare populum, quod Davidi etiam malè cessit. Ideo quum vellent inire numerum ejus, singuli dabant lapidem, aut agnum, qui postea numerabantur, atque ita sciebant quanto numero essent. Ita Kimchi, & Rabbi Eliezer: quæ tamen ineptiæ Rabbinorum sunt. Licuit numerare populum bello imminente, vel ob aliam necessariam caussam: non licuit ad superbiam & ostentationem id facere. Hinc dicit Josephus, Gad Prophetam, aliosque Davidi ostendisse, quod peccasset.

Participium casûs recti cum proximo antecedente non congruit: cujus rei & alibi exempla observasse memini; quæ tamen nunc non succurrunt.

(464) Legendum omnino: *Quòd in id animos extulisset*, uti Sigonius monuit.

(465) Prophetam Gad ita vocat, quòd sciret Prophetas quoque in Sacris literis מלאכים ἀγγέλους, idest, nuncios, Dei puta ad homines, adpellari.

(466) Idest pestem. Hoc ex LXX. hausit Josephus: *Rex cogitans, quòd si famem peteret, sui magis, quàm aliorum rationem habuisse videri posset, quandoquidem ipsi nihil periculi esset, multum frumenti in horreis habenti, aliis non item. Quod si per tres menses ab hoste victus elegisset, sic quoque sibi consuluisse, qui artem & fortissimam circa se cohortem haberet: optavit malum regnantibus æquè ac regnatis commune, in quo omnibus par metus immineret.* Vide etiam S. Jo. Chrysostomum Hom. XXIX. in Epist. ad Romanos.

Mortem vocat pestilentiam. Interpres vetus ipsu vocabulo *pestilentia* usus vertit: *Aut certè tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ.* Alibi verò & ipse pestilentiam *mortem* dicit; nimirum Ps. XCI. 3.

(467) Legendum sine dubio: *se unum pro omnibus* uti Drakius conjecit.

plicium: David in loco, in quo Angelum viderat, aram Domino statuit. Mox annis & morbo infractior, (468) Salomonem filium ex Bersabee Uriæ uxore susceptum, successorem Regni constituit. Is regali ungnento per Sadoc Sacerdotem unctus, patre adhuc incolumi, Rex adpellatus. David, cùm regnasset annos XL., defunctus est. (469)

SALOMON REX.

Salomon initio Regni urbem muro circumdedit. (r) Huic per soporem (470) adstare Dominus visus est, petendi quæ vellet tribuens optionem. Sed ille non aliud sibi quàm sapientiam dari poposcit, reliqua omnia parvi æstimans.

Ita somno excitatus, cùm ante sacrarium Domini constitisset, (ſ) indultæ sibi à Domino sapientiæ documentum dedit. Namque duæ mulieres unà in domo diversantes, cùm eodem tempore pueros edidissent, atque ex his alter post diem tertium nocte obisset, mater defuncti somno alterius insidiata, mortuum suum supposuit, viventem abstulit. Inde inter eas de puero altercatio, postremò res ad Regem delata: difficilis judicii absolutio inter negantes, ubi testis deerat. Tum Salomon divinæ sapientiæ munere perimi puerum, corpusque ejus dividi inter ambigentes jubet. Cùmque una earum judicio adquievisset, alia verò cedere potiùs puero quàm discerpi eum mallet, (471) Salomon ex adfectu feminæ hanc verè matrem esse conjectans, puerum illi adjudicavit, non sine circumstantium admiratione: siquidem latentem veritatem prudentiâ protulisset. Ita in admirationem ingenii prudentiæque ejus Reges vicinarum gentium amicitiam ab eo, fœdusque petiere, parati imperata facere.

Quis opibus confisus, (t) Templum Domino (472) immensi operis facere adgressus, paratis per triennium impendiis, quarto ferè (473) imperii anno primum fundamentorum jecit: à pro-

(r) Jam res Salomonis Regis aggreditur, ut urbem muro cinxerit, inter duas mulieres sapienter judicarit, Templum construxerit, atque in Deum deliquerit. De ædificatione murorum sic capite III. libri III. Regum: *Salomon duxit uxorem filiam Pharaonis Ægypti, & adduxit in Civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Hierusalem per circuitum.*

Huic per soporem adstare Dominus visus est, petendi, quæ vellet, tribuens optionem; sed ille non aliud sibi, quàm sapientiam, dari poposcit.) De Sapientia ejus addit ibidem: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: Postula, quod vis, ut dem tibi. Cui Salomon: Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum. Cui Deus: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Eadem sunt in Paralipomenon lib. II cap. I.

(ſ) Judicium affert Salomonis in argumentum incredibilis acceptæ divinitus sapientiæ, quod ille tulit inter duas mulieres de nece filii parvuli contendentes. Res vulgo nota etiam verbis Sulpicii est illustrior. Quod vocat (*sacrarium*) Scriptura vocat *Arcam fœderis*. *Cùm astitisset ante Arcam fœderis Domini, & obtulisset holocausta*, lib. III. cap. III. Regum.

Reges vicinarum gentium) Significat Hiram Regem Tyri, qui fama sapientiæ motus misit ad eum Legatos ad renovandam amicitiam, quæ cum patre ejus Davide fuerat.

(t) De Templo constructo agere orditur. Ceterùm Deus à principio mandavit, ut Tabernaculum fieret, ut in eo sibi sacrificaretur. Hoc non ab omnibus observatum est. Sed multi jam inde sub Judicibus patiente Deo in Excelsis sacrificarunt, in primisque Salomon. De quo sic scribitur cap. III. lib. III. Regum: *Dilexit Salomon Dominum ambulans in præceptis patris sui, excepto, quod in excelsis immolabat, abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi, illud quippe erat excelsum maximum.* Inde jussu Dei pro Tabernaculo magnificentissimum Templum institum, in quo item Arca reponeretur, & sacrificia fierent, perinde atque in Tabernaculo consueverit. S. Augustinus super Judices libro VII. capite LXXI. *Tanta consuetudo præter Tabernaculum sacrificandi crebuerat, ut etiam Salomon in excelsis sacrificasse inveniatur, nec ejus sacrificium fuisse reprobatum. Et tamen notantur Reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, ubi contra Legem Dei populus sacrificare consueverat, & qui destruxit, majore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qui præter ejus Tabernaculum tamen non diis alienis offerebat, sed Domino Deo suo, sustinebat potiùs, quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Hoc Templum fundari cœptum est anno quarto ejus, & anno undecimo perfectum. Itaque septem annis totum opus completum est, ut scriptum est cap. VI. Positum autem Templum fuit in monte Moria, qui demonstratus fuerat patri ejus. Paralipomenon lib. II. cap. III. Montem autem Moriam collem unum fuisse montis Sion opinor; in altero colle humiliore fuisse Arcem. Nam Josephus loquens de Templo libro XV inquit: *Collis erat saxosus paulum erectus à parte Orientali Civitatis promus super Arcem, quam Salomon muro cinxerat, ab inferioribus incipiens, quem vallis altissima circumdabat.*

A profectione Hebræorum ex Ægypto anno fere octavo, & octogesimo, & quingentesimo.) Ego tamen invenio tantùm ex supputatione ejus annos DX. hoc modo:

In Deserto mansere annos XL. Josue præfuit annos XXVII. Judices usque ad mortem Samsonis annos CCCXXXIX. ut supra monstratum est. Heli annos XX. ex Sulpicio. Samuel cum Saule annos XL. ex ipso Sulpicio. David annos XL. Salomon annos IV.

Lucet

(468) *Infractior* pro simplici *fractus*, à verbo *infringo*. Ita optimi quique. Imò verò nunquam aliter: ut in libro de Latinitate merito suspectâ amplius monebo. Supra quoque pag. 53. dicit: *infractis suorum viribus.*

(469) Sepelivit eum filius Salomon Hierosolymis magnificè, præter solennia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum ejus maximis divitiis, quarum magnitudinem facilè est conjectare ex hoc, quod dicemus. Nam post annos CCC. Hyrcanus Pontifex, oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret, nec valens aliunde sumere, apertâ cellâ Davidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes Rex, aliâ cellâ apertâ, magnam pecuniam sustulit. Ad loculos autem, ubi Regum cineres erant, neuter pervenit. Singulari enim arte ita erant sub terram conditi, ut ab ingredientibus monumentum inveniri nequirent.

(470) Sic & supra pag. 25. *per soporem vidisse*, Vide Notas ad dict. pag. num. 100.

(471) Potiùs hic παρέλκει. *Mallet* enim est pro *magis vellet*. Deinde *cedere puero* dicitur, ut *cedere regno*: & subaudiendum est vocabulum casûs tertii. Justinus lib. XXXI. cap. 5. *Sin vero quis illos Italia velut fonte virium cesserit.* Item lib. XXIX. 2. *Cedere se illi Regno, quod Romani occupaverint.* Sed dicunt etiam *cedere alicui Regnum*. Idem Justinus lib. X. c. 2. *Hanc partem cedere sibi, sicuti Regnum, Darius postulaverat.*

(472) In monte Sion, qui tres colles complectebatur. Unus peculiariter Sion; alter Moria, tertius Acra dictus. In uno civitas David, in altero Arx, in tertio Templum fuit. Nihil rerum Judaicarum pulcrius, nihil magnificentius fuit, nec quod magis celebratum monumentis omnium sit, quam illud immensæ opulentiæ Templum, quod in urbe Hierosolymorum extructum, dedicatumque a Salomone est. Ejus descriptio luculenta apud Flavium Josephum extat in octavo Antiquitatum libro, quam vide.

(473) Vocula *fere* παρέλκει; cujus rei & supra pag. 69. exemplum adparuit. Sanè I. Reg. VI. disertè scriptum est, ipso anno quarto imperii Salomonis Templum ædificari cœptum fuisse.

profectione Hebræorum ex Ægypto anno ferè octavo & octogesimo (474) & quingentesimo. Licet libro Regnorum III M. CCCC.XL. fuisse referantur: quod nequaquam convenit. Siquidem per seriem superiùs comprehensam facilius fuerit, ut minùs fortassis annorum, quam ampliùs, adnotârim. Sed non dubito, librariorum potiùs negligentiâ, præsertim tot jam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quàm ut Propheta erraverit. Sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuriâ, quæ non incuriosè à nobis sunt digesta, vitientur. Igitur Salomon cœptum Templi opus vigesimo anno explicuit. Celebrato deinde ibidem sacrificio, (475) dictâque oratione, quâ populum Templumque benedixit, Dominus ad eum locutus est, denuncians fore, si quando peccassent, ac Dominum reliquissent, Templum illud solo æquandum. (476) Quod jampridem impletum videmus, & mox connexum rerum ordinem exponemus.

Interea Salomon florens (a) opibus, omnium qui unquam fuerant Regum ditissimus: quique semper ordo rerum est, ab opibus in luxum & vitia delapsus, cùm adversùm interdictum Dei ex alienigenis conjugia (477) sumsisset, etiam septingentas uxores & trecentas concubinas (478) haberet, idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quibus rebus aversus

Licet libro Regum tertio CCCCXL. fuisse referantur) Capite VI. libro III. Regum in Codice Hebræo numerantur anni CDLXXX. in Græco CDXL. quæ res torquet multos, qui cœlum terræ miscere malunt, quam, ut aliquid vitii, vel humana contractum incuria in sacris libris afferant. Sulpicius autem natus unte annos mille ducentos librariorum negligentiâ mendosa multa in sacris libris facta esse, præsertim in numeris censet, idque ne in suis aliquando eveniat, timet, aut potius prævidet. Neque enim quidquam apud eum numeris est vitiosius. Nonnulli verò post tot annorum spatia, multaque literarum detrimenta, omnia benè habere defendunt, ac sophisticis rationibus syncritatem historicæ veritatis corrumpunt. In numeris autem annorum Regum Juda, & Israel tanta diversitas, atque aliquando absurditas est, ut tutius esse videatur, confiteri eos librariorum culpâ aliquando vitiosos esse, quam ad ineptas interpretationes, & solutiones confugere. Diversitas autem apparet, non solum si ipsi numeri librorum Regum per se spectentur, sed etiam multo magis, si cum numeris librorum Paralipomenon conferantur. Qua de re alibi differemus, & viam ad errores tollendos aperiemus.

Igitur Salomon cœptum Templi opus vicesimo anno explevit) Non videtur rectè expressisse sententiam Scripturæ Sulpicius. Nam capite sexto scriptum est, domum Domini anno quarto fundatum, undecimo perfectam esse, idque opus septennio consummatum; & capite octavo, Salomonem domum suam ædificasse annis tredecim, atque absolvisse. Hic verò utrumque annorum spatium ad Templi ædificationem accommodavit, septem inquam, ac tredecim, ac viginti effecit.

Celebrato deinde ibidem sacrificio) Sacrificium est cap. VIII. *Igitur Rex, & omnis Israël cum eo immolabant victimas coram Domino, mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti milia, & ovium centum viginti millia.*

Dicta oratione, qua populum, Templumque benedixit) Hæc Oratio multis verbis effata in eodem capite reperitur: *Stetit Salomon ante Altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in Cœlum, & ait: Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in Cœlo desuper, & super terram deorsum*, & quæ sequuntur. Neque enim propter longitudinem describenda videtur. Summa autem precationis fuit, ut populum in rebus suis dubiis, atque afflictis opem ejus in illo Templo implorantem exaudire vellet in cœlo. Inde cap. VIII. sequitur: *Eodem etiam tempore Arcam Domini detulit de Civitate David, idest, de Sion, & Tabernaculum Fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in Tabernaculo, in Templum; & intulerunt Sacerdotes Arcam Fœderis Domini in locum suum in Oraculum Templi, in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim. In Arca verò non erat aliud, nisi duæ Tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.* Velum autem, ut in Tabernaculo, sic in Templo dividebat Sancta Sanctorum à Templo, quod in morte Christi scissum est.

Dominus jampridem locutus est denuncians fore) Verba denunciationis hujus hæc fuerunt capite XI. *Si aversione aversi fueritis vos, & filii vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis, & colueritis deos alienos, & adoraveritis eos, auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis; & Templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo.*

Quod jampridem impletum videmus) Templum bis eversum est, primùm per Nabucdonosorem Regem Babyloniæ, tum cùm à Deo defecissent, iterum per Vespasianum Imperatorem Romanum, postquam Jesum Christum Deum, & Dei Filium necaverunt. Inquit enim *jampridem impletum videmus*, quia Templum eversum est anno Christi LXXI. ipse verò scripsit anno Christi CD.

Et mox connexum rerum ordinem exponemus) Significat, se suo loco hanc rem literis proditurum; nempe cùm ad tempora Vespasiani explicanda pervenerit.

(a) In maxima rerum prosperitate Salomon quoque, ut patet, peccavit. Nam conjuges ex alienigenis sibi sociavit, & idola habere, quibus more gentis suæ sacrificarent, permisit, atque ita Deum offendit; unde ultionem à Deo meruit. De potentia Salomonis agitur capite X. ubi ad extremum scribitur: *Magnificatus est ergo Salomon super omnes Reges terræ divitiis, & sapientia; & universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat ei Deus in corde ejus; & singuli deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos per annos singulos. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum*, cap. XXIX. lib. I. Paralip.

Cum adversus interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumpsisset) Capite XI. *Adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, & Sidonias, & Cethæas; super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras. Certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.*

Etiam

(474) Textus originalis Hebræus I. Reg. VI. habet: *anno quadringentesimo & octogesimo* ab egressu Israëlitarum ex Ægypto Templum ædificari cœptum esse. Neque aliter versio Latina vetus. Sed nec versio Græca à textu originali tantùm discrepat, quantum noster Auctor. Ejus enim editio Romana, quam & Londinensis sequitur, habet: Ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου υἱῶν Ἰσραήλ. Et sanè codices Græcos tales, qui sic, ut editio Romana habet, haberent, noster inspexisset. Subjicit enim: *Licet libro regnorum tertio CCCC. XL. fuisse referantur*. Verùm minimè ei hæc placent; dicitque, ea *nequaquam convenire*; & *librariorum negligentiâ veritatem corruptam fuisse*. Debuisset autem suam annorum supputationem ei numero, qui I. Reg. VI. expressus est, potiùs accommodare, quàm propter suam supputationem hunc corruptum dicere.

(475) De Encæniis Templi Hierosolymitani vide annotata ad Rempublicam Hebræorum suo loco, & ibidem, quænam ex illis fuerint anniversaria.

(476) Pro *denuncians fore, ut Templum illud solo æquetur*. Ergo nota temporis futuri hic duplex est, & in voculâ *fore*, & in voce *æquandum*. Nam *æquandum* est pro *æquandum esse*: & *æquandum esse* pro *æquatum iri*. Solemne enim est nostro, participio passivo temporis futuri uti pro verbo infinito ejusdem temporis. Cujus generis plurima notavimus supra, & infra quoque non pauca observari poterunt.

(477) *Conjugia* pro conjugibus, uxoribus; ut supra *matrimonia* pro iisdem, abstractum scilicet pro concreto. Vide supra pag. 51. & in illam Not. 305.

(478) Duplex ergo crimen commisit: primo quòd multas ingenti numero, barbarico more, contra interdictum, Deuter. XVII. 17. Deinde, quòd Sidonias, idest Cananæas, & Hethæas uxores duxit, contra item interdictum, Deuteronomii VII. 3.

ſus Dominus, graviter increpito pœnam denunciavit, fore ut Regnum ex parte majore ademtum filio, ſervo illius traderetur. Idque ita accidit.

DIVISIO REGNI ISRAELITARUM IN JUDAM, ET ISRAEL.

RDBOAM REX JUDÆ.

Defuncto Salomone (x) anno imperii quadrageſimo, cùm Roboam filius, anno ætatis ſexto & decimo (479) Regnum patrium tenere cœpiſſet, pars populi ab eo offenſa diſcedit. Etenim cùm laxari ſibi ſtipendium (480) popoſciſſet, quod Salomon graviſſimum impoſuerat, repudiatis precibus ſupplicum favorem univerſæ plebis averterat. (481) Itaque conſenſu omnium, imperium ad Jeroboam defertur. Is medio genere ortus, (482) aliquamdiu Salomoni ſervitutem pependerat. (483) Sed cùm ei reſponſo Achiæ Prophetæ Regnum Hebræorum adnunciatum comperiſſet, necare eum clam deſtinaverat. Quo ille metu in Ægyptum confûgit: ibi-

Etiam ſeptingentas uxores, & trecentas concubinas haberet) Capite XI. *His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. Fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & Concubinæ trecentæ, & averterunt mulieres cor ejus.*

Idola eis ritu gentium ſuarum, quibus litarent, conſtituit) Ibidem: *Cùmque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur deos alienos. Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus; ſed colebat Salomon Aſtarthem deam Sidoniorum, & Camos deum Moabitarum, & Meloch idolum Ammonitarum, & ædificavit fanum Camos idolo Moab, & Meloch idolo filiorum Ammon, atque ita fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis ſuis.*

Quibus rebus averſus Dominus) His rebus Iratus Deus Salomoni ſic dixit: *Quia non cuſtodiſti pactum meum, ſcindam Regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum; de manu filii tui ſcindam illud, nec totum Regnum auferam, ſed Tribum unam dabo filio tuo propter David ſervum meum, & Hieruſalem, quam elegi.* De morte inde Salomonis, capite XI. *Dies, quos regnavit Salomon in Hieruſalem ſuper omnem Iſraël, quadraginta anni ſunt, dormivitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Civitate David patris ſui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.*

(x) Ab hoc tempore inita diviſio Regni Hebræorum, ſive Iſraëlitarum, qui Davidi, & Salomoni paruarant, & ex uno duo effecta ſunt ea ratione, quæ demonſtrabitur. Unum Judæ, quod obtinuit Roboam filius Salomonis; alterum communi nomine Iſraël appellatum, cui præfuit Jeroboam ſervus ejus. Ceterùm cùm duodecim eſſent Tribus, duæ Benjamin, & Juda in unum Judæ nomen conjectæ, decem aliæ Iſraëlis nomine appellatæ ſunt. Levi verò Tribus relictis Urbibus, quas habebat inter decem Tribus, in Tribum Judæ, & Benjamin, ut vicina Templo eſſet, ſe contulit, ut ſcriptum eſt cap. XI. ſecundi Paralip. & apud S. Auguſtinum libr. XVII. de Civitate Dei, cap. XXI. *Tribus X. quas accepit Jeroboam ſervus Salomonis, Rex eas in Samaria conſtitutus, propriè vocabantur Iſraël, quamvis hoc univerſi populi nomen eſſet. Duabus Tribubus Juda & Benjamin, quæ propter David, ne Regnum ſtirpis ejus fuiſſet eradicatum, remanſerant ſubjacentes Civitati Hieruſalem Judæ nomen fuit, quia ipſa erat Tribus, unde David. Benjamin Tribus altera ad id Regnum pertinens erat, unde fuit Saul Rex ante David. Sed ſimul iſtæ duæ Tribus Juda vocabantur, & hoc nomine diſcernebantur ab Iſraël, quæ appellabantur decem Tribus habentes ſuum Regem. Nam Tribus Levi, quoniam Sacerdotalis fuit, Dei, non Regum, ſervitio mancipata, tertia decima numerabatur. Joſeph quippe unus è XII. filiis Iſraël non unam, ſicut cæteri ſingulas, ſed duas Tribus fecit Effrem & Manaſſem. Veruntamen Tribus Levi ad Regnum Hieroſolymitanum pertinebat magis, ubi erat Templum Dei, cui ſerviebat.* Poſt obitum ergo Salomonis diviſum eſt Regnum Hebræorum, ſive Iſraël, univerſo populo in duas partes ita diſtracto, ut duæ Tribus Judæ, & Benjamin una cum Roboam Salomonis filio remanerent, reliquæ verò ad Jeroboam Nabath filium ex Tribu Ephraim ſe conferrent. Quod porrò inquit: Roboam (*anno ætatis ſextodecimo*) Regnum iniiſſe, videri mendoſum poteſt. Nam XIV. tertii Regum, & XII. ſecundi Paralipomenon ita ſcriptum eſt: *Quadraginta & unius anni erat Roboam, cùm regnare cœpiſſet, & decem ac ſeptem annis regnavit in Hieruſalem.* Error autem ex inde ortus XLI. & XVI. L litera in V verſa.

Etenim cùm laxari ſibi ſtipendium popoſciſſet) Cauſſa, cur decem Tribus à Roboam diſceſſerint, fuit, quòd rogatus, ut grave tributum Hebræis a patre Salomone impoſitum relaxaret, conſilium ſequutus juvenum, preces Hebræorum repudiavit, inquiens: *Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*, III. Reg. & II. Paralip.

Itaque conſenſu omnium Imperium ad Jeroboam defertur) Sic III. Reg. cap. XII. *Factum eſt autem, cùm audiſſet omnis Iſraël, quod ex Ægypto reverſus eſſet Jeroboam, miſerunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſraël.*

Is Salomoni ſervitutem aliquandiu pependerat) Repetit ea, quæ Jeroboam, vivente Salomone, paſſus fuerat, exprimens illa verba Regum: *Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem patris ſui David. Erat autem Jeroboam vir fortis, et potens. Videnſque Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituerat eum Præfectum ſuper tributa univerſæ domus Joſeph*; & alibi: *Jeroboam filius Nabath Ephrateus de Sared ſervus Salomonis levavit manum contra Regem.* Hoc autem facilè diſcere Salomon potuit; quia Achias Propheta ſumpta veſte ſua, & in duodecim partes ſciſſa, Jeroboam monuit, ut decem partes ejus ſibi vindicaret. Sic enim placere Deo, ut ille Regni Salomonis decem Tribus haberet, filius verò Salomonis unam: III. Reg. cap. XI. Conſuevit autem Deus poſthac Iſraëlitis omnes eorum caſus ſive proſperos, ſive adverſos per Prophetas prænunciare; quos illi fermè contemni habuerunt. Itaque abhinc uſque ad tranſmigrationem in Babyloniam magnus Prophetarum proventus fuit.

Quo ille metu in Ægyptum confugit) Significat, Jeroboam metu Salomonis illi propterea inſidias comparantis profugiſſe in Ægyptum. Sic enim ſcriptum eſt ibidem: *Voluit Salomon interficere Jeroboam, qui ſurrexit, & aufugit in Ægyptum ad Suſac Regem Ægypti, & fuit in Ægypto uſque ad mortem Salomonis.* Qua re cognita demum regreſſus

Vo-

(479) Manifeſtè falſum. Pueat autem Druſius, Auctorem ſcripſiſſe: *anno ætatis XLI.* quoto anno ætatis ipſum cœpiſſe regnare ex II. Paralip. XII. 13. conſtare poteſt. Facilem enim lapſum fuiſſe de XLI. in XVI.

(480) I. Regum XII. Joſephus VIII. 3. Salomon immane populo tributum impoſuerat. Ejus levamentum poſcit populus ſub novo Rege, nec impetrat: quippe ab aſſentatoribus corruptus duriora minabatur. Tacitus: *Adulatio perpetuum malum Principum, quorum opus ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis, evertit.* Solenne autem & inter novi imperii firmandi arcana eſt, tributum populo remittere: Sic Magi apud Juſtinum libro III.

(481) Legendum fortaſſe; à ſe averterat,

(482) Neque plebejo prorſus, nec tamen regali; ſed inter utrumque medio.

(483) I. Reg. XI. 26. & II. Paralip. XIII. 6. Jeroboam Salomonis ſervus vocatur; qui rebellaverit contra Regem; quemque Rex deſtinaverit interficere. Ceterùm ut hic dicit *ſervitutem pendere*, ita ſupra dixit: *captivitatem pendere*; & infra: *ſervitium pendere*. Ipſa phraſis autem dubito an ſatis apta huic loco ſit. Etſi enim legitur, Jeroboamum Salomonis ſervum fuiſſe, non tamen putandum, Salomonem tamquam mancipio uſum eo fuiſſe; ſed ut Miniſtro Aulico, eòque non poſtremo. Sane I. Reg. XI. 28. legitur, Salomonem præfeciſſe illum omni oneri domus Joſephi,

ibique uxore acceptâ, ex ſtirpe regiâ, cognitâ demum Salomonis morte, in ſolum patrium regreſſus, voluntate populi, ut ſupra retulimus, ſumſit imperium. (484) Penès Roboam tamen duæ Tribûs, Judæ & Benjamin, reſederant: ex his ad trecenta millia (485) paravit exercitum. Quumque acies promoverentur, verbis Dei (486) populus admonetur, prœlio abſtineret, (487) ex ſuo nutu Jeroboam Regnum accepiſſe.

JEROBOAM REX ISRAEL.

Ita ſpreto Regis imperio, (y) exercitus dilapſus: Jeroboam imperium invaluerat. Sed cùm Hieroſolymam Roboam obtineret, ubi Templo à Salomone facto populus ſacrificare Domino conſueverat: veritus Jeroboam, ne ab eo plebem religio averteret, ſtatuit animos ejus ſuperſtitione occupare. Itaque vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan conſtituit, quibus populus litaret: Sacerdoteſque, omiſsâ Levi Tribu, (488) ex plebe inſtituit. Inviſum Domino flagitium expoſtulatio conſecuta. Crebra deinde inter Reges prœlia: dubio eventu Regnum obtinebant. Roboam ſeptimo & decimo imperii anno exacto, vitâ functus eſt. (489)

ABIA

Voluntate populi, ut ſupra retulimus, ſumpſit imperium) Ejus Regnum decem Tribuum, & Iſraël à majore populi parte vocatum eſt. Quare id nomen, quod omnibus Tribubus Hebræorum erat commune, dum hoc manſit diſſidium, in decem Tribubus fuit proprium.

Penès Roboam tamen duæ Tribus Juda, & Benjamin reſederunt) Quippe Tribus Juda eum non deſeruit propter ſanguinis conjunctionem. Tribus autem Benjamin, quia ipſi Tribui Judæ juncta erat. Verùm quoniam ipſa non magnas opes habebat, propterea eodem loco ſcriptum eſt: *Nec ſecutus eſt quiſquam domum David præter Tribum Juda ſolam*. Inde Regnum duarum Tribuum, & Regnum Judæ appellatum.

Ex his ad trecenta millia paravit exercitum) Nempe ut bellum inferret ipſi Jeroboam, qui decem Tribus ipſas à ſe averterat. Apud Sacros autem libros, unde hæc ſumpta ſunt, centum octoginta millia ſcriptum eſt: *Venit autem Roboam Hieruſalem, & congregavit univerſam domum Juda, & Tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum, & bellatorum, ut pugnarent contra domum Iſraël, & reducerent Regnum Roboam filio Salomonis*. Quare opinor Sulpicium ducenta ſcripſiſſe numero rotundo addita, ad; ſed ex notis CC. errorem manaſſe, & CCC. facta eſſe.

Cumque acies promoverentur, verbis Dei populus admonetur, prælio abſtineret) Cap. XII. ejuſdem libri Regum hoc ſic explicatur: *Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël; revertatur vir in domum ſuam; audierunt ſermonem Domini, & reverſi ſunt*.

(y) Tranſit ad res Jeroboam enarrandas, quæ nihil aliud, quàm ſumma in Deum fuerunt impietas, quæ ad extremum totum populum peſſum dedit.

Sed cùm Hieroſolymam Roboam obtineret) Hieroſolyma erat in Tribu Juda, propterea Roboam eam urbem Regni ſedem obtinuit. Quare hoc Regnum appellatum eſt modo duarum Tribuum, nempe Judæ & Benjamin, modò Judæ a Tribu Regis Roboam, modò Hieroſolymitanum, ab urbe Metropoli.

Ubi Templo à Salomone facto populus ſacrificare Domino conſueverat) Salomon autem non ſolùm Templum Hieroſolymis fecerat, ſed etiam omnes ibi Iſraëlitas Deo ſacrificare conſtituerat. Jeroboam verò ædificavit oppidum Sichem in monte Effraim, & habitavit ibi, & egreſſus inde ædificavit Phanuel. Quare veritus, ne ſi populum ſuum Hieruſalem ire ad ſacrificandum ex Lege in Templo permitteret, ille ad dominum ſuum rediret, & ſibi necem inferret, nova religione, ſed prava, populum ſuum obſtrinxit. Quippe ab cultu veri Dei ad idolorum cultum ſe contulit, ac more Ægyptio, unde nuper redierat, duos vitulos æneos in finibus Regni populo ſuo adorandos conſtituit. Quos autem Sacri libri vitulos dicunt, vaccas vocavit Sulpicius. In Bethel autem, & apud Dan poſuit, quod ii Regni ſui, ideſt, decem Tribuum, eſſent termini. Nam totius Regni extrema erant Dan & Berſabee. Sunt autem nomina duarum urbium, quarum Dan fuit ad fontes parvi Jordanis, Berſabee in terra Idumæorum, illa ad Septentrionem, hæc ad Meridiem. Joſephus.

Sacerdoteſque omiſſa Levi Tribu ex plebe inſtituit) Liber Regum: *Sacerdotes fecit de extremis populi, qui non erant de filiis Levi*. Erat autem Levi Tribus, ut ſupra dictum eſt, cui terræ pars nulla fuerat data, ſed Sacerdotio tantùm commiſſa. Quare Jeroboam duabus in rebus veterem diſciplinam corrupit, in idolis aſciſcendis, & in Tribu Levi à Sacerdotiis removenda. Levitæ verò in Tribum Judam ſe contulerant, ut dixi.

Inviſum Domino flagitium expoſtulatio conſequuta) Quippe ad ſacrificantem illum in Bethel miſſus eſt Jad Propheta ex Urbe Hieroſolymorum, qui ita loquutus eſt: *Altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius naſcetur domui David Joſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendent*. Hæc autem poſt facta ſunt à Rege Judæ Joſia, ut ſcriptum eſt Regum IV. cap. XXIII. Hic eſt autem alter Propheta, qui hæc tempora illuſtravit.

Crebra deinde inter Reges prælia dubio eventu Regnum obtinebant) Sic III. Regum: *Fuitque bellum inter Roboam, & Jeroboam cunctis diebus*.

Roboam ſeptimo decimo Imperii anno exacto vita functus eſt) Illud omiſſum eſt in rebus Roboam, quòd & ipſe aras, & ſtatuas, & lucos in montibus excelſis ſtatuit, & omnes abominationes gentium fecit; item quòd anno quinto Regni Seſac Rex Ægyptius Hieroſolymam cepit, & theſauros regios aſportavit. Quatuor enim Reges vicinos infeſtos habuere ipſi Reges Judæ, & Iſraël, Ægyptium, Syrium, Aſſyrium, & Babylonium. Verùm omnium infeſtiſſimi fuere Aſſyrii, & Babylonii, ut à quibus poſt fuerint deleti, & exterminati.

(484) Atque hæc ingens illa Regni Iſraëlitici in duas partes diſtractio, quæ numquam in poſterum coaluerunt. Unum Regnum Judæ fuit; alterum Iſraelis. Duravit Regnum Iſraël annis CCLXII. ſub XIX Regibus. Judæ ſub XX. Regibus annis CCCXCV.

Cæſar lib. I. de B. Civ. *Curio omnium ſummâ voluntate Iguvium recipit*. Et lib. III. *Kalenus Delphos, Thebas, Orchomenum, voluntate ipſarum Civitatum recepit*.

(485) Druſius legendum monuit *ducenta millia*: quoniam in originibus eſt: *centum octoginta millia*. Vide I. Reg. XII. 21.

(486) Ideſt, nomine Dei, à Semaja Propheta, I. Reg. XII. 22. Ita ſupra *verbis Dei increpare*.

(487) Delectu CLXXX. millium habito, conaturus erat reliquas decem Tribus vi ad officium retrahere; niſi Deus per Prophetam interceſſiſſet, admonens, nefas eſſe, civile bellum movere, præſertim quum Deo volente populus ab eo defeciſſet. *Joſephus*. Propheta ille fuit Sameja.

(488) Non quòd nulli omnino Levitæ adhæſerint Jeroboamo; ſed quòd admodum pauci, ceteris omnibus ad Roboamum migrantibus. Ezechiel XLIV. 10.

(489) Phraſi eâ ſæpe uſus eſt noſter. Habet verò & Papinianus l. filiusf. D. de caſtr. pec. *Filiusfamilias miles*, inquit, *ſi captus apud hoſtes vitâ fungatur, lex Cornelia ſubveniet ſcriptis heredibus*. Frequentiùs eſt *defungi vitâ*, & omiſſo nomine, *defungi*. Virgilius lib. IV. Æn. *Defunctaque corpore vitâ*.

ABIA REX JUDÆ.

In hujus locum (z) Abiud (490) filius ejus Regnum Hierosolymæ sex annos tenuit: quamvis in Chronicis triennio regnasse referatur. (491)

ASA REX JUDÆ.

Huic Asa (492) filios successit, à David quintus ferè, (493) quippe abnepos fuit. (a) Fuit religiosus Domini cultor. Namque deletis aris lucisque idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit. Fœdus cum Rege Syriæ firmavit: ejus auxilio Jeroboæ Regnum, (494) quod tum à filio tenebatur, multâ clade adfecit: ac sæpe victis hostibus prædam ex victoriâ retulit. Post unum & quadragesimum annum, æger pedibus decessit. Huic triplex peccatum adscribitur: (495) unum, quòd societate Regis Syriæ nimiùm confisus sit: alterum, quòd Prophetam Domini hoc ipsum increpantem, in vincula conjecit: tertium, quia in pedum dolore remedium non à Domino, sed à medicis speraverit. Sed initio Regni hujus, Jeroboam Rex decem Tribuum defunctus est.

NADAB REX ISRAEL.

Regnum Nadab filio reliquit. (b) Is malis operibus, & tam suis quàm maternis (496) meritis

(z) In libris Regum, Paralip. & apud S. Matth. cap I. hic Rex dicitur Abia, non Abiud. Ceterùm hunc locum ad Sacrorum librorum veritatem ita scribendum censerem: *Tres annos tenuit, quamvis in Chronicis sex annis regnasse referatur*. Nam III. Regum, cap XV. ita scriptum est: *Regnavit filius pro patre Roboam super Judam; tribus annis regnavit in Hierusalem*. Huis addendum erat, quod ad impietatem Abiæ notandam tradit deinceps Scriptura: *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum in Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Bellum fuit inter Roboam & Jeroboam omni tempore vitæ ejus*.

(a) Rectè: fuit enim primùm David, tum Salomon, tertius Roboam, quartus Abia, quintus Asa, quare abnepos. Ubique in sacris literis hic dicitur *Asa*. Præcipuè in Regibus: *Regnavitque pro Abia filius Asa*. Est autem præclarum cognitu, quemadmodum Judæ Reges ita Regnum exceperint, ut semper filii patrem sint consequuti. Fovit enim Deus huis familiæ, licèt aliquo aliquando impietatis errore imbutæ, propter David. Unde scriptum est cap. XV. III. Regum: *Sed propter David dedit ei Dominus suus lucernam in Hierusalem, eo, quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei.* Res inde Asæ hoc modò persequitur.

Fuit religiosus Domini cultor) Idest, ut inquit Scripture: *Fecit rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus*. Fuit autem inter Reges Judæ, & Israel illud discriminis, quòd Israelitæ semper in institutis Jeroboami manserunt, idest, relicto vero Deo, idola perpetuò coluerunt; ex Regibus Judæ alii Roboami impietatem sequuti sunt, alii ad David imitationem se contulerunt, & præcepta Legis Dei servarunt; inter primos pietatis cultores fuit Asa.

Namque deletis aris, lucisque idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit) Idest, purgavit omnes sordes idolorum, quæ fecerant patres sui Roboam, & Abia, qui illa ædificarant, IV Regum cap. XV. Addit tamen Scriptura, eum excelsa non sustulisse, quòd aras, quas ædificavit Roboam super colles excelsos, non removerit. Peccatum autem in eo commiserat, quòd extra Templum sacrificari, ut ante Templi ædificationem, voluerat.

Fœdus cum Rege Syriæ firmavit) Regem Damasci intelligit nomine Benadad, filium Tabremon, filium Hezion. Ibid

Ejus auxilio Hieroboæ Regnum, quod tum à filio tenebatur, multa clade affecit) Hoc fœdus percussit cum Rege Syriæ contra Baasa tertium Regem Israel; & communibus armis urbes multas ejus excidit, atque item Regem Baasam ab ædificatione urbis Ramæ avertit. Inde arreptis lapidibus & lignis ab eo ad Ramæ constructionem paratis, ipse Regni sui oppida Gabaa, Benjamin, & Maspha condidit. Quare Sulpicii meritò hoc loco requiri vigilantia potest. Non enim Baasa filius fuit Jeroboam, verùm hostis adeò infestus, ut genus etiam ejus extinxerit, cumque in Regno successor exceperit.

Post unum & quadragesimum annum æger pedibus decessit) Sic Paralip. libro II capite XVI. *Asa Rex Juda anno trigesimo nono Regni sui dolore pedum vehementissime laboravit. Inde mortuus est quadragesimo primo*.

Huic triplex peccatum adscribitur) Hæc tria peccata expressa sunt ex II. lib. Paralip. capite XVI. Sunt autem, societas inita cum Rege Syriæ, Anani Prophetæ constrictio, spes valetudinis suæ recuperandæ in Medicis, & non in Deo reposita.

Prophetam Domini hoc ipsum increpantem in vincula conjecit) Nomen Prophetæ, cujus meminit, fuit Anani, quem appellat Videntem Scriptura: *Iratus Asa adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum*. Unde prophetiæ oracula Visiones vocant. Olim autem Videntes, post Prophetæ dicti, primo Regum cap. IX.

Sed initio Regni hujus Jeroboam Rex decem Tribuum defunctus est) Ut Regnum Roboam dictum est duarum Tribuum, sic Regnum Jeroboam decem: ut illud Juda, sic hoc Ephraim a Tribu Jeroboam. Osee cap. V. Initio autem Regni dixit, quia Jeroboam secundo anno Asæ moriens Regnum Nadab filio reliquit.

(b) Ibidem in Regib. & Paralip.

Nadab malis operibus, & tam suis, quàm maternis meritis invisus Domino non ultra biennium Regno potitus est) Legendum est *paternis*. Loquitur enim de Jeroboam patre Nadab auctore omnis superstitionis, & defectionis a Deo. Sic enim scriptum est: *Et fecit, quod malum est in conspectu Domini, & ambulavit in viis patris sui, & in peccatis suis, quibus peccare fecit Israel*; intelligens cultum Idolorum, quem ille, relicto Deo, intulerat in populum decem Tribuum.

(490) *Abia* legendum sine dubio; cùm vulgares editiones habeant *Abiud*. Textus Hebræus habet אבים. Et versio Latina vetus similiter *Abiam*. At aliter secutus est Interpretes Græcos, qui scripserunt Ἀβιού. Vide I. Reg. XV. 1.

(491) Sigonius emendat: *Tres annos tenuit, quamvis in Chronicis sex annis regnasse referatur*. Nimirum in fontibus II Paralip. XIII. disertè scriptum est, Abiamum tres annos regnasse. Miratur autem Drusius, Sigonium ita emendare sustinuisse; siquidem in Chronicis Eusebii, ad quæ sine dubio noster adludit, legatur: *Post quem Abia annis tribus*. Concedit tamen, fieri posse, ut in Chronicis mendum sit, & olim in eis lectum fuerit, *annis sex*.

(492) Vulgares editiones habent *Asab*. Sed quid adhuc mendum tam manifestum in textu servare, cum nihil quicquam appareat, quod Sulpicium inducere potuerit, ut *Asab* potiùs quam *Asa* scriberet. Nam Interpretes Græci, ad quos ille adludere solet, habent Ἀσά.

(493) Quartus erat à Davide, ut ex serie Regum videre licet; Salomon, Roboam, Abia, Asa. Sanè Davidis filius Salomon erat, nepos Roboam, pronepos Abia, abnepos verò, idest filius pronepotis, Asa. Ideo sequitur: *Quippe abnepos ejus*. Quòd autem in Chronicis Eusebii: *post quem quintus Asa an 41*: id aliter legitur in editis à Scaligero: *Hebræorum Juda Rex quintus Asa an. 41*.

(494) Quomodo casibus obliquis *Ada*, *Abraha* utuntur Scriptores Ecclesiastici, quamvis casum rectum faciant *Adam*, *Abraham*: ita noster nunc *Jeroboa* scribit, quamvis casum rectum *Jeroboam* fecerit.

(495) Quæ expressa sunt II. Paralipom. XVI.

(496) Attentior Sigonio legenti: *paternis meritis*. Nam quia Jeroboam cultum vitulorum instituerat, ideo progenies ejus invisa Domino erat. Vide III. Regum XV. 30.

Sigonius legit *paternis*. Intelliguntur autem ipsius Jeroboami, idololatriæ auctoris, merita.

meritis invisus Domino, non ultra biennium Regno potitus est.

BAASA REX ISRAEL.

Privataque imperio indigna progenies. Baasam Achiæ filium (497) successorem habuit, (c) æquè à Domino alienissimum. Isque sexto & vigesimo imperii anno defunctus est.

ELA REX ISRAEL.

Regnum ad Helam filium devolutum, (d) nec ultra biennium retentum. (498)

AMRI REX ISRAEL.

Namque eum Jambri, (499) Princeps equitum, (e) epulantem interfecit, Regnumque occupavit: (500) vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab hoc pars populi secessit: Thamni (501) cuidam Regium nomen delatum. Sed Jambri ante hunc septem annos, & cum eodem duodecim regnavit. (502)

JOSA-

(c) Non idem evênit in Regibus Ephraim, atque in Regibus Juda. Nam in his semper Regnum mansit in eadem Tribu, & Familia. In iis verò Regnum vix pervenit ad filium, aut nepotem propter nimiam impietatem eorum. Nadab autem privatus est imperio, quo propter suam, & paternam impietatem erat indignus. Siquidem *Baasa de domo Issachar, Abiæ filius, insidiatus est ei, & percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philisthinorum anno tertio Asæ Regis Juda, & regnavit super omnem Israël*. Regum III. cap. XV. Vox autem (*Bannachia*) est corrupta, cùm sit legendum *Basan*, aut *Ban Achiæ*, diremptis vocibus.

Æquè à Domino alienissimum) Baasa licèt hostis Nadab & Jeroboam, mansit tamen in impio instituto eorum, & idola coluit: *Nam fecit malum coram Domino, ambulavitque in viis Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israël*. Ibidem.

Isque sexto & vicesimo Imperii anno defunctus est) Legendum est *quarto & vicesimo*, ex cap. XV. III. Reg.

(d) Sic cap. XVI. *Anno vicesimo sexto Asæ Regis Juda regnavit Ela, filius Baasa, super Israel in Thersa duobus annis*. Nomen autem Thersa oppidi fuit, in quo secunda Regum Israël familia sedem posuit.

(e) Hæc res sic expressa est cap. eodem: *Rebellavit contra Elam servus suus Zambri dux mediæ partis equitum, & occidit eum. Erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus in domo Arsa Præfecti Thersæ. Irruens ergo Zambri percussit, & occidit, regnavitque pro eo*. Id verò factum à Deo propter impietatem Baasæ, & filii Elæ, addit Scriptura. Atque hæc quidem tertia familia fuit, quæ Regnum Israel tenuit; prima enim fuit Jeroboam ex Tribu Ephraim, secunda Baasa ex Tribu Issachar, tertia Zambri, qui regnavit septem tantùm diebus in Thersa. Cùm enim *exercitus, qui obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorum, audisset rebellasse Zambri, & occidisse Regem, fecit sibi Regem omnis Israel Amri, qui erat Princeps militiæ super Israel in die illa in castris. Quod ubi sensit Zambri, ingressus est palatium, & succendit se cum domo Regia. Tunc divisus est populus Israel in duas partes, quarum una delegit sibi Regem Amri, altera Thebni*, cap. eod. Ex his apparet, post Elam successisse Zambri percussorem ejus, & post septem dies Amri in dissidio populi. Sulpicius autem Eusebium sequutus omittit Zambri, ut qui dies tantùm septem regnarit, & Elam ab Amri percussum facit; & nomina Zambri & Ambri, credo, librariorum culpa confundit. Quare ubique apud eum Amri legendum. (*Vir perinde in Dominum, atque in homines impius*.) Zambri impius in homines fuit, quia Elam occidit, & familiam Baasæ funditus extinxit. Nam *ne mingentem quidem ad parietem*, idest, *canem*, reliquit, in Dominum, quia *malum fecit coram Domino, & ambulavit in viis Jeroboam*, cap. XVI.

Ab hoc pars populi secessit, Thamni cuidam Regium nomen delatum) Res hoc successu acta: *Ubi Zambri mors est audita, populus Israel in duas partes divisus est, quarum una delegit Regem sibi Thebni filium Gineth, altera Amri, & hæc prævaluit, mortuusque est Thebni*.

Sed Amri ante hunc septem annos, & cum eodem duodecim regnavit) Significat, Amri regnasse solum sine Thebni annos septem, inde cum eodem duodecim. At longè alia est Scripturæ sententia, nempe Amri regnasse duodecim annos, sex quidem priores in Thersa, ut proximi Reges fecerant; inde sex posteriores in oppido Samariæ a se condito. Atque hoc ita esse ex eo apparet, quòd ex hac sede Regni posthac Regnum Samariæ nomen accepit. Audiamus verba Regum cap XVI. *Amri regnavit super Israel duodecim annos, in Thersa regnavit sex annos, emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen Civitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis Samariæ*. Nec Josephus aliter hunc locum intellexit.

(497) Ita esse legendum, rectè conjecit Drusius, cùm in antiquis editionibus esset *Banachia filium*. Quid autem attinet istiusmodi mendæ retinere in textu? Series historiæ docet, fuisse Baasam, & hunc Achiæ filium. Ex *Baasam Achiæ* autem illud *Banachiæ* factum esse, manifestum est.

(498) Anno integro regnavit, alterum inchoavit: nam sub initium illius occisus est.

(499) Mirum, cur Drusii & aliorum editiones habeant *Zambri*; cùm non tantum vetus Coloniensis editio habeat *Jambri*, sed & in MS quodam sic repererit Drusius: imò infra quoque Jambri scribatur. Verum quidem est, eum, qui Elam interfecit, de quo hic & agitur, in textu Hebræo *Zimri*, & in versione Græcâ *Zambri* vocari; ut Sulpicius ad illam versionem, ut alibi, ita & hic adludere videri possit: verùm, cùm Sulpicius, quamvis per errorem, tantùm de uno agat, oportet hunc vel Zambri tantùm, vel Jembri ab eo dictum esse; cùmque Jambri nomen non semel, sed ter hic visatur, verisimile est, pro *Zambri* quoque, quod in Drusii & aliorum editionibus est, *Jambri* legendum esse. Quòd de uno agat, satis docet contextus. Verba Sulpicii secundùm Drusium & alios sunt: *Eum*, (Elam puta) *Zambri, princeps equitum, epulantem interfecit. Ab hoc* (Zambri puta) *pars populi secessit: Thamni cuidam regium nomen delatum. Sed Jambri ante hunc* (Thamni) *septem annos, & cum eodem duodecim regnavit*. Unus ille igitur, de quo agit, vel Zambri tantùm, vel Jambri ab eodem dictus est. Ceterùm errasse Sulpicium, manifestum est. Alius enim fuit, qui Elam interfecit; & alius qui Thibni, vel, ut noster adpellat, Thamni Regni æmulum habuit. Ille Zimri, hic Amri in textu originali vocatur. Ceterùm quòd pro *Amri* noster habet *Jambri*, adlusit ex parte ad versionem Græcam, quæ Αμβρί habet, insertâ inter M & P literâ B, quemadmodum factum est in *Zambri* pro *Zimri*, & in *Mambre* pro *Mamre*, & in *Nembrod* pro *Nemrod*. Qui autem factum sit, ut ab initio *Jod* accesserit, & scriptum sit *Jambri* pro *Ambri*, non liquet.

(500) Nescio, quid Sigonio in mentem venerit, quum scripsit: *Sulpicius Eusebium secutus omittit Zambri, ut qui dies tantum septem regnarit, & Elam ab Amri percussum facit, & nomina Zambri, ac Ambri, credo librariorum culpa, confundit. Quare ubique apud eum Amri legendum*. Plane vir doctissimus Sulpicio vim facit. Quid enim? An non Zambri, & Jambri apud eum distinguuntur? Ac ne dubitandi locus sit: *Principem equitum* vocat, & *Regnum* occupasse dicit. Et immemor sui Sigonius, mox quæ dixerat, subvertit, Zambris, & Ambris res enarrans.

(501) Nomen *Thamni* habet itidem ex versione Græcâ, nam in textu originali est *Thibni*.

(502) De annis Regni Amri manifestè errat. Notum enim ex I. Reg. XVI. Amri in universum duodecim tantùm annos Regnum tenuisse. Quamdiu autem regnaverit Thamni, incertum, neque in sacris literis expressum est.

JOSAPHAT REX JUDÆ.

At in parte Tribûs Judæ Asa mortuo, Josaphat filius ejus regnare cœpit, (*f*) vir religiosis virtutibus merito clarus, Is cum Jambri pacem habuit. Defunctus est autem, cùm regnasset annos V. & XX.

ACHAB REX ISRAEL.

Hujus imperii tempore Achab, Jambri filius, Rex decem Tribuum fuit, (*g*) ultra (503) omnes in Dominum impius. Namque Jezabel filiâ Balæ (504) Regis ex Sidone, (505) in matrimonio acceptâ (506) Baali idolo aram lucosque constituit, & Prophetas Domini interemit.

HELIAS PROPHETA.

Quo tempore Helias Propheta oratione cœlum conclusit, (*h*) ne pluviam terræ daret: idque Regi denunciavit, ut se impios causam mali esse cognosceret. Igitur suspensis cœlo aquis, cùm loca omnia adusta Solis ardoribus non victum hominibus, non pabulum jumentis darent, ipse se intra periculum famis Propheta concluserat. Eâ tempestate cùm eremum petiisset, (507) corvis cibum ministrantibus, vixit. Aquam torrens proximus, donec aruit, dedit. Inde admonitus à Domino, Sareptæ (508) oppidum petiit: ad mulierem viduam divertit. Cùmque ab eâ esu-

(*f*) De hoc Josaphat sic Paralip. II. cap. XVII. *Regnavit Josaphat pro Asa patre, & invaluit contra Israel, constituitque militum numeros in Civitatibus Juda, quæ erant vallatæ muris, præsidiaque disposuit in terra Juda, & in Civitatibus Ephraim, quas ceperat pater ejus.*

Vir religiosis virtutibus clarus) Malim *religionis*. De religione Josaphat sic eodem in loco: *Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis patris sui David. Cùmque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa, & lucos de Juda abstulit, & misit in Civitates Sacerdotes habentes librum legis Domini, qui docuerunt populum, atque ita finitimos solo nominis terrore in officio continuit.*

Is cum Amri pacem habuit) Hoc neque est in Sacris libris, neque esse potest; quia Josaphat Regnum cepit anno quarto Achab, qui post patrem suum Amri regnavit, quare neque bellum, neque pacem habere cum Amri potuit.

Defunctus est autem, cum regnasset annos viginti quinque) Sic in sacris. Verùm Sulpicius pii, & clari Regis multa memorabilia acta, immo verò universa omisit, quæ hoc loco significanda sunt. Quippe affinitatem cum Achab Rege Israel impio junxit, Athaliâ filiâ ejus in matrimonium Joram filio collocatâ, eumque ad Syriacum bellum sequutus, divina ope servatus est. Varcin Jehu affinitatem illam increpantem benignè audiit. Iterum Rempublicam constituit. Bello finitimorum petitus, jejuniis, & precibus victoriam obtinuit. Inde eam Ochozia, & Joram ipsius Achab successoribus societatem renovavit, & cum Moabitis congressus victor discessit. In Regum, & Paralip. lib.

(*g*) Rectè: nam, ut dixi, Josaphat anno quarto Achab Regnum iniit; & inde etiam cum filio, & nepote ejus regnavit. Hic inter Reges Israel singulare fuit impietatis, & injustitiæ exemplum, summæ Josaphatis religioni, ac virtuti oppositum. Unde addit:

Ultra omnes in Dominum impius) Nam *fecit malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum*, cap. XV. III. Regum. Persequitur inde Sulpicius singula ejus flagitia, ut quæ sint ad memorandum insignia.

Namque Jezabel filia Balæ Regis ex Sidone in matrimonio accepta) Hoc grave putatur; quia impiam duxit. Mirum autem cur Balam vocet, qui Ethbaal dicebatur. Eodem in loco: *Insuper uxorem duxit Jezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum.* Josephus in historia nominat Ithobalum. Ithobalus autem Rex fuit Tyri, teste Menandro Ephesio, ut scribit idem contra Appionem.

Baali idolo aram, lucosque constituit) Multo etiam indignius, quòd Baal coluit. Ibidem. Ceterùm Baal deus fuit Assyriorum, ut Astaroth, sive Astarthe Sidoniorum, sive Tyriorum. Baalim autem sacellum ipsi Baali constitutum. Josephus. Baal autem credo est, quod Græci dixere Belum. Achab verò adoravit Baal, & posuit Aram in Templo, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit lucum.

Et Prophetas Domini interemit) Ab eadem impietate profectum, quòd Prophetas Domini occidit, XVIII. cap. *Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini.*

(*h*) Interfecit res Heliæ Prophetæ his temporibus clari. In primis ergo Deus summa Achab impietate offensus ipsum primùm fame, deinde verbis castigavit, in utraque ea Heliæ Prophetæ ministerio usus. Helias verò jussu Dei nunciavit Regi, se effecturum, ne per triennium plueret, idque effecit. Unde inde fames provinciam consequuta, III. Reg. cap. XVII.

Igitur suspensis Cœlo aquis) Narrat igitur, quemadmodum Helias famem eandem, quam per siccitatem à Deo impetratam intulerat, ipse quoque pertulit, & quemadmodum eandem Dei ope depulit. Primùm, inquit, in deserto famem Heliæ corvi cibum deferentes, sitim proximus aquæ torrens sublevarunt. Sic enim ibidem: *Cum abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.*

Inde admonitus à Domino, Sareptæ oppidum petiit) Inde siccato torrente cùm jussu Dei ad oppidum Sareptam se contulisset, & ad viduam quandam divertisset, ab ea, tanquam secundo remedio, sustentatus est. Ibidem: *Post dies aliquot siccatus est torrens. Non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum: Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim mulieri viduæ, ut pascat te.* Ille verò abiit, & petiit cibum. Verba verò cibum petentis fuerunt: *Affer mihi buccellam panis in manu tua.* Ejusdem copiam pollicentis hæc: *Hæc dicit Dominus Deus Israel. Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.*

Mu-

(503) Idest supra omnes; Sic alibi: *ultra modum, ultra famam, & adeo sacratam ultra omnia mortalia illustrem.* Et in vita S. Martini: *ultra humanum modum.*

Ultra pro *supra* non rarò usurpat noster.

(504) Feminam & imperiosam & crudelem. Talis fuit Tullia Tarquinii uxor, Fulvia Antonii, Eudoxia Arcadii &c.

(505) Sidonem Justinus à piscium copia dictam vult, ignarus scilicet, a primogenito Cananæi filio, cui hoc nomen erat, conditam.

Nomen Regis Sidoniorum sine dubio corruptum à librariis est. In originibus vocatur *Ethbaal*. Et versio Græca habet Ἰεθεβαάλ.

(506) Simile illi, quod supra pag. 26. adparet *in matrimonio postulans*, Alibi verò scripsit: *in matrimonium accipere, in matrimonium adsumere, in matrimonio dare.* Vide Notas ad eriat. pag. no. 103. Ut mirum sit, si nunc scripserit *in matrimonio accepta.*

(507) Secus torrentem Crith, qui descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phaselum; unde juxta eum multæ erant cavernæ, & speluncæ, in quas se abdere poterat Elias. Hic ergo latuit per triennium siccitatis, pastus a corvis. Unde in ejus memoriam S. Helena ibidem Ecclesiam extruxit, teste Nicephoro lib. VIII. cap. 30. Speluncam illam Adrichomius collocat cis Jordanem, prope urbem Phaselum, S. Hieronymus trans Jordanem. Desertum esse locum oportuit & invium, ut ibi illum latere, suspicari nemo posset.

(508) Ut *urbs Antiochia*. Nimirum ut generi speciem, sic speciei individuum adjiciunt secundo casu.

esuriens cibum peteret, illa causari, non esse sibi nisi pusillum farris, (509) & pusillum olei: quo absumto, unà cum filiis mortem exspectaret. (510) Sed cùm Helias verbis Dei polliceretur, nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum, (511) mulier poscenti fidem non cunctata Prophetæ credere, promissorum fidem (512) consecuta est. Siquidem divinis incrementis (513) tantum accresceret, quantum quotidie detrahebat. Eodem tempore ejusdem viduæ filium mortuum, Helias in vitam reduxit. (514)

Tum jussu Domini Regem adiit, exprobratòque ei sacrilegio, (515) poposcit ad se omnem populum congregari. (1) Qui cùm properè convenisset, accitis idolorum ac lucorum Sacerdotibus CCCC. ferè (516) & L.: inter eos inde orta est altercatio: Helia Dominum prædicante, illi superstitiones suas adserebant. Postremò, placuit fieri periculum, ut, si cujus cæsam hostiam missus cœlo ignis absumeret, rata esset religio, quæ virtutem (517) edidisset. Ita Sacerdotes occiso vitulo, Baal idolum invocare cœperunt: frustraque consumtis invocationibus, imbecillitatem domini sui tacitè fatebantur. Tum verò Helias irridens eos: Ne fortè, inquit, dormiat, clamate vehementiùs, ut somno, quo tenetur, evigilet. Enimverò miseri trepidantes, mussare, & tamen, quidnam Helias facturus esset, exspectare. At ille, cæsum vitulum imposuit, quum priùs sacrarium aquâ opplesset: (518) invocatoque Domino, exspectantibus cunctis,

Mulier poscenti fidem, non cunctata Prophetæ credere, promissorum fidem consequuta est) Poposcit Helias fidem, cùm dixit: *Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti, idest, collige ligna, & ex farina fac panem.* Inde addidit: *Verumtamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me.* Mulier autem, (*non cunctata credere promissa est consequuta*) Siquidem cùm abiisset, & fecisset juxta verbum Heliæ, & comedit ipse, & illa, & domus ejus, & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Heliæ. Ibidem. Narratur inde, ut Helias puerum viduæ hospitæ suæ mortuum excitarit, & gratiam hospitæ suæ cumulatè retulerit. Siquidem *clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeret filium ejus?* Atque ita puerum à mortuis excitavit.

(1) Hactenus Deus castigavit Achab factis, nunc verba sequuntur. Quippe ubi Achab calamitate famis, siccitate triennii immissa, ad Dei agnitionem non rediit, tum verò Deus per eundem Heliam ipsum admonendum verbis de officio suo curavit. Nam Helias ad eum profectus, sacrilegium exprobravit, & ut populum convocaret, mandavit. Verba ejus hæc fuerunt: *Non ego turbavi Israël, sed tu, & pater tuus, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baal. Verum tamen nunc mitte, & congrega ad me universum Israël in monte Carmeli, & Prophetas Baal CCCCL., Prophetasque lucorum, qui comedunt de mensa Jezabel.*

Helia Dominum prædicante illi superstitiones suas adserebant) Sulpicius significat in illo concilio Prophetarum actum utrinque de religione esse, atque utramque partem jus, factumque suum verbis defendisse. Scriptura verò non exprimit, a parte Israëlitarum aliquid pro religione Baalis responsum. Sic enim dixit Helias: *Usquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum? & non respondit ei populus verbum.*

Postremò, placuit fieri periculum, ut si cujus cæsam hostiam missus Cælo ignis absumeret, rata esset religio, quæ virtutem edidisset) Ubi verò Helias verbis convincere falsos Prophetas non potuit, miraculis eos edendis aggressus est, atque illos provocavit ad virtutis periculum faciendum. Res breviter & obscurè a Sulpicio traditur. Verùm ita acta dicitur in lib. Regum: *Jussit Helias, ut illi, qui erant quadringenti Prophetæ Baal, & ipse, qui unus relictus erat Dei Propheta, bovem mactarent, & in rogum membra imponerent. Inde illi Baal, ipse Deum oraret, ut cælitus igne demisso rogum accenderet. Sic enim fore, ut cujus ope ligna flammam concepissent, is verus Deus esset. Ita Sacerdotes Israëlitæ vitulo occiso, Baal invocare cœperunt, frustraque consumptis invocationibus, permissu Heliæ priores periculum suæ religionis fecerunt, invocantes nomen Baal à manè usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos, & non erat vox, nec qui responderet, transiliebantque Altare, quod fecerant.* Hæc tam illi parum prospero suæ superstitionis eventu: Inde, quid Helias fecerit, subdit.

Tum fortè Helias irridens eos: Ne fortè, inquit, dormiat, clamate vehementiùs, ut somno, quo tenetur, evigilet) Hoc sic ibidem: *Cùmque esset meridies, illudebat eis Helias dicens: Clamate voce majore. Deus enim & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Apud Sulpicium primum (*fortè*) videtur vacare, aut mendosum esse. (*At ille cæsum vitulum imposuit, cùm prius sacrarium aqua opplesset.*) Nunc mirandum opus Heliæ prodit, ac facilè Pseudoprophetas, & Regem confudere. Hic enim non solum, ac ille, vitulum super ligna imposuit, sed etiam ad virtutem majorem ostendendam, fecit aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu Altaris, & composuit ligna, divisitque per membra bovem, & posuit super ligna, & ait: *Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & ligna.*

Invocatoque Domino, ignis Cælo delapsus aquam cum hostia absumpsit) Inde ita Deum vocavit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.* Ibidem.

Tum

(509) Drusius conjicit, Sulpicium scripsisse *pugillum farris*: quia in versione Græca est δρὰξ ἀλεύρου: & versio Latina similiter habet: *Nisi quantum pugillus capere potest farinæ.* Non adsentior: quia sequitur, *pusillum olei*. Quomodo enim *pusillum olei*, ita & *pusillum farris* videtur scribere voluisse.

(510) Secutus est Interpretes Græcos, qui habent τοῖς τέκνοις. Ceterùm fontes ipsi non nisi unius mentionem faciunt.

(511) Scribit pro solenni suo *minuendum esse* pro *minutum iri*.

(512) *Fides* hic non pro *promissione*, ut in phrasibus *fidem dare*, *fidem præstare*, *fidem frangere*; Sed pro ejus quod promissum est præstatione, & pro ea ipsâ recipienda.

(513) S. Augustinus: *Laguncula olei facta est fons olei; farina parva uberrimas segetes superavit.* Idque factum non per rarefactionem, sed per additionem novæ farinæ & olei, Deo adjiciente incrementum, ut inquit Abulensis.

(514) Hæc est prima resuscitatio mortui hominis in Scripturis recitata. S. Augustinus octo resuscitationes recenset: filii viduæ Sunamitidis, filiæ Jairi, filii viduæ in Nain, Lazari, Jesu Christi, Thabitæ, Eutychi. Cœnaculum, sive locus, in quo Elias hunc puerum suscitavit, etiam nunc ostenditur. *Adrichom.*

(515) *Sacrilegium* pro *idololatria*, ut subinde supra; & proximiùs iterum: *Qui solum se à sacrilegis immunem esse crediderat.*

(516) Vocula *ferè* παρέλκει, ut supra sæpiùs.

(517) *Virtus* pro facultate, potentiâ, usurpatur; Deinde ipsa quoque actio miraculosa, quæ ea potentiâ & facultate oritur, *virtus* dicitur. Vide supra Notas ad pag. 34. num. 171.

(518) Aquæductum, qui circum altare. Vocat autem sacrarium, quia locus erat sacratus Deo. Ceterùm aquam effudit super holocaustum, tantâ copiâ, ut circum aram redundaret, ipsamque scrobem (aquæductum alii vocant) quæ circum altare, repleret; idque eo consilio, ne putaretur, ignis sub altari absconditus. S. Jo. Chrysostomus apud Metaphrast. & Surium Homilia de Petro, & Elia: *In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore parte altaris, & fovea quædam obscura: descendunt autem erroris Artifices in foveam illam, & ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cœlestem esse putent. Ne igitur & Elias*

ctis, ignis cœlo delapsus, aquam cum hostiâ absumsit. Tum verò populus solo stratus, Dominum fateri, idola exsecrari: postremò Heliæ jussu profani Sacerdotes comprehensi, deductique ad torrentem, (519) necati sunt. Redeuntem inde Regem Propheta prosecutus est. Sed cùm ei Jezabel Regis uxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. (520) Ibi eum Dominus allocutus est, septem millia virorum esse adhuc pronuncians, qui se idolis non dedissent. Mirum id Heliæ fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crediderat.

Eâ tempestate Achab Rex Samariæ vineam Nabuthæi, (521) adhærentem sibi, (522) concupivit. (k) Quam cùm ille ei vendere noluisset, dolis Jezabel interfectus est. Ita Achab vineâ potitus est, cùm tamen Nabuthæi mortem doluisse referatur. (523) Mox per Heliam verbo Domini increpitus, (524) agnitóque crimine, cilicio indutus, (525) egisse pœnitentiam (526) traditur. Quo facto, imminentem pœnam avertit.

Namque Rex Syriæ magno cum exercitu, (l) duobus & triginta Regibus in societatem belli adscitis, fines Samariæ ingressus, cum Rege urbem obsidere cœpit. Actis (527) deinde obsessorum rebus, dat belli conditiones, (528) si aurum & argentum & fœminas tradidissent, fore uti vitæ eorum parceret. Sed tam injustis conditionibus (529) extrema perpeti satius visum. Et cùm jam omnium desperata esset salus, Propheta à Domino missus, Regem adit, hortatur ut in prœlium exeat: cunctantem, multis confirmat. Ita eruptione factâ, fusi hostes, copiosaque præda reperta. Sed post annum reparatis viribus, Syrus in Samariam regressus, acceptam cladem ultum ire cupiens, rursum victus est. Eo prœlio CXX. millia Syrorum interiere: Regi venia data, Regnum ei & pristinus status concessus. Tum Achab verbis Dei à Propheta increpitus, cur abusus divino munere, (530) hosti sibi tradito pepercisset.

Igitur

Tum verò populus solo stratus Dominum fateri) Ibidem: *Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominum ipse est Deus.*

Postremò Heliæ jussu profani Sacerdotes comprehensi, deductique ad torrentem necati sunt) Quippe dixit Helias ad eos: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* *Interfecit* autem, idest, interficiendos per Regem curavit.

Redeuntem inde Regem Propheta prosecutus est) Ibidem: *Ascendens Achab abiit in Israel, & manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrael.* Hoc autem factum est, postquam Helias pluviam uberem è Cœlo devocaverat, famemque depulerat.

Sed cùm ei Jezabel Regis uxor vitæ periculum pararet) Jezabel Tyria, mulier impia Heliam interimere voluit, quia suos ille occiderat Prophetas. Sic enim ad illum dixit: *Hæc mihi faciant, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis.* Ex ea re inde Helias profugit in desertum Bersabee, ibique divinitus sustentatus, inde jussu Dei redit Damascum, & unxit Hazael in Regem Syriæ, Jehu in Regem Israel, & Meldaum in Prophetam.

Ibi eum Dominus allocutus est; septem millia virorum esse adhuc pronuncians, qui se idolis non dedissent. Mirum id Heliæ fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crediderat) Verba Dei ad Heliam in deserto Bersabee hæc fuerunt. *Dereliquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

(k) Adhuc narrata est impietas Achab in Deum, nunc injustitia explicatur in homines; nempe quemadmodum Jezabel uxor ejus Nabuthæum, vineam sibi vendere detrectantem dolo sustulerit, atque ita vineam sibi paravit. Hæc res narratur cap. XX. Regum III.

Dolis Jezabel interfectus est) Nempe falsis subornatis testibus, qui dicerent eum maledixisse Deum & Regem, lapidibus obrutus est.

Per Heliam verbo Domini increpitus) Helias jussu Domini non solum Achab increpuit, sed cladem ei denunciavit, qualem passa erat domus Jeroboam, & Baasa Regum æque impiorum. Quare ille *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.*

Quo facto imminentem pœnam avertit) Quippe dixit Deus: *Quia Achab humiliatus est causa mei, non inducam malum in domum ejus.* Intellexit autem Joram filium ejus, qui à Jehu extinctus est.

(l) Novum peccatum Achab, quod Benadad Regem Syriæ arma sibi inferentem bis victum incolumem dimisit. Hoc narratur III. Regum capite XXI. ante cædem Nabuthæi occisi propter vineam negatam, & ante pœnitentiam Achab. Benadad verò filius fuit Hazael, cap. XX.

Duobus & triginta Regibus in belli societatem ascitis) Apparet, eum multos in singulis regionibus fuisse Reges, si ex Syria, aut vicinis provinciis triginta duo ad bellum Samariæ convenerant.

Actis deinde obsessorum rebus) Nempe rebus Achab obsessi. Malim autem legi: *Fractis*, quam *Actis*. Licet autem Achab obsessus ad extrema redactus esset, tamen a Propheta confirmatus, eruptione facta cladem hosti ingentem attulit. Post annum autem Syrus reversus, ut acceptam calamitatem ulcisceretur, iterum ab Achab victus est. Quare verbis Dei a Propheta Helia increpitus est, quòd Regem bis victum impune dimisisset. Verba Heliæ fuerunt: *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* His expositis narratur in sacris literis cædes Nabathæi propter negatam vineam, de qua Sulpicius præposterè scripsit.

Elias in eam suspicionem veniret, aquam effudit, ut aqua illa, nulla ejus rei a altare foramina ostenderet. Ubi enim aqua foramina invenerit, illic aqua non consistit, sed per ipsa defluat, necesse est.

Sacrar... in vocat aquæ ductum, qui circa altare fuit; quòd ille locus, in quo fuit aquæ ductus, Deo sacratus esset.

(519) Torrens ille in originibus *Kison* vocatur.

(520) Desertum Bersabee. Hinc quadraginta dierum itinere ad montem Horeb venit, & ibi in spelunca se abdidit. *Josephus.*

Ad desertum Bersabee.

(521) Nomine illo proprio alludit rursus ad versionem Græcam, quæ habet Ναβουθαί.

(522) Idest, palatio suo. Tale est: *ivit ad Pompejum*, pro domum Pompeji.

Idest adhærentem domui suæ regiæ. Ut Terentius Phorm. V. 1. *A fratre quæ egressa est meo*, pro *ex ædibus fratris.* Et Catullus in Epith. in nupt. Pelei: *Ad se quisque vaga passim pede discedebant.*

(523) Alludit ad versionem Græcam 1. Reg. XXI. 26. quæ nonnulla habet in hanc sententiam.

(524) Putem legendum esse *verbis*, idest, nomine *Domini*: quemadmodum paulò supra scriptum: *Cum Helias verbis Dei polliceretur.* Et proximiat: *Achab verbis Dei à Propheta increpitus.*

(525) De cilicio Veterum, vide annotata ad Hebræorum Sigonianam Rempublicam.

(526) *Agere pœnitentiam* Scriptoribus Ecclesiasticis multum frequentatum. Neque tamen ceteris plane ignotum fuit. Memini enim legere apud Petronium & Valerium Max.

(527) Sigonius legi vult *fractis*. At Drusius mavult *arctis*: quia in libro II. similiter scripsit: *arctis suorum rebus.*

(528) Aliter dicunt *ferre conditiones*. Utrique ex adverso respondet *accipere conditiones.*

(529) Reclamavit tota concio, contemnendam esse cum suis mandatis insolentem, barbarum, & bellum alaciter gerendum. *Josephus.*

(530) Achabus victoriam non sua virtute, sed singulari Dei dono nactus, non debuerat de Adado aliquid statuere, nisi Deo per Prophetas consulto. Confer I. Regum XV.

Igitur Syrus post triennium, bellum Hebræis intulit. (*m*) Adversum hunc Achab Pseudoprophetarum impulso, (531) in prœlium descendit: spreto Michæa Propheta, & in vincula conjecto, quòd ei exitiabilem (532) fore pugnam denunciasset.

OCHOZIAS REX ISRAEL.

Ita eo prœlio Achab interfectus Ochoziæ filio imperium reliquit. (*n*) Is æger corpore, cùm ex ministris, qui idolum pro salute ejus consulerent, (533) misisset: Helias à Deo monitus, obviam se eis obtulit, increpitosque renunciare Regi jubet, mortem ejus consecuturam. Tum Rex comprehendi eum, ac deduci ad se jubet: sed missi, cœlesti igne absumpti. Rex, ut Propheta prædixerat, obiit. (534)

JORAM REX ISRAEL.

Successit autem Joram ei, frater ejus: (*o*) isque duodecim annis imperio potitus est.

JORAM REX JUDÆ.

At in parte duarum Tribuum Josaphat Rege defuncto, Joram filius Regnum tenuit annos duodeviginti. (*p*) Is Achab filiam uxorem habuit, socero quàm patri propior.

OCHOZIAS REX JUDÆ.

Post hunc Ochozias filius imperium adeptus est. (*q*) Hoc regnante, Helias translatus refertur. (535)

HELISEUS PROPHETA.

Eodem tempore Heliseus (536) discipulus ejus, (*r*) multis signis (537) potens extitit: quæ omnia notiora sunt, quàm ut nostro stylo egeant. Ab eo est viduæ filius resuscitatus, Syrus

(*m*) Non ad fidem expressa est sententia Sacræ Scriptoræ. Non enim Syrus bellum intulit Hebræis, sed Hebræi Syro. Nam Achab, ut recuperaret Ramoth Galaad, Josaphat Regem Judæ affinem suum sollicitavit, & conjunctis armis in Syriam contendit, cap. XXII Regum III.

Pseudoprophetarum impulsu) CCCC. Prophetas dicitur convocasse Achab Rex, eos de belli exitu consulturus. Qui prospera ei omnia eventura pronunciarunt, unus Michæas infausta respondit, quem Sedecias percussit in maxillam, pro quo Sulpicius: *Michæam in vincula conjectum*, dixit. Hic est autem Michæas, cujus extat prophetia adversùs Israël.

(*n*) Quippe, ut est cap. XXII. *jaculo trajectus inter commissuras, & loricam*. Hic Ochozias filius Achab Baal quoque coluit, quare à Deo meruit, ut puniretur defectione Moabitarum, & naufragio classis, quam in Ciliciam miserat, ac demum lethali morbo absumptus. Ibidem.

Is æger corpore) Ex casu lethifero morbo affectus Ministros misit, qui Beelzebub Idolum Accaronensium pro salute sua consulerent. Ex hoc loco incipit Historia quarti libri Regum.

Helias à Deo monitus obviam se eis obtulit, increpitosque renunciare Regi jubet, mortem ejus consecuturam) Verba increpationis fuerunt: *Nunquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem ait Dominus: De lectulo, quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*. Ibidem cap. I.

Rex, ut Propheta prædixerat, obiit) Ibidem: *Mortuus est Ochozias juxta sermonem Domini, quem locutus est Helias*.

(*o*) Quia Ochozias virilem prolem non reliquit, propterea frater ejus Joram regnavit pro eo. Ibidem. Hic est filius, in quo familiam Achabi extinctum iri Deus denunciavit.

(*p*) Transit ad Reges Judæ. Mortuo Josaphat, qui annos vigintiquinque regnavit cum Achab, Ochozia, & Joram Regibus Israël (nam anno quinto Joram est mortuus) successit filius Joram. Ita, ut duo Joram eodem tempore regna tenuerint, unus Israël, alter Juda. Quòd autem dicitur hic regnasse annos *octodecim*, legendum est *octo*. Sic enim scriptum est in Regum libro, & rectè, error ea notis natus XVIII. & VIII.

Is Achab filiam uxorem habuit, socero, quàm patri propior) Sic ibidem: *Joram ambulavit in viis Regum Israël, ut ambulaverat domus Achab soceri sui. Filia enim Achab erat uxor ejus, & fecit malum in conspectu Domini*. Hæc est autem affinitas, quam Josaphat pater cum Achab contraxit, ut supra diximus. Socerum verò Achab imitatus potius, quàm patrem Josaphat, sacella collium instauravit, quæ Josaphat demolitus fuerat, Heliæ minas elusit. Propterea Idumæos, & Lobnam defectione amisit, & ab Arabibus, & Palæstinis bello petitus, demum intestinorum morbo per biennium divexatus vita cessit, cap. VIII. quarti Regum.

(*q*) Ochozias, inquam, filius Joram Regis Judæ. Successit enim ita Ochozias Joræ, ut Joram successerat Josaphati. Hic est, qui in prœlio adversùs Jehu opem ferens Joræ Regi Israël cecidit, ut post dicetur.

Hoc regnante, Helias translatus refertur) Intellige Ochoziam Regem Judæ, ut post significat. Cùm autem trans Jordanem Heliseus, & Helias sermonem inter se haberent, ecce currus igneus, & equi ignei diremerunt utrumque, & ascendit Helias per turbinem in Cœlum. Ibidem.

(*r*) Alter Propheta Heliseus vates ob ingentia miracula à se edita inclytus floruit sub Joram Rege Israël, teste Josepho. Res verò ejus narrantur libro quarto Regum cap. II. III. IV. V. & VI. quæ fuerunt hujusmodi.

Ab eo viduæ filius resuscitatus) Unum ex mirandis operibus Helisei, quòd mortuum suscitavit. Vidua fuit, Sunamitis, ideſt, ex Suna oppido. *Syrus*

(531) Qui numero erant circiter CCCC. viri. Vide III. Regum XXII. 6.

(532) Vocabulo *exitiabilis* subinde usus est noster pro *exitialis*. Sed usi eo & antiquiores fuerunt, interque hos ipse quoque Cicero.

(533) Numen Accaronitarum, quod Baalzebub vocatum.

(534) Sine prole, sive, ut cum Tertulliano loquar, improlis, aut illiberis. Itaque in Regnum ei successit Joram frater ejus, anno secundo Joram filii Josaphat Regis Judæ.

(535) Judæorum vulgus, & Sapientes credunt eum translatum in hortum Eden, hoc est, in Paradisum, ibique vivere cum anima, & corpore: a quibus diversi abeunt Recentiores Rabbini, & in his Rabbi David, qui scribit eum turbine raptum è terra in aërem usque ad sphæram ignis, ibique consumptum corpus ejus, spiritum autem rediisse ad Deum, qui dedit ipsum. Sed vide s. Jo. Chrysostomum Homilia I. de Elia.

Supra pag. 15. *Enoch ob justitiam translatus*. Quò verò translatus sit, id subaudiendum est. Sic & Auctor epist. ad Hebr. cap. XI. μετετέθη *transpositus est*; subaudito itidem, nec disertè expresso, quò transpositus sit.

(536) Credo Sulpicium scripsisse *Eliseus*, vel potius *Heliseus*; quia video, Interpretes Græcos, ad quos alludere solet noster, scripsisse Ἐλισαιέ.

(537) Miracula & miraculosa opera vocat *signa*; uti supra. Vide Notas in pag. 14. num. 171.

Syrus leprâ purgatus. Famis tempore, omnium rerum copia fugatis hostibus invecta, in usum trium exercituum aquæ præbitæ: (538) de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum, (539) & ipsi sufficiens vivendi substantia (540) data.

Hujus temporibus, ut diximus, Ochozias (f) duarum Tribuum erat Rex: decem verò Joram, ut supra retulimus, imperabat. Interque eos fœdus ictum. Nam & adversùs Syros junctis viribus bellatum: & adversùm Jehu, qui per Prophetam in Regem decem Tribuum unctus fuerat, (541) pariter in prœlium egressi, eadem pugna interiere.

JEHU REX ISRAEL.

Sed Regnum Joram, Jehu tenuit, posito (542) Ochozia in Juda Rege, qui uno anno regnavit. (t)

ATHALIA REGINA JUDÆ.

Mater ejus Gotholia (543) imperium occupavit, adempto nepoti imperio, etiam tum parvo puero, cui Joas nomen fuit. (u)

JOAS REX JUDÆ.

Sed huic ab avia præreptum imperium, post octo ferè annos (544) per Sacerdotem, & populum (545) depulsâ aviâ redditum. (x) Hic initio Regni observantissimus divini cultus fuit

Syrus lepra purgatus) Alterum operum Helisei, quòd leprosum sanavit. Rex Syriæ de virtutibus Helisei certior factus misit Principem militum Naamam cum literis ad Joram Regem Israël, præcipiens, ut virum illum sanaret. Quæ res cùm Joram in magnum tumultum conjecisset, Heliseus re cognita hominem ad se accitum curavit, jubens, ut septies se ablueret in Jordane, atque ita sanitatem recepit; qui typus videtur baptismi, quo lepra peccati abluitur.

Famis tempore) Tertium opus Helisei, quòd in summa inopia copiam imminere, prædixit. Quod autem scribit, fuit ejusmodi. Cùm Benadad Rex Syriæ obsideret Samariam, fames urbem adeò sæva invasit, ut caput asini venderetur octoginta argenteis, & quarta pars stercoris columbarum, quinque argenteis. Ea de re anxio Rege Joram, Heliseus prædixit, ingentem copiam mox affuturam, ac paulo post exercitus Syriæ panico terrore copiarum Israëlitarum perculsus obsidione soluta recessit, & Tabernacula cibariorum, opumque plena reliquit, prædaque opima potiti Israëlitici, Heliseum vera vaticinatum esse probarunt.

In usum trium exercituum aquæ) Quartum opus Helisei. Tres Reges Israël, Judæ, & Edom exercitus ducebant adversùs Moabitas per solitudinem Idumeæ. Laborantes autem penuria aquarum, Rex Israël Heliseum consuluit, qui ita dixit: *Facite alveum torrentis hujus fossas, & fossas; non videbitis ventum, neque pluviam, & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & jumenta vestra.*

De exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum) Hoc quintum est ex mirabilibus operibus Helisei, quòd oleum modicum auxit. Querente enim muliere vidua, quòd non haberet, unde solveret debitum mariti mortui, Eliseus modicum olei, quod illa habebat, in tantam magnitudinem auxit, ut abundè habuerit, unde æs alienum dissolverit.

(f) Præclarius fuerat dicere, Heliam translatum esse, & Heliseum prodigia edidisse sub Joram Rege Israël, & Joram Rege Judæ, quam sub Ochozia Rege Judæ. Nam Joram Rex Israël Imperium tenuit annos duodecim, Joram Judæ annos octo eodem tempore. Ochozias verò annum unum, qui fuit duodecimus Joræ Israëlitici. Sic enim omnia in unum conjiciuntur, cùm in multos fuit digerenda. Adde, quod Helias, & Heliseus inter decem Tribus vaticinium exercuerunt, non inter duas.

Inter eos fœdus ictum. Nam & adversùs Syros junctis viribus bellatum, & adversùm Jehu) Anno duodecimo Joram Israëlitici Ochozias Imperium nactus fœdus icit cum eo, atque cum eodem adversùs Hazael Regem Syrorum profectus est. In eo bello Joram vulnus accepit, & curandi sui causa in Jezrahel recessit. Heliseus interim jussu Dei misit Prophetam, qui ungeret in Regem super Israël Jehu filium Josaphat filii Namsi, ut ulcisceretur domum impii Achab, quemadmodum se facturum esse denunciarat. Quo facto Jehu Rex declaratus ad Jezrahel contra Joram profectus est, qui in lecto cubabat ægrotus, assidente sibi Ochozia Rege Judæ; & cùm ambo sibi obviam processissent, adortus eos disjecit, ac post necavit; & scriptis literis in Samariam, omnem progeniem Achab delevit, ita ut a Deo prædictum fuerat.

(t) Hoc male librarii interpunxerunt. Tu igitur sic distingue: *Sed Regnum Joram Jehu tenuit. Posito Ochozia in Judæa Rege, qui uno anno regnavit, mater ejus Gotholia imperium occupavit.* Posito autem videtur scriptum pro deposito, idest, sepulto. Res enim ita narratur cap. XI. ubi Athalia pro Gotholia scribitur. Sed Gotholiæ nomen est in Paralip. Hæc est autem quarta familia, quæ tenuit Regnum Israël.

(u) Nam Athalia omnes filios filii Ochoziæ interemit, præter Joam annum unum natum, quem Josaba amita surripuit, & marito Jojadæ Pontifici educandum occulte prabuit. Athalia inde septem annos imperium tenuit, seque in omnibus rebus iniquissimè gessit, quemadmodum Achabi filiam decuit.

(x) Josaba Ochoziæ soror Joam puerum post septem annos divulgavit, & legendum Regem curavit contra Athaliam aviam ejus, quam Jojada Pontifex populo incitato de medio sustulit. Erat autem septem annorum Joas, cùm regnare instituit. Ibidem.

Hic

(538) Tres illi exercitus, Regis Juda, Regis Israël, & Edomitarum fuere. Vide II. Reg. III. 16.

(539) Josephus: Ὠβδίου, τοῦ Ἀχάβου οἰκονόμου γυνή. Eum sequuntur Hebræi, Theodoretus, Lyranus, Abulensis, & alii; & volunt hoc beneficium viduam ejus consecutam, ob centum Prophetas in persecutione Jezabelis absconditos, & alios.

(540) *Substantia* tullius pro bonis, facultatibus. Vide supra Notas in pag. 24. num. 86

(541) Bis videtur unctus fuisse. Semel ab Elia III. Regum XIX. 15. Deinde ab Elisæo. *Cajetanus*.

(542) In Coloniensi & Amstelodamensi editionibus male conjuncta hæc sunt cum proximis superioribus, & a proximis sequentibus majore distinctione separata. *Posita* scriptum videtur pro *composito*, *sepulto*. Sanè *componere* dicunt pro *sepelire*. Virg.

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Et Horatius:

— — Est tibi mater?
Cognati, quis te salvo est opus? haud mihi quisquam.
Omnes composui.

(543) Athaliam vocat *Gotholiam*, secutus rursus Interpretes Græcos, qui vocant Γοθολίαν; quomodo supra *Gothoniel* pro *Othoniel*, eosdem secutus Interpretes dixit.

(544) Imò verò post sex annos, ita enim disertè habent origines, II. Reg. XI. 3.

(545) Idest per Jojada Pontificem, cujus meminit Eusebius in Chronico per hæc verba: *Jojada apud Hebræos insignissimus erat Pontifex, qui solus post Moysen vixit annos centum triginta.* Mirandum non est si Jojada, & civis bonus, & in magno Magistratu constitutus, ac per affinitatem obstrictus ad curam Regis pupilli, cujus sororem in matrimonium habebat, vi regnantem, vi depulit.

fuit, magnifque fumptibus (546) Templum exornavit. Poſt adolatione Principum depravatus, adoratuſque ab eis, (547) Dei iram meruit. Namque ei Azahel Rex Syriæ bellum intulit: inclinatiſque rebus ſuis, auro Templi pacem redemit. (548) Nec tamen ea potitus eſt, facti invidiâ (549) à ſuis interfectus, anno Imperii quadrageſimo. Huic Amaſia filius ſucceſſit.

JOACHAS REX ISRAEL.

At in parte decem Tribuum defuncto Jehu, Joachas filius ejus regnavit, (y) inviſus Deo, malis operibus, ob quæ Regnum ejus Syris prædæ fuit, (550) donec Dei miſericordiâ depulſis hoſtibus, priſtinum habere ſtatum cœperunt.

JOAC REX ISRAEL, ET AMASIAS REX JUDA.

Joachas diem functus, Johæ filio reliquit Regnum. (z) Is Amaſiæ Regi duarum Tribuum civile bellum intulit, victoriaque potitus, multam prædam in Regnum ſuom convertit. Idque ob Amaſiæ delictum (551) accidiſſe traditur. Siquidem Idumæorum fines victor ingreſſus, idola gentis ejus aſſumpſerat. Hic novem annos regnaſſe ſcribitur, quantom in libris Regnorum re-

Hic initio Regni obſervantiſſimus divini cultus fuit, magnifque ſumptibus Templum exornavit) Sic capite XII. *Fecit rectum Joas coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada Sacerdos, & pecuniam, quæ offerebatur pro pretio animæ, inſtaurationi Templi attribuit, idque inſtauravit.*

Poſt adulatione Principum depravatus, adoratuſque ab eis) Hoc non eſt in libro Regum, ſed in II Paralip. cap. XXIV. *Mortuo Jojada, ingreſſi ſunt Principes Juda, adoraverunt Regem, qui delinitus obſequiis eorum acquievit eis, & lucis, ac ſtatuis ſervivit, & Zachariam Jojadæ filium pœnas comminantem interfici à populo permiſit.* Non eſt autem hic Zacharias ille Propheta, qui poſt captivitatem vaticinio claruit, cujus liber extat, ſed alter, ſcilicet ille, qui, ut ſcriptum eſt in Evangelio, periit inter Altare, & ædem, interprete S. Hieronymo.

Iram Dei meruit. Namque Azahel Rex Syriæ bellum intulit) Ibidem: *Et facta eſt ira contra Judam, & Jeruſalem propter hoc peccatum. Cumque evolutus eſſet annus, aſcendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Judam, & Jeruſalem, & interfecit cunctos Principes populi.*

Inclinatiſque rebus ſuis auro Templi pacem obtinuit) Sic in libris Regum. Cùm bellum Regis Syri propulſare vellet, omnia ornamenta, quæ pater, & avus ſuus Templo intulerant, abſtulit, ut Regi daret, ne Jeruſalem adiret.

Nec tamen ea potitus eſt, facti invidia à ſuis interfectus) Non quia donaria Templi abſtuliſſet, ſed quia Zachariam interfeceret, eſt Joas extinctus. Sic enim cap. XXIII. Regum quarto: *Surrexerunt contra Joam ſervi ſui in ultionem ſanguinis filii Jojadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo.* Vocat autem ſervos Scripturanos, qui ſubjecti erant Regis imperio.

Huic Amaſia filius ſucceſſit) Ibidem: *Regnavit Amaſias filius ejus pro eo:*

(y) Omiſſum eſt egregium Jehu facinus. Is enim *ſimulato cultu Baal omnes ſervos Baal in Templum advocavit, ut trucidavit, & ſtatuam ejus comminuit, & Templum evertit. Non tamen receſſit à cultu vitulorum, quos erexerat in Dan & Bethel Rex Jeroboam. Quare dixit ad eum Dominus: Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.* Rectè: Nam hi poſt illum ex poſteritate ejus regnarunt, Joachas, Joas, Jeroboam, & Zacharias, quem Sellum occidit. De Joachas partem Jehu excipiente lib. IV. cap. XIII. Regum.

Inviſus Deo malis operibus) Ibidem: *Joachas fecit malum coram Domino, ſecutuſque eſt peccata Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Iſraël, & non declinavit ab eis.*

Ob quæ Regnum ejus Syris prædæ fuit) Ibidem: *Iratuſque eſt furor Domini contra Iſraël, & tradidit in manu Hazaël Regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazaël cunctis diebus.*

Donec Dei miſericordia depulſis hoſtibus priſtinum habere ſtatum cœperunt) Ibidem: *Deprecatus eſt Joachas faciem Domini, & audivit eum Dominus. Vidit enim anguſtiam Iſraël, quia attriverat eos Rex Syriæ, & dedit Dominus Salvatorem Iſraeli, & liberatus eſt de manu Regis Syriæ, habitaveruntque filii Iſraël in Tabernaculis ſuis, ſicut heri, & nudiuſtertius.*

(z) Anno triceſimo nono, quo regnabat Joas Rex Judæ, cui ſucceſſit Amaſias filius, obiit Joachas Rex Iſraël, ac Regnum Joæ filio reliquit.

Is Amaſiæ Regi duarum Tribuum civile bellum intulit) Hoc facere potuit, quia Amaſias iniit Regnum Judæ anno ſecundo ipſius Joæ Regis Iſraël bellum inferentis. Quamvis Sulpicius ante meminit Regis Amaſiæ, quam Joæ ineuntis. De civili hoc bello, ſic ibidem: *Amaſia Rex Juda provocavit Joam Regem Iſraël, & congreſſus cum eo in Bethſames oppido Judæ, percuſſuſque eſt Juda coram Iſraël, & fugerunt unuſquiſque in Tabernacula ſua. Amaſiam verò Regem cepit Joas in Bethſames, & adduxit eum in Jeruſalem, & interrupit murum Jeruſalem. Tulitque omne aurum, & argentum, & vaſa, & obſides, & reverſus eſt in Samariam.* Ex quo apparet, Regem Iſrael non bellum intuliſſe, ut inquit Sulpicius, Amaſiæ, ſed excepiſſe.

Idque ob Amaſiæ delictum accidiſſe traditur, ſiquidem Idumæorum fines victor ingreſſus idola gentis ejus aſſumpſerat) De bello Idumæorum ſic in Regibus: *Amaſias percuſſit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit Petram in prælio.* Atque hoc factum eſt, antequam provocaret Regem Iſraël. De idolis verò ſic in Paralip. *Amaſias poſt cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, ſtatuit illos in deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum. Quamobrem iratus Dominus contra Amaſiam, miſit ad eum Prophetam.*

Hic novem annos regnaſſe ſcribitur, quantum in libris Regnorum reperi) Hodie lib. IV. Regum cap. XIV. ſic ſcribitur: *Amaſias viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet, viginti autem & novem annos regnavit in Jeruſalem.*

Sed in Paralipomenis, atque etiam in Chronicis, novem & viginti annos Imperium tenuiſſe annotatum eſt) Idem numerus, & eadem verba hodie ſunt etiam in II. Paralip. capite XXV., quæ ſunt in Regibus.

(546) Triplici pecunia. Primum genus erat, quod pii alienigenæ dabant, qui Deum in ambitu Templi adoraturi venerant. Alterum fuit capitatio, quam pendere Iſraelitæ ſinguli debebant in uſus Templi, ideſt διδραχμον, de quo S. Matthæus XVII. 24. Exodi XXX. 13. Tertium, quod ſponte conferebant, qui vellent. Exodi XXV. & alibi.

(547) Alludit ad II Paralip. XXIV. 17.

(548) Joas contertitos, omnes theſauros Dei, piorumque Regum exhauſit, & detracta Templo donaria miſit ad Syrum, pacem redimere, & ſecuriſaret, ne oppugnatus in extremum rerum ſuarum diſcrimen adduceretur. Ille tam ingenti pecunia corruptus, vim exercitus a Regia Urbe abſtinuit. *Joſephus.*

(549) *Invidiam* pro odio dicit, ut ſupra. Cæterùm quòd invidiâ ejus, quòd Joas aurum ex Templo ſuſtuleret, eoque pacem redemerat, eundem interfectum putas noſtei, id non ex ſacris literis hauſit, ſed ex conjecturâ addidit. II. Paralip XXIV. 25. alia adlegatur cauſa; nimirum quòd Zachariam, filium Jojadæ, interfeciſſet.

(550) Hujus copias Rex Syriæ tantopere attrivit, ut ex numeroſo exercitu, non plus quam decem millia peditum, equitum quingenti ſupereſſent. Qua expeditione multas magnas urbes illi ademit. *Joſephus.*

(551) Quòd Idumæorum fines victor ingreſſus, idola Gentis ejus aſſumpſerat. II. Paralip. cap. XXV.

reperi. (552) Sed in Paralipomenis, atque etiam in Chronicis, (553) oovem & viginti annos Imperiom tenuiſſe annotatum eſt: ea nimirum id perſuadente ratione, quæ in his Regnorum libris facilè perſpici poteſt.

JORAM, SIVE JEROBOAM REX ISRAEL.

Joram enim Rex decem Tribuum, octavo anno (554) Imperii Amaſiæ traditur regnare cœpiſſe, (a) unumque & quadraginta annos Imperium tenuiſſe: regnante demum Ozia Amaſiæ filio, quarto Imperii ejus anno defunctus eſt. Qua ratione viginti & novem annos (555) Regi Amaſiæ effecit. Itaque nos hoc ipſum ſecuti, quia rationem temporum perſequi placet, Chronicorum auctoritati acceſſimus. Igitur Amaſiæ Ozia filius ſucceſſit; nam in parte decem Tribuum Joas diem functus, Joram filio locum fecerat. (556)

ZACHARIAS REX ISRAEL.

Poſtque hunc Zacharias ejus filius regnavit. (b) Horum nos Regum, omniumque, qui in parte decem Tribuum Samariæ præfuerunt, annotanda eſſe tempora non putavimus: quia brevitati ſtudentes, ſuperflua omiſimus, & ad cognitionem temporum ejus potiſſimum partis (557) annos credimus perſequendos, quæ in captivitatem poſteriùs abducta, prolixius tempus in Regno habuit.

OZIAS REX JUDÆ.

Igitur Ozias Regnum Judæ adeptus præcipuam curam Domini cognoſcendi habuit, (c) Zacharia Propheta plurimum uſus: (558) Eſaias etiam ſub hoc primùm prophetaſſe traditur, (559) quo merito (560) proſperis eventibus adversùs finitimos bella geſſit. Arabas etiam devicit. Jamque Ægyptum terrore nominis ſui concuſſerat, elatuſque ſecundis rebus, illicita præſu-

(a) Hodie quoque in libris Regum, capite VIII. libro IV. ſic legitur: *Anno quinto decimo Amaſiæ Regis Juda regnavit Jeroboam in Samaria, filius Joas Regis Iſraël, quadraginta & uno anno*; & rectè legitur. Ceterùm in libris Regum dicitur *Jeroboam*, qui in Paralip. *Joram*.

Regnante demum Ozia Amaſiæ filio, quarto Imperii ejus anno defunctus eſt) Quid ſibi velit illud *Quarto*, non video. Siquidem Joram, ſive Jeroboam defunctus eſt anno XXXVIII. Oziæ. Nam eo anno Zacharias filius ſucceſſit ei, ex libris Regum.

Qua ratione viginti & novem annos Regi Amaſiæ effecit) Si etiam ea, quæ ſcribit Sulpicius, vera eſſent; tamen hunc numerum viginti novem annorum non efficerent. Nam ſi ſumas annos Amaſiæ, qui ſunt ab octo ad viginti novem, efficiunt viginti unum, ſi addas quatuor Oziæ, erunt viginti quinque, non viginti novem. Ut igitur hic numerus conficeretur, ita legendum eſſet. *Joram enim Rex decem Tribuum quinto decimo anno Imperii Amaſiæ traditur regnare cœpiſſe, unumque & quadraginta annos Imperium tenuiſſe. Regnante demum Ozia Amaſiæ filio, viceſimo octavo ejus Imperii anno defunctus eſt.*

Itaque nos hoc ipſum ſecuti Chronicorum auctoritati acceſſimus) Euſebii Chronica intelligere poteſt, qui annos viginti novem Amaſiæ tribuit.

Igitur Amaſiæ Ozia filius ſucceſſit) Qui in libris Regum dicitur Azarias, in Paralipomenis appellatur Ozias, ut etiam a S. Matthæo capite I. Hoc regnante Oſee Propheta vaticinium ſuum initit, ut ipſe ſcripſit. Item Amos: Uterque excidia Iſraelitarum, & Judæorum, itemque vicinorum Regum futura prædixit.

Nam in parte decem Tribuum Joas diem functus Joram filio locum fecerat) Hoc ſignificavit ſupra, quando dixit: *Joram enim Rex decem Tribuum octavo anno Imperii Amaſiæ traditur regnare cœpiſſe.*

(b) Ibidem Zacharias excepit Jeroboam patrem anno trigeſimo octavo Oziæ Regis Judæ.

Horum nos Regum) Reddit rationem, cur non noſet numerum annorum, quos regnarunt Reges Iſraël, ita, ut eorum, qui fuerunt Judæ, & inquit, ut prolixitatem vitaret, & quia ſeries annorum Regum Judæ longiùs producta eſt, quam Regum Iſrael, & propterea eorum potius, quàm horum, habuit rationem, ut aptiorum ad tempora digerenda. Nam Reges Iſrael multis annis ante in Aſſyriam translati ſunt, quam Reges Judæ in Babyloniam.

(c) Ozias clarum fuit pietatis exemplum. Sic in libris Regum: *Fecit, quod placitum erat Domino juxta omnia, quæ fecit Amaſias pater ejus.*

Zacharia Propheta plurimum uſus) In Paralip. *Et exquiſivit Dominum in die Zachariæ intelligentis, & videntis Deum; cùmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.*

Eſaias etiam ſub hoc primum prophetaſſe dicitur) Sumpſit ab Iſaia, qui ſic exorſus eſt: *Viſio Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam, & Jeruſalem in diebus Oziæ, Joatham, & Achaz, & Ezechiæ Regum Juda.* Item in Paralip. Hic præter ceteros adeò apertè de Chriſto vaticinatus eſt, ut Evangeliſta potius, quam Propheta cenſendus ſit, teſte S. Hieronymo.

Quo merito proſperis eventibus adversùs finitimos bella geſſit) Ideſt, Philiſtæos, & Ammonitas, ex Paralipomenon libris.

Arabas etiam devicit) Item in Paralipomenis.

Jamque Ægyptum terrore nominis ſui concuſſerat) Item in Paralip. *Et divulgatum eſt nomen ejus uſque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.*

Eſa-

(552) In libris Regum ſe reperiſſe dicit, Amaſiam novem annos regnaſſe. At II. Reg. XIV. 2. diſertè legitur, Amaziam viginti novem annos regnaſſe. Neque ipſa verſio Græca, quam ſequi ſolet noſter, aliter habet. Quare non erat, quòd diſcrepantiam librorum Regum, & Paralipomenon noſter hic notaret.

(553) Chronica intelligit Euſebii.

(554) II. Reg. XIV. 23. legitur: *decimoquinto*.

(555) Ipſum Euſebium intelligere videtur, cujus Chronica non raro citat. Quæ Chronica ita omnino habent: *Ebræorum Juda Amaſias annos XXIX.*

(556) Morte ſcilicet. Quâ ratione phraſin ſæpenumero uſurpavit.

(557) Partem intelligit duarum Tribuum; quæ Regnum Judæ vocari ſolet.

(558) II. Paralip. XXVI. 5. Zacharias iſte vocatur *intelligens in viſionibus Dei*. Sed Interpretes Græci habent: τοῦ συνιόντος ἐν φόβῳ Κυρίου. Vide Obſerv. Druſ. l. IV. capp. 20. & 22.

(559) Iſaiæ I. 1. Hic præter ceteros adeò apertè de Chriſto vaticinatus eſt, ut Evangeliſta potius, quam Propheta cenſendus ſit, inquit S. Hieronymus.

(560) Quod Eſaias ſub Ozia vaticinatus eſt, eo *merito* Oziam proſperis eventibus adversùs finitimos bella geſſiſſe ſcribit. Ubi vox *meritum* non vulgarem ſignificationem obtinet, ſed novam. Sic ſupra pag. 32. dixit: *Benedictionis merito majori minorem præpoſuiſſet.* Et pag. 50. *Merito fides vallem avertit*. Adparet vocem in his *cauſam efficientem*, quam vocant, ſignificare: & cùm alibi ipſe caſus ablativus vim cauſæ efficientis involvat, in his quaſi per pleonaſmum vox *merito* adjicitur.

sumens, (561) incensum Deo obtulit: quod solis facere Sacerdotibus fas erat. (562) Itaque cùm per Azariam Sacerdotem increpitus eo loco decedere cogeretur, atque ia itam exarsisset, lepra oppletus decessit. (563) Quo morbo affectus, vitâ functus est, cùm regnasset annos duos & quinquaginta.

JOATHAS REX JUDÆ.

Regnum inde Joathæ (564) filio datum: (d) isque admodum sanctus fuisse traditur, prosperèque imperium administravit: gentem Ammonitarum bello victam, stipendium (565) præstare coëgit. Regnavit autem annis XVI. Eidemque Achaz filius successit.

NINIVITARUM POENITENTIA.

Celebris circa hæc tempora (566) Ninivitarum fides (e) traditur. Id oppidum olim ab Assur, Seon filio (567) conditum, caput Regni Assyriorum fuit: frequens tum incolentium multitudine, alens virorum (568) millia C & XX. atque, ut in magno populo, abundans vitiis. Queis Deus motus, Jonam Prophetam ex Judæa ire præcepit, ac denunciare urbi exitium, sicut olim Sodoma & Gomortha divinis ignibus conflagrassent. Verùm Propheta prædicationis (569) istius ministerium detrectans, non contumacia, sed præscientia, qua videbat Dominum pœnitentia populi placandum, (570) navim, quæ longè diversa regione Tharsos (571) petebat, conscendit. Sed ubi in altum processum, nautæ sævitiâ maris compulsi, quisnam esset mali causa, sorte exploravere. Cùm super Jonam sors decidisset, (572) tanquam pia-

Elatusque secundis rebus illicita præsumens incensum Deo obtulit, quod solis facere Sacerdotibus fas erat) Ibidem: *Sed cùm corroboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum suum, ingressusque Templum Domini adolere voluit incensum super Altare thymiamatis, statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos; & cum eo Sacerdotes Domini octoginta restiterunt Regi, & dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus.*

Lepra oppletus decessit) Decessit, non est obiit, sed templo abiit. Nam post subdit; quo morbo affectus vita functus est. Expressit enim verba Paralip. Et ipse perterritus acceleravit egredi.

Cùm regnasset annos duos & quinquaginta) Ex cap. XV. lib. IV. Reg.

(d) Ex eodem loco. Ceterùm regnante apud Judam Joatha Michæas prophetiam inivit, ut ipse scripsit, eamque deinceps sub Achaz, & Ezechia exercuit, exitium Israeli, & Judæ propter impietatem denuncians, ac tandem redemptionem etiam ostentans. Quod post ipsum plurimi alii præcipuo Dei beneficio surdis Hebræorum auribus frustra intonuerunt.

Ipse admodum sanctus fuisse traditur) Quippe fecit, *quod placitum erat Domino juxta omnia, quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est.*

Gentem Ammonitarum bello victam stipendium præstare coegit) Nec solum pietate, sed etiam fortitudine excelluit. Nam *pugnavit contra Regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, & hordei.*

Eidemque Achaz filius successit) Et hoc est cap. XV. III. Regum, & II. Paralip. cap. XX.

(e) Interserit Ninivitarum historiam, quæ fuit talis. Ninive urbs erat Regni Assyriorum caput ad Tigrim amnem, quod tum tenebat Pholbelochus, qui Sardanapalo occiso Regnum assumpserat. Cùm igitur populus Ninives prosperis rebus cœcatus omnibus se flagitiis, probrisque pollueret, iratus Deus, misit ad eum Jonam Prophetam, ut Regi, & populo extremam eladem imminere denunciavit. Qua re audita illi, licèt errore gentilitatis infecti, pœnitentiam actam egerunt, atque ita irâ Dei in præsens placatâ, calamitatem illam in aliud tempus averterunt. Hæc igitur legatio Jonæ Prophetæ ad Ninivitas hoc loco narratur, petita ex libro Jonæ, in quo ipse rem præcipuè memoriæ commendavit, sed ita, ut tempus, quo hæc gesta sint, occultet. At liber quartus Reg. cap. XIV. ostendit, sub Jeroboam Joas filio hæc accidisse. *Jeroboam*, inquit, *restituit terminos Israel juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam.* Atque ita exposuit quoque Josephus lib. IX. & post eum S. Hieronymus.

In oppidum olim ab Assur Sem filio conditum) Sumptum ex IV. Genesis.

Alens virorum millia centum viginti) Ex cap. IV. Jonæ.

Thar-

(561) *Præsumere* pro *accipere*, *instituere*, *audere* non est antiquioris ævi. Antiquioribus *præsumere* idem fuit, quod *ante capere*; aut *ominari*, & *animo præcipere*. Quas significationes & in libro de Latinitate falso susp. pag. 184. notavimus. Supra pag. 63. noster & sic habet: *Illicitâ præsumtione holocaustum obtulit*. Vide Notas ad eum locum num. 400.

(562) Nam ipsi ne intrare quidem Basilicam Templi, in qua erat Altare suffitus, licuit. Numerorum cap. III. & XVIII.

(563) Non è vitâ, sed è templo tantùm. Sequitur enim: *Quo morbo adfectus vitâ functus est*. Præcessit quoque phrasis plena, *eo loco decedere*.

(564) Fuit initio Vicarius Regis, per tres quatuorve annos. Deinde mortuo ex asse successit.

Est is Jotham. Quod A inseruit, secutus rursus est Græcos Interpretes, qui scripserunt Ἰωάθαμ.

(565) Ut supra: *stipendium imponere*, *stipendium laxare*: idest, tributum. Infra dicit: *tributum pendere*.

(566) Quartus liber Regum ostendit, Jonam sub Jeroboam Joas filio vixisse. IV. Regum XVI. 25. Atque ita exposuit quoque Josephus, & post eum Sanctus Hieronymus.

(567) Nihil etiam dubitans lego: *Sem filio*. Nam Assur filius Sem, Gen. X. 22. Hic Niniven primus condidit, Gen. X. Unde inquit Eucherius: *Assur Assyrii, ab Assur filio Sem. Hi urbem Ninum ex nomine Nini Regis condiderunt, quæ nunc Ninive vocatur*. Ita censet Drusius; sed alii legunt: *Semiramidis filio*.

Drusius non dubitat legendum esse *Sem filio*: quoniam Gen. X. 22. disertè legitur: *Assurem, filium Semi, Niniven condidisse*.

(568) Legendum fortasse *puerorum*. Horum enim tot millia eam urbem habuisse, ex ipsis originibus constat.

(569) *Prædicationis* vocabulum sensu Ecclesiastico hic usurpatum, ut supra. Cujus rei occasio fuit, quòd Latinus Interpres eo vocabulo usus fuerat ad vocem Græcam κήρυγμα exprimendam.

(570) Editio Coloniensis habet: *quia*, *placandum scilicet esse*, scripsit pro *placatum iri*: idque pro solenni suo.

(571) Drusius legendum putat *Tharsis*: quia versio Græca, quam noster sequi solet, Jon. I. habet: Καὶ ἀνέστη Ἰωνᾶς τοῦ φυγεῖν εἰς Θαρσίς. Quid verò *Tharsis* sibi velit, optimè conjecisse videtur Arnoldus Boötius in Animadversionibus sacris; quod videlicet sit Tartessus.

(572) Phrasis illa inter Hebraismos numeranda videtur. Hebræi dicunt: נפל גורל על פלוני *cadit sors super aliquem*: quæ phrasis & in historiâ Jonæ legitur. Interpretes Græci verbum de verbo expresserunt, verteruntque ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ἰωνᾶν. Sed & Lucas Act. I. eamdem phrasin usurpavit.

piaculum tempestatis in profundum projectus est : exceptusque à cœto, marino monstro, ac devoratus, post triduum ferè (573) Ninivitarum litoribus ejectus, (574) jussit prædicat, urbem scilicet ob peccata populi triduo perituram. (575) Igitur non dissimulanter. ut olim Sodomis, audita est vox Prophetæ: ac statim jussu Regis, exemploque populus universus, quin & recens nati, cibo potuque abstinere jubentur: jumenta itidem & diversi generis animalia compulsa fame ac siti, lamentantium speciem cum hominibus præbebant. Ita imminens malum aversum. Jonæ apud Deum conquerenti, quòd fides dictis non affuisset: (576) responsum, pœnitentibus veniam negari non posse.

SELLA REX ISRAEL.

At in Samaria Zachariam Regem admodum impium, quem superius regnasse memoravimus, Sella quidam interemit, (f) Regnumque occupavit.

MANEHEM REX ISRAEL.

Idemque Manæ insidiis, (577) exemplo facti sui (g) perit. (578) Mane ereptum Sellæ imperium tenuit.

PHACEJA REX ISRAEL.

Filioque Pachæ reliquit. (h)

PHA-

Tharsis petebat) Tharsum urbem Ciliciæ principem significat, ut Interpretatur Josephus. S. Augustinus Tharsis Ciliciam, Tharsum urbem Metropolim tradidit. Idem etiam Tharsein Carthaginem potius esse putavit in expositione Psalmi XLVII. *In spiritu violento conteres naves Tharsis*.

Ninivitarum litoribus ejectus) Jonas scripsit, se ejectum in aridam, idest, in litus; Ninivitarum verò non dixit. Quomodo autem potuit, qui in mari Syriaco devoratus est à cœte, ejici ab eodem ad litora Ninive, quæ erat ad Tigrim? at Josephus melius: *Ejectus est ad litus Ponti Euxini, unde pedibus se Ninive contulit*.

Ac statim jussu Regis, exemploque populus universus, quin & recens nati cibo, potuque abstinere jubentur. Jumenta itidem, & diversi generis animalia compulsa fame, ac siti lamentantium speciem cum hominibus præbebant) Hoc longè aliis verbis expressit Jonas: *Rex surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere: & clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis, & Principum ejus dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine*. Tria porrò sunt, quæ in luctu, & dolore magno, aut in peccati pœnitentia antiquitus facere Hebræi, atque Hebræorum exemplo ceteri, qui aliquam Dei notitiam habuerunt. Vestimenta sua sciderunt, aut eis abjectis saccum induerunt, jejunio se macerarunt, & capita pulvere, aut cinere conspergebant, ut Gen. cap. XXXVII. Lev. XXI. Num. XIV. primo Reg. cap. I. secundo Paralip. cap. XX. Eversio autem Ninivis, quam nunc Deus remisit, post sub alio Rege accidit, ut diceramus. S. Augustinus in lib. de symbolo ad catechumenos ostendit, omnibus actionibus Jonæ respondere actiones Christi.

(f) Hoc his verbis expressum est cap. XV. IV. Regum: *Zacharias fecit, quod malum erat coram Domino, sicut fecerant patres ejus. Non recessit à peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. Conjuravit autem contra eum Sella filius Jabes, percussitque eum palam, & interfecit, regnavitque pro eo*. Atque in hunc modum quarta familia Regum Israel a Deo excitata ad id fastigium, ut religionem suam conservaret, propter cultum impietatis exstincta est. Fuit autem progeniei Regis Jehu.

(g) Quod evenit olim Zambri, ut interfecto Ela Regnum per vim occupatum septem in dies tenuerit, idem quoque Sellæ contigit, qui eo uno tantùm mense potitus est. *Nam*, ut inquit Scriptura, *ascendit Manehem filius Gadi de Tersa, venitque in Samariam, & percussit Sellam filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, regnavitque pro eo*. Et hæc quinta Regum familia fuit. Legendum autem videtur pro *Manæ insidiis*, *Manehem insidiis*. Extremæ syllabæ locum errori dederunt.

Mane ereptum Sellæ imperium tenuit) Sic cap. XV. quarti Regum: *Manehem fecit, quod erat malum coram Domino, non recessit à peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus. Venit Phul Rex Assyriorum in Therson, & dedit Manehem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmaret Regnum ejus. Indixitque Manehem argentum super Israel cunctis potentibus, & divitibus, ut daret Regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti, reversusque est Rex Assyriorum, & non est moratus in Thersa*. Hic dicitur a gentilibus Phulbel Ochus, qui regnavit inter Assyrios exstincto Sardanapalo, ac primus cum Israelitis negotium habuit.

(h) Regnavit Phaceja filius Manehem pro eo, qui & ipse patrem imitatus *malum fecit coram Domino*. Quare occisus simul vitam imperiumque amisit.

(573) Redundat *ferè*; nam Jonas fuit in visceribus piscis tres dies, & tres noctes, ut certum est ex Sacra Scriptura.

Fere παρέλκει rursus, ut supra non semel.

(574) Ingens ἀνιστορησία. Qui Ninivitarum litoribus ejici potuit a pisce, cùm in mari Mediterraneo ab eodem absorptus esset? Origines tantum habent, ejectum fuisse in aridam, idest, in siccum, in terram.

(575) Expressit lectionem Græcam Sulpicius ἔτι τρεῖς, quam corruptam indicat Theodoretus, legendumque: *adhuc* τεσσαράκοντα *quadraginta dies*, ut habet Vulgatus Interpres. Sanctus tamen Augustinus de Civitate Dei libro XVIII. cap. 44. conatur eam excusare, & S. Prosper Aquitanus scripsit:

Sic Ninive, monitis Jonæ, sub tempora cladis
Credidit, & tribus in luctu jejuna diebus
Promeruit morum excidium consistere Regno.

Secutus rursus est Interpretes Græcos, qui habent; Ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ Νινευὴ καταστραφήσεται. At textus Hebræus habet *quadraginta*.

(576) Justinus lib. XIII. *Ut verò mortis ejus fides adfuit*. Et lib. IX. *Ea primùm fides imperio Scytharum fuit*.

(577) Alibi Manes, Manem, & est contractum ex Manahem. Porrò in contractione Manem pro Manahem, nullum est mendum; nam similis contractio in Manaim pro Mahanaim, idest castra, ut putavit Drusius.

Nomen explicatum, nec contractum est *Manahem* & *Manahem*. Unde fit *Manem*, & terminatione Græcâ, aut Latinâ, *Manes*. Sed mox adparet & decurtatio, ut pro *Manem* vel *Manes* scriptum sit *Mane*.

(578) Nam Manahem, nomine Regis sui Zachariæ Thirzam obsidens, audita cæde ejus, Sellum quoque sustulit, & imperium rapuit. *Josephus*.

PHACEE REX ISRAEL.

Translatio Zabulon, & Nephtalim in Assyriam.

Eundem verò Pache quidam ejusdem nominis interemit, (579) Regnumque occupavit. (i)

OSEE REX ISRAEL.

Mox ab Osee peremptus, eodem scelere, quo assumpserat, imperium amisit. (k) Hic ultra omnes Reges superiores impius, (580) pœnam sibi, perpetuamque genti captivitatem à Deo meruit. Namque ei Salmanassar Rex Assyriorum intulit bellum, victumque, tributarium sibi effecit. Sed cùm occultis consiliis rebellionem pararet, Regemque Æthiopum, qui tum Ægyptum (581) obtinebat, in auxilium accerseret, idque Salmanassar comperisset, perpetuis eum vinculis in carcerem conjecit, (582) urbemque excidit, (583) populum universum in Regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo ad custodiam positis; exinde ea pars Samaria (584) appellata: quòd lingua Assyriorum custodes Samaritas vocant, (585) ex quibus plerique divinas

(i) In libris Regum non sunt ejusdem omnino nominis filius Regis Manahem interfectus, & interfector ac successor ejus. Nam ille Phaceja, hic Phacee dicitur. Res autem ejus per annos viginti gestæ, & a Sulpicio prætermissæ, hæ fuerunt. Jeroboami impietatem imitatur, Judæam sub Rege Judæ Joatham excursionibus vexat, inde assumpto Rasi Rege Syriæ, Achazum successorem Joathæ armis aggreditur, & facta ingenti cæde Jerosolyma obsidet. Achazus in auxilium sui Regem Assyriorum advocat, qui Teglat Phulassar dicebatur, qui Galilæam ei adimit, & Tribus Galilææ Zabulon, & Nephtalim in Assyriam transfert, atque hæc prima transmigratio fuit populi Israel. Quare Phacee in odium suorum adductus ab Osee inita conjuratione peremitur, lib. IV. Reg. cap. XV. & XVI. Hoc modo Judæi Galilæa potiti eam habitare cœpisse judicari possunt.

(k) Sic cap. XV. *Conjuravit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit, regnavitque pro eo.*

Hic ultra omnes Reges superiores impius) Immo minus, quàm Reges superiores, inquit Regum historia, cap. XVII. *Fecitque malum coram Domino, sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerunt.*

TRANSLATIO ISRAEL IN ASSYRIAM.

Namque ei Salmanassar Rex Assyriorum) Hæc est clades extrema Regum, & populi Israel, qua in Assyriam translatus est. Nam anno primo Osee Regis Salmanassar Rex Assyriorum exercitum adversùs Osee adduxit, victumque sibi dare tributum coegit. Atque inde domum regressus cùm septimo anno comperisset, Osee Legatos ad Sua Regem Ægypti misisse, ut ejus ope se a tributo imposito liberaret, iterum in Samariam venit, & Samariam triennio cum Rege obsedit, ac tandem anno nono cepit. Rex & populus captivus in Assyriam est translatus, & in urbibus Hala, & Habor juxta fluvium Gozam in Civitatibus Medorum collocatus, cap. XVII. & XVIII.

Tributarium sibi fecit) Anno primo Osee.

Sed cum occultis consiliis rebellionem pararet) Anno septimo Osee.

Regem Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat) Hic nominabatur Sua, neque à Scriptura, neque à Josepho Æthiopum Rex vocatur, sed tantùm Ægyptiorum.

Perpetuis eum vinculis in carcerem conjecit) Nempe post triennalem obsidionem anno nono.

Urbem excidit) Nempe Samariam. Meliùs erat dictu, *cepit*. Neque enim Scriptura excisam memorat, & rectè, cùm tradita sit ad habitandum Assyriis.

In Regnum suum abduxit) In Assyriam, & præcipuè Ninive Urbem. Consuevere enim Assyrii populos contumaces aliò transferre, ut in officio continerent. Pergit inde Scriptura dicere, in hanc cladem incidisse Israelitas, quia a cultu Dei, quem tradiderat Moyses, defecerant, & novam deorum religionem asciverant. *Factum est*, inquit, *cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti de manu Pharaonis Regis Ægypti, coluerunt deos alienos, & ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, & Regum Israel. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi Tribus Juda tantummodo, projecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua.*

Assyriis in hostili solo ad custodiam positis) Scriptura inquit, Assyrios in Samariam esse adductos, qui eam pro Israelitis incolerent, non qui custodirent. Sic enim cap. XVII. *Adduxit Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & collocavit eos in Civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus.*

Exinde pars Samaria appellata) Quanquam Samarites custodem significat, non tamen ex eo Samaria nomen accepit, verùm a *Somer*, qui montem vendidit, ubi urbs Samaria condita est, ut supra diximus. Sic enim Regum III. cap. XXXVI. *Amri Rex Israel emit montem Samariæ à Somer, & ædificavit eum, & vocavit nomen Civitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis Samariam.* Itaque multo ante hoc tempus Scriptura nomen Samariæ celebravit.

Ex

(579) Non omnino ejusdem nominis fuit; sed cognati seu adfinis. Sanè in Scripturâ Hebræâ diversitas satis est evidens.

(580) Impius quidem fuit Hoseas; sed non ultra tamen seu supra Reges superiores. II. Reg. VII. 2. scriptum est disertè, non perinde impium fuisse, ut superiores.

(581) In II. Reg. XVII. 4. tantùm *Rex Ægypti* vocatur; cui quidem *Se* nomen fuerit.

(582) Anno VII. Osee obsedit Salmanassar Samariam, & triennio post, eam cepit. Hic finis fuit Regni Israelitici, quum stetisset annos CCLVI. Consule Chronologiam Regum Israel in Sigoniana Hebræorum Republica.

(583) Fontes habent, cepisse modò, non verò & excidisse urbem.

(584) Aliter eos habet. Samaria regio ab ejus nominis urbe adpellata. Urbs verò à Monte, & hic denique à *Somer* quodam sic dictus fuit.

(585) Eusebius in Chronico: *Sennacherib Rex Chaldæorum ad custodiendam regionem Judææ accolas misit Assyrios, qui æmulatores Judææ Legis facti Samaritæ nuncupati sunt, quod in Latina lingua exprimitur custodes.* Idem habent S. Epiphanius, & Eucherius. Ceterùm *Samar* verbum est Hebraicum, non Assyrium. Assyrii, & Chaldæi pro eo *Natar* usurpant: unde in ea lingua *Custodes* potius *Natarta* dicerentur.

Et hoc falsum. Primò vocabuli terminatio illa non Assyriorum, sed Græcorum est. Deinde falsum, quòd שמר Assyriorum fuerit vocabulum. Constat enim, incolas earum terrarum dixisse pro eo נטר.

nas ceremonias receperunt, (586) reliquis in errore gentilitatis perseverantibus. Hoc bello Tobias in captivitatem ductus est.

ACHAZ REX JUDÆ.

At in parte duarum Tribuum Rex Achas ob impietatem invisus Deo, (*l*) cùm finitimorum bellis sæpe premeretur, Deos gentium (587) colere decrevit, nimirum quia eorum illæ auxilio victores (588) frequentibus prœliis extitissent. Ita in hoc nefariæ mentis piaculo diem functus est, cùm XVI. annis in Regno fuisset.

EZECHIAS REX JUDÆ.

Huic Ezechias filius successit (*m*) multum paterni dissimilis ingenii. Namque initio Regni, populum Sacerdotesque ad Dei cultum cohortatus, multa disseruit, ut frequenter castigati à Domino, sæpius essent misericordiam consecuti: ut postremum decem Tribus in captivitatem nuper abductæ, sacrilegii pœnas dissolverent: (589) curandum eis sedulò, ne eadem pati mereantur. Ita conversis ad religionem omnium animis, Levitas Sacerdotesque (590) omnes ad

Ex quibus plerique divinas ceremonias receperunt, reliquis in errore gentilitatis perseverantibus) Hanc rem omnium maximè memorabilem nimis angustè expressit. Fuit verò talis. Qui translati in Samariam ex Babylonia fuerant, ferme Cuthei erant, homines gentilitatis errore imbuti. Cùm autem diis patriis sacrum facerent, a leonibus devorari cœperunt. Cùm autem didicissent, id avenire, quòd in ea terra non more gentis Israeliticæ cultui unius Dei operam darent, Rex Assyriorum doctus permisit, ut unum è Sacerdotibus captivum eò reducerent, qui eos juxta regionis doceret. Venit unus ex iis, & habitavit in Bethel, & docuit; & unaquæque gens fabricavit Deum suum, & nihiluminus colebant Dominum. Hæc cap. XVIII. Addit Josephus, eos recepisse quinque libros Moysis, sed malè interpretatos esse, quare Samaritas neque gentiles, neque Judæos evasisse. Verùm, cùm Judæi bene rem suam gererent, se Judæos, & Joseph progeniem asseruisse, cùm malè, se Babylonios affirmasse.

Hoc bello Tobias in captivitatem ductus est) Sumptum est ex principio libri Tobiæ. Sic enim scriptum est: *Tobias ex Tribu & Civitate Nephtali, cum captus esset in diebus Salmanasser Regis Assyriorum, in captivitate tamen positus viam veritatis non deseruit*; & post: *Igitur, cùm per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio in Civitatem Ninivem cum omni Tribu sua, & cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodivit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum, & propterea Deus dedit illi gratiam in conspectu Salmanasser Regis*.

(*l*) Supra Achaz Regnum cepisse ostendit, cùm scripsit: *Joatho Achaz filius successit*. Inde interrupto sermone de Regibus Judæ, transit ad Israeliticos, Zachariam, Sellum, Manehem, Phaceiam, Phacee, & Osee, atque ita historiam eorum captivitate Assyria terminavit. Nunc verò redit ad Reges Judæ, & præcipuè ad Achaz, de quo sermonem instituerat, & de impietate ejus tradit, qua ceteros Reges superavit. Unde Paralip. II. cap. XXVIII. *Achaz non rectum fecit in conspectu Domini, sicut David pater ejus, sed ambulavit in viis Regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim*.

Cùm finitimorum bellis sæpe premeretur) Finitimis bellis petitus ad gentilium deorum opem confugit. Priorum Rasin Regis Syriæ, & Phacee Regis Israel bellum passus est. Contra quos auxilium Regis Assyriorum Teglatphulassar advocavit, ut supra diximus, deinde incursionibus Idumæorum & Palæstinorum, qui aliquot ei urbes ademerunt, afflictatus est. IV. Reg. XVI. Paralip. XXV. Isaias VII.

Deos gentium colere decrevit, nimirum quia eorum illæ auxilio victores frequentibus prœliis extitissent) Et hoc obscuriùs dictum est propter orationis angustias. Res autem ita habuit: Achaz a Deo opem poscere ab Isaia vate jussus, id facere abnuit; & ad auxilium Teglatphulassaris Assyrii Regis confugit. Ad eum inde, cùm Damasci esset, profectus aram maximam Syrorum deorum ibi animadvertit, atque exemplar ejus Jerusalem ad Uriam Pontificem misit, mandans, ut similem fabricaret. Ubi verò Jerusalem rediit, aram illam veneratus est, & sacrificium fecit, idemque Uriæ Pontifici faciendum mandavit. Hæc Reg. XVI. Additur Paralipom. XXVIII. *Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis; & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur iis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cùm è contrario ipsi fuerint ruina ei, & universo Israel. Ita in hoc nefariæ mentis piaculo diem functus est*. Ibidem.

(*m*) Jam aggreditur Ezechiam Regem Judæ, virum, si quisquam alius fuerit, præclari exempli, ac singularis in Dominum pietatis. Nam jampridem ita regnabatur in Judæa, ut vicissim boni Reges pravos exciperent, contraque malis probi imperium traderent. Itaque ut Achaz præclara Joatho patris instituta repudiarat, sic Ezechias longè se ab Achaz patris corrupta disciplina removit; & rectè: Nam *fecit, quod placitum erat in conspectu Domini juxta omnia, quæ fecerat David pater ejus*. Paralip. II. XXIX.

Namque initio Regni populum, Sacerdotesque cohortatus, multa disseruit, ut frequenter castigati à Domino sæpius essent misericordiam consecuti) Ezechiæ res pluribus persequitur, ut quæ fuerint egregiæ, & memoratu dignissimæ, unde plurimum juvari Lector ad imitationem possit. Ille verò rem divinam, & bellicam egregiè gessit. Rei divinæ primum opus fuit oratio habita ad populum pro religione vetere instauranda, de qua agitur eodem in loco ita: *Ezechias ipso anno, & mense primo Regni sui aperuit valvas domus Domini, & instauravit eas, adduxitque Sacerdotes, atque Levitas, & congregavit eos in plateam orientalem, dixitque ad eos: Audite me*, & quæ sequuntur. Quod verò inquit Sulpicius

Ut postremum decem Tribus in captivitatem nuper abductæ sacrilegii pœnas dissolverent) Hoc non solum Ezechias initio Regni non dixit, ut apparet ex Sacris libris, sed neque dicere potuit. Nam anno quarto Ezechiæ Salmanassar bellum intulit Regi Osee, anno verò septimo eundem cum decem Tribubus in Assyriam adduxit. Ipse verò hanc orationem habuit primo mense anni primi.

Ita conversis ad religionem omnium animis Levitas Sacerdotesque omnes ad celebranda secundùm legem sacrificia ordinavit) Secundum religionis opus fuit, legitima sacrificiorum instauratio, de qua item multis verbis Paralipom. cap. XXIX.

Cele-

(586) De religione Samaritarum mixta & Gentili, & Judaica, fuse dictum est in Hebræorum Republica.

Discernit hos, qui ex Assyriâ in Palæstinam venerunt, in duas classes. Sed aliter habent fontes, qui quidem nullo facto discrimine prodiderunt, gentes eas coluisse Jehovam, & simul quoque idola sua. Vide II. Reg. XVII. 31. 41. Porrò *gentilitatis* vocabulo ipsum gentilium errorem de idolis suis colendis notavit. Sic & vocabulo *gentilis* eos notat, qui idola colunt, & veri cultûs divini expertes sunt. Quæ autem ejus rei causa & occasio fuerit, dictum in pag. 12. not. 9. ubi de vocabulo *ethnici* egimus.

(587) Nunc *gentes* vocat, quos & *gentiles* vocare solet. Quâ de re itidem prædictas Notas vide.

(588) Non hoc de suo adjecit Sulpicius, ut quidam censent; sed ea facti ipsius ratio adducitur II. Paralipomenon XXVIII. Sic Romani Deos hostium suorum evocabant, ut ex hostico Romam migrarent, ac Romanis victoriam de hostibus darent. S. Augustinus IV. de Civit. Dei.

(589) *Dissolvere* pro simplici *solvere*: pro quo alibi & *absolvere* dicit. *Sacrilegium* autem rectius idololatriam vocat.

(590) Perspicuè discriminat Sacerdotes à Levitis, quos antehac aliquoties confuderat,

ad celebranda, secundùm legem sacrificia ordinavit: celebrarique Pascha (591) instituit, quod jam pridem fuerat omissum. Cùmque dies festus adesset, dimissis per omnem terram nuntiis conventus diem edixit: (592) ut si qui post abductionem decem Tribuum in Samaria resedissent, ad solemne Sacrum convenirent. Ita frequentissimo conventu dies sacer publica lætitia exactus, longo post intervallo religione legitima per Ezechiam restituta. (593)

Pari deinde industria, qua divina curaverat, rem bellicam administravit, Allophylosque frequentibus prœliis contudit: (*n*) donec ei Sennacherib Rex Assyriorum bellum intulit, (594) magno cum exercitu fines ejus ingressus: latèque agris vastatis, nullo obsistente, urbis obsidionem urgebat. Ezechias enim multitudine inferior, non ausus manum conferere, (595) muris se tuebatur. Rex Assyrius portis assultans, minitari excidium, deditionem imperare, Ezechiam frustra Deo confidere, se Dei nutu potius arma suppressisse: (596) victorem omnium gentium, eversorem Samariæ, effugi non posse, ni matura deditione sibimet consuluissent. In hoc rerum statu Ezechias Deo fretus, Esaiam Prophetam consulit: ejusque responso edocetur, nihil ex hoste periculi fore, (597) divinum autem auxilium non defuturum. Nec multo post Tirchac Rex Æthyopum Regnum Assyriorum invadit. Quo nuncio Sennacherib ad sua tuenda

Celebrarique Pascha instituit) Tertium religionis opus instauratio Paschatis. Quippe *advocavit omnes populos Israel, & Juda, ut venirent ad celebrandum Pascha de Bersabee usque Dan*. Ibidem cap. XX. Ex quo apparet, si populos Israel advocavit, eos nondum in Assyriam fuisse traductos.

Cùmque dies festus adesset, dimissis per omnem terram nuntiis conventus diem edixit, ut si qui post abductionem decem Tribuum in Samaria resedissent, ad solemne Sacrum convenirent) Ab eodem errore hoc edictum finxit Sulpicius, quo illa verba superiora de abductione decem Tribuum protulit. Edictum verò illius non fuit sententim. Neque enim misit ad eos, qui remanserant ex decem Tribubus; nam nemo remanserat, sed ad ipsas Tribus nondum abductas. Siquidem scriptum est: *Cursores urgebant velociter de Civitate in Civitatem per totam Ephraim, & Manasse, usque Zabulon, illis irridentibus, & subsannantibus eos. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon acquiescentes consilio venerunt Jerusalem. Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non erat, comedit Phase. Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem Azymorum septem diebus magnâ lætitiâ laudantes Dominum per singulos dies. Et hilaritate profusa omnis turba Juda tam Sacerdotum, & Levitarum, quàm universa frequentia, quæ venerat ex Israel, Presbyterorum quoque ex terra Israel, & habitantium in Juda, factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israel in ea non fuerat*. Hæc si ita sunt, videat quæso Sulpicius, quam Tribuum frequentiam in his locis post illas abductas invenerit. Ceterùm hoc eodem modo & scripsit & intellexit Josephus.

(*n*) Exponit inde res bellicas Ezechiæ: quarum prima fuit egregia victoria de Philistæis parta. Nam Allophylos, ut supra, Philistæos appellat; de qua re sic cap XVIII. Regum: *Percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum à turre custodum usque ad Civitatem munitam*.

Donec ei Sennacherib Rex Assyriorum bellum intulit) Secundum opus bellicum, bellum memorabile Assyrium, quo Ezechias propter pietatem suam à Deo liberatus est. Salmanassar anno sexto Ezechiæ delevit Osee Regem Israel. Inde anno quartodecimo ejusdem Ezechiæ Sennacherib, qui jam post Salmanassar septimum annum regnabat, venit contra Ezechiam Regem Judæ, qui à se defecerat, & quanquam muneribus amplissimis ab eo redimendæ gratiæ caussa cultus, tamen Hierosolymis obsidionem admovit, atque inde deditionem sibi fieri postulavit.

Rex Assyrius portis assultans minitari excidium, deditionem imperare) Cùm Sennacherib ad oppidum Lachis sederet, misit ad Ezechiam, qui trepidus urbe Hierosolymorum se continebat, legatos cum hujus atrocitatis mandatis. Ibidem in lib. Regum, & Paralip.

Ezechiam frustra Deo confidere, se Dei nutu potius arma suppressisse. Victorem omnium gentium eversorem Samariæ effugi non posse) Verba legatorum nomine Regis fuerunt hæc: *In quo confidis? Si dixeritis, in Domino Deo nostro habemus fiduciam, nonne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa, & altaria? Num quid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam*; & post: *Nunquid liberaverunt dii gentium terram suam de manu Regis Assyriorum? Nunquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Ex verbis illis: *Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam*; conjicio legendum esse apud Sulpicium: *Se Dei nutu potiùs arma sumpsisse*, non *suppressisse*. Ita verò quoque intellexit Josephus.

In hoc rerum statu Ezechias fretus Deo Esaiam Prophetam consulit) Novum pietatis argumentum in Ezechia, quòd in rebus adversis Isaiam Prophetam in consilium advocavit. Etenim in his angustiis positus *scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum Domini, & misit Eliacim ad Prophetam Isaiam filium Amos*.

Ejusque responso edocetur, nihil ex hoste periculi fore) Esaias verò respondit: *Hæc dicit Dominus: Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri Assyriorum me. Ecce ego immittam ei spiritum, & audiet nuncium, & revertetur in terram suam, & dejiciam eum gladio in terra sua*. IV. Reg. cap. XIX. & Esaiæ cap. XXXVII.

Nec multò post Tirchac Rex Æthiopum Regnum Assyriorum invadit) Hoc est auxilium Dei promissum, nempe Regis Æthiopum expeditio, de qua cap. XIX. *Cùmque audisset de Tharaca Rege Æthiopiæ dicentes: Ecce egressus est, ut pugnet adversùs te, & iret contra eum*. Josephus autem interpretatur, Regem Assyriorum relicto Rapsace duce cum parte exercitus in obsidione Hierosolymorum, contra Regem Ægypti contendisse, & diu Pelusium oppidum Ægypti obsedisse: cùm autem audisset, Regem Æthiopum Tharsicen cum maximo exercitu Regi Ægyptiorum auxilio properare, ac per desertum iter facere decrevisse, ut ex improviso agrum Assyriorum invaderet, ipsum re infecta recessisse Hierosolymam, atque exercitum Rapsacis deletum pestilentia reperisse.

Quo

(591) De nomine *Pascha* vide annotata ad Hebræorum Rempublicam Sigonianam lib. III. cap. IX.

(592) Editio Coloniensis habet *indixit*.

(593) Duo maxima opera pro religione fecit. Quod lucis excelsis, excelsa (rem prioribus Regibus ferè intactam) sustulit; & ipsum serpentem æneum à Moyse factum comminuit.

(594) Prætextus ejus, negatum tributum, quod Achas pater Ezechiæ, Assyriorum Regibus pendere solitus erat. Sed prætextum hunc, non veram belli caussam fuisse, ex eo patet, quod acceptis ab Ezechia CCC. talentis argenti, & XXX. auri; nihilominus urbem obsedit. Ergo insatiabilis Assyriorum ambitio vera caussa fuit.

(595) Nunc dicit *manum conferere* pro *prœlium committere*; quomodo Nepos & alii. At supra pag. 68. dixit *prœlium conferere*, quomodo Justinus & alii. Vide Notas ad dict. pag. num. 418. Porrò ut noster *multitudine inferior*, sic Nepos *inferior copiis*. Vide XIV. 8. 4.

(596) Legendum sine dubio *sumpsisse*, ut Sigonius censet.

(597) Isaiam retulit, non esse ea tempestate oppugnationem metuendam ab Assyrio. Instare enim felicia tempore, quibus freti possint agros suos in pace colere, & possessionum suarum curam habere, timentes neminem. *Josephus*.

da conversus, fremens & clamitans, victori sibi victoriam eripi, bellum omisit: missis ad Ezechiam literis, (598) cum verborum contumeliis denuncians, se paulò post rebus domi compositis ad excidium Judææ maturè rediturum. Sed nihil his Ezechias motus, orasse Dominum traditur, ne hunc tantam hominis insolentiam inultam sineret. Ita eadem nocte Angelus castra Assyriorum aggressus, multa hominum millia letho dedit. (599) Rex trepidus in oppidum Niniven confugit, ibique à filiis interfectus, dignum se exitium tulit. (600) Per idem tempus Ezechias æger corpore morbo incubuerat. (601) Cùmque Esaïas ei verbum Domini annunciasset, vitæ ejus finem adesse: (602) flesse Rex traditur; ita XV. annos prorogari (603) sibi ad vitam meruit. Quibus peractis, nono & vicesimo Imperii anno decessit.

MANASSES REX JUDÆ.

Regnum Manassæ filio reliquit. (o) Is à patre multum degenerans, relicto Domino, culturas

Qua nuncio Sennacherib ad sua tuenda conversus bellum omisit) Nempe veritus, ne Tharaca agrum Assyrium popularetur, in Assyriam properans Hierosolymam redit.

Missis ad Ezechiam literis cum verborum contumeliis denuncians se paulo post rebus domi compositis ad excidium Judæ mature rediturum) Nullas literas scripsisse traditur Sennacherib ab obsidione discedens, sed tum, cùm obsidione urbem premebat, & ad deditionem urgebat. Sic enim XXII. Paralip. *Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel; & locutus est adversus eum, sicut dii gentium cæterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista.*

Sed nihil his Ezechias motus orasse Dominum traditur, ne hanc tantam hominis insolentiam inultam fineret) Et hæc oratio edita est obsidente urbem Rege, non discessum parante. Ibidem: *Oraverunt igitur Ezechias Rex, & Isaias filius Amos Propheta adversus hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in Cælum*. Verba precationis sunt cap. XIX. Regum, & responsi divini per Isaiam: *Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non egredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam, qua venit, revertetur, & Civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.*

Ita eadem nocte Angelus castra Assyriorum aggressus multa hominum millia letho dedit) Ibidem: *Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus Regis Assyriorum.* Item in Regibus: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Hoc est autem quod Josephus interpretatus est, Sennacherib reperisse exercitum suum, qui obsidebat Jerusalem, pestilentia confectum.

Rex trepidus in oppidum Niniven confugit) Ibidem: *Et reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive.* Item in Paralip. *Reversusque est cum ignominia in terram suam. Terram* autem *suam* urbem Regiam Ninivem intellexit.

Ibique à filiis interfectus dignum se exitium tulit) In Regibus ita: *Cùm adoraret in Templo Nesroch deum suum, Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnavit Assaradon filius ejus pro eo.*

Per idem tempus Ezechias æger corpore morbo incubuerat, cùmque Esaïas ei verbum Domini annuntiasset, vitæ ejus finem adesse, flesse Rex traditur; ita quindecim annos prorogari sibi ad vitam meruit) Alterum pietatis argumentum Ezechiæ, de quo sic in Regibus cap. XX. *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & venit ad eum Isaias filius Amos Propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ. Morieris enim tu, & non vives. Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, & flevit fletu magno. Et antequam egrederetur Isaias medium partem atrii, factus est sermo Domini ad eum dicens: Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymam tuam, & ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & Civitatem hanc.* Eodem tempore Merodac Baludan Rex Babyloniorum, & Chaldæorum, de quo diximus, cùm audisset, Ezechiam Regem Judæorum morbo affectum convaluisse, Legatos misit, qui illum inviserent, quos ille benignè excepit, atque eis thesauros suos omnes ostendit. Quod ubi Isaias cognovit, factum increpuit, atque oraculum edidit, fore, ut thesauri ejus a Rege Babylonis averterentur, & pueri ad ministerium Eunuchorum adhiberentur; quod postea ab illo, & a Nabuchodonosore successore ejus est factum. Hoc scriptum est apud Isaiam cap. XXXIX. & in Regibus eodem in loco: *In tempore illo misit Merodac Baludan filius Baludan Rex Babylonis, Legatos, & munera ad Ezechiam. Audierat enim, quod ægrotasset, & convaluisset. Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & universa, quæ inventa sunt in thesauris ejus.* Narratur inde, ut Ezechias Legatis Regis omnes thesauros suos ostenderit; & ut Isaiæ eos se ostendisse retulerit; cui respondit Isaias: *Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quidquam, ait Dominus.*

Quibus peractis vicesimo nono Imperii anno decessit) Viginti novem annos Ezechias cum tribus Assyriorum Regibus egit, cum Salmanassare, qui anno sexto Regni ipsius Ezechiæ vita cessit; cum Sennacherib, cujus arma expertus est anno XIV. quo anno ille mortuus est; cum Assaradon, quem per decem annos, neque amicum, neque inimicum habuit; & eodem tempore cum Merodac Baludan Rege Babyloniorum, quo amico usus est, utpote ab eo visitatus, cùm ægrotasset. Inde ex morbo recreatus quindecim annos Dei beneficio supervixit. Quo temporis spatio Manassem filium suscepit, eumque successorem suum reliquit.

(o) Is autem regnare cœpit, cùm esset annorum duodecim. Reg. & Paralipom.

Is à patre multum degenerans, relicto Domino, culturas impias exercuit) Quantum Ezechias colenda pietate laudis adeptus est, tantum filius ejus in exercenda impietate amisit, usque adeò, ut flagitia Manassis Deum ad

(598) Advertit Sigonius: *Nullas literas scripsisse traditur Sennacherib ab obsidione discedens, sed tum quum obsidione urbem premebat*. Sed malè; nam conferendus Sigonius fuit cum libris Paralipomenon Isaïas, qui diserte, soluta obsidione Libnæ, metu adventantis Tirhakæ, scriptas literas memorat capite XXXVII.

(599) CLXXXV. millia. Sed non satis adcuratè, & plenè Auctor hæc narrat. Ita enim hoc facit, quasi exercitus Sennacheribi tum, cùm Regnum ejus Tirhak invaderet, ipseque bellum, quod intulerat Hebræis, omitteret, ab Angelo cæsus fuerit. Verùm ex cap. XXXVII. Esaiæ intelligitur, Sennacheribum audito adventu Tirhakæ Hierosolyma obsidione solvisse, novoque hosti obviam ivisse; post biennium verò victo Tirhaka obsidionem urbis denuo tentasse, tumque deletum fuisse exercitum ejus.

(600) Drusius ait, suspicari quempiam posse, Sulpicium scripsisse *exitum*: sed nihil mutandum tamen. Porrò *tulit* dicit pro *accepit*. Ita dicunt *pietatis fructum ferre* pro *accipere*, *adipisci*. Vide Nepotem XXV. §. 4.

(601) Lethali illi II. Reg. XX. 1. Sic & infra lib. II. *Ita ex mærore animi corporis morbo incubuit*.

(602) Jussos esse ultima verba, & mandata suis dare. Qualium mandatorum egregium exemplum habes apud Stobæum titulo de prudentia ex Erechtheo Euripidis. Vide & Plutarchum de Homeri Poesi. S. Augustinus VI. de Genesi ad literam 17. *Secundum aliquas caussas inferiores jam vitam finierat Rex; secundum illas autem, quæ sunt in voluntate Dei, & præscientia, qui ex æternitate novit, quid illo tempore facturus erat; & hoc verè futurum erat, tum finiturus erat vitam, quando vitam finivit.*

(603) Grotius putat hos annos iis additos, quos Ezechias vixisset secundùm constitutum in natura ordinem. Malè. Sic enim amplius LXXX. annos vixisset. Clarum ex textu & sacra Chronologia, ab eo tempore, quo in morbum incidit, illos annos vitæ ejus additos. S. Hieronymus ad Marcellam Epistola XIX. *Ezechias vicina morte terretur, & fusis in lacrymas, quindecim annorum spatio prorogatur.*

turas impias exercuit; (604) ob quod in potestatem Assyriorum traditus, malo coactus agnovit errorem: populumque adhortatus est, uti relictis idolis Dominum colerent. Nihil sanè dignum memoria gessit, (605) regnavit autem annos V. & L.

AMON REX JUDÆ.

Amon deinde filius ejus Regnum adeptus est, nec ultra biennium eo potitus est: paternæ impietatis heres, Domini negligens, (p) suorum insidiis circumventus periit.

JOSIAS REX JUDÆ.

Ad Josiam filium Imperium devolutum. (q) Is admodum religiosus fuisse traditur, summâque curâ divina administrasse, Helchia Sacerdote usus bene. (606) Is cùm in Templo librum verbi

ad excidium Judæorum accenderit. Quare fuit Manasses Judæis, quod fuerat Achab Israëlitis. Quomodo verò à patris lauda defecit? nempe: *quia fecit malum in conspectu Domini juxta idola gentium, quas delevit Dominus à facie filiorum Israel, conversusque est, & ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus, & erexit aras Baal, & fecit lucos, sicut fecerat Achab Rex Israël, & astra coluit*. Ibidem. Idem etiam, quod atrocius fuit, Isaïam Prophetam hæc increpantem serra dissecuit, ut loquit Epiphanius.

Ob quod in potestatem Assyriorum traditus) Ut autem Ezechiam uni Deo deditum Deus ab Assyrii Regis impetu conservavit, sic Manassem ab eo aversum in ejus potestatem, arbitriumque conjecit. Sic enim est scriptum in Paralipom. *Iccirco superinduxit eis principes exercitus Regis Assyriorum, ceperuntque Manassem, & vinctum cathenis, atque compedibus duxerunt Babylonem*. Hunc Regem, quem Scriptura vocat Regem Assyriorum, Josephus nominat Regem Chaldæorum, & Babyloniorum. Neque id parum cum Scriptura convenienter. Nam & ipsa Manassem Babylonem, non Ninivem adductum esse testatur. Ex quo intelligere possumus proximis annis Regnum Assyriorum, quod erat in Ninive collocatum, à Babyloniis, & Chaldæis esse deletum, ac Babylonem ad Eufratem esse translatum. Indicat hoc Josephus scribens, Medos & Chaldæos Assyriorum Regem delevisse; & S. Hieronymus, qui scripsit in Habacuch: *Quomodo Propheta Nahum Prophetiam habuit contra Ninivem, & Assyrios, qui vastaverant decem Tribus, ita Habacuch adversus Babylonem, & Nabucdonosor, à quibus Juda & Jerusalem, Templumque eversa sunt. Vixit autem Habacuch tempore Danielis, idest, captivitatis Babylonicæ. Et quidem hoc rerum successu Deo promittente Regna Mundi deleta sunt*. Assyrii subegere cæteros populos, & transtulere Israel. Babylonii, & Chaldæi delevere Assyrios, subegere Ægyptum, & Syriam, & transtulere Judæos. Medi, & Persæ delevere Babylonios. Macedones delevere Persas. Romani Macedones. Rex verò, qui Assyrios, Ninivemque delevit, fuit Merodac Baladan Rex Babyloniorum, de quo ante diximus, qui, ut puto, Assaradon post decimum Regni annum extinxit, ut scripsit apertè Suidas, & Glycas; & innuit Jeremias nescio quomodo cap. L. cùm prædicens excidium Regni Babylonici instituti à Merodac dixit: *Capta est Babylon. Confusus est Bel. Victus est Merodac*. Atque hæc est illa eversio Ninivis, quam Deus primùm nuntiavit per Jonam Prophetam, deinde pœnitentia Ninivitarum motus distulit in hoc tempus. Nam, ut inquit S. Hieronymus: *Ninivitæ, & Reges accepta misericordia Dei mox se gravioribus criminibus implicaverunt, atque ita rursus Dei iram adversus se concitarunt. Quod cùm Nahum Propheta videret, librum scripsit, in quo excidium Regni Assyriorum, & in primis urbis Ninive nunciavit*. Hinc Jeremias dixit cap. L. *Primus comedit Israel Rex Assur. Iste novissimus exossabit eum Nabucdonosor Rex Babylonis. Ecce ego visitabo Regem Babylonis, & terram ejus, sicut visitavi Regem Assur, & reducam Israel ad habitaculum suum*. Hic nominat Israel universas duodecim Tribus, & inquit: *Primus Rex Assyriæ decem Tribus Israel comedit, rursus Nabucdonosor Rex Babylonis exossabit duas*, nimirum translatis illis Niniven, his verò Babylonem. Verùm quemadmodum deletus est Rex Assyriæ, sic delebitur Rex Babylonis, & universæ Tribus in solum patrium reducentur; quemadmodum post apparebit. Jam igitur apparet, cur Rex Manasses non Niniven, sed Babylonem traductus sit. Atque hoc est, quod Isaias Propheta Ezechiam patrem reprehendit, quòd Legatis ipsius Merodac thesauros suos ostendisset, inquiens: *Babylonis de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis*. Atque hæc prima Judæ transmigratio Babylonica fuit, qua Manasses Rex captivus abductus est. Quemadmodum prima Israelitarum fuit regnante Phacee per Regem Assyriorum Teglaphulassar.

Malo coactus agnovit errorem) Rectè: Etenim *postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, obsecravit intentè; & exaudivit orationem ejus, duxitque eum Jerusalem in Regnum suum, & cognovit Manasses, quòd ipse esset Deus*. Ibidem: Extat quoque oratio Manassis separatim edita.

Populumque adhortatus est, ut relictis idolis Dominum coleret) Cap. XXXIII. Paralipom. hæc ab eo procurata traduntur: *Et abstulit deos alienos, & simulacrum de domo Domini, aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Jerusalem, & projecit omnia extra urbem*.

Regnavit annos quinque & quinquaginta) Hic numerus traditur in libro Regum.

(p) Viginti duorum annorum erat Amon, cùm Regnum accepit. Is patris flagitia, non pœnitentiam imitatus, parem exitum habuit. Nam a suis circumventus insidiis, periit. De impietate, & nece ejus sic in Paralip. *Fecit malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus; & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit, atque servivit. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus, & multa majora deliquit. Cùmque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua*.

(q) Præclarè: Nam reliqua multitudo cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit Regem Josiam filium ejus pro eo. Ceterùm hic est ille Josias a Deo per Prophetam Jad jampridem promissus, atque ad expiandas idololatriæ conceptas in Judæa labes datus. Magnum enim se virum in hoc laudis genere gessit Ezechias, sed multo majorem quoque Josias. Talem enim successorem fœda Amonis nequitia postulavit. Quare res ejus Sulpicius diligentiùs explicabit. Hoc regnante Sophonias vaticinium edidit, ut ipse scribit.

Is admodum religiosus fuisse traditur) Hoc genus est, quo illa exprimuntur: *Fecit, quod rectum est in conspectu Domini, & ambulavit in viis David patris sui, & non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram*: Ibidem.

Summaque cura divina administrasse) Jam partes pietatis aggreditur, sed ita breviter tradit, ut vix comprehendi possint. Res autem ita habuit: *Josias octavo anno Regni cœpit quærere Deum patris sui David, & duodecimo anno, postquam cœperat, mundavit Judam, & Jerusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptilibus, & octavo decimo mundata jam terra, & Templo Domini, instituit, qui instaurarent domum Domini Dei sui*. Ibidem.

Helchia Sacerdote usus bene) Helcias Pontifex numeratur ab Aaron XXV. a Josepho. Hoc adjuvante Josias Templum renovavit.

Is

(604) Instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus, constituitque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem militiam cœli. Observabat somnia, auguria sectabatur, maleficis artibus inserviebat, sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Domini. Vide II. Paralip. XXXI.

Idolorum puta; quæ *sacrilegia* vocare solet.

(605) Recenset tamen Josephus opera ejus pro Republica gesta, quum in Regnum postliminio restitutus est. Nam mœnia reparavit, & altissimis ornavit, ac communivit turribus.

(606) Ut dicitur *familiariter*, intimè *uti aliquo* ita noster *benè aliquo uti*. Vult autem, benè & clementer erga Helchiam se gessisse.

verbi Dei (607) scriptum, repertum à Sacerdote legisset, quo continebatur, Hebræam gentem ob crebras impietates & sacrilegia delendam, (608) piis ad Deum precibus fletuque jugi imminentem cladem avertit. Quod ubi indultum sibi per Ollam (609) Prophetissam comperit, majore cura, utpote obligatus divinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur vasa omnia, anteriorum Regum superstitionibus (610) idolis consecrata, cremavit. Namque eò profani ritus invaluerant, ut Soli ac Lunæ divinos honores darent, eisdemque etiam ex metallis sacraria ædificarent. Quibus Josias in pulverem redactis, Sacerdotes quoque profanarum ædium interfecit. Sed ne sepulcris quidem impiorum pepercit: (611) quod olim prædictum à Propheta, impletum animadversum est. Hujus octavo & decimo Imperii anno Pascha celebratum. Post triennium ferè, (612) adversùs Nechao (613) Regem Ægypti, qui bellum Assyriis inferebat, in- præ-

Is cùm in Templo librum verbi Dei scriptum repertum à Sacerdote legisset, quo continebatur, Hebræorum gentem ob crebras impietates, & sacrilegia, delendam, piis ad Deum precibus, fletuque jugi imminentem cladem avertit) Et hoc anno VIII. factum est. Hunc librum nempe Deuteronomium absconditum fuisse Manasse regnante credunt, tum cùm is legem abolevit, & gentilium religionem ascivit. Inventus autem est ab Helcia Pontifice, cùm pecuniam è Templo efferret, quæ instaurando Templo destinata à Rege fuerat, & à Scriba delatus ad Regem. Rex autem ubi verba legis exitia omnia iis, qui à lege recessissent, intentantia audivit, scidit vestimenta sua, & præcepit Helciæ, & aliis, ut orarent Deum pro se, & reliquiis Israel, & Juda. Quia furor Dei immineret, quia non custodissent verba legis. Locus Deuteron. est cap. XXVIII. *Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus gloriosum, & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseverantes, infirmitates pessimas, & perpetuas, & convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te donec te conterat; & remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ usque ad terminos ejus, & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras, & patres tui, lignis, & lapidibus. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui.*

Quod ubi indultum sibi per Ollam Prophetissam comperit) Res ita acta est. Lecto libro jussu Regis, abiit Helcias Pontifex, & ceteri ad Oldam Prophetissam, & superiora narravit. Illa verò respondit: *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro, qui misit vos ad me: Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, cunctaque maledicta, quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram Rege Juda, quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis. Ad Regem Juda, qui misit vos, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Domini super his, quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Jerusalem, reversusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, ego quoque exaudivi te. Jam enim colligam te ad patres tuos, & inferéris in sepulchrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores ejus.* Ibidem: Est autem notanda hæc Dei sententia, qua Judæos propter impietatem damnavit anno Josiæ XVIII. ut scribit Theodoretus in Ezechielem. Nam sunt qui LXX. captivitatis annos hinc ordiantur, quibus non est tamen assentiendum.

Majore cura, utpote obligatus divinis beneficiis, cultum Dei exercuit) In eodem loco sic Historia continuatur: *Retulerunt Regi cuncta, quæ Olda dixerat. At ille convocatis universis majoribus natu, ascendit in domum Domini, una omnes viri Juda, & habitatores Jerusalem, atque iis audientibus legit verba voluminis. Et stans in Tribunali suo percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, ut custodiret præcepta, & testimonia, & justificationes ejus in toto corde suo, & tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat. Adjuravitque omnes, qui reperti erant in Jerusalem, & Benjamin, & fecerunt juxta pactum Domini.*

Igitur vasa omnia anteriorum Regum superstitionibus Idolis consecrata cremavit) Hæc ex vigesimotertio quarti Regum: *Et præcepit Rex Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis, ut projicerent de Templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universa militia cæli, & delevit aruspices, qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli.*

Quibus in pulverem redactis) Ibidem: *Et combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel.*

Sacerdotes quoque profanarum ædium interfecit) Item: *Et occidit universos Sacerdotes excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ.*

Sed ne sepulchris quidem impiorum pepercit) Item: *Et conversus Josias vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte, misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super Altare.*

Quod olim prædictum à Propheta impletum animadversum est) Sic dixit Josias, postquam superstitione Samariæ deleta reverterat Jerusalem: *Facite Phase Domino Deo vestro secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus. Nec factum est Phase tale à diebus judicum, qui judicaverunt Israël, & Regum Juda, sicut in octavo decimo Regis Josiæ.*

Post triennium ferme adversus Nechao Regem Ægypti, qui bellum Assyriis inferebat, in prælium egressus, priusquam inter se acies concurrerent, sagitta ictus est, ex eoque vulnere in urbem relatus decessit) Hæc est mors indigne Josiæ ab Ægyptio Rege illata. Quæ sic exponitur cap. XXIII. Regum: *In diebus ejus ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abiit Josias Rex in occursum ejus, & occisus est in Maggedo, cum vidisset eum, & portaverunt eum servi sui mortuum de Maggedo, & pertulerunt in Jerusalem.* In Paralipom. autem ita: *Postquam instauraverat Josias Templum, ascendit Nechao Rex Ægypti ad pu-* gnan-

(607) Alii volunt repertum fuisse Deuteronomium, alii autem integrum Pentateuchum. Tempore enim impii Manassis adeò neglecta fuit Lex, ut liber ejus, tamquam res naviter inventa scribatur. *Cajetanus*. Impius Achaz combussit libros Legis, ne ex his idololatriæ argueretur. Quare Sacerdotes clam in muro Templi Legem absconderunt, & ibi postea reperta *Lyranus*.

(608) *Delendam* scilicet *esse*, pro *deletum iri*, scribit pro solemni suo.

(609) Scribendum *Oldam*; vel potiùs *Holdam*, quia Interpretes Græci, quos sequi solet noster, habent Ὀλδά. Iidem Interpretes habent & vocabulum προφῆτις. Unde noster *Prophetissa* fecit; additâ terminatione Græcâ recentiore, quæ in βασίλισσα, & id genus aliis adparet.

(610) Supra vocavit *superiores Reges*, quomodo & meliores solent.

(611) Quæ in monte apud Bethelam erant IV. Regum XXIII. 16. Porrò sepulcra violare summum apud Veteres nefas: illorum tantùm ossa turbata, qui immane scelus admiserant. Quales Idololatræ.

(612) Tredecim annis pro tribus esse reponendam, advertit Sigonius. Sed nihil mutandum: nam hallucinatus fuit Noster, qui regnasse scribit annis XXI. quum regnaverit annis XXXI. Ex quo sequitur, hæc accidisse tredecim annis post celebratum Phase. Siquidem Pascha celebratum fuit ut habetur II. Paralip. XXV. 19. decimo octavo anno imperii Josiæ.

(613) Interpretes Græci vocant eum Νεχαώ. Et hoc secutus est noster. Ceterùm in textu Hebræo dicitur *Necho*.

prœlium egressus, priusquam inter se acies concurrerent, sagitta ictus est. Exque eo vulnere in urbem relatus decessit, cùm regnasset annos I. & XX. (614)

JOACHAS REX JUDÆ.

Joachas inde filius ejus Regnum adeptus, (r) tribus mensibus tenuit, captivitati ob impietatem destinatus. Namque eum Nechao Rex Ægypti vinctum, captumque duxit. Nec multò post in vinculis diem functus est. (615) Judæis stipendium annuum imperatum.

ELIACIM, SIVE JOACIM REX JUDÆ,

NABUCDONOSOR REX BABYLONIÆ.

Rex eis Eliachim arbitrio victoris datus, (ſ) qui postea nomine immutato Joachis vocitatus est. Hic Joachæ fratris Josiæ F. fuit, (616) fratri quàm patri propior, (617) sacrilegio (618) invisus Deo. Igitur cùm Regi Ægyptio parêret, quippe cui tributum penderet, Nabuchodonosor Rex Babylonius Judæam terram occupavit armis, & per triennium jure belli victor possedit. Etenim cedente jam Rege Ægypti determinatisque inter eos imperii finibus convenerat, (619) Judæos ad Babylonem pertinere.

JOA-

gnandum in Charcamis juxta Euphratem, & processit in occursum ejus Josias; ut dimicaret in campo Maggeda, ibique vulneratus à sagittariis dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. Josephus autem rem totam ita declarat: *Nechao Rex Ægyptiorum ad Euphratem tendebat, bellum illaturus Medis, & Babyloniis, qui Assyriorum Imperium extinxerant. Cùm autem ad Mendam urbem Josiæ pervenisset, occurrit ei transitum prohibiturus in Medos, neque per Legatos rogatus à Nechao, ut quiesceret, & se in Assyriam ire permitteret, parere voluit. Quare cum aciem instrueret, & curru vectus à cornu ad cornu transiret, sagitta ab Ægyptio ictus est, atque ita Jerosolyma reversus cum exercitu confectus ibi ex vulnere mortuus est.* Rex autem Babylonius hic fuit Nabulassar pater Nabucdonosoris, qui anno septimo Josiæ Regnum inierat. Cujus meminit Berosus apud Josephum contra Apionem, & Megasthenes, qui eum Nabucdonosor primùm appellat. Quòd autem scribit Sulpicius, hoc factum esse triennio post Pascha celebratum, id ab ea opinione ductus facit, quòd scripsit, Josiam regnasse annos viginti unum, cùm triginta unum regnarit, teste Scriptura. Quare *tredecim* annis pro *tribus* est reponendum.

(r) Sic in Regibus: *Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ, & unxerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.*

Tribus mensibus tenuit, captivitati ob impietatem destinatus) Ibidem: *Joachaz fecit malum coram Domino juxta omnia, quæ fecerant patres ejus.*

Namque eum Nechao Rex Ægypti vinctum, captumque duxit) Ibidem: *Vinxitque eum Pharao Nechao in Reblata, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem, & imposuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talento auri, & Joachaz duxit in Ægyptum.* Josephus autem ita: *Ægyptiorum Rex rediens à bello vocavit ad se Joachaz in Emathe, quæ est urbs Syriæ, & progressum vinxit.* Ceterùm hanc urbem S. Augustinus post Antiochiam fuisse scribit in libro de Mirabilibus Scripturæ.

(ſ) Ibidem: *Regem constituit Nechao Eliacim Josiæ filium pro Josia patre ejus, vertitque nomen ejus, Joacim.* Apud Sulpitium hæc nomina mendis aspersa sunt, nam pro Joacim (*Joachis*) scriptum est.

Hic Joachæ fratris Josiæ filius fuit, fratri, quàm patri propior) Legendum est: *Hic Joachæ filii Josiæ frater fuit.* Sic enim in Sacris libris legitur. Atque ita quoque juxta Sulpicii sententiam propior fratri Joachæ, sive Joachaz erit, homini impio, quàm Josiæ patri, viro insigni pietate ornato. Sic autem in Regibus: *Constituit Eliacim filium Josiæ pro Josia patre suo.* Josephus etiam adjicit, Joacim majorem natu fratrem fuisse, quam Joachaz, quæ fortasse caussa ipsum Nechao impulit, ut illum prætulerit. Principio Regni Joacim Jeremias jussu Dei prædicere cœpit excidium ejus & urbis, & populi. Quare periculum capitis adiit, capp. XXII. XXVI. & XXXVI. Anno quarto Joacim prædixit, fore, ut à Babylonio Rege urbs excinderetur, & Judæi Babylonem transferrentur, ibique per septuaginta annos servirent, inde in patriam reducerentur, cap. XXV. & XXIX., præterea cap. XXXVI. ipsius Jeremiæ.

Sacrilegio invisus Deo) Ibidem: *Et fecit malum coram Domino juxta omnia, quæ fecerant patres ejus.*

PRIMA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM SUB REGE JOACIM.

Igitur cùm Regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet, Nabucdonosor Rex Babylonius Judæam terram occupavit armis, & per triennium jure belli victor possedit) Quemadmodum Josias Rex propter societatem Regum Babyloniorum bellum in se convertit Ægyptiorum, sic Joacim propter amicitiam Ægyptiorum arma in se adduxit Babyloniorum, idest, Nabucdonosoris tum regnantis. Ceterùm hinc incipiunt bella Nabucdonosoris Regis adversùs Judæam, quæ fuere quatuor; duo sub Rege Joachim, tertium sub Joachin, quartum sub Sedecia. Item quatuor clades; una cùm abduxit Regem Joacim quarto anno ejus Babylonem unà cum Propheta Daniele, & tribus pueris sociis; secunda, cùm undecimo anno illum jam in Regnum dimissum urbe capta interfecit, & Joachim filium illi substituit; tertia, cùm urbe iterum capta Joachim ipsum tertio mense abduxit Babylonem cum matre, & Ezechiele Propheta, & optimatibus; quarta, cùm Sedeciam anno illius undecimo abduxit cum popularibus Babylonem urbe eversa, & Templo incenso. Quare tres translationes, seu captivitates sunt, una sub Joacim, altera sub Joachim, tertia sub Sedecia. Duæ porrò clades Regis Joacim hæ fuerunt. Anno quarto Regis Joacim Nabucdonosor, qui, teste Jeremia, cap. XXV. & XLVI. tum primùm Regnum occeperat, venit ad Euphratem bellum illaturus Nechao Regi Ægyptiorum, cui parebat Syria tota. Qua re accepta, Nechao ei ad Euphratem occurrit, sed prœlio facto victus abscessit. Quare Nabucdonosor trajecto Euphrate, fugavit Nechao, (Jerem. cap. XLVI.) & omnia subegit usque ad Pelusium præter Judæam. Inde exercitu reducto in Judæos Joacim Regem cepit, eumque

Baby-

(614) Legendum *I. & XXX.*; ita enim legitur II. Reg. XXII. 1. nec verisimile est, nostrum id non observasse.

(615) Apud Ægyptios. Quod autem dicit: *nec multò post*, ex conjectura Sulpicius addidit. Nam sacri Annales nihil hujus referunt, sed tantùm obiisse in Ægypto narrant.

(616) Legendum sine dubio: *Joachæ frater, Josiæ filius, fuit*: ut jam alii monuerunt.

(617) Hinc patet verissimam Sigonii correctionem. Error autem ex litera F ortus. Nam quum in codd. Sulpicianis exaratum esset prisco more: *Joachæ Fr. Josiæ F. fuit*, Librariorum imperitia id sic accepit, quasi scriptum: *Joachæ fratris Josiæ filius*.

Ita supra pag. 81. *Sacero quàm patri propior*.

(618) Idololatria. Frequens hoc sensu est illa apud Sulpicium.

(619) Fortasse hoc commentum est: nam hujus transactionis nulla extat memoria, & satis clarè ex Sacra Scripturæ posset refutari. Quippe Nabuchodonosor victoria sua usus, in ipsam Ægyptum penetravit, & totam Syriam Neconi, non ulla transactione, sed armis ademit, ac jure belli, ut ipse Sulpicius loquitur, tenuit.

JOACHIM, SIVE JECHONIAS REX JUDÆ.

Ita cùm Joachis, (620) exactis in Regno annis undecim, filio ejusdem nominis locum fecisset, (t) isque Regis Babylonii in se iram concitasset, Deo nimirum agente, cui constitutum erat Judæam gentem captivitati & internecioni dare, Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, (621) urbem murosque ac Templum solo stravit: (622) auri immensum modum, & sacra ornamenta vel (623) publica vel privata, puberesque omnes virilis ac muliebris sexus transtulit: relictis, quorum imbecillitas aut ætas fastidio victoribus fuit. Quæ turba, inutilis servitio, exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata. (624)

SEDECIAS REX JUDÆ.

Eisdemque Rex Sedechias præpositus: (u) ademtis viribus inani tantùm umbrâ Regii (625) nominis concessâ. Sed Joachis tribus mensibus (626) tempus imperii habuit. (627) Is cum populo

Babylonem abductum coëgit sibi tributum dare, atque ita inde per tres annos ob illo domum dimisso exegit. Quibus transactis, cùm videret, Joacim amicitia Ægypti Regis fultum tributum sibi negare, redit Jerusalem, & cepit iterum Joacim, atque occisum abjecit. De prima clade scripsit Daniel cap. I. Anno tertio Regni Joacim Regis Juda venit Nabucdonosor in Jerusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu ejus Joacim Regem Juda, & partem vasorum domus Dei, & asportavit ea in terram Sennaar. Item Esdræ lib. III. cap. I. Ascendit Nabucdonosor Rex Babylonis, & alligans Joacim in æreo vinculo perduxit in Babylonem. Item libro IV. Regum, cap. XXIII. In diebus Joacim ascendit Nabucdonosor Rex Babylonis, & factus est ei Joacim servus tribus annis. Servum autem intelligit tributarium: item in Paralipom. lib. II. Contra Joacim ascendit Nabucdonosor, & vinctum catenis duxit in Babylonem, & vasa Domini transtulit. De secunda clade, idest, de nece Joacim sic Jeremias cap. XXII. Hæc dicit Dominus ad Joacim Josiæ filium Regem Juda. Væ isti viro, non eum plangentes clamabunt: Eheu frater, neque inter plorandum eum Dominum, ac fratrem inclamabunt, sed asini sepultura sepelietur, & cùm computruerit, projicietur extra portam Hierosolymorum, & cap. XXXVI. Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, & cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. Hæc omnia prætermisit Sulpicius.

(t) Filius ipsius Joacim dictus est Joachim, sive Jeconias, ut scriptum est apud Jeremiam cap. XXII. in Regibus, in Paralipomenis, & apud S. Lucam. Hic est autem Joachim, sub quo secunda transmigratio, & captivitas accidit; de qua Sulpicius scribere pergit.

SECUNDA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM SUB REGE JOACHIM.

Isque Regis Babylonii in se iram concitasset, Deo nimirum agente, cui constitutum erat Judæam gentem captivitati, & internecioni dare) Joachim non solùm Regis Babylonii, sed etiam Dei iram in se accendit; Dei, quia fecit malum in conspectu Domini juxta omnia, quæ fecerat pater ejus; Regis, quia suspicionem dedit, ne aliquando necem patris sui Joacim ulturus esset. Quare Nabucdonosor post tertium mensem exercitum urbi admovit, eamque cepit. Unde Sulpicius inquit:

Nabucdonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, urbem, murosque, ac Templum solo stravit) De hac clade sic apud Jeremiam cap. XXII. Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Jechonias filius Joacim Regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu Nabucdonosor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum. Et mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. Nec erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David. Item quarto Regum cap. XXIV. In tempore illo ascenderunt Nabucdonosor Rex Babylonis ad Civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam, egressusque est Joachim Rex Juda ad Regem Babylonis, & suscepit eum Rex octavo anno Regni sui, & protulit inde omnes thesauros domus Domini, & domus Regiæ, & transtulit omnem Jerusalem, & universos Principes, & omnes fortes exercitus decem millia in captivitatem, & omnem artificem, & inclusorum multitudinem. Nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transtulit quoque Joachim in Babylonem, & Matrem, & Eunuchos, & Judices terræ duxit in captivitatem, & omnes viros robustos septem millia, & artifices, & inclusores mille, omnes viros fortes, & bellatores. In Paralipomen. autem cap. ultimo ita: Regnavit Joachim filius pro patre Joacim. Octo annorum erat Joachim, cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus, & decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini, cumque anni circulus volveretur, misit Nabucdonosor Rex, qui & adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. In his locis nihil de Urbe, Temploque, & mœnibus solo stratis agitur, quæ Sulpicius addidit. Ceterùm melius, Jeconiam annos octodecim natum regnare cœpisse, ut est quarto Regum cap. XXIV. quam octo, ut est in Paralipomenis. Hac verò transmigratione Ezechiel Propheta Babylonem abductus est. Unde ipse scripsit cap I. Quinto anno transmigrationis Regis Joachim factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem secus flumen Chobar. & cap. XL. In vicesimo quinto anno transmigrationis nostræ, quartodecimo anno postquam percussa est Civitas.

Relictis quorum imbecillitas, aut ætas fastidio victoribus fuit, quæ turba inutilis servitio exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata) Hæc ex ingenio Sulpicii manarunt, non ex Sacris libris, ut supra apparet.

(u) Libro quarto Regum, cap. penultimo: Et constituit Nabucdonosor Matthaniam patruum Joachim pro eo, imposuitque nomen ei Sedeciam. De umbra Regii nominis, nullum verbum.

Sed Joachis tribus mensibus tempus imperii habuit) Ibidem.

Tri-

(620) Morte scilicet. Est Joachis is, qui in originibus Jojakim vocatur. Mirum autem, ni legendum sit Joachim. Sanè Eliachim, pristinum ejus nomen, apud nostrum quoque, genuinam suam terminationem retinuit. Deinde Interpretes Græci, quos noster sequi solet, habent Ἰωακείμ. Imò infra ipsum nomen Joachim bis legitur. Quod autem cujus filium ejusdem nominis fuisse dicit, fallitur. Ei enim nomen fuit Joachim & Jechonia. Sed noster quod scripsit, Interpretum Græcorum fide scripsisse videtur; utpote qui duorum nominum discrimen admodum exiguum fecerunt, quod patrem Ἰωακείμ, filium Ἰωαχείμ, vocarunt.

(621) Hoc admodum credibile est, licet Scriptura directè non exprimat. Quid enim vetet Joachim primùm egressum esse ad Nabuchodonosor in castra extra urbem, & ipsum Nabuchodonosor postea ingressum esse urbem? Simul hæc vera esse possunt; & sunt profectò, si non fallitur noster Sulpicius.

(622) Non tum id factum, cùm Jojakim remotus fuit; sed aliquot annis post, Rege Zedekia. Solo sternere dicit & infra. Alii solo æquare. Ceterùm dicunt etiam humi sternere, & terra sternere.

(623) Vel videtur positum pro &; quomodo Sulpicii ævo solebant.

(624) Deputata hic est pro adsignata: ut infra deputari leonibus. Quâ significatione dubito an vox usurpata fuerit ab antiquioribus. Est autem his idem, quod existimare, censere; aut idem quod resecare. Ita dicunt: deputare vineam, deputare se dignum quovis malo, deputare parvi pretii.

(625) Nepos diceret: Rex nomine magis quàm imperio. Vide itaque Agesilaum.

(626) Sic IV. Regum XXIV. 8. Quomodo ergo II. Paralipomenon XXXVI. 10. dicitur post annum abductus a Nabuchodonosore? Quia aliquot menses interregnum inter Joakim, & Joachim. Cajetanus. Quia cœpit regnare tribus mensibus ante finem anni, & captivitas ejus incidit in mensem Nisan. Interpretes.

(627) Intelligit Jojachinum, quem ejusdem cum patre nominis fuisse dixerat.

pulo Babyloniam translatus, & in carcerem conjectus est: trigesimum post annum emissus, (628) atque à Rege in amicitiam receptus, mensâque & consiliis participatus, (629) non sine solatio depulsæ calamitatis decessit. Interea Sedechias (630) Rex turbæ inutilis, quamquam sine viribus, iosido ingenio, & Dei immemor, qui non intelligeret captivitatem ob delicta gentis iolatam, postremis (631) denique malis debitus, Regis animum offendit. Ita ei post novem anoos Nabuchodonosor bellum intulit: compulsumque intra muros coofugere triennio obsedit. Quâ tempestate Jeremiam Prophetam, qui jam sæpiùs imminere urbi captivitatem pronunciaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset. Sed ille, cœlestia iræ non ignarus, eadem sæpiùs interrogatus, respondit, ipsi Regi spetialem pœnam deouncians. Tum verò Sedechias in iram excitatus, trudi Prophetam io carcerem jubet; moxque eum crudelis facti piguit. Sed obsistentibus Judæorum prioeipibus, quibus jam inde à priocipio moris fuerat bonos premere, absolvere innocentem oon est ausus. Iisdem cogentibus, in lacum (632) immeosi profundi, cœnoque ac fordibus, atque ex eo exitiabili fœtore horridum, demissus est, ut ne simplici quidem morte exspiraret. Sed Rex, licèt impius, aliquantò tamen Sacerdotibus (633) mitior, educi Prophetam de lacu, & carceris custodiæ reddi jubet. Interea obsessos vis hostium & peouria urgebat: consumtisque omnibus, quæ mandi poterant, fames invaluerat. Ita defessia ine-

Tricesimum post annum emissus) Legendum: *Tricesimum septimum*. Sic enim in libris Regum cap. XXV. *Factum est ut anno tricesimo septimo transmigrationis Joachim Regis Juda, mense duodecimo, vicesima septima die mensis, sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Joachim Regis Juda de carcere.* Rectè: nam post abductionem Joachim regnavit Sedecias annos XI. & post abductionem Sedeciæ Nabucdonosor regnavit annos XXVI. Evilmerodach verò, qui Nabucdonosori successit, ipsum anno suo primo dimisit, atque honore affecit. Ibidem.

Interim Sedecias Rex turbæ inutilis) Turbæ inutili præfecit, quia pauperes relicti fuisse dicuntur.

Dei immemor, qui non intelligeret, captivitatem ob delicta gentis illatam) Causas belli, & cladis quartæ sequentis præponit. Sic in Paralip. *Fecitque malum in oculis Domini sui, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini.* In libris Reg. *Fecit malum coram Domino juxta omnia, quæ fecerat Joacim. Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem, & contra Judam, donec projiceret eos à facie sua.* Esdræ lib. III. cap. I. *Et adjuratus à Rege Nabucdonosor perjurans discessit, & indurata cervice sua, & corde suo transgressus est legitima Domini Dei Israël.*

Regis animum offendit) Nempe *recessit à Rege Babylonis, qui adjuraverat eum per Deum, & induravit cervicem suam, & cor suum, ut non reverteretur ad Dominum Deum suum Israël.* Perfidiam Sedeciæ in Regem Nabucdonosor egregie narravit Ezechiel, & Theodoretus in eum.

TERTIA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM SUB REGE SEDECIA, QUÆ URBIS DESOLATIO DICITUR.

Itaque ei post novem annos Nabucdonosor bellum intulit) Hæc est quarta, & ultima clades Judæorum, & urbis sub Sedecia Rege, quam urbis desolationem vocat Philo. De qua ex cap. XXXIV. & LII. Jeremiæ, sic in libris Reg. *Anno nono Regni Sedeciæ venit Nabucdonosor, & omnis exercitus ejus in Jerusalem, & circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu ejus munitiones. Et clausa est Civitas, atque vallata usque ad undecimum annum Regis Sedeciæ.* Meminit ejusdem Ezechiel cap. XVII. & Esdra lib. III. cap. I. *Fretus inde auxilio Ægyptii Regis Sedecias defecit à Babylonia.* Jerem. cap. XXXVII. & Ezechiel cap. XVII.

Qua tempestate Jeremiam Prophetam, qui jam sæpius imminere captivitatem urbi prænuntiaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset) Quæ inferuntur de vexatione Jeremiæ Prophetæ, non sunt neque in Regnis, neque in Paralip. Sed cap. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. Jeremiæ.

Sed ille cœlestis iræ non ignarus, eadem sæpius interrogatus respondit, ipsi Regi spetialem pœnam denuntians) Dixit enim: *In manu Regis Babylonis traderis*, cap. XXVII. Jeremiæ.

Trudi Prophetam in carcerem jubet) Ibid. *Præcepit Sedecias, ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris.*

Absolvere innocentem non est ausus) Nam cùm dixissent Principes: *Rogamus, ut occidatur homo iste*, dixit Rex: *Ecce ipse in manibus vestris est. Nec enim fas est, Regem vobis quidquam negare.*

In lacum immensi profundi, cœnoque ac sordibus, atque ex eo exitiabili fœtore, horridum demissus est) Sic cap. XXXVIII. Jeremiæ: *Submiserunt Jeremiam in funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum.*

Sed Rex educi Prophetam de lacu, & carceris custodiæ reddi jubet) Quippe *mandavit Abdemelech Æthiopi, ut levaret eum de lacu, antequam moreretur; & extraxerunt eum funibus, & eduxerunt de lacu, & mansit in vestibulo carceris.* Hoc autem factum est ante nonum annum Sedeciæ Regis, ut scriptum est apud Jeremiam cap. XXXIX.

Interea obsessos vis hostium, & penuria urgebat, consumptisque omnibus, quæ mandi poterant, fames invaluerat) Sic cap. XXV. Regum: *Prævaluitque fames in Civitate, nec erat panis populo terræ.*

Ita defessis media defensoribus oppidum captum, incensumque) Ibid. *Et interrupta est Civitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum Regis (porrò Chaldæi obsidebant in circuitu Civitatem.) Fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis, & persecutus est exercitus Chaldæorum Regem, comprehenditque eum in planitie Jericho, & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum. Apprehensum ergo eum duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha, qui locutus est cum eo judicium.* De oppido capto, & incenso, sic post: *Nabuzardan princeps exercitus venit Jerusalem, & succendit*

(628) Verè post annum trigesimum. Non anno trigesimo septimo demum, ut II. Reg. XXV. 27. disertè legitur, emissus est.

(629) Non malè. Sic enim Plautus in Milite glor. *participare aliquem sermone*. Et in Cistell. *participare aliquem consilii*, pro *participem facere consilii*. Dicunt item *participare laudes cum aliquo*. Atque ita idem est, quod *participem facere*: Sed est quoque idem quod *participem fieri*. Ut *participare parem postem*. Quod infra, & alibi dicit *participare cibis*, id, quod ad constructionem attinet, paullo insolentius est.

(630) IV. Regum XXV. Jerem. XIII. 10. Sedecias confert, cum perdice: quia, ut alteri hæc avis subducit ova, iisque incubat; sed exclusi pulli simul ac possunt, ad veros avolant parentes: Sic Sedecias cum omnibus impiis, qui in divitiis confidunt, ubi ad medium pervenissent dierum suorum, amissuri essent opes malè partas. Eo pacto hunc locum accepisse etiam videtur Chaldæus Paraphrastes, ut silentio prætercam Lyranum, Hugonem, aliosque Interpretes.

(631) *Postrema mala* dicit, quæ & *extrema* & *ultima* dicunt. Deinde *debitus* de personâ. Ut Claudianus in Gigantomachiâ dicit: *Cœlo debita progenies.*

(632) Erat in vestibulo carceris. Lacum dicit λάκκον, qui Hebræis est בור, idest locum subterraneum in carcere. Tales lacus, vel putei in Oriente frequentes, primò ad aquationem, deinde ad veram custodiam, ut ibi in profundo cœno miserè perirent. Est autem insignis apud Sulpicium ejusmodi lacus descriptio.

Lacus pro *fovea*, *fossa*, ut supra, & infra. Ceterùm *lacus immensi profundi* est pro *lacus immensæ profunditatis*, adjectivo nomine usurpato substantivè. Sic *incertum* dicunt pro *incertitudo*: idque more Græcorum, qui λευκὸν dicunt pro λευκότης.

(633) Pro *Sacerdotibus* legendum sine dubio *Principibus*,

inediâ defensoribus, (634) oppidum captum, incensumque. Rex, ut Propheta dixerat, effossis oculis, Babyloniam translatus: (635) Jeremias misericordiâ hostili carcere exemtus. Cùm eum Nebuzardan, Princeps Regius, captivum eum ceteris duceret, delatâ sibi optione ab eo, utrum in solo patrio deserto desolatoque subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet, residere in patriâ maluit. Nabuchodonosor abducto populo, residuis, quos belli conditio vel prædæ fastidium reliqui à victoribus (636) fecerat, Godoliam ejusdem gentis (637) præposuit, absque ullo insigni Regio aut imperii nomine: quia præesse paucis, & calamitosis, nulla dignitas erat.

dit domum Domini, & domum Regis, & domos Jerusalem, omnemque domum combussit igne; & muros Jerusalem in circuitu destruxit. Hæc acta anno XIX. Nabucdonosoris. Jeremias cap. LII. & lib. IV. Regum cap. XXV.

Rex, ut Propheta dixerat, effossis oculis Babylonem translatus est) Hic Propheta fuit Ezechiel, qui ita ex ore Domini prophetavit cap. XII. *Et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, & ibi morietur.* Nam Jeremias cap. XXXIV. dixerat: *Et oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt.* Neque tamen Ezechieli contradixit.

Jeremias misericordia hostili carcere exemptus) Cap. XXXIX. Jeremiæ: *At omnes optimates Regis Babylonis miserunt, & tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris.*

Cum eum Nabuzardan princeps Regius captivum cum ceteris duceret, delata sibi optione ab eo, utrum in solo patrio deserto) Verba optionis fuerunt: *Ecce solvi te de catenis, quæ sunt in manibus tuis: Si placet tibi, ut venias mecum Babylonem, veni, & ponam oculos meos super te. Si autem displicet tibi venire in Babylonem, reside. Venit autem Jeremias ad Godoliam ibi à Rege præpositum.*

Nabucdonosor abducto populo, residuis, quos belli conditio, vel prædæ fastidium reliqui à victoribus fecerat, Godoliam ejusdem gentis præposuit) Ibidem: *Populo, qui relictus in terra Juda, quam dimiserat Nabucdonosor, præfecit Godoliam.* Vide, ne *relinqui* legendum sit.

Absque ullo insigni regio) Hoc addit de suo Sulpicius. Atque hanc quidem ille captivitatem Judæorum Babylonicam putat, in qua per septuaginta annos fuerint.

(634) Josephus: *Atque id certamen duravit per menses decem & octo, donec tandem succubuere, partim inedia victi, partim supernè è turribus telorum multitudine oppressi.*

(635) Detentusque in carcere usque ad mortem. Sepultus tamen βασιλικῶς. *Josephus.*

(636) Sigonius legendum censet *relinqui à victoribus*; Giselinus autem *reliquias*. Ego prætulerim prius. Supra similiter dixit: *Relictis, quorum imbecillitas aut ætas fastidio victoribus fuit.*

(637) Judæus hic prudens potensque erat, qui sequutus Jeremiæ oraculum ad Chaldæos transfugerat. Quocirca reliquiis Gentis suæ præfectus est. Ita Lyranus. Vir ingenii placidi, & ad præsentem fortunam benè se aptans; sed nimiùm credulus, id quod ei exitio fuit.

Explicit Liber Primus.

LIBER

LIBER SECUNDUS. (1)

Captivitatis tempora (2) Prophetarum vaticiniis (3) atque actibus illustrata sunt. (a) Maximè itaque Danielis (4) egregiam ad conservandam legem perseverantiam, & in absolutionem Susannæ (5) divino consilio, ceteraque ab eo gesta ordine persequemur.

DANIEL REGI NABUCDONOSORI CARUS.

Hic sub Rege Joachim (b) captus (6) deductusque Babyloniam, parvus admodum puer, (7) postea ob elegantiam vultus inter Ministros Regios assumptus, unàque cum eo Ananias, Misaël, & Azarias. Sed cùm eos Rex delicatioribus cibis curari præcepisset, idque Asphanæ eunucho (8) negotii dedisset, Daniel paternarum traditionum (9) memor, ne ex mensa Regis

(a) Hæc est quinta ætas, de qua sic S. Augustinus: *Quinta ætas porrigitur à transmigratione usque ad tempora Christi, & fit mane transmigratio in Babyloniam, cùm in ea captivitate populus leniter, & in peregrino otio collocatus est. Et re vera sic ista ætas à regni robore inclinata & fracta est in populo Judæorum, quemadmodum homo à juventute fit senior, & bene comparatur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia, & volatilia cœli, postequam illi homines inter gentes, tanquam in mari esse cœperunt, & habere incertam sedem, & instabilem, sicut volantes aves. Hujus diei, hoc est hujus ætatis vespera est multiplicatio peccatorum in populo Judæorum, quia sic excæcati sunt, ut etiam Dominum Jesum Christum non possent agnoscere.* Continet autem hæc ætas servitutem Babylonicam, reductionem in patriam, urbis & templi restitutionem; desolationem, & servitutem sub Rege Syriæ Antiocho Epiphane, & liberationem per Assamonæos; Regni reparationem, seditiones, & finem Imperii Judæorum. Sulpicius autem expositis cladibus, & transportationibus Israelitarum, & Judæorum, deinceps tractat tempora Judæorum in captivitate, quam post per septuaginta annos pertulerent in Babylonia, ut plurimis Hieremiæ, Ezechielis, & Danielis testimoniis constat. Quanquam autem orditur captivitatis annos ab capto & translato Sedecia, (si quidem ratio annorum, quam ille affert, hanc summam continet) tamen altius repetit, idest, à translatione Joachim, nempe ante annos undecim, quam Sedecias abstraheretur. Summa annorum captivitatis, quam ille prodit, est hæc: Post Sedeciam abductum Nabucdonosor Rex Babyloniorum regnat annos XXVI. Evilmerodach an. XII. Balthasar annos XIV. Darius an. XVIII. Rex Medorum, & Babyloniorum. Cyrus Rex Persarum. Hos LXX. annos Daniel & Ezechiel Prophetæ captivi apud Babylonios, & Jeremias in Judææ solo relictus partim vaticinando, partim agendo illustrarunt.

Maximè itaque Danielis) Quanquam Ezechielis, & Hieremiæ multa insignia acta sunt, tamen Danielis & plura, & illustriora fuerunt; & propterea pollicetur, ea se potissimùm traditurum.

Egregiam ad conservandam legem perseverantiam.) Præcipuè verò abstinentiam à cibis gentilium illegitimis, de qua mox.

Et absolutionem Susannæ Divino consilio) Legendum est, *Divinum consilium*, ut sit, maximè se quoque persecuturum Divinum Danielis consilium in absolutionem Susannæ.

Ceteraque ab eo gesta) Nempe visiones Regum, quas ad res futuras pertinentes Daniel interpretatus est, & alias ipsius proprias Danielis. Verùm præter hæc multa alia narraturus est, ut honores habitos Danieli à Nabucdonosore, Balthasare, Dario & Cyro Regibus, Ezechielis acta, Godoliæ necem, statuam Nabucdonosoris cum periculo trium puerorum Hebræorum, Regna Evilmerodaci, Balthasaris, & Darii.

(b) Orditur narrationem de Daniele. Daniel sub Rege Joacim, non Joachim, captus fuerat, ipsomet teste, ita ordiente: *Anno tertio Regni Joacim Regis Juda venit Nabucdonosor Rex Babylonis in Hierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu ejus Joacim.* Quare Joacim est legendum.

Unàque cum eo Ananias, Misaël, & Azarias.) Hos omnes scribit Daniel de filiis Juda fuisse, & nominatos à Babyloniis fuisse Sidrac, Misac, & Abdenago, se autem Balthasarem.

Sed cum eos Rex delicatioribus cibis curari præcepisset.) Hoc pertinet ad abstinentiam ciborum immundorum, quam adhibuit Daniel ex lege Judæorum apud Babylonios. de qua sic ipsemet Daniel: *Constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse.* Hæc verò acta sunt primo anno Regis Nabucdonosoris, qui in tertium, & quartum annum Joacim Regis incurrit.

Asphanæ eunucho.) Daniel Asphanez præpositum eunuchorum appellat. Eunuchi autem Græcè dicebantur ministri Regii, qui cubile Regium asservabant.

Daniel paternorum traditionum memor.) Mallem, *patriarum*, ut ad præcepta legis Judæorum respiceret potiùs, quam ad monita patris, nam in lege de ciborum ratione sanctum erat, idest, ne animalibus immundis vescerentur, ea verò quæ sint, declaratur Levitici cap. XI.

Ne,

(1) Hujus divisionis authorem esse ipsum Sulpicium, ex præfatione ejus patet, ubi dicit: *quæ permultis voluminibus perscripta continebantur, duobus libellis concluderem.* Horn.

(2) Cur Matth. cap. I. 11. de μετοικεσίᾳ in numero singulari loquatur, cùm tamen plures fuerint, vide Fr. Spanh. I. Dub. IX.

(3) Jeremiæ, Ezechielis, Danielis.

(4) Quem tamen Hebræi non accensent Prophetis. Causa est, quòd vitam egerit non Propheticam, sed Satrapicam, ut David Regalem. Quare eos ajunt scripsisse quidem per Spiritum Sanctum, sed Prophetas non fuisse. Attamen & Christus, & Josephus, Danielem vocant Prophetam, & sic eum dici posse generaliori significatu affirmat Maimonides II. More Neb. Fuit ex Tribu Juda, & Regia stirpe. Patria illi Bethoron superior. Captus est cum Joakim. Mortuus est anno ætatis CXXXVIII. *Perer.* Vel potius centesimo aut circiter. *A Lapide.* Dicunt eum sub Attalo, cum tribus pueris, capite plexum. Et sic narrat Codex Basilii Porphyrogenneti, qui in Vaticana Bibliotheca asservatur. Sed hoc incertum. Obiit Babylone, & ibi in Regum monumentis conditus est. Multa fabulosa de ipso Dorotheus, & Pseudo-Epiphanius referunt.

(5) Sigonius legendum censet *divinum consilium*, *Drusius* verò *in* delendum. Ego rursus prætulerim prius.

(6) Erret ergo Josephus, qui Danielem demum sub Zedekia abductum putat.

(7) X. annorum, ut Pererius, XX. ut Maldonatus vult. Quæ sententia verior.

(8) Hinc ortu opinio, castratos fuisse Danielem cum tribus sociis. In qua sunt Josephus, Origenes, Homil. IV. super Ezech. Zonaras Tom. I. Hieronym. I. contra Jovin. Et hoc comminatum Ezechiæ putant Esaiam cap. XXXIX. 7. eandemque causam, cur Daniel passim in vetustissimis monumentis, imberbis pingatur. Contra Lyranus, Maldonatus, Dorotheus, & Epiphanius, existimant eum non fuisse castratum, sed Eunuchum vocari posse, pro sensu Orientis, quemvis aulicum. Verba Josephi sunt: ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας, Igitur cùm plures sub disciplina Asphanæ fuerint, nihil à Daniele vel sociis ejus, certi asserit.

(9) Sic & infra: *paternarum traditionum immemor.* Intelligit autem traditiones non patris, sed patrum, idest, majorum. Græcè vocantur πατροπαράδοτοι, itemque πατρικαὶ παραδόσεις. Vide I. Pet. I. 18. Gal. I. 14.

Bb

gis gentilium cibis participaret, (10) popoſcit ab eunucho, ut leguminibus tantùm uterentur. Cauſſante Aſphane, ne diſſimulatum (11) imperium Regis conſecutura macies proderet: Daniel Domino fretus, pollicetur majoris decoris ſibi vultus ex leguminibus, quàm ex cibis regiis fore. Fideſque dictis affuit, ita ut minimè eorum vultus comparabiles haberentur, qui imperialibus impendiis procurabantur. Igitur à Rege in honore & gratia adhibiti, (12) prudentia & diſciplina (13) brevi omnibus Regis proximis antelati.

JUDICIUM SUSANNÆ PER DANIELEM.

Per idem tempus Suſanna quædam (c) Joachim nupta, ſpectatæ fœmina pulcritudinis, à duobus Presbyteris appetita, (14) cùm impudicis non acquieviſſet, (15) falſo crimine inceſſitur: iiſdem Presbyteris deferentibus, in remotis locis (16) adoleſcentem cum ea deprehenſum, ſed illum juvenili alacritate ſuarum manus effugiſſe. Ita Presbyteris fides habita (17) judicio po-

Ne ex menſa Regis gentilium cibis participaret.) Daniel ſcripſit: *Ne contaminaretur*, nam immunda contaminant, & polluunt.

Ut leguminibus tantum uterentur.) Malim, *veſcerentur*, ſic enim ſcripſit Daniel: *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum.*

Cauſſante Aſphane, ne diſſimulatum imperium Regis conſecutura macies proderet.) Verba Aſphanis apud Danielem hæc ſunt: *Timeo ego Dominum meum Regem, qui conſtituit vobis cibum & potum, qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coævis veſtris, condemnabitis caput meum Regi.* Cauſſante ergo eſt, cauſſam afferente.

Daniel Domino fretus, pollicetur majoris decoris ſibi vultus ex leguminibus, quàm ex cibis Regiis fore.) Sic enim dixit: *Contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo Regio, & ſicut videris, facies cum ſervis tuis.*

Fideſque dictis affuit, ita ut minimè eorum vultus comparabiles haberentur, qui Imperialibus impendiis procurabantur.) Sic Daniel: *Poſt dies decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo Regio.*

Igitur à Rege in honore, & gratia adhibiti, prudentia, & diſciplina brevi omnibus Regis proximis antelati.) Daniel: *Cùmque eis locutus eſſet Rex, non ſunt inventi tales de univerſis, & ſteterunt in conſpectu Regis. Et omne verbum ſapientiæ, & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, invenit ab eis decuplum ſuper cunctos ariolos, & magos, qui erant in univerſo Regno ejus.*

(c) Secundo loco exponit judicium Suſannæ, quod divino Danielis conſilio abſolutione Suſannæ perfectum eſt. Annum ejus incertum putamus, factum tamen id puero Daniele apparet etiam ex ipſa narratione. Refertur autem hæc hiſtoria non ſecundo capite, ſed quartodecimo Danielis, neque à Judæis, ut ajunt, accepta eſt. Ceterum factum hoc dicitur eveniſſe Babylone, cùm judicium ejus anni eſſet penes duos ſenes, quos Sulpicius vocat Presbyteros. Hi ſenes cùm propter tractationem judiciorum domum cujuſdam Joacim, cui nupta erat Suſanna, frequentarent, quòd ille omnibus honore præſtaret, eâ conſpectâ amore flagrare cœperunt, & dolore communicato, tempus ad tentandam mulierem ſtatuerunt, cùm ſola in pomario lavaretur, quare cùm ſe in pomario occuluiſſent, eam adorti ſunt. Suſanna vero tale flagitium detrectante, ira exacerbati, crimen in eam confinxerunt, & ſe illam in adulterio cum juvene deprehendiſſe dixerunt; atque ita in judicium vocatam, tanquam adulteram, condemnarunt. Tum vero Daniel puer exclamavit, ac rem novo judicio committendam indixit; quo facto, cùm & ipſe puer inter ſeniores judex eſſet aſcitus, ſenes illos falſi nova interrogatione facta, convicit, atque in eos damnatos animadvertit.

A duobus Presbyteris appetita.) Daniel dixit: *Ambos fuiſſe vulneratos amore illius, & arſiſſe concupiſcentia ejus.*

Cum impudicis non acquieviſſet.) Dixit enim: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

Falſo crimine inceſſitur.) Delatio enim criminis his verbis concepta eſt: *Venit ad eam adoleſcens, qui erat abditus, & concubuit cum ea; porrò nos, cùm eſſemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commiſceri. Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat. Hujus rei teſtes ſumus.*

Ita Presbyteris fides habita, judicio populi Suſanna damnatur.) Sic Daniel: *Credidit eis multitudo, quaſi ſenibus, & judicibus populi, & condemnaverunt eam ad mortem:* Nempe ex lege de adulterio data a Deo, Deuter. cap. XXII.

Quæ

(10) Cauſa cur Daniel pane vinoque Regio abſtinuerit, non alia eſt, quàm quod moris erat illis gentibus, partem de pane & vino injicere in aram, aut in focum, atque eo modo, diis ſuis conſecrare totum illud, quod erant comeſturi. Id verò, ſicut ſtulta eorum opinione erat ſanctitas: ita Hebræis melius inſtitutis, & certis talia dedicata eſſe falſis numinibus, erat pollutio. Sic Jarchiades & Theodoretus.

Participare eſt *participem facere*; dicuntque *participare aliquem aliqua re*; quâ formâ, & in pag. 95. ſcripſit noſter: *Menſâ & conſiliis participatur*. Deinde *participare* eſt idem, quod *participem fieri*. Sed dicunt *participare aliquam rem* pro *participem fieri alicujus rei*: et paulò ante monui. Noſter autem caſu tertio dicit: *participare cibis*; neque hic tantùm, ſed & infra. Idque more Græcorum ita fieri videtur, quippe qui dicunt: κοινωνεῖν τινί.

(11) *Diſſimulatum* pro *neglectum*. Sic & Dial. II. cap. I. *Diſſimulatum ſe à Clericis querens.*

(12) Vulgò dicunt *in honore habiti*. Quâ formâ, paulò infra dictum: *In ſummis honoribus habebantur.*

(13) Facilè omnem perdidicerunt doctrinam, tam Hebraicam, quam Chaldaicam, ſed præcipuè Daniel, peritus talium artium: περὶ κρίσεις ὀνείρων ἐσπουδάκει, καὶ τὸ θεῖον αὐτῷ φανερὸν ἐγένετο. Joſeph.

(14) A duobus Senioribus, quos Hebræi זקנים appellant, & eſt nomen dignitatis. Nam ſic vocabantur Magiſtratus, quos nunc Seniores aut Conſules dicimus. Habebant enim in Babylonia Magiſtratum ex Judæis. Quod mirum videri nemini debet, cùm etiam Alexandriæ olim habuerint. Diſertè Strabo, citante Joſepho Antiquit. lib. XIV. cap. XII. *Per Ægyptum ſane etiam coloniæ ſunt ejus gentis, abſque eo quod Alexandrinæ urbis magna pars eis aſſignata eſt. Habent enim proprium Magiſtratum, qui ſuæ gentis res adminiſtret, & controverſias ex jure dirimat, & contractus, atque pacta rata habeat, non aliter quam ſi in abſoluta Republica.*

Utitur vocabulo Græco, quod in ipſâ hiſtoriâ Suſannæ viſitur; cùm Latinè dicere poſſet *Seniores*. Eſt autem nomen dignitatis; reſpondetque Hebræo זקנים:

(15) Ideſt gratificata eſſet. Sic ſupra pag. 29. *Non adquieſcentem ſibi* pro *non gratificantem ſibi*. Vide Notas ad eum locum num. 135.

(16) Druſius mallet *in occultis locis*. Ego nihil mutandum puto.

(17) Tanquam teſtibus. Ideo pro more Judæorum manus ſuas capiti Suſannæ impoſuerunt. Levit. XXIV. 14.

populi Susanna damnatur. Quæ cùm secundùm legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus XII. increpitis Judæis, quòd innocentem morti dedissent, (18) reducere eam in judicium, caussamque denuo audiri postulat. Enimverò multitudo Judæorum, quæ tum aderat, non sinè Domino, existimans puerum contemptæ ætatulæ in hanc constantiam prorupisse, favore accommodato, in consilium revertitur. Initur denuo judicium: Danieli, ut iater majores natu resideret, delatum. Igitur separari accusatores jubet: unumque ex eis interrogat, (19) sub cujus generis arbore adulteram deprehendisset: ex varietate responsi, falsitas deprehensa: Susanna absoluta: Presbyteri, qui innocenti periculum creaverant, capite damnati.

SOMNIUM NABUCDONOSORIS DE REGNIS FUTURIS EXPOSITUM A DANIELE.

Ea tempestate (20) Nabuchodonosor somnium vidit, (*d*) mysterio futurorum mirabile. Cujus interpretationem, cùm per se non posset evolvere, ascitis ad interpretandum Chaldæis, qui magicis artibus, extisque hostiarum (21) scire occulta, & futura præcinere (22) videbantur: mox veritus ne more hominum non vera, sed placita Regi ex somnio conjectarent, visa supprimit, (23) poposcitque ab eis, ut si vera in his (24) divinatio esset, somnium ipsum sibi dicerent: tum demum interpretationi eorum crediturum, si prius enuntiando somnium, artis periculum fecissent. Illi verò tantam molem abnuentes, (25) non esse id humanæ opis confi-

te-

Quæ cum secundùm legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus duodecim increpitis Judæis, quod innocentem morti dedissent.) Daniel ita: *Cùmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel: exclamavit voce magna: sic fatui filii Israël non judicantes, neque, quod verum est, cognoscentes, condemnastis filiam Israël?*

Reducere eam in judicium, caussamque audiri postulat) Sic enim addidit: *Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam.* De annis Danielis ex Scriptura nihil certi.

In consilium revertit.) Daniel: *Reversus est ergo populus cum festinatione.*

Danielis, ut inter majores natu resideret, delatum.) Praeclarè: *Dixerunt enim ei senes: Veni, & sede in medio nostrum, quia Deus dedit tibi honorem senectutis.*

Igitur separari accusatores jubet.) Et quidem his verbis: *Separate illos ab invicem procul, & dijudicabo eos.*

Unumque ex eis interrogat, sub cujus generis arbore adulteram deprehendissent.) Nempe utens his verbis: *Nunc ergo, si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi.*

Ex varietate responsi falsitas deprehensa.) Ex responso unius veritas elici non potuit. Quare ita legendum videretur: *Unum atque alterum ex eis interrogat.* Varietatem autem responsi adhibuerunt dicentes, unus sub schino arbore, alter sub prino.

Susanna absoluta) Quippe, ut inquit Scriptura: *salvatus est sanguis innoxius in die illa.*

Presbyteri capite damnati) Apertius Scriptura: *Fecerunt eis, sicut male egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Moysi, & interfecerunt eos.* Hanc legem invenies cap. XIX Deuteronomii.

(*d*) Tertiò narrat, ut Daniel Nabucdonosori Regi somnium ejus narrarit, vimque ejus explicuerit. Duplex enim Danielis in eo laus fuit, una, quòd somnium divinavit, altera, quòd interpretatus est. Somniavit autem Rex, se videre statuam caput aureum habentem, brachia argentea, ventrem & femora ænea, & crura ferrea, sed in pedes ferreos, & fictiles desinentia, ita, ut ferrum testæ cohærere non posset; inde somno excitus, somnii est oblitus; quare quæsivit, qui sibi somnium in memoriam redigeret primùm, deinde verò etiam explanaret. Hoc factum scribitur secundo anno Regni Nabucdonosor, qui in quintum annum Joacim Regis incideret; cui opinioni etiam S. Augustinus adstipulatur in libro de Mirabilibus Sacræ Scripturæ.

Cujus interpretationem cùm per se non posset evolvere, ascitis ad interpretandum Chaldæis.) Daniel scribit somnium fugisse à Nabmdonosore, idest, ex ejus memoria, ut ferme fit, excidisse, & propterea mandasse, ut convocarentur arioli, magi, malefici, & Chaldæi, *ut indicarent sibi somnia sua*, idest, ut narrarent somnium, quod sibi exciderat juxta Proverbium: *Meum mihi narrasti somnium.* Itaque allocutus eos dixit: *Sermo recessit à me, nisi indicaveritis mihi somnium, & conjecturam ejus, peribitis vos.*

Poposcitque ab eis, ut si vera in his divinatio esset, somnium ipsum sibi dicerent; tum demum interpretationi eorum crediturum, si prius enunciando somnium, artis periculum fecissent.) Quippe dixit: *Si somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque compositionem fallacem ... Somnium itaque dicite mihi, ut sciam, quod interpretationem ejus veram loquamini.*

Illi verò tantam molem abnuentes, non esse id humanæ opis confitebantur.) Verba, quibus confessi sunt, hæc fuerunt: *Non est homo super terram, qui sermonem tuum Rex possit implere. Sermo, quem tu quæris, gravis est, nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu Regis, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.*

Rex

(18) Ad mortem damnassent, morti adjudicassent. *Drus.*

Morti dare est hic non *plectere capite*, sed *damnare capite*. Sequitur enim: *Reducere eam in judicium caussamque denuo audiri postulat.* Alibi verò eâ phrasi ipsa pœna capitalis significatur. Vide supra pag. 40. Drusius, cùm vim phraseos exprimere vellet, scripsit: *Ad mortem damnassent, morti adjudicassent.* Verùm *ad mortem damnare* parùm Latinè dici videtur; quâ de re in libello de Latin. merito suspectâ pluribus.

(19) Sigonius legi vellet: *Unum atque alterum ex eis.* Drusius autem mallet: *Unumque ex eis, & post alterum*: aut *utrumque ex eis*. Mihi neutra conjectura placet: minimè verò Sigonii. Qui enim *unum atque alterum ex eis* dicit, is ex pluribus aliquot, ac minimùm duos, intelligit. At Seniores isti numero tantùm duo fuerunt.

(20) Μετὰ ἔτος δεύτερον τῆς Αἰγύπτου πορθήσεως. *Joseph.* co. 11. *Dan.* 11. Cùm Regnum in Judæa, Syria, Ammonitide, Moabitide, & Ægypti magna parte constituisset. *Hebræi* apud Hieronymum.

(21) Qui extis hostiarum futura prædicunt, vocantur à Græcis θυταὶ καὶ ἡπατοσκόποι, à Latinis haruspices & extispices. Priore vocabulo usus est Theodotio, Dan. II. posteriore Symmachus, itemque Herodianus. *Drusius.* In Hebr. est מכשפים, quod Hieronymus interpretatur τοὺς νεκρομάντεις, ut & Jarchiades. Est & גזרין Theodotioni γαζαρηνοί, Symmacho θυταὶ, Hieronymo ἡπατοσκόποι.

(22) Prædicere aut præcinere, quia vates etiam canunt, dum versus rhythmico ratione compositos cantando pronuntiant. Similiter Poetæ canere dicuntur eadem de caussa; ex quo illud: *Arma virumque cano.* Unde & ἐπαοιδοὶ dicti, *incantatores*.

Simplex *canere* tantumdem significare poterat; Sed antiquiores quoque ipso illo composito sunt usi.

(23) Non assecutus est mentem vel Danielis, vel Josephi, Sulpicius. Nam uterque tradit, *somnium Regi excidisse*. Nulla ergo fraus ab eo commissa, sed quærebat quod amiserat. *Horn.*

Per soporem *visa*, ut loquitur alibi, aut per quietem.

(24) Drusius vocula *his* ipsa somnia denotata putat. Ego verò ad homines pertinere putam.

(25) Tantam difficultatem declinantes.

tebantur. Rex motus, (26) quòd falsa divinandi professione (17) homines erroribus illuderent, cùm astricti præsenti negotio oihil scire se coofiterentur: ita edicto Regis io eos animadversum, palàmque omnes hujas artis interficiebaotur. Quod ubi Danieli compertum, Regis proximum appellat: (28) enantiationem somnii, interpretationemque ejas pollicetur. Res ad Regem defertur: Daniel accersitur, jam revelato sibi per Dominum mysterio, (29) visio Regis refertur, solatioque. Sed res postalat, ut Regis somoiom, & interpretationem Prophetæ, & consequentium fidem exponamas. Viderat Rex per soporem, imagioem capite aurro, brachiisque (30) argenteis, ventre & femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinebat. Sed ferrum atque testum inter se confusum (31) coire noo poterat; ad extremum, imaginem lapis sinè manibus abscissus proterebat: redactaque omnia in pulverem, vento ablata. Igitur secundùm Prophetæ interpretationem imago visa figuram Mundi gerit. Caput aureum, Chaldæorum imperiom est: siquidem id primum, & opulentissimum (32) fuisse accepimus. Pectus, & brachia argentea, secundum Regnum anountiant. Cyrus enim, victis

Rex motus, quòd falsa divinandi professione homines erroribus illuderent, cùm astricti præsenti negotio nihil scire se confiterentur, ita edicto Regis in eos animadversum, palàmque omnes hujus artis interficiebantur.) Nisi hoc loco aliquid desideratur, certè subest sententia inconsequens. Sic enim Daniel planius: *Quo audito Rex in furore, & ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressâ sententiâ sapientes interficiebantur.*

Quod ubi Daniel compertum, Regis proximum appellat. Somnii enunciationem, interpretationemque pollicetur.) Quem proximum Regis vocat, is dicitur Arioch Princeps militiæ Regis, qui a Rege potestatem acceperat.

Daniel accersitur jam revelato sibi per Dominum mysterio.) Daniel, accitis sociis suis Anania, Misaele, & Azaria, iisque misericordiam Dei super sacramento isto quærere jussis, nocte mysterium per visionem cognovit.

Visio Regis refertur, solutioque.) Idest, exponitur, eum vidisse statuam, & quid illa visio significaret. Statua verò, qualis fuerit, refertur à Sulpicio; at Daniel ita exprimit: *Hujus statuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.*

Sed ferrum, atque testum inter se confusum coire non poterat.) Hoc non est apud Danielem; testum autem dixit, quòd alii testam, rem fictilem.

Ad extremum imaginem lapis sinè manibus abscissus proterebat, redactaque omnia in pulverem vento ablata.) Liquidiora multo mihi Danielis verba videntur: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sinè manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tum contrita sunt pariter ferrum, & testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento.*

Igitur secundùm Prophetæ interpretationem imago visa figuram Mundi gerit.) Sulpicius ex persona sua statuam interpretatur, non Danielis; at Scriptura, ex Danielis; ita Sulpicius addit quædam, ut is, qui, quæ ventura erant, jam evenisse vidit.

Caput aureum Chaldæorum Imperium est.) Daniel: *Tu es ergo caput aureum, & post te consurget Regnum aliud minus te, & Regnum tertium æreum, quod imperabit universæ terræ. Et Regnum quartum erit, velut ferrum.*

Siquidem id primum, & opulentissimum fuisse accepimus.) Hæc tanquam a Sulpicio dicta, non tanquam à Daniele accipere debemus. Regnum enim Assyriorum, quod deinde ad Babylonios translatum est, primum fuit.

Cyrus

(26) Si nihil deest, debet subaudiri *fuit*: & motus, idest, commotus iracundia.

(27) Rex iracundus videri volebat eos esse impostores, qui cùm abditissima quæque sibi nota esse dicerent, id tamen non ostenderent in hoc facto.

(28) Maluissem *Regis Præfectum*. Nam Præfectus erat rerum capitalium, quem Theodotio ἀρχιμάγειρον appellat. An proximus Regis fuerit nescio. Hoc scio in fonte haberi רב טבחא *Magistrū mactatorum*, idest, satellitum, aut carnificum. Nomen ei Arioch, Dan. II. 14. Forte proximum vocat, quia semper in Aula prope Regem erat. Sic enim certè loquendo aulicos innuere videtur supra: *prudentia & disciplina brevi omnibus Regis proximis antelati*. Causa appellatio tir hujus ex Josepho. Quia Arioch erat Præfectus τῶ σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως, cui promptus semper ad Regem accessus.

Sic supra: *Omnibus Regis proximis antelati*. Et infra: *Mardochæus inter proximos Regis erat*. Tales & *amici Regum* appellantur. Nepos I. 1. 2. *Si amicis suis eppula inunda tradidisset*. Justinus XXXIV. 4. 3. *Cum cuncta eum (Antiochum) videret, consultatorumque ad amicos referre*. Drusius mallet pro *Regis proximum*, scripsisse nostrum *Regis Præfectum*, quia Arioch ille, de quo agitur, fuerit, רב טבחים *Magister mactatorum*, idest, militum. Atqui tales, ut ostendimus, *Regum amici* dicuntur. Quidni ergo *Regum proximi* rectè dicerentur.

(29) Arcano, secreto. Sanè quod Propheta Daniel רזא appellet, ejus interpres Theodotio μυστήριον vocat. Innuit autem somnium cum interpretatione. Hoc somnium, quia erat occultum & absconditum, rectè mysterium vocatur, cujus origo vocis Hebræa est, videlicet παρὰ τῷ סתר: unde in tertia conjugatione præteritum מסתיר, absondit, & participium generis passivi מוסתר, quod legunt masthar sive mysthar. Hinc mysterium, quia res abscondita, & quæ homines vulgo latet. Τὸ ἀγγοούμενον interpretatur Chrysostomus.

Sibi pro *ei*, reciprocum pro demonstrativo: ut *pater suus* dicunt pro *pater ejus*. Cujus generis multa in lib. de Latinit. I. susp. pag 46. & seqq. congessimus. Porrò *mysterium* dicit, quod secretum & arcanum erat; somnium scilicet ejusque interpretationem. Dicitur enim μυστήριον παρὰ τὸ μύειν *à claudendo*. Neque verò placet, quod Drusius Notis ad hunc locum, & Casaubonus in Exercitationibus contra Baron. scribunt, originem vocis esse Hebræam; & quidem à radice סתר, unde sit מוסתר & מסתר;

(30) Et humeris ac pectore. Ita Daniel, Josephus. Enclitica *que* addita, cùm sequantur similia, quibus addita non est, indicat, aliquid excidisse. Quid verò illud sit, ipsæ origines docent; nimirum *pectora*. Sed & caput proximum idem ostendit; in quo quippe est: *pectus & brachia argentea*.

(31) Giselinus putat, aut voces *inter & confusum* conjungendas esse, aut interserendam vocalam *se*, legendumque *inter se*. Ego verò *se* excidisse, & præterea trajectionem factam esse putem; legendumque adeò: *Ferrum atque testum confusum inter se coire non poterant*. Video enim, ut supra, ubi somnii interpretationem refert, phrasi *inter se coire* denuo, & quidem bis, usum. Verba ejus sunt: *Ita ut nunquam inter se coëat*. Item: *Commisceri testum atque ferrum, nunquam inter se cohærentem materiam*. *Testum* pro *testa* novum est. Sed retinendum tamen; quia quæ sequuntur, genere ei congruunt.

(32) Just. I. *Primus omnium Ninus Rex Assyriorum, veterem & quasi avitum gentibus morem, nova imperii cupiditate mutavit*. Auro igitur comparatur, tam ob antiquitatem, tam ob opulentiam. Quanquam de opulentia, ob immensos Persarum thesauros, dubitari possit. De potentia non item. Quia Cyrus & successores ejus Africam non tenuerunt.

victis Chaldæis atque Media, imperium ad Persas (33) contulit. In ventre æreo, tertium Regnum portendi pronuntiatur: idque impletum videmus. Siquidem Alexander ereptum Persis imperium, Macedoniæ vindicavit. (34) Crura ferrea, imperium quartum: idque Romanum intelligitur, omnibus ante Regnis validissimum. (35) Pedes verò partim ferrei, (36) partim fictiles, dividendum esse (37) Romanum Regnum, ita ut nunquam inter se coëat, præfigurant: quod æquè impletum est. Siquidem jam non ab uno Imperatore, sed etiam à pluribus semperque inter se armis, aut studiis dissentientibus res Romana administratur. Denique commisceri testum atque ferrum nunquam inter se coëuntem materiam; commistiones humani generis futuræ à se invicem dissidentes, significantur. Siquidem Romanum solum ab exteris gentibus aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis specie (38) traditum constat: exercitibusque nostris urbibus, atque provinciis permistas barbaras nationes, & præcipuè Judæos inter

Cyrus enim victis Chaldæis, atque Medis Regnum ad Persas contulit.) Hoc factum à Dario, ex Scriptura colligitur. Darium autem Cyrus excepit.

Idque impletum videmus, siquidem Alexander) Daniel neque Cyri, neque Alexandri meminit, sed Persarum tantùm, & Macedonum Regnum successurum secundo, & tertio loco innuit.

Idque Romanum intelligitur omnibus ante Regnis validissimum.) Idem dico de Imperio Romanorum, ex interpretatione Sulpicii profecisse, non Danielis; id tamen voluisse Daniel vulgo putatur, teste etiam Theodoreto. Illud autem *omnibus validissimum*, vereor ne non satis Grammaticis probet.

Pedes verò partim ferrei, partim fictiles, dividendum esse Romanum Regnum, ita ut nunquam inter se coëat, præfigurant.) Obscurius Daniel nomine Romanorum suppresso: *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles; ex parte Regnum erit solidum, & ex parte contritum.*

Quod æquè impletum est.) Item hoc ex persona Sulpicii dictum, ut cetera quæ sequuntur.

Siquidem jam non ab uno Imperatore, sed à pluribus, semperque inter se aut armis, aut studiis dissentientibus res Romana administratur.) Sulpicius vixit, & scripsit imperante Honorio; quare cognovit Imperatores Constantium, & Constantem, Magnentium, & Constantium, Maximum, & Valentinianum, Eugenium, & Theodosium armis inter se dissidentes. Constantium verò, & Constantem, & Valentinianum, & Valentem, Gratianum, & Valentinianum minorem studiis religionis sæviente Arrianismo, inter se discordantes. Nam Arcadius, & Honorius neque armis, neque studiis inter se decertarunt, sed concitatores odiorum non defuerunt.

Denique commisceri testum, atque ferrum nunquam inter se coëuntem materiam commistiones humani generis futura à se invicem dissidentes significantur.) Multo apertius Daniel: *Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testa.*

Siquidem Romanum solum ab exteris gentibus, aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis specie traditum constat.) Hæc declaratio est Sulpicii omnia ad sua tempora referentis. Significat autem provincias Imperii Romani occupatas aut a barbaris rebellibus, qui Rhenum transiverunt, Vandalis, Svevis, Francis, Burgundionibus, qui Galliam & Hispaniam tenuerunt; aut à Gotthis, qui specie pacis se dediderunt Valenti Imperatori, cùm Danubio trajectu arma in eum ceperunt, atque in tuguria combusserunt; exercituque deleto Illyricum, & Pannoniam, & Græciam invaserunt, ac demum se in Italiam, Galliam, & Hispaniam intulerunt. Res a me latiùs in libris de Occidentali Imperio explicata est. Non est autem dubium, quin apud Sulpicium legatur perperam, (*dedentibus semper pacis specie*,) & pro eo reponendum sit, *dedentibus se per pacis speciem*.

Exercitibusque nostris, urbibus, atque provinciis permistas barbaras nationes) Theodosius major primus Gotthos, aliosque barbaros in urbes, in legiones, & in partem Reip. Romanæ admisit, teste Synesio in oratione ad Arcadium, qui eam rem reprehendit, ut Reip. Romanæ exitiabilem.

Et præcipuè Judæos inter nos degere.) Judæi ex ultima dispersione in omnes provincias divisi sunt. Quare Claudius Imperator dicitur eos Roma expulisse tumultuantes. D. Ambrosius scribit, se, imperante majore Theodosio, reperisse Bononiæ Corpora SS. Martyrum Vitalis, & Agricolæ in solo Judæorum, cùm turba astantium Judæorum circumfunderetur. Procopius addit, Neapoli tam multos fuisse Judæos, ut urbis defensionem adversùs Belisarium sibi depoposcerint. In exercitu etiam Honorii contra Gotthos Ducem Judæum fuisse proditum est.

Nec

(33) Sive Parthos. Nam Persæ & Parthi eadem gens. Græci, qui distinxere Πάρθους & Persas, more suo fecerunt, dum omnia turbant & confundunt, quæ discriminanda sunt, aut non distinguenda dividunt. Idem nomen πάρθος & πέρσης ex proprio Paras unde & πάρθοι. Hinc πασαργάδαι urbs, transpositis literis, pro παρσαγάδαι vel παρσγάδαι. Quod significat περσῶν στρατόπεδον, ut interpretatus apud Stephanum Anaximenes. Nec obstat quod Persas & Parthos Græci regionibus distinguunt. Nam Parthos collocant ubi nunc est *Ispahan*, Persas ubi *Istachar*. Sic enim & Ἀθυρίαν & Ἀσσυρίαν distinxerunt, cùm idem sit vocabulum Atur & Assur. *Salmasius*. Sciendum etiam Arabes non distinguere inter Reges Aderbiganæ & Faras, sed una serie utrosque conjungere, ut ex Tarich patet.

(34) Quod ideo Regnum Macedonum dicitur, aus Græcorum. Qui autem post ipsum regnarunt in Asia, Syro-Macedones appellati sunt, eorumque ditio Javan dicta, idest, Græcia. Unde lux primo Maccabæorum, cap. 1. com. 1. *regnavit pro eo primus in Græcia*. Siquidem de Alexandro loquitur, qui primum regnavit pro Dario in Græcia, hoc est, in Syro-Macedonia. Id Regnum Græcorum ab eodem Sacro historico appellatur. Hæc Monarchia non rectè Macedonica vocatur; sed Græca dicenda est. Quia Alexander M. quanquam Macedoniæ Rex, totius tamen Græciæ, si Lacedæmonios excipias, Imperator contra Persas constitutus est. Deinde Macedonia nunquam ὑπεροχὴν & προστασίαν super cæteris Regna habuit, nec in ea sedes Imperii. Macedones autem antiqui ex Septentrione, unde & Thraces & aliæ Græcorum gentes, profecti, diutissimè barbaram linguam retinuerunt, & pro talibus à cæteris Græcis habiti sunt. Nomen arguit à Getis, vel ex eorum vicinia, ortos. De quo alias.

(35) Melius & Latinius: *omnium ante Regnorum validissimum*. Martialis:

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil & nihil secundum.

Claudianus:

Quâ nihil in terris complectitur altius æther;
Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium.

Insolens constructio, pro *omnium ante Regnorum validissimum*.

(36) S. Hieron. *Pedes ejus & digiti ex parte ferrei, ex parte sunt fictiles: quod hoc tempore manifestissimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil imperio Romano fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius: quando & in bellis civilibus, & adversum diversas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio.*

(37) Scribit pro solemni suo, *dividendum esse* pro *divisum iri*.

(38) Sigonius conjecit legendum esse: *Dedentibus se per pacis speciem*: quod valde probo. *Per speciem* eleganter, pro *sub specie*. Livius dicit *per speciem venandi*. Pro quo etiam dicunt *per causam venandi*. Frontinus lib III *Hujusmodi fallaciam instruxit, ut ille per causam venandi noctu procederet*. Sic &

am-

tar non degere, nec tamen in mores nostros transire (39) videamus. Atque hæc esse postrema tempora Prophetæ annuntiant. In lapide verò sinè manibus abscisso, (40) qui aurum, argentum, & ferrum testumque comminuit, Christi figuram esse. (41) Is enim non conditione humana editus (siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) (42) Mundum istum, in quo sunt Regna terrarum, in nihilum rediget, Regnumque aliud (43) incorruptum atque perpetuum, id est, futurum seculum, (44) quod Sanctis paratum est, confirmabit. De quo uno adhuc quorundam fides in ambiguo est: Non credendum de futuris, cùm de præteritis convincantur. (45) Igitur Daniel multis à Rege muneribus donatur, (46) Præfectus Babyloniæ, atque omni imperio in summis honoribus habebatur. Ejus suffragio (47) Ananias, Azarias, & Misael ad summam æquè dignitatem (48) & potestatem provecti.

EZECHIELIS PROPHETIA.

Eodem ferè tempore, præclara Ezechielis prophetis exstitit, (e) revelato ei futurorum, & resurrectionis mysterio. (49) Exstat liber magni operis, & cum cura legendus. (50)

RE-

Nec tamen in mores nostros transire videmus.) Gerebant enim barbari inter Romanos habitum patrium, & religionem patriam colebant, & moribus patriis vivebant. Quod dolet Synesius in oratione ad Arcadium.

Atque hæc esse postrema tempora Prophetæ annunciant.) Hæc Sulpicii sunt ex carminibus aliorum Prophetarum sumpta.

In lapide verò sinè manibus abscisso, qui aurum, argentum, ferrum, testumque comminuit, Christi figuram esse.) De Christo non tam apertè Daniel; dixit enim: *Secundum, quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sinè manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea.* Regem autem Sulpicius Christum interpretatur, ut qui omnia, quæ tum futura prædicebantur, prospexerit. Quare Christi figuram inde explicat, inquiens:

Is enim non conditione humana editus, siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.) Sumptum ex primo cap. S. Joannis.

Mundum illum, in quo sunt regna terrarum, in nihilum rediget) Sic Daniel, ut multo pluribus, sic multo dilucidiùs: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Idest futurum seculum, quod sanctis paratum est.) Hoc, ex locis Evangelii, ubi traditur de die judicii: Matth. XXIV. Luc. XXI. Marc. XIII Item ex sermone Christi in monte apud S. Matthæum.

De quo uno adhuc quorumdam fides in ambiguo est, non credendum de futuris, cùm de præteritis convincantur.) Cùm multa prædixerit Daniel eventura, omnia jam evenerunt, præter ultimum Christi adventum, & regnum ejus perpetuum, de quo uno, quia adhuc non evenit, multi ambigunt, an eveniet unquam; sed sinè ratione; cum convincantur ex eo, quòd cetera, quæ prædicta erant, omnia evenerunt.

Igitur Daniel multis à Rege muneribus donatur.) Sic Daniel: *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum Principem super omnes provincias Babylonis, & Præfectum Magistratuum super omnes sapientes Babylonis.*

Ejus suffragio Ananias, Azarias, & Misaël ad summam æquè dignitatem, & potestatem provecti.) Quippe Daniel postulavit a Rege, & constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrac, Misac, & Abdenago.

(e) Transit ad narrationem de Ezechiele captivo in Babylonia cum Daniele; is verò, ut diximus, captus sub Joachim cum eodem abstractus in Babylonium fuerat; cui statim successerat Sedecias. Anno verò quinto Sedeciæ, qui idem erat quintus transmigrationis Joachim, Ezechiel prophetiam vidit; quam literis prodidit. Quare quodam in loco dixit: *Et vidi visiones Dei in quinta mensis; ipse est annus quintus transmigrationis Joachim.*

Revelato ei futurorum, & resurrectionis mysterio.) Futura intellexit obsidionem, captionem, & eversionem Hierusalem, & Templi incendium; quæ Sedeciæ anno undecimo ventura erant. Ezechiel cap. III. & V. & deinceps. Resurrectionem autem intellexit Templi, & urbis post septuaginta annos reædificationem; nam corporum resurrectionem in die ultimo Daniel prædixit cap. XII.

Extat liber magni operis.) In quem D. Hieronymus scripsit apud Latinos, & D. Theodoretus apud Græcos.

antiquiores. Cæsar III. B. C. *Per causam exercendorum militum.* Livius lib. XXIV. *Cum adpropinquaret januæ Rex, per causam aliquam sustinent in angustiis à tergo agmen.*

(39) Gerebant enim barbari inter Romanos habitum patrium, & religionem patriam colebant, & moribus patriis vivebant. Quod dolet Synesius in Oratione ad Arcadium.

Legendum *videmus*, monente Giselino; itemque Sigonio.

(40) Hieronymus in Commentario super Danielem: *Abscissus est lapis, Dominus atque Salvator, sine manibus, idest, absque coitu humano, de utero virginali, & contritis omnibus Regnis, factus est mons magnus & implevit universam terram: quod Judæi & impius Porphyrius male ad populum referunt Israël, quem in fine seculorum volunt esse fortissimum & omnia Regna conterere & regnare.* Grotius miro commento, per lapidem hunc Romanos intelligit, sed nulla vel probabili ratione. Itaque ea, quæ sequuntur, omnia ad Imperium Romanum trahit.

(41) Ita Interpretes tum prisci, Augustin., Hieron., Theodor., tum recentiores, Lyra, & alii ferè omnes, excepto Grotio.

(42) Alio sensu hæc usurpat, quàm ab ipso Apostolo & Evangelista sunt usurpata; nemirum de generatione, etsi non vulgari, tamen propriè dicta; cùm Apostolus usurpaverit de generatione figurata.

(43) Quod factum est, destructo per Religionem Christianam gentilismo, maximè Constantini Magni tempore: *Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei, Getarum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.* S. Hieron. ad Lætam.

(44) Idest futurum mundum. *Seculum* pro mundo ponere nostro solemne est. Vide supra Notas ad pag. 17. num. 16.

(45) Sensus est, quosdam dicere, non esse credendum de futuris; cùm tamen de præteritis convincantur. *Cum* pro *cum tamen* satis frequentatum.

(46) Qui & ei jussit offerri מנחה. sacrificiũ, sed non id fivit Daniel, quòd Idololatria esset. *Jarchiades*, & alii Hebræi. *Lyra.*

(47) *Rogatu* potius. Nam suffragium aliud est. Vide Dan. II. 49.

(48) Babyloniæ Præfecturam. Hinc illa invidia, & eadem periculum. *Joseph.*

(49) Alludit sine dubio ad cap. XXXVII. Ezechielis. At ibi non de resurrectione mortuorum, sed de resurrectione, idest, restitutione populi Judaici in pristinum statum agitur.

(50) S. Hieronymus apud Hebræos vetitum asserit, ne quis Ezechielis principium & finem, Cantica Canticorum, & initium Geneseos legat ante ætatem Sacerdotalem, idest, annum trigesimum. Negant iidem fas esse Ezechielem scriptis Commentariis explicare, nisi summa tantùm ejus capita attingendo. P. Pradus, & Vilalpandus maximis eum, & eruditis Commentariis illustrarunt.

RELIQUIÆ JUDÆORUM IN JUDÆA DISPERSÆ.

At in Judæa, cui post excidium Hierosolymæ (*f*) Godoliam præpositum, supra memoratavimus, ægrè ferentes Judæi, (51) Principem sibi ex stirpe non Regia, arbitrio victoris datum, Ismaël quodam duce (52) & concitatore nefandæ conjurationis, dispositis eum in convivio insidiis, peremerunt. At hi, qui extra noxiam fuerant, (53) ultum ire facinus cupientes, properè adversùm Ismaël arma capiunt. Sed ille, quia cognovit exitium sibi imminere, relicto exercitu, quem contraxerat, non ampliùs quàm octo comitantibus, ad Ammonitas confugit. Igitur populum universum metus pervaserat, (54) ne paucorum scelus omnium exitio Rex Babylonius ultum iret, nam præter Godoliam, multos ex Chaldæis cum eo interfecerant. Itaque consilium ineunt fugiendi in Ægyptum. Sed prius Hieremiam frequentes adeunt, sciscitantes divinum responsum. At ille verbis Dei universos hortari, in solo patrio manerent: si id fecissent, Dei præsidio tuendos, (55) nullumque à Babyloniis periculum fore; sin Ægyptum peterent, (56) omnes ibi ferro ac fame, diversoque mortis genere perituros. Sed plebs assueto malo insolens parendi (57) salubribus consiliis, & divino imperio, profecta est in Ægyptum. Quid de ea postea actum, sacris literis siletur: nobis nihil compertum.

STATUA AUREA NABUCDONOSORIS REGIS A DANIELE NEGLECTA.

Hoc tractu temporum Nabucdonosor elatus rebus secundis, (58) statuam sibi auream (59) immensæ magnitudinis (60) posuit: (*g*) adorarique eam ut sacram effigiem præcepit. Quod cùm

(*f*) Hæc acta sunt mense septimo post abductum Sedeciam, & urbem excisam, anno XX. Nabucdonosoris. De Godolia nece sic loquitur Hieremias: *Et factum est in mense septimo, venit Ismaël filius Nathaniæ, & Optimates Regis ad Godoliam, etiam comederunt ibi panes simul in Masphat. Surrexit autem Ismaël, & decem viri, qui cum eo erant, & percusserunt Godoliam gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat Rex Babylonis terræ.* Idem est lib. IV. Regum, cap. ultimo.

At ii, qui extra noxiam fuerant, ultum ire facinus cupientes properè adversùm Ismaël arma capiunt.) Et hoc etiam apud Hieremiam cap. XLI. Nomen ducis ejus, qui ulciscendum sibi Ismaelem putavit, est Joannan F. Carree, ad quem omnes se contulerunt, qui metu Ismaelis in Judæos sævientis diffugerant.

Itaque consilium ineunt fugiendi in Ægyptum.) Sic Hieremias: *Abierunt in Chamaam, quæ est juxta Bethleem, ut pergerent, & introirent Ægyptum à facie Chaldæorum; timebant enim eos, quia percusserat Ismael Godoliam, quem præposuerat Rex Babylonis in terra Juda.* Sulpicius autem ait, quia interfecerat multos Chaldæorum.

Sed prius Hieremiam frequentes adeunt, sciscitantes divinum responsum.) Hoc scriptum est apud Hieremiam cap. XLII. Hic verò respondit Hieremias: *Hæc dicit Dominus; si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos & non destruam. Jam enim placatus sum super malo, quod feci vobis. Nolite timere à facie Regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis, si posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Ægyptum, & intraveritis, ut ibi habitetis, gladius, quem vos formidabitis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti, & fames pro qua estis soliciti adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini.*

Sed plebs assueta malo insolens parendi salubribus consiliis, & divino imperio profecta est Ægyptum.) Hieremias cap. XLIII. *Et non audivit Joannan filius Carree, & omnes principes bellatorum, & universus populus vocem Domini, ut manerent in terra Juda, sed tollens Joannan filius Carree, & universi Principes bellatorum universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda, ingressi sunt in terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini.*

Quid de ea postea actum, sacris literis siletur, nobis nihil compertum.) Atqui Hieremias prodidit, fore, ut Ægyptus a Nabucdonosore subigeretur, & gens ipsa Judæorum funditus deleretur; cap. XLIV. & XLVI. & Ezechiel cap. XXIX. Quod verò illi futurum prænunciarunt, id pro facto credere debuit Sulpicius; siquidem satis constat, Ezechiele teste cap. XXIX. à Nabucdonosore anno captivitatis Joachim XXVII. Syriam, & Ægyptum esse subactas. Josephus autem hæc facta prodit anno XXIII. regni sui, quinto post urbem eversam lib. X. Theodoretus autem in Danielem ea in XVIII. annum regni Nabucdonosoris conjicit.

(*g*) Transit ad narrationem statuæ, quam sibi posuit Nabucdonosor. Res autem secundas intelligit, Judæam, Ægyptum, Syriamque sibi armis victoria gloriosa subjectas. Qua re supra conditionem humanitatis elatus divinos honores appetivit, ac statuam suam auream, & altissimam pro Deo adorari voluit.

Statuam immensæ magnitudinis.) Nempe altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. Daniel cap. XXIII.

Ado-

(51) Quidam. Conspirationis initium fuit à Rege Ammonitarum Baali. *Joseph.*

Non omnes, sed aliqui; & illi quidem, qui cum Ismaele faciebant.

(52) Qui de semine Regio erat, ac propterea ægrè ferebat alium sibi a Chaldæis prælatum. Hinc, adjutus opera Regis Ammonitarum, spem Regni concepit: ὅπως αὐτὸς ἄρχῃ τῶν Ἰσραηλιτῶν. *Joseph.* Seneca in Thebaide:

Simul ista Mundi conditor posuit Deus,
Odium atque Regnum.

(53) Ut Johannes quidam, filius Caree, & alii: de quibus Jer. XLI. 12. *Extra noxiam esse* simile ferè illi, quod Cicero dicit: *extra omnem culpam causamque se ponere.*

(54) Non carebat ratione ille metus, ne Chaldæi ex suspicione Judæos omnes in idem crimen traherent, quasi qui principem sibi desideravissent ex stirpe Davidis. *Grotius.*

(55) *Tuendos* scilicet *esse*, pro *defensum iri*, scribit pro solemni suo.

(56) Quod vetitum Deut. 17. 16. ob multas caussas, maximè ob idololatriæ studium. Sed expulsi ex Judæa, tam in Ægypto, quam alibi, habitare poterant. Caussa autem cur jam vetitum fuit, hæc est, quòd Deus eos non Ægyptio, sed Babylonio Regi parere vellet.

(57) Sic Sallustius *insolens vera accipiendi*. Ceterùm dicunt etiam *insolens bellorum*, *insolens infamiæ*.

(58) Victoriis quas obtinuerat de Syria, Judæa, & Ægypto. De victoriis ejus Megasthenes apud Eusebium IX. προπ. Ex quo sic Abydenus: Μεγασθένης δέ φησί, Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέος ἀλκιμώτερον γεγονότα, ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίαν στρατεῦσαι. Ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ πόντου κατοικίσαι. Eadem Josephus habet X. 11. De bello ejus adversùs Ægyptios ex Sacris literis scimus. Et fortasse tum ulterius in Libyam est progressus. Sed de Hispania tentata ac devicta, figmentum est Megasthenis, qui, Poetarum more, ex vocabulo ambiguo occasionem arripuit fabulæ. Devicerat vicinos sibi Iberes: Hinc commentur, vicisse eum Iberos, hoc est, Hispanos. Babylonem quoque auxit & exornavit: veteri addidit novam urbem: singulis ternis circumjecit mœnia, portas magnificas. Vide Berosum. Ac tanta tum Babylonis amplitudo fuit, ut urbe ab hostibus capta, per triduum incolæ alterius partis urbem esse captam non senserint. *Aristot.* III. Polit. 2.

(59) Cava erat, non solida, alioqui enim immensi fuisset pretii, quippe LX cubitorum. *A Lap.* Plinius XXXIII. 4. *Aurea statua prima omnium nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant Holosphyraton, in Templo Anaitidis posita dicitur.*

(60) Altitudine cubitorum sexaginta, latitudine sex. Ergo facies hujus statuæ lata erat sex cubitos, nasus duos cubitos, pectus decem cubitos, pedes decem cubitos, manus sex cubitos. Quanquam Ministri Regis non servarint proportionum symmetriam. Nam altitudo LX. cubitorum, exigebat latitudinis cubitos X. *Pererius* ex Vitruvio & Cardano:

cùm certatim ab omnibus depravatis adulatione omnium animis fieret, Ananias, Azarias, & Misaël (61) profano officio abstinuerunt, non ignorantes, honorem hunc soli Deo debitum. Igitur rei ex edicto Regis constituuntur: propositaque eis conditio pœnarum, ardens caminus, ut præsenti metu adorare statuam cogerentur. Verùm illi devorari ignibus, quàm piaculum committere maluerunt. Itaque vinctis pedibus, in medias flammas conjiciuntur. Sed ministros infandi operis, dum promptius damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit: Hebræos (mirum dictu, & incredibile, non visentibus) ignis non attigit, (62) cùm spectantibus deambulantes in camino psalmum (63) Deo dicere cernerentur. Visusque cum his inter ignem (64) quartus specie Angeli, quem Nabuchodonosor propius intuitus, Filium Dei se vidisse confessus est. (65) Tum Rex haud dubius, divinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne Regnum suum edictis, facti miraculum provulgavit: (66) confessus, soli Deo honorem deferendum.

NABUCDONOSORIS INSANIA, ET SANITAS.

Nec multo post, Rex objecto sibi somnio, mox voce etiam cœlo emissa admonitus, (b) potestate Regia abjecta, (67) atque ab omni conversatione humana remotus, herbis tantùm vitam

Adorarique eam, ut factam effigiem præcepit.) Verba præcepti fuerunt: *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. In qua die audieritis sonitum instrumentorum musicorum videntes adorate statuam, quam constituit Nabucdonosor Rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Ibidem.

Ananias, Azarias, & Misael profano officio abstinuerunt non ignorantes honorem hunc soli Deo debitum.) Itaque ad Regem accusati sunt, his verbis: *Sunt viri Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis Sidrac, Misac, & Abdenago, viri isti contempserunt edictum tuum, Deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant.* Ecce viros appellat, quos primùm pueros dixerat, ut intelligamus, rem hanc sero admodum, idest, illis jam ætate provectis, contigisse.

Igitur rei ex edicto Regis constituuntur.) Sic Daniel: *Tum Nabucdonosor in furore, & ira præcepit, ut adducerentur Sidrac, Misac, & Abdenago, qui confestim adducti sunt in conspectu Regis.*

Ardens caminus.) Fornax ignis ardentis: Daniel.

Verum illi devorari ignibus, quam piaculum committere, maluerunt) Sic enim Regi instanti responderunt: *Notum tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.*

Sed ministros infandi operis, dum promptius damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit.) Sic Daniel: *Porrò viros illos, qui miserant Sidrac, Misac, & Abdenago, interfecit flamma ignis.*

Hebræos ignis non attigit, cum aspectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur.) Sic Daniel: *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Psalmus autem est: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.*

Visusque cum his inter ignem quartus specie Angeli, quem Nabucdonosor propius intuitus, Filium Dei se vidisse confessus est.) Ut pluribus, sic liquidius Daniel: *Tum Nabucdonosor obstupuit, & ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? qui respondentes Regi dixere; verè Rex.* Respondit, & ait: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.*

Tum rex haud dubius, divinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne Regnum suum edictis facti miraculum provulgavit.) Verba unius edicti fuerunt: *Ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrac, Misac & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur, neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare;* alterius verò: *Nabucdonosor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia apud me fecit Deus excelsus, placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt.*

(b) Narratur inde apud Danielem cap. IV. ut Nabucdonosor non permanens in agnitione veri Dei insania correptus sit, atque expulsus regno per septem annos in sylvis cum feris habitaverit. deinde sanitatem, regnumque receperit. Hæc autem mala ei eventura Deus præmonuit, somnio, & viva voce de Cœlo missa. Somnium fuit tale: Videre sibi visus est in quiete arborem altissimam foliis, fructibusque pulcherrimis. Sub qua habitabant pecudes, & versabantur volucres, & ex ea cibum capiebant omnes, & ab ea Angelus Domini afflat dicens: *Arborem succide, folia excute, fructus disperge, & bestias, avesque propelle; attamen germen ejus in terram demitte, & ferro, æneoque vinculo astringe in herbis foris, & rore Cœli tinct asperge, & cum feris herbas participa, & septem tempora super te mutantur.* Cùm autem interpretationem hujus somnii ex Chaldæis nemo afferre vellet, accitus Daniel respondit, ipsum Regem esse, qui ab arbore illa celsissima fingeretur; fore autem, ut ipse ab hominibus ejiceretur, & cum feris habitaret, & tanquam bos fœnum comederet, & rore Cœli aspergeretur, & septem tempora super eum mutarentur, donec cognosceret Deum dare regnum cui velit. Postquam autem id cognovisset, semen, idest, regnum ejus illi mansurum. Vocis autem ratio fuit hæc: *Vox de Cælo ruit. Tibi dicitur Nabucdonosor Rex; Regnum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis erit habitatio tua.*

Potestate Regia abjecta.) Videtur significare Sulpicius: *Nabucdonosorem somnio, & voce exanimatum sponte Regno se abdicasse, & in solitudinem recessisse.* At Daniel compulsum scribit his verbis: *Eadem hora sermo expletus est super Nabucdonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore Cæli corpus ejus infectum est, donec capilli in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Quæ verba ita Theodoretus interpretatur: *Expulsus primùm est propter furorem, ne nocerent furi sui effectus, deinde propter odium, quod clam gerebant homines in eum, cum valebat, & deinde ægrotante illo effuderunt.*

Egisse

(61) Nazianz. Orat. XLVII. si tamen ejus illa est: *Feruntur tres pueri in fornacem conjecti, Ezechiæ fuisse fuisse.* Filii, idest, nepotes. Nam fuerunt ex semine regio, & Ezechias jam ante CXXX. annos obierat. Codex Vaticanus Basilii Porphyrogenneti Imp. tradit eos tandem martyrium subiisse. Sed nihil tale habent Epiphan. Dorotheus, & alii. Corpora eorum apud Babylonem sub quodam specu condita, postea Romam translata dicuntur. Romæ Judæi sunt, qui se a tribus his prognatos jactant; ideoque ab iis nomen *Ananiæ*, cognomen *Sforno*, a furno, in quem conjecti, assumunt. Sed hæc fabulosa sunt. *A Lapide.*

(62) Tum quia Angelus ignem ad latere, & extra fornacem amovit: tum quia auram loco ignis induxit, ad refrigerium & respirationem. S. Ambrosius lib. vi. in Lucam cap. 11. *Cantaverunt Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ vorantis humescerent, & intus extraque ardentibus omnibus, solos innoxius ignis lamberet, non attingeret.* Josephus: οὐ γὰρ ἥψατο πῦρ αὐτῶν, sed quasi sentiens injuste in fornacem conjectos, pepercit, & non exercuit vim suam in juvenes, Deo invicta flammis faciente horum corpora. Huic inter innocentiæ testimonia candens ferrum aut ignis. De quo antiquæ Germanorum leges.

(63) Quem Azarias dixit. Non extat in Hebræo, sed ex Theodotione eum translulit S. Hieronymus.

(64) *Inter ignem* pro *in igne*. Sic dicunt *inter vias* pro *in viis*: *Inter annos quatuor* pro *in annos quatuor*, vel omisso *in*, *annis quat.* Vide lib. de Latinit. f. susp. p. 223. 224.

(65) In originibus est, quòd quartus ille fuerit similis Filio Dei.

(66) Drusius legendum putat *promulgavit*.

(67) Non ipse abjecit potestatem Regiam, sed, cùm ex hominibus depelleretur, simul amisit dignitatem

vitam sustinens, egisse pœnitentiam traditur, (68) servatum ei nutu Dei imperium, donec impleto tempore, agnito demum Deo, (69) post septem annos, & Regno, & statui pristino restitutus est. (70) Hic post devictum, ut supra diximus, Sedechiam, quem captivum Babylonem transtulit, regnasse traditur annos VI. & XX. quamquam id non in sacra historia scriptum invenerim. Sed fortè accidit, ut dum multa evolverem, annotationem hanc jam interpolato (71) per ætatem libello, sinè auctoris nomine, reperirem, in quo Regum Babyloniorum tempora continebantur: quam prætereundam non putavi. Siquidem & Chronicis (72) consentirent: & ita illius nobis ratio quadraret, ut per ordinem Regum, quorum tempora continebat, usque in primum Cyri Regis annum, LXX. annos, (tot enim per sacram historiam à captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret. Post Nabucdonosor filius ejus Regnum est adeptus.

EVILMERODAC REX BABYLONIORUM.

Quem in Chronicis Evilmerodac (73) fuisse vocitatum reperi. (*t*) Hic duodecimo Imperii anno diem functus, (74) fratri minori, (75)

BAL-

Egisse pœnitentiam traditur.) Hæc putat Sulpicius egisse Nabocdonusorem mente valentem, at Theodoretus scribit, illum furore cæcatum fœnum edisse, & cetera, quæ diximus, peregisse.

Donec impleto tempore, agnito demum Deo post septem annos, & Regno, & statui pristino restitutus est.) Sic loquitur hac de re de se apud Danielem Nabucdonosor: *Igitur post finem dierum ego Nabucdonosor oculos meos ad Cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi. In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & Optimates mei, & Magistratus mei requisierunt me, & in Regno meo restitutus sum.*

Hic post devictum, ut diximus, Sedeciam regnasse traditur annos sex & viginti.) Rectè: nam anno undecimo Sedeciæ jam nonum decimum regnabat, cui numero si addas XXVI. quadraginta quinque efficies, qui illius Regno à scriptoribus tribuuntur, ut à Metasthene. Adde quod Evilmerodach filius ejus primo anno Regni sui liberavit Joachim post annos XXXVII. quam ab Nabucdonosor abductus fuerat. Si autem undecim annis Sedeciæ, qui excepit ipsum Joachim, adjicias ipsos XXVI. annos Nabucdonosoris, erunt XXXVII.

Annotationem hanc in interpolato per ætatem libello sinè auctoris nomine reperi.) Significat fuisse, qui in libello, in quo Regum Babyloniorum tempora dirigebantur, abraserint aliquem versum, & pro eo reposuerint: *Nabucdonosorem XXVI. annos post captum Sedeciam regnasse.* Interpolare enim est, nomen, quod deleris, nova scriptura supplere, *per ætatem* autem inquit; quia fere evenit, ut qui libri propter vetustatem in manibus multorum versentur, in iis multa ejusmodi per multos, prout cujusque fert ingenium, reponantur.

Siquidem & Chronicis consentirent.) ut Eusebii, & Metasthenis.

Et ita illius nobis ratio quadraret, ut per ordinem Regum, quorum tempora continebat, usque in primum Cyri Regis annum LXX. annos impleret.) Et quidem hoc modo: *Nabucdonosor an. XXVI.* Evilmerodac an XII. Baltasar an. XIV. Darius an. XVIII. Atque ex hoc quidem loco apparet, ipsum tempus captivitatis fuisse a Sedecia, non a Joachim in servitutem abstracto.

Tot enim per sacram historiam.) Captivitatis annorum septuaginta numerus in sacra historia est celeberrimus apud Hieremiam, Ezechielem, Danielem, & Esdram, ut post ostendemus.

(*t*) Immo vero etiam multo ante in sacris libris, ut apud Hieremiam cap. LII.

catem illam. Theodoretus: *Expulsus primo est propter furorem, ne noceret, deinde propter odium, quod clam gerebant in eum homines.* Censent Hebræi, & Hieronymus, quos auctor noster sequi videtur, Regem admonitu Danielis, pœnitentiam egisse. Ideo dilatas pœnas usque in duodecimum mensem. Deinde, cùm ad insolentiam priorem rediret, inflictas.

(68) Dum adhuc mente valeret. Quod etiam S. Hieronymus opinatus videtur. Herbam autem comedit ut bos, cùm jam furore cæcatus esset. Ita Theodoritus opinatur.

(69) Putatur verè conversus, & Proselyta factus. Sic Epiphanius, Dorotheus, Theodorus, Augustinus, Lyra, alii. Sed dubitari potest; quia non legitur Idola abjecisse, Judæos demisisse, occupata restituisse. *A Lapide.*

(70) Quòd septem anni fuerint, id colligit ex eo, quod scriptum est *post septem tempora*, & deinde *post finem annorum*.

(71) Puto loqui auctorem de Chronico quodam Anonymo, sive id Annale fuerit, sive seculare, eoque per genealogias digesto, & temporum successu à diversis aucto. Cujusmodi eo tempore fuisse plurima ex uno hoc compendio videre est. Scribi itaque hic fortasse commodius possit: *in interpolato per ætates libello*. Giselin.

Giselinus legendum putat *interpolata per ætates libello:* quod sane vero perquam simile est. Libellum autem, in quo adnotationem istam legit, auctoris ἄδηλον fuisse, ipse significat, quod addit, cum sine auctoris nomine fuisse.

(72) Si Eusebii Chronica intelligit, non video qui hoc verum esse possit. Nam Eusebius longè aliter supputat annos captivitatis.

(73) Imò sic vocatur, Jerem. 52. vers. 31. & IV. Reg 25. vers 27. *Drusius*. Ptolemæo Ilvarodamus vocatur. Daniel Evilmeraduchi, & Neriglissari tempora transilit, quod per ea nihil contigisset ad Judæos pertinens.

(74) Imò interfectus est à marito Sororis suæ Neriglissoro. *Berosus* lib. Chaldaic. apud Joseph. 1. contra Apion. Ei successit non Balthasar, ut Sulpicius vult, sed ipse Neriglissoros. Huic post quadrimestrium Laborosoarchodus, quem excepit demum Nabonidus, Herodoto Labynitus, Danieli Balthasar.

(75) Sic & Eusebius. Quæ sententia omnium optima. Nam Josephus, & alii in serie ac annis horum Regum gravissimè errant. Pererius vult eum fuisse filium Evilmerodachi, ex Jerem cap 27. vers 7. Alii nec filium, nec fratrem, sed eundem cum Evilmerodacho. Quia Daniel eum statim Nebucadnezari subjungat. Deinde, quia semper eum vocat filium Nebucadnezaris. Denique quia Jeremias 1. 2. eum vocat Merodach, quod idem ac Evilmerodach. Ac juxta hanc sententiam dandi sunt Balthasari anni Regni XXXIV. Sed ex omnibus nulla probabilior, quam Sulpicii nostri, fratrem Evilmerodachi minorem fuisse. Alii scribunt Balthasarem non fuisse fratrem Evilmerodachi, sed sororis filium. Sanè à Beroso, & Megasthene vocatur: Λαβοροσοαρχόδος Ναβυχοδονοσόρυ θυγατριδοῦς, idest, ex filia nepos. Is est Balthasar.

Quòd Evilmerodacho nomen quoque Nabuchodonosori fuerit, non liquet. Quòd verò duodecim annos regnaverit, & anno imperii duodecimo mortuus sit, id parum consonat his, quæ de eodem Rege prodiderunt antiquiores. Canon Mathematicus, quem dicunt, annos modò tres ei tribuit. Berosus apud Josephum tantùm duos. Porrò *Baltasarem* dicit, qui in fontibus *Belsazar* vocatur; quod fecit in versione Græcâ eum dici Βαλτάσαρ. Quòd verò Evilmerodachi fratrem eum facit, ejus nec vola, nec vestigium est in originibus. Verisimile est autem, Belsazarem seu Baltasarem istum, cujus Dan. V. fit mentio, esse Laborosardochum, quem Neriglissaris, & sororis Evilmerodachi filium fuisse, Berosus, & Abydenus memoriæ prodidere.

BALTHASAR REX BABYLONIORUM.

Visum Balthasaris Regis, ad exeidium ejus pertinens, expositum à Daniele.

Qui Balthasar dictus est, locum fecit. (76) Is cùm quarto & decimo anno (*k*) publicum epulum Principibus ac Præfectis suis daret, (77) sacra vasa, quæ per Nabucdonosor de templo Hierosolymæ ablata, ac in regales usus usurpata, sed recondita in thesauris habebantur, proferri imperavit. Cum his per luxum ac licentiam regalis convivii promiscuè omnis (78) virilis, ac muliebris sexus, uxores, concubinæque ejus uterentur; subitò Rex in pariete conspicit digitos scribentes: (79) cernebanturque in versum ductæ literæ. (80) Sed qui posset scripta legere, non reperiebatur. (81) Igitur, Rex perterritus, Magos & Chaldæos advocat. Quibus mussitantibus, nec quidquam respondentibus, Regina (82) Regem admonet, esse quendam Hebræum, Daniel nomine, qui olim Nabuchodonosor occulti mysterii somnium revelasset, jam tum ob illustrem sapientiam sommis honoribus donatum. Itaque accitus Daniel, perlegit, interpretaturque, (83) ob delictum Regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, Regnumque ejus Medis (84) ac Persis datum.

DA-

(*k*) Daniel cap. V. vocat Balthasar.

Is cùm quartodecimo anno publicum epulum Principibus, & Præfectis suis daret, sacra vasa &c. proferri imperavit.) Nunc narrare incipit visa Balthasaris Regis filii Nabucdonosoris, quæ Daniel interpretatus est, ut apud eum scriptum est cap. V. Visum fuit tale: Cùm obsidente Babylonem Dario Balthasar Rex convivium daret Principibus suis, atque ad id sacra vasa quondam Hierosolymis asportata adhiberet, Deus offensus excidium prædixit; nam manus apparuit scribens in pariete tria verba, ex quibus Daniel illum Regnum amissurum pronunciavit; atque ita ea nocte capta est Babylon.

Omnis virilis, & muliebris sexus.) Legendum est, ut supra: *omnes*. Daniel autem scripsit: *Biberunt in eis Rex, & Optimates ejus, uxores, concubinæ illius.*

Subitò Rex in pariete conspicit digitos scribentes, cernebanturque in versum ductæ literæ.) Sic Daniel: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Ex his suspicor legendum apud Sulpicium: *in candelabrum versum*, ut dixit Cicero: *in forum versum.*

Igitur Rex perterritus.) Quippe facies ejus commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ad se invicem collidebantur.

Magos, & Chaldæos advocat.) Exclamavit, ut introducerent Magos, Chaldæos, & aruspices.

Quibus mussitantibus, nec quidquam respondentibus.) Daniel: *Tunc ingressi omnes sapientes Regis non potuerunt, nec Scripturam legere, nec Interpretationem indicare Regi.*

Regina Regem admonet, esse quendam Hebræum Daniel nomine, qui olim Nabucdonosor occulti mysterii somnium revelasset, jam tum ob illustrem sapientiam summis honoribus donatum) Verba Reginæ hæc fuere: *Est vir in regno tuo, qui spiritum Deorum sanctorum in se habet, & in diebus patris tui scientia, & sapientia inventæ sunt in eo, nam & Rex Nabucdonosor pater tuus Principem Magorum, incantatorum, Chaldæorum, aruspicum constituit eum.*

Itaque accitus Daniel perlegit, interpretatusque ob delictum Regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, Regnumque ejus Medis, & Persis datum.) Verba ejus fuere: *Quia elevatus es more patris tui Nabucdonosor adversus dominatorem Cæli, & ex vasis ejus bibisti tu, & concubinæ tuæ, ideirco missus est articulus manus, qui hæc scripsit, Mane, Thecel, Phares, quorum verborum interpretatio est, Mane, Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. Thecel, Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Phares, divisum est Regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.*

(76) Josephus Auctor hæc accidisse anno Regni ejus decimo septimo: a quo dissentiunt non parum, qui ei tantùm annos quinque assignant. Qui Laborosoarchodon eundem faciunt cum Baltasare, tribuunt imperio ejus menses IX. duntaxat: quod Josephus prodidit de Labosardacho (sic eum appellat) quem diversum facit a Baltasare, *qui Babylonem*, inquit, *Naboandel nominatur*. Alibi est Nabonidus, sive Labonidus pro eodem.

(77) Hic quoque numerus sine dubio minùs rectè se habet. Neque enim in Sacris literis eâ de re quicquam adparet, & historia ἡ ἔξω planissimè refragatur. Si enim Belsazar seu Baltasar illa est Laborosardochus, quod sanè est verisimile, solus aliquot modò menses regnavit; cum patre Neriglissare autem, vel potiùs pater Neriglissares ejus loco, quatuor annos: uti Berosus apud Josephum auctor est.

(78) Vel pro *omnis* legendum est *omnes*, ut vult Sigonius; vel huic illud idem est. Reperitur enim & apud alios *omnes* & *omnis* pro *omnes*.

(79) Movente eos Angelo Gabriele. *R. Salomo.* Lyra putat manum hanc tantùm extitisse in phantasia Regis. Sed ex textu refutatur. Alii non totam manum, sed digitos tantùm apparuisse dicunt. Quia dicitur פסא די ידא, *palma manus*. Unde Syrus & Arabs Alexandrinus vertunt: *egressi sunt digiti manus hominis*. Sed veriùs est totam manum conspectam. *A Lapide.*

(80) Sigonius suspicatur legendum *in candelabrum versum*, quomodo Cicero dixerit *in forum versus*; voce *versus* redundante. Sallustius quoque in B. Jugurth *Ad se versum* dicit pro *ad se*.

(81) Quia literæ erant Hebraicæ. *Rabbini* quidam. Quia transpositæ vel mutatæ. *R. Saadias.* Quia insolentes & extraordinariæ. *Pineda.* Quia sine punctis vocalibus scriptæ non intelligebantur. *Alii.* Quia impediti fuerunt Chaldæi ne legerent. *Alii.*

(82) Ἡ μάμμη αὐτοῦ. *Joseph.* Nitocris scilicet, prudens fœmina. Herodot. Vide Grotium ad 1. de Verit. Relig. Christ. Alii matrem fuisse volunt, ut Origenes, Theodor. Alii uxorem. Porphyrius cavillator, uxorem. S. Hieronymus: *Novit præterita, quæ Rex ignorat. Erubescat ergo Porphyrius, qui eam Baltasaris somniat uxorem, & illudit, eam plus scire quàm maritum.*

Regina, quæ Regis mater; vel, ut Josephus vult, avia fuit.

(83) MENE, numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. THECEL appensus es in statera, & inventus es minus habens. PHARES, divisum est Regnum tuum, & Medis ac Persis datum. *Dan.* 5. Josephus. *Mane*, hoc est, numerus, significat dinumeratum esse jam dictum vitæ ac Regni numerum, & perbreve tempus superesse. *Thecel*, quod est pondus, appensum a Deo Regni tui tempus, jam ad finem vergere. *Phares*, quod est fragmen, fracturum Deum Regnum tuum, & partes ejus in Medos ac Persas distribuendas.

(84) A Madai. Descriptionem regionis hujus vide apud Strabonem lib. II. Hodie nomen ejus periit, & tota gens in Persarum ditionem concessit. Nec olim diversi fuerunt a Persis, nisi solo nomine, & fortasse Dialecto. Cætera omnia communia habuerunt: Ἡ γὰρ νῦν λεγομένη περσικὴ στολὴ, καὶ ὁ τῆς τοξικῆς, καὶ ἱππικῆς ζῆλος, καὶ ἡ περὶ τοὺς βασιλέας θεραπεία, καὶ κοσμὸς καὶ σεβασμὸς θεοπρεπὴς παρὰ τῶν ἀρχομένων, εἰς τοὺς πέρσας παρὰ τῶν μήδων ἀφῖκται. Καὶ ὅτι τοῦτ' ἀληθὲς, ἐκ τῶν ἐσθῆτος μάλιστα δῆλον. Τιάρα γάρ τις καὶ κίδαρις, καὶ πῖλος καὶ χειριδωτοὶ χιτῶνες, καὶ ἀναξυρίδες, &c. Strabo. De sermone Medico, parum tradunt veteres. Justinus 41. de Parthis: *Sermo his inter Scythicum Medicumque medius, & utrisque mixtus.* Unde colligimus haud multum ab hodierno Persico, nisi quantum longa ætas mutavit, discrepasse.

DARIUS REX MEDORUM, ET BABYLONIORUM.

Quod mox consecutum est, nam eadem nocte Balthasar interiit, (85) Regnumque ejus Darius (86) natione Medus (87) occupavit: (*l*) Danielem illustri opinione compertum (88) universo imperio præposuit, secutos superiorum Regum judicium. Nam & Nabuchodonosor eum Regno præfecerat, & Balthasar veste purpurea & torque aureo donatum, tertium Regni Principem (89) constituerat.

DANIEL LEONIBUS OBJECTUS A REGE DARIO.

Igitur hi, qui unà cum eo rerum potentes erant, exagitati in Judæo, (90) quòd eis alienigena captivæ gentis fuisset æquatus, (*m*) Regem depravatum adulatione compellunt, ut sibi diebus proximis triginta divini honores darentur: (91) neque cuiquam liceret Dominum, nisi Re-

(*l*) Sic Daniel: *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in Regnum annos natus sexaginta duos.*

Danielem illustri opinione compertum universo Imperio præposuit.) Deinceps de Dario agit, atque ab illo honoratum Danielem scribit. Sic autem Daniel: *Placuit Dario, & constituit super Regnum Satrapas centum viginti, ut essent in toto Regno suo, & super eos Principes tres, ex quibus Daniel unus erat, ut Satrapæ illi redderent rationem.*

Nam & Nabucdonosor eum Regno præfecerat.) Supra dictum est, post interpretationem primi somnii.

Et Balthasar veste purpurea, & torque aureo donatum tertium Regni Principem constituerat.) Daniel: *Tunc jubente Rege Balthasar indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in Regno.*

(*m*) Nunc narrat, ut propter invidiam summi honoris collegæ Danielis ipsum Danielem everterint; quippe impulso Rege, ut ediceret, divinos sibi honores deferri, cùm scirent, Danielem eum cultum detrectaturum, rem eò deduxerunt, ut Danielem parère abnuentem Rex in lacum Leonum sinè cibo conjiceret; ex quo divinitus incolumis evasit. Res narratur apud Danielem cap. VI.

Compellunt, ut sibi diebus proximis triginta divini honores darentur, neque cuiquam liceret Dominum nisi Regem precari.) Verba petitionis Satraparum clariora sunt apud Danielem; catet edictum: *Ut omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo, & homine intra triginta dies, nisi à te, Rex, mittatur in lacum Leonum.*

Da-

(85) Quomodo interierit, constare potest ex fragmentu Berosi apud Josephum, quod sic habet: Λαβοροσοάρχοδος ἐκυρίευσε μετὰ τῆς βασιλείας παῖς ὢν μῆνας ἐννέα, ἐπιβουλευθεὶς δὲ διὰ τὰ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. *Laborosoarchodus* (hunc enim Balthasarem illum esse diximus) *puer adhuc Regnum tenuit menses novem: Sed quia pravæ indolis in illo multa signa apparerent, insidiis amicorum trucidatus est.*

(86) Nabonnedus. *Berof.* Nabonadius. *Ptolem.* Nabannidachus. *Abiden.* Labynitus. *Herodot.* Hunc vulgò putant ipsum Astyagem fuisse, ut Eusebius, vel ejus filium Cyaxarem, qui apud LXX. Artaxerxes, ut Hieronymus, Josephus, Tornielius, & Pererius, & alii. Quorum opinionem Scaliger expugnavit, quem ferè omnes eruditi hodie sequuntur. Δαρεῖος Persice idem quod Ἑρξείης, idest, *Exercitor.* Herodot. 6.

(87) Incertum an natione Medus fuerit. Vocatur quidem Darius Medus, sed ex eo non sequitur gente Medum fuisse. Fortè Medus dicitur, quia patre Medo erat oriundus, aut, quia vixerat apud Medos. Sic Urias Hethæus vocatur, & Doëg Idumæus. Darius iste filius fuit Asueri de semine Medorum. Dan. 9. 1. Habitabat igitur quidem Babylone, sed Medus fuit origine, & Darii nomen, qui Rex apud Medos fuit clarus ac felix, boni ominis ergo sibi imposuit. Quia Darius appellatus fuit Medus, ideo plurimi ipsum Regem Medorum fuisse suspicantur, atque hæc sententia non parum videtur confirmari, quòd Principes Regni, secundùm legem Medorum, & Persarum petunt edictum de nemine, nisi Rege adorando, confirmari. Sed responsio facilis. Non statim Reges Medorum sunt, qui, vel Medi appellantur, vel quorum parentes ex Media fuerunt, infiniti aliàs Reges Medorum essent. Quod ad leges Medorum, & Persarum attinet, si attendatur ad locum, ubi gestum est totum negotium de adorando Rege, non evincitur quòd Darius Medorum Rex propriè fuerit. Nam acta hæc sunt eo loco, ubi Daniel Præfecturam gessit, Susis videlicet, ubi Subditi legibus Persarum & Medorum regebantur. Administraverat autem Daniel eandem Provinciam, iisdem Medorum legibus, cùm Nebucadnezar, Evilmerodach, & Belzaser rerum potirentur, Danielis cap. 8. vers. 2 qui tamen nequaquam propterea, quod partem Mediæ tenebant, Reges Medorum erant. Accidit hoc in amplissimis Regnis, ut Subditi unis eisdemque legibus gubernari non possint: sed quælibet natio & gens suas leges, consuetudines & statuta retinet, id quod hodie etiam in Romano imperio accidit. Non igitur firmiter concludi potest, Darium Regem Medorum & Persarum fuisse, quòd leges Medorum in quibusdam suis Provinciis, in finibus Medorum & Persarum sitis, observaverit. Orta est hæc opinio ex commentis Annianis, in quibus Regnum Darii cum Regno Cyri confunditur, cùm tamen ipse Daniel ea Regna discernat, & diversa esse ostendat.

Quòd Darium Regnum occupasse dicit, ex eo non sequitur, in eodem errore fuisse nostrum, in quo Josephus fuit, videlicet Babylonem à Dario obsessam, atque ita occupatam fuisse. Si autem Darius iste est Nabonnedus Berosi, quod sinè verisimile est, Regnum ei communi suffragio eorum, qui Laborosardochum occiderant, delatum atque traditum est. Berosus apud Josephum: Ἀπολομένου δὲ τούτου, συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως. *Interfecto hoc* (Laborosardocho) *simul inter se convenerunt, qui insidias ei struxerant, communi consensu Regnum detulere Nabonnedo, uni ex Babyloniis, qui in eâdem conjuratione fuerat.*

(88) *Opinio pro famâ*, & antiquioribus frequentatum. Justinus lib. XII. cap 8. *Porus bellum jampridem, audità Alexandri opinione, in adventum ejus parabat.* Atque ita illi non semel. Sed & hoc antiquiores Cæsar, & Livius eâ notione usurparunt.

(89) Dan. V. 29. Quales posteriore Romano Imperio Præfecti Prætorio, in Græco ἔξαρχοι, Chaldæis סרכין. Erat unus ex Principibus, quos Sarchin appellabant, & alii Præsides interpretantur, qui præerant centum viginti Satrapis, Dan. VI. Hinc emaculandus Josephus, in quo *erat unus ex tribus summis Satrapis, qui sub se habebant alios CCCLX. Satrapas: tot enim à Dario primum instituti sunt.*

(90) Giselinus emendavit *exagitati invidiâ*; quod Drusius & in textum recepit.

(91) Primo quærebant crimen Majestatis, quo Danielem subverterent. Hoc non reperto, crimen Religionis obtentui sumtum. S. Hieronymus ad hunc locum: *Felix conversatio, in qua inimici nullam reperiunt occasionem nisi fortè in legitimis Dei.*

Suspicor post *compellunt* excidisse aliquid, & quidem *edicere* aut simile. Sanè sequitur paulò post: *Edicto Regis non paruisse.* Et sensus non perfectus videtur, nisi vox *edicere* aut similis adjiciatur.

Regem precari. (92) Facilè id Dario persuasum, (93) stultitia Regum omnium, qui sibi divina vindicant. Igitur Daniel non rudis, neque inscius, Deo preces, non homini deferendas: reus constituitur, edicto Regis non paruisse. (94) Multumque abnuente Dario, cui carus acceptusque semper fuerat, Principes pervicere, ut in lacum demitteretur. (95) Sed objecto bestiis nullum periculum fuit. Quod cùm Rex comperisset, accusatores deputari (96) leonibus præcepit: qui non simili exemplo perfuncti sunt. Nam continuò devorati, ferarum famem expleverunt. Daniel clarus ante, clarior haberi cœpit. Rex antiquato edicto suo, (97) novum proposuit: relictis erroribus ac superstitionibus, Deum Danielis colendum.

VISIONES DANIELIS DE REGNIS FUTURIS, CHRISTO, ET ANTICHRISTO.

Exstant etiam visiones ejus, (n) quibus consequentium seculorum ordinem (98) revelavit: annorum etiam numerum complexus, intra quem Christum, sicut factum est, descensurum ad terras

Daniel reus constituitur, edicto Regis non paruisse.) Ibidem: *Interim Daniel ingressus est domum suam & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in diem flexit genua sua, & adoravit, confessusque est Deum, sicut & ante facere consueverat. Viri autem illi curiosius inquirentes invenerunt Danielem orantem Deum suum, & accedentes ad Regem, id ei detulerunt, & ut ex edicto in lacum Leonum daretur, institerunt.*

Multum abnuente Dario.) Nam pro Daniele posuit cor, *ut liberaret eum, & usque ad occasum Solis laboravit, ut erueret illum.*

Principes pervicere.) Nempe dicentes: *Scito Rex, quia lex Medorum, atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari. Tum Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miserunt in lacum Leonum.*

Sed objecto bestiis nullum periculum fuit.) Nam *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt ei; eductusque est Daniel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.*

Quod cùm Rex comperisset, accusatores deputari Leonibus præcepit.) Daniel: *Jubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem, & in lacum Leonum missi sunt ipsi, & filii, & uxores eorum, & non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.*

Rex antiquato edicto suo, novum proposuit, relictis erroribus, ac superstitionibus Deum Danielis colendum.) Verba edicti novi fuere: *A me constitutum est decretum, ut in universo Imperio, & Regno meo tremiscant, & paveant Deum Danielis, ipse enim est Deus vivens, & æternus in secula.*

(n) Liber Danielis, de quo loquitur, continet, ut supra dixi, somnia, & visiones Regum Nabuchodonosoris, Balthasaris, & Darii, quas ille conjecit, & visiones ipsius Danielis cum interpretatione, cap. VII. VIII. IX. & X. ex iis una objecta est anno primo Balthasaris de quatuor bestiis, leæna alas habente, urso, pardo, & quarta bestia cornua decem habente; altera verò anno tertio Balthasaris de ariete duorum cornuum, & hirco unius, deinde quatuor, qui devicit arietem, & primo anno revelationem de septuaginta hebdomadibus, post quas venturus erat Christus.

Quibus consequentium seculorum ordinem revelavit.) Hæ sunt primæ duæ visiones, quibus prævidit seriem Regnorum futurorum; nam in prima visione vidit quatuor bestias, quatuor Regna significantes, quæ se inter se exceptura erant, Assyriorum, Persarum, Macedonum, & Romanorum: de quibus sic Daniel: *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt Regna, quæ consurgent de terra; suscipient autem Regnum Sancti Dei altissimi, & obtinebunt Regnum usque in seculum, & in seculum seculorum. Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis, & devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam.* Secunda verò visio fuit, qua se vidisse asseruit arietem, cui ceteræ bestiæ resistere non poterant; venisse autem ab occidente hircum, qui habebat cornu insigne inter oculos suos, & percussisse arietem: hircum autem magnum factum esse, inde fractum illi cornu magnum, & orta esse quatuor cornua, de uno autem egressum esse cornu unum, quod juge sacrificium abstulerit, & locum sanctificationis dejecerit. Interpretantur autem hircum fore Alexandrum Magnum, qui arietem, idest, Darium Persarum Regem subegit, & morientem quatuor cornua, idest, Regna reliquit, ex quibus unus Antiochus Epiphanes Rex Syriæ religionem Judæorum mutavit, & Templum profanavit, ut postea videbimus. Hæc verò vix significavit Sulpicius.

Annorum etiam numerum complexus intra quem Christum, sicut factum est, descensurum ad terras prænunciavit.) Tertia hæc est visio, qua post LXX annorum hebdomadas Christum venturum prænovit. Locus est cap. IX. *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super Regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni,* & addit, oranti sibi Deum Angelum, respondisse: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis una hebdomada, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Ceterùm septuaginta annorum hebdomades annos conficiunt CDXC. Initium autem hebdomadum ab aliis, ut inquit Theo-

(90) Τὸ *precari* hic de adoratione religiosâ intelligendum; itemque *preces*: de quibus mox, & sequitur, quod Deo non homini sint deferendæ. Aliter enim falsum scripsisset. Per *Dominum* autem intelligit ipsum Deum: & *nisi* pro *sed* positum videtur, cujus vocabuli usus exempla Vechnerus in Hellenol. p. 110. notavit.

(93) Speciem habebat hoc consilium quasi per id Majestas Regi conciliaretur amplior, si vivus jam Diis æquaretur. De Augusto Horatius:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

(94) Quod erat secundùm morem Medorum & Persarum, ne a Rege quidem mutabile. Nam Babylonii morem talem faciendi leges, etiam Regi immutabiles, non habebant, sed antiquus admodum apud Medos ac Persas fuit. Esther. 1. 19. Vide & Procopium περὶ λήθης φρουρίου. Videtur autem forma quæ leges faciebat immutabiles hæc fuisse, ut non Regis tantùm, sed & Principum signis munirentur.

(95) Voce *lacus* aliquoties jam usus est pro *fovea*, *fossa*. Vide supra Notas in pag. 41. num. 232. Interpretes Græci vocant λάκκον τῶν λεόντων. Et ad vocem λάκκος noster adlusit.

(96) Delegari, assignari: unde *deputati*. Verbum minus usitatum hoc sensu Latinis auctoribus, eo tamen usus fuit & supra: *Quæ turba inutilis fervitio, exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata.*

Verbo *deputare*, & supra sic usus est pag. 94. In quem locum Notas vide num. 624.

(97) Verbo *antiquare* ipse quoque Cicero usus est, dicitque *antiquare legem, rogationem*, pro *abrogare*, *abolere*. Ut III. de Off. *Cum legem Agrariam ferret, quam tamen antiquari facilè passus est.*

(98) Regnorum sive Monarchiarum seriem. Sunt autem visiones ejus in universum decem. Aperuit autem ei Deus futura, per somnium, afflatum atque visa divina.

terras pronuntiavit, venturumque Antichristum (99) manifestè exposuit. Quod si quis studiosior erit, rectius ibi quæsitum reperiet: nobis propositum est, rerum tantùm ordinem contexere. Darius duodeviginti annos regnasse traditur. (100) Qua tempestate Astyages Medis imperabat.

CYRUS REX PERSARUM, MEDORUM, ET BABYLONIORUM.

Hunc Cyrus, ex filia nepos ejus, (101) Regno expulit, (o) Persarum usus armis: unde summa Imperii ad Persas translata est. Babylonii quoque (102) in potestatem ditionemque ejus concessere. (103) Igitur initio Regni, propositis publicè edictis, dat potestatem Judæis, in

Theodoretus, in anno primo Cyri Regis Persarum collocatur, cùm Judæi domum dimissi sunt, ab aliis in sexto anno Darii, cùm Templum perfectum est; ab aliis in anno vicesimo Artaxerxis Longimani, cùm urbs instaurata est, finis vero, aut in baptismo Christi, aut in Cruce, aut in Templi eversione statuitur, nempe sub Hadriano. De qua re tota sic S. Augustinus lib. XVIII. cap. XXXIV. de civitate Dei: *Tempus, quo venturus fuerat Christus, atque passurus, Daniel numero definivit annorum, quod longum est in computando monstrare. Ut autem illi septuaginta anni populum captivitate Judaice liberarunt, sic hæ septuaginta annorum hebdomades populum in verum libertatem vindicabunt, nempe adversus tyrannidem Satanæ, quam Christi promissi adventus, & passio labefactabit.*

Venturumque Antichristum manifestè exposuit.) Hæc est alia visio, qua Antichristum prænunciavit, explicata capite septimo, ubi primam visionem exponit, de quatuor bestiis. Loquens enim de quarta sic inquit Angelus: *Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis, devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porrò cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit. Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quæ verba interpretans Theodoretus sic inquit: *Decem Reges circa finem exurgent, & postremus Antichristus exorietur, Regnumque obtinere contendet, ac tres illos evertet; nec contentus victoria, quam de hominibus retulerit, etiam maledicta contra Deum altissimum conjiciet, & sanctos supplicio afficiet, & putabit, se posse pietatem, quæ tunc vigebit, evertere, & Remp. commutare.*

Darium duodeviginti annos regnasse traditur. Qua tempestate Astyages Medis imperabat.) Eodem tempore Astyages regnavit inter Medos, Cyrus nepos ejus ex filia inter Persas, & Darius Medus, sive de semine Medorum, Assueri filius, (sic enim inquit Daniel) Balthasarem Regem Babyloniorum delevit, & Regnum eorum sibi ascivit, quot autem annos tenuerit, non constat inter scriptores, qui minimum anno uno, qui plurimum octodecim, inter quas est Sulpicius, & fortasse solus. Atque hæc quidem in captivitatem, & ejus tempora dicta sint.

(o) Narrare deinceps incipit de Cyro Rege Persarum successore Darii Regis Medorum. Græcorum verò opinioni assentit, qui Astyagen a Cyro oppressum scripsere. Sunt tamen qui hereditate illud Regnum ei obtigisse scribant, non armis. Quod innuere videtur Daniel, cap. XIII. cùm inquit: *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses Regnum ejus.*

Babylonii quoque in potestatem, ditionemque ejus concessere.) Persico Regno Cyrus adjunxit Babylonicum, quia mortuo Dario socero Regnum illud obtinuit, atque ita Regna Persarum, Medorum, & Babyloniorum conjunxit.

RESTITUTIO JUDÆORUM IN PATRIAM. TEMPLI REÆDIFICATIO INCHOATA.

Igitur initio Regni propositis publicè edictis dat potestatem Judæis in solum patrium redeundi) Expletis septuaginta captivitatis annis, deinceps narrare pergit ea tempora, quibus Judæi per Cyrum Regem Persarum in Judæam dimissi Templum, & urbem reædificarunt, & legem ac Remp. restituerunt; fuerunt autem anni ducenti viginti, ipso supputante Sulpicio, neque enim ei cum ceteris convenit. Hæc verò tempora illustrarunt ipsi Persarum Reges, Cyrus qui Judæos dimisit, Cambyses, Darius Hydaspis filius, Xerxes, Artaxerxes Longimanus, qui expeditionem impediunt, Darius Ochus, sub quo Templum refectum, & Artaxerxes Mnemon, sub quo urbs ab ipso dicitur restituta. Post quem Ochus, Arses, & Darius fuit, quem Alexander Macedo delevit. Agamus ergo Sulpicium sequuti de singulis, ita tamen, ut lectorem præmoneamus, rectiùs sub Dario Hydaspis filio Templum restitutum, & sub Artaxerxe Longimano urbem reædificatam esse, credi, quod alii prodiderunt. Redeundi verò potestas data est à Cyro Rege anno primo Regni sui Zorobabeli Principi Judæorum, & Josue Pontifici expletis demum annis septuaginta captivitatis cùm adesset tempus à Deo promissum Judæis repetendæ patriæ, Templi reficiendi, & urbis instaurandæ. Ex quo Isaias cap. XXVII. *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & voluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem, ædificaberis, & Templo, fundaberis.* Hieremias cap. XXV. *Et erit universa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis, cùmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum*, & cap. XXIX. *Cùm cœperint impleri Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & reducam vos ad locum istum.* Inde ab Hieremia reliqui sumpsere, ut scriptor Paralipomenon cap. XXXVI. *Si quis evaserat gladium ductus in Babylonem, servivit Regi, & filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum, ut compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra Sabbata*

(99) Dan. cap. VII. vers. 24. & 25. ad quem locum S. Hieron. *Antichristus in tantam erigetur superbiam, ut leges Dei, & ceremonias mutare conetur, & elevetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam suæ subjiciens potestati.* Theodoretus, sive Theodotius: *decem Reges circa finem exurgent, & postremus Antichristus exorietur, Regnumque obtinere contendet, ac tres illos evertet. Nec contentus victoria, quam de hominibus retulerit, etiam maledicta contra Deum altissimum conjiciet, & sanctos supplicio afficiet, & putabit se posse pietatem, quæ tunc vigilat, evertere & Rempublicam commutare.*

(100) Congruit hoc ferè cum eo, quod de Nabonnedo, quem Darium illum esse diximus, prodidit Berosus apud Josephum; videlicet decimo septimo anno Regni Nabonnedi Cyrum venisse ex Perside, & Babylonem oppugnasse. Sed & Canon Mathematicus Ptolemæi Nabonadio septemdecim annos tribuit.

(101) Ita vulgò tradunt. Sed longè aliter Xenophon in παιδείᾳ. ubi Astyagi defuncto successisse vult Cyaxarem, matris Cyri fratrem, qui Danieli Darius Medus. *Usser.*

(102) Anno Nabonnidi XVII. egressus Cyrus ex Perside cum magno exercitu, universa Asia subacta, impetum fecit in Babyloniam urbem. Sentiens autem Nabonnidus invasionem ejus, prœlio victus & cum paucis fugatus inclusus est in Borsippensium Civitate. Cyrus autem Babyloniam obsidens, & deliberans exteriores muros deponere Civitatis, eò quod nimis videretur munita, & expugnatu difficilis, reversus est ad Borsippum, Nabonnidum expugnaturus. Qui oppugnatione non expectata, supplex Cyro factus, ab eoque accepto in Carmania habitaculo, Babylonia expulsus est. Ibi reliquum vitæ Nabonnidus exegit. *Berosus* apud Joseph. 1. contra Apionem.

(103) Quâ autem ratione id factum fuerit, id non ex hoc auctore, sed ex fragmento Berosi apud Josephum constare potest; videlicet Nabonnedum, Regem Babyloniorum, Cyro cum ingenti exercitu obviam ivisse; victum autem Borsippum se contulisse; quo facto Cyrum Babylonem urbem Regiam expugnasse, cùmque ad oppugnandam quoque Borsippum venisset, Nabonnedum obsidionem non sustinuisse, sed Cyro se dedidisse, ab eòque Carmaniæ Præfecturâ donatum fuisse.

ra solum patrium redeundi: sacra etiam vasa, quæ Nabuchodonosor de Templo Hierosolymæ abstulerat, reddidit. Itaque pauci tum in Judæam regressi: ceteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus.

IDOLUM BELI DELETUM A DANIELE BABYLONE.

Erat ea tempestate apud Babylonios Beli antiquissimi Regis, (104) cujus etiam Virgilius meminit, ex ære simulachrum, (p) quod superstitione hominum consecratum, Cyrus quoque adorare erat solitus, Antistitum ejus dolo illusus, qui vesci effigiem illam atque potare affirmabant: cùm diurnam pensitationem, (105) quæ idolo inferebatur, clam ipsi absumerent. Igitur Cyrus cùm Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur simulachrum non adoraret, cùm manifestum viventis Dei esset indicium, absumentis ea, quæ inferebantur? Daniel ridens hominis errorem, negare id posse fieri, ut æs illud, id est, bruta materies, cibo uteretur, aut potu. Accersi ergo Rex Sacerdotes jubet: nam ferè ad septuaginta erant, (106) adhibitoque eos terrore increpitat, quis impensa consumeret? cùm Daniel, vir prudentia insignis, minimè id ab insensibili simulachro posse fieri (107) contenderet. Tum illi confisi parato dolo, inferre

&

bere sua; cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Persarum suscitavit Dominus spiritum Cyri, qui jussit prædicari in universo Regno suo: Deus præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Hierusalem. Hinc etiam Esdra cap. 1. scriptum reliquit: *Anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur Verbum Domini ex ore Hieremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, ut ædificaret ei Templum in Hierusalem, & locutus ad populum Judæ, hortatus est, ut irent in Hierusalem, & ædificarent Templum,* & cap. V. ac VI. *Anno primo Cyri Regis Babylonis Cyrus Rex proposuit edictum, ut domus Dei ædificaretur.*

Sacra etiam vasa, quæ Nabucdonosor de Templo Hierosolymæ abstulerat, restituit.) Esdras cap. 1. *Rex Cyrus protulit vasa Templi Domini, quæ tulerat Nabucdonosor de Hierusalem, & posuerat in Templo Dei sui*, inde numerat ea.

Itaque pauci tum Judæam regressi.) Omnis multitudo, inquit Esdras, quadraginta duo millia trecenti sexaginta septem.

(p) Interserit historiam ad reditum Judæorum non pertinentem, nempe, ut Babylone Daniel virtutem suam coram Cyro Rege ostenderit, Sacerdotibus Beli falsi convictis, cùm Beli simulachrum vesci cibis, qui apponebantur, assererent. Hoc est autem apud Danielem, cap. XIV. *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel.* De quo sic S. Ambrosius, quem secutus est Sulpicius, in epistolis ad Romanos: *Primi Babylonii Deum vocaverunt figmentum cujusdam Beli quondam hominis mortui, qui principatum in eis dicitur egisse. Et quidem ante Ninum dicitur regnasse Belus, verùm puto idolum illud fuisse potius Dei Baal, quàm Beli Regis.* Ceterùm non videtur Virgilius eundem Belum Babylonium intelligere, cùm de Tyriis loquens dixit: *Genitor tum Belus opimam vastabat Cyprum.* Quare vereor, ut hæc verba afficta sint ab alio aliquo parum historiarum perito, (*cujus etiam Virgilius meminit.*) & temerè deinde ex margine in textum irrepserint.

Cyrus quoque adorare eum solitus.) Daniel. *Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum.*

Qui vesci effigiem illam, atque potare affirmabant.) Nam *impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ, & oves quadraginta, & vini amphoræ sex.* Ibidem.

Cyrus cum Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur simulachrum non adoraret, cùm manifestum viventis Dei esset indicium absumentis ea, quæ inferebantur.) Verba Cyri fuerunt: *Quare non adoras Bel? cui respondit Daniel: Quia non colo idola manu facta, sed viventem Deum. Cui Rex: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? an non vides quanta comedat, & bibat quotidie?*

Daniel ridens hominum errorem negare id posse fieri.) Responsum Danielis ridentis fuit tale: *Ne erres Rex, iste enim est intrinsecus luteus, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.*

Accersi ergo Rex Sacerdotes jubet, nam ferè ad septuaginta erant.) Ibidem. *Et iratus Rex vocavit Sacerdotes ejus, erant autem Sacerdotes Bel septuaginta.* Est autem mirum, cùm Daniel asserat fuisse septuaginta, Sulpicium quasi dubitantem addidisse, (*Ferme ad septuaginta.*)

Adhibitoque eos terrore increpitat, quis impensa consumeret?) Verba increpationis fuerunt: *Nisi dixeritis mihi, quis est, qui comedat impensas has, moriemini.*

Tum

(104) S. Hieron. in Comment. Hos. 12. vers. 16. *Primum omnium Asiæ regnasse Ninum Beli filium omnes & Græcæ & Barbaræ narrant historiæ.* Lactantius lib. 1. cap. 23. *Theophylus in libro de temporibus ad Autolycum scripto, ait in historia sua Thalum dicere, quod Belus, quem Babylonii, & Assyrii colunt, antiquior Trojano bello fuisse invenitur CCCXXII. annis.* Ego autem Belum arbitror Nimrodum, quia huic Regni principium in terra Sennaar Babylon fuit: ut ait Genes. 10. vers. 10. At conditorem Babylonis Belum vocant gentiles; itaque hic Dorotheus Sidonius, Poeta vetustus:

'Αρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα.

Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.

Artabanus apud Eusebium libro IX. Præparationis Evangelicæ cap. XLI. ubi retulisset, ut primitus omnia aquis fuerint obruta, addit, Belum siccasse loca: καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν, *ac Babylonem mœnibus cinxisse.* Servio propterea dicitur *Belus primus Rex Assyriorum.* Ejus sepultura fuit Babylone: sed eam destruxit Xerxes; ut refert Strabo initio lecti decimi. De Beli hujus cultu insignis est locus Claudiani in primo de laudibus Stiliconis; sed corruptus, cùm juxta certissimam Scaligeri emendationem in VI. de Emendatione temporum, pro *belli* debeat legi *Beli*. Locus est iste:

Thuris odorati cumulus, & messe Sabæa,
Pacem conciliant aræ. Penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, ritùque juvencos
Chaldæo stravere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

Ubi de Mithra sive Sole conjungit, quia Belus cum Sole colitur; ut postea dicetur.

Sigonius illud: *cujus etiam Virgilius meminit*, glossema esse putat. Quod vel ita verum est; vel quæ Virgilius de Belo Tyrio dicit, ea noster perperam Belo Babylonio tribuit.

(105) A penso, idest, solvo. Ita vocat id quod quotidie in Belum impendebatur. Erant autem similæ artabæ duodecim, oves quadraginta, & vini metretæ sex: aut, ut est apud Gorionis F. compositorem historiæ Hebraicæ, juvencus unus, decem arietes, & centum columbi, totidemque agni, cum septuaginta placentis panis, totidemque cadis vini.

Illud quod Belo quotidie impendebatur. Quantum autem illud fuerit, ex historia Beli sciri potest.

(106) Primò *ferè* redundat, ut multis aliis in locis. Deinde *ad septuaginta* quoque nihil est ampliùs quam *septuaginta*. Nam in historia Beli disertè legitur: *Erant autem Sacerdotes Beli septuaginta.* Sic & supra pag. 53. *Non ampliùs quàm ad triginta & duo millia exercitum paravit.* Neque erat, quòd voculam *ad* ibi malè adjectam putaret Drusius, quia ipsa XXXII. millia fuerint. Ipsa enim vocula *ad* quoque in illo loco redundat. Vide Notas ad eum locum.

(107) *Insensibile* pro *non sentiente*. Nimirum nomina adjectiva in *bilis* etsi plerumque significant potentiam passivam, quandoque tamen & activam significant. Sic *impetrabilis* dicitur etiam is, qui potest impetrare.

& obſignari à Rege Templum depoſcunt, (108) uti, niſi omnia poſtero die abſumta deprehenderentur, morte pœnas perſolverent: dum eadem conditio Danielem maneret. Itaque ſigno Regis Templum obſignatur, cùm prius Daniel, Sacerdotibus inſciis, pavimentum cinere aſperſiſſet, (109) ut introëuntium occultos aditus veſtigia proderent. Igitur poſtero die Rex Templum ingreſſus, animadvertit abſumpta, quæ idolo apponi juſſerat. Tum Daniel occultam fraudem veſtigiis prodentibus referat: Sacerdotes cum uxoribus, & filiis, ſubſoſſo foramine ingreſſos, ea quæ idolo oppoſita fuerant, devoraſſe. Ita omnes juſſu Regis interfecti, Templum ac ſimulachrum Danieli in poteſtatem datum, atque arbitrio ejus dirutum.

REÆDIFICATIO TEMPLI IMPEDITA.

Interea Judæi, (110) quos ex permiſſu Cyri in patriam regreſſos ſupra memoravimus, Urbem ac Templum reſtituere aggreſſi, (q) ut pauci atque inopes, parum proficiebant; donec centeſimo ferè anno, Artaxerxe Rege Perſis imperitante, per eos, qui locis præerant, (111) ab ædificando ſunt deterriti. Etenim tum Syria, atque omnis Judæa ſub Perſarum imperio per Magiſtratus ac Præſides regebatur. Igitur his conſilium fuit, Regi Artaxerxi ſcribere, non oportere Judæis reſtituendæ urbis ſuæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, reſumptis viribus, aliis gentibus imperare ſoliti, non paterentur ſub alieno imperio vivere. (112) Ita compro-

Tum illi confiſi parata dolo, inferre, & obſignari à Rege Templum depoſcunt.) Sic enim dixerunt: *Ecce nos egredimur foras, & tu Rex pone eſcas, & vinum miſce, & claude oſtium, & ſigna annulo tuo, & cùm ingreſſus fuerit mane, niſi invenerit omnia comeſta à Bel, morte moriemur, vel Daniel, qui mentitus eſt adverſus nos.* Dolus autem ſic exponitur: *Contemnebant autem, quia fecerant ſub menſa abſconditum introitum, & per illum ingrediebantur ſemper, & devorabant ea.*

Cum prius Daniel Sacerdotibus inſciis pavimentum cinere inſperſiſſet.) Rectè. *Præcepit enim pueris ſuis, ut afferrent cinerem, & cribravit per totum Templum coram Rege.*

Animadvertit abſumpta, quæ idolo apponi juſſerat.) Nam *Sacerdotes ingreſſi nocte juxta conſuetudinem, & uxores, & filii eorum comederunt omnia, & biberunt.*

Tum Daniel occultam fraudem veſtigiis prodentibus refert.) Dixit enim: *Ecce pavimentum, animadverte cujus veſtigia ſint hæc.*

Sacerdotes cum uxoribus, & filiis ſubſoſſa foramina ingreſſos ea, quæ idolo appoſita fuerant, devoraſſe.) Ibid. *Tunc apprehendit Sacerdotes, & uxores, & filios eorum, & oſtenderunt ei abſcondita oſtiola, per quæ ingrediebantur & conſumebant quæ erant ſuper menſam.*

Itaque omnes juſſu Regis interfecti, Templum & ſimulachrum Danieli in poteſtatem datum, atque arbitrio ejus dirutum.) Ibidem. *Occidit ergo illos Rex, & tradidit Bel in poteſtatem Danielis, qui ſubvertit eum, & Templum ejus.*

(q) Redit ad hiſtoriam Judæorum, qui in Judæam redierant, eoſque primùm Templo excitando operam impendiſſe ſcribit, ſed per centum annos propter paucitatem, & inopiam parum profeciſſe, qui numerus convenit ætati Artaxerxis primi cognomento Longimani, ſub quo impeditam ipſe cenſet ædificationem.

Donec centeſimo ferè anno Artaxerxe Rege Perſis imperitante per eos, qui locis præerant, ab ædificando deterriti ſunt.) Per centum, inquit, annos nihil in ædificando Templo profecerunt, anno centeſimo propter imperium Artaxerxis Regis omnino ab opere receſſerunt. Inde regnante, ut addet, Dario Templum eſt reſtitutum. Cùm autem duo ſint Darii, & duo Artaxerxes, ipſe ædificationem impeditam ab Artaxerxe primo, qui Longimanus eſt dictus, putavit. Templum reſtitutum ſub Dario ſecundo, qui Ochus eſt nominatus, urbem repoſitam ſub Artaxerxe ſecundo, quem Mnemona appellavere. Eſdras autem impeditos quidem eſſe per Artaxerxem Judæos ſcribit, verùm neutrum horum eſſe, convincitur. Verè autem hoc opus inchoatum eſt, ut diximus, ducibus Zorobabele Principe, & Joſue Pontifice, qui ſub Cyro altare tantùm conſtruxerunt, & Templi fundamenta jecerunt, Samaritarum vicinorum populorum invidia, quo minus ultra tum pergerent, impediti, qui rem ad Præfectos regionis detulerant. Perfectum autem ſub Dario primo, non ſecundo, quod præter cæteros Judæi indicarunt, qui loquentes cum Chriſto negarunt eum poſſe reſuſcitare triduo Templum illud, quod quadraginta ſex annis eſſet perfectum; tot enim ſunt à primo anno Cyri ad ſextum Darii primi.

Igitur his conſilium fuit, Regi Artaxerxi ſcribere, non oportere Judæis reſtituendæ urbis ſuæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, reſumptis viribus aliis gentibus imperare ſoliti non paterentur ſub alieno imperio degere.) Hæc Præſides regionis ex ſuggeſtione Samaritarum fecerunt, qui epiſtolam his verbis ad Regem Artaxerxem compoſuerunt: *Notum ſit Regi, quia Judæi qui aſcenderunt à te ad nos, venerunt in Hieruſalem civitatem rebellem, & peſſimam, quam ædificant extruentes muros ejus, & parietes componentes; nunc autem notum ſit Regi, quia ſi civitas illa ædificata fuerit, & muri ejus inſtaurati, tributum & vectigal annuos reditus non dabunt, & uſque ad Reges hæc noxa perveniet.* Eſdras cap. V. lib. I.

Ita comprobato à Rege Præſidum conſilio prohibita urbis ædificatio, uſque in ſecundum Darii Regis annum dilata eſt.) Verba Regis prohibentis ad Samaritas accuſatores, apud Eſdram hæc fuerunt: *Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec ſi fortè à me juſſum fuerit. Lecto edicto Regis illi abierunt feſtini in Hieruſalem ad Judæos, & prohibuerunt in brachio, & robore. Tum intermiſſum eſt opus domus Domini in Hieruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum.* Ecce ut non nominet Darium ſecundum.

(108) Legendum videtur *inferri*, & addendum præterea nonnihil quòd exciderit; ſive jam addatur illud, quod præceſſit, *diurnam penſitationem*, ſive id genus aliud.

(109) *Juſſitque Daniel; ut clauderent fores Templi Bel, & portas ejus, excepta porta per quam ingreſſus fuerat Rex. Tunc dixit Daniel: Adferte mihi cinerem, ſparſeruntque cinerem illum ſuper pavimentum Templi Bel, inſciis Sacerdotibus. Poſt egreſſi ſunt Rex, & Daniel per portam, quam intraverant, ipſi & pueri eorum: quam clauſerunt juſſu Danielis, obſignavitque eam Rex annulo ſuo, & annulo Danielis, &c.* Gorionides.

(110) Ab hoc tempore dicti ſunt Judæi, Regio Judæa, quod Tribus Judæ prima omnium rediiſſet. Joſeph. 11. 5. Ἰουδαῖοι πρὸς τὸ ἔργον παρεσκεύαζοντο. ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας αὐτῆς μετέλαβον. Ab eo etiam tempore orta eſt diſtinctio Judæorum in Palæſtinos, & Babylonios. Palæſtini vocati, qui in Judæam redierunt, quod duæ Tribus fecerunt, Juda & Benjamin. Babylonii, qui in Babylonia manſerunt, nimirum undecim reliquæ Tribus. Judæi verò in Palæſtina tanto numero ſuccreverant, ut colonias in omnes orbis partes emittere coacti fuerint, ut ex Joſepho & Philone patet. Metropolis eorum Hieroſolyma, tam θρησκείας, quam πολιτείας.

(111) Vicinis, Syriis, Phœnicibus, Ammanitis, Moabitis, ac Samaritanis. Nam hæ gentes, ob vetera odia, infenſiſſimæ Judæis ſemper fuerunt.

(112) Id eſt, *non ſuſtinerent vivere, nollent vivere*; De verbo *ſuſtinere* notum, quòd dicant *non ſuſtineo facere*, ut Græci οὐχ ὑπέχειν ποιεῖν. *At non patior ferre* vulgatum non eſt.

probato à Rege Præsidum consilio, prohibita urbis ædificatio, usque in secundum Darii Regis annum dilata est.

Sed hoc tractu temporum qui Reges Persis imperaverint, inseremus, (r) quo facilius annorum series in ordinem contexta prodatur. Post Darium Medum, (113) quem duodeviginti annos regnasse significavimus, Cyrus uno & triginta annis rerum potitus est. Scythis bellum inferens, in prœlio cecidit: (114) secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat. Cyro Cambyses filius ejus successit, regnavitque annos novem. Hic cùm Ægyptum atque Æthiopiam (115) bello premeret & subegisset, victorque in Persas reverteretur, casu seipsum vulneravit, (116) ex eoque ictu periit. Post hujus mortem magi (117) duo fratres, natione Medi, (118) menses septem Persarum Regnum obtinuerunt. Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ (119) conjuraverunt: quorum princeps fuit Darius Hystaspis filius, natus ex

(r) Hoc loco iterum interrumpit narrationem pollicens, se à Cyro ad Darium Regem Persarum explicaturum, & annos eorum appositurum, ut ratio temporum extet; nam cùm Judæi obedirent Persis, ab iis, ut à Dominis summam temporum subducere oportuit; sunt autem Cyrus, Cambyses, Magi, Darius, Hydaspis filius, Xerxes, Artaxerxes Longimanus, Xerxes secundus, Sogdianus, Darius Ochus, Artaxerxes Mnemon, Ochus, Arses, Darius ultimus.

Post Darium Medum Cyrus uno & triginta annis.) Reges Persarum explicuere Diodorus, Justinus, Eusebius, & Metasthenes. Cyro ab omnibus anni triginta tribuuntur.

Scythis bellum inferens in prælio cecidit.) Justinus. *Thamyris Regina Scytharum compositis in montibus insidiis ducenta millia Persarum cum ipso Rege trucidavit.*

Secundo anno, postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat.) Apud Eusebium secundus annus Tarquinii Superbi incidit in quintum decimum Cyri. Verùm quocunque modo, Cyri mors regnante Superbo Romæ accidit. Unde Augustinus lib. XVIII. cap. XXVI. de civitate Dei scripsit: *Sub Dario Persarum Rege, expletis septuaginta annis, quos Hieremias Propheta prædixerat, reddita est Judæis soluta captivitate libertas, regnante Romanorum septimo Rege Tarquinio.* Darium autem hic primum, non secundum intellexit, qui & ipse Regnante Romæ Superbo regnavit.

CAMBYSES REX PERSARUM.

Cyro Cambyses filius successit, regnavitque annos novem.) Sic ceteri omnes, illo uno excepto, quòd Cambysi septem, aut paulò amplius annos adscribunt. De nece ejus Justinus. Sub hoc Templi reædificationem impeditam plerique ex Esdra colligunt contra Sulpicium.

Magi fratres menses septem.) Item ceteri.

DA-

(113) Hic est Cyaxares Astyagis filius, de quo supra meminit. Hujus filiam unicam, & heredem Cyrus duxit, ac universam Mediam dotis nomine accepit.

(114) Sic & Herodotus ac Justinus. Sed Herodot. testatur, alios de Cyri morte sermones fuisse. *Diodor.* crucifixum scribit. *Xenophon* & *Ctesias* vulneratum in prœlio, & paulò post ex vulnere decessisse, & in Pasargadis sepultum. Strabo 15. Deinde Alexander in Pasargadas venit, ubi erat antiqua Regum sedes. Ibi Cyri sepulturam vidit: ἐν παραδείσῳ, πύργον, ὐ μέγαν τῷ δάσει τ͂ δένδρων ἐναποκεκρυμμένον, cum hac Inscriptione: Ω ΑΝΘΡΩΠΕ ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΤΟΙΣ ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΗ ΟΥΝ ΦΘΟΝΗΣΗΣ ΜΟΙ ΤΟΥ ΜΝΗΜΑΤΟΣ. Alii inscriptionem hanc fuisse referunt:

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων.

(115) Ægypti Rex fuit Psammenichus, quo victo & occiso, totum illud Regnum Monarchiæ Persicæ adjectum fuit. Æthiopiam ἰχθυοφάγων, quæ ad mare rubrum, inops regio, Cambyses quoque subegit. Sed Μακροβίους, qui supra Meroën, ubi hodie Abasseni, frustra tentavit. Vide Herodotum. Sed cave à fabulis ejus, quarum in illa narratione fœcundus est. Tradunt Pythagoram Philosoph. quoque e Cambyse in Ægypto captum, & Babylonem abductum, ubi Nazarato Assyrio Præceptore usus sit, quem nonnulli Prophetam Ezechielem fuisse volunt.

(116) Audita Magorum rebellione, festinatis itineribus in Persiam contendit; & dum equum conscendit, gladio sua sponte evaginato, in femore graviter vulneratur. Ita *Justinus*.

Justinus lib. I. *Gladio suâ sponte evaginato in femore graviter vulneratus occubuit.*

(117) Suidas: Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ Φιλόσοφοι. Docebant in aula Regum Persiæ τὰ βασιλικὰ, ut ex Alcibiade Platonis notum. Unde magna ipsorum authoritas, adeò ut Cambyses ad bellum Ægyptium profecturus, reliquerit Magorum unum μελεδωνὸν τ͂ οἰκηίων. Quæ ipsis occasio fuit Regnum per ejus absentiam invadendi.

Nomina eorum *Patizithes* & *Smerdis*: quorum ille à Cambyse expeditionem in Ægyptum suscepturo μελεδωνὸς τῶν οἰκηίων *curator domus* constitutus fuerat, ut Herodotus in Thalia prodidit. Justinus Cometem & Oropastam vocat. Quæ nomina unde hauserit, non liquet. Ceterùm quod duos fratres Regnum obtinuisse scribit noster, non sic capiendum, quòd uterque se pro Rege gesserit, sed quòd unus eorum nomine Smerdis, nomen Regium usurpaverit; alter verò & quidem Patizithes, ut id posset fieri, malis artibus effecerit. Ceterùm Magorum istorum alterum, & quidem Smerdin, esse Artasastham illum, cujus in cap. IV. Esdræ fit mentio, non malè demonstrasse videmur in Exercitationibus Acad. p. 77. & seqq.

(118) Quod magi, Patizithes, & Smerdis, natione Medi fuerint, id colligi potest, & collegisse videtur noster, ex eo, quòd, cùm Cambysi jam subnata esset suspicio, quòd non frater suus Smerdis, sed Magus quidam ei cognominis imperium occupasset, proceres Persicos hortatus est, ne per socordiam imperium ad Medos redire sinerent: uti prædicto loco prodidit Herodotus.

(119) Quorum nomina extant apud Herodotum lib. 3. Sunt autem Otanes, Intaphernes, Gobrias, Megabyzus, Aspathines, Hydarnes, Darius Hystaspis, cujus pater Persis præerat. Octavo mense schema Magorum detegitur ab Otane Persa per Phedimam filiam Smerdis concubinam. Deprehendit illa Smerdin auribus carere, quibus Cyrus ipsum truncaverat. Otanes ea de re edoctus cum fidissimis conspirat contra Magos. Darius Hystaspis filius se illis sociat. Prexaspes fabulam aperit. Conjurati in Regiam irruunt, Magos fratres trucidant. Magorum dolus toti ordini funestus redditur. Persæ in Magos obvios sæviunt. Inde hic dies festus Persis, & μαγοφωνία dictus, quo die nulli Magorum in publicum prodire licet. Hæc Herodotus prolixè refert in *Thalia*. *Ctesias* variat in nominibus & circumstantiis. Pauci autem conjuraverant, quo tutiores essent. Thucydid. VI.

ex fratre patruele Cyri, omniumque consensu (120) Regnum ei delatum: regnavit annos sex & triginta. Hic ante quadriennium quàm decederet, apud Marathonam pugnavit, (121) celeberrimo Græcis Romanisque historiis prælio. Id gestum post Romam conditam anno ferè ducentesimo & sexagesimo, Macherino & Augurino Consulibus, abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum Consulum non fefellit, DCCCLXXX. & VIII. Omne enim tempus in Stiliconem Consulem direxi. Post Darium Xerxes fuit, isque uno & viginti annis regnasse traditur: quanquam in plerisque exemplaribus (122) viginti & quinque annos imperii ejus fuisse reperi. Huic successit Artaxerxes, cujus supra mentionem fecimus. Hic cùm inhiberi ædificationem urbis Judææ, Templique jussisset, suspensum opus usque in secundum Darii Regis annum pependit. (123) Sed ut usque ad eum temporum ordo connexus sit, Artaxerxes regnavit annos unum & quadraginta, Xerxes duobus mensibus. Postque eum Sucdianus (124) septem mensibus fuit.

DARIUS OCHUS REX PERSARUM. RESTITUTIO TEMPLI ABSOLUTA.

Darius deinde, sub quo Templum est restitutum, Regnum adeptus est, (f) cui Ochus tum nomen erat. (125) Hic cùm ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei, corporis custo-
des

DARIUS HYDASPIS F. REX PERSARUM.

Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ conjuraverunt, quorum Princeps Darius Hydaspis filius, natus ex fratre patruele Cyri, omniumque consensu Regnum ei delatum; regnavit annos sex & triginta.) Hic est Darius primus, de quo sic Justinus: *Tanta moderatio ceteris fuit, ut audito auspicio confestim equis desiluerint, & Darium Regem salutarint, populus quoque universus sequutus judicium Principum eundem constituit Regem.* Item in ceteris ceteri.

Hic ante quadriennium, quàm decederet, apud Marathonam pugnavit.) Et quidem duce apud Græcos Atheniensi Miltiade; auctor Diodorus, Justinus, Probus: nihil hac historia notius.

Id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo & sexagesimo, Macerino, & Augurino Coss.) T. Geganius Macerinus, & P. Minucius Augurinus Consules fuerunt anno Urbis CCLIX. teste Livio, quem hic sequutus est.

Abhinc annos DCCCLXXX. & VIII.) Rectè. Nam Stilico Consul, quo hæc scripta sunt, incidit in annum Urbis conditæ MCLII. a quo numero si demas CCLX. fient DCCCXXXVIII. Hoc igitur regname Templum absolutum tradunt omnes ferme, præter Sulpicium, apud quem legendum DCCCLXXXVIII.

XERXES REX PERSARUM.

Post Darium Xerxes fuit, isque XXXI. annos regnasse traditur) Ceteri XXX. produnt.

ARTAXERXES LONGIMANUS REX PERSARUM.

Huic successit Artaxerxes, cujus supra mentionem fecimus.) Nempe cùm dixit, per eum prohibitam Templi ædificationem fuisse, quod nunc quoque repetit. Hic est autem Artaxerxes cognomine Longimanus.

Usque in secundum Darii Regis annum.) Darii, inquam, secundi, qui Ochus, & Nothus est appellatus, hoc enim à nobis sæpe repetandum est; ad ejus igitur usque annum secundum suspensam Templi ædificationem fuisse, inquit.

Sed ut usque ad eum.) Et quoniam eò tendimus, ut ad Templi reædificationem accedamos, annos etiam regum, qui medii inter Xerxem, & Darium fuerunt, inseremus.

Artaxerxes regnavit annos unum & quadraginta.) Omisit successorem Xerxis Artabanum, qui dies tantùm septem regnavit, quod nihil ad summam hanc affecat. Artaxerxes autem Longimanus, qui Artabanum excepit, annos XL. regnasse apud alios proditur.

(f) Sic quoque ceteri. Nothus etiam, ut dixi, appellatur.

Hic cum ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei corporis custodes haberet, unusque ex his prudentiæ documento admirationem Regis in se convertisset, delata sibi optione petendi, si quid animo concepisset, ingemiscens patriæ ruinis copiam restituendæ urbis poposcit.) Hoc scriptum est apud Esdram libro III. cap. III. *Vacarunt ab ædificatione Templi in Hierusalem usque ad secundum annum regni Darii Regis Persarum.* Darii, inquit, verùm non secundi Darii. Narrat inde ex lib. III. Esdræ de tribus adolescentibus custodibus corporis, qui oblectandi Regis caussa quæstionem posuerunt, quænam res majores vires haberet, cùm unus dixisset vinum,
alter

(120) Quem præcessit equi hinnitus, fatale imperii omen. *Justin.* I. Unde postea Darium in sigillo habuisse sculptum equum, a Scholiaste Thucydidis est notatum.

(121) Quo bello nihil notius. Marathon Atticæ urbs, *magnarum & multarum virtutum testis.* Mela II. Vide Herodotum VI. Paus. I. Probum in Themistocle, & Miltiade. Justinum II.

Non sic, ut pugnæ ipse interfuerit, sed ut ejus auspiciis res a Mardonio gesta sit; quamvis male. *Ante quadriennium quàm decederet*, est talis locutio, qualis illa Nepotis III. 3. 3. *Post annum quartum quàm Themistocles erat expulsus.* Et quomodo pro hoc dici potest: *Quarto anno postquam erat expulsus*, ut idem Nepos III. 1. 4. loquitur: ita pro illo dici possit: *Quadriennio* vel *anno quarto antequam decederet*. Casum quartum *Marathonam* fecit a primo *Marathona*: qui quidem novus primus casus est à quarto *Marathona*, cujus primus est *Marathon*. Sic ab accusativo Græco κρατῆρα factus est nominativus Latinus *Cratera*, & ab accusativo Θέμιστα factus nominativus *Themista*.

(122) De Eusebianis vulgo interpretantur. Quanquam fieri potest, ut alia Chronica in mente habuerit. Ut ut sit, sunt qui Xerxi viginti octo annos imperii tribuunt. Ceterùm omisit successorem Xerxis Artabanum, quia menses tantùm septem regnavit, qui menses in ordine annorum reputantur, ait Eusebius.

(123) Paulò ante: *Urbis ædificatio usque in secundum Darii Regis annum dilata est.* Intelligit autem Darium secundum, cui & Ochus nomen, quique vulgo Nothus dicitur. Hinc cap. proximo sequente: *Darius, sub quo Templum restitutum, Regnum adeptus est, cui Ochus tum nomen erat.* Sed falsum esse auctorem, cumque eo acutissimum Scaligerum, manifesta res est: id quod deditâ operâ demonstravimus in Exercitationibus Academicis, & harum quidem tertiâ.

(124) Hos duos Reges plerique omittunt. Sanè Thucydides statim a morte Artaxerxis Darium regnasse scribit. Unde etiam anni utriusque partim Darii Nothi, partim Artaxerxis Mnemonis adscribuntur. Sucdianus, aliis Sogdianus.

(125) Darius Ochus, ut Artaxerxes Ochus. Vox hæc in lingua Persarum magnum significat. Quod notarunt Hebræi in Achas verbo. Nam Ochus & Achas idem valent. Darius ergo Ochus, idest, Magnus. Sic Alexander Magnus, Pompejus Magnus, Carolus Magnus. Omnia enim magnificum magnum dicebant, ut mater magna, dii magni, Rex magnus.

des haberet, unusque ex his prudentiæ documento (126) admirationem Regis in se convertisset, (127) delata sibi optione petendi si quid animo concepisset, ingemiscens patriæ ruinis, copiam restituendæ urbis poposcit, meruitque à Rege, (128) ut subregulis ac præsidibus imperaret, ut ædificationem sacræ ædis præbitis impendiis maturarent. Ita Templum quadriennio consummatum, sexto post anno, quàm Darius regnare cœperat: (129) idque Judæis satis visum: & quia magnæ molis erat urbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, Templo continebantur.

ARTAXERXES MNEMON REX PERSARUM. RESTITUTIO LEGIS.

Per idem tempus Esdras (130) scriba legis post viginti ferè annos (f) quàm Templum fuerat consummatum, (131) defuncto jam Dario, qui unum de viginti annos rerum fuerat potitus, permissu Artaxerxis secundi, (132) non illius, qui inter duos Xerxes fuit, sed hujus, qui

alter Regem; Zorobabel tertius intulit, mulierem, sed supra omnia veritatem, cujus sapientiam cùm Rex probasset, jussit, ut peteret quod vellet, ille dixit: *Memor esto voti tui, quòd vovisti ædificare Hierusalem, in die, qua regnum accepisti, & omnia vasa, quæ accepta sunt ex Hierusalem, remittere ea ibi, & tu vovisti ædificare Templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa à Chaldæis. Et nunc hoc est, quod postulo Domine.* Videndum est autem Sulpicio, num rectè Zorobabel dici adolescens, regnante Dario secundo, possit, qui centum ampliùs annos ipso supputante haberet. Verùm præterquam quod historia libri tertii Esdræ improbata est, neque ex ea elicitur, Zorobabelem cum Dario secundo egisse potiùs, quàm cum primo.

Meruitque à Rege, ut subregulis, ac præsidibus imperaret, ut ædificationem sacræ ædis præbitis impendiis maturarent.) Esdras: *Tunc Rex scripsit epistolas ad omnes dispensatores, & Præfectos, & Purpuratos, ut deducerent eum, & eos qui cum illo erant, omnes ascendentes ædificare Hierusalem, &c.*

Ita Templum quadriennio consummatum sexto post anno, quàm Darius regnare cœperat.) Res ab Esdra sic narratur: *Aggæo, & Zacharia verbum Dei in Judæa pandentibus, Zorobabel, & Josue cœperunt anno secundo Darii ædificare Templum. Illis molientibus opus Thatanai Dux regionis, quæsivit, cujus auctoritate ædificarent; cui responderunt, se edicto Cyri ædificare; placuit autem, ut res referretur ad Darium; itaque epistola missa res tota exposita est. Darius quæri edictum Cyri jussit; idque inventum implere voluit. Quare Dux ille, & Judæi annitentes Templi ædificationi acriter incubuerunt, & quarto post anno, qui fuit sextus Darii, perfecerunt, ac dedicarunt, & Pascha magna lætitia celebrarunt.* Lib. I. cap. V. & VI. lib. III. cap. II. III. & VI. quæ verba ad Darium primum referenda sunt, non ad secundum ob ea, quæ diximus.

Et quia magnæ molis erat, urbem restituere.) Tum tantummodo Templum repositum est, quia majoris operis erat, urbem instaurare. Quare Judæi omissa ædificatione urbis Templo se per multos inde annos continuerunt, idest, usque ad vicesimum annum Artaxerxis primi, idest, Longimani non Mnemonis, ut inquit Sulpicius.

(f) Tria fuerunt à Judæis reparanda, Templum, disciplina, urbs. Templum à Zorobabel sexto anno Darii secundi perfectum est. Disciplina ab Esdra septimo anno Artaxerxis Mnemonis formata. Urbs a vicesimo anno ejusdem Artaxerxis usque ad tricesimum secundum per Neemiam restituta est, teste Sulpicio. Nunc ubi de Templo egit, de disciplina per Esdram restituta disserit; ut ab Esdra scriptum est cap. VII. Ceterùm scribas legis Judæi vocabant, jurisperitos, & theologos. Extat in hanc sententiam titulus epistolæ Artaxerxis Regis ad Esdram talis: *Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti scribæ Legis Dei cœli doctissimo.* De his exactiùs nos in libris de Rep. Hebræorum.

Post viginti fermè annos, quàm Templum fuerat consummatum.) Rectè. Nam anno sexto Darii Templum est consummatum; inde Darius supervixit annos XIII. quibus si addantur septem Artaxerxis, cùm Esdras in Hierusalem venit, efficiuntur viginti.

Qui undeviginti annis rerum fuerat potitus.) Eundem numerum Regi Dario secundo ceteri ascribunt.

Permissu Artaxerxis secundi, non illius, qui inter duos Xerxes fuit.) Quia novam opinionem affert, propterea eam quoad potest, illustrat; nam ceteri de Artaxerxe primo, idest, Longimano intellexerunt, qui inter

(126) Nam cùm quæstio mota esset. Quænam res majores vires haberet, & unus dixisset vinum, alter Regem: Zorobabel tertius intulit mulierem, & supra omnia veritatem: cujus prudentiam Rex admiratus, dedit optionem petendi quod vellet.

Est is Zorobabel. Historiam pleniùs legere licèt III. Esdr. III.

(127) Infra: *Omnium in se animos, & studia converterat.* Sic Florus II. 17. 4. *Convertere in se omnium mentes.* Et Nepos VII. 1. 5. *Convertere ad se omnium mulos.*

(128) *Mereri* consequendi notione, ut sæpe in hoc atque aliis ejus ævi Scriptoribus.

(129) Infra: *Sexto anno postquam vederat.* Ergo voculam *post* nomini temporis modo præponit, modo postponit: & quidem ut adverbium. Infra: *Septimo (anno) posteaquam Darium devicerat.* Alias loquendi formulas ἰσοδυναμούσας mox infra videbimus.

(130) Qui Hebræis Ezra. Ezra Ezras, ut Juda Judas. Hoc primum: deinde z in sd mutavit, more Dorico: Dores enim certè συρίσδω dicunt pro συρίζω. Apparet autem tum ex libro ejus, tum ex fama apud Hebræos, Esdram fuisse virum & valde eruditum, & mihi φιλοπατρίδα, cui comparari fortè possit Sempronius ille dictus σοφός.

Fuit filius Saraiæ Pontificis, quem Nebucadnezar anno XI. Sedeciæ, occidit. IV. Reg. 25. 18. & 21 Esdræ 7. 1. frater Josedeci. Imo Hebræi apud Hieronim Tradition. putant Esdram eundem esse cum Josedec, & binominem fuisse. Sed hoc falsum est. Rupertus & alii opinantur Esdram fuisse Malachiam. S. Augustinus XXIII. Civ. Dei 36. putat eum quoque scripsisse librum Esther.

Quoniam vox Hebræa סופר homonyma est, pluresque significationes habet, ut & *peritum legis divinæ*, & *scribam* significet, factum est, ut Græca quoque vox γραμματεύς, & porrò Latina *scriba*, homonyma fieret, & *legis divinæ peritum* significaret. Quâ de re in parte I. Commentarii de Hebraismis N. T. pag. 83. egimus.

(131) Vide quam orationem variet. Nunc dicit *Post viginti annos quàm.* Potuisset autem & sic, ut paulò ante: *Vigesimo post anno quàm*; vel *Vigesimo anno postquam*; vel denique *post vigesimum annum quàm.* Sed & omisso *post* dicit *vigesimo primo anno quàm.* Vide pag. 26. & ibi Not. num. 107. Ceterùm quòd Esdram, post viginti annos quam Templum consummatum fuit, in Palæstinam migrasse ait, id falsum est; siquidem verum sit, ut omnino verum est, sub Dario Hystaspis Templum ædificari cœptum atque consummatum fuisse. Hic cùm Darius, ut ipse auctor supra scripsit, regnavit annos sex & triginta: & anno septimo demum Artaxerxis, qui Darium Hystaspis excepit, idest, Longimani, Esdras in Palæstinam venit.

(132) Qui μνήμων, sive memor, est cognominatus. Fuit Longimanus, qui anno Regni sui VII. Esdram, Nehemiam XX. misit in Judæam.

Mnemonem intelligit. Sed fallitur; ut in prædictâ Exercitatione tertiâ demonstravimus.

qui Dario Ocho successerat, Babylonia profectus, multique eum secuti, Hierosolymam pervenere. (133) Vasa quoque diversi operis, & dona, quæ Rex Templo Dei miserat, cum duodecim Levitis. Vix enim hic numerus ex illa Tribu repertus traditur. Is cùm deprehendisset Judæos gentilium (134) connubiis permistos, multis increpitos, renunciare istiusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi jubet, omnesque dicto paruere. Purgatus populus, veteris legis ritum agebat. Ceterùm Esdram nihil super reficienda urbe egisse (135) comperio: credo potiorem curam ratus, plebem corruptis moribus reformare.

RESTITUTIO HIERUSALEM.

Erat ea tempestate apud Babyloniam (136) Neemias, Minister Regius, (137) gente Judæus, (138) Artaxerxi merito obsequiorum carissimus. (u) Is Judæos percontatus, (139) quis pa-

inter duos Xerxes regnavit, quod ipse ad secundum, idest, ad Mnemonem transtulit. Verba autem Artaxerxis permittentis hæc fuerunt: *A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Hierusalem tecum vadat.*

Vasa quoque diversi operis.) Ibidem: *Et omne argentum, & aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus, qui sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Hierusalem, liberè accipe. Vasa quoque quæ dantur tibi in ministerium Dei tui, trado in conspectu Dei in Hierusalem.*

Cum duodecim Levitis, vix enim hic numerus ex illa Tribu repertus est.) Cap. VIII. *Quæsivique in populo, & in Sacerdotibus de filiis Levi, & non inveni ibi.*

Is cùm deprehendisset Judæos gentilium connubiis permistos.) Hoc unum caput est disciplinæ Judaicæ per Esdram emendatæ, quòd uxores gentiles dimitti tanquam nefarias jussit. Verba fuerunt: *Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini à populis terræ, & ab uxoribus alienigenis. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.* Lex, quæ cavebat, ne Hebræi ducerent uxores alienigenas, est Exodi cap. XXXIV.

(u) Nunc narrat de urbe per Neemiam restituta sub eodem, ut putat, Artaxerxe Mnemone. Hanc historiam literis prodidit ipse Neemias, ut Esdras superiora. Sed tamen sub titulo secundi Esdræ edita est. Ceterùm hoc ordine hæc peracta fuere. Anno vicesimo ejusdem Regis Artaxerxis Neemias Judæus pincerna Re-

(133) Drusii editio habet: *Multique eum sequuti;* ut verbum illud numeri pluralis casus aliquis primus antecedat. At ego malim illud *multisque eum sequentis*, quod editio quoque Coloniensis habet, retinere, & cum Galesinio legere: *Multisque eum sequentis Hierosolymam pervenit;* ut adeò *pervenit* referatur ad Esdram.

(134) Gentium terræ Chanaan: item Ammonitarum, Moabitarum, & Ægyptiorum. Esræ 9. 1. & Deut. Exodi 34. & Deuteron. 7. vers. 3. præceperat Judæis ne uxores ducerent Chananæas, quæ incolebant terram sanctam à Judæis occupandam, idque ob periculum perversionis, ne scilicet ab idololatris uxoribus pellicerentur ad colendum idola, ut insinuat Nehemias c. ult. vers. 24. & 26. Idem judicium erat de Ammonitis, Moabitis, Ægyptiis, &c. intellige, nisi uxores prius abjectis idolis ad Deum verum, & Judaismum se converterent; tunc enim licebat eas ducere, uti Salomon duxit Rahab, & Booz duxit Ruth. Causam peccati Lyranus, & Glossa assignant hanc, quòd Judæi venientes in Jerusalem, videntesque uxores suas ex labore, & ærumnis itineris macilentas, fuscas & deformes, eas contempserint, ideoque duxerint è vicinis gentibus juvenculas, venustas & speciosas.

Vocabulo *gentiles* non eâ notione usus est, quâ antiquiores soliti fuerunt. Festus: *Gentilis dicitur & is, qui ex eâdem gente ortus, & is, qui simili nomine adpellatur.* At noster *gentiles* dicit eos, qui verum Deum ignorant, quique idolorum sunt cultores. Cujus adpellationis in Lexicis malè redditur ratio; quòd scilicet ita dicantur, quia in gentilium, idest, majorum suorum fide perstiterint, nec religionis cultum mutaverint. Vera ratio ex Hebraismo accessenda est. Nimirum quia vox Hebræa גוים tum gentes qualescumque, tum gentes, quæ verum Deum ignorant & idololatræ sunt, significat, factum est, ut primò Interpretes Græci veteris, deinde exemplo horum Scriptores Novi Test. vocabulo Græco ἔθνη non unam modò, quæ & vulgaris est, sed duas significationes tribuerent. Græcos imitati deinde Interpretes Latini, ipsi quoque Latinæ voci *gentes* duplicem significationem dederunt. Et ut Græci non modò primitivæ voci ἔθνη, sed & derivatæ ἐθνικοὶ duplicem significationem tribuerunt: ita planè & Latini tum Interpretes, tum Scriptores alii, non voci *gentes* tantum, sed & huic derivatæ *gentiles*, duas significationes adsignarunt. Vide & Notas ad pag. 12. & ad pag. 88.

(135) Nam ea cura Nehemiæ fuit. Unde dictitant, Zorobabel Templum extruxit: Esras disciplinam reformavit: Nehemias urbem restituit.

(136) Imò apud Susae. Nam disertè Nehem. I. 1. *ego eram in Susan Habbira*: quod reddi potest, Susis in arce vel castro. Quanquam sunt qui malunt, *in Metropoli*. Drus. Susa urbs nota per Historicos & Poëtas: sic dicta ob amœnitatem, ex nomine lilii, quod שושן, Hebraice, σοῦσα Persice, ut notat Athenæus, unde & σούσινον μύρον, sive χρῖσμα, unguentum è lilio, memoratum eidem Athenæo, Theophrasto, Dioscoridi.

Non tantùm regionem, sed & ipsam urbem *Babyloniam* dicunt; *Babylonem* dicere possint. Justinus l. II. 7. *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit.* Sic & pluribus locis aliis. Supra tamen pag. 40. *Babylonem* noster dixit. Deinde *apud Babyloniam* dicit pro *Babylonia* vel pro *Babylone*. Jam non insolens quidem est Scriptoribus Latinis præpositiones ipsis quoque nominibus urbium adjicere, & dicere exempli gratiâ *in Seleuciâ* pro *Seleuciæ*; quâ de re & in libello de Latinitate falsò susp. pag. 100. egimus: sed tamen *apud Babyloniam* pro *Babylonia*, aut *Babylone*, dixisse antiquiores vix putaverim. At æqualibus Sulpitii ita scribere solemne fuit: & ipsum Sulpicium quoque non semel ita scripsisse memini. Exempli causa pag. 20 scripsit: *Apud Charras diversatus est* pro *Charris* vel *Carris*. Ceterùm errat ille, quòd scribit, Nehemiam fuisse Babylone. Disertè enim Nehem. I. scriptum est, fuisse eum Susis ubi & Reges Persarum degere soliti fuerunt.

(137) Minister Vinarius, Chronicon Eusebii. משקה למלך pincerna sive pocillator Regis. Nehem. I. 11. Causa cur Artaxerxes Judæo pincerna usus, hæc fuit, quia *Persarum Reges vinum Chalybonium tantùm sumebant, quod in Damasco Syriæ gignebatur.* Athen. 1. Suidas. Ergo, præter alias causas quæ accesserunt, Judæo pincerna, vinorum talium peritiore, usus est. *A Lapide.* Multis Hebræis apud exteros Reges modicæ dignitates obtigere, ut Danieli & sociis ejus, Zorobabeli. Idem & posteris temporibus evenisse videas apud Mahumedanos Reges Hispaniæ, Africæ, Ægypto, Persidæ, & Turcarum Imperio.

(138) Ex hoc colligunt nonnulli Sulpicium statuisse Nehemiam esse ex Tribu Juda. At non hoc dicit, & Judæum vocat, qui ex una duodecim Tribuum. Nec aliunde quam ex II Maccab. 1. 21. probari potest Sacerdotem ex Tribu Levi fuisse. Longævitatis ejus argumentum est, quia jam anno primo Cyri cum Esdra reversus est Hierosolymam. Ab eo autem ad XXXII. Artaxerxis Longimani, ad quem Nehemias pervenit, fluxere anni XCVI. Ergo hoc tempore Nehemias minimum CXVI. annorum. Hoc argumentum posset aliquem movere, ut existimares duos fuisse Nehemias. Sed quia plerique Interpretes contra sunt, nolim id pro certo asserere.

(139) In textu Hebræo Nehemiæ est, percontatum fuisse Nehemiam אנשי מיהודה *viros à Juda vel ex Juda*, idest, homines ex regione Juda, ex Judæa, venientes.

paternæ urbis (140) status esset; ubi comperit, in iisdem ruinis jacere patriam, totis sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lacrymis orasse ad Deum traditur, delicta gentis suæ reputans, misericordiamque divinam efflagitans. Igitur cùm eum Rex inter epulas mœstum extra solitum (141) animadvertisset, poposcit ab eo, caussam dolorum ut exponeret. Tum ille adversa gentis suæ, & ruinam civitatis deflere, quæ jam per annos ferè ducentos & quinquaginta solo strata, malorum testimonium, spectaculum inimicis præberet: daret sibi eundi, & restituendæ ejus potestatem. Paruit Rex piis precibus: statimque eum cum præsidio equitum quò tutius iter ageret, (142) dimisit: datis ad Prætores epistolis, ut necessaria præberent. Is cùm Hierosolymam pervenisset, viritim populo opus urbis distribuit, & certatim jussa omnes curabant; jamque ad medium machinæ processerant, cùm (143) flagrante invidia gentium vicinæ urbes (144) conspirant opera interrumpere, Judæos ab ædificando deterrere. Sed Neemias dispositis adversum incursantes præsidiis, nihil territus, cœpta explicuit: consummatoque & valvis portarum perfectis, (145) per familias construendis interius domibus (146) urbem dimensus est. (147)

Censuitque populum minimè urbi parem. (x) Neque enim ampliùs quàm ad quinquaginta millia (148) promiscui sexus atque ordinis reperta. Tantum ex illo quondam immani numero frequentibus bellis absumptum, aut captivitate detentum. Nam olim hæ duæ Tribus, (149) quarum hoc residuum fuit, cùm ab his decem Tribus separatæ sunt, CCC. & XX. millia virorum armaverant. Adeò ob peccatum internecioni & captivitati datæ (150) ad hanc usque paucitatem devenerant. Sed hæc, ut dixi, plebs duarum Tribuum fuit: decem verò prius ductæ,

Regis, cùm esset Susis, rogavit Hanani de statu Judæorum, qui remanserunt in Babylonia de captivitate Hierusalem, qui respondit: *eos in afflictione magna esse, & opprobrio, & murum Hierusalem dissipatum, & portas urbis combustas jacere.*

Totis sensibus conturbatus cum gemitu, multisque lacrymis orasse ad Deum traditur.) Sic enim ipse subsequitur narrando: *Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli, & dixi: Quæso Domine, &c.*

Igitur cùm eum Rex inter epulas mœstum extra solitum animadvertisset.) Quippe dixit Rex: *Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est.*

Tum ille adversa gentis suæ, & ruinam civitatis deflere.) Verba, quibus patriam deploravit, hæc fuere: *Quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ ejus combustæ sunt igni?*

Quæ jam per annos ferè ducentos & quinquaginta solo strata.) Ad summam Sulpicii sunt anni ducenti quinquaginta octo: quare rectiùs diceretur, *annos ferè ducentos sexaginta*, atque ita post loquutus est.

Daret sibi eundi, & restituendæ ejus potestatem.) Postulati hujus hæc verba fuerunt: *Si placet servus tuus ante faciem, ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam, dixitque ei Rex, & Regina, quæ sedebat juxta eum, usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? Et placuit ante vultum Regis, & misit me, & constitui ei tempus.*

Cum præsidio equitum) Misit enim cum eo Principes militum, & equites.

Datis ad Prætores epistolis.) Nempe epistolam *ad Asaph custodem saltus Regis, ut daret ligna.*

Cœpta explicuit.) Cùm *media pars juvenum faceret opus, & media parata esset ad bellum, & una manu sua faceret opus, altera teneret gladium.*

Consummatoque, & valvis portarum perfectis.) Crediderim desiderari, *muro*, ut sit *consummatoque muro*. Sic enim Nehemias: *Postquam ædificatus est murus, & posui valvas.*

(x) Urbe restituta Neemias populi numerum, quantus esset, recensuit, sic enim Neemias loquitur cap. VII. *Deus autem dedit in corde meo, & congregavi Optimates, & Magistratus, & vulgus, ut recenserem eos, & inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, & inventum est in eo omnis multitudo quasi vir unus quadraginta duo millia sexcenti sexaginta absque servis, & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos cantores, & cantatrices ducenti quadraginta quinque*, atque ita rectè dixit: *ad quinquaginta millia promiscui sexus, atque ordinis reperta.*

Nam olim hæ duæ tribus CCCXX. millia virorum armaverant.) Lege, *CLXXX. millia*, sic enim supra scriptum est ex libro Regum, error ex notis natus CCCXX. & CLXXX.

Decem vero prius ductæ per Parthos, Medos, Indos, atque Æthiopas dispersæ nunquam in solum patrium sunt regressæ) Contra censet Theodoritus in Ezechielem inquiens:

Nemo dicat, ædificationem Hierusalem ad Israel non pertinuisse, cùm jampridem à Tribu divisus esset, namque post reditum haud mansit illa divisio. Verum concordes, & unanimes omnes, qui reditum consequuti fuerunt, degebant, Hierusalem metropolim incolentes. Huic verò, nescio, an sit assensus præbendus.

(140) Idest, patriæ. Aut *paterna*, quoniam à patribus habitata, hoc est, a majoribus ejus. Sic traditio paterna, quæ a majoribus tradita. Nam hos patres Hebræi vocant.

(141) Pro *præter solitum*. Plautus Amphit. II. 2. 223. *Extra te unum*. Terentius Phorm. I. 2. 48. *Extra unam aniculam*.

(142) Agere iter phrasis est minus usitata, tamen Sulpicius utitur etiam Dialog. II. Segm. 4. *iter cum eo, dum Dioecesim visitat, agebamus*. Nec Ovidius de Arte Am. lib. II. eam abhorruit.

Agere iter pro *facere* dixit, & in lib. de vitâ Mart. cap. 12. itemque Dial. II. cap. 3. Sed & Ovidium lib. II. de Arte Am. sic locutum, observatum est.

(143) *Cum* vel *quum* in mediâ periodo usurpare & alii solent: quâ de re & supra monuimus. Vide & Indicem in Nepotem.

(144) Arabum, Ammonitarum, Samaritanorum, & Azotiorum. *Drus.* Addit Josephus: καὶ πάντες ἐν τῇ κοίλῃ Συρίᾳ νεμόμενοι. Principes conspirationis fuerunt Sanballat Horonites, Tobias Ammonites, Gosem Arabs. Porrò sciendum duplicem fuisse Sanballat. Quorum unus socer Manassis, primi Samaritanorum in monte Garizim Pontificis, qui tempore Alexandri Magni vixit. Joseph. II. 7. 8. Alter contacetur Nehemiæ, socer Jojadæ, regulus Moabitidis, qui alterum illum annis CIX. antecessit. *Salianus*. Cæterùm memoria & genus hujus Sanballati adhuc in Oriente superest. Apud Halebum Civitas Achilles est, cujus Princeps vocatur Ibn Sunabolar, idest, filius Sanballeti, & se ortum dicit ab hoc Sanballeto. Familia ejus vocant se invicem *Ammogli*, idest, frater Ammonita. Nam dicunt se ortos ab Ammonitis. *Perch.*

(145) Videtur aliquid excidisse, & quidem vox *muro*; quo de & Sigonius monuit. Sanè historia Nehemiæ distinctè, & de muro, & de valvis prodidit.

(146) Interiùs, idest, in urbe & intra muros.

(147) Manifestum est, legendum esse *dimensus est*; quâ de re & alii monuerunt.

(148) Pari modo pag. 54. *Non ampliùs quàm ad triginta & duo millia*. Ad quod vide Notas num. 328.

(149) Juda & Benjamin. Adde si Tribum Levi, quæ hoc residuo etiam continetur. Nam unà cum duabus abducta, cum iisdem postliminio rediit in terram patriam.

(150) Dictum ita: ut *morti dare, neci dare, letho dare*; quibus itidem sæpe usus est noster.

ductæ, per Parthos, Medos, Indos, atque Æthiopas dispersæ, nunquam in solum patrium sunt regressæ: (151) hodieque barbararum gentium imperiis continentur.

SUPPUTAT TEMPORA.

Sed consummatio restitutæ urbis XXX. & II. Imperii Artaxerxis anno refertur. (y) A quo tempore usque ad Christi Crucem, idest, Fusium Geminum, & Rebellium Consules, anni CCCXC. & VIII. Ceterùm, à restitutione Templi usque in eversionem, (152) quæ sub Vespasiano Consule Augusto, per Titum Cæsarem consummata est, anni CCCCLXXX & III. Prædictum id olim à Daniele, qui ab instauratione Templi usque in eversionem LX. & IX. hebdomadas futuras pronunciaverat. A die autem captivitatis Judæorum, usque in tempus restitutæ civitatis, fuerunt anni CCLX.

HISTORIA HESTER JUDÆÆ MULIERIS IN PERSIDE.

Hoc temporum tractu, Hester, atque Judith fuisse arbitramur. (z) Quarum quidem actus, quibus potissimum Regibus connectam, non facilè perspexerim. Nam cùm Hester sub Artaxerxe Rege referatur, (153) porrò duos hujus nominis Persarum Reges fuisse reperi, molta cunctatio est, cujus hæc temporibus applicetur. Mihi tamen visum est, huic Artaxerxi, (154) sub quo Hierosolyma est restituta, Hester historiam connectere, quæ ante fuit verisimilis: (155) ut

(y) Inferit supputationem Temporum, qua nihil utilius, si rectè concepta sit. Hoc item ex Neemiæ libro expressum, qui inquit cap. V. *A die illa, quam præceperat Rex mihi, ut essem Dux in terra Juda ab anno vicesimo usque ad annum tricesimum secundum Artaxerxis Regis per annos duodecim ego Neemias, & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus*. Verùm de Artaxerxe primo intelligendum, non secundo, ut Sulpicius.

A quo die usque ad Christi crucem, idest, Fusium Geminum, & Rubellium Consules anni CCCXCVIII.) C. Fusius Geminus, & C. Rubellius Geminus Consulatum gesserunt anno urbis conditæ DCCLXXXII. At verò tricesimus secundus Artaxerxis secundi incidit in annum urbis fermè CCCLXXVIII. itaque tot fermè anni intermedii sunt, nisi si quid propter diversas supputationes variet.

Ceterùm à restitutione Templi usque in eversionem, quæ sub Vespasiano Consule Augusto per Titum Cæsarem consummata est, anni CDLXXXIII. prædictum id olim est à Daniele, qui ab instauratione Templi usque in eversionem sexaginta novem hebdomades futuras pronunciaverat.) Hic neque à liberatione Judæorum sub Cyro, neque à restitutione urbis sub Artaxerxe; sed a restitutione Templi sub Dario incipit hebdomades Danielis: easque neque ad baptismum, neque ad mortem Christi, sed ad eversionem Templi perducit. Eversio autem, cujus meminit, sub Vespasiano facta est anno urbis DCCCXXIII. si autem regrediaris, quousque expleas annos CDLXXXIII. pervenies ad annum urbis CCCXXXIII. tum verò ex Eusebii auctoritate Darius Ochus Regnum obtinuit, quo regnante Templum restitutum Sulpicius censuit anno ejus sexto. In eadem propè sententia fuit Eusebius, qui scribit: *Si quis ab anno XXXII. Artaxerxis Longimani hebdomadas à Daniele scriptas numeret, quæ faciunt annos CDXC. reperiet eas in Regno Neronis expletas, sub quo obsideri Hierusalem cœpta, secundo postea Vespasiani anno capitur.*

A die autem captivitatis Judæorum usque in tempus restitutæ civitatis fuerunt anni CCLX) Omnino tot sunt ab undecimo anno Sedeciæ Regis, si septuaginta ab illo usque ad Cyrum annos efficias, atque inde usque ad vicesimum annum Artaxerxis secundi progrediaris.

(z) Hoc loco intertexit duas historias nihil ad id, quo de agitur, pertinentes, Hester, & Judith. Extant quippe inter sacros libros libri duo, unus, qui historiam Hester; alter, qui Judith continet. Quæ ambæ Hebrææ fuerunt, egregiæ indolis atque ingentis animi fœminæ, Hester uxor Regis Artaxerxis Mardochæum patruelem, & Judæos omnes in ditione Regis sitos periculo mortis illis ab Haman Principe Regis parata exemit, atque Haman ei cruci suffigendum curavit, quam ille Judæorum populo destinarat. Judith vidua in castra hostium profecta blanditiis gratiam Olophernis Ducis adepta, illum per noctem obtruncavit, & ad suos incolumis reversa auctor rei bene gerendæ illis fuit. Diu verò disputatum est, quorum nam Regum tempore utrumque acciderit; neque enim ipsæ historiæ satis disertè se explicant. Sulpicius Hester Artaxerxi secundo annectit, Judith verò Dario Ocho, qui illum excepit, & propterea in hanc partem eas conjecit.

Quarum quidem actus, quibus potissimum Regibus connectam, non facilè perspexerim. Nam cùm Hester sub Artaxerxe Rege referatur, porro duos hujus nominis Persarum Reges fuisse reperi.) Quærit primùm quonam Regum imperante Hester floruerit, & quoniam dicitur fuisse uxor Regis Artaxerxis, duo verò fuerunt, ut sæpius diximus, Longimanus, & Mnemon, utri in matrimonio collocata hæc tanta paravit.

Mihi

(151) Non quidem tantis agminibus in patriam regressæ sunt decem Tribus, quantis duæ alteræ; sed certum tamen, ex ipsis quoque decem Tribubus aliquos rediisse. Hinc enim factum, ut circa tempora nati Christi adhuc sciri potuerit, quis ex Tribu Aser, aut ex aliâ oriundus esset.

(152) Restitutionem Templi, ut supra adparuit, factam putat sub Dario Notho. Quod quia falsum est, & restitutio sub Dario Hystaspis facta; necesse est, numerum sequentem quoque annorum CCCCLXXXIII. non rectè se habere.

(153) Quòd Estherem sub Artaxerxe vixisse scribit, adludit ad Interpretes Græcos, qui Ahasverum, sub quo fuisse eam sacræ literæ prodiderunt, Artaxerxem vocant. Deinde, quia duos ejus nominis Reges Persarum fuisse ex historiâ profanâ constat, Estherem posteriori, idest, Mnemoni æqualem fuisse noster putat.

(154) Multæ, præter Sulpicianam, opiniones de Assuero illo sunt, Estheræ marito. *Hebræi* in Seder Olam, censent fuisse Cambysem, adduntque Estheram fuisse matrem Darii Hystaspis. Item Vatabl. Genebr. *Joseph.* Cajet. Bellarm. Salianus, Artaxerxem Longimanum. *Serarius* & Gordonus, Artaxerxem Ochum. *Scaliger* Xerxem. *Megalilener*, Lyra, R. Salomo, Aben Esra, Darium Hystaspis. Omnes hæ opiniones suis laborant incommodis. Amestris crudelissima fœmina fuit. *Herodot.* VII. & IX. Ergo non Esther, nec Assuerus Xerxes. Aliæ in Mardochei & Estheræ ætatem nimium impingunt. Darius Hystaspis præferendus videtur. Quia uxor ejus Atossa. *Herod.* At Esther *Hadassa* vocatur Esth. II. 6. Quod vero Herod. Cyri filiam vocat, facile, ut in peregrino excusari potest.

(155) Quod Sigonius emendavit: *Quia haud fuit verisimile*, bonum factum: itemque quod pro *cujus tempora complexus est*, legendum censuit: *Qui ejus tempora complexus est*. Ceterùm quòd vocalem *ut* repudiat, & pro *retulisset* legit *retulisse*, id non placet. Nimirum non observavit ille, aut non recordatus est, vocolam *ut* subinde pro *quod* poni. Multa hujus generis prodidimus in libro de Latinitate falsò susp. pag. 247., & seqq. Quibus addatur illud Justini lib. XI. cap. 3. *Jurejurando se omnes obstrinxerant, ut victis Persis Thebas diruerent*, pro *quod victis Persis Thebas diruere vellent*. Idemque illud ejusdem Justini lib. IX. cap. 2. *Non modo (ut postulat) verum etiam ut inviolata maneat, pollicetur*, pro *quod inviolata mansura esset, pollicetur*. Pari modo igitur a Sulpicio scriptum credatur: *Haud fuit verisimile, ut, si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ejus tempora complexus est, nullam tam inlustris fœminæ mentionem retulisset*, pro *Haud fuit verisimile, quòd, si sub priore Artaxerxe fuisset, nullam ejus mentionem retulisset.*

ot si sub priore Artaxerxe fuisset, cujus tempora complexus est, (156) nullam tam illustris fœminæ mentionem retulisset, maximè cùm ab illo Artaxerxe inhibitam Templi ædificationem, sicut supra memoravimus, constet: neque Hester passura fuerit tum, si in illius matrimonio tum fuisset. Nunc gesta edisseram. Erat ea tempestate Regi in matrimonio Vastis quædam, (157) miræ fœmina pulchritudinis. Cujus cùm formam omnibus prædicaret, diequodam cùm publicum convivium (158) dabat, adesse Reginam demonstrandæ pulchritudinis gratiâ (159) jubet; illa verò stulto Rege (160) consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere, jussa abnuit. Qua contumelia barbarus animus (161) permotus, uxorem matrimonio ac regia depellit. Igitur cùm in locum ejus puellator Regia conjugio quærerent, reperta est Hester ceteras specie vincere. Hæc Judæa, ex Tribu Benjamin, (162) utroque parente orba, à Mardochæo patruele fratre edocta, (163) cùm ad regales nuptias duceretur, mandante educatore, genus ac patriam occultavit: admonita, ne paternarum traditionum immemor, etsi in matrimonium alienigenæ captiva succederet, gentilium (164) cibis participaret. Igitur juncta Regi, brevì (ut fit) vi pulchritudinis totum ejus animum facilè cepit: adeò ut eam æquatam imperio (165) insigni regio, veste purpurea donaret. (166) Qua tempestate Mardochæus

Mihi tamen visum est, huic Artaxerxi, sub quo Hierosolyma est restituta, Hester historiam connectere, quæ ante fuit verisimilis, ut si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ejus tempora complexus est, nullam tam illustris fœminæ mentionem retulisset, maximè cum ab illo Artaxerxe inhibitam Templi ædificationem, sicut supra memoravimus, constet.) Sententiam suam interponit, sed verba, atque sententiam laceratam sumpsit ab Eusebio in Chronicis, qui ita scribit: *Ea, quæ de Hester, & Mardochæo scripta sunt, quidam affirmant sub Artaxerxe Longimano Rege gesta, quod ego non puto; nunquam enim Esdram de Hester siluisse, qui scribit, hoc tempore Esdram, & Neemiam reversos ex Babylone, & ea deinceps consecuta, quæ ab his gesta feruntur.* Hoc idem ergo dixit Sulpicius, sed librariorum injuriâ depravatus est. Quare ego ita legendum censeo: *Mihi visum est huic Artaxerxi, sub quo Hierosolyma est restituta, Hester historiam connectere, quia haud fuit verisimile, si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ejus tempora complexus est, nullam tam illustris fœminæ mentionem retulisse.* Josephus tamen hanc historiam Artaxerxi primo, idest, Longimano annectit. Neutrum tamen verem esse videtur. Nam S. Athanasius in Synopsi hæc in captivitate acta fuisse ait, quæ fuit sub Sedecia.

Maxime cum ab illo Artaxerxe inhibitam Templi ædificationem, sicut supra memoravimus, constet.) In hoc error maximus insidet, quod ædificationem ab Artaxerxe Longimano inhibitam putat, cùm à Cambyse fuerit, quem Assuerum, & Artaxerxem Esdras appellavit. Consentit ergo cum Eusebio, qui & ipse censet sub Artaxerxe Mnemone hæc administrata esse. Nam ita post addidit: *Sub Artaxerxe Mnemone mihi videtur historia, quæ in Hester libro continetur, expleta; ipse quippe est, qui ab Hebræis Assuerus, & septuaginta Interpretibus Artaxerxes vocatur.*

Erat ea tempestate Regi in matrimonio Vastis quædam.) Narrat primùm, ut Rex Assuerus offensus moribus Reginæ Vastis eam dimiserit; inde, ut Hester Hebræam puellam forma præcellentem sibi copularit.

Adesse Reginam demonstrandæ pulchritudinis caussâ jubet.) Nempe præcepit eunuchis septem, ut introducerent Reginam Vastim coram Rege posito super caput diademate, ut ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem illius; erat enim pulchra valde, cap. I.

Virorum oculis spectaculum præbere jussa abnuit.) *Renuit, & ad Regis Imperium venire contempsit.* Ibidem.

Uxorem matrimonio, ac Regia depellit.) Quippe *ex consilio sapientis Mamuchæm jussit, ut nequaquam ultrà Vastis ingrediatur ad Regem, sed regnum illius altera, quæ melior sit illa, accipiat.* Ibidem.

Reperta est Hester ceteras specie vincere. Hæc Judæa ex Tribu Benjamin, utroque parente orba; à Mardochæo patruele fratre educta.) Res ita narratur in libro Hester. *Mardochæus fuit Judæus in Susan civitate, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Hierusalem eo tempore, quo Jechoniam Regem Juda Nabuchodonosor Rex Babylonis transtulerat, qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Hester, & utrumque parentem amiserat, pulchra nimis, & decora facie, mortuisque patre ejus, ac matre, Mardochæus eam sibi adoptavit in filiam; cùmque juxta Regis mandatum multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egæo traderentur eunucho, Hester quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero fœminarum, quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius*, cap. II. Sulpicius inquit, Mardochæum puellæ fratrem patruelem fuisse; cùm dicat Scriptura patruum extitisse.

Mandante educatore genus, ac patriam occultavit.) Ibidem. *Nec dum prodiderat Hester patriam suam, et populum suum juxta mandatum ejus.*

Ne gentilium cibis participaret.) Hinc ipsa dixit cap XVI. ad Deum. *Tu scis, quòd non comederim in mensa Haman, nec mihi placuerit convivium Regis, & non biberim vinum libaminum.*

Et

(156) Rectè, ut dixi, emendavit Sigonius: *Qui ejus tempora complexus est.* Intelligitur autem Auctor libri Esdræ, qui eam in cap. IV. nomine Artaxerxis Artaxerxem Longimanum designare noster putat.

(157) Quæ apud Josephum Ἀστη. Fuit filia Hystaspis. *Serarius.* Vel Cyri, quam Herodotus III. vocat Artystonam. Quod nomen alludit ad Vasthi.

(158) Eoque proceres suos excipit, cùm appararet expeditionem in Græciam. Esther I. Etiam Romani Imperatores sæpe epulis excepere cum Senatu plebem. *Statius* in epulo Domitiani;

Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille, simul jussit discumbere mensis.

(159) Non liquet de eo, quòd Vastim demonstrandæ pulchritudinis ejus gratiâ à Rege arcessitam scribit: videturque hoc ex conjecturâ adjecisse.

(160) Ob temulentiam, quæ semel anno Regibus Persarum permissa festo Solis. *A Lapide.*

(161) Persæ sunt barbari, maximè zelotypi, & in uxores feri. *Plutarch.* in Artaxerxe.

(162) Sic & Joseph. Et ipsa & Mardochæus fuerunt ex genere Saulis, & stirpe Regia. Ergo Esther fuit filia Cis, pro quo Herodotus III. habet, filiam Cyri. Nam non noverat ipse Cis, neque Atossam ... fuisse Judæam. *Serarius.*

(163) *Patruelem fratrem*, & supra nominavit aliquem, idque imitatione Ciceronis, qui in quinto ... sic habet; *Frater noster cognatione patruelis, amore germanus.* Adlusit autem ad illud, quòd Interpretes Græci in cap. II. lib. Esth. v. 7. sic habent; θυγάτηρ Ἀμιναδὰβ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Si Esther filia fuit fratris patris Mardochæi, necesse est Mardochæum Estheræ fratrem patruelem fuisse. Sed in textu Hebræo est vocula דוד, quæ paulò generalior videtur.

(164) Quære unde habeat. Gentiles autem dicit gentes, ut antea notatum. Sic in vita Martini, Segm. X *gentilium turba*, & Segm. XVI *Profani ac gentilis domum adire posse*; & alibi: *parentibus secundùm seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen.* Hinc gentilitas gentium religio. Ibid. Segm. III. *Matrem gentilitatis absolvit errore*; & paulò ante: *parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat*; & Segm. XVI. *Nam Tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur.* Alius paganismum diceret.

Vide supra Notas in pag. 115. num. 134.

(165) Legendum fortasse *æquatam sibi imperio.* Sanè capite proximo sequente dicit: *Quem æquatum sibi adorari præceperat.* Minimum autem vox *sibi* subaudienda fuerit.

(166) Et aliis Reginarum donis. Dedit igitur ei ἀποκαλυπτήρια. Anthyllam urbem Regis Persarum uxoribus in calceamentum datam, ait Herodotus II.

dochæus inter proximos Regis erat, (167) pro virili portione negotiorum familiarium curator. Is compositas à duobus spadonibus Regi insidias prodiderat: atque ex eo carior, summisque honoribus donatus. Erat ea tempestate Regi Haman quidam perfamiliaris: quem æquatum sibi, adorari more Regum præceperat: (168) Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se graviter accenderat. (169) Igitur Haman ad perniciem Hebræi animam intendens, Regem adit: affirmatque esse in Regno ejus hominum genus, pravis superstitionibus Deo hominibúsque invisum, externis legibus vivens (170) dignum exitio. Regum esse, omnes hujus gentis internecioni dare: exque eorum bonis immensas opes pollicetur. Facilè id barbaro persuasum. (171) Edictum emittitur, Judæos necandos. Missique continuò, qui per omne Regnum ab India usque Æthiopiam (172) edictum promulgarent. Id ubi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obvolvitur: conspersusque cinere pergit ad Reginam, ibique ejulatu multo, cuncta questibus replet: Facinus indignum, immeritam gentem perire, (173) neque ullam pereundi caussam dari. Hester lamentantis voce excita, rem, ut erat, cognoscit. Tum verò anceps consilii, quia adeundi Regem potestas non erat (etenim more Persarum, Reginæ in-

Is compositas à duobus spadonibus insidias prodiderat.) Capite II. *Bagatan, & Thares eunuchi duo voluerunt insurgere in Regem, & occidere eum. Quod Mardochæum non latuit, statimque indicavit Reginæ Hester.*

Erat ea tempestate Regi Haman quidam perfamiliaris.) Capite III. *Post hæc Assuerus exaltavit Haman filium Adamathi, & posuit solium ejus super omnes Principes, quos habebat, cunctique servi ejus, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Haman. Sic enim præceperat eis Imperator.*

Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens.) *Solus Mardochæus non flectebat genua, neque adorabat eum.* Ibidem.

Odia Persæ in se graviter accenderat.) Ibidem. *Iratus est valde Haman, & pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas.*

Regem adit, affirmatque esse in Regno ejus hominum genus pravis superstitionibus Deo, hominibusque invisum.) Verba ejus fuere: *Est populus per omnes provincias Regni tui dispersus, & à se mutuo separatus novis utens legibus, & ceremoniis, super Regis scita contemnens.* Hæc verba tempus captivitatis indicant, ut censuit S. Athanasius, et fieri potest, ut non omnes domum reverterint, sed multi in Babylonia, & Media remanserint, quibus postea Alexander Magnus libertatem indulsit.

Rectum esse omnes hujus gentis internecioni dare, exque eorum bonis immensas opes pollicetur.) Addit: *Si tibi placet, decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arariis gazæ tuæ.*

Facilè id barbaro persuasum.) Dixit enim: *Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet.*

Edictum mittitur, Judæos necandos.) *Scriptum est ex nomine Regis Assueri, & litteræ signatæ ipsius annulo missæ sunt ad universas provincias, ut occiderent, atque delerent omnes Judæos à puero usque ad senem, & parvulos, & mulieres.*

Id ubi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obvolvitur, conspersusque cinere pergit ad Reginam.) Capite IV. *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco spargens cinerem capiti, & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & cum ejulatu usque ad fores palatii gradiens.*

Hester lamentantis voce excita.) Nam *audiens consternata est, & vestem misit, ut ablato sacco indueret eam, quam accipere noluit, deinde caussam questus per Athach eunuchum ad eum missum cognovit.*

Anceps consilii.) Sic enim loquuta est: *Ego quomodo ad Regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum.*

Etenim more Persarum Reginæ introire ad Regem nisi accersitæ non licet.) *Immo omnes servi Regis, & cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quòd sive vir, sive mulier non vocatus interius atrium Regis intraverit, absque ulla cunctatione, statim interficiatur.* Ibidem.

Juve-

(167) Sic & supra pag. 98. *Omnibus Regis proximis antelati.* Et pag. 100. *Regis proximum adpellat.* Ad quem locum diximus tales & *amicos Regum* à Latinis dici. An verò Mordochæus proximus, atque amicus, idest, primarius Minister Regis tum omnino fuerit, de eo ex ipsis Sacris literis non constat: & videtur Auctor hoc ex conjectura addidisse.

(168) Persarum. Justinus VI. *Conon à Regis conspectu & colloquio prohibitus, quòd eum more Persarum adorare nollet.* Lampridius in Alexandro Severo: *Adorari se vetuit Regum more Persarum.* Nam mos adorandi talis erat. Genuflexo, proni procumbentes in terram, fronte humum feriebant, ac terram osculabantur. *Curt.* V. & VIII. *Valer. Maxim.* VIII. 3. *Joseph.* XX. 3. *Martial.* X. ep. 72. Ac Reges quidem, ut Deos venerabantur, & pro talibus eos habebant. *Xenoph. Strabo* X. & alii. De quibus vide Brissonium I. de Regno Persarum. Sed Haman, quanquam Regio honore, non tamen ut Deus cultus, sed civili solum honore, eoque eximio.

Sic & pag. 30. *More Regio adoram.* Alii dicunt etiam *adorare more Persarum*, aut *more Regum Persarum.* Justinus lib. VI. *Conon à Regis conspectu & colloquio prohibitus est, quòd eum more Persarum adorare nollet.* Lampridius in Alex. Severo: *Adorari se vetuit Regum more Persarum.* Vide Notas in eamd. pag. num. 148.

(169) Hamanem Persam vocat, qui in Sacris literis אגגי *Agageus* vocatur. Vide Esth. III. 1. Unde quidam conjiciunt, ex stirpe Regiâ Amalekitarum, quorum aliquando Rex Agag nomine fuit, oriundum illum fuisse. Porrò nomine gentili utitur pro proprio: quomodo & mox *Hebræum* dicit pro Mardochæo. Estque hoc Auctoribus solemne prorsus, ut nomen gentile atque adeò commune, pro proprio ponant. Nepos hujus generis quæ habet, notata sunt in Indice ad vocem *Leo.*

(170) Josephus: Ἔθνος ἄμικτον, ἀσύμφυλον, οὔτε θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, οὔτε νόμοις χρώμενον ὁμοίοις, ἐχθρὸν δὲ καὶ τοῖς ἔθεσι, καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τῷ σῷ λαῷ, καὶ ἅπασιν ἀνθρώποις. Et in ipso edicto, quod sequitur: δυσμενὲς ἔθνος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλλόκοτον. Tacitus de Judæis: *Separati epulis, discreti cubilibus.* Cicero pro Flacco: *Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum, à splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat.* Juvenalis:

Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, & metuunt jus.

(171) Rursus nomine communi utitur pro proprio, & *barbarum* vocat Regem Persarum; quem quidem Artaxerxem putat. Sic & Nepos Xerxem, itemque Satrapam Artaxerxis, Tissaphernem, *barbari* nomine designat. Vide itidem, quæ in Ind. ad voc. *Leo* notata.

(172) Omisso *ad*, pro *usque ad Æthiopiam*, quomodo & supra locutus est. Justinus hujus generis multa habet. Vide Indicem in hunc Freinshemii, V. *usque.*

(173) Hoc ex Græcis depromsit, qui Mardochæum clamasse dicunt: αἴρεται ἔθνος μηδὲν ἠδικηκός. Sic & Josephus: ὅτι μηδὲν ἀδικῆσαν ἔθνος ἀναιρεῖται.

introire ad Regem, (174) nisi accersitæ, non licet: nec tamen cùm fuerit Regi libitum, sed statuto tempore admittitur) & fortè tum ita evenerat, ut diebus triginta proximis separata à conspectu Regis Hester haberetur: igitur audendum aliquid pro civibus rata, etsi certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat: invocato prius Domino, aulam Regis (175) ingreditur. At barbarus re insolita perculsus, paulatim blandimento muliebri delinitus: (176) postremò ad cœnam Reginæ perducitur: unàque cum illo Haman ille Regi carus, & Judææ gentis infestus. (177) Igitur cùm jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset. (178) Hester genibus Regis advolvitur, gentis suæ perniciem deprecatur. Rex verò nihil fe-petenti, si quid ultra peteret (179) negaturum pollicetur. Tum Hester arrepto tempore, Hamanis mortem flagitat, in ultionem gentis, quam perditam cupierat. Sed Rex amici memor, paulisper cunctatur: deliberandique gratiâ modicum secessit. (180) Deinde regressus, vidit Haman Reginæ genua complexum succensus ira, & appetitam Reginam clamitans, (181) morte eum affici jubet. Et tum Regi compertum erat, (182) pœnam crucis per Haman Mardochæo paratam. Ita Haman eidem cruci affigitur. (183) Omniaque bona ejus Mardochæo data (184) Judæique sunt absoluti. (185) Artaxerxes regnavit annos duos & sexaginta, eidemque Ochus (186) successit.

HI-

Invocato priùs Domino.) Ibidem: *Indicto omnibus Judæis in triduum jejunio.*

Aulam Regis ingreditur.) Ibidem. *Stetit in atrio domus Regiæ, & intro vocata est à Rege.*

Paulatim blandimento muliebri delinitur.) Ibidem. *Nam placuit oculis ejus*, id est, Regis.

Postremò ad cœnam Reginæ perducitur.) Ibidem. *Hester invitavit Regem ad cœnandum secum. Venit autem & Haman ad convivium, quod ei Regina paraverat.*

Igitur cum jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset.) Capite VII. *Intravit itaque Rex, & Haman, ut biberent cum Regina, dixitque ei Rex secunda die, postquam vino incaluerat. Quæ est petitio tua Hester, ut detur tibi? Etsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.*

Hester genibus Regis advolvitur.) Hoc est Sulpicii.

Gentis suæ perniciem deprecatur.) Deprecatio his verbis concepta fuit: *Traditi sumus ego, & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus. Hostis, & inimicus noster pessimus iste Haman.*

Modicum secessit.) Ibidem. *De loco convivii intravit in hortum arboribus consitum.*

Vidit Haman Reginæ genua amplexum.) Aliquanto suspiciosius rem actam prodit Scriptura. *Haman quoque*, inquit, *surrexit, ut rogaret Hester Reginam pro anima sua. Rex cum reversus esset de horto nemoribus consito, & intrasset convivii locum, reperit Haman super lectulum corruisse, in quo jacebat Hester, & ait; etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea? & dixit, Appendite eum in ligno, quod paraverat Mardochæo.* Opprimere enim est violare apud Scripturam, ut capite XIII. secundi Regum: *Noli frater mi opprimere me, neque enim fas est hoc*, apud Sulpicium legendum: *Ut vidit*

Ita Haman eidem cruci affigitur.) Ibidem; *Suspensus est itaque Haman in patibulo, quod paraverat Mardochæo, & Regis ira quievit.*

Omniaque bona ejus Mardochæo data.) Capite VIII. *Die illo dedit Rex Assuerus Hester Reginæ domum Haman adversarii Judæorum, tulitque Rex annulum, quem ab Haman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo.* Bona ergo ejus data sunt Reginæ, non Mardochæo.

OCHUS REX PERSARUM.

Artaxerxes regnavit annos LXII eidemque Ochus successit.) Legendum est XLII. Probant verba, quæ aliquot post versibus sequuntur: *Hac Ocho regnante, ut opinamur, gesta sunt, anno Imperii ejus duodecimo. A tempore Hierosolyma restitutæ usque in id bellum fuerunt anni duo & viginti.* Sume enim decem annos Artaxerxis, qui post XXXII. relinquuntur, ut regnet annos XLII. his adjice duodecim Ochi, conficies viginti duos.

(174) Imò ulli viro uni fœminæ. Puellæ autem virgines admittebantur per vices. Quòd autem in Sulpicio: *nec tamen cùm fuerit Regi libitum, sed statuto tempore admittitur*, additum videtur ex ingenio ejus. Dubito etiam an cum fide historiæ conveniat. Imò non convenit, si Josepho credimus. Nam Regem dixisse refert: *legem illam in Subditos esse latam; ipsi verò, ut Regni sociæ, licere omnia.* Regis solium circumstabant lictores cum securibus & hastis, ut, si quis non vocatus ingrederetur, eum occiderent, teste Herodoto III. Ammiano XIV. & aliis.

(175) Esth. V. Atrium interius, quod in Aula, quæ in hac Historia non semel Porta vocatur. Sic Imperatores Turcarum hodieque suam Aulam appellant.

(176) Pretendit ei sceptrum aureum, quod qui tangebat, [illegible], ut est apud Josephum.

(177) Non est verisimile, vocabulo *infestus* Auctorem ut nomine substantivo usum esse; ut *gentis infestus* dictum sit, quomodo *gentis inimicus*. Legendum ergo, ut Galenus monuit, *gentis infestus*.

(178) Circuitione usus est, ut significaret id, quod Hebræi dicunt: *in convivio vini*. Darius ille vinosus fuit. Unde sepulchro ejus inscriptum: *Possum multum vini bibere, illudque recte ferre.* Athenæus X.

Sic Cicero dixit *calere judicia*: & Tibullus *calere bella Veneris*, cùm magno fervore exercentur.

(179) Etiamsi dimidiam partem Regni petieris tibi dabitur. *Esther.* V. Mos loquendi Regibus frequens. Sic & Marci VI. 23.

(180) In hortum, Esther. VII. 7. Ceterùm modicum ponit pro *paulisper*, *exiguo tempore*. Ut in Evangelio scriptum: *Modicum adhuc temporis vobiscum sum.* Quem usum vocabuli non quidem ævi Ciceroniani, sed tamen nec planè barbarum ac Sorbonicum cum Carolo Langio dicendum esse, monuit Gerh. Joh. Vossius in lib. de Vitiis Serm. p. 147.

(181) Drusius addit: *ad stuprum*. Quod non consentaneum est historiæ originali. Nam Esth. VII. 8. legitur: Regem quæsivisse, an & Reginam intercipere vellet in Regiâ. Cui rei exprimendæ verbum *adpetere* adprimè congruit. Dicunt enim: *adpetere aliquem gladio, ferro, missilibus, lapidibus*; atque ita verbo isto violentiam significant. Sed & casu tertio omisso, ut subaudito tantùm, dicunt *adpetere aliquem*. Cujus rei exempla tamen nunc non succurrunt. Illud *ad stuprum*, quod Drusius subaudiri volebat, planè incongruum est: & dicendum potius foret, *adpetere aliquam stupro*, quomodo dicitur, *adpetere aliquem telis*.

(182) Ex indicio Harbonæ, qui unus erat ex Eunuchis coram Rege, idest, Regis. Esth VII. vers 9. Is enim ex domesticis Hamani intellexerat, patibulum illud Mardochæo erectum. *Joseph.*

(183) Alludit ad versionem Græcam, quæ habet σταυρωθήτω ἐπ' αὐτῷ. At textus Hebræus habet voculam עץ, quæ tum lignum, tum arborem significat; dicitque adeò Hamanem in ligno, vel in arbore suspensum fuisse. Certe formam crucis Romanæ istud lignum, quod Haman paraverat Mardochæo, & in quo suspensus ipse fuit, non habuit.

(184) Non Mardochæo, sed Esteræ Reginæ, quæ postea Mardochæum eis præfecit. *Esth.* VIII. 1. & 2. *Drusius.* Jus erat Regum Persarum, ut & Hebræorum, elargiri confiscata.

(185) In cujus beneficii memoriam institutum est festum Purim. Quocirca etiamnum Judæi eo die in Synagogis suis quotannis legunt historiam Estheræ & quoties fit mentio Amani, pugnis & malleis pulsant scamna, perinde ac si caput Amani ferirent, uti testatur *Antonius* Margarita libr. de *Ritib.* Judæorum.

(186) Qui & Artaxerxes. *Eusebius* in Chronicis: *Ælianus* de varia historia lib. VI. cap. VIII. Hic plurimos Judæorum in Hyrcaniam ad mare Caspium deportavit, ubi etiamnum habitare creduntur: atque inde aliquando erupturos opinio est. *Orosius* lib. III. cap. VII.

HISTORIA JUDITH MULIERIS JUDÆÆ IN JUDÆA.

Huic rerum ordini rectè Judith (*a*) actus conferam. (187) Traditur enim post captivitatem fuisse; sed quis eo tempore Persis regnaverit (188) historia divina non edidit, (189) Regem tamen, sub quo illa gesta sint, Nabuchodonosor nuncupat, non utique eum, qui Hierosolymam ceperit. Sed nullum hoc nomine post captivitatem apud Persas regnasse reperio, nisi si ob impatientiam & pariles conatus, (190) quicum ille Rex Nabuchodonosor à Judæis vocitatus est. (191) Plerique tamen Cambysen, Cyri Regis filium, putant esse: quòd victor Ægyptum atque Æthiopiam penetraverit. Sed huic opinioni eadem Sacra Historia repugnat. Nam duodecimo Regis illius anno Judith fuisse signatur. Porrò Cambyses non ultra novem annos rerum potitus est. Unde, si in historia opinari licet, sub Ocho Rege, qui post Artaxerxem secundum fuit, hæc gesta crediderim: idque vel ex hoc conjicio, quòd idem Ochus, ut in secularibus quibusdam scriptis legi, (192) natura immitis, (193) cupidusque bellorum traditur. Nam & arma finitimis intulit, & Ægyptum, quæ ante multos annos desciverat, bello recuperavit.

(*a*) Nunc aggreditur narrare historiam Judith, de qua supra dictum est. Summa hujus historiæ fuit. Olopherna duce Nabucdonosor Regis Assyriorum urbem obsidente & servitutem cuncto populo intentante, Judith vidua studio libertatis accensa in castra ejus exiit, atque ipso interfecto urbem imminenti periculo liberavit.

Traditur enim post captivitatem fuisse.) Primùm discutit tempus, quo Judith vixerit, ac multis idoneis rationibus docet, sub Ocho Rege floruisse, post captivitatem autem hoc factum esse colligitur ex epilogo vitæ Hebræorum, qui sequitur, in quo hæc verba sunt: *Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Hierusalem.*

Sed quis eo tempore Persis regnaverit, historia divina non edidit.) Post captivitatem Persæ imperarunt Judæis. Nota Regum eorum nomina sunt; at neminem eorum Scriptura prodit, quæ res difficultatem affert ad tempus hujus historiæ discernendum.

Regem tamen, sub quo illa gesta sint, Nabucdonosor nuncupat, non utique eum, qui Hierosolymam ceperit.) Auget difficultatem, quòd eadem Scriptura nominat Regem, sub quo hæc gesta sint, Nabucdonosor, & quidem alium ab eo, qui Hierosolyma cepit, de quo in monumentis literarum nihil scriptum invenitur.

Sed nullum hoc nomine post captivitatem apud Persas regnasse reperio, nisi si ob impatientiam, & pariles conatus, quicum ille Rex Nabucdonosor à Judæis vocitatus est.) Post captivitatem Judæorum neminem prodidere historiæ Persarum Regem nomine Nabucdonosor, nisi fortasse, inquit, Judæi aliquem ex Regibus Persarum, ut Ochum ob similitudinem morum, & actionum eo nomine appellarint; quemadmodum si quem conjuratorem exempli gratia Catilinam vocaremus. Legendum autem puto: *Nisi si ob impotentiam.* Item, *quicunque ille*, ut sit: *Nisi si ob impotentiam animi, & pares in crudelitate conatus, quicunque ille Rex fuerit, à Judæis Nabucdonosor appellatus sit.*

Plerique tamen Cambysen, Cyri Regis filium putant esse.) Recitat aliorum opinionem, à qua est recessurus; inter eos est Eusebius in Chronicis, & S. Augustinus lib. XVIII. cap. XVI. de civ. Dei. Nam loquens de Cyro ait: *Per idem tempus etiam illa sunt gesta, quæ conscripta sunt in libro Judith, quem sanè in Canone scripturarum Judæi non recepisse dicuntur.* Atque hæc est caussa, cur Josephus Judith non meminerit.

Unde, si in historia opinari licet, sub Ocho Rege, qui post Artaxerxem secundum fuit, hæc gesta crediderim, idque vel ex hoc conjicio, quod idem Ochus, (ut in secularibus quibusdam scriptis legi,) natura immitis, cupidusque bellorum traditur.) Affert conjecturam suam, inquiens, si opinari in historia licet, is fuisse Ochus videtur propter similitudinem morum, & actionum. *Scripta vero secularia* intelligere potest, Justinum, Ælianum, & Plutarchum in Artaxerxe, quorum scriptis nimia Ochi crudelitas celebratur. Justinus: *Hereditas Regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, Regiam cognatorum cæde, & strage Principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus.*

Nam & arma finitimis intulit, & Ægyptum, quæ ante multos annos desciverat, bello recuperavit.) Hoc ab Eusebio sumptum, qui ita scribit: *Ochus anno quartodecimo Ægyptum tenuit, Nectanebo in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum Regnum destructum est, & anno septimo decimo Sidonem subvertit, atque Ægyptum suo junxit Imperio.* Recuperasse autem dicit Sulpicius, quia à Nabucdonosore subacta Ægyptus ad Cyrum pervenerat, inde defectione inita Regem proprium asciverat.

(187) Legendum sine dubio, ut jam alii monuere, *conseram*. Hoc enim vocabulo noster in similibus non semel usus est. Ut infra: *Ut rerum ordo consertus sit.* Item in Epist. II. *Ut est consertus Apostolis & Prophetis.*

(188) De quo magna controversia est. Bellarminus, Seratius, Salianus, Pererius, & alii censent, sub Manasse contigisse, cùm cognatos vel filios Asarhadonis Assyriis, Merodach Baladan Babyloniis imperaret, vel ipsis etiam Assyriis. Sed hæc opinio neutiquam subsistere potest. Quia Pontifex Joacim demum post reditum ex captivitate fuit. *A Lapide.*

(189) Alii dicerent *prodidit*: quo vocabulo & noster usus est non semel. Ut pag. seq. *Mundiales historici prodiderunt.*

(190) Idest, similes. Usus est hac voce Dialogo sexto, Segm. 14. *Visam, certum est, parilem quodammodo columnam ruere cœlo.* Frustra igitur Sigonius reponit *pares*: licèt hoc magis usitatum sit.

(191) Sine dubio unum atque alterum mendum hic est. Et quidem Sigonius pro *impatientiem* legendum censet *impotentiam*, & pro *quicum* legendum *quicumque*; ut sensus sit: *Nisi si ob impotentiem & crudelitatem, quicumque ille Rex Persarum fuerit, à Judæis Nabuchodonosor vocitatus est.* Porrò *nisi si* eleganter pro *nisi* posuit. Ut Terentius Eun. V. 2. *Nisi si commissum non erit.*

Sigonius legendum putat *pares*; quasi *pariles* nostro non satis digna vox sit. At usus eodem vocabulo est in Dial. III. cap. IX. *Visam, certum est, parilem columnam ruere de cœlo.* Sed & antiquiores eo usi sunt. Ovidius I. Trist. el. 7. *Accipere & parili reddere voce Vale.*

(192) Pari modo paulò post: *Scriptores secularium literarum.* Nec dissimile est illud alterum, quod sequitur: *Mundiales historici prodiderunt.* Nimirum profana, & non sacra vocat *secularia*; & historicos profanos vocat *mundiales*. Notandum autem, *seculares* idem planè hic esse, quòd *mundiales*, idest, ad mundum pertinentes. Observatum enim est, nostrum, itemque ceteros Scriptores Ecclesiasticos alios, mundum vocare *seculum*; & porrò quod ad mundum pertinet, *seculare*. De cujus adpellationis origine dictum est supra ad pag. 27. lib. I. Aliis Scriptoribus, ut notum est, *seculare* longè aliud significat: ut cùm dicunt *carmen seculare*, *ludi seculares*.

(193) Infra: *fuit autem* (Ochus) *ultra omnes cruentus, & plusquam barbaro animo.* Nam, ut alia omittam, sororem Ocham, eandemque & socrum, vivam capite defodit: patruum cum centum liberis ac nepotibus, telis imperavit transfigi, quòd in his maximam apud Persas probitatis laudem consistere videret. Ælianus de varia historia lib. XI. cap. XVII. Οἱ ἐν Πέρσαις μάγοι προεῖπον τὴν τοῦ Ὤχου περὶ τοὺς ὑπηκόους ἀγριότητα καὶ τὸ φονικὸν αὐτοῦ. Justinus: *Hereditas Regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, Regiam cognatorum cæde, & strage Principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis, misericordia permotus.*

peravit. Quo tempore etiam sacra eorum, & Apim in Deum receptum, (194) irrisisse traditur: (195) quod postea Baguas, spado ejus, natione Ægyptius, indignatus contumeliam gentis morte Regis ultus est. Meminit autem hujus Baguæ Historia Divina. Nam cùm Olophernes, jussu Regis adversùs Judæos duxerat exercitum, Baguam in iisdem castris fuisse memoravit. Unde non immerito in argumentum nostræ opinionis adduxerim, ut Rex ille Nabuchodonosor nuncupatus, Ochus fuerit, sub quo Baguam fuisse (196) mundiales historici (197) prodiderunt. Ceterùm illud nemini mirum esse oportebit, (198) quòd scriptores secularium literarum, nihil ex his, quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt: Dei Spiritu prævalente, ut intaminata ab ore corrupto, & falsis vera miscente, intra sua tantùm mysteria contineretur historia, quæ separata à Mundi negotiis, & sacris tantùm vocibus proferenda, permisceri cum aliis velut æquali sorte non debuit. Etenim erat indignissimum, ut alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miscerentur. Sed pergam ad cetera, ac per Judith gesta, (199) ut potero, paucis absolvam.

Igitur reversis, ut supra memoravimus, in solum patrium Judæis, nec dum composito rerum aut urbis statu (*b*) Rex Persarum Media bellum infert, (200) atque adversùs Regem eorum

Quo tempora etiam sacra eorum, & Apim in Deum receptum irrisisse traditur.) De Api culto ab Ægyptiis sic Diodorus lib. I. *Tauros sacros, hunc quendam Apim, alterum Mnevim nominatos, sacrificant Osiridi, quos etiam veluti Deos Ægyptii omnes colunt. Hos enim animali tritici inventoris multum adjutos se asserunt, & ad serendum, & ad communem agrorum culturam.* De irrisione Ochi sic Ælianus lib. IV. variæ historiæ: *Cum Ægyptii Ochum Regem non Ochum, sed Onum vocarent, idest, asinum, ille Apim ut ereptum asino immolavit.*

Quod postea Baguas, spado ejus, natione Ægyptius, indignatus, contumeliam gentis morte Regis ultus est.) Baguam Ægyptium interfecisse Regem Ochum ob irrisum Apim, & contemptam Ægyptiorum religionem, apud eundem Ælianum est scriptum lib. VI.

Meminit hujus Baguæ historia divina.) Meminit infra cap. XIII. nominat eum *Vagao*. Quare si Baguas minister fuit Ochi, & Nabucdonosor, idem fuit uterque eorum.

Ceterum illud nemini mirum esse oportebit.) Occurrit eis, qui negant hæc vera esse, quia in historiis gentilium non inveniantur; idque divino consilio factum ait, ne res divinæ pollurentur. Josephus aliquot ex gentilibus divina tangere conatos scribit a Deo perculsos fuisse. Ptolemæus de Demetrio Phalereo quærens, cur nemo historicus, aut Poeta sacræ scripturæ, cujus tanta dignitas esset, mentionem fecisset, respondit, neminem fuisse ausum attingere, quia Theopompus id aggressus mente captus fuisset, & in somnis monitus fuisset id factum, quòd curiosè res sacras inquirere voluisset. Georgius Cedrenus

Ac per Judith gesta, ut potero, paucis absolvam.) Illud, *per*, videtur vacare, nisi malis scribere pro *Ac per*, *Atque*, ut *que* in *per* fuerit versum.

b Descripto tempore, confert se ad narrandam historiam Judith. Quod verò inquit de statu rerum nondum composito, affert ex conjectura, ut qui urbem restitutam sub Artaxerxe secundo putavit.

Rex Persarum Medis bellum infert, atque adversus Regem eorum Arphaxat nomine acie confligit.) Ex primo cap. Judith, in quo est ita: *Anno XII. Regni sui Nabucdonosor Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxat, & obtinuit eum in campo magno.* Non possum dissimulare, hæc verba non convenire nec in Reges Persarum, neque in Reges Babyloniæ; nam Reges Persarum non habuerunt sedem in Ninive, nec dicti sunt Reges Assyriorum, & iidem etiam fuere Reges Mediæ, ita ut Medorum Regi bellum facere non potuerint: Babyloniæ verò Reges sedem habuerunt Babylone, & semper à scriptura Reges Babyloniorum, & Chaldæorum dicuntur, non Assyriorum. Quòd si rem ad Assyrios Reges transferas, qui ante Merodach Regem fuerunt, omnia conveniunt, sed res erit ante captivitatem acta, non post captivitatem, ut apparet; hæc & ejusmodi alia fortasse moverunt Judæos, ut hunc librum a canone rejecerent.

Idem

(194) Bos erat corpore niger, candida fronte, in tergora alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda, & lingua cantharo notatus. De hoc Deo videndi sunt Herodotus, & alii. Eum putabant non coitu pecoris, sed cœlesti igne, seu radiis lunaribus conceptum esse. *Plut. Mela.* Duos tauros colebant, alter Apis, alter Mnevis dicebatur, illum Memphi, hunc Heliopoli. *Euseb* I. προπ. VII. & II. 1. Et hinc fluxerunt aurei Judæorum vituli.

(195) Ubi Cambyses Ægypto potitus, non eo deinceps loco Dii fuere Ægyptii: quippe dominis tum Ægypti Persis, qui nec Deos agnoscerent animalia, nec animantia muta pro symbolis Deorum. Itaque Cambyses Memphitas proceres, festum Apidos agitantes interemit: postea Apide à Sacerdotibus adducto, hos quidem flagris cædi jussit; Apidem verò, cùm ventrem ferire vellet, in femore vulneravit; unde is postea extabuit; deinde verò, clam Cambyse, a Sacerdotibus est tumulatus: uti Herodotus pluribus narrat in Thalia. Artaxerxes autem Ochus, quo loco habuerit religionem Ægyptiam, argumento erit, quòd Apim mactavit, & inde eum, epulans cum amicis, absumsit. Unde Ægyptii Ochum appellabant *gladium*, ad asperos ejus mores significandos: quemadmodum testis est Plutarchus lib. de Isid. & Osirid. Qui & postea narrat occasionem istorum. Ochum enim ab Ægyptiis asinum vocatum. Tum illum dixisse: At asinus iste vestrum comedet bovem: hinc Apim mactasse. Quorum auctorem laudat Dinonem. Atque idem apud Ælianum legas lib. IV. Historiæ Var. cap. VIII.

(196) Levissimum sanè argumentum, quoniam Ochi, Regis Persarum, tempore Baguas quidam fuit, ideo Nabuchodonosorum, sub quo itidem tali nomine aliquis fuit, esse Ochum. Sunt enim in talibus multæ συγκυρίαι.

(197) Justinus, Ælianus, Plutarchus in Artaxerxe. Ceterùm vocabulo *mundialis*, ab Ecclesiasticis Scriptoribus mutuato, usus est præter alios Prudentius. Latini dicerent profani historici. Nam (*secularis*) vocabolum etiam Ecclesiasticum est, hoc quidem sensu. Mundiales ergo historici, qui tractant Mundi negotia, & non Ecclesiæ.

(198) Ptolemæus Philadelphus de Demetrio Phalereo quærens, cur nemo Historicus aut Poeta sacræ legis mentionem fecisset? respondit: neminem ausum eam attingere, quam constaret divinam esse, & omni veneratione dignissimam, & punitos esse quosdam à cœlesti numine, qui eam temerè attrectare non essent veriti. Theopompum enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per intervalla insaniæ, precibus Deum placasse, facilè conjicientem, quæ morbi caussa fuerit, atque etiam in somnis admonitum, hoc ideo ipsum pati, quòd fuisset circa res divinas curiosior, eaque voluisset proferre profanis hominibus. Quare cùm a cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodectes etiam Poeta, cùm in quadam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos, calligasse, &, cùm erratum agnovisset, exorato Deo redditam aciem. Habentur hæc apud Josephum Antiquit. Judaic. lib. XII. cap. II.

(199) Sigonius potat voculâ *per* omissâ nostrum scripsisse *Judith gesta*; ut *Judith* vim habeat casus secundi. Verùm Drusius similia credidit se producere posse ex Orosio. Ut quod hic supra lib. I. habet: *Hæc idem Moyses plenius veriusque, tamquam per se, suisque gesta conscripsit.* Et rursus: *Quæ per Mosen strenue acta sunt.* Item: *Sicut quæ per eum gesta.*

(200) Quem Regem Persarum vocat, is in ipso libro Judith Assyriorum Rex adpellatur. Vocat autem ita, quoniam, qui in libro Judith Rex Assyriorum adpellatur, eum, ut ex superioribus adparet, Regem Persarum Ochum esse credidit. Ceterùm conjecturam istam falsam, & ne verum quidem similem esse, facilè intelligitur. Tempore Ochi Regem aliquem Medorum fuisse, nomine Arphaxadum, quem

Ochus

eorum Arphaxat nomine, (201) acie confligit, secundo eventu, perempto Rege, gentem imperio adjungit. Idem reliquis nationibus facit, præmisso Olopherne, quem principem militiæ delegerat, cum millibus peditum centum & viginti, equitum duodecim. Is Cilicia & Arabia bello vastatis, multas urbes aut vi capit, aut metu in deditionem compellit. Jamque Damascum (202) admotus exercitus, (203) magno Judæos terrore perculerat. Sed impares ad resistendum, neque ad deditionem acquiescentibus animis, expertis quippe usque ante captivitatis mala, ad Templum frequentes concurrunt. (204) Ibi communi gemitu, permistoque ululatu divinum auxilium implorant: satis se Domino ob peccata vel crimina dedisse pœnarum: reliquis saltem servitio nuper exemptis (205) parceret. Interea Olophernes Moabitis (206) in deditionem acceptis, atque adversum Judæos in societatem belli assumptis cùm ab eorum principibus inquireret, quibusnam viribus freti Hebræi, deditioni animos non dedissent. Accitor quidam (207) comperta edisserit, Judæos Dei cultores pio à patribus ritu institutos, olim in Ægypto pependisse servitium: (208) inde divino monere eductos, ac siccatum mare pedibus emensos: postremò, omnibus gentibus devictis, habitatas majoribus (209) terras recepisse. Exin, vario rerum statu (210) floruisse, aut concidisse, atque iterum malis emersisse: secundùm merita, (211) iratum aut placatum Deum vicissitudine expertos, dum peccantes incursionibus hostium aut captivitatibus coërcentur, (212) propitio numine semper invicti. Ceterùm, si præ-

Idem reliquis nationibus facit.) Nempe *iis, qui habitabant in Cilicia, Damasco, Libano, Carmelo, Cedar, Galilæa, Samaria, & trans Jordanem usque Hierusalem, & omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ*, Cap. I.

Præmisso Olopherne, quem Principem militiæ delegerat.) Cap. II. *Vocavit Nabuchodonosor Rex Olophernem Principem militiæ suæ, & dixit ei: Egredere adversum omne Regnum Occidentis, & contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum.*

Cum millibus peditum centum viginti, equitum duodecim.) Idem numerus affertur paulò post.

Cilicia, & Arabia bello vastatis.) Scriptura pro *Arabia Mesopotamiam* edit.

Jamque Damascum admotus exercitus magno Judæos terrore perculerat.) Ibid. *Et post hæc ascendit in campos Damasci*: Expugnatio Damasci exterruit Judæos, qui Hierusalem tenebant.

Expertis quippe usque ante captivitatis mala.) Hoc dicit juxta verba, quæ dixit Achior: *Nuper reversi ad Dominum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt.*

Ad Templum frequentes concurrunt; ibi communi gemitu, permistoque ululatu divinum auxilium implorant.) Sic cap. IV. *Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem Templi Domini, & Altare Domini operuerunt cilicio, & clamaverunt ad Deum Dominum Israël unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum.*

Interea Olophernes Moabitis in deditionem acceptis.) Non videtur sententiam scripturæ expressisse Sulpicius, cùm Moabitas in deditionem ab Olopherne acceptos ait, nam scriptura inquit: *Olophernem, postquam audiit, Hebræos se montibus communisse, Moabitas, Ammonitasque vocasse, simulque rogasse, quæ gens illa esset, quæ montium insedisset, & se ad resistendum sibi pararet.*

Accitor quidam.) Achior nominatur cap. V & fuit Dux Ammonitarum, qui rogatus, quinam essent Judæi, historiam eorum a principio exposuit, quæ considerandà narratio est.

Judæos Dei cultores.) Sic exorsus est de Hebræis dicere Achior. *Populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primùm in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum Deum Cæli coluerunt*; atque inde epilogum affert historiæ Hebræorum, quæ Genesi continetur, & Exodo.

Exin vario rerum statu floruisse, aut concidisse, atque iterum emersisse, secundum merita iratum, aut placatum Deum vicissitudine expertos.) Intelligit varium statum, quem passi sunt sub Judicibus Hebræi, modo a Palæstinis, aliisque finitimis populis oppressi, modo in libertatem virtute suorum vindicati; item statum sub Regibus, cùm ab Regibus Ægyptiis, Syris, Assyriis, & Babyloniis, afflictati, ac demum in servitutem redacti; postremo autem etiam libertate, patriaque sua donati sunt; unde illa infert, de quibus diximus: *Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Hierusalem.*

Ceterum, si præsenti tempore absque peccato sint, nullo modo eos posse superari.) Verba, quibus hanc expressit sententiam Achior, hæc fuerunt: *Nunc ergo mi Domine perquire. si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, & nos ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi. Si verò non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos.*

Ad

Ochus illa in prœlio vicerit, quis credat? Si historia vera est, ad antiquiora tempora referenda fuerit; & ad illa quidem, quibus Regnum Assyriorum & Medorum adhuc discreta atque distincta fuere, Magnus Contingius, amicus noster, in Adversariis Chronologicis cap. IV., refert ad tempora Josiæ Regis; & Arphaxadum conjicit esse Phraortem Medorum Regem, de quo Herodotus prodidit, quod susceptâ adversùs Assyrios expeditione cum maximâ parte exercitûs perierit.

(201) Nomen hoc Hebraicum est scribique debet Arphaxad, cum *d* in fine. Sic enim certe scribitur Genes. X. vers. 22. Nec variat editio Volgata Judith. I. 2. Græca quoque habet Ἀρφαξὰδ, ut dubitare de vera Scriptura nemo jam debeat. *Drus.* Opiniones de illo Arphaxad, variæ sunt. Est Arbaces. *Serar.* Diocles sive Dejoces. *Bellarm.* & *Salian.* Cyaxares. *Geneb.* Præfectus Medorum. *Alii.* Quæ omnia ἀσύστατα sunt, & opiniones meræ.

(202) Hæc Syriæ caput, Arabica *Sciam* & *Demasc*, Syris *Darmsuc*, sita in amplo campo ad radices Libani. *Sicenta* Judith 21. 17. *Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata omnesque arbores & vineas fecit incidi: & cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.* Verba sunt ex editione S. Hieronymi. Græcè habetur: καὶ κατέβη εἰς πεδίον Δαμασκοῦ.

(203) Non tantùm dicunt *admovere aliquid alicui*, sed & *admovere aliquid ad aliquid*. Livius: *Ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur*. Noster propositionem neglexit, eamque subaudiendam reliquit.

(204) Templum intelligit Hierosolymitanum reædificatum. Et colligit sine dubio ex eo, quod Judith. IV. 2. legitur, quòd Israelitæ de Hierosolymis deque Templo Domini, timuerint.

(205) Captivitatem Babylonicam intelligit, è qua non ita pridem reversi erant. Paulò ante: *expertis quippe usque ante captivitatis mala.*

(206) Desideratur, *& Ammonitis*; vel si mavis, *filiisque Ammon*. Nam Achior, de quo mox, dux erat filiorum Ammon. *Drus.*

Drusius excidisse putat, *& Ammonitis*; quia Achior Ammonitarum Dux fuerit.

(207) Mirum nomen illud eâ formâ aliquoties hic legi. Ceterùm ex nomine *Achior*, quod verum nomen est, facilis lapsus fuit in *Accitor*.

(208) Sic supra dixit: *pendere servitutem*, & *pendere captivitatem*; quomodo dicitur *pœnas pendere*. Infra dicit: *servitutis pœnam pendere.*

(209) Abrahamo, Isaaco, & Jacobo; quos supra patres appellavit.

(210) Sub judicibus.

(211) Idest, facta eorum bona vel mala.

(212) Legendum putem *coërcerentur*. Præcedunt enim mera temporis præteriti verba.

si præsenti tempore absque peccato sint, (213) nullo modo eos posse superari: sin aliter se habeant, facilè vincendos. (214) Ad hæc Olophernes ferox multis victoriis, nihil sibi invictum ratus, irâ accensus, cur ex peccato potissimùm Judæorum pendere illius victoriæ putaretur, propelli Achior in castra Hebræorum jubet, ut cum his periret, quos vinci non posse affirmaverat. Ac tum Judæi montes petiverant. Ita quibus id negotii datum, ima montium successere, (215) ibique vinctum Achior reliquerunt. Quod ubi Judæi animadvertunt, exemptum vinculis in collem perducunt. Caussas rei quærentibus, gesta exponit, receptusque parem exitum oppetiebatur. Is post victoriam circumcisus, Judæus factus est. (216) Igitur Olophernes difficultate locorum comperta, quia adiri præcelsa non poterant, montes militibus circumdat, & summâ curâ Hebræos aquationibus prohibet: (217) eoque maturiùs obsidionem sensere. Itaque victi penuriâ aquæ, ad Oziam Principem concurrunt, proni omnes ad deditionem. Ille verò opperiendum paulisper, & divinum auxilium expectandum, respondens: quinto decimo die deditionis tempus constituit. (218) Quod ubi Judith (219) compertum, quæ viro vidua, (220) prædives opibus, insignis specie, sed moribus quàm vultu illustrior, tum in castris erat, arctis suorum rebus etiam certo sibi exitio audendum aliquid & tentandum rata, caput comit, vultu expolitur, comite ancillæ castra hostium ingreditur. Statimque ad Olophernem deducta, perditas res suorum memorat, se transfugio vitæ consuluisse, deinde à duce poscit liberum extra castra nocturno tempore egressum, orandi gratiâ, mandatum id vigilibus, porta-

Ad hæc Olophernes ferox multis victoriis nihil sibi invictum ratus, ira accensus, cur ex peccato potissimum Judæorum pendere illius victoria putaretur.) Quippe vehementer indignatus dixit ad Achior: *Quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israël defendatur à Deo suo, ut ostendam tibi, quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cùm percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio peribis.*

Propelli Achior in castra Hebræorum jubet.) *Præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israël.*

Ac tum Judæi montana petiverunt. Ita quibus id negotii datum, ima montium successere, ibique vinctum Achior reliquerunt.) Ibidem. *Et accipientes eum servi Olophernis profecti sunt per campestria, sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii; illi autem divertentes à latere montis ligaverunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum de restibus, dimiserunt eum.*

Quod ubi Judæi animadverterunt, exemptum vinculis in collem perducunt.) Nempe *solventes duxerunt ad Bethuliam.*

Caussas rei quærentibus gesta exponit.) Nam percunctatis, quid esset, quòd illum vinctum Assyrii reliquissent, in conspectu omnium dixit omnia, quæ locutus ipse de Judæis, & eorum Deo servatore suo fuerat, ab Oloferne rogatus.

Receptusque parem exitum oppetiebatur.) Idest, expectabat, se Assyriis pariter cum Judæis oppressum iri.

Is post victoriam circumcisus Judæus factus.) Cap. XIV. *Tum Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israël, relicto gentilitatis ritu credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad populum Israël.* Hos homines, qui Judæorum sacra susciperent, proselytos appellabant; ut nos, qui Christianorum, neophytos.

Montes militibus circumdat.) Credo exprimere voluisse illa: *Venerunt per crepidinem montis usque ad apicem.* Sed fecit parum feliciter. Montes autem intelligit ubi erat Bethulia, cui obsidio admovebatur.

Aquationibus prohibet.) Incidi præcepit aquæductum illorum, & posuit centenarios custodes fontium, ne haurirent aquam ex eis.

Itaque victi penuria aquæ ad Oziam Principem concurrunt.) Ibidem. *Defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam. Tunc ad Oziam congregati omnes viri fœminæque, juvenes, & parvuli, petentes, ut congregarentur omnes, qui in civitate essent, ut sponte traderent se Oloferni.*

Ille vero operiendum paulisper, & divinum auxilium exspectandum respondens quintodecimo die deditionis tempus constituit.) Legendum erat: *Quinto die*, *aut quinto demum die*. Sic enim ille dixit: *Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies exspectemus à Domino misericordiam.*

Quod ubi Judith compertum, quæ viro vidua.) Hæc est mulier, quæ per novum fortitudinis genus meruit huic historiæ nomen dare, ut illi alteri Esther dedit. *Erat autem vidua relicta Manasse jam annis tribus, & mensibus sex eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas: et hæc erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Ibidem.

Caput comit, vultu expolitur.) *Exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lavit corpus suum, & unxit se myro optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ.*

Comite ancilla.) *Abram* vocat scriptura.

Statimque ad Olophernem deducta.) *Speculatores deduxerunt illam ad tabernaculum Olophernis.*

Perditas res suorum memorat, se transfugio vitæ consuluisse.) Verba ejus hæc fuerunt. *Fames invasit Hebræos, & ob ariditatem aquæ jam inter mortuos computantur, denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum; ergo quoniam hæc faciunt, certum est, quòd in perditionem dabuntur. Quod ego ancilla tua cognoscens fugi ab illis.*

Deinde à duce poscit liberum extra castra nocturno tempore egressum, orandi gratia.) Ibidem. *Et petiit, dum introiret, ut daretur ei copia nocte, & ante lucem egrediendi foras, & deprecandi Dominum; & præcepit cubiculariis suis, ut, sicut placeret illi, exiret & introiret ad orandum Deum suum per triduum.*

Olo-

(213) Idest, si tunc temporis, cùm Achior illa diceret, nullo graviore peccato se obstrinxissent. Nimirum *præsens tempus* etiam illud vocatur, quod tum, cùm res gererentur, præsens fuit. Nepos XVII. 8. *Hujusmodi genera observit, quæ præsens tempus desiderabat.*

(214) Scilicet *esse*, idest, *facilè victum iri*. Fecit pro solemni suo; ut ista forma loquendi non officium ac debitum, sed tempus modò futurum designet.

(215) Ut Sallustius & Tacitus *murum succedere*. Subaudienda autem præpositio quædam. Quæ quandoque & diserte additur, ut dicant *succedere ad moenia*, *ad murum*, *succedere in pugnam*, *succedere sub primam aciem*, *sub acumen styli*: qualia apud Livium, Cæsarem & Ciceronem observantur. Noster quoque supra pag. 24. dicit: *successit in domum Bathuelis*. Ceterùm usitatiùs construitur cum Dativo. Ut in illo Virgilii: *Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?* Quod pag. 66. noster dicit: *in primo spelunca aditu successerat*, id maximè omnium ob usitatiore formâ discrepat. Vide Notas ad illum locum num. 425.

(216) Proselytus factus est. Tales etiam Judæos vocabant: unde verbum מתיהודים judaizabant, idest, sacra Judæorum suscipiebant. Interdum, qui Proselytus evaserat, dicebatur Proselytus justitiæ. Nam Proselyti nomen in lingua Græca quemlibet advenam denotat. Sic etiam גר in lingua Mosis.

(217) Nam incidi curavit aquæductum eorum: eum etiam custodes posuit fontium, ne haurirent aquam ex eis.

(218) In ipso libro Judith brevius tempus constitutum fuisse legitur; quinque dierum puta. Unde Drusius conjicit, Sulpicium scripsisse *demum die*.

(219) Nonnulli censent nomen hoc commune esse, sicut est Abra. יהודית enim Judæam denotat. Verius, esse nomen proprium. *A Lapide.*

(220) Virum habuerat nomine Manassem, qui genus suum referebat ad Simeonem Patriarcham. Vidua verò manserat domi suæ tres annos & quatuor menses, vel, sequendo Hieronymum, sex menses. Vide Judith. VIII. vers. 3.

portarumque custodibus. Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi consuetudinem sibi, barbaris fidem fecit. (221) Olophernem cupido incessit, dedititiæ corpore abuti. (222) Etenim forma excellenti, Persam facilè permoverat. Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducunt, (223) initioque convivii barbarus multo se vino obruit. Tum remotis ministris, priusquam vim mulieri inferret, somno captus est. Judith tempore arrepto, caput hostis defecat, (224) secumque aufert. Et cùm secundùm consuetudinem castris egredi crederetur, incolumis ad suos regressa est. Postero die Hebræi, caput Olophernis de superioribus ostentantes (225) eruptione facta, ad castra hostium pergunt. Tum verò barbari signum pugnæ poscentes tabernaculum ducis frequentes assistunt. (226) Ubi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam versi, terga hostibus præbuerunt. Judæi fugientes persecuti, cæsisque multis millibus castris, ac præda potiti: Judith summis laudibus celebrata, centum & quinque annos vixisse traditur.

Hæc, Ocho Rege, ut opinamur, gesta sunt, anno imperii ejus duodecimo. (c) A tempore Hierosolymæ restitutæ, usque in id bellum, fuerunt anni duo & viginti. Ceterùm Ochus viginti & tres annos regnavit. Fuit autem ultra omnes cruentus, & plusquam barbaro animo. Hunc Bagua spado ægrotantem venenis sustulit. (227) Post eum Arxes, filius ejus, triennio imperium tenuit, Darius (228) annos quatuor.

JU-

Olophernem cupido incessit dedititia corpore abuti.) Dixit enim ad Vagao eunuchum suum: *Vade & suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum. Tunc introivit Vagao ad Judith*, & post: *Cor autem Olophernis concussum est; erat enim ardens in concupiscentia ejus.* Hic est autem Vagao, quem Sulpicius appellat Baguam.

Initioque convivii barbarus multo se vino.) Ibidem. *Bibit Olophernes vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua.*

Somno captus est.) Porro *Olophernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.*

Judith tempore arrepto caput hostis desecat, secumque aufert.) Quippe *accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit, cùmque evaginasset illum apprehendit comam capitis ejus, & percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.*

Et cum secundum consuetudinem, castris egredi crederetur, incolumis ad suos regressa est.) Ibidem. *Et exierunt duæ secundum consuetudinem suam quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem venerunt ad portas civitatis.*

Postero die Hebræi caput Olophernis de superioribus ostentantes eruptione facta castra hostium pergunt.) Item ibi. *Mox autem, ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Olophernis, accepitque unusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu*

Tum vero barbari signum pugnæ poscentes.) *Quod videntes exploratores, ad Tabernaculum Olophernis cucurrerunt.*

Ubi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam versi terga hostibus præbuerunt.) *Cumque omnis exercitus decollatum Olophernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore, & metu agitati fuga præsidium sumunt, ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite relictis omnibus evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audierant, fugientes per vias camporum, & semitas collium.*

Judæi fugientes persecuti, cæsisque multis millibus, castris, ac præda potiti.) Videntes itaque filii Israël fugientes, sequuti sunt illos. *Filii Israël uno agmine persequentes debilitabant omnes, quos invenire potuissent, reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.*

Judith summis laudibus celebrata.) Quippe *benedixerunt eam omnes una voce dicentes; Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter.*

Centum, & quinque annos vixisse traditur.) Ibidem: *Mansit in domo viri sui annos centum quinque.*

(c) Rursus redit ad supputationem annorum, hoc vero ex cap. primo Judith sumptum, ubi scribitur, acta hæc esse anno duodecimo Regis Nabucdonosor.

A tempore Hierosolymæ restitutæ usque in id bellum fuerunt anni duo & viginti.) Hic est locus, qui probat, suprà legendum esse, Artaxerxem regnasse annos XLII. non LXII.

Ceterum Ochus viginti tres annos regnavit.) Sic ceteri quoque.

Fuit ultra omnes cruentus.) Plutarchus in extremo vitæ Artaxerxis ait, ipsum superasse omnes crudelitate.

Hunc Bagua spado ægrotantem veneno sustulit.) Supra ostensum est.

ARSES, ET DARIUS III. REGES PERSARUM.

Post eum Arses filius ejus triennio imperium tenuit.) Idem etiam Arsanes dicitur. Sic ceteri.

Darius annos quatuor.) Eundem numerum adscribunt quoque ceteri.

(221) Quod si legatur: *Ubi per triduum egrediendi & redeundi consuetudine sibi apud barbaros fidem fecit?* Suspectæ mihi sunt Phrases illæ *facere sibi consuetudinem, facere fidem barbaris*. Illud *facere fidem barbaris* esset hic pro *facere ut barbari crederent*. Atqui significat potius *facere ut barbaris credatur*, vel *ut barbaris credant alii*. Sanè dicunt: *Est mihi fides apud hunc*; nec intelligitur fides, quâ ipse credat, qui sic loquitur; sed quâ credat ei alter. Pari modo cùm dicunt *facere fidem alicui*, non intelligitur fides quâ ipse credat, cui fides paratur, sed quâ credat ei alius.

(222) Drusius malit, *abutendi*. Sed non desunt exempla, quòd nominibus voluntatem significantibus ipsum quoque verbum infinitum subjiciatur. Virgilius lib. I Georg. *Studium quibus arva tueri*. Et Ecl. IX. *Nec sit mihi cura mederi*. Vide ad genus plura à Vechnero notata pag. 129 Hellenol.

(223) Legendum sine dubio *deducitur*.

(224) Pugione sive acinace ipsius Holofernis, qui ad columellam lecti pendebat. Sic A. Ch. CCCCLIV. Aetio adhuc vivente, Attila, Aetii hortatu, noctu, mulieris manu, cultro confoditur. *Baronius*.

(225) Sic Machabæus suspenso capite Nicanoris, II. Mach. XV. 35. M Livius, & Cl. Nero Cose cæso Asdrubale, caput inopinato in castra Annibalis projecerunt. *Livius* 26.

(226) Nemo audebat cubiculum pulsare, aut introëundi excitandive caussa fores aperire. Tandem accedens Bagoas, Tabernaculi atrium pulsat, suspicatus eum cum Juditha dormire. Sed cùm nullum jacentis motum auribus perciperet, ingressus cubiculum, propius ad lectum accedit, subductaque cortina deprehendit eum in lecto jacentem truncum sine capite.

(227) Supra pag. 122. *Quod Baguas spado ejus morte Regis ultus est*. Ælianus lib. VI. var. hist cap. VIII. scribit: Bagoam eunuchum, qui natione Ægyptius fuerit, non satis habuisse Regem è medio sustulisse, sed ex femoribus ejus manubria gladiorum fecisse, ut animum ejus ad cædem propensum hoc modo repræsentaret.

(228) Ultimus, Arsami F. qui Codomannus. Quidam Arsanes scribunt, per N. Ceterùm *Arsami F.* obvium in Eusebio, ut *Codomannus*, vel magis Codomanus in Justino historico. Sic nominabatur antequam Regnum adeptus esset. Vide Justinum lib X. Ex privata enim fortuna (fuerat enim ἀςάνδης sive ἀσκάνδης, idest, ἡμεροδρόμος, ut interpretatur Hesychius) ad Regnum pervenit, Darii nomine,

JUDÆI SUB REGIBUS MACEDONIÆ.
ALEXANDER MAGNUS REX MACEDONIÆ, ET PERSARUM.

Adversùm hunc Alexander (*d*) Macedo (229) acie conflixit. (230) Eo victo, Persis imperium ademptum: quod ab initio Cyri steterat annos ducentos & quinquaginta. Alexander victor ferè omnium gentium, adiisse Hierosolymæ Templum (231) dicitur, ac dona intulisse: edixitque per omne imperium, quod sui juris effecerat, ut Judæis ibidem degentibus liberum esset (232) in patriam reverti. Exacto duodecimo imperii anno, septimo postea quàm Darium devicerat, apud Babyloniam defunctus est. (233) Regnum amici ejus, qui simul cum illo maxima

(*d*) Ut Persis Regibus Macedones successere, sic Judæi pro Persico Macedonicum Imperium subiere. Is fuit Alexander Rex Philippi filius cognomento Magnus, qui digerente Diodoro, anno regni sui quarto vicit Darium Regem Persarum ad Issum in Cilicia, quinto Tyrum, & Ægyptum subegit, sexto Darium in Arbellis debellavit, septimo Persicum Regnum evertit, Dario ipso a Besso præfecto suo interfecto: Cui Curtius, Arrianus, & Justinus consentiunt. Ceterum quæ deinceps de Judæis dicentur, ea ferme nobis libri duo Maccabæorum Græce scripti suppeditabunt. Ex iis primus res narrat ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ usque ad Antiochum Sidetem, quo regnante Joannes Hyrcanus principatum Judæorum administravit: secundus verò a Seleuco Epiphanis patre usque ad Demetrium Regem, quo rerum potiente Judas Maccabæus Matthatiæ Assamonæi filius principatum sibi paravit. Quare secundus, ut deberet, non excipit primum, cùm aut eadem repetat, aut citra ejus se fines contineat; nam Judas longè Joannem antecedit. Ex quo intelligi potest, ab eodem ambos non esse scriptos; quod etiam dissona annorum digerendorum ab utroque usurpata ratio comprobat. Quod autem inquit Sulpicius, *Regnum Persarum stetisse annos CCL.* sciendum est, si Artaxerxi secundo dederis annos LXII. fore summam annorum CCL. si XLII. fore annorum CCXXX. Quod verò addit: *Alexandrum victorem adiisse Hierosolymæ Templum, & dona intulisse*, sumpsit à Josepho, apud quem lib. XI. hæc pluribus verbis relata inveniuntur: *Anno quinto regni sui, quo Tyrum expugnavit, Alexander Hierosolyma progressus receptus est à Judæis obviam prodeuntibus cum Sacerdotibus in vestibus solemnibus, & ille adoravit Pontificem asserens, Deum sibi eo habitu in somnis apparuisse, & se, ut ultra pergeret, impulisse, nam Darium devicturum, & ingressus urbem eo Templo ex præscripto Pontificis Deo sacrificavit, & honorem Jaddo Pontifici habuit; tum autem ostensus esset ei Danielis liber, in quo scriptum erat, Regem quemdam è Græcis eversurum Regnum Persarum, se illum arbitratus, præ lætitia populum dimisit, ac postridie convocata concione jussit, ut peterent quod liberet; Pontifice petente leges proprias, & vacationem tributi septimi anni, indulsit, item ut Judæi Babylonis & Mediæ suis legibus viverent.* Resp. verò penes Pontifices mansit, ut supra ex Josepho ostendimus. Tertiodecimo verò regni anno, & septimo post profligatum in Arbelis Darium Alexander Babylone veneno insidiis suorum dato extinctus est. Diodorus, Curtius, & alii.

Regnum amici ejus, qui simul cum eo maxima illa bella gesserant, partiti sunt.) Justinus porro, & Diodorus scribunt, duces ejus regnum, id est, provincias ejus, & veteres & novas, inter se esse partitos, ut eas tanquam præfecturas administrarent. Inde Justinus subjicit: *Hæc divisio cum velut fatale munus singulis contigisset, ita magnæ incrementorum materia pluribus fuit. Siquidem non magno post tempore, quasi regna, non præfecturas divisissent, sic Reges ex præfectis facti magnas opes non sibi tantum paraverunt, verum & posteris reliquerunt.*

mine, ne quid Regiæ Majestati deesset, honoratus. Siquidem iô more positum erat olim, ut ad imperium accedentes Reges nomina mutarent. Regnum autem consecutus fuit beneficio Bagoæ eunuchi. Quod significat Alexander apud Curtium: *Ne Darius quidem Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus*. Quibus addo aliud testimonium Alexandri Macedonis ex Arriani lib. III. ubi Dario per epistolam exprobrat, quòd occiso Arse, Bagoæ opera, imperium occupasset: ὐ δικαίως, ὐδὲ κατὰ τ̄ Περσῶν νόμον. Similiter Strabo libro XV. ejus spadonis opera Darium ὐκ ὄντα τῦ γένυς τ̄ βασιλέων, Regem factum scribit. Sed & Diodorus Siculus libro XXVII. ait post Ochi, & Arsis ejus filii cædem, ἐρήμυ ὄντος τῦ βασιλέως οἴκυ, καὶ μηδενὸς ὄντος τῦ κατὰ γένος διαδεξομένυ τὴν ἀρχὴν, Darium Regnum Bagoæ eunuchi beneficio adeptum esse.

(229) Fuit spurius, ex adulterio, ut creditur, Pausaniæ cum Olympiade, genitus. Quod ex Plutarcho & Justino satis clarè apparet; & constanter Persæ ac Arabes affirmant. Arabes cum *Dhulkarnayn* Bicornem vocant, non tam ob partum Orientis, & Occidentis Imperium, quam à cornuta Alexandri imagine, nummis exhibita, ut Jovis Ammonis filius agnosceretur. *Golius.*

(230) Bis cum eo conflixit. Semel ad Issum in Cilicia; iterum deinde in Arbellis apud Gaugamela. *Drusius*. Locus ergo ultimæ pugnæ, Gaugamela, vicus exiguus & obscurus fuit, sexcentis ab Arbela stadiis. *Arrianus. Plutarch.* Habuit tum Alexander etiam Judæos in exercitu. Qualis Mysonianus fuit, cujus apud Euseb. IX. προπ. II. memoria extat.

(231) Pontifice Jaddua, qui Hebræis Simeon Justus, si modo idem fuit, & non alius hic ab illo Jaddua Pontifice. In historia Hebraica Hananel nominatur. Salmanticensis: *Simeon Justus Pontifex fuit dum viveret, & ipse fuit è viris magnæ Synagogæ, vocatusque Jaddus* (Iddo est in Hebræo) *à semine Josue filii Josedec Summi Sacerdotis*. Et hunc cum honoravit *Alexander Macedo adoravitque*. Drusius. Ἐλιασὺβ Nicephori est Ἐλιασὺβ in Ms *Jaddua*, seu *Jaddus*, is erat, qui Alexandrum Magnum excepit; ut Josephus, cujus sequaces sunt Paulus Diaconus, Freculphus, plerique alii. Id verò alii Simeoni I. seu Justo tribuunt. Vide Abraham Ben David in Cabala, & *Sepher Juchasin* pag. 195. a. Alii *Chanamah* (pro Onia, qui sequitur, ut videtur) eum nuncupant, ut Joseph Gorionides lib. I. cap. V. Certè Simeonem illum etiam *Iddo*, & Jaddum interdum apud Hebræos dici legimus. Vide R. Abraham Ben David in Cabala Historica, interprete Genebrardo, *Sepher Juchasin* fol. 66. a., & *Shalsheleth* R. Gedaliæ Ben Jechiæ fol. 22.

(232) Hoc Persarum Reges liberum fecerunt. Quid igitur? *Judæis petentibus, ut patriis legibus vivere sibi liceret, utque septimo quoque anno eis daretur tributorum immunitas, concessit omnia*. Josephus Originum lib. II. cap. VIII.

(233) Quo concessit, Cossæis subactis, ad audiendas omnium ferè gentium legationes. *Diod. 17. Arrian. 7.* Et quanquam Magi urbem hanc ei finalem fore prædicerent, tamen ab Anaxarcho Philosopho persuasus, hæc contempsit, ac urbem ingressus est. *Justin. XII. Plut.* Alex. Cassandri fraude, & ingenito vitio, periit, veneno scilicet & crapula. Igitur Dæsii quinto apud Eumeum, septimo & XV. apud Perdiccam epulatus, sequentes dies somno dedit, ut Ælianus ex diariis Alexandri refert. Addit παρὰ Βαγώᾳ δὲ ἐδείπνησε τῇ τετράδι μετ᾽ εἰκάδα, τῇ δὲ τρίτῃ ἐκάθευδε, legendum πέμπτῃ, vel epulatus est apud Bagoam τετάρτῃ φθίνοντος, τῇ τρίτῃ ἐκάθευδε. Dæsii XXVII. sequenti obdormiit simul & obiit. Arianus ex iisdem diariis ait in morbum incidisse Dæsii XVIII. Sequenti die nihilominus apud Thessalum Medium (Justinus Medicum perperam vocat) Dæsii XX. apud Nearchum potasse, ac tandem Dæsii XXVIII. periisse. Addit: *Mortuus est Olympiade CXIV. Prætore Hegesia. Vixit annos duo & triginta & tertii menses octo. Regnavit annos duodecim, & hos octo menses*, hoc est, mortuus est exeunte primo Olympiad. CXIV. anno. *Capellus*. Vide Justinum XII. Curtium, Arrianum, Plutarchum, & alios. Non absurdè statuas in visionem

xima illa bella gesserant, partiti sunt. (234)

ARRIDÆUS REX MACEDONIÆ.

Inde aliquanto tempore sinè usurpatione regali susceptas partes procuraverunt, Arridæo quodam Philippo (235) Alexandri fratre regnante, cui perimbecillo verbo datum imperium videbatur: (e) res autem penes eos erat, (236) qui sibi exercitum & provincias distribuerant. Nec verò hic rerum status diu mansit, omnesque se Reges appellari maluerunt.

JUDÆI SUB PTOLEMÆIS ÆGYPTI REGIBUS, DEINDE SUB REGIBUS SYRIÆ.

Primus in Syria post Alexandrum (237) Seleucus (238) Rex fuit, (f) subjecta eidem Perside ac Babylone. Qua tempestate Judæi annuum stipendium trecenta argenti talenta Regi da-

(e) Post mortem Alexandri Arridæus hic perimbecillus septem per annos, teste Eusebio, tenuit Macedoniæ Imperium verbo, cum administratio re esset penes Antipatrum, qui postea heredem reliquit Cassandrum, qui regnum illud invasit, & tenuit; item penes alios, qui sibi exercitum, & provincias distribuerant, ut Ptolemæum, & Seleucum, qui Ægyptum & Syriam sibi asciverant.

(f) Quia Sulpicius vidit librum Maccabæorum, qui subsequentem nobis suppeditabit historiam, Regum Syriæ meminisse, initio ducto ab Antiocho Magno, & Antiocho Epiphane, atque inde XXXV. annos Imperii eorum literis consecrare, (nam ortus in anno Græcorum, idest, Macedonum Imperii CXLIII. definit in anno CLXXVII.) propterea ipse omnes etiam ante Antiochum Magnum Syriæ Reges sibi recensendos existimavit, ac propterea a Seleuco Nicanore regni conditore exorsus, reliquos inde, sed paulo post, persequitur.

Qua tempestate Judæi annuum stipendium Regi trecenta argenti talenta dabant.) Videtur significare, Judæam post Alexandrum tributum pependisse Regi Syriæ Seleuco, cui Babylon, & Persis paruerit. Quod si credidit, vehementer erravit. Nam Judæa primum paruit Ptolemæo Lagi filio Ægypti Regi, qui illam armis occupavit, teste Josepho, & Eusebio; inde Ptolemæo Philadelpho, qui biblia convertenda per septuaginta Judæos interpretes procuravit; de quorum interpretatione mirabili ac divina Justinus, Tertullianus, Epiphanius, & Augustinus de civitate Dei, lib. XVIII. cap. XLII. Tum Ptolemæo Evergeti, ad extremum Ptolemæo Eupatori filio ejus, quo tempore unus post alterum regnarunt in Syria, Seleucus Nicanor, Antiochus Soter, Antiochus Theus, Seleucus Callinicus, Seleucus Callinici filius, & Antiochus frater ejus, cognomento Magnus. Hic verò demum Ptolemæo Eupatori Syriam eripuit. Quod Ptolemæus Epiphanes successor Eupatoris ferre non potuit. Itaque misso Scopa Duce Antiocho illam extorsit. Sed Antiochus superato Scopa rursus recepit. Inde collocata Ptolemæo Epiphani in matrimonium filia Cleopatra partem Tributorum Judææ nomine dotis illi attribuit, ac partem sibi retinuit. Judæa tamen in potestate Regum Syriæ mansit, Josepho teste.

Nec

ne Danielis cap. VII. Imperium Græcorum comparari pardo, quia Alexander M. fuerit vinosus, usque adeò ut si eos minus sequi visum fuerit, qui veneno interiisse arbitrantur, satis tamen causæ sola in violentia fuerit, cur periret Babylone. *Vossius*. Ab ejus obitu æra Græcorum ducitur, de qua Muhammed Alferganus ex versione Golii: *Romani & Syri æram deducunt ab initio annorum Alexandri, dicti bicornis, qui quidem dies fuit feria secunda.*

Pro *Babylone*, vel *Babyloniæ defunctus est*. Sic & pag. 125. scripsit. Vide Notas ad dict. pag. no. 136. Primò dissuadente mago quodam introire Babyloniam noluit, & in Bursiam urbem concessit. Deinde ab Anaxarcho Philosopho compulsus est magorum prædicta contemnere, atque ita Babylonium intravit, ibique mortuus est. Vide Justinum lib. XII. cap. XIII.

(234) Appianus in Syriacis: *Amici Alexandri gentes subactas diviserunt in Satrapias, Perdicca divisore, ex autoritate Philippi: nec multo post mortui Regibus regnarunt ipsi Satrapæ.* Oros. lib. III cap. XXI. *Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit. Principes verò ejus XIV. annis dilaniaverunt, & veluti opimam prædam à magno leone prostratam avidi discerpsere catuli, seque ipsos in rixam invicem irritatos prædæ æmulatione fregerunt.*

Amicos vocat primarios Ministros, & duces Alexandri: idque imitatione optimorum quorumque Latinitatis Auctorum. Nepos XVIII. a. 4. *Neque verò hoc solus fecit* (Eumenes) *sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerunt amici.* Justinus XXXIV. 3. 3. *Cum cunctari eum viderat* (Antiochum) *consultationemque ad amicos referre.* Plura notata sunt in Indicibus Auctorum.

(235) Proprium ei nomen Arridæus sive Aridæus: id post mutatum in Philippus, amore, ut creditur, Philippi; cujus stirpem Macedones unicè amabant. Justinus, *cum equites quoque idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem Regem appellant, satellitesque illi ex Tribu sua legunt, & nomine Philippi patris vocari jubent.* Malim Arridæo. Justinus hoc nomen scribit Aridæo, cum duplici D. Vide Diodorum XVIII. Curtium X. Seneca de Beneficiis IV. *Quid sibi voluit providentia, quæ Aridæum Regno imposuit? Illi putas hoc datum? Patri ejus datum est, & fratri.*

(236) Graviter hic hallucinatus est Drosius, quod *perimbecillo* putavit casus sexti esse, & cum voce *verbo* conjungendum. Est enim manifestè casus tertii. Et *perimbecillum* vocat Aridæum, quia, ut Justinus lib. XIII. cap. II. ait: *valetudinem majorem patiebatur.* Deinde in editione Amstelod. male conjectura facta de voce *viro* pro *verbo* reponenda. Sed nec *verbotenus*, quo vox *verbo* ibidem explicatur, satis elegans est. Id verò elegans, voces *verbum* & *res* ex adverso poni, prioreque falsum nomen ac titulum significari, Nepos XV. 5. 1. *Fallit verbo cives suos, quod hos à bello avocat.* Idem XIX. 3. 3 *Consum apud Philippum Regem verbo, reipsà qualem apud Polyperchontem jussus est dicere.* Ceterùm quod verbis illis noster sibi voluit, id verbis Justini dici possit sic. *Aridæus nomen Regis, alii imperium tenebant.* Vide lib. XIII. cap. II. Denique *videbatur* est hic pro *erat*. Falsum nomen enim falsusque titulus jam voce *verbo* expressus erat. Ostendimus autem jam supra, *videri* subinde pro *esse* poni. Vide Notas in pag. 23. num. 80.

(237) Hoc verum non videtur. Nam initio Syria paruit Ptolemæis Regibus Ægypti. Respondeo Asiæ & Syriæ Satrapam primum fuisse Antigonum. Eum bello vicerunt Seleucus & Ptolemæus: unde contentio inter hos duos de Regno Syriæ. Qua de re videndus lib. V. Polybius, ubi inter alia Antiochus queritur de injuria, quam sibi fecerat Ptolemæus in occupandis Syriæ locis. Antigonum enim & Seleucum, qui primi ea loca occupaverant, verissimos ac justissimos dominos fuisse ajebat. Ideoque ad se, non ad Ptolemæum, Syriæ Regnum, quasi hæreditario jure pertinere. Quippe Ptolemæum adversùs Antigonum pugnasse non sibi, sed Seleuco totum locorum imperium quærentem. Præterea communem omnium Regum concessionem in medium afferebat. Nam quo tempore, superato Antigono, dividere inter se Regna Cassander & Lysimachus & Seleucus voluerunt, Seleuci esse omnem Syriam judicavere. Hæc ibi: quæ fortasse moverunt Eusebium (nam hunc Sulpicius sequitur) ut scriberit Seleucum primum in Syria regnasse annos XXXII.

(238) Cognomento Nicanor, *Eusebius*. Nicator, alii. Quæ putatur esse vera Macedonica dialectus. Appellatio à victoriis quas habuit. Alii dictum putant a Nicatore quodam coeto. A victoriis dictum Νικάτωρα, tradit Appianus Syriaco. Ammianus XXIII. *Nicatori Seleuco victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum.*

dabant : (239) nec tamen per ternos Magistratus, (240) sed per Sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu vivebant.

SELEUCUS PHILOPATER REX SYRIÆ. SEDITIO JUDÆORUM.

Donec plerique eorum longa rursum pace corrupti, (*g*) miscere omnia seditionibus & turbare cœperunt, affectantes summum Sacerdotium libidine, avaritia, & dominandi cupidine. Namque primum sub Rege Seleuco, (241) Antiochi Magni filio, Oniam Sacerdotem, virum sanctum atque integrum, Simon quidam falsis apud Regem criminibus insimulatum, exquirere nequiverat. (242) Interjecto deinde tempore, Jason frater Oniæ, Antiochum Regem, (243) qui Seleuco fratri successerat, adiit, augmentum stipendii pollicens, (244) si sibi summum Sacerdotium traderetur. Et quanquam insolitum, neque ante permissum cuiquam erat, per-

Nec tum per ternos Magistratus, sed per Sacerdotes suos regebatur.) Significat Judæam ac Hierosolymam tributariam tum fuisse, verùm liberam; tributariam, quia Regibus Ægypti primùm, deinde Syriæ stipendium pensitavit; liberam, quia leges, ac Magistratus suos habuit, non externos. Pontifices autem una cum Josepho censet curam & sacrorum, & Reip. tum habuisse. Puto verò illud *Ternos*, mendose esse, pro externos, ut significet non paruisse præfectis Regum, sed Pontificibus suis. Hunc autem statum Reipublicæ, atque hoc otium civitatis expressit liber II. Maccabæorum, cap III. his verbis: *Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur propter Oniæ Pontificis dispositionem, fiebat ut & ipsi Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illustrarent, ita ut Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Seleucus autem, de quo loquitur, est Antiochi Magni Syriæ Regis filius, cognomento Philopator.

(*g*) Hinc pravæ Judæorum seditiones initia ducunt. Longam pacem intelligit, quam agitarunt sub Alexandro Magno, qui libertatem restituit, & deinceps sub quatuor Ptolemæis per annos ampliùs centum. Cupiditas autem Pontificatus, idest, summi tum Imperii, eos ad seditiones conflandas adduxit. Seditiones externa Regum Imperia invexerunt, quæ Remp. ac religionem funditus everterunt, ut apparebit.

Namque primum sub Rege Seleuco Antiochi Magni filio Oniam Sacerdotem virum sanctum, atque integrum Simon quidam falsis criminibus insimulatum exquirere nequiverat.) Simon auctor turbarum fuit regnante Seleuco Philopatre Syriæ Rege. Res multis verbis narratur cap. III. libri II. Maccabæorum, hoc modo: *Simon de Tribu Benjamin præpositus Templi studens novi aliquid in civitate moliri, ubi fortem obstitit esse adversarium Oniam Pontificem, virum integrum, per Apollonium Ducem Syriæ nunciavit Regi, esse Hierosolymis multas pecunias, quæ ad rationem Sacrorum non pertinerent; qua re motus Seleucus Rex misit Heliodorum ad eas auferendas, qui, Deo resistente, absportare non potuit. Nam ministris prodigiis cœlestibus territis ipse exanguis cecidit, nec nisi precibus Oniæ Pontificis salutem recepit. Simon autem cœpit Oniam criminibus incessere, & insidias tamquam bonorum malorum auctorem appetere, cùmque multæ cædes factæ fuissent, Onias periculum contentionis intuitus ad Regem se contulit, ut ope ejus civitati consuleret.* Quod autem apud Sulpicium legitur, *exquirere nequiverat*, videtur reponendum, *extinguere*. Nam Simon Oniæ insidias ad mortem, sed frustra, paravit, multæque cædes consequutæ sunt.

ANTIOCHUS EPIPHANES REX SYRIÆ.

Interjecto deinde tempore Jason frater Oniæ Antiochum Regem, qui Seleuco fratri successerat, adiit.) Ut hæc Pontificia Judæorum contentio clariùs elucescat, Pontifices a tempore Alexandri usque ad hæc tempora, auctore Josepho, enumerabo. Primus fuit Jaddus, inde Onias F. inde Simon Justus nepos, tum Simonis frater Eleazarus, deinde patruus ejus Manasses, tum Onias Simonis Justi filius, inde Simon filius, inde Onias filius, is, de quo modò dicebamus; quo cum primùm Simon Benjamites, deinde Jason frater ipsius Oniæ contendit de possessione Pontificatus sub Antiocho Epiphane Syriæ Rege, qui Seleuco fratri successerat.

Augmentum stipendii pollicens, si sibi summum Sacerdotium traderetur.) Quippe Simon egit apud Seleucum Regem, pecuniis abditis indicatis, Jason verò apud successorem Antiochum Epiphanem grandiore stipendii ostentatio. Hæc autem res sic proditur libro II. Maccabæorum, capite IV. *Post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset Regnum Antiochus Epiphanes, ambiebat Jason frater Oniæ Pontificatum, adito Rege promittens ei argenti trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta.*

Et quanquam insolitum, neque ante permissum cuiquam erat perpetuo Sacerdotio fungi.) Significat Sulpicius, si ita legas, Jasonem voluisse efficere ut Pontificatus, qui erat temporarius, fieret perpetuus contra instituta Judæorum: at contrarium petitt, ut Pontificatus ad tempus daretur; satis enim constat, Pontificatum ab initio fuisse perpetuum, atque ad hæc usque tempora ita servatum. Quare ita legendum: *Et quanquam insolitum, neque ante permissum cuiquam erat, non perpetuo Sacerdotio fungi, tamen Rex avaritia prævalente Oniam depulit, & Jasoni Pontificatum concessit.*

Sol-

(239) Non Seleuco, sed Ptolemæo Lagi, qui & Σωτήρ dictus. Is Hierosolyma Sabbatho occupavit; ut ex Agatharcide Cnidio Josephus XI. c. ostendit. ὁ δὲ Πτολεμαῖος πολλοὺς αἰχμαλώτους λαβὼν, ex montano Judææ tractu, Samaria, & Garisin, κατῴκισεν ἅπαντας εἰς Αἴγυπτον ἀγαγών. Ac propter fidem, per præsidia eos distribuit τοῖς Μακεδόσιν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ αὐτοὺς ποιήσας ἰσοπολίτας. Multi etiam sponte in Ægyptum migrarunt illecti ubertate terræ, & Ptolemæi benevolentia. Sic Josephus.

(240) Manifestum est legendum esse *externos Magistratus*, ut suspicatus est Sigonius. Vocat autem *externos Magistratus*, qui non ex ipsâ Judæorum gente, sed ex gentibus aliis lecti ac Judæis præfecti essent. Quòd autem tales noster intelligat, adparet ex eo, quod sequitur, *sed per Sacerdotes suos*. Nimirum *externos* & *suos* ex adverso ponit.

(241) Seleucus iste fuit septimus Rex Syriæ, cognomento Philopator sive Philopater: cui Epiphanes successit anno CCCXXXVII Regni Græcorum, quod à Seleuco Nicanore initium ducit.

(242) Pro *exquirere* omnino aliter legendum. Et Giselinus quidem *excutere*; Sigonius autem *extinguere* reponendum putat. Adludit sine dubio noster ad locum II. Macchab. III. 6. Καὶ νικῆσαι Ονίαν μὴ δυνάμενος *cum vincere Oniam non posset*. Unde Drusius apud nostrum quoque legendum judicat *vincere nequiverat*.

(243) Cognomento Ἐπιφανῆ, idest, Illustrem, qui post Ἐπιμανὴς dictus est, idest, Insanus. Hæc acciderunt post excessum Seleuci, anno Regni Græcorum, idest, Syro-Macedonum, CXXXVII.

Qui Epiphanes cognomine dictus fuit, & in Judæos in primis sævit.

(244) Talenta tria millia sexcenta sexaginta, Joseph. περὶ τῆς αὐτοκρατορικῆς, trecenta quinquaginta, & ex reditibus aliis talenta LXXX. Epitoma Jasonis. Hic denuo stipendium dixit pro tributo aut vectigali.

perpetuo Sacerdotio perfungi: (245) solicitus tamen Regis animus, atque æger avaritia, facilè superatus est. Ita depulso Onia, (246) Jasoni Sacerdotium est mandatum. (247) Is fœdè admodum cives, patriamque laceravit. (248) Dein cùm per Menelaum quendam, Simonis illius fratrem, promissam Regi pecuniam misisset, patefactâ semel ambitioni viâ (249) iisdem artibus, (250) quibus Jason prius, Menelaus quoque Sacerdotium obtinuerat. (251) Nec multo post, cùm is promissum argenti modum non reddidisset, (252) loco pellitur: Lysimachus substituitur. Inde inter Jasonem, & Menelaum fœda fuere certamina, donec Jason profugus patriâ excessit.

SERVITUS JUDÆORUM SUB ANTIOCHO EPIPHANE REGE SYRIÆ.

His initiis corruptis moribus, eò usque processum, ut plerique popularium (253) ab Antiocho poscerent, permitti sibi more gentilium (*) vivere. (b) Quod cùm Rex petentibus annuisset,

Solicitus tamen Regis animus facile superatus est. Ita depulso Onia, Jasoni Sacerdotium est mandatum.) Injuria Jasonis fuit multiplex, quòd pecunia ambivit non virtute, & à Rege, non a populo postulavit; quòd fratrem depulit, nec mortem ejus expectavit, & Pontificatum perpetuum temporarium fecit. Apud Maccabæos ita: *Quod cùm Rex annuisset, & obtinuisset Principatum.* Ex quo apparet, Pontifices tum Principatum in urbe gessisse.

Is fœdè admodum cives, patriamque laceravit.) Ibidem: *Ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanarium ponere.*

Dein cùm per Menelaum quendam Simonis illius fratrem promissam Regi pecuniam misisset, patefactâ semel ambitioni viâ, iisdem artibus, quibus Jason prius Menelaus quoque Sacerdotium obtinuit.) His est alter Pontifex, qui pecuniâ honorem ab Antiocho Epiphane emit, morte prioris non expectata; iisdem enim artibus intelligit incrementa stipendii; nam apud Maccabæos sic pergitur: *Et post triennii tempus misit Jason Menelaum supra dicti Simonis fratrem portantem pecunias Regi. At ille commendatus Regi, cùm magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit Pontificatum superponens Jasoni talenta argenti trecenta.* Josephus autem Menelaum Jasonis fratrem appellat. Si verò Maccabæorum historiam sequamur, Jason ultimus erit Pontifex ex posteris Eleazari.

Nec multo post cùm is promissum argenti modum non reddidisset, loco pellitur, Lysimachus substituitur.) Ibid. *Menelaus autem Principatum quidem obtinuit, de pecunia verò Regi promissa nihil agebat, cùm exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus, quam ob caussam utrique ad Regem sunt evocati. Et Menelaus amotus est à Sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo.*

Inde inter Jasonem, & Menelaum fœda fuere certamina, donec Jason profugus patriâ excessit.) Hanc rem multo uberiùs deinceps prodit caput V. Maccabæorum, his verbis: *Falso rumore de morte Regis Antiochi dissipato, Jason assumptis non minus mille viris, repentè aggressus est civitatem, & civibus ad murum convolantibus, ad ultimum capta civitate Menelaus fugit in arcem, Jason verò non parcebat in cæde civibus suis, & Principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterum abiit in Ammaniten, & de civitate in civitatem fugiens in Ægyptum extrusus est.*

(b) Hactenus de seditione dixit; mox quæ mala illa intulerit, subjicit. Est autem memoria repetendum, Hebræos tres clades propter peccata sua perpessos esse, servitutem in Ægypto, qua misericordia Dei post CD. annos liberati sunt; captivitatem in Babylonia, ex qua post annos LXX. in patriam reducti exempti sunt; tertiam verò esse hanc, quæ per Antiochum Epiphanem Syriæ Regem religione, patria ac simul libertate mulctati sunt: atque hæc omnia Deus illis per Prophetas eventura ostendit. Nunc verò quomodo in tertiam calamitatem, de qua Daniel, ut supra diximus, vaticinatus fuerat, lapsi sint, docetur in primo Maccabæorum cap. I. Immo primi libri historia hinc orditur: *In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem, & dedit illis potestatem, ut facerent justitiam gentium, & ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundùm leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt gentibus.* Josephus autem auctorem expressit inquiens: *Menelaus cum filiis Tobiæ Antiochiam ad Antiochum Epiphanem Regem adiit, spondens se patrias leges relicturum, & ritus Græcorum suscepturum,*

In-

(245) Facilè apparet esse hic mendum. Quippe non permissum tantùm, sed omnino moris fuit Sacerdotio fungi perpetuo: insolens verò Sacerdotio non perpetuo fungi. Sigonius igitur & Drusius addi volunt voculam *non*, legique *non perpetuo Sacerdotio perfungi*, vel *perpetuo Sacerdotio non fungi*.

(246) Demortuum scribit Josephus Oniam tertium. Alii autem eum Pontificatu ab Antiocho depulsum ajunt, ut Sulpicius Severus lib. II. Et vide Jasonis Cyrenæi breviarium capite IV. Quin & ipse Josephus libro de Rationis Imperio cap. IV. disertè de Antiocho: καταλύσας, inquit, τ̃ Ὀνίαν τ̃ ἀρχιερωσυνης, Ἰάσωνα τ̃ ἀδελφὸν αὐτῦ κατέστησεν ἀρχιερέα: *Oniam Pontificem exauctoravit, atque Jasonem fratrem ejus in Pontificatum evexit.* Quin paulò post iisdem artibus, & duplo scelere quam dederat Jason, Menelaus, qui & Onias nominatus, (nam præ Hebraicis jam Græca nomina, uti etiam & mores, malle cœperunt) licente, & cauponante Pontificatum Antiocho, in dignitatem, fratre abdicato, avectus est. Et tunc primum, pro dominantium libidine, & petentium ambitione, Pontificatus in tempus dari, atque auferri cœptus, qui antea perpetuus neque pro libitu exuendus erat. Josephus lib. XV. cap. III. ού γὰρ ἄλλος γέ τις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβών. ἀλλὰ πρῶτος μὲν Ἀντίοχος ὁ Ἐπιφανὴς ἔλυσε τ̃ νόμον, ἀφελόμενος μὲν Ἰησῦν, καταστήσας τ̃ ἀδελφὸν Ὀνίαν. *Neque solebat honor his semel assumtus abrogari. Sed primus Antiochus Epiphanes eam legem violavit, abdicato Jesu, & substituto Onia fratre ejus.* Vide sis eundem lib. XII. cap. VI. & lib. XIII cap. XV. Eusebium numero MDCCCLXV. & II. Maccab. IV.

(247) Summum puta, quod tum temporis & principatum sibi junctum habuit.

(248) Initio ritus Græcanicos introduxit & Gymnasium Jerosolymis instituit; post, cùm Menelaus ei esset suffectus, urbem cædibus implevit. Vide II. Macch. v. 6.

(249) Simile ferè illi: *Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris*, quod Terentius Heaut. III. 1. habet.

(250) Emit Pontificatum, ut antea Jaso fecerat, trecentis argenti talentis eum supergressus. II. Macchab. IV. 24.

(251) Sigonius legendum censet *obtinuit*; quod Drusius valdè probat.

(252) *Modus* pro eo quod vulgo quantitatem dicunt. Ita dicunt *modus bestiæ*, *modus mensuræ*, *modus jugeri*. Vide Ind. Corn. Nepotis.

(253) In queis Tobiæ filii, qui à Menelai partibus stabant. Josephus Antiquit. lib. XII. cap. VI.

(*) Ritu Græcanico. Josephus: *Major populi pars factionem Jasonis sequebatur, quorum vim non sustinentes Menelaus & Tobiæ filii secesserunt ad Antiochum, dicentes se velle relictis patriis institutis ac legibus, religionem Regis & Græcanicos ritus assumere.* Vide sequentia lib. XII. cap. VI. *Drus.*

set, certatim pessimus quisque delubra exstruere, idolis supplicare, legem profanare occœperat. Interea Antiochus rediens ab Alexandria (254) (namque tum bellum Regi Ægyptio intulerat, quod jussu Senatus & Populi Romani deposuit (255) Paulo & Crasso Consulibus) Hierosolymam adiit. Cùm discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset, legem Dei destruens, & his favens, qui impia sequebantur, omnia Templi ornamenta detraxit, (256) ac multa cæde vastavit. (257) Id gestum ab excessu Alexandri anno centesimo uno & quinquagesimo, Paulo, ut diximus, Crassoque Consulibus, post quinquennium ferè quàm Antiochus regnare cœperat. Sed ut temporum ordo consertus sit, ac liqueat evidentiùs, quis hic fuerit Antiochus, Regum, qui post Alexandrum in Syria fuerunt, & nomina, & tempora enumerabimus.

ENUMERAT OMNES REGES SYRIÆ USQUE AD EPIPHANEM.

Defuncto, ut supra retulimus, Rege Alexandro, ab amicis ejus Regnum omne divisum; (258) ac regio nomine (259) aliquandiu administratum est. (i) Seleucus post novem annos (260) in Syria Rex est appellatus, regnavitque annos duos & triginta. Post eum Antiochus filius ejus, annos unum de viginti. Inde Antiochus, Antiochi filius, qui & Theus cognominatus est, (261) annos quindecim. Post hunc Seleucus filius, cognomine Callinicus, annos

unum

Interim Antiochus ab Alexandria.) Ecce ut calamitas calamitatem infert. Seditio corrupit veterem disciplinam, depravatio disciplinæ accersivit vastationem, & deprædationem civitatis, & Templi. Quippe L. Æmilio Paulo, C. Licinio Crasso Coss. anno Urbis DLXXXV. Antiochus Epiphanes bellum inferens Ptolemeo Philometori Ægypti Regi specie reducendi Ptolemei Physconis majoris natu fratris, deterritus est a Romanis misso C. Popillio legato, qui mandata Senatus edidit, cùm ille in præsens respondere abnueret, illum virgula circumscripsit, & antequam eo circulo excederet, respondere jussit. Antiochus se pariturum dixit, atque ex Ægypto exercitum abduxit. Livius libro XLV. & Justinus libro XXXIV. atque inde. (*Hierosolymam adiit*) ut addit liber primus, & secundus Maccabæorum inquiens: *Et convertit Antiochus postquam percussit Ægyptum in centesimo quadragesimo tertio anno, & ascendit ad Israel, & ascendit Hierosolymam in multitudine gravi.*

Cum discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset, Legem Dei destruens, & iis favens, qui impia sequebantur, omnia Templi ornamenta detraxit, ac multa cæde vastavit.) Invenit quippe Antiochus partes duas populi, unam in vetere disciplina, & religione manentem; alteram superstitionibus gentilium depravatam; atque ita favens ei, quam ipse colebat, & Dei Legem evertens, Templum expilavit. Etenim *intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, quod in foris Templi erat, & comminuit omnia, & accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos, quos invenit, & sublatis omnibus abiit in terram suam*, & libro II. cap. V. *Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de Templo talentis velociter Antiochiam regressus est.* Hæc verò sic prædixit Daniel cap. VIII. *Cornu quod exiit ex uno quatuor cornuum harum usque ad Principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus; robur autem datum est contra juge sacrificium propter peccata.* Quod autem inquit Sulpicius: *Ac multa cæde vastavit*, lib. II. cap. V. Maccabæorum est: *Profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit, jussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus; fiebant ergo cædes juvenum, ac seniorum, mulierum, et natorum exterminia, virginumque & parvulorum neces; erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* Ex quibus legendum putarem apud Sulpicium: *Ac multa cæde urbem vastavit.*

(i) Ab Initio Reges Syriæ repetit. Mortuo Alexandro præfecti ejus regni totius provincias inter se distribuerunt, easque nomine Regis Arridæi administrarunt, ut ante dictum est. Inde ipsi se Reges appellarunt.

Seleucus post novem annos in Syria Rex appellatus est.) Eusebius non novem affert, sed duodecim. Ab hoc Seleuco liber Maccabæorum incipit annos regni Græcorum, teste quoque Eusebio. Numerus annorum Seleuci idem est apud ceteros, nempe XXXII. nominatus est Seleucus Nicanor.

Post eum Antiochus filius annos undeviginti.) Item ceteri; appellatus est Antiochus Soter.

Inde Antiochus Antiochi filius, qui & Theus cognominatus est, annos quindecim.) Item ceteri.

Post hunc Seleucus filius cognomine Callinicus annos XXI.) Item ceteri.

Item

(254) Joseph. XII. 6. 7. II. Macchab. V. Namque cepta Memphi ipsam Alexandriam, Regni tum Ægypti Metropolim, obsidere conabatur. Quanta illa urbs fuerit, vide apud Strabonem, & alios Geographos; ut & Tyrium XIX. Belli Sacri XXVII.

Nominibus orbium quoque præpositiones addi, nihil novum est. Quâ de re deditâ operâ egimus in lib. de Latin. f. fulp. pag. 698. & seqq.

(255) Nimirum Senatus Populusque Romanus ad Antiochum misit Popilium, qui illum abstinere Ægypto, aut, si jam incessisset, excedere juberet. Hic cùm cunctari eum, consultationemque ad amicos referre videret, virgâ, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut & amicos caperet, consulere jubet; nec prius inde exire, quam responsum Senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeòque hæc austeritas animum Regis fregit, ut pariturum se Senatui responderet. Quæ ita totidem verbis Justinus lib. XXXIV. scripsit.

(256) Templum spoliavit, ublatis inde vasis Sacri Ministerii, & inter cætera candelabris aureis, Altari aureo, Mensaque Propositionis, quam vocant, ac ne aulæis quidem relictis, quæ è cocco, & bysso constabant. *Josephus*. Nec thesauris etiam pepercit: nam abstulit è Templo mille octingenta talenta. Breviarium Jasonis.

Legendum fortasse: *omnia Templo ornamenta detraxit.*

(257) Historia poscit, ut legamus: *multa cæde eam vastavit.* Tanta enim virorum mulierumque occisio, tanta virginum ac puerorum facta cædes est, ut tribus non amplius diebus, octoginta hominum millia perierint. Jaso Cyrenæus: *Direptâque tota urbe, habitatores partim necavit, partim captivos cum liberis & uxoribus abduxit, usque ad decem millium numerum.* Josephus lib. XII. cap. VII. Hanc miseriam & vastationem prædixit Daniel VIII.

Drusius legendum censet: *Multâ cæde urbem vastavit*: quod sanè per est verosimile. Non enim præcedit, ad quod illud *multa cæde vastare* commode referri possit.

(258) Supra pag. 126. *Regnum amici ejus partiti sunt.* Vide Notas ad dict. pag. num. 234.

(259) Supra pag. 127. *Sine usurpatione regali susceptas partes procuraverunt*, idest, non se pro Regibus gesserunt, sed nomine Regis Aridæi, Alexandri fratris, provincias gubernarunt.

(260) Eusebius XII. annos habet. Seleuci Regis exordium novam æram in Oriente peperit, qua Judæi plurimùm usi sunt, postquam sub Græcorum dominatu esse cœperunt. Hanc æram *Tarik dhilkarnain* Arabes vocant, idest, epocham τοῦ δικέρωτος, *corrnigeri*. Is est Alexander M. qui se Ammonis, sive Jovis cornigeri filium existimari volebat. Ita passim Albatenius eam appellat. Judæi מנין שטרות *æram contractuum*, quòd illam ad obsignandos contractus adhiberent: etsi de appellationis origine minus constat. Illud extra dubitationem est, hujus initium epochæ ab illo anno procedere, qui ante Christianam æram putatur 312. & est Per. Jul. 4402. quo 117. Olympias init. *Petavius*. De Regibus Syriæ, vide Appianum in Syriacis, Justinum, Livium, & alios.

(261) Idest, Deus. Hunc pater ex noverca genuit, quem post uxor ejus veneno sustulit. Theum autem primi cognominavere Milesii, quia Timarchum eorum Tyrannum occiderat. *Appianus*.

unum & viginti. Item Seleucus filius Callinici, (262) annos tres. Hoc defuncto, Antiochus frater Callinici Asiam & Syriam tenuit (263) annos septem & triginta. Hic est Antiochus, adversùs quem Scipio Africani frater bellavit: quo bello victus, & Imperii parte mulctatus est. (264) Hic duos filios habuit, Seleucum & Antiochum, quem obsidem Romanis dederat. Ita Antiocho Magno mortuo, Seleucus ejus filius natu minor Regnum adeptus est: sub quo Oniam Sacerdotem (265) à Simone insimulatum diximus. Tum Antiochus à Romanis dimissus, datusque in locum ejus obses Demetrius Seleuci Regis, qui eo tempore regnabat, filius. Seleuco mortuo, anno Imperii duodecimo Regnum frater Antiochus, qui Romæ obses fuerat, occupavit.

REDIT AD SERVITUTEM JUDÆORUM SUB ANTIOCHO EPIPHANE.

Is post quinquennium, quàm regnare cœperat, (k) ut supra docuimus, Hierosolymam depopulatus est. (266) Etenim grave Romanis stipendium pensitans, (267) ipse immensis sumptibus pæne necessario cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occasionem omittere. Post biennium deinde, pari rursum clade affectis Judæis, ne fortè frequentibus malis

Item Seleucus filius Callinici annos tres.) Eodem modo ceteri: Huic Cerauno cognomen fuit; teste Eusebio in Chronicis.

Hoc defuncto, Antiochus frater Callinici Asiam, & Syriam tenuit annos XXXVII.) Et hoc quoque alii.

Hic est Antiochus, adversus quem Scipio Africani frater bellavit.) L. Scipio Consul P. Scipionem victorem Africæ fratrem legatum habens bellum gessit contra Antiochum, cognomento Magnum, & parte regni ultra Taurum mulctavit, unde Asiatici cognomen invenit. Livius, & ceteri.

Hic duos filios habuit Seleucum, & Antiochum, quem obsidem Romanis dederat.) Antiochus Magnus, cùm pacem cum Romanis fecit, ex duobus filiis unum majorem natu obsidem eis dedit, nomine Antiochum. Alter verò minor nomine Seleucus post mortem ejus regnum cepit.

Ita Antiocho Magno mortuo, Seleucus ejus filius natu minor regnum adeptus est.) Non testamento, aut jure, sed occasione absentiæ fratris Antiochi, quem pater Romam obsidem miserat. Hic est autem Seleucus Philopater, sub quo primùm Resp. Judæorum seditionibus agitare cœpta est per Simonem, qui Oniam Pontificem accusavit, ut supra dictum est.

Tum Antiochus à Romanis dimissus, datusque in locum ejus obses Demetrius Seleuci Regis, qui eo tempore regnabat, filius.) Si obses dabatur a Rege ad fidem fœderis confirmandam; ergo a Seleuco Rege obses erat repetendus. Quare Romani dimisso Antiocho, qui post Epiphanes dictus est, Demetrium Regis Seleuci filium obsidem receperunt.

Seleuco mortuo anno Imperii XII. regnum frater Antiochus, qui Romæ obses fuerat, occupavit.) Hic est inquam Antiochus Epiphanes, de quo supra dici cœptum erat.

(k) Nunc redit eò, unde diverti, ut dicat de Antiocho Epiphane, qui Hierosolymam, & Templum diripuit; repetit autem verba superiora: *Id gestum post quinquennium ferè quàm Antiochus regnare cœperat.*

Etenim grave Romanis stipendium pensitans.) Stipendium intelligit impositum à Romanis, Antiocho Magno devicto.

Post biennium deinde pari rursum clade affectis Judæis, ne fortè frequentibus malis compulsi bellum sumerent, præsidium arci imposuit.) Addit, ut civitatem David in arcem immutaverit, & præsidio firmarit. Libro I. cap. I. Maccabæorum. *Et post duos annos misit Rex Principem tributorum in civitates Juda, & venit in Hierusalem cum turba magna, & irruit super civitatem repente, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israël, & destruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu, & ædificaverunt civitatem David muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem, & posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & convaluerunt in ea.* Ceterùm tres fuere colles in urbe, inquit Josephus lib. V. de bello. Unus in quo erat urbs, quam David construxerat, & civitatem David vocabant; alter, in quo erat arx, qui undique declivis erat, & subjectam urbem inferiorem habebat; tertius humilior, in quo erat Templum. Ergo Syri urbem Davidis occupatam in arcis formam redegerunt, ac præsidio tenuerunt.

Inde

(262) Qui Κεραυνός dictus, & πώγων. Imperio præfuit annos tres, nec à valetudine firmus, nec ab opibus. Quocirca exercitum continere in officio non potuit. Appianus auctor eum sublatum fuisse veneno, purpuratorum perfidia, post exactum annum Regni alterum.

(263) Asiam, victo Achæo, Mediam quoque, Persiam, Hyrcaniam, Bactrianam, & omnes excepta Parthia superioris Asiæ provincias, recepit. *Polyb.* 7. 8. 10 11. *Justin.* 41. *Appian* in Syriac. Judæam quoque Ægyptio Regi eripuit. *Joseph.* 12. 3.

(264) Pacis leges Antiocho ita datæ fuerunt, ut Europa omni abstineret, Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, decederet: pro impensis autem in bellum factis XVCIↃ. talentorum Euboicorum daret, mille talenta per XII. annos penderet. In Chronico Eusebii: *Post prælium quo in Thermophylis est victus Antiochus, hoc inter Romanos, & eum convenit, ut mille talenta per annos singulos vectigalis nomine eis solveret.* Unde Tacito Histor. II. Antiochus dicitur inservientium Regum ditissimus. Vide Grotium III. De Jure Pacis & Belli XV.

Justinus lib. XXXI. *Post hæc leges pacis dicuntur: ut Asia Romanis cederet, contentus Syriæ Regno esset.* Ceterùm *multari parte imperii* talis phrasis est, quales *pecuniâ damnari, agro multari, tergo & capite puniri*. Livius lib. III. *Qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique Magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* Item: *Tetrini fusi fugatique castris exuti, agro multati, sub jugum missi & se & vos novere.*

(265) Qui III. hujus nominis. Ab ejus filio Onia conditum Templum in agro Heliopolitanæ Præfecturæ prope Memphim. Quod aliud est ab illo, quod Onias Simonis Justi filius exstruxit. Quæ duo Templa multi imperitè confundunt. Nam hoc in Alexandrina Præfectura. Tempus, locus, persona utriusque invicem discrepat. Et Judæis extra patriam degentibus, non solùm in Ægypto, sed alibi etiam fuisse Templa complura (quæ tamen ex jure Hebraico semper damnanda) manifesto liquet ex Oniæ, Oniæ tertii filii, libello supplice Philometori, apud Josephum, de Templo Leontopolitano, porrecto. Ex vix dubitare queo, Strabonem de Hebræorum aliquo, in Ægypto, Templo locutum esse, ubi verba faciens de Ægyptiaca Templorum extruendorum ratione: ἔστι δέ τις, inquit, καὶ πολύστυλος οἶκος, καθάπερ ἐν Μέμφει βαρβαρικὴν ἔχων τὴν κατασκευήν. Πλὴν γὰρ τοῦ μεγάλους εἶναι καὶ πολλούς, καὶ πολυστίχους τοὺς στύλους, οὐδὲν ἔχει χαρίεν, οὐδὲ γραφικόν, ἀλλὰ ματαιοπονίαν ἐμφαίνει μᾶλλον.

(266) Paulò ante similiter: *post quinquennium ferè quàm Antiochus regnare cœperat.* Ex quo adparet, voculam *ferè*, ut sæpe, hic παρέλκειν. Porrò *post quinquennium quàm* simile illi, quod observatum est supra, *ante quadriennium quàm*. Ita Nepos III. 3. 3. *Post quartum annum quàm*. Varias formulas ἰσοδυναμούσας, vide supra Notas in pag. 124. num. 131.

(267) Gravi tributo pacis à Romanis victus oneratusque. *Justinus*.

Livius lib. XLII. *Legatorum princeps Apollonius multis justisque caussis Regem* (Antiochum) *excusavit, quod stipendium serius quo ad diem præstaret: id se omne advexisse, ne cujus nisi temporis gratiâ Regi fieret. Dono præterea adferre vasa aurea quingentum pondo.*

his compulsi bellum sumerent, præsidium arci imposuit. (268) Inde sacram legem evertere aggressus, mittit edictum, ut omnes relictis majorum suorum traditionibus, gentilium ritu viverent. Nec defuere, qui profano imperio volentes parêrent. Tum verò fœdum spectaculum, per universam urbem palàm in plateis Diis litabatur: sacra etiam legis & Prophetarum volumina (269) igni cremata.

RESTITUTIO JUDÆORUM.

ASSAMONÆORUM PRINCIPATUS.

Matthatias Assamonæus Princeps Judæorum.

Ea tempestate Matthatias, Joannis filius (270) Sacerdos erat. (*l*) Hic cùm à Regiis cogeretur (271) edicto parêre; egregiâ constantiâ profana contemnens, Hebræum publicè profanantem in ore omnium jugulavit. (272) Tum demum reperto duce facta secessio est. Matthatias oppido egressus, (273) multis ad eum confluentibus speciem justi exercitus effecerat: queis omnibus destinatum erat, adversùs profanum imperium se armis tueri, & in bello potiùs occumbere, quàm impias ceremonias exercere.

Interea Antiochus per Græcas quoque urbes, (274) quæ in illius imperio erant, repertos Judæos sacrificare cogebat, (*m*) inauditisque cruciatibus (275) reluctantes afficiebat. Qua tempestate

Inde sacram legem evertere aggressus mittit edictum, ut omnes relictis majorum suorum traditionibus gentilium ritu viverent.) Adjicit, ut disciplinam veterem labefactarit Epiphanes. Ibidem. *Et scripsit Rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus, & relinqueret unusquisque legem suam, & consenserunt omnes secundum verbum Regis Antiochi, & multi ex Israël consenserunt servituti ejus, & sacrificaverunt Idolis, & coinquinaverunt Sabbatum, & misit Rex libros per manus nunciorum in Hierusalem, ut sequerentur leges gentium terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificia, & celebrari Sabbatum.*

Tum vero fœdum spectaculum, per universam urbem palàm in plateis Diis litabatur, sacra etiam legis, & Prophetarum volumina igni cremata.) Concludit miserabilem speciem Hierosolymæ, quæ ad gentilitatem redacta erat; sic enim in primo Maccabæorum uberiùs. *Quinto & quadragesimo & centesimo anno* (idest, Regni Græcorum) *ædificavit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super Altare Dei, & per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras, & ante januas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant, & libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & quicumque observabat legem Domini secundum edictum Regis trucidabant eum. Idolum autem fuit Jovis Olympii.*

(*l*) Hactenus clades Judæorum exposita, qua gens deleta, urbs vastata, Templum direptum, & religio immutata per Antiochum fuerat. Hinc restituendæ libertatis, reparandæ urbis, & reformandæ religionis ducitur initium, qui status post Judæorum Remp. tenuit, quo usque nova fratrum regum seditione res turbari sunt cœptæ, & Judæi in ditionem Romanorum redacti. Auctor tam præclari, ac memorandi operis fuit Matthatias Assamonæus una cum Juda Maccabæo, Jonatha, Simone, & Joanne filiis, qui omnes deinceps post eum Principatum Judæorum adversus Syriæ Reges impotentius se gerentes ceperunt, & eximiam in vindicanda, & conservanda libertate operam, ac fortitudinem præstiterunt, lib. I. Maccabæorum cap. II. Quare ex hoc loco exordium capit celeberrimus Assamonæorum Principatus; qui usque ad Herodem Regem Hierosolymis, primùm nomine Principis, deinde Regis rerum potiti sunt, ac cum regno etiam Pontificiam dignitatem conjunxerunt, quousque Christus accessit, qui Judæorum Rex simul, & Pontifex in æternum erat constitutus.

Hic cùm à Regiis cogeretur edicto parêre egregia constantia profana contemnens, Hebræum publicè profanantem in ore omnium jugulavit.) Primum exponit ardens Matthatiæ studium in religione tuenda, deinde in libertate vindicanda. Studii sui erga religionem documentum illud insigne dedit, quòd Hebræum profanantem, idest, idolis sacrificantem, ferre non potuit, atque in conspectu omnium interemit. Quam rem liber Maccabæorum sic expressit: *Dixere Regii ad Matthatiam; Accede prior, & fac jussum Regis, sicut fecerunt omnes gentes, & viri Juda, & qui remanserunt in Hierusalem. Quibus ille respondit: Etsi omnes Regi Antiocho obediunt, ut discedant unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiant mandatis ejus; ego, & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Accessit tum quidam Judæus in omnium oculis sacrificare Idolis super aram in civitate Modin secundum jussum Regis, & vidit Matthatias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram.*

Tum demum reperto duce facta secessio est.) Deinceps narrat studium recuperandæ libertatis, qui se ducem prætulerit. Siquidem, ut ibi scriptum est: *Et fugit Matthatias, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate, tunc descenderunt multi quærentes judicium, atque justitiam in desertum.* Itaque speciem justi exercitus, ut inquit Sulpicius, Matthatias effecit. Cùm ergo justitiam, & judicium ab eo poscerent, apparet, ut scribit Josephus, eum Principem constitutum.

(*m*) Non contentus Antiochus profanasse Judæam, etiam Græciam ipsam invasit. *Etenim decretum exiit in proximas gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut & pari modo & ipsi adversus Judæos agerent, & sacrificarent; eos autem, qui nollent transire ad instituta gentium, interficerent; erat ergo videre miseriam*, cap. VI.

(268) Hæc & cetera hujus capitis ex versiculo XXXV. & seqq. capitis I. lib. I. Maccab. deprompta sunt.

(269) Legis vocabulo intelligit quinque libros Mosis & Prophetarum etiam Hagiographos, qui latiore significatione Prophetæ fuerunt. Auctor More (id est Moses Ægyptius) de his, *omnes scripti erant* θεοπνεύστως, *& omnes vocantur Prophetæ*. Ita sumes in illo, *habetis Legem, & Prophetas*.

(270) Mathathias patrem habuit Johannem, avum Simeonem. Neuter horum Pontifex fuit. Quocirca non est credibile, Mathathiam Pontificem fuisse. Quod tamen Hebræi temerè nimis adfirmant. Nam ea tempestate Summum Sacerdotium venale *erat*, quod pessimi quique consequebantur. Cognomen ei erat Hasmonæus: unde *Hasamonæus & filii ejus*; & *fœdus quod inter Romanos & Judam filium Hasamonæi*, idest, Mathathiæ. Hinc origo nominis Hasamonæorum, quo posteri ejus omnes appellantur, quos nos Maccabæos vocamus. Discere R. David ad vocem Hasmannim, quæ habetur Psal. LXVIII. 32. *Mathathias filius Johannis vocatur Hasamonæus, & similiter filii ejus omnes vocantur Hasamonæi*. Minus benè Josephus: *Mathathias filius Johannis, qui fuit Simonis ex Hassamonæo genitus*. Nec meliùs auctor Chronici Eusebius: *Mathathias quidem ex Sacerdotibus, filius Hasamonæi*.

(271) Quorum dux erat Philippus quidam. Historia Hebraica, Chronicon Templi secundi. *Appelles*, quem una cum Judæo profanante Mathathias occidit. *Joseph.*

(272) 1. Macc. II. 23. *Accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare Idolis super aram in Civitate Modin, secundum jussum Regis. Et vidit Matathias, & insiliens trucidavit eum super aram*. Ergo *profanare* hic intransitive positum pro *profana sacra facere*, *Idolis sacrificare*. Quod in Græco est ἐν ὀφθαλμοῖς πάντων, & in versione Latina *in oculis omnium*, pro eo noster habet *in ore omnium*; & conjungit cum verbo *jugulavit*.

(273) Oppido Modin, in quo habitavit. Vide I. Macc. II. 1. 15. 28.

(274) Finitimas. Id faciebat suggerentibus Ptolemæis. Vide II. Machabæorum cap. VI. vers. 8. & seqq.

(275) Ac tandem etiam occidebat. Sint pro exemplo duæ mulieres, quæ infantes suos circumciderant, quas suspensis de mammis infantibus, publicè per urbem circumductas inaudito exemplo, de muro præcipitarunt. Historia refertur II. Maccab. cap. VI. vers. 10.

pestate illustris illa passio septem fratrum, matrisque fuit: qui omnes, cùm legem Dei & instituta majorum violare suppliciis cogerentur, mori maluerunt. Ad extremom pœnas mortesque eorum comitata mater est.

JUDAS MACCABÆUS PRINCEPS JUDÆORUM.

Interea Matthatias moritur: Vicatium exercitoi, qoem paraverat, ducem, Judam filium sobstituit. (n) Hujus ductu, adversùs Regins, frequentibus prœliis prosperè pugnatum. Nam primùm Apollonium ducem hostium, qui magois copiis in conflictum descenderat, (276) cum omni exercitu delevit.

Quod cùm Seron quidam, qoi tum Syriæ præerat, comperisset, multiplicatis legionibus Judam (o) aggressus, (277) ferox, quia numero præstabat, ubi in certamen descensum, fusus ac fugatus, octingentis ferme amissis, (278) in Syriam regressus est.

Id ubi compertum est Antiocho, ira & dolore Inceensus (quippe angebatur duces suos com magnis exercitibus devictos) auxilium per omne Regnum contrahit, (p) donativum militibus exhaustis penitus thesauris (279) largitur. Etenim tum præcipuè graviter pecuniæ inopiâ affectus erat. Nam deficientibus Judæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, (280) præterea Græcis urbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis (ne gentilibus quidem pepercerat: quos deferere inveteratas superstitiones, & ad unum ritom deducere tentaverat:) (281) illis quidem, ubi nihil sancti erat, facilè relinquentibus: (282) sed tamen omnibus metu ac clade affectis, vectigalia cessaverant. Quibus rebus æstuans (etenim

Qua tempestate illustris illa passio septem fratrum, matrisque fuit.) Hi septem fratres Maccabæi dicuntur, qui, ne carnibus suillis Judæorum lege vetitis, vescerentur, sartagines accensas, aliaque tormenta sævissima, ac mortem denique acerbissimam pertulerunt, ac summâ constantiâ Regi præparatam damnationem denunclarunt. Mater autem filios ad supplicia patienda hortata, eodem cum illis supplicio est affecta, cap. VII. libri II. Maccabæorum. Horum passionem Ecclesia Kalend. Augusti celebrat, ut in veteribus Martyrologiis scriptum est. Quare in eum diem multæ quoque Sanctorum scriptæ extant homiliæ. Horum etiam martyria expressit S. Cyprianus in libro de exhortatione martyrum.

(n) Jam ad res gestas Judæ, cognomento Maccabæi, Matthatiæ filii transit, qui patris ducatum excipiens libertatem Judæorum restituit; de quibus cap. II. sic agitur: *Et defunctus est anno centesimo quadragesimo sexto, & sepultus est Matthatias à filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israël planctu magno.* Inde capite III. *Et surrexit Judas, qui vocabatur Maccabæus, filius ejus pro eo, & adjuvabant eum omnes fratres ejus, & universi, qui se conjunxerant patri ejus.*

Hujus ductu adversùs Regios frequentibus prœliis prosperè pugnatum.) Res à Juda prosperè gestæ multæ narrantur, quarum summam hanc proponit, partes sigillatim subinde persecuturus.

Nam primùm Apollonium ducem hostium, qui magnis copiis in conflictum descenderat, cum omni exercitu delevit.) Primùm cum Apollonio duce Judas conflixit, eumque extinxit. Ibidem. *Et congregavit Apollonius gentes, & à Samaria virtutem multam, & magnam ad bellandum contra Israël. Et cognovit Judas, & exiit obviam illi, & percussit, & occidit illum, & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt, & accepit spolia eorum.*

(o) Secunda Judæ expeditio fuit contra Seronem, de qua ita ibid. *Et audivit Seron Princeps exercitus Syriæ, & præparavit se, & ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarii, ut facerent vindictam in filios Israël, & appropinquaverunt usque ad Bethoron, & exivit Judas obviam illi cum paucis; ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, confirmatis animis insiluit in eos subitò, & contritus est Seron, & exercitus ejus in conspectu ipsius, & persecutus est eum in descensu Bethoron usque in campum, & ceciderunt ex iis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philistiim.*

(p) Jam tertiam expeditionem Judæ expositurus est, quam prosperè obivit adversùs Lysiam Antiochi ducem. Ante verò apparatum militum, & pecuniarum exponit, quas Antiochus in auxilia colligenda impendit. Qua de re sic in eodem loco: *Ut autem audivit Antiochus sermones istos, iratus est animo, & congregavit exercitum universi regni sui castra fortia valde, & aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui, & mandavit illis, ut essent parati ad omnia.*

Donativum militibus, exhaustis penitus thesauris, largitur. Etenim tum præcipuè graviter pecuniæ inopia affectus erat.) Antiochus, ut milites ad fortiter pugnandum donis accenderet, thesauros ipsos, largiendi caussâ, exhausit. Quare in magnam pecuniæ inopiam incidit. Hoc sic in Maccabæis: *Et vidit, quod defecit pecunia de thesauris suis.*

Nam deficientibus Judæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, præterea Græcis urbibus, multisque regionibus persecutionis malo turbatis, (ne gentilibus quidem pepercerat, quos deferere inveteratas superstitiones, & ad unum ritum deducere tentaverat,) illis quidem, ubi nihil sancti erat, facilè relinquentibus, sed tamen omnibus metu, ac clade affectis, vectigalia cessaverant.) Hæc ipsa ante adeò obscura erant, ut non intelligerentur. Nunc reposita parenthesi, quæ sensum omnem verborum non expressa turbabant, planè elucescunt. Gravi tum, inquit, Rex pecuniæ inopia laborabat. Nam vectigalia cessaverant Judæis ab eo defi-

(276) Legendum fortasse *cum magnis copiis*. Mox simili phrasi dixit: *In certamen descensum.* Et cap. proximo: *Forti animo descenderant in prœlium.* Item: *In aciem descensum.* Sic Justinus lib. XXI. cap. II. *A militibus prædam, & urbis direptionem sperantibus descendere in prœlium cogitur.* Et lib. XV. cap. I. *Negavit se ejus belli præmia socios admissurum, in cujus periculum solus descenderit.*

(277) Utitur vocabulo *legiones*; quasi de militiâ Romanâ loqueretur. Sic & in libro I. cùm de manumissione servorum Hebræorum ageret, vocabulo *vindictæ* utebatur.

(278) Εἰς ἄνδρας ὀκτακοσίους, I. Maccab. III. 24. cæteri fugerunt in terram Philisthæorum.

(279) Condita deficiente pecunia, I. Maccab. III. 29. Vide quoque I. Maccab. I. 41. & Josephum Ant. hist. libro 12. cap. 11.

(280) Eam ferè summam jam Seleuci Nicatoris, primi Syriæ Regis, tempore penderant. Supra pag. 127. *Quâ tempestate Judæi annuum stipendium, trecenta argenti talenta Regi dabant.*

(281) Hæc parenthesi circumscribenda ac à ceteris separanda esse, Sigonius docuit. Quod nisi fiat, intelligi ista vix possunt. Sensus autem est, Antiochum ne gentilibus quidem suas superstitiones reliquisse, sed has deferere eos coegisse. Sed annon putandum aliquam vocem hic excidisse, & legendum ferè esse: *Quos deferere inveteratas superstitiones compulerat, vel coegerat.* Sanè verbum *tentaverat* referri huc non potest. Quam ineptum enim foret: *Quos deferere inveteratas superst. tentaverat?* Drusius hic monet, veteres Christianos maluisse dicere *gentiles*, quam *gentes*, & *ethnicos* quam ἔθνη. At scire licet, subinde & *gentes* adpellare, voce primitivâ, non derivatâ. Ut ipse noster capite proximo: *Quod everfum ab Antiocho, profanatumque à gentibus.* Quæ autem adpellationis hujus sit ratio, supra ad pag. 12. libri I., & ad pag. 115. libri II. not. 131. exposuimus.

(282) Scriptum ita pro *illis quidem*, Judæis putà, *omnibus, apud quem nihil sancti erat, facilè relinquentibus*: & quod sequitur: *Sed tamen omnibus metu, ac clade affectis*, pro *omnibus vero*, (tam gentilibus putà, quam Judæis) *metu & clade affectis*.

nim ipse olim omnibus Regibus opulentior, (283) suomet scelere inopiam persenserat) copias cum Lysia partitur, (284) eique Syriam, (285) & bellum adversùs Judæos committit, ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lysias duces belli deregit, Ptolemeum, Gorgiam, Doronem, & Nicanorem: his XL. millia peditum, septem equitum data. Ac primo impetu magnum Judæis terrorem intulerunt. Tum Judas cunctis desperantibus suos adhortatus, forti animo descenderent in prœlium: Deo fretis, nihil invictum fore: sæpe antea à paucioribus adversùm plures bene pugnatum. (286) Jejonio indicto, celebratoque sacrificio, in aciem descensum, fusæ hostium copiæ: (287) Judas castris potitus, multumque ibi auri & Tyriarum opum (288) repertum. Namque ex Syria negotiatores nihil de victoria dubitantes, Regium exercitum secuti, spe captivos mercandi, prædæ fuere.

Hæc ubi Lysiæ ex nuntiis comperta, majore cura copias parat: annoque post, immani exercitu Judæos aggreditur, victus deouo Antiochiam se recepit. (q)

Judas pulsis hostibus Hierololymam regressus, (289) purgare Templum, & restituere, animam intendit: (r) quod eversum ab Antiocho, (290) profanatomque à geotibus, fœdam sui speciem præbebat. Sed Syris arcem tenentibus, quæ cootinua Templo, (291) & loci natura supe-

deficientibus, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, & Græcis persecutionis malis turbatis. Judæis quidem facilè cum relinquentibus, apud quem nihil sancti erat; gentilibus verò omnibus metu, ac clade affectis. Nam Antiochus Rex ne gentilibus quidem pepercerat, cùm cogeret eos, veteribus relictis superstitionibus, ad unum ritum adducere. Expressit autem, aut potiùs adumbravit illa, quæ etiam propter orationis angustias apud Maccabæorum historiam sunt obscura. *Et tributa regionis modica propter dissensionem, & plagam, quam fecit in terra, ut tolleret, & timuit, ne non haberet ut semel, & bis sumptus, & donaria, quæ dederat ante larga manu.*

Quibus rebus æstuans (etenim ipse olim omnibus Regibus opulentior, suomet scelere inopiam persenserat) copias cum Lysia partitur, eique Syriam, & bellum adversùs Judæos committit, ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus.) Quod inquit Antiochum omnibus Regibus opulentiorem fuisse, expressit de Maccabæorum libro, in quo est: *Et abundaverat super Reges, qui ante fuerunt.* Reliqua verò de bello Lysiæ mandato eu eis: *Et reliquit Lysiam super negotia Regia à flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti, & ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret, & cogitavit ire in Persidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum.*

Igitur Lysias duces belli delegit Ptolemeum, Doronem, Gorgiam, & Nicanorem.) Lysias non ipse ad bellum prodiit, sed duces alios misit, Ptolemeum Dorymini filium, Gorgiam, & Nicanorem; sic enim legendum apparet ex Maccabæis: *Elegit Lysias Ptolemeum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam.* Sic etiam legit Josephus. XL. autem millia peditum, & VII. equitum data, etiam Scriptura testatur.

Tum Judas cunctis desperantibus suos adhortatus.) Duo conquisivit subsidia Judas, unum militem, quos verbis ad virtutem navandam accendit; alterum Dei, quem jejunio & precatione propitiavit. Ibidem: *Et vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, & dixerunt unusquisque ad proximum suum. Erigamus dejectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris, & congregatus est conventus, ut essent parati ad prælium.*

Jejunio indicto, celebratoque sacrificio in aciem descensum.) Deinceps: *Et jejunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua, & expanderunt libros legis.*

Fusæ hostium copiæ.) Ibidem: *Et exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt ii, qui erant cum Juda, & congressi sunt, & contritæ sunt gentes, & fugerunt in campum.*

Judas castris potitus, multumque ibi auri, & Tyriarum opum repertum.) Ibidem: *Et Judas reversus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.* Purpuram marinam vertit Sulpicius Tyrias opes.

Namque ex Syria mercatores nihil de victoria dubitantes Regium exercitum sequuti spe captivos mercandi prædæ fuere.) Hoc ante scriptum fuerat cap. III. *Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, & acceperunt argentum, & aurum multum valde, & pueros, & venerunt in castra, ut acciperent filios Israël in servos.* Syros autem mercatores dixit Sulpicius, quia ea gens maximè illi quæstui dedita fuit.

(q) Quarta hæc est clades, quam Judas Lysiæ Antiochi duci attulit, de qua sic in Maccabæis; *Quibus auditis Lysias consternatus animo deficit, & sequenti anno congregavit virorum electorum sexaginta millia, & equitum quinque millia, ut debellaret eos, & occurrit illis Judas cum decem millibus viris, & commiserunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Videns autem Lysias fugam suorum, & Judæorum audaciam, & quòd parati essent aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam.*

(r) Ex hoc loco incipit reformatio religionis, quam Antiochus deleverat, tribus annis & sex mensibus, postquam abolita ab Antiocho fuerat, quod etiam prædictum esse à Daniele volunt, cap. VIII. & XII. cùm dixit, fore, ut post dies mille trecentos mundaretur Sanctuarium, hoc verò opera Judæ perfectum. *Dixit enim ille & fratres ejus: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renovare, & congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas.*

Sed Syris arcem tenentibus, quæ continua Templo, & loci natura superior, atque inexpugnabilis erat, adiri subjecta non poterant, crebris eruptionibus prohibentibus; adversùs hos Judas validissimam suorum aciem objecit.) In eodem loco sic pergitur: *Tunc ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversùs eos, qui erant in arce, donec emundaret*

(283) Adludit ad illud I. Maccab. III. 30. Ἐπερίσσευσεν ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἔμπροσθεν. Quod Interpres antiquus vertit: *Et abundaverat super Reges, qui ante eum fuerant*; recentior Castalio autem in aliam sententiam: *Reges omnes superiores largitione superaverat.*

(284) Homine nobili & Regio genere orto. I. Maccab. III. vers. 32. Ex historia Hebraica colligimus fuisse filium fratris Antiochi. Nam compositor illius historiæ Gorionides appellat eum filium patrui, sive patruelem Eupatoris. Erant ergo Lysias & Eupator duorum fratrum filii, hoc est, ἀδελφιδοί. Quod Appianus scribit de Demetrio & Eupatore.

(285) Constituit eum super negotia Regia à flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti: tum etiam filium nutriendum ei reliquit.

(286) Ut *malè pugnare* dicunt pro *infeliciter pugnare*; ita *benè pugnare* pro *feliciter pugnare*. Paulò supra dicit *prosperè pugnatum*. Contrarium *malè pugnare* habet Justinus lib. XXXII. cap. III. *Nepos* id dicit *malè rem gerere*. Vide & Ind. in hunc voce *malè*.

(287) Occisa sunt ad tria millia. Hæc in Maspha acciderunt. Vide I. Maccabæorum cap. IV. vers. 23. *Joseph.*

(288) Purpura marina. *Drusius*. Tyrus prisci orbis unicum ferè emporium fuit; de cujus divitiis & classibus, incredibilia ferè sunt, quæ antiqui tradunt. Sed nemo exactiùs Propheta Ezechiele, cap. XXVIII. Ex quo patet, cur Tyriæ opes in proverbium abierint.

(289) Joseph. XII. 11. I. Maccab. IV. Anno Regni Syriæ sive Græcorum CXLVIII.

(290) Triennio ante. Eversum autem Templum dicit propter abolitam ibi deletamque religionem. Eam Judas restituere animum intendit, purgareque Templum, quod profanatum fuerat superstitione gentilium. Hæc prædictum à Daniele volunt. Dan. VIII. 14. & XII. 12.

(291) Quæ Templo superstabat. *Joseph. XII.* 14. Sed vide num potius legendum sit: *quæ contigua Templo.* Arcem autem dicit quam superiùs acram & acropolim vocari diximus. Unde in libro jejunii *filii Acræ* vocantur, qui illic in præsidio sedebant.

Drusius suspicatur legendam esse *contigua*.

superior, (292) atque inexpugnabilis erat, adiri subjecta non poterant, (293) crebris eruptionibus prohibentibus. Adversùm hos Judas validissimam suorum aciem objecit. Ita opus sacræ ædis curatum, Templumque muro circumdatum, constitutique qui perpetuum præsidium armati agitarent.

At Lysias multiplicato exercito in Judæam regressus, rursum vincitur, magna clade exercitus, & auxiliorum, quæ ei à civitatibus missa in bellum conspiraverant. (*f*) Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memoravimus, oppidum Elimum (294) regionis illius opulentissimum, fanumque ibi situm (295) multo auro refertum diripere conatus, confluente undique ad defensionem loci multitudine, fugatus: insuper nuncium accepit, res vel à Lysia, vel à Lysimacho improsperè gestas. (296) Ita ex mœrore animi, corporis morbo incubuit. Sed cùm internis doloribus angeretur, reminiscens malorum, quibus populum Dei vexaverat, meritò sibi illa accidisse confitebatur. Deinde post paucos dies moritur, cùm regnasset annos undecim. Antiocho filio Regnum reliquit, cui Eupator nomen fuit. (297)

Ea tempestate Judas Syros in arce positos obsidebat. (*s*) Qui cùm fame atque inopia afficerentur, missis ad Regem nunciis, præsidium implorant. Ita Eupator cum centum millibus, & equi-

daret Sancta, & elegit Sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei, & mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Josephus autem lib. XII. Antiq. cap. VII. itemque cap. XIV. inquit arcem supraſtetisse Templo.

Ita opus sacræ ædis curatum, Templumque muro circumdatum. Constituitque qui perpetuum præsidium armati agitarent.) Altare holocausti refectum, Templum munitum, præsidioque firmatum est. Ibidem: *Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret, & incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes, & demoliti sunt illud, & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoad usque veniret Propheta, & responderet de eis, & acceperunt lapides integros secundùm legem, & ædificaverunt altare novum secundùm illud quod prius fuit, & ædificaverunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus, & ædem & atria sanctificaverunt, & hæc acta sunt anno centesimo quadragesimo octavo. Et ædificaverunt montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum, sicut antea fecerant, & collocavit illic exercitum, ut servarent eum.* Hinc in Evangelio, & in Actis nominatur Dux Templi, ex turribus una fuit primum Baris, deinde Antonia nominata. Josephus.

(*f*) Lysias, postquam semel victus recessit Antiochiam, elegit quidem milites, ut multiplicatis eis rursus veniret in Judæam, verùm venisse non dicitur neque ab auctore libri Maccabæorum, neque à Josepho, sed multa prœlia secunda eum finitimis gentibus fecisse, quæ deinceps quinto capite explicantur.

Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memoravimus, oppidum Elymum regionis illius opulentissimum, fanumque ibi situm multo auro refertum diripere conatus, &c. insuper nuncium accepit, res vel à Lysia, vel à Lysimacho improsperè gestas.) Nunc mortem Antiochi Epiphanis narraturus est, quam accepto de rebus infeliciter à Lysia gestis nuncio, obiit. Hæc verò sic expressa sunt apud Maccabæos cap. VI. *Rex Antiochus audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, & copiosam in auro, & argento, Templumque in ea locuples valde, & venit, & quærebat capere eam, & depopulari, & non potuit; quoniam innotuit sermo iis, qui erant in civitate, & insurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum magna tristitia, & reversus est in Babyloniam, & venit, qui nunciaret ei in Perside, quia fugata erant castra, quæ erant in terra Juda, & quia abiit Lysias, & fugatus est à facie Judæorum.* Intelligit autem fugam, qua victus Lysias Antiochiam abiit. Est porrò apud Sulpicium legendum, à *Lysia*, nam reliqua alicujus sunt inepti glossatoris, nempe, *Vel à Lysimacho*.

Ita ex mœrore animi corporis morbo incubuit.) Ibidem: *Et factum est, ut audivit Rex sermones istos expavit, & commotus est valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia.*

Sed cùm internis doloribus angeretur, reminiscens malorum, quibus populum Dei vexaverat, meritò sibi illa accidisse confitebatur) Verba confessionis ejus hæc fuerunt: *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Judæam sinè causa. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.*

ANTIOCHUS EUPATOR REX SYRIÆ.

Deinde post paucos dies moritur, cùm regnasset annos XI. Antiocho filio regnum reliquit, cui Eupator nomen fuit.) Ibid. *Et mortuus est Antiochus Rex anno centesimo quadragesimo nono, & cognovit id Lysias, & constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adolescentem, & vocavit nomen ejus Eupatorem.*

(*s*) Recepta urbe Hierosolymitana, Judas inde urbem Davidis, quam pro arce tenebant Syri, recuperare aggressus est, atque ita occasionem aperuit bello cum Rege Eupatore gerendo, quod prosperè, ut cetera, gessit. Ibidem: *Et cogitavit Judas disperdere eos, qui erant in arce, & convocavit universum populum, ut obsideret eos, & convenerunt simul, & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo.*

Qui cum fame, atque inopia afficerentur, missis ad Regem nunciis præsidium implorarunt.) Obsessi Syri petunt auxilium ab Rege Eupatore. Quippe exierunt quidam ex iis, qui obsidebantur, & abierunt ad Regem, & dixerunt: *Quousque non facis judicium, & vindicas fratres nostros?*

Ita

(292) Non ergo in urbe inferiore sita erat, sed in superiore, hoc est, in Civitate David. Nam Templum subjectum habebat, quod in clivo montis Sion, Moria dicto.

(293) Loca Templo proxima, & per quæ eundum in Templum erat.

(294) Hausit ex cap. VI. libri I. Maccab. Sed oppidum ibi vocatur Ἐλυμαΐς: quomodo & alii auctores vocant.

(295) Fanum Veneris, *Appianus*. Dianæ, *Joseph. XII.* 13. Verba Appiani sunt: τὸ τῆς Ἐλυμαΐας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε, καὶ φθίνων ἐτελεύτησε, παιδίον ἐνναετὲς ἀπολιπὼν Ἀντίοχον Εὐπάτορα. Hieronym. Commentario in Danielem ex Polybio & Diodoro refert, Antiochum, cùm Templum Dianæ in Elymaide spoliare conaretur, oppressum a custodibus Templi, & vicinis gentibus, quibusdam phantasiis in amentiam versum, morbo interiisse in Tabes oppido Persidis. Justinus lib. XXXII. *Interea in Syria Rex Antiochus, cum gravi tributo pace à Romanis victus oneratusque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte Templum Didymæi Jovis aggreditur. Qua re prodita, concursu incolarum, cum omni militia, interficitur.* Quæ conciliabis, si hæc loqui dixeris de Antiocho Magno aut Sidete, & illos de Antiocho Epiphane. Magnus enim & Sidetes perierunt in Perside: Epiphanes fugatus, ex mœrore animi, corporis morbo incubuit.

(296) *Improsperè res geri* dicit, quod alii dicunt *malè rem geri, infeliciter pugnari*: sicut num. 286. *prosperè pugnari* pro *benè, feliciter pugnari*. Ceterùm Sigonius legendum putat *res à Lysia improsperè gestas*; Duplex vel autem, & à *Lysimacho* esse a glossemate, quod ex margine inrepserit in textum.

(297) Sic appellatus fuit à Syris, propter patris virtutem. *Appianus*. A Lysia educatore I. Maccab. VI. 17. Eupator autem potius erat cognomen, quam nomen proprium. Aut mutatum ei fuit nomen in Regno, more apud veteres tralatitio. Hunc juniorem Antiochum appellat Eusebius. Sic εὐπατρία vocatur generosa filia. Et εὐπατρίδαι dicti à Theseo nobiles Atheniensium. *Plut.* in Theseo, atque patricios idem sic vocat in *Publicola*.

& equitum viginti millibus (298) suis subsidio venit: præeuntibus aciem cum ingenti terrore elephantis. Tum Judas laxata obsidione, Regi obviam tendit, primoque prœlio Syros fundit. (299) Rex petit pacem, quia (300) infido ingenio malè usus, perfidiam consecuta ultio.

DEMETRIUS SOTER REX SYRIÆ.

Nam Demetrius Seleuci (301) filius, quem Romanis obsidem datum supra memoravimus, ut audivit Antiochum decessisse, petivit, ut se in Regnum remitterent. (302) Quod cùm ei negatum esset, (303) clam Româ profugit: in Syriam venit, (304) Regnumque occupavit: Antiocho filio, (305) qui annum unum & menses sex regnaverat, interfecto. (a) Hoc regnante,

Ita Eupator cum centum millibus, & equitum viginti millibus subsidio venit, præeuntibus aciem cum ingenti terrore elephantis.) Eupator Rex periculo suorum, qui in arce obsidebantur, comperto, succurrit. *Etenim iratus est, ut hoc audivit, & convocavit omnes amicos suos, & erat numerus ejus centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo.* Ex hoc apparet, legendum apud Sulpicium: *Cum peditum centum millibus.*

Tum Judas laxata obsidione Regi obviam tendit, primoque prœlio Syros fundit.) Hoc est prœlium quintum prosperè a Juda commissum cum Regibus Syriæ, ex quo liquet, numine divino rebus ejus favente, hæc omnia administrata fuisse. Sic autem hæc apud Maccabæos narrantur: *Et recessit Judas ab arce, & movit castra contra castra Regis.* Refertur inde prœlium, in quo tum fusi Syri non dicuntur, sed tamen non sine detrimento pugnatum, usque adeò, ut Rex de pace cogitaret.

Rex petit pacem.) His tot, & tam continentibus victoriis illud Judas est assecutus, ut Rex pacem ab eo peteret, Lysia ipso auctore. Etenim is ad Regem, & duces exercitus sic dixit: *Deficimus quotidie, & esca nobis modica est, & locus, quem obsidemus, est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno; nunc itaque demus dexteras hominibus, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum, & constituamus illis, ut ambulent in legitimis suis, sicut prius; propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, & fecerunt omnia hæc. Et placuit sermo in conspectu Regis, & misit ad Judæos pacem facere, & receperunt illam, & juravit illis Rex, & exierunt de munitione*, cap. VI.

Quia infido ingenio malè usus, perfidiam consequuta ultio.) Prœmium est ad ea, quæ sequuntur, ex ingenio Sulpicii præmissum, non ex Scriptura. Perfidiam verò Regis sic expressit Scriptura: *Et intravit Rex montem Sion, & vidit munitionem loci, & rupit citius juramentum, quod juravit, & mandavit destruere murum in gyro, & reversus est Antiochiam*; inde divinam ultionem consequutam exponit.

(a) Deus autem ultus est Antiochi Eupatoris adhuc pueri perfidiam erga Judæos; nam à Demetrio patruo suo Roma in regnum regresso necatus est. Sulpicius autem hæc obscurius, nos aliquanto dilucidius exponimus. Antiochum Eupatorem perfidiam in pace cum Judæis composita exercentem brevi ultio consecuta est. Nam paulo post mortuus est, parvulo relicto filio Antiocho Rege. Demetrius autem Seleuci filius, & Eupatoris patruus Romæ obses, ut audivit Antiochum Epiphanem fratrem suum decessisse, invitis Romanis Roma profugit, atque in Syriam profectus Antiocho Eupatore Epiphanis filio interfecto regnum invasit. Hoc autem sic liber Maccabæorum prodidit: *Anno centesimo quinquagesimo primo Demetrius Seleuci filius exiit ab Urbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic cum paucis viris; ut autem ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum, & Lysiam, ut adduceret eos ad eum, & res ei innotuit, & ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum, & occidit eos exercitus, & sedit Demetrius super sedem regni sui.* Eadem Justinus, & quidem planius: *Reversus in regnum Antiochus decedit, relicto parvulo admodum filio, cui cum tutores dati à populo essent, patruus ejus Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, Senatum adiit, obsidemque se vivo fratre venisse; quo mortuo cujus obses sit, ignorare, dimitti ergo se ad regnum petendum æquum esse, quod sicut jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi. Cum se non dimitti animadverteret à Senatu, tacito judicio, tutius apud pupillum, quam apud eum, regnum futurum arbitrante, specie venandi ab urbe profectus, Ostiæ tacitus cum fuga comitibus navem conscendit. Delatus in Syriam secundo favore omnium excipitur, regnumque ei occiso pupillo traditur.* Item Livius lib. XLVI. in Epitome: *Moriens Antiochus Epiphanes filium Antiochum puerum admodum reliquit. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore ejus Demetrius Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia non dimittebatur à Romanis, interemit, & ipse in regnum receptus.*

Hoc

(298) Excidit *peditum*, legendumque sine dubio *cum centum millibus peditum*.

(299) Contra sentit is, qui lemmata in Josephum composuit. Nam victum ab Antiocho Judam tradit, & in Templo obsessum. Verba sunt: Ὡς Ἀντίοχος ὁ εὐπάτωρ Ἰουδαίους νικήσας ἐπολιόρκει Ἰούδαν, εἰς τὸ ἱερὸν ἐγκλείσας. Ex textu & Maccabæorum & Josephi certum est, capta a Syris Bethsura, exercitum Hierosolyma venisse, & Judam ibi obsessum. Igitur malè Sulpicius victoriam Judæ attribuit, quæ nulla fuit.

(300) Legendum opinor, *qua* pro *quia*, ut pax subintelligatur. *Qua pace*, inquit, *infido ingenio malè usus est, perfidiam consecuta ultio*. Constat enim verbum substantivum (*est*) in hac historia desiderari.

Drusius opinatus legendum, *quâ infido ingenio malè usus*. Verum *quia* abesse hinc non potest. Vult enim, quia infido ingenio Eupator male usus sit pace, perfidiam consecutam esse ultionem. Sed & *quâ* abesse via potest: & referri id necesse est ad vocem, quæ præcedit, *pacem*. Quid si ergo legamus, *quâ* (pace puta) *quia infido ingenio malè usus*? ut adeò utrumque, & *quâ*, & *quia* adpareat.

(301) Non Antiochi Magni, ut existimasse videtur Justinus. Nam Antiochum Epiphanem appellat fratrem Demetrii, cum fuerit fratris filius. Seleucus enim & Antiochus ille germani fratres erant. Horum filii Eupator & Demetrius. Nihil certius. Vide Justinum XXXIV.

Sic & supra pag. 131. *Datus in locum ejus obses Demetrius Seleuci Regis filius*. Consonat Epitome lib. XLVI. Livii; quæ quidem sic habet: *Hunc Antiochum* (Eupatora) *puerum cum Lysia tutore ejus Demetrius Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia minimè dimittebatur à Romanis, interemit, & ipse in Regnum receptus*. Neque discrepat Appianus in Syriacis. Quoniam igitur Demetrius ille filius fuit Seleuci, non potest verum esse, quod Justinus lib XXXIV. scribit, Antiochi Eupatoris eum patruum, Epiphanis verò fratrem fuisse. Seleucus enim Antiochus Epiphanes fratres, & Antiochi Magni filii fuere.

(302) Postulatum non iniquum. Vide Grot. de Jure P. ac Belli III. 20. Justinus: *Dimitti igitur se ad Regnum petendum æquum esse, quod sicut jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum ætate antecedat, deberi*.

(303) Justinus: *Cum se non dimitti animadverteret à Senatu, tacito judicio, tutius apud pupillum, quam apud eum, Regnum futurum arbitrante*. Eo enim tempore annum XXIII. ingressus erat.

(304) Tripolin: ubi exceptus fuit à Syris magna gratulatione, Regnumque adeptus est, Lysia primum occiso, deinde puero & Timarcho, qui Babylonis Præfecturam malè administraverat. Quamobrem Soter appellatus est, orto a Babyloniis initio. *Appianus*. Vide Josephum XII. 17. I. Maccab. VII.

(305) Drusius legendum putat *Antiocho puero*, vel *Antiocho Antiochi filio*. Et sane si *filio* genuinum sit, ut videtur, quoniam relativum id est, omnino legi oportet *Antiochi*. Præterea verò & *Antiocho* hic legi concinnum quidem; ceterùm non æquè necessarium est tamen.

re, primum Judæi à Populo Romano amicitiam fœdusque petiere: (306) benignèque excepta legatio, decreto Senatus socii atque amici appellati. Interim Demetrius (307) adversùs Judam per duces suos bellum gerebat. Ac primùm per Bacchidem quendam, & Alcimum Judæum ductus exercitus: post Nicanor bello præpositus, in prœlio occubuit. (308) Tum Bacchides & Alcimus resumptis viribus, auctisque copiis, adversùm Judam confligunt. In ea pugna victores Syri, cruentè admodum victoria sunt usi.

JONATHAS PRINCEPS JUDÆORUM PONTIF.

Hebræi in locum Judæ Jonathan, fratrem ejus, (x) deligunt. (309) Interea Alcimus cùm fœdè Hierosolymam vastasset, (310) moritur. Bacchides socio destitutus, ad Regem redit. Dein post biennium rursus Bacchides bellum Judæis intulit, victus pacem petit. Quæ propositis conditionibus data, si persugas captivosque & omnia bello rapta redderet.

ALEXANDER REX SYRIÆ.

Dum hæc intra Judæam geruntur, adolescens quidam Rhodi educatus nomine Alexander, (311) Antiochi se esse filium dictitans, (y) (quod falsum erat) adjutus opibus Ptolemæi Regis

Hoc regnante primum Judæi à Populo Romano amicitiam, fœdusque petiere.) Sequuntur res Judæ gestæ cum Demetrio Rege & primum fœdus cum Romanis ictum. Tam verò Judas audiens magnitudinem Romanorum, & ut Reges formidine subegissent, legatos misit Romam, qui amicitiam à Senatu postularent. Ita fœdus primum cum Romanis à Judæis auctore Juda ictum est, ut Romani Judæos, Judæi Romanos adversùs hostes suos conservarent, & Regi Demetrio, ne vexaret Judæos, indictum. Hæc apud Maccabæos cap. VIII. & Josephum lib. XII.

Interim Demetrius adversùs Judam per duces suos bellum gerebat.) Interim verò Demetrius bellum gerebat cum Juda. Nam cùm Alcimum Judæum, qui ad se transfugerat, Pontificem constituisset, in spem victoriæ ductus, bellum Judæis intulit, atque ei socium Bacchidem adjunxit.

Ac primum per Bacchidem quendam, & Alcimum Judæum ductus exercitus.) Primùm igitur rem tentavit per duces suos Bacchidem, & Alcimum Judæum. Sic enim pergit Scriptura: *Et elegit Rex ex amicis suis Bacchidem, & misit eum, & Alcimum Judæum, qui transfugerat, & mandavit ei facere ultionem in filios Israël.* Fuit autem Alcimus ex Tribu quidem Levi, sed non ex posteris Eleazari.

Post Nicanor bello præpositus in prœlio incubuit.) Post autem: *Antiochus ubi vidit, se per Bacchidem, & Alcimum opprimere Judam non posse, misit Nicanorem unum ex principibus suis nobilioribus, qui inimicitias exercebat contra Israël, & mandavit ei evertere populum, & commisso prœlio contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prœlio.* Hæc cap. VII. inde sequenti refertur fœdus percussum cum Romanis, de quo dictum est.

Tum Bacchides, & Alcimus resumptis viribus, auctisque copiis adversus Judam confligunt; in ea pugna victores Syri cruente admodum victoria usi sunt.) Hoc est ultimum Judæ prœlium ab eo commissum adversus Nicanorem ante muros Hierusalem, in quo ille occubuit. Ea verò res sic capite IX. narratur: *Interea ut audivit Demetrius, cecidisse Nicanorem, & exercitum ejus in prœlio, apposuit & Bacchidem, & Alcimum rursum mittere in Judæam. In mense primo anni centesimi quinquagesimi secundi applicuerunt exercitum ad Hierusalem. Post commisso atrocissimo prœlio ceciderunt vulnerati multi ex his, & ex illis. Et Judas cecidit, & cæteri fugerunt.*

(x) Mortuo Judæ suffecere Judæi fratrem ejus Jonathan: *Nunc te hodie eligimus esse pro Juda nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum, & suscepit Jonathas tempore illo principatum, & surrexit loco Judæ fratris sui.* Hinc ego suspicor legendum esse apud Sulpicium, in locum occisi Judæ; neque enim ex alio loco cecidisse Judam, apparet apud eum.

Interea Alcimus cum fœde Hierosolymam vastasset, moritur.) Alcimus autem Jonatha cum suis trans Jordanem compulso, licèt mille viris amissis, Judææ urbes munivit, & filios principum obsides in arce Hierusalem custodiendos collocavit, & præcepit: *destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarum, & cœpit destruere, & percussus est; & impedita sunt opera ejus; & dissolutus est paralysi, & mortuus est, & Bacchides reversus est ad Regem, & siluit terra Juda annis duobus.* Cap. IX. Ex his apparet, Syros adhuc arcem tenuisse, neque eam reddidisse.

Dein per biennium rursus Bacchides bellum Judæis intulit, victus pacem petiit.) Post biennium renovato bello pax consequuta est. Hoc brevissimè à Sulpicio perstrictum sic in lib. Maccabæorum exponitur. *Et cogitaverunt omnes iniqui dicentes: Ecce Jonathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter; nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet omnes eos una nocte. Et venit Bacchides, & castra posuit desuper Bethessen, & oppugnavit eam dies multos, & reliquit Jonathas Simonem fratrem suum. Simon verò & qui cum ipso erant, exierunt de civitate, & pugnaverunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis, & afflixerunt eum valde. Et Jonathas misit ad eum legatos componere pacem cum ipso & reddere ei captivitatem, & libenter accepit, & fecit secundùm verba ejus, & juravit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus. Et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus de terra Juda. Et conversus abiit in terram suam, & non apposuit amplius venire in fines ejus, & cessavit gladius ex Israël, & habitavit Jonathas in Machmas, & cœpit Jonathas ibi judicare populum, & exterminavit impios ex Israël.*

(y) Interim contra Demetrium Regem novus Rex insurrexit, nomine Alexander, qui se filium esse Antiochi Epiphanis afferebat. Res à Sulpicio in nimias redacta orationis angustias, sic in libro I. Maccabæorum exponitur. *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Epiphanes, & occupavit Ptolemaidem, & receperunt eum, & regnavit illic, & audivit Demetrius Rex, & congregavit exercitum copiosum, & obviam illi ivit. Et commiserunt prœlium duo Reges, & fugit exercitus Demetrii, & in-*

(306) I. Maccab. VIII. Joseph. Ant. hist. lib. XII. cap. XVII. Gorionides lib. IV. cap XXXIII. Cujus rum ingens potentia, Syriæ ac Ægypti Regibus formidabilis. Nam eo tempore jam in Asiam arma eorum penetraverant, & Hispaniam. *I. Maccab. VIII. & Josephus XIII. 17.*

(307) Jussae quidem à Romanis abstinere Judæa, sed jam misso cum exercitu Bacchide. I. Maccab. VIII.

(308 Historia habetur apud Josephum lib XII. cap. XVII. Gorionidem lib IV. cap. XXIV. Vide quoque I. Maccab. VII. 16. & II. Maccab. XIV.

(309) Non statim à cæde Judæ, sed aliquammulto tempore post, cum se tota ferè Regio Bacchidi tradidisset. I. Maccab. IX. 24. 25. Vide & Joseph. XIII. Delectus fuit in Principatum, non Pontificatum, quod postea demum factum est, ut paulò post dicetur.

(310) Destrui muros domus sanctæ interioris jussit. I. Maccab. IX. 54. De hoc muro Tacitus, emendante Grotio: *Illic immensæ opulentiæ Templum, & primis munimentis urbs adjuncta, intimus clausum.* Voluit ergo Alcimus omne discrimen in Templo inter Judæos & Græcos tollere, in Græcorum, quibus turpiter serviebat, gratiam.

(311) Alexander Balas, sive Bales. Josepho dicitur Balles: aliis ὁ Βαλᾶ, idest, filius Balæ, quibusdam Veles. De hoc Appianus in Syriacis: *Adversus Demetrium exortus est quidam Alexander, falsò se Seleucidarum gentem sese inserens: quem Ptolemæus Ægypti Rex fovebat odio Demetrii, atque ita convenientibus Ægyptiis, Alexander Demetrium Regno expulit. Quo postquam in exilio defunctus est, filius paterni nominis Demetrius Regnum recepit, & quia vicit alienum à suo,*

gis Alexandrini, in Syriam cum exercito venit: Demetrium bello superatum occidit, (312) cùm regnasset annos XII. Hic Alexander, priusquam adversùs Demetrium confligeret, fœdus cum Jonathas fecerat, eumque veste purpurea, (313) & insignibus regiis (314) donaverat, ob quod eum Jonatha auxiliis juverat: victoque Demetrio primus omnium congratulatum occurrerat. Neque postea Alexander datam fidem violavit. Ita quinquennio, quo rerum potitus est, res Judæorum tranquillæ fuerunt.

DEMETRIUS NICATOR REX SYRIÆ.

Igitur Demetrii filius, (315) qui post mortem patris Cretam confugerat, (316) hortante Lasthene Cretensium duce, Regnum patrium bello repetens, impar viribus, Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti, Alexaodri socerum, jam tum genero infestum, (317) ut sibi sit auxilio, implorat. (z) Ille verò non tam supplicis precibus, quàm spe Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo jungit: ac filiam Alexandro nuptam dat Demetrio. (318) Adversùs hos Ale-

secutus est eum Alexander, & invaluit prælium nimis, donec occidit Sol, & occidit Demetrius in die illa. Eadem hc Justinus: *Alexander totius ferme Orientis viribus succinctus bellum Demetrio infert, victumque vita pariter, ac regno spoliat. Demetrius primo prælio hostem fugavit, & Regibus prælium restituentibus multa millia cecidit in acie, ad postremum tamen invicto animo inter confertissimos hostes fortissimè dimicans cecidit.*

Hic Alexander, priusquam adversùs Demetrium confligeret, fœdus cum Jonatha fecerat; eumque veste purpurea, & insignibus Regiis donaverat.) Bello inter Demetrium & Alexandrum conflato, uterque Judæorum amicitiam appetivit, eosque magnis præmiis, & immunitatibus sibi jungere studuit. Judæi auctore Jonatha Alexandri societatem Demetrii amicitiæ antetulerunt. Alexander autem hanc ad eos epistolam misere. *Rex Alexander fratri Jonathæ S. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, & aptus, ut sis amicus noster, & nunc constituimus te Pontificem gentis tuæ, ut amicus voceris Regis, (& misit ei purpuram, & coronam auream,) & quæ nostra sunt, sentias nobiscum, & conserves amicitias ad nos. Et induit se Jonathas stola sancta septimo mense anno centesimo sexagesimo in die solemni Scenopegiæ, & congregavit exercitum, & fecit arma copiosa.* Ibidem: Quod autem Sulpicius Regiis insignibus eum donatum inquit, puto errorem esse, nam Pontificia ea fuere; neque enim Jonathas Rex factus est, sed Pontifex. Adde, quod, quam stolam sanctam vocat versio Latina, Græca scriptura habet, Pontificiam vestem. Et Josephus hoc quarto anno post mortem Judæ fratris Pontificem factum adjicit. Ita Pontificatus ad Assamonæam familiam est translatus.

Ita quinquennio, quo rerum potitus est, res Judæorum tranquillæ fuerunt.) Hæc ex ingenio suo Sulpicius, non in Scriptura expressa invenit, sed veri similitudinem est sequutus.

(z) Narrat inde, ut Demetrius Demetrii filius Alexandrum Regem ope Ptolemæi Regis Ægypti subverterit, regnumque sibi asciverit, ac primum, cùm comperisset, eum Alexandro genero suo non esse amicum, ut ab illo auxilium postularit. Res narratur lib. I. Maccabæorum, cap. X. *In anno centesimo sexagesimo quinto venit Demetrius filius Demetrii à Creta in terram patrum suorum. Et audivit Alexander Rex, & contristatus est valde, & reversus est Antiochiam. Ptolemæus autem quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo, & cogitabat contra Alexandrum consilia mala.* Ex his apparet, apud Sulpicium deesse vocem, *Demetrius*, ut sit Demetrius Demetrii filius. Lasthenes autem Cretensis, teste Josepho, Demetrio non solùm consilium dedit, sed etiam auxilium tulit.

Ille non tam supplicis precibus, quam spe Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo jungit, ac filiam Alexandro nuptam, dat Demetrio.) Hæc Ptolemaide acta sunt. Sic enim scriptum est cap. X. *Et exivit Ptolemæus de Ægypto ipse & Cleopatra filia ejus, & venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo, & occurrit ei Alexander Rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam, & fecit nuptias ejus Ptolemaide, sicut Reges, in magna gloria.* Additur inde, ut Jonathas ab Alexandro advocatus venerit, & summis honoribus ab eo affectus sit, atque inde magna cum gloria Hierusalem se receperit.

Adver-

à sua familia, Nicatorem Syri cognominaverunt, ut secundum post Seleucum, à quo descenderant Reges Syriæ. Et Justinus lib. XXXV. *Antiochenses adjuvantibus Ptolemæo Rege Ægypti, & Attalo Rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bella à Demetrio lacessiti, subornant propalam quemdam, fortis extremæ juvenem, qui Syriæ Regnum, velut paternum, armis repeteret, & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandro inditur, genitusque ab Antiocho Rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non vires Regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas, consensu omnium, tribueretur.* Vide & Livii Epit. LII. Lipsium Monit. & Exemp. Polit. II. Alexander hic βάλης, vel προβάλης, Latinis Propala vel Prompalus dictus videtur. Vide Justinum XXXV. & ibi Commentatores.

Epitome lib. LII. Livii: *Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso Demetrio Rege in Syriâ regnabat.* Disertius adhuc Justinus lib. XXXV. *Antiochenses subornant propalam quemdam fortis extremæ juvenem, qui Syriæ Regnum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitusque ab Antiocho Rege dicitur.* Vide ibidem & plura.

(312) Justinus: *Totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victumque, vita pariter ac Regno spoliat.*

(313) Qui amicis Regum dari solebat, unde purpuratorum nomen. Ita Josepho est στολὴν πορφυρᾶν. *Drus.* Mos ille Orientis. Sic postea, cùm nuptiis apud Ptolemaidem inter Alexandrum & Cleopatram Ptolemæi filiam celebrarentur, Jonathan purpurea veste Regibus assedit. Josephus lib. XIII. cap. VII. qui addit: τοσαύτη δὲ σπουδὴ πρὸς Ἰωνάθην ὁ βασιλεὺς Ἀλέξανδρος ἐχρήσατο, ὥστε αὐτὸν καὶ πρῶτον ἀναγράψαι τῶν φίλων.

(314) In eodem, καὶ στέφανον χρύσεον, & coronam auream. *Joseph.* Frustra ergo Sigonius Sulpicium errore accusat.

(315) Sigonius excidisse putat *Demetrius*, & legendum esse *Demetrius Demetrii filius*. Nec temerè sanè. Epitome lib. LII. Livii de hoc ipso Demetrio ita: *Hunc Demetrius, Demetrii filius, qui à patre quondam, ob incertos belli casus, ablegatus Gnidon fuerat, contemtâ socordiâ mortuaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti Rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit.*

(316) Pro *in Cretam*. Frequens locutio apud Tacitum, & alios bonæ Notæ.

(317) Propter insidias, quas ei struxerat per Ammonium quendam. *Josephus*. Discordia authori I. Maccab. XI. cum Josepho. Nam prior ille Ptolemæum insidias struxisse Alexandro refert. Contra hic Alexandrum inculat. Uterque, ut mos Regum, alterius fortunam eversum cupiebat. Nunquam fida Ptolemæis, & Seleucidis amicitia.

(318) Cleopatram. Quod nomen frequens Ægypti Reginis, postquam Cleopatram Antiochi M. filiam Ptolemæus Epiphanes duxerat. Laudat Josephus Ptolemæi justitiam & moderationem. Verba ejus sunt: ἐλθὼν πρὸς τοὺς Ἀντιοχεῖς Πτολεμαῖος βασιλεὺς ὑπ' αὐτῶν καὶ τῶν στρατιωτῶν ἀναδείκνυται, καὶ ἀναγκασθεὶς δύο περιτίθεται διαδήματα, Ἀσίας καὶ Αἰγύπτου. χρηστὸς δὲ ὢν φύσει καὶ δίκαιος, καὶ τῶν λαμπρῶν οὐκ ἐφιέμενος, ad hæc prudens, & qui nollet Romanis invidiosus fieri, advocata Antiochensium concione, persuasit eis ut Demetrium reciperent, quod & factum est.

Alexander acie confligit, eo prœlio vincitur Ptolemæus, cadit Alexander. Vincitur Ptolemæus & paulò post interficitur, (319) cùm regnasset annos quinque, vel, ut in plerisque auctoribus reperi, novem. Demetrius Regnum adeptus, Jonathan benignè habuit, fœdus cum eo fecit, Judæos legibus suis reddidit. (320) Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, Præfectus Syriæ Regno eum bello prohibiturus (321) contra Jonathan in prœlium descendit (322) terribilis XL. millium exercitu. Tryphon, ubi se imparem cernit, pacem simulat: receptumque in amicitiam, invitatumque Ptolemaidam, (323) interfecit.

SIMON PRINCEPS JUDÆORUM, ET PONTIFICUM.

Post Jonathan, summa rerum ad Simonem (324) fratrem defertur. (a) Is funus fratris ma-

Adversùs hoc Alexander acie confligit, eo prœlio vincitur Ptolemæus, cadit Alexander; vincitur Ptolemæus, & paulò post interficitur, cum regnasset annos quinque.) Satis constat hæc nomina perversa esse, nec locum suum tenere. Nam ita legendum est: *Eo prœlio vincitur Alexander, cadit Ptolemæus; vincitur Alexander, & paulò post interfectus, cum regnasset annos quinque.* Declarat hoc locus Maccabæorum: *Venit Alexander Rex ad Ptolemæum in bellum, & produxit Ptolemæus exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugavit eum, & fugit Alexander; Rex autem Ptolemæus exaltatus est. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo, & Rex Ptolemæus mortuus est in die tertia, & regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.* Quod porrò scriptum est: *Ptolemæus exaltatus est*, ad victoriam partam refertur. Nam de eo post sic scribit Josephus: *Ptolemæum equus dejecit voce elephanti perculsus, dejectum hostes circumvenerunt, & caput ejus sauciarunt, & paulò post moritur.* Periisse autem vulnere capitis, Livius tradit lib. LII. *Alexandrum Demetrius Demetrii filius, qui à patre quondam ob incertos belli casus ablegatus in Cnidum fuerat, contempta socordia, inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti Rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, expiravit.* Alexandrum porrò regnasse annos quinque Josephus prodidit, decem Eusebius. Atque hic etiam annorum numerus satis declarat, ita legendum esse apud Sulpicium, sicut monui, alioquin hic quinque annorum numerus contra morem, & contra veritatem Ptolemæo tribueretur, non Alexandro.

Demetrius regnum adeptus Jonathan benignè habuit, Judæos legibus suis restituit.) Adhuc Judæi religionem, Pontificatum, & vetera instituta cum urbe recuperarant, ac tantùm tributum, & vectigal Syriæ Regibus adhuc arcem præsidio tenentibus persolvebant; nunc verò Demetrii beneficio etiam vectigalium immunitatem adepti sunt, prout cap. XI. Maccab. ostenditur, in quo ita scriptum est: *Demetrius fecit Jonathæ, sicut fecerant, qui ante eum fuerant, & exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum, ut firmavit ei Pontificatum, & quæcunque alia habuit prius pretiosa, & postulavit Jonathas à Rege, ut immunem faceret Judæam, & tres toparchias Samariæ, Joppen, & Galilæam, & confines ejus, & promisit ei talenta trecenta, & consensit Rex.* Eadem repetit Josephus. Extat etiam epistola ejus ad Lasthenem super immunitate in hæc verba: *Judæorum genti socia, & jura erga nos custodienti benevolentia ergo decrevi gratificari, ut tres nomos Apherima, Lydda, & Rhamatha, qui Judææ attributi sunt à Samaria, & quæ ad eos pertinent, & quæcunque ex frugibus terræ, & stirpibus, & alia ad nos pertinentia, & salinas, & coronas, quæ ad nos deferuntur, condona illis.* Quæ cùm ita sint, perspicuum est, Sulpicium non benè vertisse, leges redditas Judæis esse, quæ multo ante fuerant recuperatæ, atque libertatem pro immunitate cepisse. Liber est enim, qui paret legibus & Magistratibus suis; immunis, qui vectigalia, & tributa non pensitat.

Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, Præfectus Syriæ regno, eum bello prohibiturus contra Jonathan in prœlium descendit, terribilis XL. millium exercitu.) An fieri potest, ut aliquis adeò stupidi ingenii sit, qui hæc cum Scriptura conferens, vitium eorum non sentiat? Nam ita distincta, ut in emendatis modo doctorum virorum opera libris reperiuntur, totam veritatem pervertunt. Lege igitur ita: *Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, Præfectus Syriæ regno* hic punctum pone, deinde adde: *Eum bello prohibiturus contra Jonathan in prœlium descendit terribilis quadraginta millia exercitu.* Sic enim cap. XII. *Cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extendere manum in Antiochum Alexandri F. (quem deducebat) timens ne fortè non permitteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus se, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan. Et exivit Jonathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethsan.*

Tryphon, ubi se imparem cernit, pacem simulat, receptumque in amicitiam, invitatumque Ptolemaidam interfecit.) Jonathas autem tantarum virium fuit, ut à Tryphone vinci aperto Marte nequiverit. Quare eum per speciem amicitiæ ad se vocatum dolo occidit. Siquidem, ut est eodem in loco: *Vidit Tryphon, quia venit Jonathas cum exercitu multo, ut extenderet in eum manus, & timuit, & excepit eum honore, & commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus suis ut obedirent ei sicut sibi, & dixit Jonathæ: Elige tibi paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præsidia. Et credidit ei, & fecit sicut dixit, & dimisit exercitum. Ut autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt civitatem Ptolemaidenses, & comprehenderunt eum, & omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt.*

(a) Nempe à Judæis, qui ita dixerunt: *Tu es Dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui. Pugna prælium nostrum, & omnia, quæcunque dixeris nobis, faciemus*, cap. XIII.

In

(319) Sigonius locum hunc, sine dubio corruptum, ita restituit: *Eo prœlio vincitur Alexander, cadit Ptolemæus. Vincitur Alexander, & paulò post interficitur.* Atque id sanè ad fidem historiæ. Nam Alexander victus omnino est, & paulò post interfectus est a Zabelo, Arabum dynasta, ad quem confugerat, quique caput ejus ad Ptolemæum adhuc vivum misit. Ptolemæus autem in isto prœlio non quidem ita cecidit, ut statim exspiraret, sed tamen vulnus accepit, ex quo mortuus deinde est. Prædicta Epit. Livii: *Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa Medici terebrare contendunt, exspiravit.* Ceterùm concinnius ac sine ταυτολογίας locus iste Sulpicii emendari sic possit: *Eo prœlio cadit Ptolemæus, vincitur Alexander, & paulò post interficitur.*

(320) Non legibus, sed immunitate donavit. Nam prius cum religione leges recuperaverant; tributa & vectigalia Regibus Syriæ adhuc persolvebant. Ea remisit in gratiam Jonathæ Demetrius. *Josephus* lib. XIII. cap. VIII. & I. Maccab. II. 28. Vide sequentia.

Id factum jam antea fuerat à Demetrio patre, & qui hunc occidit Alexandro Bala.

(321) Excidit, aut subaudiendum est, *erat*. Atque ita periodus puncto claudenda. Tryphoni isti nomen fuit Diodotus: Tryphon autem cognomen. Epitome lib. LV. Livii: *Alexandri filius Rex Syriæ, decem annos admodum habens, à Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est.*

(322) Nomen *Jonathan* hic non quarti, sed primi casûs vim habet: nec *contra* est præpositio, sed adverbium. Numerus ille XL. millium, cum quibus in prœlium descendit, expressus est in cap. XII. lib. I. Maccabæorum: indeque noster hausit.

(323) Drusius legendum putat *Ptolemaidem*: quod & verisimile videtur. Etsi enim ex accusativo Græco quandoque novus nominativus Latinus fiat, non tamen est verisimile, urbis nomen in casu nominativo *Ptolemaida* fuisse.

(324) Qui Thasi cognominatus. Successit in utramque dignitatem Simon frater: ita tamen, ut cùm à Tryphone dolo caperetur Jonathan, imperium seu ethnarchia Simoni a populo Hierosolymitano deferretur. Paulò post autem, eo interfecto, etiam adjicitur Pontificatus, Josepho disertè dicitur Simon κατασταθεὶς ἀρχιερεὺς ὑπὸ τοῦ πλήθους. Sic ille lib. XIII. cap. XI. & vide I. Maccab. XIII. vers. 42.

magnificè curavit: (325) septemque illas pyramidas nobilissimi operis exstruxit, in quibus & fratrum & patris ossa (326) condidit.

Tum Demetrius, refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis à Tryphone illatæ (327) (nam post Jonathæ necem urbes eorum atque agros bello vastaverat) annua ejus vectigalia in perpetuum remittit. (328) Etenim usque ad id tempus, Regibus Syriæ, (329) nisi eum armis resisterent, stipendium pensitaverant. Id gestum Demetrii Regis anno secundo, quod ideo signavimus, quia usque in hunc annum per tempora Asianorum Regum cucurrimus, ut ratio temporum digesta luceret. Nunc autem per tempora eorum, qui Judæis vel Pontifices vel Reges fuerunt, (330) usque ad Christi nativitatem, rerum ordinem digeremus. Igitur post Jonathan Simon frater ejus, ut supra dictum est, Hebræis præfuit jure Pontificis. Id enim ei tum à suis, tum à Populo Romano honoris delatum. (331) Hinc cùm secundo Demetrii Regis anno civibus præesse cœpisset, post octo annos (332) insidiis Ptolemæi circumventus occubuit. (333)

JOAN-

Is suum fratris magnificè curavit, septemque illas pyramidas nobilissimi operis struxit.) Deinceps ibidem: *Et misit Simon, & accepit ossa Jonathæ fratris sui, & sepelivit ea in Modin civitate patrum ejus, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno, & luxerunt eum dies multos, & ædificavit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu lapide polito retro, & ante, & statuit septem pyramides, unam contra unam patri, & matri, & quatuor fratribus.* Hæc autem consuetudo pyramidum in sepulchris ponendarum ex Egypto manasse videtur, ut Diodorus notavit.

JUDÆORUM LIBERTAS.

Tum Demetrius refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis à Tryphone illatæ (nam post Jonathæ necem urbes eorum, atque agros bello vastaverat) annua eis vectigalia in perpetuum remittit.) Hæc est ultima immunitas à Regibus Syris data Judæis vectigalium, & tributorum omnium, quæ adhuc solverant, qua accepta se prorsùs in libertatem vindicatos, ut regum tempore fuerant, arbitrati sunt. Petierant autem eam ab Demetrio propter gravia belli detrimenta, quod illius caussa cum Tryphone gesserant. De hac re sic in Maccabæis: *Elegit Simon viros, & misit ad Demetrium Regem, ut faceret remissionem regioni, quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti, cui ille inter alia rescripsit: Remittimus ignorantias, & peccata usque in hodiernum diem, & coronam, quam debebatis, &, si quid aliud erat tributarium in Hierusalem, jam non sit tributarium, & sit inter nos pax.* Servitutis autem hujus, qua Judæi gentibus subjecti fuerunt, initium è temporibus Regis Babylonii Nabucdonosoris duci potest; nam deinde Persis, tum Macedonibus sive Ægypti, sive Syriæ Regibus tributum assiduè penderunt, a quo nunc demum liberati libertatem integram inierunt.

Id gestum Demetrii Regis anno secundo.) Res tam insignis fuit proprii anni commemoratione notanda, quod etiam in Scriptura est observatum, nempe anno centesimo septuagesimo regni Græcorum.

Huc usque per tempora Asianorum Regum cucurrimus, ut ratio temporum digesta luceret: nunc autem per tempora eorum, qui Judæis vel Pontifices, vel Reges fuerunt, usque ad Christi nativitatem rerum ordinem digeremus.) Hic honos habendus est libertati, ut quæ a Judæis libere gesta sunt, ea per annos suorum Magistratuum digerantur; itaque quando post Reges Judæorum sublatos, anni Regum Babyloniæ, Persarum, Asiæque notati sunt, nunc quando Principatus verè cum libertate receptus est, ad antiquam consuetudinem est redeundum, eoque Regum, & Pontificum annotandi sunt; nam per aliquot annos Pontificatus, & Principatus ad eundem hominem est delatus, cùm antiquus diversis hominibus, & diversa in Tribu natis tribueretur.

Igitur post Jonathan Simon frater ejus, ut supra dictum est, Hebræis præfuit jure Pontificis.) Si verba scriptura diligentius attendisset; scripsisset, *jure Pontificis, & Principis*. Siquidem in actis scribebant: *Anno primo sub Simone Pontifice, & Principe Judæorum.*

Id enim ei tum à suis, tum etiam à Populo Romano honoris delatum.) Verius dixisset: *tum à suis, tum à Regibus honoris delatum*, nam hoc & Alexander & Demetrius Reges concesserunt. Romani verò quomodo hoc concedere poterant, qui adhuc in Syria nihil juris habebant? Judæos autem illi socios appellaverant, sic enim scriptum est in decreto Judæorum cap. XIV. *Et Rex Demetrius statuit illi Pontificatum, & fecit amicum suum; audivit enim quod appellati sunt Judæi à Romanis amici.*

Hic cùm secundo Demetrii Regis anno civibus præesse cœpisset, post octo annos insidiis Ptolemæi circumventus occubuit.) Nemo est, qui hæc legens non opinaturus sit, Simonem à Ptolemæo Rege Ægypti esse extinctum, cùm tamen falsum sit. Fuit enim hic Ptolemæus gener ejus. Sic enim Scriptura Maccabæorum loquitur: *Ptolemæus filius Abobi, gener Simonis Pontificis, volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adversus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos. Simon autem descendit in Jericho, & ipse, & Mathatias filius ejus, & Judas anno centesimo septuagesimo septimo, & suscepit eos Ptolemæus, & fecit convivium magnum, & abscondit illic viros, & cùm inebriatus esset Simon, & filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpserunt arma sua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus.* Fortesse autem legendum est apud Sulpicium: *Insidiis Ptolemæi generi circumventus.* Ceterùm res Simonis præclaras in primis, atque à Sulpicio omissas hic tacendum, ut scriptum est cap. XIII. libri primi Maccabæorum: *Simon Princeps declaratus convocatis omnibus bellatoribus studuit absolvere omnes muros Hierusalem, & munivit eam in circuitu. Qui vero erant in arce, miserunt Legatos ad*

Try-

(325) Collegit ossa ejus, & sepelivit ea in Modin, urbe patrum ejus. I. Maccab. XIII 25. Hinc discimus, Modin fuisse patriam Hasmoneus Mathathiæ. Nam qui eum Hierosolymis natum fuisse tradunt, ex hoc loco convincuntur erroris.

(326) Duravit hoc sepulcrum usque ad tempora Josephi, qui illud admirabili magnificentia fuisse refert 13. 11. S. Hieronymi quoque ævo adhuc stetit. Sic enim in locis Hebraicis: *Modim vicus juxta Diospolin, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibi loci sepulcra monstrantur.*

(327) Sic Justinus lib. VIII. cap. III. *Non contemplatione justitiæ ejus.*

(328) Legendum sine dubio, *annua eis vectigalia remittit*, ut jam Giselinus vidit. *Eis*, idest, Judæis: de quibus præmiserat, *refecto cum Judæis fœdere.*

(329) Justinus XXXVI. *Dein ut potestate Macedonici imperii subjecti Syriæ Regno fuerunt. A Demetrio cùm defecissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facilè tunc Romanis de alieno largientibus.*

(330) Drusius mallet, *vel Principes vel Reges fuerunt*. Et addit rationem; quia qui Reges, & Pontifices fuerint. Nobis nihil mutandum videtur. Quamquam ἀκριβέστερον scripsisset noster, si scripsisset sic: *Qui Judæis vel Pontifices tantùm, vel Pontifices & Reges fuerunt.* Sanè Simonem & Johannem Hyrcanum nonnisi Pontifices adpellat: Aristobulum verò primum nomen Regium adsumsisse scribit.

(331) Mirum, unde id hauserit, quòd Simon à populo quoque Romano Pontifex adpellatus fuerit. Estne credibile, adlusisse eum ad versionem Latinam I. Maccab. XIV. 25. quæ *populus Romanus* habet, cùm textus Græcus tantùm δῆμος habeat? Ita quidem manifestum errorem errasset, siquidem de populo ibi Judaico agitur.

(332) Si cœpit præesse anno CLXX. ut apparet ex I. Maccab. XIII. 14. præfuit dumtaxat septem annis. Nam anno CLXXVII. occisus fuit, insidiis generi sui circumventus, I. Maccab. XVI. 14.

(333) Ptolemæus ille gener fuit Simonis. Extat historia I. Maccab. XVI.

JOANNES HYRCANUS PONT. ET PRINCEPS JUDÆORUM.

Huic Joannes filius successit, (b) qui cùm adversùm Hyrcanos, gentem validissimam, egregiè pugnasset, (334) Hyrcani cognomen accepit. (335) Mortuus est, annos VI. & XX. (336) rerum potitus.

ARISTOBULUS REX PRIMUS JUDÆORUM.

Post hunc Aristobulus Pontifex substitutus, primus omnium post captivitatem regium nomen assumpsit, capitique diadema imposuit. (c) Exacto anno, diem functus est.

ALEXANDER JANNEUS REX JUDÆORUM.

Alexander deinde, filius ejus, (337) Rex pariter & Pontifex fuit: regnavit annos VII. & vi-

Tryphonem, ut sibi succurreret; nec tamen Tryphon id facere potuit; atque Antiocho adolescente Rege occiso sibi diadema imposuit. Simon autem urbes Judææ munitionibus omnis generis confirmavit, ac legatos ad Demetrium Regem misit, ut sibi tributa omnia remitteret, propter detrimenta à Tryphone hoste illius accepta, & ille omnia remisit. Itaque mox addit Scriptura: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israël, & cœpit populus Israël scribere in tabulis, & Actis publicis, anno primo sub Simone Pontifice, Duce, & Principe Judæorum.* Inde Simon cepit Gazam, & ejectis civibus, mundavit urbem, simulachris eversis. Deinceps de deditione eorum, qui in arce Hierusalem erant, subjicit: *Qui erant in arce Hierusalem, prohibebantur egredi, & ingredi regionem, & emere, & vendere, & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt, & clamaverunt ad Simonem, ut dextras acciperet, & dedit illis, & ejecit eos inde, & mundavit arcem à contaminationibus, & intraverunt in eam tertia & vicesima die mensis anno CLXXI. cum laude, & ramis palmarum, & cytharis, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israël. Et constituit, ut omnibus annis agerentur dies cum lætitia. Et munivit montem Templi, qui erat secus arcem & habitavit ibi ipse, & qui cum eo erant. Inde summa pax Judæam universam excepit. Quibus rebus motis Lacedæmonii amicitiam cum eo renovarunt, & Simon legatos Romam misit ad fœdus instaurandum.* Antiochus inde Sidetes, sive Eusebes, Demetrii filius sic ad eum scripsit: *Statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes Reges, & quæcumque alia dona remiserunt tibi, & promitto tibi facere percussuram numismatis in regione tua. Hierusalem autem sanctam esse, & liberam, & omnia arma, quæ fabricata sunt, & præsidia, quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi, & omne debitum Regis, & quæ futura sunt Regis, ex hoc & in totum tempus remittantur tibi.* Inde Romani ad omnes Reges, populosque scripserunt, ne Simoni in aliqua re esse molesti vellent.

(b) Excepit inde Principatum Joannes Simonis filius; in quo finitur historia libri primi Machabæorum; sic enim ibi: *Bella Joannis, & virtutes, quibus fortiter gessit, & ædificium murorum, quos extruxit, & res gestæ ejus ecce scripta sunt in libro dierum Pontificatus ejus, ex quo factus est Pontifex post fratrem suum.* Hic, teste Eusebio in Chronico Hyrcanus ab Hircanis victis est dictus. Idem auctore Josepho Ptolemæum affinem, patris interfectorem armis est persecutus, & bello Antiochi Sidetis, Demetrii filii, Regis Syriæ exagitatus, atque Hierosolymis obsessus est, et tandem liberatus, illo in Perside mortuo. Qua de re sic Judæi in epistola ad Ægyptios libro II. Mach. cap. primo: *De magnis periculis à Deo liberati anno centesimo octogesimo octavo, magnificè gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem Regem dimicavimus, ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos, & sanctam civitatem. Nam cùm in Perside esset Dux ipse Antiochus, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in Templo Naneæ, per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.* Atque hoc est, quod scripsit Justinus libro XXXVI. *Antiochus Judæos, qui in Macedonico Imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicaverant, subegit.* Antiocho verò mortuo Joannes Syriam invasit, atque urbes quasdam priùs Judæis ereptas recepit. Idumæos victos ad circumcisionem accipiendam adegit. Samariam urbem obsidione captam solo æquavit. Templum Samaritanorum in Garizin diruit. Amicitiam cùm Romanis renovavit. A Pharisæis domi vexatus, illorum legibus abrogatis ad Sadducæos se contulit; atque inde diem suum obiit, ex Josepho. Pharisæi verò secta Philosophorum fuit, quæ ab hoc tempore magnas in urbe opes habere, eamque turbare pro libidine cœpit; præter hos duæ aliæ fuerunt, una Essæorum, altera Sadducæorum, de quibus Epiphanius, & Josephus.

Mortuus est annos VI. & XX. rerum potitus.) Eundem numerum affert quoque Eusebius.

(c) Libertati Judæorum recuperatæ deerat insigne, nomenque Regium, quod antiquitus habuerant. Quare Aristobulus Joannis filius, qui patrem est subsequutus, hoc decus adjecit. Unde Josephus libro XX. scripsit: *Defuncto Hyrcano patre major filius Aristobulus Principatum ad Regiam dignitatem provexit, primusque diadema sibi imposuit post CCCCLXXI. annos, & tres menses, ex quo captivitate Babylonica populus exemptus domos repetivit.* Idem Aristobulus Ituræos bello domitos ad circumcisionem adegit, eosque ad Idumæos adjunxit. Antigonum fratrem ad se armatum venientem insidiatorem suspicatus per satellites interfecit; atque alios fratres in carcerem condidit; moritur anno primo regni sui, Josephus. Et hic Sadducæus fuit.

(334) In dubium revocat Drusius, an Johannes iste, Simonis filius, adversùs Hyrcanos pugnaverit, indeque nomen nactus fuerit. Verisimile tamen redditur inde, quòd Josephus lib. XIII. cap. 16. scribit, cum auxiliis secutum eum fuisse, Antiochum Sidetem Regem Syriæ, cùm is expeditionem in Parthos susciperet; quòdque in exercitu Parthico & Hyrcani fuerunt. Si tamen verum est, quod Gorionides scribit, maximum natu filiorum Simonis habuisse nomen Hyrcani, eoque interfecto alteri filiorum Simonis, Johanni, idem nomen a senioribus tributum fuisse: necessum fuerit, rationem eam appellationis, quam noster tradit, falsam esse.

(335) Secutus videtur Eusebium ita scribentem in Chronico suo: *Simoni successit filius Johannes, qui victis Hyrcanis, Hyrcani cognomen accepit.* Et, *Johannes Dux Judæorum & Pontifex adversus Hyrcanos* (ita legendum: vulgo perperam, *adversùs Hyrcanios*) *bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, & à Romanis jus amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est.* Sed hæc opinio falsa videtur. Quod eo libentius credo, quia scio alios hoc nomine vocatos, in queis Hyrcanus filius R. Elitzer filii Hyrcani, & R. Josua filius Hyrcani. Abben Gorion autor, maximum natu filiorum Simonis, Hyrcanum appellatum fuisse, eoque interempto, idem nomen Johanni attributum a senioribus Israël. Scribit hoc lib. 4. cap. 27.

(336) Sic Eusebius: sed Josephus ei tribuit an. XXXI. Hunc Punccius sequitur & Tirinus & alii.

(337) Qui Hebrais 'ינאי', idest, Jannæus. Sic etiam Josephus eum vocat: *Post Aristobuli obitum*, inquit, *Salome ejus uxor, quam Græci Alexandram nominant, solutis ejus fratribus, quos ipse, ut diximus, vinxerat, Jannæum, qui & Alexander est, Regem constituit, ætate cæteros præcedentem atque modestia.* Vide sequentia. Habentur autem lib. 13. cap. 20. Vide quoque historiam Hebraicam cap. 32. & Chronicon Templi secundi, fol. 39. col. 3.

Non is filius Aristobuli, sed ejusdem frater fuit; filius autem Joannis Hyrcani. Manifestum ex Josephi lib. XIII. Antiq. Jud. cap. 20. ubi Ἰανναῖος Ἀλέξανδρος adpellatur.

viginti, (*d*) in cujus actibus nihil, (338) præter crudelitatem, (339) memoria dignum reperi.

SALOME ALEXANDRA REGINA JUDÆORUM.

Hic, cùm Aristobulum & Hyrcanum parvos filios reliquisset, Solina, sive Alexandra uxor ejus Regnum per novem annos tenuit. (*e*)

HYRCANUS REX JUDÆORUM.

Post hujus obitum fœda inter fratres de Regno certamina orta. Ac primùm Hyrcanus (*f*) imperium obtinebat. (340)

ARISTOBULUS II. REX JUDÆORUM.

Mox ab Aristobulo fratre pulsus, (*g*) confugit (341) ad Pompejum: (342) qui tum Mithridatico bello confecto, (343) pacataque Armenia & Ponto, victor omnium gentium, quas adie-

(*d*) Alexander inde Aristobulum excepit, non filius, ut inquit Sulpicius, sed frater, idque Alexandræ Aristobuli uxoris astutia. Sic enim scribit Josephus: *Mortuo Aristobulo Salome uxor ejus, quæ apud Græcos Alexandra nominatur, solvens fratres ejus, quos Aristobulus in vincula conjecerat, Jannæum, qui Alexander dicebatur, ætate minorem Regem declaravit, atque eidem nupsit, ita ut duorum fratrum uxor fuerit. Cæterum Alexander Cœlesyriam, & Phœnicem tentavit, atque ex iis urbes aliquot abstulit. Cum in festo Umbraculorum de more Pontifex aris adstans sacrificaret, à populo, quem Pharisæi concitaverant, dictis, & operibus contumeliosis est appetitus. Quare immissis in populum militibus ad sex millia interfecit, atque inde Cilices, & Pisidas corporis custodes sibi ascivit. Moabitas, & Galaatidas victos, vectigales fecit. Pharisæi bellum contra eum excitarunt, ac Demetrium Eucærum Regem Syriæ auxilio advocarunt, quare Moabitide, & Galaatide cedere compulsus est. Demetrio inde ob Judæorum transfugia domum reverso Bethomæ seditiosorum Principes circumsedit, atque urbe expugnata in deditionem accepit.*

In cujus actibus nihil præter crudelitatem memoria dignum reperi.) Significat cædem Judæorum illam, quæ est consecuta; nam Hierosolymam reversus, cœnans cum concubinis suis cruci affigi jussit Pharisæos octingentos ex seditiosis illis, quos Bethomæ comprehenderat, & liberos, uxoresque eorum illis inspectantibus trucidavit. Quare à Judæis crucifixor est appellatus. Demum in obsidione Gerasenorum est mortuus, cùm regnasset annos XXVII. Josephus.

(*e*) Alexandra mariti testamento regnum tenuit, Pontificatu Hyrcano majori natu filio attributo: Pharisæis eximie studuit, quos superiores Reges infectati fuerant; nam leges a Joanne Hircano Rege abrogatas retulit, atque eos in amicos Alexandri, qui crudelitatis ejus auctores fuisse dicerentur, sævire, & populum eis obedire permisit; ita ut illi imperium exercerent, ipsa tantùm nomen Regium ferret; ab illo tempore Pharisæi pristinas opes recuperarunt. Ceterum Tigranem Regem Armeniæ in Syriam, quam etiam occupavit, invectum pecunia oblata ab Judæa adeundi avertit, & paulò post anno regni nono moritur. Josephus. Eusebius autem, quem sequutus est Sulpicius, ipsam Solinam appellat. Josephus Salomen. Hæc gesta sunt tum cum Lucullus Proconsul Romanus cum Mithridate Ponti, & Tigrane Armeniæ Regibus in Asia rem gerebat.

(*f*) *Alexandra moriens regnum testamento Hyrcano Pontifici majori filio reliquit. Hyrcanus verò regnum tantum tres menses tenuit, inde ab Aristobulo fratre minore prava imperandi cupidine pulsus, ex his Aristobulus Sadducæus fuit, Hyrcanus verò Pharisæus.*

(*g*) Ex hoc tempore seditiones in regno Judæorum, quod cœperat florere, recrudruerunt, quo factum est, ut ab Asamonæis, Judæis, mox ad alienigenas sit translatum. Id læva dominandi libido, qua Aristobulus flagrabat, invexit. Initium tantorum malorum factum est Q. Metello Cretico, & Q. Hortensio Consulibus, anno urbis conditæ DCLXXXV. Aristobulus autem Hyrcano fratri bellum intulit, & post adversam ad Hiericuntem pugnam in fano cum amicis obsessum & Pontificatu, & regno sibi cedere compulit; atque inde etiam Aretæ Arabum Regi per Antipatrum Ascalonitam Hyrcanum in regnum reducenti acriter obstitit. Regnavit annos sex. Josephus.

JUDÆA PROVINCIA P. R. FACTA.

Hircanus confugit ad Pompejum.) Hæc mira brevitate a Sulpicio significata pluribus enarranda sunt. Jampridem Populus Rom. bellum cum Mithridate Rege Ponti gerebat, & caussa ejus cum affine Mithridatis Tigrane Rege Armeniæ, qui paulò ante Syriam in Potestatem, Judæa excepta, subjunxerat. Res primùm gesta fuerat duce Sylla, inde Murena, tum Lucullo, ad postremum verò negotium commissum fuerat Cn. Pompejo Magno; is demum anno DCXCI. M. Cicerone, & C. Antonio Coss. rem confecit, Ponto,

(338) Imo bellicosissimus fuit, & Judaici Regni pomœria fecit amplissime. Quippe in Palæstina ad maris littus Alexandro parebant, Rhinocorura, Raphia, Anthedon, Gaza, Azotos, Jamnia, Joppe, Apollonia & turris Stratonis. Procul a littore, Idumæa, Adora, Marissa, Samaria, mons Carmelus, & Itaburius, Scythopolis, sive Betsan, Gadara, Gaulanitis, Seleucia, Gabala. In Moabitide Esebon, Medaba, Lemba, Orona, Telithon, Zara, Cilicium, Aulon, Pella. Atque ubique Judaismum restituerat. Pella, quia amplecti recusaverat, funditus subversa est.

(339) Unde interroganti: Quidnam faciendo animos sibi plebis conciliaret, responsum est, si moreretur. Ob hanc crudelitatem Judæi eum Θρακίδαν cognominarunt, pro quo in editione Rufini *Crucifixor*. Nam octingentos Pharisæos uno tempore cruci affixit. Vide Josephum XIII. 22. Obiit in obsidione Ragabæ castelli, quod in Gerasenorum finibus, ultra Jordanem.

(340) Tertius hujus nominis, ut notatum in Historia Hebraica. Tertius, inquam Pontificum, vel certè Hasmonæorum. Nam alii fuerunt hoc nomine præterea, in queis Josephi ἀρχιτελώνου filius qui primus Sacerdotum Hyrcanus nominatus fuit; auctor Joseph. Unde colligimus, nomen hoc apud Judæos vulgatissimum fuisse.

(341) Primò ad Aretam Arabum Regem, qui eum per Antipatrum Ascalonitam reducere conatus est. Obsessus in Templo Aristobulus: donec obsidionem Scaurus Pompeji legatus, authoritate Romani nominis solvit. Vide Joseph. XIV. 2. 3. 4.

(342) Uterque fratrum, Damasci coram Pompejo, de jure successionis discrepavit per Legatos. Æquior Hyrcani causa visa, cùm mos Romanis esset, supplicibus faciles se præbere, ut potentissimi de solio dejicerentur. Vide Joseph XIV. 5.

(343) De quo vide Just. l. XXXVIII. Florum III. Appianum, Plutarch. & alios. Mithridates hic Ponti Rex fuit, Evergetes dictus. Quidam Mithradates scribunt ex numismatis. Quod non probo. Μιθραδάτης enim Græcum est, Mithridates Latinum, a in i, ut Μασσαλία Massilia, Κατάνη Catina, Νομάδες Numidæ, Ἄκραγας Agrigentum, & alia.

adierat, ultrorsum pergere, & vicina quoque Romano imperio adjungere cupiens, causas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur: (344) urbe capta, atque arce, Templo pepercit: (345) Aristobulum victum Romam mittit, (346) Hyrcano jus Pontificatus restituit: impositoque Judæis stipendio, Procuratorem (347) eis Antipatrum quendam Ascalonitem præposuit. Hyrcanus quatuor & triginta annos rerum potitus, dum adversùm Parthos bella gerit, capitur. (348)

HERODES REX JUDÆORUM.

Tum Herodes alienigena, (349) Antipatri Ascalonitæ filius, Regnum Judææ à Senatu & Populo Romano petiit, accepitque. Hunc primum Judæi externum Regem cœperunt habere. Ete-

to, & Bithynia in potestatem adductis, & Mithridate vita exuto. Quibus rebus perfectis in Syriam venit, eamque, quòd tum fuerat Tigranis, armis invasit; inde conventus ab Hyrcano, & sibi contra fratrem adesse jussus, Aristobulum ad mitiora consilia redactum cum in Judæam accessit; cùm autem illum parere, & regnum Hyrcano reddere detrectantem invenisset, ad arma se contulit; atque ita occasionem urbis oppugnandæ nactus Hierusalem in ditionem adduxit, sed Templum non attigit, atque Aristobulum captivum fecit. Hoc facto reliqua Judæa in ditionem Romanorum concessit. Cùm ergo Pompejus hoc bello Pontum, Bithyniam, Syriam, & Judæam juri Populi Romani adjunxisset, eas omnes Provincias fecit, atque ut quotannis eò Prætor Roma mitteretur ex sententia decem Legatorum à Senatu missorum instituit. Pontus, & Bithynia una Provincia facta, Syria verò altera, eaque Prætori mandata Judæa, neque omnino à Syria separata est, neque prorsùs ei est attributa. Nam Pompejus Hyrcanum quondam Regem genti suæ præesse recepta dignitate Pontificia voluit. Antipatrum verò Ascalonitam virum strenuum, qui partes Hyrcani palam tuebatur, Judææ Procuratorem reliquit, ita tamen, ut Prætori, aut Proconsuli Syriæ obediret. Tributum item Judæis imposuit. Hoc modo Judæi libertate paulò ante armis, ac memorabili virtute recuperata, demum a Romanis multati sunt; quæ mala nefaria fratrum discordia intulit. Antipater autem fuit patria Ascalone, sed origine Idumæus. Idumæi verò nuper, ut dixi, relicta gentilitate sacra Judæorum asciverant. Sed tamen cùm essent alienigenæ, parum probati Judæis erant; fuit autem pater hic Magni Herodis, vir prudentiæ singularis. Quod autem scriptum est apud Sulpicium: *Aristobulum victum Romam mittit*, legendum est *vinctum*, Josepho, & ceteris omnibus auctoribus.

C. CÆSARIS PRINCIPATUS.

Anno inde DCCVI. C. Julius Cæsar civili bello victor, quod cum optimatibus Pompejo Duce gerebat, Reip. Romanæ Principatum, Dictatura in perpetuum assumpta, sibi ascivit, ac sequenti Pompejum, qui in Ægyptum exercitu amisso profugerat, venit, ac victoria parta Ptolemæo minori & Cleopatræ sorori Regnum Ægypti concessit, atque Antipatrum Ascalonitam Judææ Procuratorem, & Hyrcanum Pontificem confirmavit. Josephus.

TRIUMVIRI R. P. C.

Anno inde DCCXI. C. Cæsar ab obtimatibus libertatis recuperandæ studio inflammatis inita conjuratione occisus est, eo, & sequenti anno Resp. pristinum statum retinuit, tum verò V. Kal. Decembris Triumviri Reipub. constituendæ creati sunt M. Lepidus, M. Antonius, & C. Cæsar Octavianus, Cæsaris adoptione filius, qui Remp. per annos XII. armis oppressam in potestate habuerunt. Ab hoc anno multi Imperium Octaviani, qui postea Augustus est appellatus, incipiunt.

ANTIGONUS REX JUDÆORUM.

Interim Judæa Romanis erepta rursus ad regni formulam est redacta. Auctor hujus mutationis fuit Antigonus Aristobuli nuper Regis filius, qui a Pompejo abductus cum patre fuerat. Is è custodia, patre jam defuncto, elapsus ad Parthos Syriæ Provinciæ Romanorum imminentes confugit; atque eos in Judæam adduxit; atque eorum auxilio urbem Hierosolymorum obsedit; eaque in Potestatem adducta Hyrcanum auribus mutilavit, ne quando recipiendo Pontificatui per legem idoneus in posterum esset. Hyrcano à Parthis abducto, ipse regnum invasit anno DCCXIV. Cn. Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione Consulibus; idque inde per tres annos tenuit. Quod autem legitur apud Sulpicium: *Hyrcanus IV. & XXX annos rerum potitus, dum adversum Parthos bella gerit, capitur*, legendum *IV. & XX.* tot enim sunt à Consulatu Ciceronis ad Consulatum Pollionis.

(344) Josephus, sive adulatione, sive quod ita res se haberet, culpam belli Aristobulo imputat. XIV. 4.

(345) Ita quidem, ut thesauros, qui in eo erant, non adtingeret: quod non Josephus tantùm lib. XIV. antiq. cap. 8. sed & Cicero in Lælio prodidit.

(346) Imo secum abduxit victum. Sic Eusebius. Sed legendum utrobique vinctum, idest, δεδεμένον. Josephus disertè: *abduxitque secum Aristobulum vinctum cum duabus filiabus, & totidem filiis*. XIV. 8. *Drusius*.

Legendum videtur *vinctum*, quia Josephus lib. XIV. cap. 8. scribit, Pompejum illum δεδεμένον unà cum familia secum duxisse Romam.

(347) Judææ, *Sigonius*. Palæstinæ, *Eusebius*. Ab hoc tempore Judæa semper habuit Procuratores, qui Prætoribus, aut Proconsulibus Syriæ suberant. Tali Christi ævo erat Pontius Pilatus. Sed nihil in Josepho occurrit, ex quo probari queat, Procuratorem Judææ Antipatrum fuisse, tum temporis à Pompejo constitutum. De Scauro tradit: Πομπήϊος τὴν κοίλην Συρίαν ἕως εὐφράτε ποταμοῦ καὶ Αἰγύπτου Σκαύρῳ παραδούς. Huic mox successit Gabinius, eodem teste. Igitur Procurator partis alicujus, vel sub Præside Romano, Antipater fuit, ac demum à Julio Cæsare ἐπιτρόπος τῆς Ἰουδαίας constitutus. Sic Josephus XIV. 15.

(348) Parthi Antigonum Alexandri filium in Regnum reducturi, bellum Herodi & Hyrcano intulerunt, in quo hic captus est, & auribus ab Antigono truncatus. Quod ideo fecit μηκέτ᾽ αὖθις εἰς αὐτὸν ἀφίκεσθαι τὴν ἀρχιερωσύνην διὰ τὸ λελωβῆσθαι, τοῦ νόμου τῷ ὁλοκλήρων εἶναι τὴν τιμὴν ἀξιοῦντος. *Saldenus*. *Josephus* XIV. 24. 25. Hæc Parthorum irruptio facta A. U. C DCCXIV. Asinio ac Domitio Coss. *Dio*. Ut rectè Josephus, post capta à Pompejo Jerosolyma XXIV. annos imputet Hyrcano Pontifici. *Petav.*

(349) Quomodo alienigena, si erat Judæus? An quia patrem habuit Ascalonitam? Nam tales peculiariter alienigenæ vocabantur. Res notior est quam ut probari debeat. Alienigena, idest, ἀλλόφυλος. Sic eum appellat Eusebius. Ut & alii multi. Vocatur etiam proselytus. Quod pariter culpant. Nam qui Judæus erat, nec proselytus dicebatur, nec alienigena. Sed majores ejus proselyti fuerant, imo alienigenæ. Nam Idumæi, priusquam sacra Judæorum suscepissent, alienigenæ dicebantur. Hoc verum est.

Etenim jam adventante Christo, necesse erat, secundùm vaticinia Prophetarum, (350) suis eos ducibus privari, (*b*) ne quid ultra Christum expectarent.

JESUS CHRISTUS DEI F. NASCITUR.

Sub hoc Herode, anno imperii ejus tertio & XXX. Christus natus est. (351) Sabino & Ru-

(*b*) Ubi verò Antigonum regnum Judææ recuperasse, Romæ est nunciatum, Senatus, Triumviris ipsis agentibus, Antigonum ipsum hostem judicavit, & Herodem Antipatri Ascalonitæ filium, qui Judæam Procuratorio nomine rexerat, migrans tum in Judæa post patrem oper habentem, quemque nuper M. Antonius triumvir tetrarchæ titulo decoraverat, Regem adversùs Antigonum appellavit, eo consilio, utpote cùm Hyrcani gener esset, ope illius Judæa facilius ad auctoritatem Romanorum redigeretur. Herodes autem post triennium, nempe anno DCCXVII. C. Sosio Syriæ Proconsule adjuvante, exercitum ad urbem Hierosolymorum adduxit, eaque expugnata, Antigonum in Potestatem adductum vita spoliavit; seque inde pro Rege gessit. Hinc autem verè regni ejus anni incipiunt; licèt multi ab appellatione Romanorum exordiantur. Si quis autem quærat, cur Judæi Regem alienigenam contra omnia sua instituta pertulerint, respondet Sulpicius, id necessitate quadam factum esse, ut Prophetarum vaticinia explerentur; qui Regno Judæorum a Judæis ad alienigenas translato tum demum Christum Regem venturum prædixerant. Ceterum justum Hebræorum Regnum primum fuit in domo David, inde in domo Assamonæi, ad extremum ad alienigenas est translatum; quorum primus fuit Herodes Magnus. Vaticinia verò, quæ innuit, apud Eusebium in Chronico his verbis referuntur: *Herodes Antipatri Ascalonita, & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Judæorum suscepit Principatum, cujus temporis Christi nativitate vicina Regnum, & Sacerdotium Judæorum, quod prius per successiones majorum tenebatur, destructum est, completa prophetia, quæ ita per Mosen loquitur: Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femoribus ejus, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. In hoc loco etiam Christus, quem Danielis scriptura præfatur, accepit finem. Nam usque ad Herodem Christi, idest, Sacerdotes erant Reges, qui imperare cœperunt LXV. Olympiade, & ab instauratione Templi sub Dario usque ad Hyrcanum, & CLXXXVI. Olympiadem, anni CDLXXXIII. in medio transacti, quos Daniel quotupersignificet, dicens: Et scies, & intelliges ab exitu sermonis respondendi, & ædificandi Hierusalem usque ad Christi Principatum hebdomades VII. & hebdomades LXII. quæ LXIX. hebdomades faciunt, annos CCCCLXXXIII. in quibus Christi, idest, Sacerdotes unctione consecrati regnaverunt usque ad Hyrcanum, quo extremo omnium à Parthis capto, Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Judæam ab Augusto, & Senatu accepit, filiique ejus post eum regnaverunt usque ad novissimam Hierosolymitarum captivitatem, nequaquam ex successione Sacerdotalis generis Pontificibus constitutis, neque perpetuitate vitæ secundum Legem Mosi servientibus Deo. Ignobiles vero quidam, & alio tempore alii, & nonnulli unius anni, sive modico amplius à Romanis Imperatoribus Sacerdotium emebant. Quæ omnia etiam Daniel Propheta vaticinatur ita dicens: Et post hebdomadas VII & LXII. interibit Chrisma, & judicium non erit in eo, & Templum Sanctum corrumpet populus duce veniente, & cædentur cataclysmo belli. Et in sequentibus: Et super Templum, inquit, abominatio desolationum, & usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.* Hæc Eusebius. Quoniam autem hujus Herodis res insignes, & maximè ad hanc historiam pertinentes Sulpicius præterit, eas nos hic breviter ex Josephi historia conferemus. Is populum avare, impotenterque tractavit. Hyrcanum socerum Babylone captivum redemit, atque apud se in honore aliquandiu habuit. Pontificiam dignitatem, quæ secundùm generis propinquitatem, & avitam successionem in perpetuum deferri solebat, nova quadam ratione mandavit; neque enim Pontifices in perpetuum, aut in multos annos, sed in annum, aut certe ad breve tempus commisit, neque Pontificiis familiis, sed sæpe abjectis quibusdam, & alienis hominibus detulit, quem morem deinde filius ejus Archelaus, & post Archelaum Romani tenuerunt. Quin etiam sacram Pontificatus stolam apud se custodivit, neque amplius Pontificibus asservandam permisit. Primum autem Pontificem creavit Ananelum Levitem Babylonium ex non Pontificali familia ortum anno urbis DCCXVII. qui fuit Herodis Regni primus.

AUGUSTUS IMP.

Anno inde urb. DCCXXIII. Octavianus victo ad Actium M. Antonio triumviro, totum Rom. Imperium sibi vindicavit. Hoc verò ubi Herodes audivit, Hyrcanum socerum, quod vulgo salutari tanquam Regem videret, cum tota Progenie interemit, anno ipsius Hyrcani Principatus quadragesimo: inde ad Octavianum, qui Augustus vocatus est, profectus humili omni oblato obsequio ita sibi devinxit, ut ab eo quoque Regni confirmationem obtinuerit. Quare domum reversus, theatrum, & amphitheatrum extruxit; atque Augusti trophæum, ac tumulis exornavit, & in honorem ejus agonem quinquennalem celebravit; atque urbes alias novas condidit, alias veteres communivit; anno inde Regni sui XVIII. Templum Domini Hierosolymitanum a fundamentis instauravit, ac magnificentius reddidit. Hæc ex Josepho. In breviario quoque Philonis de temporibus scriptum est, eum anno Regni tricesimo Synedrium, sive concilium Judæorum, quod ex septuaginta senioribus de domo David constabat, ab illa familia removisse, senioribus illis, ut Thalmudistæ addunt, omnibus, uno excepto, peremptis.

est. Non tamen à Judæis ideo vocatur alienigena, sed fuerunt Hasmonæorum. Ego sic sentio, Idumæos, licèt Judæi essent religione, gente tamen fuisse a Judæis distinctos. Tales etiam proselyti vocantur. Chronicon templi secundi, *Antipater erat vir prudens, &c. sed radix ejus non erat ex filiis Israel, verum ex Idumæis, qui servi ceciderunt in manum Israelis & ipsi fuit proselyti tamen, & non filii nobilium.* Sic ante R. Aquiba vocatur proselytus justitiæ, quia erat ex filiis filiorum Sisaræ. Idumæi ergo proselyti. Si proselyti, cur non etiam alienigenæ? Nam antequam proselyti essent, alienigenæ fuerant. Hic originem spectemus, hoc est, ut Hebræi loquuntur, radicem generis. Duæ fuerunt opiniones de Antipatro Herodis patre. Una Josephi, qui eum Idumæum fuisse scribit: altera Nicolai Damasceni, qui genus ejus deducit a primatibus Judæorum, qui postliminio in Judæam reversi sunt è Babylonia. Hanc probare videtur autor historiæ Hebraicæ ita scribens: *Antipater accepit uxorem è femina regio Idumæam. Ideo dixerunt scriptores antiqui eum fuisse Idumæum. Sed Nicolaus, scriptor fidelis, ait eum fuisse Judæum; id verum est. Fuit enim ex magnatis Juda, ex iis Judæis qui redierunt e Babylonia Jerosolymam, in diebus Nehemiæ filii Hachaliæ & Ezræ Sacerdotis.* Drus. Vide & Petavium XI. de Doctr. Temp. 5.

Cui consonum, quod mox sequitur: *Hunc primum externum Regem.* Pari modo Origenes, Eusebius aliique veteres Herodem ἀλλόφυλον atque alienigenam adpellant. Contra quam sententiam fusè disputat Casaubonus Exercit. I. ad Adparat. Annal. Baron.

(350) Nam Jacob Patriarcha Propheta erat, cujus illud πολυθρύλλητον, *non recedet sceptrum de Juda, &c.* Quod induxit nonnullos ut crederent Herodem Messiam esse. Hos Herodianos appellant. Quanquam Herodiani videntur potius fuisse milites Herodis, ita dicti ut Herculanos dicimus & Jovianos & Theodosianos. Priorem sententiam tuetur Hieron. adversùs Luciferianos cap. 8. his verbis: *Herodianos Herodem Regem suscepisse pro Christo.* Alibi eam castigat, Latinorum commentum esse dictitans. Tertullianus in hæreticorum enumeratione: *Cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Pacta habet de his Epiphanius, quibuscum convenit versus ad Persium Scholiastes: *Herodes apud Judæos regnavit tempore Augusti in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis observabant, ut etiam Sabbata, quo die lucernas accensas violis coronatas in fenestris ponunt.*

Intelligit sine dubio vaticinium Jacobi: *Non recedet sceptrum à Juda:* quo de peculiari Diatribâ aliquando egimus.

(351) Pontifice Jozaro. *Nicephor.* Triennio ante æram communem Christi natalem figit Sulpicius, si respiciamus characterem Consulum. Consulatus enim Sabini & Rufini, vel Rufi, qui aliis Calvisii, & Passieni, quia utrumque nomen obtinuerunt, incidit

Rufino Consulibus, VIII. Kalend. Januarias. (*i*) Verùm hæc quæ Evangeliis, ac deinceps Apostolorum actibus continentur, attingere non ausus, ne quid forma præcisi operis, rerum dignitatibus diminueret, reliqua exsequar. Herodes post Nativitatem Domini regnavit annos IV.

(*i*) Tandem ad ipsum JESUM CHRISTUM, de quo sæpe ante diximus, ventum est. Qui Dei Filius, æternus Sacerdos, & Rex Judæorum, a Deo promissus Patribus, prænunciatus a vatibus, figuris plurimis præsignificatus, & a piis hominibus, tanquam salus hominum expectatus, sicut Prophetæ cecinerant, ex Virgine Maria genus a Davide Rege trahente natus est, ut prædicatione sua voluntatem Dei panderet, atque Evangelicam Legem, Cœlestemque justitiam traderet, ac denique morte sua mortem primi hominis peccato contractam destrueret, & vitam resurgendo repararet. Unde scripsit S. Paulus ad Galatas: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus*. Jesus autem dictus est, idest, Salvator, quia salutem daturus esset hominibus; Christus autem, idest, Unctus, quia tanquam Rex, & Sacerdos inunctus esset, verum non ab hominibus, ut ceteri, sed ab ipso Deo Patre per Spiritum Sanctum. Cùm autem certum sit, Christum Augusto Imperante, & Herode regnante natum, non tamen quo anno, idest, quibus potissimum Consulibus ortus sit, constat. Sulpicius, ac multi alii Sabino, & Rufo Coss. id factum prodiderunt; qui Consulatus incidit in annum tricesimum quartum Herodis Regis, & Urbis Romæ septingentesimum quinquagesimum, Imperii verò Augusti, si triumviratum quoque annumeres, quadragesimum. At Eusebius in historia, & Epiphanius libro secundo contra hæreses ostendit, eum natum esse Augusto tertiumdecimum, & Silvano Consulibus, ipsius Augusti anno quadragesimo secundo, qui erit urbis septingentesimus quinquagesimus secundus. Cui supputationi, quia Chronographi ferme omnes hoc tempore eam non sine ratione sequuntur, ne quam in tempora perturbationem introducamus, & nos hærebimus, ita tamen ut Sulpicianam summam in Sulpicio interpretando non relinquamus.

Verùm hæc, quæ Evangeliis, ac deinceps Apostolorum Actibus continentur, attingere non ausus.) Negat se historiam Christi, & Apostolorum ejus, a quatuor Evangelistis memoriæ traditam, narraturum, ne brevitate sua magnitudini rerum officiat. Ceterum, ne Christi, quem finem esse hujus historiæ ab initio diximus, promissus a Deo toties adventus, ac supra à nobis sæpè repetitus, hoc loco desideretur, hæc nos breviter inseremus. Expleto tempore, quo Deus se Mundo salutem, & gentibus expectationem in terras missurum esse post peccatum Adæ promiserat, tandem Angelum Gabrielem in urbem Galilææ Nazareth misit, qui Mariæ Virgini ex familia Davidis nunciaret, fore, ut ipsa de Spiritu Sancto puerum pareret, qui Dei Filius vocaretur; atque ita annuente illa *Verbum, quod in principio fuerat apud Deum, caro est factum*. Joseph autem, cui Virgo desponsa fuerat, cùm illam, antequam cum ea conveniret, ventrem ferre sentiret, repudiare constituit, verum ab Angelo monitus destitit, præcipiente, *quod paritura Virgo esset, Servatorem Dei esse, Jesum autem appellaret, quod salvum facturus esset populum suum à peccatis; cui Joseph paruit, neque Virginem cognovit*. Post aliquot inde menses edictum à Cæsare Augusto est editum, ut censeretur universus Orbis, ita, ut unusquisque in patria sua profiteretur; quo accepto ut ceteri, sic Joseph una cum Maria Uxore gravida ex Galilæa in Judæam Bethleemum, veterem patriam suam profitendi causa contendit. Nam bellis superioribus deserta Bethleem majores Joseph in Galilæam, ut inquit Epiphanius, secesserant. Ibi verò cùm in diversorio essent, Maria plenis jam ad pariendum diebus puerum VIII. Kal. Januarii peperit, & pannis involutum in præsepi recondidit, quòd locum in diversorio non haberet; interim Angelus ad pastores, qui in ea regione gregi suo invigilabant, accessit, atque ingenti luce, ita ut terrerentur, afflatos his verbis appellavit: *Nolite formidare, ego enim nuncio vobis gaudium magnum, idque ad populum pertinens universum; quippe hodie natus est Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David; invenietis autem Infantem pannis involutum; atque in præsepi repositum*. Ac subito Angelum ingens cœlestium Spirituum chorus excepit Deum his verbis collaudantium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis*. Profectis inde Angelis pastores consilio de adeundo puero inter se habito properè iter ingressi sunt, atque ad locum progressi Mariam, & Joseph cum puero in præsepi reposito invenerunt, & cetera, quæ ab Angelo audierant, explorarunt, & cùm ceteris retulissent, ingentem admirationem omnibus incusserunt. Diebus inde octo, postquam in lucem prodiit puer, nempe Kal. Januarii ex Lege Moysis est circumcisus, & Jesus nomine, quod Angelus imposuerat, insignitus. Interim puero Bethleemi nato, tribus Magis in Oriente Stella ceteris illustrior, pulchriorque sic apparuit, ut eorum in se oculos, animosque converteret, qui aliquid de Natali Salvatoris ab ea significari didicerant. Illius ergo videndi, atque adeo etiam venerandi cupidi, secuti superni illius luminis ductum, & prævii fulgoris indicium, latissimas regiones emensi, Hierosolymam pervenerunt, ac Stella duce amissa de Christo puero nato, qui Rex Judæorum esset, inibi quærere instituerunt. Herodes autem Rex Judæorum Principem natum audiens successorem suspicatus expavit, ac Magos secreto admonuit, ut diligenter puerum vestigarent, eoque invento certiorem se in reditu facerent; nam se quoque ejus adorandi summa cupiditate teneri. Illi verò eadem Stella rursus illucescente, ac viam monstrante VIII. Idus Januarii Bethleemum progressi puerum cum Matre reperiunt, eumque humi prostrati adorant, muneribus, thure, myrrha, & auro, oblatis. Postquam autem expleti sunt dies Purgationis, parentes ex Lege puerum IV. Nonas Februarias Hierosolymam detulere, ut ipsum Domino offerrent, ac solemnia Legis dona præberent. Itaque Templum ingressi ipsum Simeoni occurrenti tradiderunt. Is magnis virtutibus præditus Judæorum salutem jampridem anxius expectabat, &, quòd ætate confectus erat, antequam è vita migraret, Redemptorem Mundi visere cupiebat, quod Spiritus Sancti oraculo, se non ante decessurum accepisset, quam illum oculis subjectum haberet. Itaque eo Spiritu ductus cùm in Templum venisset, receptumque in brachia puerum agnovisset, primum gratias Deo egit, quòd se tanti beneficii compotem effecisset; deinde horam sibi mortis imminere professus est, quòd aliquando tandem Salvatorem Mundi vidisset. S. Lucas cap. II. Absoluta inde purgatione Joseph rebus omnibus in Judæa perfectis, quas sibi ex Lege obeundas existimavit, Galilæam cum Beata Virgine, puerque Christo sibi repetendam putavit. Herodes autem Rex Judææ, ubi Magos in patriam suam alio reversos itinere fine sua, ut patefecit, admonitione cognovit, iracundia incitatus, misit, qui infantes omnes bimos, aut minores Bethleemi, aut in finibus ejus conquisitos necarent, ratus se ea ratione Christum quoque Regni vindicem in illo numero deleturum. Neque tamen voti sui compos est factus. Etenim Joseph in somnis ab Angelo de pravo Herodis consilio monitus, Galilææ omissa puerum cum Matre in Ægyptum post paulò traduxit. Cædes inde puerorum facta est in extremo ejus anni V. Kal. Januarias, anno Christi ineunte secundo, ac post aliquot menses Herodes Rex vita cessit, cùm annos Regni explesset triginta septem, ut omnes consentiunt. S. Matth. cap. II.

Herodes post Nativitatem Domini regnavit annos quatuor.) Rectè ad summam Sulpicii, qui Christum natum esse inquit anno Herodis XXXIV. nam regnavit annos XXXVII.

AR-

cidit in Julianum XLII. Olymp. CXCIV. primùm, Cycl. Sol. VI. Lun. XVII Lit. G. Proinde triennium interjectum inter hanc sententiam & æram communem, figitur in Juliano XLV. Olympiad. CXCV. quartu. Sed annus nati Christi exactè definiri nulla auctoritate potest, ut ex omnium, quæ plus mi, sententiarum scrutinio patet. Maximè probabile videtur Christum natum ante XLIII. Julianum, eòdque æram Dionysiacam, qua hodie utimur, μετα-χρονισμῷ triennii ad minimum peccare. Utrum verò XLII. Juliano an. XLI. natus fuerit Servator noster, illud nullis indiciis solidis ex historia veteri erui posse, adeòque non inter εὔπορα tantùm, sed ἄπορα prorsus, referendum censeo.

IV. Nam omne imperii ejus tempus, VII. & XXX. anni (352) fuerunt. Post quem Archelaus tetrarcha (353) annis IX. (354) Herodes an. XX. & IIII.

CHRI-

ARCHELAUS REX JUDÆORUM, ET HERODES ANTIPAS TETRARCHA GALILÆÆ.

Post quem Archelaus Tetrarcha annos IX. Herodes annos XXIV.) Legendum videretur ex S. Matthæo, & S. Luca, Josepho, & Eusebio, *Post quem Archelaus Rex annos IX. Herodes Tetrarcha annos XXXIV.* Herodes enim moriens testamento filiis Regnum divisit, atque Archelao Regnum Judææ dedit, Herodem Antipam Tetrarcham Galilææ fecit. Gaulonitidem, Trachonitidem, Bathaneam, & Paniada Philippo Tetrarchæ jure concessit; Lysaniæ Abylinam. S. Lucas, & Josephus. Panias autem est, quæ postea a Philippo Cæsarea Philippi est appellata. Ituream inde Philippus ab Augusto accepit.

Mortuo inde Herode Rege Joseph ab Angelo monitus Christum puerum ex Ægypto in Judæam reportavit, verum quia Archelaum Regem patris sui loco regnare audivit, eò non accessit, sed ejusdem Angeli monitu in Galilæam secessit, atque in Nazareo oppido habitavit, ut impleretur, quod scriptum erat per Prophetas: *Quod Nazaræus vocabitur*. Matth. cap. III. Sunt qui Christum septem annos in Ægypto fuisse tradant; quod fieri nequit, si statim mortuo Herode, & Archelao Regnum adepto relatus est; quod S. Matthæus significare videtur; neque enim quocunque anno natum eum dicas, hic septem annorum numerus initi salvis historiis potest. Epiphanius certè biennium tantum agnoscit. Archelaus Rex Eleazarum Pontificem fecit, atque ei deinde successores more instituto dedit. Inde post novem annos à Judæis apud Augustum accusatus, quòd Judæos impotenter haberet, cùm se purgare non posset, Regno spoliatus Viennam in Galliam relegatus est An. Urb. Cond. DCCLXIII. Christi XI.

JUDÆA ITERUM IMPERII ROM. PROVINCIA FACTA.

His actis Augustus Judæam iterum Provinciam facit, ac jurisdictioni Provinciæ Syriæ attribuit, atque, ut ante, Procuratorem ei ad jus dicendum imposuit: Pontificatum verò Judæis, sed ad tempus, permisit. Primus Procurator factus est C. Coponius, qui duobus annis præfuit. Annanus verò, sive Anno Pontifex à Quirino Syriæ Proconsule datus est. Cùm autem Joseph quotannis è Galilæa Hierosolymam ad Festum Paschatis cum Virgine, & puero more gentis accederet, factum est, ut puer, cùm ageret annum duodecimum, eò progressus in Templo cum Sapientibus de Lege Dei subtiliter adeò disputarit, ut omnes in admirationem sui adduxerit. Lucas II. Neque post hac usque ad annum tricesimum ulla illius mentio in teris, ac memoriæ consecrata est. Anno inde Christi tertiodecimo M. Ambivius Judæam Procuratoris nomine rexit, quartodecimo & quinto decimo Annius Rufus.

TIBERIUS IMP.

Eodem verò anno Augustus Imperator est mortuus XIV. Kal. Septembris; ac statim illum Tiberius gener ejus heres testamento institutus excepit, qui sequenti anno, qui fuit Christi XVI. M. Valerium Gratum Procuratorem Judææ dedit; isque eam per annos undecim rexit; quibus transactis anno Christi XXVII. Pontius Pilatus est missus.

CHRISTI PRÆDICATIO, ET MIRACULA.

Hæc verò est sexta ætas, de qua sic S. Augustinus: *Sexta ætate mane fit prædicatio Evangelii per Dominum nostrum Jesum Christum. Incipit sextus dies, in quo senectus veteris hominis apparet; hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando & Templum dejectum est, & sacrificia cessaverunt, & nunc ea gens, quantum ad vires regni sui attinet, quasi extremam vitam trahit; in ista autem ætate, tanquam in senectute veteris hominis homo novus nascitur, qui jam spiritualiter vivit. Hujus ætatis quasi vespera illa est, de qua Dominus dicit: Putas, cum venerit filius hominis, inveniet Fidem super terram? Post istam vesperam fiet mane, cùm ipse Dominus in claritate venturus est; tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis ii, quibus dictum est: Estote perfecti sicut Pater vester, qui in Cælis est; tales enim faciunt opera bona valde; post enim talia opera sperandu est requies in die septimo, qui vesperam non habet.* Hæc ille, continet autem hæc ætas prædicationem & passionem Christi, prædicationem Apostolorum, & Christianæ fundationem Ecclesiæ, hæreses in Ecclesia excitatas, & concilia adversus eas, Martyres, & Confessores Christi, & Doctores Evangelii in singula tempora explanatores. Ceterum anno Tiberii XV. quem ille inivit XIV. Kalen. Septembris Silano & Nerva Coss. Pontio Pilato Procuratore, & Anna Pontifice, & Caifa, cùm annos Christus ageret XXIX. Joannes Zachariæ filius, Christi præcursor pœnitentiam prædicare, & ad Jordanem profectus homines aqua tingere cœpit; de quo sic S. Lucas cap. III. *Anno XV. Imperii Tiberii Cæsaris, Procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo fratre ejus Tetrarcha Itureæ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abylinæ Tetrarcha, sub Pontifice Anna, & Caifa factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Existimante autem populo, ac cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Sequenti verò anno cùm jam Christus XXIX. annum, & tredecim dies tricesimi transegisset, VII. Idus Januarias venit ad Jordanem, & à Joanne baptismum poposcit. Quare sic pergit Lucas: *Factum est autem, cùm baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante apertum est Cælum. Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum; & vox de Cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta.* Inde Matth. III. Marc. I. Luc. III. Johan. I. ita pergunt: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo, & nihil* man-

(352) Sic Eusebius, Josephus, Gorionides, & alii. Chronicum Templi secundi: *vixit Herodes postquam occidisset Antipatrum filium suum octo dies, & mortuus est. Omne autem tempus Regni ejus quadraginta anni.* Josephus interdum XXXVII. interdum XXXIV. annos ei tribuit, respectu duplicis Epochæ, quarum una ab impetrato Romæ, altera ab occupato Hierosolymis Regno ducitur, ut supra dictum. Sic geminæ hujus radicis respectu, quamvis præter mentem Josephi, alii XXXVII. alii XL. annos Herodi adscribunt. Sed exacta periodus Herodis, definiri non potest. Josephus terminis indefinitis illum σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα & περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν decessisse scribit. Unde alii, supervixisse Christo bimestre, alii trimestre, alii annum, alii biennium, alii triennium, alii quadriennium, Baronius etiam octennium, volunt.

(353) S. Matthæus cap. II. scribit, eum βεβασιλευκέναι ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. At ex Josephi lib. XVII. cap. XIII. scimus, Cæsarem Archelaum non fecisse Regem, sed dimidiâ parte terrarum, quas pater Herodes tenuerat, ei concessâ, ἐθνάρχην eum constituisse; Regnum autem pollicitum fuisse, cùm tali honore se dignum reddidisset. Quòd igitur Matthæus scribit, eum βεβασιλευκέναι, vocabulo παχυλῶς utitur de quocunque imperio, satis quidem amplo illo, sed non Regio tamen, & ἀνυπευθύνῳ.

(354) Eusebius: *Archelaus nono anno Regni sui in Viennam urbem relegatur.* Josephus auctor hoc accidisse anno Principatus Archelai decimo. Vide Archæologum libro XVII. cap. XV.

CHRISTI MORS, RESURRECTIO, ET ASCENSIO.

Hoc regnante, anno Regni octavo & decimo, DOMINUS crucifixus est, (k) Fusio Gemino, & Rebellio Gemino Consulibus, (355) A quo tempore usque in Stiliconem Consulem, sunt anni CCCLXXI.

PRÆ-

manducavit in diebus illis, & consummatis illis postea esurit. Anno inde XXXI. ineunte Jesus ad nuptias in Cana Galilææ cum Matre, & Discipulis invitatus VIII. Idus Januarias adiit; cùm autem vinum defecisset, rogatu Matris aquam in optimum vinum convertit. Inde imminente Paschate Hierosolymam adiit, & cùm invenisset in Templo homines vendentes oves, boves, ac columbas, nummulariosque sedentes, flagro ex funiculis facto, omnes inde eiecit, & æra nummulariorum effudit, mensasque dejecit. Digressus inde Hierosolymis, ac per Samariam transiens mulierem Samaritanam longo cum ea instituto sermone convertit, atque in Galilæam reversus cum multas res mirandas ad salutem hominum edidit, tum conciones plures de Cœlesti Regno, atque justitia habuit; quarum una fuit insignis postero anno habita in Monte Tabor, in quo legem suam promulgavit, qua Legem Moysis adimplevit. Unde ipse quodam in loco dixit: *Non veni Legem solvere, sed adimplere*; & quæ adimpletio esset, docuit dicens: *Nisi abundaverit justitia vestra super justitiam Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Hoc est enim adimplere, quod deest, adjicere. Lex dicit: Non occides; at ipse: Nec irascaris sine causa fratri tuo; lex adulterium interdicit; at ipse curiosum in fœminas damnavit aspectum. Ex quo apparet, quanto major sit Lege Fides, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est; quia lex ramos peccati perstringit, Fides radices eruit, quæ nos non operibus, sed & sensibus immaculatos facit, ut verè ad primordialem dignitatem, hoc est, Dei similitudinem reformemur, non solum corpore, sed & corde mundati*; ut S. Paulinus Epist. secunda ad hunc Sulpicium scripsit. Virtutes autem, quas ille interim edidit, hæ fuerunt: Debiles, ac membris captos ita curavit, ut receptis repente viribus confirmati ipsi lectulos suos reportarent, in quibus fuerant paulò ante delati; claudis verò, ac vitio pedum affectis non modo gradiendi, sed etiam currendi facultatem impertiit; cæcorum oculos in naturalem aspectum restituit, mutorum linguas in eloquium solvit, surdorum patefactis auribus auditum insinuavit, vexatos immundis spiritibus liberavit, & pollutos, atque aspersos maculis expurgavit, quin etiam vita functos, quod dictu mirabilius est, veluti somno solutos suscitavit, atque ad vitam pristinam revocavit; atque hæc quidem solo aut verbo, aut imperio, aut tactu omnia cum ingenti omnium stupore perfecit. Quibus rebus auditis, Joannes ex carcere, in quem conjectus ab Herode Tetrarcha fuerat, discipulos misit ad eum rogans: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quibus ille respondit: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me*. Christum enim planè se esse ostendit, cum in se ea, quæ de Christo venturo Isaias prædixerat, veritatis obtinerent effectum. Itaque cùm post venisset Nazareth, & intrasset in Synagogam, traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum; cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*. His rebus accessit, quod cùm immensa ubique mortalium multitudo illum stiparet, vel debilium, vel ægrotorum, vel certè eorum, qui curandos suos offerre cupiebant, quodam die in montem quendam desertum, ut ibi oraret, ascendit; ubi cùm triduo moraretur, ac populus inedia affligeretur, vocavit discipulos quærens, quantum secum ciborum haberent, illi quinque panes, & duos pisces adesse dixerunt; afferri igitur ea, ac multitudinem per centenos, ac quinquagenos distributam discumbere jussit; ac panem, piscesque comminuit, & cùm apponi illa populo imperasset, quinque hominum millia saturavit, ac duodecim cophinos de residuis fragmentorum implevit; quin etiam alio die alia ejusmodi urgente necessitate quatuor millia septem panibus ita pavit, ut septem sportas reliquiarum expleverit. Jam vero alio tempore secessurus orandi caussa, ut solebat, in montem, præcepit discipulis, ut naviculam sumerent, seque præcederent; at illi imminente jam vespere profecti contrario vento laborare cœperunt; cùmque jam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus, eos tanquam in solido graderetur, est consecutus, & rursus cùm pulvino capiti supposito dormire cœpisset, repente tanta coorta est tempestas, ut fluctibus navicula mergeretur. Itaque discipuli metu exanimati excitant illum statim, ac rogant, ut sibi ferat opem, quòd perirent; illi verò increpitis illis, quòd exigum Fidei essent, experrectus, vento protinus, ut sileret, & fluctibus, qui atrocissimi ferebantur, ut quiescerent, imperavit, statimque dictum ejus tranquillitas summa excepit. Jam verò ex ingenti discipulorum numero duodecim selegit, quos Apostolos appellavit, nempe Petrum & Andream fratrem ejus, Jacobum Majorem, & Johannem fratrem ejus, Simonem & Judam Iscariotem, Philippum, Bartholomæum, Matthæum, Thomam, Jacobum Minorem, & Thadæum fratrem ejus, & præterea alios discipulos septuaginta duos; atque iis potestatem & prædicandi Evangelii, & signorum in suo nomine edendorum concessit. Quibus rebus seniores populi Hierosolymitani, & Pontifices, itemque Scribæ, & Pharisæi incitati sæpe de illius nece consilium habuerunt. Jesus autem, licet eorum animos exploratos haberet, tamen sibi faciendum ratus, ut juxta patris voluntatem obiret, sequenti anno Hierosolyma ad Pascha ex instituto contendit, atque honorificè a plebe obviam prodeunte receptus, vehementius etiam eorum in se odia concitavit.

(k) Mox Sacra Cœna cum Discipulis celebrata, Agnum ex lege comedit, & novo instituto Divinum Corporis ac Sanguinis sui Sacramentum singulis impertivit. Atque inde in hortum per noctem cum tribus Discipulis ad orandum excessit. Nec multo post à cohorte Judæorum à Juda proditore adducta capitur, atque ad Caifam Pontificem ducitur, apud quem Concilio Seniorum convocato, cùm se Dei filium esse confessus esset, eo nomine die jam illucescente morti addicitur; ac propterea ad Pontium Pilatum Procuratorem Romanorum, sine quo judicium peragi ex lege Romanorum non poterat, mittitur. Ille verò

cum

(355) Variæ veterum opiniones fuerunt de intervallo τῆς πολιτείας Domini, quod deprehendi posse, idque rectè atque ordine, putarunt per Paschata, quæ intercesserunt à Baptismo illius ad σταυρώσιμον. Alii enim tria, alii quatuor, alii quinque celebrata fuisse à Christo Paschata post Baptismum opinantur: Nos iis accedimus, qui duo tantum numerant: qua in sententia fuerunt, Clemens Alexandrinus, Lactantius, B. Augustinus, B. Hieronymus, apud eundem Hieronymum Commentariis in cap. IX. Danielis, Julius Africanus in quinto Temporum: *Atque exinde usque ad annum quintumdecimum Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta*. Hunc annum suis signat Consulibus Tertullianus Libro adversùs Judæos cap. VIII. *Passio hujus exterminii intra tempora septuaginta hebdomadum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die octavo Kalendarum Aprilium*. Eum annum se reperisse gloriabantur Tessareskædecatitæ in Actis Pilati apud Epiphanium: ἀπὸ τῶν ἄκτων δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦσι τὴν ἀκρίβειαν εὑρηκέναι, ἐν οἷς ἐμφέρεται τῇ πρὸ ὀκτὼ Καλανδῶν Ἀπριλλίων τὸν σωτῆρα πεπονθέναι. Atque id verum nobis videtur, Christum passum esse anno quintodecimo Tiberii Cæsaris, duobus Geminis Consulibus, cùm annum ageret tricesimum primum, sive Dionysianum vicesimum nonum, anno Orbis conditi termillesimo nongentesimo septuagesimo octavo, Cyclo Solis X. litera Dominicali B.

PRÆDICATIO, ET PASSIO APOSTOLORUM.

Apostolorum Actus Lucas edidit, usque in tempus, quo Paulus Romam deductus est, Nerone imperante. (*l*)

NERO IMP. (*m*) ET PERSECUTIO EJUS.

Qui non dicam Regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus dignus exstitit, qui persecutionem in Christianos primos inciperet: nescio an & postremus exple-

cùm crimen in eo non invenisset, dimittere voluit, atque, ut tam fœdi judicii invidiam è se rejiceret, Jesum ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui fortè Hierosolymis erat, ut in ipsum tanquam in Galilæum, animadverteret, misit; qui cùm nulli crimini affinem esse, & ipse comperisset, ad Pilatum remittit. Demum instantibus Judæis, ut necaretur, quòd se Regem Judæorum efferret, Pilatus ipsum virgis cædi, ac corona spinea coronari, ac purpura indui, & arundinem pro sceptro dari præcepit, ratus se his contumeliis incitatam Judæorum libidinem compressurum. Verùm nihil profecit. Itaque denuncientibus illis, si ei parceret, qui se Regem Judæorum faceret, in offensionem Cæsaris incursurum, perturbatus tandem eorum petitioni assensit. Atque ita in die Parasceves in medio duorum latronum sexta hora Crucifixus, nona expiravit. Quo ratione omnia de illo vaticinia, quibus vita, morsque ejus prædicta fuerat, veritatem assequuta sunt. Inde corpus Joseph ab Arimathæa discipulus Pilato permittente de Cruce detractum novo monumento recondidit. Transacto inde Sabbato Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome summo mane ad sepulcrum venerunt, ut Corpus Christi aromatibus oblinirent. Ubi verò propius accessérunt, lapidem ab ostio detractum aspexerunt, ac statim rem Petro, ac Joanni significarunt. Qui cùm ad monumentum venissent, sola in eo linteamina, quibus Corpus involutum fuerat, repererunt. Mulieribus autem de corpore non invento sollicitis, viri duo candida veste induti dixere, Christum surrexisse; atque eis in memoriam redegere, quod ille dixerat, fore, ut nefariis hominibus traderetur, crucifigeretur, & mortuus die tertia reviviscerct. Proinde Discipulis, & præsertim Petro nunciarent, se illos in Galilæam præcessurum. Inde Jesus per dies aliquot in terris versatus Discipulis sæpius se ostendit, ac verè se surrexisse probavit. Cùmque eis omnes Scripturas ad se pertinentes aperuisset, Petro nominatim curâ gregis sui commissa, omnibus peccatorum remittendorum, docendi, & in nomine Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti baptizandi potestatem concessit. Inde quadragesimo, postquam resurrexerat, die, in Monte Olivarum, Discipulis, ut Spiritum Sanctum expectarent, admonitis, illis videntibus in Cœlum ascendit. Tum post dies decem Spiritum Sanctum è Cœlo in eos in unum locum convocatos demisit, qui omnes ita afflavit, ut exemplo diversis loqui linguis inceperint. Hæc fermè sunt, quæ literis prodere Sulpicius recusavit, nos verò attingere necessarium esse duximus.

A quo tempore usque in Stiliconem Consulem sunt anni CCCLXXII) Ex hoc loco Sulpicius mutat rationem annorum supputandorum, nominans annos, qui sunt ante Stiliconem Consulem, cujus Consulatus incidit in annum urbis CCCC. Quare si ab anno Christi XXXIII. quo ipsum passum esse diximus, usque ad annum CCCC. numerando perveneris, CCCLXVII. annos efficies. Atque ita X in V versa numeri planè congruent.

(*l*) S. Lucas Apostolorum actiones Petri & Pauli uno libro collegit, quem Actus Apostolorum vocavit, exorsus à die, quo Spiritus Sanctus in Apostolos Hierosolymis sedentes est missus, atque ad tertium Neronis annum, quo Paulus Romam sub militari custodia ductus est, idest, ab anno XXXIII. Christi usque ad LVIII. qui numerus est annorum viginti sex. Quo temporis intervallo Apostoli, & Discipuli toto terrarum orbe dispersi Christi fidem, ac disciplinam gentibus æquè, ac Judæis annunciarunt, Christianorumque nomen latè in omnes Provincias propagarunt, atque extrema omnia pro Christi nomine pertulerunt. Sed nihil præclarius, quàm quòd Paulus Tarsensis ex acerrimo Christi persecutore ad fidem conversus, & ad Apostolatum à Christo evocatus mirificè prædicatione sua fidem ipsam Christi provexit.

CAJUS IMP. AGRIPPA HERODES REX JUDÆORUM.

Anno interim Christi XXXVIII. Tiberio Imp. defuncto successit Cajus, qui statim Agrippam Herodem Aristobuli filium, Herodis magni nepotem Regem appellavit, atque ei Tetrarchias Philippi, Lysaniæque concessit; anno verò XLI. Herode Tetrarcha Lugdunum relegato, Galilæam quoque adjecit.

CLAUDIUS IMP.

Anno verò XLII. Cajum Imperatorem mortuum excepit Claudius; qui Herodem Agrippam universæ Judææ & Samariæ Regem appellavit. Qui Herodes Jacobum Apostolum Zebedæi filium Joannis fratrem gladio sustulit, & Petrum Principem Apostolorum, ut gratiam à Judæis iniret, comprehensum in carcerem conjecit; unde post Angeli ductu evasit, ut S. Lucas in Actibus prodit. Itaque anno XLIV. Petrus Apostolus Romam primum venit, atque ibi Verbum Dei prædicare instituit, Episcopumque se gessit.

JUDÆA TERTIUM PROVINCIA FACTA.

Anno XLV. Agrippa Herode Rege mortuo, Claudius Imp. rursus Judæam Syriæ Provinciæ Romanæ attribuit, ac Cuspium Fadum Procuratorem eò misit, atque Herodi fratri Regis Agrippæ, quem ipsius rogatu Regem Chalcidicæ fecerat, Potestatem Pontifices instituendi dedit. Itaque anno XLVII. Alexander Procurator est missus; anno verò XLIX. Ventidius Cumanus, Herodes verò Chalcidicæ Rex mortuus est. Anno inde LI. Agrippa junior Agrippæ filius Rex Chalcidicæ à Claudio est appellatus. Anno LII. Antonius Felix Procurator in Judæam est missus. Anno LV. Paulus Apostolus Verbo Dei in Asia, Macedonia, & Græcia prædicato, à Judæis Hierosolymis captus, & Felici Judææ Procuratori traditus ab eo per biennium in custodia habetur.

(*m*) Eodem anno Nero Imp. Claudio defuncto successit; qui biennio post Porcium Festum Procuratorem in Judæam destinavit. Hic Paulum, cùm Cæsarem appellasset, Romam postero anno misit, ubi per biennium mansit, omnes, qui ad se adibant, recipiens, Regnum Dei prædicans, & quæ ad Deum pertinebant, libere, ac sinè impedimento docens. Lucas in fine Actuum; quo in loco meminit quoque Agrippæ Regis, qui venerat ad visitandum Festum; quem Agrippam Regem Chalcidicæ esse supra diximus, anno LXIII. Jacobus frater Domini, qui Episcopus Hierosolymorum fuerat constitutus, à Judæis de Templo præcipitatus est; anno LXV. Gessius Florus Procurator in Judæam à Nerone missus.

Qui non dicam Regum, sed omnium hominum.) Ex rebus, quæ post historiam Actuum Apostolorum præcipue Christianos attigerunt, una, eaque memorabilis fuit, multiplex persecutio, qua Christiani ab Imperatoribus Romanis miserè lacerati sunt; ac propterea Sulpicius omnes Persecutiones sibi notandas suscepit, quarum prima sub Nerone anno LXV. incœpit; atque inde usque ad mortem ejus exarsit, quæ anno Christi LXIX. contigit. Neronis autem probra, ut primi & ultimi persecutoris, & omnium maximè Christianis infesti, persequitur, quæ Svetonius diserte explicuit, homo ejusmodi criminum colligendorum studiosissimus. Primum autem fuisse Neronem, qui Persecutionem in Christianos commoverit, omnium testimonio constat; cœpit sævire anno Christi LXV. Lecanio, Liciniéque Consulibus, culpa incendii urbis in Chri-

expleret. (356) Siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum. (357) Hujus vitia, ut plenius exponerem, res admonebat, nisi non esset hujus operis tam vasta ingredi: id tantum annotasse contentus sum, hunc per omnia fœdissima, & crudelissima (358) eò processisse, ut matrem interficeret: post etiam Pythagoræ cuidam (359) in modum solemnium conjugiorum nuberet, (360) inditumque Imperatori flammeum (361) dos & genialis torus, & faces nuptiales: cuncta denique, quæ vel in fœminis non sinè verecundia conspiciuntur, spectata. Reliqua verò ejus, incertum pigeat an pudeat magis differere. Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est: (362) quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes (363) aspiciuntur. Namque eo tempore divina apud

Christianos innocentes collata; ut Tacitus quoque memoria prodidit. Persecutiones autem appellatam Christiani, cùm publico Imperatorum edicto aut judiciis, aut tormentis, aut ultimis suppliciis divexati sunt.

Nescio an & postremus expleret, siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum.) Antichristum venturum supra ostendimus, cùm de Danielis visionibus loquebamur. Cum hac Fide mentes Christianorum imbutæ essent, fuere multi, qui putarint, eundem fore Neronem, ut quemadmodum ille primam Persecutionem inivit, sic ultimam expleret; de qua opinione mox dicemus. *Expleret* autem, est futurum, pro *Expleturus sit*.

Hujus vitia, ut plenius exponerem.) Vitia Neronis negat se expositurum propter multitudinem eorum; duo verò tantum se allaturum, unum crudelitatis, alterum fœditatis insignis; crudelitatis argumentum fuit nex matri Agrippinæ allata; fœditatis, quod se Pythagoræ cuidam in matrimonium, tanquam fœmina, dicavit. Qua de re sic Svetonius: *Et cum essetiam defecisset, conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit*. Quod porro inquit: *inditum Imperatori flammeum, dos, & genialis torus, & faces nuptiales*. Sex. Victor ita expressit: *Nero eo dedecoro reliquum vitæ egit, ut pudeat memorare hujuscemodi quenquam; eò progressus est, ut neque sua, neque aliorum pudicitia parcens ad extremum amictus nubentium virginum specie palam convocato Senatu, dote dicta, cunctis de more frequentantibus nuberet*.

Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est.) Redit ad prima, ot de prima, quæ fuit Neronis, persecutione dicat. Nero ergo primus omnium Imperatorum edictum proposuit, ut in eos quæstiones exercerentur, qui se Christi cultui dedissent, ut scribit Tertullianus in Apologetico, Eusebius histor. lib. VI. Orosius lib. VII. Nam si qua ante Neronem vexatio Christianorum extiterat, ea ferinè non ab Imperatore, sed a Judæis suscepta fuerat, ut adversùs S. Stephanum, duos SS. Jacobos, S. Petrum, & S. Paulum. Imperatorum autem, ut inquit Sulpicius, novem persecutiones fuerunt, Neronis, Domitiani, Trajani, Hadriani, Antonii, Severi, Decii, Valeriani, Diocletiani, quæ & Maximiani, & decima futura Antichristi. At D. Augustinus lib. de civitate Dei XVIII. cap. LII. undecim refert, Neronis, Domitiani, Trajani, Antonii, Severi, Maximini, Decii, Valeriani, Aureliani, Diocletiani, & undecimam Antichristi. Reddens inde rationem, cur Nero in Christianos sæviret, inquit:

Quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur.) Idest, ne mireris, Neronem primum gladium in Christianos strinxisse. Ut quisque pessimus est, sic acerrimo odio in optimum quemque hominem fertur, quòd eos, quasi sua sibi scelera exprobrantes intueatur. Innuit autem ea, quæ de S. Paulo S. Joannes Chrysostomus scripsit: *Nero dormientibus omnibus omnium bona diripiebat, uxores invadebat, domos subvertebat, nullum scelerum genus prætermittebat; postquam verò S. Paulum vidit afferre sermonem doctrinæ, quo sua reprehendebatur iniquitas, quæ omnia licenter facere posset, curavit, ut extingueretur prædicatio, & interficeretur magister.*

Namque eo tempore divina.) Divina religio primùm prædicata Romæ à S. Petro, & S. Paulo putatur. S. Petrus Princeps Apostolorum Claudio imperante Romam, ut diximus, venit anno Christi XLIV. nempe post Ascensionem ejus decimo, teste Eusebio; atque ibi Episcopus prædicato Evangelio multos ad Fidem traduxit; quadriennio inde post Hierosolymam rediit, & Concilio Apostolorum interfuit anno XLVII. Inde Romam repetiit anno LVI. Biennio inde post Paulus injusto Porcii Festi Judææ Procuratoris judicio oppressus Cæsarem appellavit, ac Romam propterea missus est anno LVIII. Lucas in Actis, & Eusebius lib. II. *Injustum* autem *Præsidis judicium* vocat, cùm Festus rogavit eum, num Hierosolymam ad dicendam causam contendere vellet, nam Cæsarem tum erat. Quod Paulus ita respuit, ut Cæsarem appellarit. Quem Sul-

(356) Pro *fortasse & postremus expleturus est*. Nam *nescio an* & *haud scio an* dicunt eleganter pro *fortasse*. Valerius Max. lib. IV. cap. XXXIV. *Quorum è numero nescio an in primis Pausanias debeat referri*. Et lib. V. cap. VII. *Sed nescio an Octavius Balbus conspicatioris & ardentioris erga filium benevolentiæ fuerit*. Ipse Cicero Bruto: *Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat*. Item: *Eloquentiâ quidem nescio an habuisset parem neminem*. Vide & Tursellinum de partic. L. L. in *haud scio*. Ceterùm quòd Neronem persecutionem in Christianos postremum expleturum conjicis, ei consonum est, quòd c. XXIX. scribit: *Neronem credi sub seculi fine mittendum, ut mysterium iniquitatis exerceat*: Item quòd Dial. II. cap. XIV. scribit, cùm eu S. Martino de fine seculi quæsitum fuerit, respondisse eum, Neronem & Antichristum priùs venturos esse. Vide ibi & cetera.

(357) Eadem fuit opinio quorundam Christianorum de Domitiano, cui cognomentum Neroni fuit, qui sævitia Neronem vel æquabat, vel superabat. Unde alter Nero, & Nero Calvus convicio populi vocabatur. S. Hieron. Dan. II. *Multi nostrorum putant, ob sævitiæ ac turpitudinis magnitudinem, Domitianum Neronem Antichristum fore*. In glossa ordinaria, I. Maccab. I. ubi de eodem hæc verba, legitur: *Domitianum sive Neronem*. Prætulerim, aut Neronem, ut dicat, opinione quorundam Christianorum, alterutrum Antichristum fore. Haymo scribit Neronem umbram fuisse Antichristi, sicut David Christi. Scribit hoc ad locum Apostoli II. Thessal. II. vers. VII. *Nam nunc mysterium operatur iniquitatis*: Ubi Nicolaus de Lyra: *Hoc mysterium exercere cœpit à temporibus Neronis, vel quia Nero typus erat Antichristi, ut Haymo scribit; vel quia tunc primum jacta sunt fundamenta tyrannidis Ecclesiasticæ*.

(358) Orosius lib. VII. cap. V. *Crudelitatem autem rabie ita efferatus est, ut plurimam Senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit; sed ne parricidiis quidem abstinuit, matrem, fratremque, sororem, uxorem, ceterosque cognatos & propinquos, sine hæsitatione prostravit*.

(359) Qui & Doryphorus, alio nomine, apud Svetonium. A quo alius ille alter Doryphorus libertus, quem Nero veneno sustulit, biennio ante hunc denuptum. *Torrent*.

Svetonius *Doryphorum* vocat. Cujus verba sunt: *Suam pudicitiam usque adeo prostituit, ut conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit, voces quoque & ejulatus vim patientium virginum imitatus*.

(360) Xiphilinus in Nerone: *Quamquam ipse nupsit Pythagoræ liberto, dotemque ei per syngrapham constituit* (hoc Sulpicius significat, cum ait: *in modum solemnium conjugiorum*) *quas nuptias populus Romanus celebravit una cum ceteris gentibus*. Et post: *Ex eo tempore duo simul cum Nerone coibant, Pythagoras pro viro, Sporus pro uxore, ac Nero præter cetera domina & Regina vocabatur*. Orosius: *Virum in uxorem duxit, ipse à viro ut uxor acceptus est*. Svetonius: *Doryphoro liberto, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit*.

(361) Sex. Victor: *Nero eò progressus est, ut neque sua, neque aliorum pudicitia parcens, ad extremum, amictus nubentium virginum specie, palam convocato Senatu, dote dicta, cunctis de more frequentantibus nuberet*.

Ut nubentibus fœminis solebat. Fuit autem *flammeum* integumentum capitis, quo novæ nuptæ uti solebant. Svetonius: *Puerum Sporum cum dote & flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit*.

(362) Leeanio Liciniòque Coss. Tacitus. A. C. LXIV. Vide Scal. Euseb.

(363) Imitatur Sulpicius Tacitum, cujus verba sunt XIV. Annal. *malorum facinorum Ministri, quasi exprobrantes aspiciuntur*.

apud urbem religio invaluerat, (364) Petro ibi Episcopatum gerente: (365) & Paulo, posteaquam ab injusto Præsulis judicio (366) Cæsarem appellaverat, Romam deducto, ad quem tum audiendum plures conveniebant: qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebrò ediderunt, permoti, ad cultum Dei sese conferebant. (367) Etenim tum illustris illa adversus Simonem, Petri ac Pauli congressio fuit. Qui cum magicis artibus, (368) ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est. Interea abundante jam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium (369) constituto. Sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse. (370) Neque ulla re Nero efficiebat, (371) quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, (372) actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones: quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti, (373) laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usti. (374) Plerique in id re-

Sulpicius dixit *præsulem* S. Lucas vocavit, quem reliqui omnes secuti Romano more *præsidem*, nemo unquam *præsulem* appellavit. Quare virtum inesse arbitror.

Ad quem tum audiendum plures conveniebant.) Expressit verba S. Lucæ in fine Actuum, de S. Paulo loquens: *Mansit biennio toto in suo diversorio, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad se, prædicans Regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione.*

Qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebro ediderant, permoti ad cultum Dei sese conferebant.) Narrat Linus in Passionibus ipsorum Apostolorum, utrumque eorum homines debilitatibus, ac morbis variis afflictatos sanitati pristinæ reddidisse, & mortuos ad vitam revocasse, cùm Roma veritatem, idest, Christum Dei filium, & doctrinam ejus prædicarent.

Etenim tum illustris illa adversus Simonem Petri, & Pauli congressio fuit.) Magna quæstio est, quo anno Simon Magus à Petro fuerit expugnatus. Eusebius libro secundo regnante id Claudio factum, cùm primum Petrus Romam venit, anno, ut conjici potest, quadragesimo sexto. S. Augustinus, & multi alii paulò ante mortem S. Petri, & S. Pauli anno LXVII. Hic verò Sulpicius in adventum S. Pauli conjicit, qui anno LVIII. Romæ primum prædicavit. Nos S. Augustini opinionem sequendam esse putamus; quia Nero hac re incitatus in Apostolos mox odio acerbiore desævit. Is in sermonibus sic scribit: *Hodierno die Beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus caussam, quare ista perpessi sunt, scilicet, quod inter cætera mirabilia etiam Simonem Magum illum orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostraverunt. Cum enim Simon se Christum diceret, & tanquam Christum ad Patrem assereret se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem; nam velut vinctum eum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens crura confregit.* Item Arnobius: *Viderunt Romani currum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse.*

Interea abundante jam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto.) Hoc factum est Lecanio Liciniοque Consulibus anno Christi LXV. De quo sic Tacitus: *Incendium fortè, an dolo Principis conflatum fuerit, in incerto fuit; eo certè tempore Antii agens Nero non ante in urbem regressus est, quàm domus ejus, qua Palatium, & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.*

Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse.) Taciti verba sunt: *Videbaturque Nero condendæ urbis, & cognomento suo appellandæ quærere.*

Igitur vertit invidiam in Christianos.) Et hæc è Tacito: *Ut autem rumorem Nero aboleret, quo jussum incendium credebatur, subdidit reos, & exquisitissimis suppliciis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine, quàm odio humani generis convicti sunt, & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* Libro XV. Hæc

(364) *Apud urbem*, Romam puta, pro *in urbe*. Sic supra lib. I. *Apud Carras diversatus est* pro *Carris*: & in hoc libro: *apud Babyloniam* pro *Babylonia*, vel *Babylone*.

(365) Ita veteres magno consensu: quorum testimonia singulari curâ congessit Conr. Hornejus in Hist. Ecclesiasticâ. Sed nostræ ætatis tamen plurimi non accedunt: inter quos præcipuè est Cl. Salmasius.

(366) Festum intelligit, qui Felici successit. Magim ergo, *Præsidis*, ut pagina, quæ proximè sequitur: *Præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes.*

Intelligitur Festus: cujus Act. XXVI. fit mentio. Is verò non Præsul, sed Præses fuit. Unde Drusius legi malit *Præsidis*; præsertim cùm paulò post Gessium Florum noster non Præsulem, sed Præsidem vocet.

(367) Quos inter Neronis quidam aulici, & ut Patres nonnulli voluerunt, ipse Seneca. Extant Epistolæ ejus ad Paulum, & hujus ad illum, sed quas supposititias esse, certum est. Vide Lipsium in Senecam, & alios.

(368) S. Augustinus in Sermone de Sanctis: *cum enim Simon se Christum diceret, & tanquam Christus ad Patrem assereret se posse conscendere, atque elatus subito, magicis artibus volare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem. Nam velut vinctum eum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxa elidens, crura confregit.* Meminit hujus congressionis & Arnobius per hæc verba: *Viderunt Romani currum Simonis magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse.*

(369) Tacitus: *Incendium, fortè an dolo Principis conflatum fuerit, in incerto fuit. Eo certè tempore Antii agens Nero, non ante in urbem regressus est, quàm domui ejus, qua palatium & Mecænatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.* XV. Annal.

(370) *Videbaturque Nero, condendæ urbis novæ & cognomento suo appellandæ, gloriam quærere*, Tacitus.

Hæc & proxime sequentia ex Taciti lib. XV. Annal. depromsit, ipsis quoque Taciti phrasibus servatis.

(371) *Sed non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis, decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur.* Idem.

(372) *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus, Christianos appellabat.* Idem.

(373) Sunt ipsissima verba Taciti: *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent: aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.*

(374) Hoc *flammare* Tacitus vocat. Flammare est, quod Hispani dicunt *Pringar*. Stantibus ad palum destinatis, unco (ne motatione capitis picem cadentem declinarent) gutturi suffixo, è lamina ardente χεραμίδα vocat Imp. M. Aurelius pix aut unguen in caput liquefiebat, ita ut rivi pinguedinis humanæ per arenam amphitheatri sulcum facerent. Juvenalis ad hoc tormentum, eandemque historiam alludens:

Pone Tigillinum, tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum deducit arena.

Lege:

Et latus medium sulcus diducit arenam.

Pone, ubi stantes ad palum alligati fusfixo gutture, lamina impendente fumant, & totos artus liquefiunt, ita ut pinguedo diducat arenam sulco facto. Ut memorabiles illos cruciatus fuisse necesse fit, quorum multo post tempora meminerit Juvenalis. Tertullianus in Gnosticos: *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit*. Neque solum Romæ sævitum in Christianos, sed etiam in Provinciis.

reservati, ut cùm defecisset dies, in usum nocturni luminis (375) urerentur. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum. (376) Post etiam datis legibus (377) religio vetabatur: palàmque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus ac Petrus capitis damnati: (378) quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est.

JUDÆORUM REBELLIO.

Dum hæc Romæ geruntur, Judæi Præsidis sui Festi Flori (*) injurias non ferentes, rebellare cœperunt. (u) Adversùs eos Vespasianus pro Consulari Imperio à Nerone missus (379) multis, gravibusque prœliis devictos, coëgit intra muros Hierosolymæ confugere. Interim Nero jam etiam sibi pro conscientia scelerum invisus, humanis rebus eximitur: incertum an ipse sibi mortem consciverit. (380) Certè corpus illius interemptum. Unde creditur, etiam si se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus: (381) secundùm illud, quod de eo scri-

Hoc incepto in Christianos sæviri cœptum; post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis Christianum esse non licebat.) Tertullianus in Apologetico: *Consulite vestros commentarios; illic reperietis, Neronem primum in hanc sectam tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse*, & Orosius. *Primus Nero Christianos suppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit*. Apud Sulpicium pro *datis legibus*, *latis* legendum censeo.

Tunc Paulus, ac Petrus capitis damnati, quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est.) Hoc factum est anno Christi LXVIII. Neronis anno XIII. teste Eusebio. Hinc Chrysostomus: *Nero, postquam Paulo non persuasit, ut desisteret puellæ dare consilium, tandem caput ei amputari jussit*. Tertullianus de Præscriptionibus: *Felix Romana Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Passioni Domini adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur*. De suppliciis eorum plura Linus. Ceterum in aliis Provinciis quoque, & regnis alii Apostoli, atque discipuli sacram martyrii coronam propter Christi nomen acceperunt.

(u) Hoc est initium belli, quo Hierosolyma, & Judæa funditus periit, quemadmodum prædictum à Christo fuerat. Concitatum est autem anno Imperii Neronis duodecimo, cùm Gessius Florus Procurator multos Judæos verberibus cæsos in crucem egisset. Verba sunt Eusebii, qui à Josepho sumpsit: *Contra Judæos, qui Gessii Flori avaritiam non ferentes rebellabant, Vespasianus magister militiæ à Nerone transmittitur*. De hoc Floro sic Josephus: *Hic veluti non ad regendam Provinciam, sed ad damnatorum pœnas carnifex missus, neque rapinarum ullum morem, neque afflictionum omisit; in miseris autem crudelissimus erat, in turpibus impudentissimus; totas simul despoliabat urbes, & labes populis inferebat, tantum non voce per totam regionem edicens, liberum esse omnibus latrocinari, dum ipse præclaram acciperet portionem*. De bello Judaico lib. II. cap. XXIV.

Adversus eos Vespasianus pro Consulari Imperio à Nerone missus.) Josephus libro III. cap. I. belli Judaici: *Idem Vespasianus postea Proconsul Hierosolyma obsidens Imperator à militibus salutatus est*.

Interim Nero jam sibi etiam pro conscientia scelerum invisus, humanis rebus eximitur, incertum an ipse sibi mortem consciverit.) Quippe cùm audisset, Galbam in Hispania ab exercitu Imperatorem appellatum, hostis à Senatu judicatus, urbe fugiens, semet ictu gladii transegit, adjuvante trepidantem manum eunucho Sporo, cùm prius nullo reperto, à quo ferirctur, exclamaret. Ita nec nec inimicum habeo, nec amicum, dedecorose vixi; turpius peream. Svetonius, Victor, & alii.

Unde creditur etiam si se ipse gladio transfixerit, curato vulnere ejus servatus, secundum illud, quod de eo scriptum est: Ut plaga mortis ejus curata est, sub seculi fine mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat.) Supra dixit, fuisse opinionem, Antichristum venturum nihil aliud esse, quam Neronem, qui sub seculi finem venturus sit, & Persecutionem ultimam obiturus, confirmat eam opinionem prophetia S. Joannis in Apocalypsi, qui scripsit: *Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus, sicut pedes ursi, & os ejus, sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam. Et vidi unum de capitibus suis, quasi occisum in mortem. Et plaga mortis ejus curata est. Et aperuit os suum in blasphemias in Deum, blasphemare nomen ejus, & Tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant*. Verba autem illa: *Ut mysterium iniquitatis exerceat*, sunt S. Pauli ad Thessalonicenses: *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*; quæ de Antichristo dicta esse interpretatur S. Ambrosius in epistola ad Timotheum: *Mysterium iniquitatis à Nerone inceptum est, qui zelo idolorum Apostolos interfecit instigante patre suo diabolo usque ad Diocletianum*. Item S. Augustinus. Unde Sulpicius in Vita S. Martini dixit: *Ex quo conjicere possumus, ejusmodi pseudoprophetis existentibus Antichristi adventum imminere, qui jam in istis mysterium iniquitatis operatur*. De hac re sic S. August. lib. XX. de Civit. Dei, cap. XIX.

(375) Verba Taciti. Modus hic erat: Papyro, quæ cera esset circumlita induebantur, & sic vivi ardebant. Interpres Juvenalis ad Satyram I. ea verba: Pone Tigillinum: *Tigillinum si læseris, vivus ardebis; quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines tæda & papyro & cera supervestiebat, & sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent*. Ubi per maleficos intelliguntur Christiani. Illa enim miracula, quæ fierent ab illis virtute divina, nihil aliud esse ajebant, quam præstigias & artes execrabiles.

(376) Svetonius: *Idque etiam per Provincias factum*. Extat vetus inscriptio in Hispania loco Pisvergæ vocato: in quo sine dubio crudelitas Neronis tangitur, si quidem vera est illa inscriptio. Nam dubito. Christianismum superstitionem vocat, ut Svetonius Christianos homines novæ ac maleficæ superstitionis: NERONI CLAUDIO CÆSARI AUG. PONT. MAX. OB PROVINCIAM LATRONIBUS ET HIS QUI NOVAM GENERI HUMANO SUPERSTITIONEM INCULCARANT PURGATAM.

(377) Sigonius legendum censet *latis legibus*.

(378) A. C. LXVIII. Neronis XIII. *Eusebius*. Tertullianus de Præscriptionibus: *Felix Romana Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Passioni Domini adæquatur, ubi Paulus Johannis exitu coronatur*.

(*) Josephus lib. XX. Antiquit. cap. IX. vocat Γέσσιον φλῶρον, sed scripsit fortasse noster *Cestii Flori* (Ita enim vocat Eusebius, cujus Chronica multum trivit, ac subinde & citat noster) & ex *Cestii* factum deinde *Festi*.

(379) Josephus ἁλώσ. III. I. Sveton. in Vespas. Eusebius: *Contra Judæos, qui Cestii Flori avaritiam non ferentes rebellabant, Vespasianus Magister militiæ à Nerone transmittitur*.

(380) Quia Neroni sese perimenti paucissimi (tres ait Dio, Svetonius quatuor) testes adfuerunt: propterea eo extincto & ignoratum plerisque mortis genus, & multis etiam persuasum, non esse illum occisum. Res tamen certissima. Nam cùm audisset Galbam in Hispania ab exercitu Imperatorem declaratum, hostis à Senatu judicatus, ex urbe fugiens, semet ictu gladii transegit, adjuvante trepidantem manum Eunucho Sporo, cùm prius nullo reperto exclamaret: *Itane? nec inimicum habeo, nec amicum; dedecorosè vixi, turpius peream*. Svetonius. Alii: *Cum à Senatu quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens, ad quartum urbis milliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Numentanam viam se ipsum interfecit, anno ætatis suæ XXXII.* Eusebius in Chronico.

(381) Nam secundum opinionem quorundam se ipse vulneravit, è quo vulnere postea curatus fuit, unde adhuc vivere creditur. Samuel Solem ad librum Johasii: *Commentarii de vitis Regum dicunt Neronem mortuum esse, partim fugisse, nec sciri locum quo fugerit: usque adeò ut Augustinum Episcopum afferat ipsum adhuc vivere*. Locus Augustini extat XX. de Civit. Dei XIX. Sed Samuel Judæus vel non legit Augustinum, vel non intellexit. Ipse enim, enumeratis opinionibus de Neronis exitu, & reditu, addit: *Sed multum mira hæc opinantium præsumptio*. Quæ improbantis sunt, & aversantis.

scriptum est: (382) Ut plaga mortis ejus curata est, sub seculi fine (383) mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat. (384)

GALBA, OTHO, VITELLIUS IMPERATORES.

Igitur post excessum Neronis, Galba (385) imperium rapuit: mox Otho, Galba interfecto, occupavit. (o) Tunc Vitellius in Gallias (386) fretus exercitibus, quibus præerat, urbem ingressus Othone interfecto, (387) summam rerum usurpavit.

VESPASIANUS IMP. ET EXCIDIUM HIEROSOLYMORUM.

Quæ posteaquam ad Vespasianum delata, licèt malo exemplo, bono tamen affectu Reipublicæ ab improbis vindicandæ, cùm Hierosolymam obsideret, sumit imperium: &, ut mos est, diademate capiti imposito, (388) ab exercitu Imperator consalutatus, (p) Titum filium Cæsarem facit, (389) eidem pars copiarum, & obsidendæ Hierosolymæ negotium datum. Vespasianus Romam profectus, summo favore Senatus & Populi receptus, cùm se Vitellius interfecisset, (390) imperium confirmavit. Interea Judæi obsidione clausi, quia nulla neque pacis, neque deditionis copia dabatur, (391) ad extremum fame interibant, passimque viæ oppleri cadaveribus cœpere, victo jam officio humandi: quin omnia nefanda insuper ausi, ne humanis qui-

XIX. *Quidam putant hoc de Imperio Rom. dictum esse, & propterea Paulum Apostolum ea aperte scribere noluisse; ne calumniam incurreret, quod Imperio Rom. male optaret, quod speraretur æternum, & ut hoc quod dixit: Jam enim mysterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur; alii verò nec eum occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, & vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit cum crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur, & restituatur in regnum, sed multum mihi mira hæc est opinantium præsumptio.* Verum Sulpicius aliam de illo opinionem refert in fine secundi Dialogi inquiens: *Cæterum cum ex illo de fine seculi quæreremus, ait nobis, Neronem, & Antichristum prius esse venturos, Neronem in Occidentali plaga Regibus subactis decem imperaturum. Persecutionem autem ab illo hactenus exercendam, ut idola gentium coli cogat; ab Antichristo vero Orientale Imperium esse capiendum, qui quidem sedem, & regni caput Hierosolymis esset habiturus; ab illo urbem, & Templum esse reparandum; illius eam Persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potius Christum esse simulans, & ut omnes secundum legem circumcidi jubeat, & ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum; atque sub illius potestate universum orbem, cunctasque gentes esse redigendas, donec adventu Christi impius opprimatur; non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus esset etiam in annis puerilibus constitutus ætate legitima sumpturus imperium. Quo autem hæc ab illo audivimus, annus octavus est; vos autem æstimate, quo in præcipitio consistant, quæ futura sunt.* Apud Sulpicium: *Ut plaga mortis*, legendum, *Et*, ex apocalypsi.

(o) Galba Imperium arripuit vivente Nerone in Hispania anno Christi LXIX. inde sequenti ab exercitu est interfectus. Quo facto Otho Romæ, Vitellius in Galliis Imperium invasere; eodemque anno Otho ad Bebriacum a Vitellianis prœlio victus, cùm rebus suis diffideret, sibi mortem conscivit.

Tunc Vitellius in Gallias fretus exercitibus, quibus præerat, urbem ingressus, Othone interfecto, summam rerum usurpavit.) Vitellius interfecto a suis Othone ex Galliis Romam venit, atque ibi Imperatorem se gessit. Apud Sulpicium, *ex Galliis*, pro *in Gallias*, legi oportet.

(p) Vespasianus Proconsul in Judæa, cùm jussu Neronis Hierosolymam obsideret, ut audiit tumultus Imperii, necesque Neronis, Galbæ, & Othonis, & ipse a suis militibus appellatus Imperator, Imperium invasit; ac bellum Vitellio per duces intulit, eoque occiso, post sex menses solus imperavit, ac Titum, & Domitianum filios Cæsares appellavit. Suetonius, Tacitus, reliqui.

Eidem pars copiarum, & obsidendæ Hierosolymæ negotium datum.) Vespasianus Romam decessurus reliquit in obsidione Hierosolymorum Titum filium Cæsarem; inde Romam profectus, Vitellium adventans adeò exterruit, ut trepidus se abdiderit, ac mox ex latebris tractus misere trucidatus sit.

Interea Judæi obsidione clausi, quia nulla neque pacis neque deditionis copia dabatur, ad extremum fame interibant.) Pertinet ad sacram historiam obsidio, & expugnatio Hierosolymorum prædicta a Christo, qua gens Judæorum deleta est. Obsidio vero, fames, ceteraque in illa expugnatione incommoda narrantur a Josepho, qui huic bello interfuit, libro ad hoc scripto; capta est autem Hierusalem anno Christi LXXI.

At

(382) Alludit ad verba Apoc. XIII. 3. *Et plaga mortis ejus curata est*: quæ nonnulli veterum de Nerone interpretati sunt.

(383) Litra de S. Martino Dial. II. *Cum ab eo de fine seculi quæreremus, ait nobis, Neronem & Antichristum prius esse venturos.*

(384) Idest, *Creditur*, Neronem sub finem Mundi mittendum iri. Nam *seculum* est pro Mundo, ut sæpe apud nostrum; & *mittendus* notione temporis futuri est positum. Cæterum verbis illis postremis alludit ad verba Pauli II. Thess. II. 7. *Mysterium iniquitatis jam operatur*. Hunc enim de Nerone, futuro Antichristo, acceperunt veteres. Unde Dial. II. cap. XIV *Neronem & Antichristum prius esse venturos*.

(385) Sveton. *Novemlis dictum, quod propinguis fuerit vilis, quem Galbam Galli vocant*. Ad quem locum, quid commentati sint, Salmasius & Boxhornius, vide in editione Schildiana.

(386) Legendum ex *Galliis*, ut Sigonius monuit.

(387) Ad Bebriacum a Vitellianis victus, sibi ipsi mortem conscivit. *Tacitus* II. Histor. *Suet.* Othone. Διεχρήσατο μὲν Ὄθων ἑαυτὸν ἐν Βεγ-ξέλλῳ. *Joseph.*

(388) Διάδημα, fasciæ quædam erant, quas capiti circumligatas Reges Orientis gestabant. Usum ejus primus Alexander, a Persis acceptum, Occidenti intulit. Justin. XII. *Alexander habitum Regum Persarum, & diadema, insolitum antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, assumit*. Apud Romanos Cæsari oblatum diadema; sed is repudiavit. Caligula quoque abstinuit. Nec quisquam Imperatorum eo usus, usque ad Aurelianum, declinandæ invidiæ. Quare errat auctor noster. Sed error hic condonandus Sulpicio, qui sua tempora spectavit, non antiquam Romam. *Horn.*

(389) Extincta in Nerone Cæsarum familia, Vespasianus nomen illud, tanquam Imperii, ad posteros propagavit, ac Titum & Domitianum filios, Cæsares appellavit. *Tacitus*. *Sveton.*

(390) Falsum hoc. Nam *apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim*. Sveton. Tacit. Eusebius: ἐπὶ μέσης τῆς Ῥώμης ἀποσφάττεται. *Joseph.* V. ἁλώσ. XIII.

(391) Respicit, credo, ad ipsos Judæos istos, qui quò minùs urbs dederetur, impedivérant. Neque enim verisimile est, nescivisse nostrum, quam promtus Titus ad pacem Judæis dandam fuerit; quodque αὐτονομίαν quoque & ἀμνηστίαν τῶν τετολμημένων illis obtulerit. Qua de re in cap. VIII. lib. VII. ἁλώσ. Josephi legere est.

quidem corporibus pepercerunt, (392) nisi quæ ejusmodi alimentis tabes præripuerat. (393) Igitur defessis defensoribus irrupere Romani. Ac tum fortè in diem Paschæ (394) omnis ex agris, aliisque Judææ oppidis multitudo convenerat: omnium ita Deo placitum, ut eo tempore, quo Dominum cruci affixerat, (395) gens impia internecioni daretur. Pharisæi aliquantisper pro Templo acerrimè restiterunt: donec obstinatis ad mortem animis, ultro se subjectis ignibus intulerunt. Numerus peremptorum ad undecies centena millia refertur: capta verò C. millia, ac venundata. Fertur Titus adhibito consilio (396) prius deliberasse an Templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur, ædem sacratam, (397) ultra omnia mortalia illustrem, non debere deleri: quæ servata modestiæ (398) Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. At contra alii, (399) & Titus ipse, evertendum Templum in primis censebant, quo plenius Judæorum & Christianorum religio tolleretur. Quippe has religiones, licèt contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus (400) profectas, Christianos ex Judæis extitisse, (401) radice sublata, stirpem facilè perituram. Ita Dei nutu, accensis omnium animis Templum dirutum, (402) abhinc annos trecentos triginta & unum. Atque hæc

Ac tum fortè in diem Paschæ omnis ex agris, aliisque Judææ oppidis multitudo convenerat.) Infinita multitudo Hierosolymis est inventa, tum cum urbs capta est, quòd per dies Azymorum Judæi undique de more confluxerant; id quod divino factum mysterio inquit, ut Judæi eodem die darent pœnas, quo scelus in Christum admiserant. Glycas item libro III.

Pharisæi aliquantisper pro templo acerrimè restiterunt.) Plures sectæ Philosophorum Hierosolymis erant, Essæorum, Sadducæorum, Pharisæorum. Ex quibus Pharisæi certiorem legalium rituum notitiam profitebantur, & fato omnia tribuebant, ac superioribus annis Alexandra regnante tantas opes in urbe sibi pararant, ut prope dominari viderentur. Quam potentiam usque ad extremum retinuerunt. Quare non est mirum, cùm fatalia omnia esse, & bona, & mala putarent, illos obstinatis animis se in incendium intulisse.

Numerus peremptorum ad undecies centena millia refertur, capta verò centum millia, ac venundata.) Ex Josepho libro septimo: *Et captivorum quidem, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta septem millium fuit numerus, mortuorum verò per omne tempus obsidionis undecies centum millia. Horum plerique gentiles fuere, sed non indigenæ; ab omnibus enim regionibus ad Azymorum diem festum congregati bello subito circumfusi sunt.*

Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse, an Templum tanti operis everteret.) Josephus inquit adhibuisse in consilium Tribunos militum, & Procuratorem Judææ, & Centuriones quosdam, ad eosque retulisse, quid faciendum censerent de Templo.

Etenim nonnullis videbatur ædem sacratam ultra omnia mortalia illustrem non debere deleri, quæ servata modestiæ Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet.) Josephus aliter. Visum fuisse nonnullis, si Judæi arma deponerent, Templo parcendum esse, si retinerent, incendium inferendum, quoniam castellum jam esset, non Templum, & piaculum committerent non ipsi, sed qui id facere coegissent; aliis verò placuit, lege belli utendum esse; nunquam enim Judæos nova moliri desituros, dum Templum haberent, quo convocarentur.

At contra alii, & Titus ipse, evertendum Templum in primis censebant, quo plenius Judæorum, & Christianorum religio tolleretur.) Credo hoc item ex ingenio suo auspicatum Sulpicium; nam Josephus aliter disputatum prodidit. Titum negavit, se tanti operis Templum incensurum, neque etiam si Judæi ponere arma noluissent, ne in muros inanimatos pro viris sævire videretur. Romanorum enim fore detrimentum, si periret, monumentum Imperii, si maneret. Inde postero die Templum ipso invito, ac repugnante succensum, fatali die instante, qui erat decimus Augusti, quo etiam à Babyloniorum Rege fuerat concrematum.

Quippe has religiones licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas.) *Ab iisdem*, legendum puto. Hebræi utramque religionem constituerunt, illam Moyses, hanc Christus secundùm carnem Judæus; contrariæ autem inter se erant, quia Hebræorum ceremonias, & instituta, & circumcisionem lex Christianorum sustulit, sed quæ in utraque religione à Sulpicio disputata dicuntur, in Josephi historia uberrima non invenimus.

Ita Dei nutu, accensis omnium animis, Templum dirutum.) Josephus ita: *Miles quidam non expectato edicto, sed divino motus impetu, à contubernali suo tollitur, & raptum ignem in fenestram inserit auream; quod ut nuntiatum Titus, raptim accurrit prohibiturus incendium, verùm Imperium ejus præ tumultu exaudiri non potuit; ita secundo anno Imperii Vespasiani Templum conflagravit.*

Ab hinc annos CCCXXXI.) More jam instituto à Consulatu Stiliconis notat annos.

Atque

(392) Uti his non vescerentur; ac famem iis explerent. Sed falsus hic est noster. Josephus lib. VII. ἁλώσ. cap. XIV. scribit, nisi ab excidio præventi fuissent, etiam cadavera voraturos fuisse. Ex quo non vorasse tamen, intelligi potest.

(393) Hinc, cum sepeliendo non essent, cadavera portis ejecta, immani numero. A XIV. Aprilis, ad Kal. Jul. CXV. millia, & DCCC. cadavera per unam portam elata, ut Mannæus transfuga Tito narravit. Ex omnibus portis, mortuorum DC. millia egesta. *Joseph.* VI. ἁλώσ. XVI.

(394) Pascha, Paschæ, dicebant prisci Patres. Pascha ejus anni in XIV., vel, ut Petitus vult, XV. Aprilis incidit. Immanis hominum multitudo, ad festum, & belli metu, confluxerat. Τότε γὰρ μὲν ὥσπερ εἰς εἱρκτὴν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης πᾶν συνεκλείσθη τὸ ἔθνος, καὶ ναςὴν ὁ πόλεμος τὴν πόλιν ἀνθρώπων ἐκυκλώσατο. Joseph. VII. ἁλώσ. XVII. Tacitus DC. millia intra urbem conclusa dicit. V. *Histor.* Sed longè majorem fuisse Josephus contendit. Ad minimum duodecies centena millia, ut ex cæsis, mortuis, ac captis patet.

(395) Patet Sulpicium existimasse, Festo Paschatis urbem captam. Quod falsissimum, cùm ab Aprili ad Septembrem obsidio durarit. Eundem errorem Eusebius errat, atque haud dubio eum secutus noster. Eusebius in Chronico: *oportuit enim iisdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerunt.* Idem scribit in Historia Eccles. lib. III. cap. V.

(396) Ducum aut Procerum seu, qui nominantur ἁλώσ. VII. 9. Inter quos Marcus Antonius Julianus Procurator Judææ; *Titus ad consilium vocavit Duces exercitus*, &c. Hegesippus lib. V. cap. XLIII.

(397) Titus ipse ita censebat. Duces conditionem addebant: *Si Judæi illud reliquissent.* Vide Josephum.

(398) Tibi hæc sententia erat, quam Josephus his verbis expressit: *Neque se unquam tantum opus incensurum: jam enim Romanorum fore hoc damnum, sicut ornamentum quoque fore Imperii, si maneret.* In eam iverunt Fronto, Alexander, & Cerealis.

(399) *Aliis quidem videbatur lege belli utendum esse. Nunquam enim Judæos à novis rebus posse desinere Templo manente, quo omnes ubicunque essent colligerentur.* Josephus.

(400) Breè Sigonius legendum putat *ab iisdem auctoribus*.

(401) Hæc causa est cur Christianos Judæorum nomine complexi sint. Svetonius Claudio: *Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes, Roma expulit.* Chrestum vocat Servatorem nostrum, per contumeliam. *Tertullian. Lactant.* Vide Selden. II. de Success. ad Leg. Hebr. XXVI.

(402) Rectiùs exustum, concrematum.

hæc ultima Templi everſio, (403) & poſtrema Judæorum captivitas, qua extorres patria, per orbem terrarum diſperſi cernuntur: quotidie Mundo teſtimonio ſunt non ob aliud eos, quàm ob illatas Chriſto impias manus, (404) fuiſſe punitos, nam ſæpe aliàs cùm propter peccata captivitatibus traderentur, nunquam tamen ultra ſeptuaginta annos ſervitutis pœnam pependerunt.

DOMITIANI PERSECUTIO.

Interjecto deinde tempore, Domitianus, (405) Veſpaſiani filius, perſecutus eſt Chriſtianos. (q) Quo tempore Johannem Apoſtolum, atque Evangeliſtam, (406) in Pathmum inſulam relegavit: ubi ille (407) arcanis ſibi myſteriis revelatis, librum ſacræ Apocalypſis (qui quidem à pleriſque aut ſtultè aut impiè non recipitur) conſcriptum edidit.

TRAJANI PERSECUTIO, JUDÆORUM REBELLIO, ET EXTREMUM URBIS EXCIDIUM.

Non multo deinde intervallo, (408) tertia perſecutio (r) per Trajanum fuit, (409) qui cùm tor-

Atque hæc ultima Templi everſio, & poſtrema Judæorum captivitas, qua extorres patria per orbem terrarum diſperſi cernuntur.) Ter deliquerunt in Deum ſuum Hebræi, ac propterea in ſervitutem traditi ſunt, verum poſt pœnitentiam aliquot annorum actam, iterum a Deo priſtino ſtatui reſtituti ſunt; at poſt graviſſimum ſcelus, quo ſe Chriſto occidendo obſtrinxerunt, patria, Temploque deletis, exules toto orbe terrarum in hunc uſque diem manſerunt; de qua ſic Hieremias: *Gladio ſternam eos in conſpectu ſuorum hoſtium & urbem interneciont, & ruinæ perpetuæ dabo. Carnes filiorum, filiarumque ſuarum comedent, adeoque conteram hanc urbem inſtar vaſis teſtacei, ut amplius redintegrari non poſſit.*

Nam ſæpè alias cum propter peccata captivitatibus traderentur, nunquam tamen ultra ſeptuaginta annos ſervitutis pœnam pependerunt.) Hebræi primùm in Ægypto ſervierunt, deinde in Babylonia captivi, tertio, ſub Antiocho Epiphane Rege Syriæ domi ſuæ lege ſpoliati; ſed hæ captivitates, & ſervitutes prædictæ illic fuerunt, ſimulque reſtitutiones; at de captivitatis ultimæ liberatione promiſſum nihil fuit. Nam quòd Romani everſuri eſſent Hieroſolyma, ſcripſit Joſephus Danielis teſtimonio nixus; quòd autem illius deſolationis finis aliquando eſſet futurus, non ſcripſit; quod vatem nihil ejus prædixiſſe invenit. Glycas libro III. Danielis oraculum editum eſt cap. IX. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.* Hinc Prudentius contra Judæos cecinit:

Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

(q) Hæc eſt ſecunda Perſecutio, quam exercuit Domitianus anno XCV. Cùm Domitianus non exiguam partem nobilium Romæ temere ſuſtuliſſet, atque alios ſpoliatos bonis in exilium pepuliſſet, tandem in ſceleratam Neronianæ odii, & impietatis hereditatem ſucceſſit; ſecundus autem fuit qui contra Chriſtianos Perſecutionis incendium excitarit. Euſebius, & Oroſius.

Quo tempore Joannem Apoſtolum, atque Evangeliſtam in Pathmum inſulam relegarunt.) Hoc idem ſcribit S. Hieronymus: *Quartodecimo anno Domitiani ſecundam poſt Neronem Perſecutionem movente Domitiano Joannes in Pathmum inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſim; quam interpretatur Juſtinus Martyr*; idem ante illum ſcripſerat quoque Irenæus libro V. adverſus Valentinum.

Ubi ille arcanis ſibi myſteriis revelatis librum ſacræ Apocalypſis, qui quidem à pleriſque aut ſtulte, aut impie non recipitur, edidit.) De hoc libro ſic ſcripſit S. Athanaſius in Synopſi: *Hoc nomine vocatur hic liber, propterea quod hanc revelationem ipſe Joannes Evangeliſta & Theologus in Pathmo inſula die Dominico vidit, juſſuſque conſcripſit, ut ad ſeptem Eccleſias mitteret, videlicet Aſiæ, Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardeis, Philadelphiam, & Laodiceam. Quæ vero in hac viſione vidit, multa ſunt, ac differentia. Circa finem perditionem etiam Antichriſti cum diabolo vidit. Jubetur autem primum ſcribere ſingulis prædictarum Eccleſiarum Angelis ſecundum cujuſque actiones.* Quod autem inquit Sulpicius, librum à nonnullis non recipi, ſignificat id, quod tradit ex verbis Dionyſii Euſebius, fuiſſe quoſdam, qui negarint, Apocalypſim eſſe S. Joannis Evangeliſtæ, ſed Cerinthi cujuſdam hæretici eſſeruerint; quos Sulpicius nunc aut ſtultitiæ arguit, ſi veritatem non perſpiciunt; aut impietatis, ſi perſpectam non approbant, & ſcripturam Catholicam homini hæretico tribuunt. Alludit autem ad id, de quo ſcribit Epiphanius, tales hæreticos alogos dictos, quaſi ratione carentes, aut *Verbum* non aſſerentes, de quo S. Joannes: *In principio erat Verbum.*

(r) Trajani Perſecutionem anno CVIII. initam Tertullianus, & S. Auguſtinus tertiam nominarunt. Is, ut inquit in S. Ignatio Metaphraſtes, edictum propoſuit, ut Chriſtiani ubique conquirerentur, & per tormenta, ſi aliter non poſſet, uſque ad mortem ſacrificare ritu majorum adigerentur.

Qui cùm tormentis.) Anno CXI. ut in Chronico notavit Euſebius, Plinius Bithyniæ Proconſul cùm aſſiduis Chriſtianorum delationibus urgeretur, atque eorum vacuas eſſe cauſſas reperiret, incertus ſententiæ Trajanum conſuluit, atque epiſtolam ad eum miſit, quæ quia in promptu eſt omnibus, in ejus integra epiſtolis, nunc omittimus; cui ille hoc modo reſpondit: *Chriſtiani conquirendi non ſunt. Si deferantur & arguantur, puniendi ſunt. Sine auctore propoſiti libelli nullo crimine locum habere debeant; nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.*

Sub

(403) Feriæ ſeptima contigit, ut docent cum veteribus Scaliger, Petavius, alii. Nec ſine cauſa voluit Deus ipſo Sabbatho Judaico Hieroſolymam cum Templo funditus exſcindi. Quo ipſo ſatis indicatum, Deum Sabbata illa Judaica, una cum Templo & ceremoniis aliis, ſublata voluiſſe. Et hic terminantur LXX. hebdomades Danielis.

(404) Prudentius:
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat,
Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

(405) Cui Neronis cognomentum ob crudelitatem: quem ideo nonnulli credunt Antichriſtum venturum, ut ſupra dictum.

(406) Etiam Propheta fuit. S. Hieronymus in primo adverſus Jovinianum cap. XIV. *Johannes & Apoſtolus & Evangeliſta, & Propheta. Apoſtolus, quia ſcripſit ad Eccleſias ut Magiſter: Evangeliſta, quia librum Evangelii condidit, quod excepto Matthæo, alii ex duodecim Apoſtolis non fecerant: Propheta, vidit enim in Pathmo inſula, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini Martyrium relegatus, Apocalypſin infinita futurorum myſteria continentem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit quàm intraverit.*

(407) Apocalypſin in Pathmo ſcriptam teſtatur Athanaſius in Synopſi, SS. Hieronymus, Irenæus, alii. Idem Euſebius innuit, quanquam dubitanter, III. Hiſt. XIV.

(408) Pro *non diu poſt*, *non longo tempore poſt*. Ut Cicero *longo intervallo* pro *diu poſt*, *longo tempore poſt*. Ut in Orat. pro Flacc. *Longo intervallo Romam venit.* Et in Orat. pro Arch. *Interim ſatis longo intervallo venit Heracleam*. In Orat. pro Cluent. addit *poſt* quod alibi ſubauditur; dicitque: *Satis longo intervallo poſt iterum advocantur.*

(409) Hanc initam alii ſcribunt anno Chriſti CIII. alii ann. CVIII. Biennio poſt, hoc eſt, anno Chriſtiano CX. Simon Cleopæ F. qui Epiſcopatum Jeroſolymorum tenebat, crucifigitur. *Euſebius* in Chronico, & III. Hiſt. XXVI.

tormentis (410) & quæstionibus nihil in Christianis morte aut pœna dignum reperisset, (411) sæviri in eos ultra vetuit. Sub Hadriano deinde Judæi rebellare voluerunt, Syriam ac Palæstinam (412) diripere conati: missoque exercitu subacti sunt. Qua tempestate Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuria peremptorum, & in Templo ac loco Dominicæ passionis (413) dæmonum simulacra constituit: & quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur, (namque tum Hierosolymæ non nisi ex circumcisione (414) habebat Ecclesia Sacerdotem.) (415) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat: (416) quia tum pæne omnes Christum Deum sub legis observatione credebant. (417) Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus à libertate fidei atque Ecclesiæ tolleretur. Ita tum primum Marcus ex gentibus, apud Hierosolymam (418) Episcopus fuit.

HADRIANI PERSECUTIO.

Quarta sub Hadriano persecutio (419) numeratur, quam tamen postea exerceri prohibuit: injustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur. (f) Post Hadrianum Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit.

AU-

Sub Hadriano deinde Judæi rebellare voluerunt. Syriam, ac Palæstinam diripere conati, missoque exercitu subacti sunt.) Rebellio Judæorum hæc fuit. Anno CXXXV. Judæus quidam cognomento Barchobebus, teste Justino, Judæos hortatus est, ut Christianos, nisi à Christo deficerent, ad gravia supplicia abriperent. Rufus autem Judææ præfectus ab Hadriano missus magnam utriusque sexus Judæorum stragem propterea edidit, usque agrum eis ademptum Romanis addixit; sequenti anno urbe capta, & solo æquata, veteribus Templi reliquiis igne dejectis. Tumque demum Jesu Christi vox divina completa, cum dixit: *fore, ut Hierosolymis lapis super lapidem non remaneret.*

Qua tempestate Hadrianus existimans, se Christianam Fidem loci injuria peremturum.) Hadrianus Templum quoque Domini ad tollendam religionem terra obruit, ac Templum aliud Veneri dedicavit, mansitque eo modo usque ad Constantinum. Dio, Eusebius, Epiphanius. Paulinus in epist. ad hunc Severum: *Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat.*

Militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret.) Legem etiam tulit, ne cui è gente Judæa liceret in agrum Hierosolymitanum inire. Idem. Chrysostomus in Lucam: *Venit Hadrianus, & quoniam rursum in Galilæa rebellarunt Judæi, reliquias ipsius civitatis desolavit; legem etiam tulit, ut nullus Judæorum Hierosolymam accederet.*

Hierosolymæ non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem.) Idest, Ecclesia Christianorum Hierosolymæ non habebat Episcopum, nisi, qui fuisset Judæus, ac circumcisus, ut Jacobum fratrem Domini, & Symeonem filium Cleophæ, & ceteros, qui ab illis consecuti sunt usque ad Marcum.

Quod quidem Christianæ Fidei proficiebat.) Utile erat Christianæ Fidei, neminem esse Christianum, nisi qui Judæus sub legis observatione vixisset; ita ordinante Deo, ut libertas Fidei legis servitutem abrogaret.

Ita tum primum Marcus ex gentibus apud Hierosolymam Episcopus fuit.) Eusebius hujus rei auctor est libro IV. cap. VI. Hist. Eccles. inde reliqui.

(f) Meminit hujus Persecutionis Eusebius quoque & S. Augustinus; cùm autem quæstiones acerbissimæ exercerentur, Serennius Grannianus Præfectus Asiæ literas, ut inquit S. Justinus, ad Hadrianum misit in hanc sententiam; sibi iniquum videri, Christianos nullo objecto crimine, & indicta caussa, quo populi acclamationibus satis fieret, neci dari. Quibus literis rescripsit Hadrianus: *Minucio Fundano successori ejus Asiæ Proconsuli, ut neminem Christianum sine justo crimine, & non nisi nomine ad se delato morte mulctaret.* Extat rescriptum ejus apud Eusebium multis verbis scriptum, & propterea hoc loco præteritur.

Post Hadrianum Antonino Pio imperante pax Ecclesiis fuit.) Hac de re sic Xiphilinus ex Dione: *Constat inter omnes, Antoninum Pium probum virum fuisse; neque enim ceteris subditis gravis, nec Christianis infensus fuit; quos vehementer observavit.* Idem scribit Eusebius.

(410) Nam initio decretum proposuit, ut Christiani ubique conquirerentur, & per turmenta, si aliter non posset, usque ad mortem sacrificare ritu majorum adigerentur. Post cùm Plinius Bithiniæ Proconsul per Epistolam eum super hac re consuluisset, respondit: *Christiani conquirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt.* Vide Plinium X. Epist. XCVII. Euseb. III. 27. Tertullian Apologetico. Ubi vides Christianos carmen Christo, quasi Deo, dicere solitos, obstrictosque inter se, non in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent. Pervicaciam & inflexibilem in iis obstinationem culpat Plinius, in hoc uno, quod deos appellare, & simulacris numinum thure ac vino supplicare, ac Christo maledicere nollent, neque, ut id facerent, ullis tormentis cogi possent. Epistola, qua ei respondet, Trajani, eam ait re ipsa manifestum facere Christianum se non esse, qui diis Romanis supplicet.

(411) Id adparet ex Epist. XCVII. lib X. Plinii, ubi scribit: *se non dubitasse, qualecumque esset, quod faterentur, pervicaciam certè & inflexibilem obstinationem* (sic ille perseverantiam Christianorum in verâ fide adpellat) *debere puniri.*

(412) Accidit hoc anno Christi CXXXV. Ad quem annum Eusebius: *Judæi ad arma*, inquit, *versi, Palæstinam depopulati sunt, tenente Provinciam Tinio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.* Vide *Euseb.* IV. Hist. II. 6. *Oros.* VII. *Nicephor.* III. 24. *Dionem*, & alios.

(413) Hoc Templum Adrianus terra obruit, ac aliud Veneri dedicavit, quod usque ad Constantinum M. mansit. *Dio. Euseb. Epiphan.* Paulinus in Epistola ad Severum nostrum: *ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus, infamis ritus ululabat.*

(414) Judæum. Quorum XV fuerunt, usque ad eversionem urbis, sub Hadriano. *Euseb. Chron.* Adde Epiphanium, ubi de Nazarenis & Ebionitis agit.

(415) Quòd Judæos *circumcisionem* vocat, usitat Hebraismus; sed quem mutuatus est ab Apostolo. Hic enim Judæos περιτομὴν *circumcisionem* vocat. De quo genere Hebraismi in cap. VIII. nostri de Hebraismis N. T. Commentarii egimus. Porrò *Sacerdotem* nunc vocat, quem cum Apostolo *Episcopum* potuisset; & quem mox quoque eo nomine adpellat.

(416) Ita quidem, ut illi, qui cum fide Christianâ, quam susceperant, legem ceremonialem conjunxerant, cùm pulsi Hierosolymis essent, jugum legis ceremonialis faciliùs excuterent.

(417) Hos posterior ætas Nazaræos dixit, cùm initio Christiani omnes ita vocarentur: unde Evangelium Nazaræorum, quod Evangelium secundum Hebræos. Erant autem semi-Judæi, & semi-Christiani: hoc est, neque Judæi, neque Christiani veri. Scribit autem Hieronymus, Judæos quotidie sub nomine Nazaræorum, tei Christianis maledicere. Hoc vel ideo verum esse potest, quod Christianos hodieque נוצרים, idest, Nazoræos appellant.

(418) Pro *Hierosolyma* vel *Hierosolymis*. Sic supra *apud Carras* pro *Carris*, & *apud Babyloniam* pro *Babylonia*.

(419) Hujus meminerunt quidem Augustinus, & Orosius, sed eam sub Marco Antonino factam scribunt. Eusebius autem refert, Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem Philosophum, libros pro Christiana religione Hadriano dedisse compositos. Idem: *Serenus Granoius*, inquit, *Legatus, vir apprimè nobilis, literas ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nemi-*

ens

AURELII PERSECUTIO.

Sub Aurelio deinde Antonini filio, persecutio quinta agitata. (t) Ac tum primum intra Gallias martyria visa, (420) serius trans Alpes Dei religione suscepta.

SEVERI PERSECUTIO.

Sexta deinde, Severo imperatore, Christianorum vexatio (421) fuit. (u) Quo tempore Leonidas, Origenis pater, sacrum in martyrio sanguinem fudit. (422) Interjectis deinde annis VIII. & XXX. pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore, Maximinus (423) nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.

DECII, ET VALERIANI PERSECUTIONES.

Mox Decio imperante, jam tum septima persecutione sævitum in Christianos. (x) Inde Valerianus octavus sanctorum hostis fuit.

DIOCLETIANI PERSECUTIO.

Post eum interjectis annis ferè quinquaginta, Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per X. continuos annos plebem Dei depopulata est, (y) qua

(t) Hæc temporibus Marci Aurelii commota est, verum exercita à Lucio Vero illius collega. Eusebius libro quinto: *Anno septimo Antonini Veri, gravis, & acerba in nonnullis terræ partibus Persecutionis procella ex temerario populi impetu per singulas urbes excitata contra nos ingravescere cœpit; in qua infiniti martyrio coronati sunt.*

Ac tum primum intra Gallias martyria visa.) Qualia martyria hæc fuerint, affert Eusebius ex literis Ecclesiarum Gallicarum ad Asianas; quarum ille verba profert; nos eo labore supersedemus. Hinc Gregorius Turonensis in historia scripsit: *In Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati, quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur.*

Serius trans Alpes Dei religione suscepta.) Hoc parum verum esse puto; nam S. Martialis Lemovicum, Eucherius Treviros, Fronto Petragoricas, Sabinus & Potentianus Senones ad prædicandum Evangelium a S. Petro Apostolo missi post sub Nerone passi esse dicuntur.

(u) Orosius hanc quintam Persecutionem vocat: *Severus*, inquit, *quinta post Neronem Persecutione Christianos excruciavit; plurimique sanctorum per diversas Provincias coronati sunt.* Eusebius, & S. Augustinus sextam nominant.

Quo tempore Leonidas Origenis pater sacrum in martyrio sanguinem fudit.) Magnitudo Origenis filii facit, ut Pater Leonidas illustrior sit. Res est exposita pluribus verbis ab Eusebio, qui Origenem doctum virum in primis, & probum unice diligit; quamvis ille in multis fidei decretis erraverit.

Interjectis inde annis VIII. & XXX. pax Christianis fuit.) A primo anno Severi usque ad primum Decii annum numerantur anni XXVIII. non XXXVIII. quare hic numerus est retinendus, atque per eos annos quievisse Christianos inquit.

Nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.) Sumptum est ab Eusebio, qui ita scribit: *Maximinus propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures Fideles, & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam Persecutionem concitavit, jussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinæ Evangelicæ, neci dari.* Firmilianus etiam Episcopus Cappadociæ epistola LXXV. apud Cyprianum inquit: *Eam Persecutionem non per totum mundum, sed localem fuisse.*

(x) Hujus meminit Eusebius, Orosius, Augustinus, omnes; fuit enim crudelitate insignis.

Inde Valerianus octavus sanctorum hostis fuit.) De hac Persecutione Cyprianus, Eusebius, S. Augustinus, Orosius.

(y) Diocletianus & Maximianus toto Imperii sui tempore infesti Christianis fuerunt, sed anno nonodecimo infestissimi, edictis acerbissimis adversùs eos propositis, eaque nona, ab aliis decima Persecutio appellata, cœpta est anno CCCIII. desiit anno CCCXII. cùm decem annos sævisset. Exercuere illam Diocletianus & Maximianus anno uno, quousque Imperio se abdicarunt; inde Galerius in Illyrico, Maximinus in Oriente, Maxentius in Italia. Nam Constantius, & Constantinus Magnus in Gallia, Hispania, & Britannia ab ea abstinuerunt. Hanc Persecutionem pluribus descripsit Eusebius memoriæ illius æqualis.

Qua

as tantum & Sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, *Minutio Fundano Proconsuli Asiæ scribit, non fine objectu criminum Christianos condemnandos: cujus Epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.* Ex Eusebio patet, Christianos sub Hadriano per provincias vexatos: sed id potius a populo, & per tumultum, quam jussu imperatoris factum. Unde & ea de crudelitate apud Hadrianum conquestus fuit Serenius Granianus. *Euseb.* VI. Hist. VIII.

(420) Idem Chronicon: *Plurimi in Gallia gloriosè ob Christi nomen interfecti, quorum usque in præsentem diem condita libris certamina perseverant.* Qualia hæc martyria fuerint, patet ex Epistola Ecclesiarum Gallicarum ad Asianas, quæ extat apud Euseb V. Hist. I. Gregorius Turonensis: *In Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati, quorum passionum historia apud nos fideliter usque hodie retinentur.*

(421) Quod hactenus *persecutionem* dixit, nunc *vexationem* vocat, vocabulo satis commodo. Sic supra lib. I. in principio. *Vexationes populi Christiani.*

(422) *Martyrium* Græco vocabulo dicitur ipsa passio & mors, quam propter confessionem veritatis Evangelicæ subitur. Sic & paulo ante: *Tum primum intra Gallias martyria visa.* *Fundere sanguinem* satis Latine omne dicis eum, qui interficitur. Quòd autem supra in lib. I. *effundere sanguinem* dicebat eum, qui alterum interficit, id ad Hebraismos referendum.

(423) Eusebius de temporibus: *Maximinus adversus Ecclesiarum Sacerdotes persecutionem facit.* Idem: *Maximinus propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Christiani versabantur, acerbam persecutionem concitavit, jussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinæ Evangelicæ, neci dari.* *Euseb.* VI. Hist. XXI. *Niceph.* vers. 23.

Eusebius lib. VI. Hist. Eccl. cap. XXVIII. *Maximinus ira adversus domum Alexandri, complures fideles habentem, incensus, persecutionem movet, & Præsides duntaxat Ecclesiarum tanquam Evangelicæ doctrinæ auctores occidi præcepit.* Porro *Clericos* vocabulo Ecclesiastico vocat omnes, qui ad ordinem Ecclesiasticum pertinent. Nota enim ex Canonibus aliisque libris Ecclesiasticis distinctio Christianorum in κληρικὸς & λαϊκὸς. Sed totus ille ordo vocabulo primitivo & κλῆρος adpellatur. Concilium Nic. I. Can. III. *Vetuit magna Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec alii penitus τῶν ἐν κλήρῳ, eorum, qui sunt in Clero, subintroductam habere mulierem*, &c. Alteram quoque vocem *Laici* usurpat noster tum alibi, tum infra.

qua tempestate omnis ferè sacro martyrum cruore orbis infectus est: (424) quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, (425) multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis Mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus. Exstant etiam mandatæ literis præclaræ ejus temporis martyrum passiones: quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem. Sed finis persecutionis illius fuit, abhinc annos IX. & LXXX. à quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt.

PAX SUB CONSTANTINO MAXIMO.

Namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit. (z) Sanè tum Licinius, quia adversùm Constantinum de Imperio certavit (426) milites suos litare præceperat: abnuentes militia rejiciebat. Sed id inter persecutiones non computatur: adeò res levioris negotii fuit, (427) quàm ut ad Ecclesiarum vulnera perveniret. Exinde tranquillis rebus pace perfruimur: neque ulteriùs persecutionem fore credimus,

Qua tempestate omnis ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est.) Quippe triginta dierum spacio XVII. millia trucidata feruntur. Beda, & ceteri.

Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur.) Opportunè reddens rationem, cur tam multi sacro tum martyrio coronati sint, laudat eorum temporum Christianos, & maximè Episcopos, qui non solum quæsiti supplicia non horrescebant, sed etiam non quæsiti ultro se cruciatibus offerebant. Extat præclarum de Episcopis illorum temporum testimonium apud Marcellinum hominem à Christiana pietate remotum; quod hoc loco prætermittere nefas esse existimo; idest libro XXVII. his verbis: *Quosdam Provinciales antistites tenuitas edendi, potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuo numini, verisque ejus cultoribus ut puros commendant, & verecundos.* Ut autem laudat illos, sic æquales suos non obscurè carpit, quòd pravis ambitionibus Episcopatus appeterent; ex quo apparet tantum annorum spacio, pace Ecclesiis reddita, priscam illam disciplinam esse corruptam ac Christianos præclarius in bello, quam in pace gessisse.

Nullis unquam magis bellis.) Comparat Persecutionem cum bello, & ait nullo bello majorem unquam numerum hominum esse deletum, quam hac Persecutione, nec Christianos majore unquam triumpho vicisse, quam, cùm decem annorum stragibus vinci non potuerunt; quia usque ad extremum Christianam constantiam retinuerunt, & supplicia tyrannorum contempserunt; is enim victor martyrii dicitur, qui tyranno sævienti non cedit.

Extant etiam mandatæ literis Martyrum passiones.) Credo intelligit eas, quas Eusebius historiæ suæ mandavit; illa enim separatim eas quoque edidit; verùm nos non habemus, fortassè Sulpicius habuit. Utinam autem ad tam præclaram conservandam memoriam illa in hanc historiam inclusisset.

Sed finis Persecutionis illius fuit; abhinc annos IX. & LXXX. à quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt.) Hic est annus CCCXII. quo Constantinus Magnus ex Galliis Romam profectus, tyranno extincto Maxentio, Christianum se apertè professus est.

(z) Diocletiani Persecutionem pax excipit à Constantino Imperatore illata. Hoc scripsit Eusebius, atque etiam Lactantius in Proœmio ita: *Hoc opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum repudiatis erroribus Majestatem Dei singularis, ac veri, & cognovisti, & honorasti.*

Sanè tum Licinius, qui adversus Constantinum de Imperio decertavit, milites suos litare præceperat, abnuentes militia rejiciebat: sed id inter Persecutiones non reputatur.) Diocletianus Galerium successorem reliquit in Orientali Imperio, Galerius Illyricum reliquit Licinio, homini Daco, Orientem Maximino sororis filio, Italiam, & Africam Severo item sororis alterius filio, quas ei Maxentius Maximini filius eripuit. Constantinus inde Galliam, Hispaniam & Britanniam a patre Constantio acceptas retinens, Italiam, & Africam Maxentio ademit, & Constantiam sororem Licinio in matrimonium tradidit anno CCCXIII. Mediolani. Licinius igitur primum gratia Constantini Christianis pepercit, & communibus armis Maximinum sævientem delevit, & sibi Orientem vindicavit. Inde subortis simultatibus Illyrico spoliatur est a Constantino, prœlio ad Cibalas in Pannonia superatus. Inde anno CCCXIX. veteribus repetitis offensionibus, ut Constantinum exacerbaret, Christianos vexare, idest, ad sacrificia cogere, cœpit. Itaque anno CCCXXIII. & CCCXXIV. bello à Constantino in Thracia, & Bithynia victus, Imperio primùm, deinde vita exutus est. Ex Eusebio, Zosimo, & aliis. Edicta Licinii contra Christianos hæc fuerunt: ne Episcopi inter se convenirent; ne Christiani in suo Palatio versarentur; ne viri cum mulieribus precationis caussa in Ecclesia convenirent; ne Episcopi mulieres sacra Christiana docerent; ne milites nisi nudato capite sacrificiis interessent; abnuentes muneribus spoliavit, atque acerbissimis martyriis affecit; quam tamen vexationem leviorem esse putat Sulpicius, quam ut inter Persecutiones numeretur; fuerunt enim reliquiæ Persecutionis Diocletiani.

Exinde tranquillis rebus pace fruimur.) Post Licinium nulla à gentilibus Persecutiones manarunt, sed ab hæreticis Imperatoribus, quas inter Persecutiones non numerant, ne decem numerum excedant, quod S. Augustinus miratur.

Neque

(424) Quippe XXX. dierum spatio XVII. millia trucidata feruntur. *Beda* & alii. Inauditæ mortes tum excogitatæ. Dominus Ulpianus, nobilis Jurisconsultus, libros septem scripsit, quibus pœnis affici deberent Christiani. *Lactantius* V. Instit. XI. Vide imprimis Eusebium VIII. Hist.

(425) Memorabilis Eusebii locus, quem quisque Christianus scire debet: *Quo tempore* (de hac persecutione loquitur) *mirandam, supra modum, alacritatem, vimque revera divinam, & singularem animi propensionem eorum, qui in Christum crediderunt, intuebantur. Simulatque enim sententia contra priores pronuntiata fuit, alii aliunde ad Tribunal Judicis prosiliebant, seque Christianos confiteri, acerbitates & multiplicia tormenta pro nihilo ducere, absque metu & terrore pro religione loqui, cum gaudio denique, risu & lætitia, postremam mortis sententiam excipere*: ὥστε ψάλλειν, καὶ ὕμνους καὶ εὐχαριστίας εἰς τὸν τῶν ὅλων Θεὸν, μέχρις αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπέμπειν πνοῆς. VIII. Histor. IX.

(426) Diocletianus Valerium successorem reliquit in Orientali Imperio, Galerius Illyricum reliquit Licinio, homini Daco, Orientem Maximino sororis filio, Italiam & Africam Severo, item sororis alterius filio, quas ei Maxentius Maximini filius eripuit. Constantinus inde Galliam, Hispaniam & Britanniam à patre Constantio acceptas retinens, Italiam & Africam Maxentio ademit, & Constantiam sororem Licinio in matrimonium tradidit anno CCCXIII. Mediolani. Licinius igitur primùm gratia Constantini Christianis pepercit, & communibus armis Maximinum sævientem delevit, & sibi Orientem vindicavit. Tum subortis simultatibus, Illyrico spoliatus est à Constantino, prœlio ad Cibalas in Pannonia superatus. Inde anno CCCXIX. veteribus repetitis offensionibus, ut Constantinum exacerbaret, Christianos vexare, idest, ad sacrificia cogere cœpit. Itaque anno CCCXXII & CCCXXIV. bello a Constantino in Thracia, & Bithynia victus, imperio primum, deinde vita exutus est. Ex Eusebio, Zosimo, & aliis.

(427) Exaggerat tamen Eusebius Licinii in Christianos persecutionem, II. *de vita Constantini* 1. 2. 3.

dimus, nisi eam quam sub fine jam seculi Antichristus exercebit. (428) Etenim sacris vocibus, X. plagis Mundum afficiendum, pronuntiatum est: ita cùm jam IX. fuerint, quæ superest, ultima erit. Hoc temporum tractu mirum est, quantum invaluerit religio Christiana.

S. CRUCIS INVENTIO.

Tum siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis (*a*) est adornata. (429) Namque Helena, mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cùm Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola (430) ac templa protrivit: (431) mox usa Regni viribus basilicam in loco Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis constituit. (432) Illud mirum, quòd locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cùm in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respuerit, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus, quin etiam calcati Deo pulveris adeò perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis terra custodit. Ejusdem Reginæ beneficio Crux Domini tum reperta: (433) quæ neque in principio obsistentibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit

Neque ulterius Persecutionem fore credimus, nisi eam, quam sub fine jam seculi Antichristus exercebit.) De qua scripsit Daniel, & S. Joannes in Apocal. ut supra dictum est, cap. XI.

Etenim sacris vocibus, decem plagis mundum afficiendum pronunciatum est; ita cùm jam novem fuerint, quæ superest, ultima erit.) Hoc brevissimè à Sulpicio significatum multis verbis explanavit S. Augustinus libro XIX. de civitate Dei, cap. XXI. cùm hanc opinionem, ut inanem, refelleret: *Proinde nec illud quidem temere puto esse credendum, quod nonnullis visum est, vel videtur, non amplius Ecclesiam passuram Persecutiones usque ad tempus Antichristi, quam quot jam passa est, idest, decem, & undecima, eademque sit ab Antichristo novissima. Primam quidem computant à Nerone, quæ facta est, secundam à Domitiano, tertiam à Trajano, quartam ab Antonino, quintam à Severo, sextam à Maximino, septimam à Decio, octavam à Valerio, nonam ab Aureliano, decimam à Diocletiano, & Maximiano. Plagas enim Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse referendas, ut novissima Antichristi Persecutio similis videatur undecimæ plagæ, qua Ægyptii, dum hostiliter persequerentur Hebræos, in mari Rubro, populo Dei per siccum transeunte, perierunt. Sed ego illa re gesta in Ægypto istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror, quamvis ab eis, qui hoc putant, exquisite & ingeniose illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.* Ostendit inde multas alias Persecutiones fuisse partim à Judæis, partim à Regibus hæreticis illatas; atque ita concludit: *Hæc, atque hujusmodi mihi cogitanti non videtur esse definiendus numerus Persecutionum, quibus exerceri oportet Ecclesiam. Sed rursus affirmare aliquas futuras à Regibus, præter illam novissimam, de qua nullus ambigit Christianus, non minoris est temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus, neutram partem quæstionis hujus astruentes, sive destruentes, sed tantummodo ab affirmandi quodlibet horum audaci præsumptione revocantes.*

Hoc temporum tractu mirum est, quantum invaluerit religio Christiana.) Nempe ab anno CCCXII. quo Constantinus Christum professus est, usque ad annum CCCXXXVII. quo mortem oppetiit.

(*a*) Constantinus deleto Licinio, & Oriente sibi adjuncto Nicænum concilium absolvit. Inde Templum magnificentissimum ædificari jussit apud Hierusalem in loco Calvariæ ad mortem Christi cohonestandam. Helena verò mater alterum in Bethleem, tertium in monte Oliveti ad Nativitatem, & Ascensionem honorandam construxit anno CCCXXVI. vocat autem Hierosolymam horrentem ruinis, propter excidium à Tito, & ab Hadriano illatum; quamvis post Hadrianus ruinas urbis miseratus eam aliqua ex parte refecerit, atque Æliam appellarit.

Namque Helena, mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola, ac Templa protrivit.) Helena Augusta jam exacta ætate, ut Orientem, in quo erat Judæa, in potestatem filii venisse vidit, pietatis caussa Hierosolymam adiit, ut locum, in quo Christus homo versatus fuerat, oculis suis subjiceret; cùmque in loco sepulchri Templum, & simulachrum Veneris ibi ab Hadriano collocatum reperisset, utrumque diruit, ut Eusebius prodit; atque hæc sunt idola quæ Sulpicius tradit.

Mox usa Regni viribus Basilicam in loco Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis constituit.) Basilicas Christiani appellarunt majores Ecclesias; ut Titulos, & Parochias, minores. Basilicas verò aut Deo dicatum, eaque Dominica dixerunt, aut Martyribus, & Martyria nominarunt. Helena verò Basilicam ex vectigalibus Imperii permittente filio condidit, unam in loco Dominicæ Passionis, idest, in monte Calvariæ, quod nunc Sepulchrum Domini dicitur; alteram in loco Ascensionis, idest, in monte Oliveti; in loco verò Resurrectionis nullam; nam idem est Resurrectionis ac sepulturæ locus, melius dixisset, in loco Nativitatis, ut Basilicam in Bethleem conditam indicaret. Eusebius.

Illud mirum, quod locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cùm in Cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit.) Hoc miraculum apud neminem alium legi, loquitur autem de Templo Oliveti.

Ejusdem Reginæ beneficio Crux Domini tum reperta.) Crucem ab Helena inventam produnt Eusebius de vita Constantini, Paulinus ad Severum Epist. II. Rufinus in historia Ecclesiastica, itemque Theodoritus, & S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii.

Quæ neque in principio obsistentibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, nonnisi tam fideliter requirenti meruit ostendi.) A principio Christiani Crucem consecrare non potuerunt, quia Judæi per annos XXXVIII. prohibuerunt; secuta est inde anno LXXI. ruina Templi, & Hierusalem, qua Crux obruta ruderibus prope evanuit, usque ad annum CCCXXVI. quo divino spiritu revelata inventa est.

Igitur

(428) Supra pag. 151. *Unde creditur* (Nero Antichristus) *sub seculi fine mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat*. Vide Notas ad eum locum num. 384.

(429) Non modò ipsum cœtum fidelium Scriptoribus Canonicis *Ecclesiam* vocabant, sed & locum atque ædificium, in quo conveniebatur, ita adpellabant: cujus rei passim non in hoc tantùm, sed & in ceteris Scriptoribus Ecclesiasticis exempla observare licet.

(430) Prisca Idololatria orta ex rebus naturalibus, & Historicis. Igitur *Japhet* est gentilium Neptunus, *Tubalcain* Vulcanus, *Mars* Nimrod sive Belus, *Apollo* Jubal, *Minerva* Naama, *Janus* Noë vel Javan, *Saturnus* Abraham vel Noë, *Pluto* Cham. *Vossius*.

(431) Cum in loco sepulchri Templum, & simulacrum Veneris ibi ab Hadriano collocatum reperisset, utrumque diruit, ut Eusebius prodit. Atque hæc sunt idola quæ Sulpicius tradit.

(432) Idest, Templum majus & augustius, quod ad domum Regnum prope accederet. Et infra: *In Basilicâ Martyrum extra oppidum sitâ diversatus est*.

(433) Hoc tradunt *Ambrosius* in Orat. de obitu Theodos. *Paulinus* ad Severum nostrum Epist. XI. *Rufinus* cap. VIII. Hist. Eccl. *Theodorit.* I. 10. *Sozomen.* II. 2. *Socrates* I. 13. *Niceph.* VIII. 29. *Simeon* Metaph. in Vita Helenæ. *Cassiodorus* II.

ruit ostendi. Igitur Helena primùm de loco passionis certior facta, admota militari manu, atque omnium provincialium multitudine in studia Reginæ certantium, effodi terram, & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet: mox precium fidei & laboris tres pariter Cruces, sic ut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic verò major dignoscendi patibuli, (434) in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore mortalium forsitan pro Cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum Crucibus admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu funeris exstincti solennibus exequiis deferebatur, (435) concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excussum, & inter spectatores suos astitit: Crux reperta, dignoque ambitu (436) consecrata.

HÆRESIS ARRIANA, ET CONCILIUM NICÆNUM CATHOLICUM CONTRA EAM.

His per Helenam gestis, principe Christiano libertatem atque exemplum fidei Mundus acceperat: sed longè atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum, namque tum hæresis Arrii (437) prorupit, (b) totumque orbem invecto errore turbaverat. (438) Etenim duobus Arriis, (439) acerrimis perfidiæ hujus auctoribus Imperator etiam depravatur: dumque sibi

Igitur Helena primum de loco Passionis certior facta.) Admonita nempe ab incolis loci, sepulchrum ibi fuisse, ubi tum erat Templum & simulachrum Veneris, terram egeri jussit, atque ea arte effossa tandem tres Cruces invenit adhuc terræ ita fixas, ut steterant cùm Christus & latrones eis affixi fuerant. Eusebius, Rufinus, Theodoritus, Paulinus.

Hic verò major dignoscendi patibuli in quo Dominus pependerat, difficultas.) Cùm tres essent, ambigere coeperunt, quæ potissimum Corpus Domini sustinuisset, ne crucem latronis pro Cruce Domini consecrarent, ac colerent.

Capiunt inde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent.) Alii ægrotum admotum. Sulpicius, & Paulinus mortuum produnt.

Nec mora, quasi Dei nutu funeris extincti solennibus exequiis deferebatur.) Legendum *funus extincti*, ut sit funus hominis mortui deferebatur; sic Cicero de Oratore, *Cum funus quoddam duceretur*.

Funus excussum & inter spectatores suos astitit.) Idest, mortuus excitatus est.

Crux reperta, dignoque ambitu consecrata.) Ambitum honorem, & pompam consecrationis vocat.

(b) Restant hujus libri duo exponenda capita, quæ res continent ut periculosas, sic ad memoriam maxime insignes. Unum est, hæresis Arriana; alterum, quæ Priscillianistarum est dicta. De hæresi Arriana hinc dicere orsus inde narrationem longius provehet; atque in primis quinque Concilia ad eam rem habita memorabit, Nicænum, & Sardicense, quæ Catholica fuerunt; Sirmiense, Mediolanense & Ariminense, in quibus Arrianorum est defensa sententia. Ordo autem hujus historiæ sic contextus. Anno CCCXIX. Arrius Presbyter cum Episcopo suo Alexandro de Trinitate disputare instituit, atque opinionem Sabellianæ contrariam intulit; ut enim ille unam naturam, & personam esse Patris & Filii censuit, sic Arrius duas esse naturas, duasque personas asseruit, ac Filium ita a Patre creatum esse, ut fuisset tempus, cùm non esset; cùm autem magnæ propterea inter Episcopos Orientis consiste dissensiones essent, recta Fides in magnum adducta discrimen erat. Interim Constantinus anno CCCXXIII bellum cum Licinio Orientis Domino init, atque illud anno CCCXXIV. felicissimè confecit. Cùm autem ex Thracia in Asiam, & Ægyptum transire victor ad eas Provincias ordinandus vellet, tumultus graves Ecclesiarum, & caussam eorum accepit; atque ita ex Sylvestri tum Pontificis auctoritate Concilium ad eam rem transigendam in Bithyniam Nicæam indixit; quò anno sequenti, idest, CCCXXV. Paulino & Juliano Coss. Episcopi CCCXVIII convenerunt, ac formulam Fidei conscripserunt, in qua præter cetera *Filium genitum, non factum, consubstantialem Patri, & ex Patre natum ante omnia secula* confirmarunt. Inde Helena in Orientem progressa Crucem invenit. Hæc testimonio Eusebii, Socratis, Theodoriti, Rufini aliorumque scriptorum ita manifesta sunt, ut convelli non possint. Neque verò aliter sentit Sulpicius, nisi quod in ordine rerum non mediocriter labitur. Nam significat, Helenam ante Crucem invenisse, quàm Arriana prorumperet hæresis, aut concilium Nicænum advocaretur. Quod facere non potuit, Licinio usque ad CCCXXIV. annum Christi, Orientis Imperium obtinente.

Etenim duobus Arriis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus Imperator etiam depravatur.) Quæratur fortasse, qui sint hi duo Arrii. Horum unus fuit Arrius auctor hæresis asserentis, Christum à Deo creatum esse ex nihilo. Alter verò fuit Arrius ille secundus, cujus Alexander Episcopus in epistola apud Socratem meminit, credo, Presbyter ille, quem Constantia moriens Constantino fratri Augusto commendavit, & per quem Arrio priori Constantinus conciliatus est, & cui Constantinus moriens testamentum suum commisit. Hi Constantinum specie pietatis aut corruperunt, aut certè deceperunt, cùm se cum Catholicis sentire prolata falsa Fidei formola simularent. Hujus Presbyteri Socrates, & reliqui meminerunt, sed suppresso nomine. Verum hæc, quæ ante Nicænum Concilium acta fuisse, Sulpicius videtur innuere, non solum post Concilium, sed etiam in extremo Constantini imperio acta sunt.

Alte-

(434) Patibulum pro sera sive vecte, quo ostia occluduntur dictum a Titinnio notat Nonius: *Patibulo hoc ei defringam caput*. Cum pro cruce ponitur, tum non tantùm pro transverso ligno sumitur, ut Lipsius voluit; sed totam crucem sive furcam notat. Ut apud Sallustium, citante eodem Nonio: *improbo patibulo eminens affigebatur*. Plautus Carbonaria apud eundem: *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci*. Qui locus fefellit Lipsium. Eadem igitur voces *patibulum*, *crux*, *furca*: & Christus tam patibulo, quam cruci affixus dici potest.

(435) Legendum sine dubio, ut Sigonius monuit, *funus exstincti*, idest, mortui cujusdam hominis.

(436) *Ambitum* vocare videtur, quod alii *ambitionem*, idest, studium, contentionem. Nepos Dione: *Magnâ eum ambitione Syracusas perduxit*. Justinus lib. I. cap. III. *Cum admitti magnâ ambitione ægre obtinuisset*. Inde *ambitiosus* pro eo, qui magno studio aliquid facit.

(437) Sic omnia exemplaria Sulpicii habent. Græci Ἄρειος scribunt. Arius hic Presbyter Alexandrinus fuit: ἀνὴρ οὐκ ἄμοιρος τῆς Διαλεκτικῆς λέξεως. *Socrates* Διαλεκτικώτατος. *Sozomen.* Causa motæ hæresis φθόνος fuit. *Theodoret.* Invidebat enim ambitiosus Episcopatum Alexandro. Frustra hoc patronus Arianorum Philostorgius negat, qui culpam in Alexandrum & Orthodoxos conjicit.

(438) Incredibili celeritate detestanda hæresis, velut diluvio quodam, orbem inundavit. Ex Ægypto in Bithyniam & Palæstinam, statim sub initia pervasit. Successu temporum totus ferè orbis Arianus fuit.

(439) Duorum illorum unus fuit primarius, alter ab ejus partibus stetit. Alexander, Episcopus Alexandrinus, in Epist. apud Socratem lib. I. cap. VI. cùm unius Arii mentionem fecisset, subjicit deinde ὁ ἄλλος Ἄρειος *alter Arius*. Sic & Sozomenus lib. I. cap. XV. scribit, Ario adhæsisse tum alios quosdam, tum quoque τὸν ἄλλον Ἄρειον.

sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exilium Episcopi, sævitum in Clericos, animadversum in laicos, (440) qui se ab Arrianorum communione secreverant. Quæ autem Arriani prædicabant, erant hujuscemodi: Patrem Domini instituendi orbis caussa genuisse Filium: (441) eo pro potestate sui (442) ex nihilo, in substantiam novam atque alteram, factum Dominum novum, alterumque: fuisse autem tempus, quo Filius non fuisset. Igitur hujus mali caussa Synodus apud Nicæam (443) ex toto orbe (444) contrahitur. CCC. siquidem & duo de viginti Episcopis congregatis, fides plena conscribitur: hæresis Arriana damnatur. Imperator decretum Episcopale complectitur. Arriani (445) nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, Ecclesiis miscuerunt: manebat tamen in pectoribus eorum insitum in catholicos viros odium: (446) & adversùs quos de

Actique in exilium Episcopi.) Unum tantum Athanasium accepimus à Constantino esse in Galliam relegatum, ut pacem Alexandrinæ Ecclesiæ pareret; quem etiam moriens paulò post restitui jussit. Cetera, quæ in Clericos & laicos a Constantino, tanquam Arriano, facta dicuntur, apud locupletes auctores non inveniuntur.

Quæ autem Arriani prædicabant, erant hujuscemodi: Patrem Domini instituendi orbis causa genuisse Filium, & pro potestate sua ex nihilo in substantiam novam, atque alteram factum Dominum novum, alterumque: fuisse autem tempus, quo Filius non fuisset.) Ex epistola Alexandri Episcopi apud Socratem, Arrius dixit Filium factum esse proptèr Dei Verbo, & Sapientia, per quam cetera omnia fecit; item nostra caussa factum esse, ut Deus per ipsum tanquam per instrumentum nos crearet, neque extitisse, nisi Deus nos creare decrevisset. Itaque his verbis opposita sunt verba illa Symboli Niceni contra illum constituti: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis.* Ceterum censuit Arrius, Filium non esse ex eadem substantia, qua Patrem, neque coæternum, sed factum, & creatum fuisse ex nihilo, & fuisse tempus, cùm non esset. Unde in quadam epistola apud Epiphanium dixit: *Propter hoc Persecutionem patimur, quia diximus: Principium habet Filius, Deus verò sine principio est; quod diximus: Filium ex nihilo est, eo quod neque pars Dei est, neque ex subjecto quodam.*

Igitur hujus mali caussa Synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur.) Constantinus deleto, ut dixi, in Bithynia Licinio, cùm audisset, Ægyptum, Asiamque turbatam esse dissidiis Episcoporum inter se de Fide dissentientium, Concilium Nicænum in Bithynia convocavit ex auctoritate Sylvestri Pontificis. Anno CCCXXV. Juliano, & Paulino Coss. convenere fere ex Oriente CCCXVIII. Episcopi, quibus etiam vehicula, & jumenta ad celeritatem itineris Constantinus suppeditavit; affuere etiam Legati Sylvestri Pontificis Victor, & Vincentius, præterea ex Hispania Osius Episcopus Cordubensis.

Fides plena conscribitur.) Fidem appellat Symbolum Fidei à Concilio Niceno conscriptum; plenum autem, quia illo omnibus heresibus, quæ de Patre, & Filio ante fuerant, est responsum, certaque Fidei plenissimè constituta, quod in Symbolo Apostolico non fuerat factum; in illo enim breviter ita scriptum erat, Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ; in hoc vero plenius; Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Cœli & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Ibi erat: Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos. In hoc vero omnia uberius: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Incarnatus est de Spiritu S. & Homo factus est, & quæ sequuntur. Quæ verò ad Spiritum Sanctum pertinent, ea tum intacta relicta; ac post Chalcedonensi Concilio pluribus explicata, & aucta.

Heresis Arriana damnatur.) Et quidem his verbis: *Qui dicunt: Erat, quando non erat, & priusquam gigneretur, non erat, aut quod ex nihilo factus est, aut ex alia substantia, vel essentia, dicentes esse aut creatum, aut alterabilem Filium Dei, hos tales anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.* Dicitur autem anathema, teste Socrate, sententia contra alicujus blasphemiæ auctorem pronunciata, quòd perinde nota fiat, ac si in columna incisa publicè proponatur.

Imperator decretum Episcoporum amplectitur.) Quippe narrat Eusebius, perfecto Concilio Constantinum misisse literas in omnes Provincias ad Episcopos, eosque certiores fecisse de iis, quæ in Niceno Concilio constituta erant, de quæstione Trinitatis, & diei Paschatis celebrandi; simulque edictum literis adjunxisse, ut omnes ei decreto assentirentur. Eusebius, Socrates & ceteri.

Arriani nihil contra sanam Fidem retractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, Ecclesiis miscuerunt.) Hi fuere Eusebius Episcopus Nicomediensis, & pauci alii, qui post aliquot annos cùm libellum pœnitentiæ porrexissent, Ecclesiis suis, quas damnati amiserant, restituti sunt.

Manebat tamen in pectoribus eorum insitum in Catholicos viros odium, & adversus quos de Fide disputare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant.) Qui sint Catholici, aut unde vocentur, & quemadmodum opponuntur hæreticis, pluribus docuit D. Pacianus in epistola ad Sympronianum Novatianum, quam de industria de Catholico nomine scripsit his verbis: *Sub Apostolis, inquiet, nemo Catholicus*

(440) Distinctio Christianorum in *clericos* & *laicos* satis antiqua, & jam tempore Concilii Niceni obtinuit. Canon V. ejus Concilii: *De iis qui communione privantur*, εἴτε τῶν ἐν κλήρῳ, εἴτε τῶν ἐν λαϊκῷ τάγματι, *sive sint ex clero, sive ex laico ordine*. Ita passim & alibi.

(441) Creandi Mundi, interque cetera creandorum hominum caussâ.

(442) *Eo pro inde, eam ob caussam*. Sic infra: *Quod eo mirum atque incredibile videtur, quia*. Deinde legendum fortasse *pro potestate suâ*: ut scriptum hoc sit pro *pro potestate ejus*, patris puta. Pronomen reciprocum pro demonstrativo quandoque & meliores ponunt: cujus rei exempla in lib. de Latinit. f. susp. pag. 46. & 47. congesta sunt.

(443) Pro *Nicæa*. Sic supra *apud Carras*, *apud Babyloniam*, *apud Hierosolymam*, pro *Carris*, *Babylonia*, *Hierosolymæ*; pro more illius seculi.

(444) Fuit Concilium primum OEcumenicum. Ex omnibus namque Ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia, convenere Episcopi, Syri, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæstini, Ægyptii, Thebani, Afri, Mesopotamii, Persæ, Scythæ, Pontici, Galatæ, Pamphylii, Cappadoces, Asiatici, Phryges, Thraces, Macedones, Achæi, Epirotæ, Hispani. *Euseb.* III. de vita Const. VII. 8.

(445) Quorum capita Eusebius Nicomediæ Episcopus, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theon Marmarica, Secundus Ptolemaidis. *Socrates*. Philostorgius XXII. Episcopos memorat, qui pro Ario steterunt, ex Lybia superiore sex, ex Ægypto unum, è Palæstina duos, è Phœnicia totidem, è Cilicia tres, è Cappadocia tres, e Ponto duos, è Bithynia tres.

(446) Vincentius Lirinensis, contra hæreses cap. III. *Id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim est verè proprieque Catholicum quod omnia vere universaliter comprehendit.* Et cap. XXV. *Ille est verus & germanus Catholicus, qui quicquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit.* Pacianus Epistola ad Sempronianum Novatianum: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor. Qui Catholicus, idem obediens, idem est Christianus atque ita Catholicus Christianus est. Quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cùm Catholicus nuncupatur.*

de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus adpetebant. (447) Itaque primum Athanasium Alexandriæ Episcopum, Jurisconsultum, qui apud Nicænam Synodum Diaconus adfuerat, (448) aggrediuntur, absentemque condemnant. Etenim ad crimina, quæ falsi testes congesserant, aggregabant, quod Marcellum atque Photinum (449) hæreticos Sacerdotes, Synodi judicio condemnatos, pravo studio recepisset. Sed de Photino dubium non erat, meritò fuisse damnatum: in Marcello nihil tum damnatione dignum repertum (450) videbatur: maximumque ei studium partium innocentium accesserat, quod eosdem illos

eus vocabatur; esto, sic fuerit; vel illud indulge, cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei, atque Reginam lacerare per partes, & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem? Et post: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor. Et si reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus ubique unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur mandatorum, scilicet Dei; unde Apostolus, si in omnibus obedientes estis.* Et iterum: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatoris constituti sunt multi, sic per dicto audientiam unius justi constituentur multi. Ergo qui Catholicus, idem obediens, idem est Christianus; atque ita Catholicus Christianus est. Quare ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur. Sed & quod Catholicus ubique unum est, sicut superiores putant, id ipsum David indicat dicens, Astitit Regina veste aurata, & varietate circundata; hoc est una in omnibus.* Et in Cantico Canticorum sponsus hæc loquitur: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa est genitrici suæ. Ergo in omnibus una, & una super omnia.* Hæc ille. Nos autem putamus Catholicum dici, qui Fide Catholica imbutus est; Fides autem Catholica est, quam Catholica tuetur Ecclesia; quod nomen Apostoli in Symbolo Fidei à se confecto posuerunt: *Et Sanctam Catholicam Ecclesiam.* Ut autem epistolæ Catholicæ dictæ sunt, quæ non uni sigillatim, sed in universum multis, aut universis sunt missæ, sic Fides Christiana Catholica dicta est, quæ Legem continet non Hebræis tantum a Deo datam, ut Lex Moysis, sed Hebræis, & Gentilibus, & ceteris omnibus. Qui ergo Christianus cum Catholica sentit Ecclesia, is verè Catholicus, qui ab ea paululum dissidet, Hæreticus appellatur. Apostoli enim Fidem à Christo traditam breviter in Symbolo digesserunt; quod postea subortis hæresibus, patres interpretantes magis dilatarunt, ac Sanctam Catholicam Ecclesiam eam, quam Apostoli constituissent, prodiderunt.

Itaque primum Athanasium Alexandriæ Episcopum Jurisconsultum, qui apud Nicænam Synodum affuerat Diaconus, aggrediuntur, absentemque condemnant.) Hoc vix intelligi possunt, nisi pluribus verbis explicentur. Post res Niceno Concilio constitutas Eustathius Episcopus Antiochenus scriptum edidit, in quo consubstantialem Patri Filium, quod negaverant Arriani, defendit. Cui Arriani responderunt. Ita recrudescente odio Concilium ad eam rem Antiochiæ habitum est, in quo Arriani Eustathium Antiochenum, & Athanasium Alexandrinum Episcopos, Catholicorum Principes, confictis criminibus accusarunt, atque Eustathium objecto adulterio Ecclesia depulerunt. Athanasium inde adversus falsa adversariorum crimina Constantinus defendit; inde cùm manum mortuo Arsenio desecuisse, sacrum calicem confregisse, & stuprum commisisse objicerent, ad eas res Concilium Cæsareæ anno CCCXXXIV. advocavit. Athanasius autem, qui illi Concilio non affuerat, postea Tyrum accessit, ac refutatis criminibus, Concilio nondum dimisso ad Constantinum se contulit; atque ita absens, quod citatus ad Cæsariense Concilium non affuisset, damnatus est. Hæc ex Apologia Athanasii, & Socrate, ceterisque.

Etenim ad crimina, quæ falsi testes congesserant, aggregabant, quod Marcellum, atque Photinum hæreticos Sacerdotes Synodi judicio condemnatos pravo studio recepisset. De Photino dubium non erat, merito fuisse damnatum. In Marcello nihil tum damnatione dignum repertum.) Miro hoc loco res, & tempora à Sulpicio confunduntur; nam Græci, quibus hæc tradere præcipuæ curæ fuit, hæc ipsa post mortem Constantini facta retulerunt, quæ à Sulpicio præpostero ordine in ætatem Constantini rejiciuntur, & quidem hoc illi ordine. Anno CCCXXXV. vivente adhuc Constantino, teste Socrate, Marcellus Ancyræ Episcopus contra Asterium quendam, qui tum editis libris Arrii dogma asserebat, librum conscripsit, & dum errorem ejus coarguere voluit, imprudenter sese in contrarium induit, quippe asserens Christum, quomodo Paulus Samosatenus censuerat, solum hominem esse. Cùm autem eo anno Episcopi Hierosolymis convenissent, Asterii, ut hominis privati, nullam rationem habuerunt, sed à Marcello, ut ab Episcopo, libri sui rationem repoposcerunt, atque re comperta, ut sententia desisteret, proceperunt; ille librum se combusturum promisit; Concilio inde Constantinopolim à Constantino advocato rursus de Marcelli caussa disceptarunt; atque eum, contra quam promiserat, librum in comburere velle recusantem, Ecclesia spoliarunt; ac loco ejus Basilium Ancyram miserunt. Eusebius autem Pamphyli tribus libris editis opinionem ejus redarguit. Hæc Socrates. Hos ego Eusebii libros nondum typis impressos legi, à Joanne Curterio viro doctissimo, & ejusmodi monumentorum indagatore diligentissimo mihi datos. Anno CCCXXXVI. Constantinus novis Arrianorum criminationibus in Athanasium incensus permotus ipsum Treviros in Galliam amandavit. Anno CCCXXXVII. Constantino mortuo Athanasius Constantini junioris ope ad Ecclesiam Alexandrinam se retulit. Anno CCCXLI. Arriani Episcopi Antiochiæ convocati Athanasium Episcopum Ecclesia depulerunt, quòd injussu Episcoporum ad illam se recepisset. Anno CCCXLII. Marcellus Ancyræ Episcopus Romam profectus Julii Pontificis literis Ecclesiam suam recuperavit. Anno CCCXLIV. Photinus Episcopus Sirmiensis Marcelli discipulus supradictam hæresim renovavit, neque cùm Catholicis, neque cum Arrianis utique congruentem, nempe Filium nullo modo ante secula genitum fuisse, sed ex Maria primum initium habuisse, atque hominem tantummodo esse, cum Catholici genitum ab æterno dicerent, Arriani verò tum factum, cùm creare Deus mundum constituit. Anno inde CCCXLVIII. Concilium Sardicæ in Dacia Mœsiæ Catholici habuerunt, in quo Fidem Nicænam quæ oppugnabatur, confirmaverunt, atque Athanasium, ac Marcellum ab Arrianis, ut diximus, damnatos absolverunt, Photinum vero ut vere hæreticum condemnarunt; tum vero Athanasius Marcellum absolutum in communionem recepit, Photinum damnatum non item. Hæc hoc ordine gesta esse, ostendit Socrates, & Sozomenus. Quæ perverse relata esse à Sulpicio constat; falsum est enim Arrianos vivente Constantino Athanasio objecisse, quòd Marcellum, & Photinum damnatos recepisset, neque enim Athanasius Marcellum recepit in communionem, nisi postquam Sardicensi Concilio absolutus est, Photinum autem nunquam. Et Photini causa vivente Constantino tractari non potuit, cùm post ejus mortem hæresim suam intulerit. Arriani autem cùm neque Hierosolymitano, neque Constantinopolitano concilio, idest, vivente Constantino, absolverunt, sed post Sardicensi concilio absolutus est à Catholicis.

Ma-

(447) Ita meliores *adpetere aliquem insidiis, gladio*; ponitur que ita *adpetere* pro simplici *petere*.

(448) Pro *in Nicænâ Synodo*. Sic &, cùm scribit *apud Babylonem*, *apud Hierosolymam*, voculam *apud* pro *in* ponit.

(449) Qui historiam legerit, observabit, malè conjuncta esse à nostro, quæ separatis temporibus acciderunt. Depositus fuit Athanasius ab Episcopis, qui Tyri convenerant, ob criminaquædam, quæ falsò ei impacta fuerant, & mox deinde ab Imperatore Constantino M. in Gallias relegatus; neque ab eodem, sed ab ejus filio demum inde revocatus fuit. Quod Marcellum atque Photinum recepisset, id objici ei non tunc potuit, cùm deponeretur. Quippe Photinus post mortem demum Constantini hæresim suam prodidit; Marcellus verò post Synodum Sardicensem demum, diu post excessum Constantini mandato Constantii habitam, & per quam Marcellus absolutus fuit, ab Athanasio in communionem receptus est.

(450) Marcellus Ancyræ in Galatia Episcopus; in opinionem Pauli Samosateni: ἢ ἑκὼν, ἢ οὐχ οὕτω νοήσας, delapsus est. Verùm postea, cùm in Concilio Sardicensi ratione ostendisset, se haudquaquam ita sensisse, ed Episcopatum denuo restitutus est. *Socrates* I. 24. & II. 16. *Sozomen.* II. 31.

illos judices, à quibus fuerat condemnatus, hæreticos esse nemo dubitabat. Ceterum Arriani non hos potiùs quàm Athanasium, removere cupiebant. Itaque Imperatorem eò usque compellunt, ut Athanasius exulatum ad Gallias mitteretur. Mox in Ægypto octoginta Episcopi congregati, Athanasium injustè condemnatum esse pronuntiant.

CONCILIUM SARDICENSE CATHOLICUM CONTRA ARRIANOS.

Res ad Constantinum refertur. Jubet ex toto orbe apud Sardicam (*c*) Episcopos congregari: (451) atque omne judicium, quo Athanasius damnatus fuerat, retractari. Inter hæc Constantinus moritur. Synodus congregata jam Constantio Imp. Athanasium absolvit. (452) Marcellus quoque Episcopatui redditur. Nam de Photino Episcopo Sirmiensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur. Et tamen hoc ipsum Marcellum gravabat, quia Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia videbatur. Verumtamen ad Athanasii absolutionem etiam illud accesserat, quod Ursatius, & Valens, Principes Arrianorum cùm post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi, à Julio Romanæ urbis Episcopo veniam poposcerunt, quòd innoxium condemnassent: meritòque eum sententia Concilii Sardicensis absolutum professi sunt. Interjecto deinde tempore Athanasius, cùm Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, à communione suspendit, (453) habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, sponte concederet. Ceterum antea innocens, postea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuisse, cùm da ao fuerat judicatum. (454)

CONCILIUM SIRMIENSE ARRIANUM.

Nacti ergo Arriani istiusmodi occasionem, conspirant, penitus Sardicensis Synodi decreta subvertere. (*d*) Etenim ais color (455) quidam suppetare videbatur, quod tam injustè fuisset pro

Maximeque et studium partium innocentiam accesserat, quod eosdem illos judices, à quibus fuerat condemnatus, hæreticos esse, nemo dubitabat.) Catholici maxime eo nomine ad absolutionem Marcelli inclinarunt, quod is ab Arrianis hæreticis fuerat condemnatus.

Ceterum Arriani non hos potius, quam Athanasium removere cupiebant. Itaque Imperatorem eousque compellunt, ut Athanasius exulatum ad Gallias mitteretur.) Quam vellem, hanc partem nunquam attigisset Sulpicius! confundit enim tempora Constantini patris hominis Catholici cum temporibus Constantii Arrianæ labe imbuti; quod postea fecere quoque alii, hanc historiam multis erroribus depravantes. Athanasius enim à Constantino Treviros in Gallias relegatus est, antequam Photini nomen in Ecclesiam increbesceret.

Mox in Ægypto octoginta Episcopi congregati Athanasium injuste condemnatum fuisse pronunciant.) Hujus Concilii nemo præter hunc alius meminit.

(*c*) Nihil fingi potest perversius. Nam Concilium Sardicense rogatu Constantis, & permissu Constantii actum est in Dacia anno decimo, postquam Constantinus pater vita decesserat; in quo, ut dixi, Fides Nicæna est confirmata, Athanasius, & Marcellus absoluti, Photinus condemnatus.

Inter hæc Constantinus moritur.) Moritur Constantinus anno CCCXXXVII. Concilium Sardicæ habetur anno CCCLVII. Vide quam hæc omnia labent!

Synodus congregata jam Constantino Imperatore, Athanasium absolvit, Marcellus quoque Episcopatui redditur.) Verum utcunque, falsum illud, Sardicæ vivente Constantino Episcopos convenisse.

Nam de Photino Episcopo Sirmiensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur.) Quoniam Photinus de Filio neque cum Catholicis, neque cum Arrianis consentiebat, propterea Catholici damnationem Arrianorum non resciderunt, sed confirmarunt; si modo verum est, eum ante Sardicense Concilium condemnatum.

Et tamen hoc ipsum Marcellum gravabat, quia Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia, videbatur.) Hoc idem tradunt Græci, Photinum discipulum Marcelli fuisse. Quare mirum fuit, absolvi magistrum, condemnari discipulum. Verum longe inter se opinione dissenserant; nam Marcelli opinio ad Sabellianam propius accedebat, Photini ad Paulianem.

Verumtamen ad Athanasii absolutionem etiam illud accesserat.) Hoc de se scripsit Athanasius in Apologia, & reperivit Socrates, factum est autem anno CCCXLVIII. Ursatius Singidonis Mœsiæ, Valens Mursæ, Pannoniæ Episcopi fuerant. Julius post Marcum Pontifex fuit.

Interjecto deinde tempore Athanasius, cùm Marcellum parum sanæ Fidei comperisset, à communione suspendit.) Hujus rei Sulpicius solus est auctor. Epiphanius autem inquit, Athanasium à se de Marcello interrogatum ita respondisse, ut neque defenderit eum, neque arguerit, sed levi risu edito ostenderit, haud magnum illum flagitium esse, ut qui semetipsum purgasset.

(*d*) Græci scribunt, Arrianos Constantis Imperatoris morte excitatos, & Constantii levitate confisos consilia Concilii Sardicensis pervertendi cepisse. Sulpicius vero alias fortasse, quibus nos caremus, sequutus historias, judicio Athanasii Marcellum condemnantis addactos tradit.

Do-

(451) Falsò hoc Constantino patri tribuitur à nostro. Factum est a Constantio, monitu ac rogatu fratris Constantis: Vide Theodoret. lib. II Hist. Eccl. cap. IV. *Apud Sardicam* scribit more suo pro *Sardicæ*, quomodo *apud Babylonem*, *apud Nicæam* supra.

(452) Athanasius è Gallia literis Constantini F. revocatus est. Hinc fortè error Sulpicio, ut, quæ sub Constantino II. gesta sunt, ea ad Magnum retulerit. Epiphanius tres fratres in ejus revocationem consensisse dicit. *Hæres.* LXVIII. ἐκ τῶ δύο βασιλέων, Constantini scilicet & Constantis mendato, Constantio probante, συνδοκοῦντος, Episcopatum quoque suum Alexandriæ recuperavit. Hinc eum Arriani criminant, quod nulla Tyriæ & Constantinopolitanæ synodi ratione habita, Sedem suam absque Synodo contra Canones repetiisset. Unde tamen conari Synodum Sardicensem, ubi causa ejus probata, subvertere conati sunt.

(453) Eadem phrasi & infra usus est. Ceterùm paulò post dicit: *se à communione ejus secessere*. Contrarium ei, quod superiùs scribit *recipere*: pro quo alibi plenè scribit *in communionem recipere*: & infra dicit: *communionem cum aliquo inire*. Quo pertinebant κανονικὰ ἤτοι κοινωνικὰ γράμματα, *epistolæ canonicæ, communicatoriæ, formatæ*: de quibus vide Justellum Notis in Cod. Can. Eccl. univ. pag. 182.

(454) Haud dubiè, si antiquitati credimus, nocens fuit. Nam & Eusebius Pamphilus ejus opinionem tribus libris refutavit, docens Marcellum non aliter quam Sabellium Afrum, & Paulum Samosatenum, Christum ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον induxisse. *Socr.* XI. 16. Qui & paulò post Eusebium ab Arianismi crimine eruditè vindicat; & certè non videtur talis fuisse.

(455) *Color* pro specie, prætextu. Quinctilianus lib II. cap. I. *Quod si nulla contingit excusatio, sola colorem habet pœnitentia*. Inde verbum *colorare* pro prætextu, titulo uti. Valerius Max. lib. VIII. cap. II. *Libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando*.

pro Athanasio judicatum, quàm Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor (456) extiterat: Photinus verò novam hæresim jam ante protulerat, à Sabellio quidem in unione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Arriani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud Imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent. Veruntamen ea tempestate Arriani perfidiam suam occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata prædicare, Catholicos se gerebant. Nihil sibi prius agendum rati, quam, ut Athanasium Ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat: (457) quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros (458) sperabant. Sed pars Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit: pars coacti metu & factione, in studia partium concesserant. Pauci, quibus fides chara, & veritas potior erat, injustum judicium non receperunt: inter quos Paulinus, Episcopus Trevirorum, oblatâ sibi epistolâ ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare. (459) Tum verò Arriani, ubi doli parùm processerant, vi agere decernunt. Nam quodlibet audere atque agere facilè erat, Regis (460) amicitiâ subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant. Quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes ferè duarum Pannoniarum Episcopi, multique Orientalium, ac tota Asia (461) in perfidia (462) eorum conjuraverant. Sed

Prin-

Etenim eis color quidem suppetere videbatur, quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum.) Concilium Sardicense damnabant eo nomine, quod Athanasium absolvisset; nam tam illum injuste absolutum fuisse, quam Marcellus fuerat, quem post Athanasius, tanquam hæreticum, à communione depulerat.

Namque Marcellus Sabellianæ hæresis auctor extiterat.) Hoc idem scribit Epiphanius libro tertio contra hæreses. Quare Arriani bellum ei moverunt, ut qui Sabellianis adversentur, nam ut Sabelliani solam Divinitatem in Christo defendunt, sic Arriani solam humanitatem.

Photinus verò novam hæresim jam ante protulerat à Sabellio quidem in unione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat.) Epiphanius inquit, Sabellium docuisse eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut sint in una substantia tres nomenclaturæ. Photinus vero hoc negavit; quippe qui Christum non ante fuisse, quàm Mariam Matrem, atque ex ea principium habuisse, dixerit. Arriani vero Christum creatum ante secula dixerunt.

Itaque Arriani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini, & Marcelli eadem sententia comprehendunt.) Arriani anno CCCLI. impulere Constantium, ut Concilium Sirmium in Pannonia advocaret; quo caussa Photini, qui utrique parti improbabatur, cognosceretur, ibique Photinum damnarunt, quia damnatione dignus omnibus videbatur; Marcellum vero qui, ut inquit Sulpicius, ab Athanasio damnatus fuerat, Athanasium autem, quasi veritatem eandem sequuti, quam in Photino, & Marcello spectarant. De eodem Concilio etiam Socrates, Sozomenus, Theodoritus, & Rufinus.

Veruntamen ea tempestate Arriani perfidiam suam occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata prædicare, Catholicos se gerebant.) Arriani in Concilio tres fidei formulas promulerunt; in quibus diversis verbis remota substantiæ mentione Filium Patri similem affirmarunt, nondum ausi dissimilitudinem asserere, quod postea fecerunt; illud rebus omnibus anteferentes, ut Athanasium ante removerent, qui tanquam murus contra se pro Catholicis stabat; quo remoto, reliquos facile sibi sperabant cessuros. Hi cùm verbis ab Arrio dissentirent, sed re consentirent, Semiarriani, teste Epiphanio, dicti sunt.

Sed pars Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit.) In sententiis de Athanasio ferendis, in tres partes divisi Episcopi sunt; una studio Arii Athanasium condemnavit, altera metu coacta in eorum sententiam abiit; tertii, quibus veritas potior erat, Athanasii damnationi assensum, ut injustum, præbere detrectarunt.

Inter quos Paulinus Episcopus Trevirorum oblata sibi epistola ita subscripsisse traditur, se in Photini, atque Marcelli damnationem præbere assensum, de Athanasio non probare.) Inter ceteros, qui veritatem sequuti sunt, fuit Paulinus, qui Athanasium aperte se condemnare posse negavit. Hic vero metropolitanus in Gallia fuit, vir sanctus in primis, & eruditus.

Tum verò Arriani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt.) Quippe edictum à Constantio Imperatore impetrarunt, ut qui non assentirentur, in exilium irent.

Nam quodlibet audere, atque agere facile erat, Regis amicitia subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant.) Una hæc ratio est, cur facile edictum tam injustum a Constantio obtinuerint, quòd ab illis depravatus pravis adulationibus erat.

Quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant.) Altera ratio, quia multi Episcopi erant, & uno animo in Athanasium conjuraverant, ac Palatium Principis ita occupaverant, ut sine se nihil ageret.

Sed

(456) Non mirum ergo, quòd nec Arriani eum probarunt. Hi enim Filium Dei a Patre adeò diversum statuerunt, ut eum κτίσμα *creaturam* affe putarent, cùm Sabellius Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unius substantiæ diversas modò nomenclaturas esse contenderit. Sed alii eum hæresi Paulli Samosateni addictum fuisse scribunt. Vide Socratis Hist. Eccl. lib. I. cap. XXXVI., & Sozomeni Hist. Eccl. lib. II. cap. XXXIII. Cui consentaneum est, quòd discipulum habuit Photinum, qui ipsam Paulli Samosateni hæresin recoxit; videlicet Christum non ante extitisse quam ex Mariâ nasceretur. Augustinus lib. de hæres. *Illa hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit: sed cùm defecisset, instaurata est à Paullo: & postea sic à Photino confirmata, ut Photiniani, quàm Paulliani celebriùs adpellentur.* Si igitur Paulli Samosateni hæresin habuit Marcellus, discrepavit itidem ab Arrianis, neque ab his probari potuit. Arriani enim Christum creatum quidem, sed ante Mundum tamen creatum esse putarunt.

(457) Incredibilis Athanasii constantia. Qui quatuor Imperatorum iras, pro veritate & ὁμοουσίᾳ Jesu Christi, inconcussa mente, semper major ob exilio reversus, sustinuit. Cùmque Hosii & Liberii, & totus penè orbis, ad Arianos concederent: solus hic, velut alter Elias, Deum authorem secutus, non minas, non crimina falsa, non percussores verebatur. Tantam vim religio vera & pietas habet.

(458) Mox: *In studia partium concesserant*. Et fortasse pro simplici *cessuros* quoque legendum *concessuros*.

(459) Giselinus vix dubitat, Sulpicium scripsisse *non præbere*: quod idem & nobis valde verisimile fit.

(460) Constantii puta. Imperatores Romanos noster subinde *Reges* vocat, quòd reverâ tales & essent; quemadmodum Græci non tantùm αὐτοκράτορας, sed & βασιλεῖς eos adpellabant.

(461) Ariani imprimis operam dederunt, ut præcipuas Sedes Episcopales occuparent. Hinc in Orthodoxos gravissimis calumniis, & aperta vi grassati Alexandriæ, Antiochiæ, Constantinopoli, τῶν ἐπισημοτάτων θρόνων potiti sunt; & inde minores omnes Episcopatus facilè invaserunt. *Sozom.* III. 6. 7.

(462) Fortasse *in perfidiam* legendum. Certè alii passim dicunt *conjurare in aliquid*: ut *in perniciem alicujus*, *in arma*, *in ruinam alicujus*. Si genuina est lectio vulgata, referendum id in censum eorum, de quibus in Notis in cap. X. Vitæ Mart. egimus.

Principes mali istius habebantur, à Singiduno Ursatius, (463) Valens à Mursâ, (464) ab Heracliâ Theodorus, (465) Stephanus Antiochenus, Acatius (466) à Cæsareâ, Menophanes Epheso, Georgius Laodiceâ, Narcissus à Neapoli. (467) Hi ita palatium occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret Imperator: obnoxius quidem omnibus, sed præcipuè Valenti deditus. Nam eo tempore, quo apud Mursam contra Magnentium armis certatum, Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in Basilicâ Martyrum extra oppidum sitâ, Valente tum ejus loci Episcopo in solatium adsumto, diversatus est. Ceterùm Valens callidè per suos disposuerat, ut quis prœlii fuisset eventus, primus cognosceret: vel gratiam Regis captans, si prior bonum nuncium detulisset: vel vitæ consulens, ante capturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis, qui circa Regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nunciat hostes fugere. Cùm ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens, ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuncium respondit. Facilis ad credendum Imperator, palàm postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitûs vicisse. Ab hoc initio inlecti Principis, extulere animos Arriani, potestate Regis usuri, ubi auctoritate suâ parùm valuissent. Igitur cùm sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, nostri non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, ut, qui in damnationem Athanasii non subscriberent, (468) in exilium pellerentur.

CONCILIUM ARELATENSE, ET BITERRENSE, ARRIANUM.

Ceterùm à nostris tum apud Arelatum ac Biteras (469) oppida Galliarum, Episcoporum Concilia fuere. (e) Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potiùs disceptarent: nec tum demum de re cognoscendum, cùm de personâ judicium constitisset. Sed Valens, sociique ejus, (470) priùs Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus.

CONCILIUM MEDIOLANENSE, ARRIANUM.

Interea Mediolanum convenitur, (471) ubi tum aderat Imperator. (f) Eadem illa contentio

Sed Principes mali istius habebantur à Singiduno Ursatius, Valens à Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acatius à Cæsarea, Menophanes Epheso, Georgius Laodicea, Narcissus à Neapoli.) Horum nomina sumpta sunt ab Athanasio ipso in secunda apologia, & in libro de fuga sua. Quoniam verò uno in loco vocat Narcissum à Neroniade Ciliciæ, in altero Neropolitanum, propterea legendum putarim *Narcissus à Neronopoli*; hic autem subscripsit Concilio Ancyrano, Neocæsariensi, Nicæno, & Antiocheno, *Narcissus Neroniadis, & Neronopolis Ciliciæ.*

Obnoxius quidem omnibus, sed præcipuè Valenti deditus. Nam eo tempore, quo apud Mursam contra Magnentium armis certatur.) Constantius cum ceteros omnes, tum maxime Valentem admirabatur, magna sanctitatis ejus opinione concepta ex eo, quod primus sibi victoriam contra Magnentium nunciavit; quod ille fraude assecutus est, non virtute. Constantius pugnavit contra Magnentium, qui Constante Imperatore fratre suo in Gallia interempto Imperium sibi assumpserat; atque eum ad Mursam in Pannonia vicit; res multis verbis a Zosimo declaratur. Doli autem, quo usus est Valens in præripiendo victoriæ nuncio, solus Sulpicius auctor est.

Ab hoc initio illecti Principis extulere animos Arriani.) Redit unde digressus erat. Arriani, ubi doli in conciliis adhibiti parum processerunt, vi agere decreverunt; atque edictum ab illecto, sive decepto Principe Constantio obtinuerunt, ut qui damnationi Athanasii non subscriberent, in exilium irent.

(e) Edicto Constantii publicato Episcopi Gallici, & maxime Catholici, Arelate, & Biterris cum Arrianis convenerunt; quorum Arelate est in Provincia Viennensi, Biterræ in Narbonensi; quorum Conciliorum meminit S. Hilarius, & S. Hieronymus. Hæc acta sunt anno CCCLIII.

Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur.) Catholici petebant, ut ante de Fide, quàm de persona Athanasii ageretur; neque enim æquum esse, postquam de persona judicatum esset, de re cognoscere.

Sed Valens.) Tum Valens, & socii ejus, quorum principatum gessit Saturninus Arelatensis Episcopus, cujus postea meminit, inquiens: *Resistebat sanè consiliis Saturninus Arelatensis Episcopus, vir sane pessimus, & ingenio malo, pravoque*, hi, inquam, restiterunt postulationi Catholicorum, ac de Fide certare non ausi prius Athanasii damnationem extorquere cœperunt.

Ab hoc conflictu partium agitur Paulinus in exilium.) Paulino addendus fuit etiam Hilarius Pictavorum Episcopus à Saturnino damnatur. Siquidem Hilarius in libro contra Maxentium, & in libro de Synodis, se a Saturnino Arelatensi Episcopo Concilio Biterrensi damnatum ait. Quare S. Hieronymus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis scripsit, Hilarium factione Saturnini Episcopi Arelatensis Concilio Biterrensi esse damnatum. Quin etiam idem Hilarius in libro ad Constantinum inquit, Eusebium Vercellensem Episcopum post Arelatensem Synodum jussum esse Mediolanum venire.

(f) Ubi res convenire non potuit, Constantius rogatu Arrianorum Concilium Orientalibus, & Occidentalibus Episcopis Mediolanum indixit. Id verò anno CCCLV. habitum est, præsente Constantio, quo Concilio Arriani victores fuere, Principibus Catholicorum in exilium pulsis Eusebio Vercellensi, Lucifero Caralitano, Dionysio Mediolanensi, Paulino Trevirensi, Hilario Pictavensi, Liberio Romano, Osio Cordubensi,

(463) Promiscuè præpositionem vel adjicit, vel omittit. Sequitur enim: *Valens à Mursâ, ab Heracliâ Theodorus*; & mox: *Menophanes Epheso, Georgius Laodiceâ*. Et sanè ipsi quoque meliores præpositionem adjiciunt, dicuntque *Pastor ab Amphryso, Princeps à Corâ*. Vide lib. nostrum de Latinit. f. susp. pag. 203.

(464) Quæ & Morsa, Pannoniæ inferioris civitas. S. Hieron. advers. Lucif. *Valens Mursensis Episcopus*. Drus.

(465) Hic est Theodorus Episcopus Heracleæ, Athanasio memoratus. Ceterùm Heraclea magis usitatum. Sic Arius & Areus, Darius & Dareus: Augeæ & Augeæ stabulum. Quæ varietas ex diversa pronunciatione linguæ Græcæ originem traxit, de qua videatur Erasmus.

(466) Vel Acacius: ut Ursatius, Ursacius. Fuit Eusebii Pamphili discipulus. S. Athanas.

(467) Drusius legendum putat *Neropoli*; quod valde probo. Constare enim ex Athanasio, & ex Sozomeno potest. Narcissum illum urbis cujusdam Ciliciæ, cui nomen *Neronias* & *Neropolis* fuit, Episcopum fuisse.

(468) Mox: *In Athanasium subscribere*. Item: *In Athanasii damnationem se consentire subscripsit*.

(469) Scribit pro solemni suo *apud Arelatum* pro *Arelate*. Oppidum ipsum frequentius *Arelate* dicitur: fuitque sedes Præfecti Prætorio Galliarum. Pro *Buteras*, quod in editione Coloniensi, aliisque est, Sigonius *Biterras* legendum putat.

(470) Quorum principatum gessit Saturninus Arelatensis Episcopus, cujus postea meminit, inquiens: *resistebat sanè consiliis Saturninus Arelatensis Episcopus, vir sane pessimus, & ingenio malo pravoque*.

(471) Ubi res convenire non potuit, Constantius rogatu Arrianorum Concilium Orientalibus, & Occidentalibus Episcopis Mediolanum indixit. Id verò anno CCCLV. habitum est, præsente Constantio. Quo Concilio Arriani victores fuere, Principibus Catholicorum in exilium pulsis, Eusebio Vercellensi, Luci-

tio nihil invicem relaxabat. Tum Eusebius Vercellensium, (472) & Lucifer à Caralis (473) Sardiniæ, Episcopi relegati. Ceterùm Dionysius, Mediolanensium Sacerdos, in Athanasii damnationem se consentire subscripsit. Dummodo de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Valens & Ursatius, ceterique, metu plebis, quæ Catholicam Fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur. Illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt, omni pravitate refertam: eo nimirum consilio, ut, si ea æquis auribus populus recepisset, publicâ auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in Rege, & ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus, (474) Sacramentum Fidei (475) meritò vide-

beosi, & Rhodanio Gallicano Episcopis; quia damnationi Athanasii subscribere noluerunt. De quibus Athanasius in epistola ad solitarios: *Constantius vocatis ad se Paulino Episcopo Trevirorum, quæ Galliarum metropolis est, Lucifero metropolitano Sardiniæ, Eusebio Vercellis civitate Italiæ, Dionysio Mediolani, quod & ipsum metropolis est Italiæ, mandavit ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent; atque iis dicentibus id non esse Ecclesiastici Canonis, subjecit, at quod ego volo, pro Canone sit; ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent; aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote. Ita sancti viri excusso pulvere, & oculis in Deum conversis nec Cæsaris minas timuerunt, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerii sui officium acceperunt.* Item in apologia ad Constantium. *Ubique jactabatur, Liberium Romæ Episcopum, & Hispaniarum Osium, Paulinum Galliarum, Dionysium, & Eusebium Italiæ, Luciferum Sardiniæ Episcopos, aliosque complures exterminatos esse, quod contra vos subscribere recusassent.* Item de fuga sua. *Liberius Rom. Pontifex, Paulinus Galliarum metropolitanus, Dionysius Italiæ, Lucifer Sardiniæ, Eusebius item Italus, omnes boni, & præclari Episcopi in exilium aguntur nulla alia de caussa, nisi quod astipulati non sunt Arrianorum hæresi, & illorum calumniis adversum nos subscribere noluerunt. Nam de magno, & gravissimæ ætatis viro eodemque Confessore Osio superfluum arbitror meminisse; cum nemo ignoret, eum ab ipsis quoque in exilium missum.* Quin etiam Hilarius contra Constantium scriptum reliquit: *Tu Paulinum beatæ memoriæ virum blandimento sollicitatum relegasti, & Ecclesiam Sanctam Trevirorum tali Sacerdote spoliasti.* Hilarium affuisse Mediolanensi Concilio, ipse indicat, cùm contra Maxentium inquit, ipsum Maxentium Mediolani sibi probri loco objecisse, quod damnatus à Saturnino fuisset, negans ipsum propterea, ut Episcopum, audiri debere. Excepere inde hæc dicta, & in historias retulere Socrates, Sozomenus, & Rufinus, qui ita scribit: *Ob hoc apud Mediolanum Episcoporum Concilium convocatur; plures decepti: Dionysius verò, Eusebius, Paulinus, Rhodanius, & Lucifer dolum in negotio esse proclamantes, asserentesque quod subscriptio in Athanasium non ob aliam caussam, quàm destruendæ Fidei, moliretur, in exilium trusi sunt. His & Hilarius jungitur, ceteris, vel ignorantibus, vel non credentibus fraudem.*

Ceterum Dionysius Mediolanensium Sacerdos.) Socrates scribit, Dionysium tabulis arreptis scribere Fidem suam instituisse, verum Valentem, & socios impedimentum attulisse, ac mox se è Dominico in Palatium contulisse, quod ab Hilario sumpsit e libro ad Constantium.

Metu plebis, quæ Catholicam Fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri.) Valens, & socii Fidem suam profiteri, utpote nefariam, metu populi Mediolanensis, qui Catholicus erat, non ausi, in Palatium recesserunt.

Illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam.) Hæc epistola formulam fidei Arrianæ complexa est, de qua nemo meminit, nisi illa sit, quæ Ariminensi Concilio quoque prolata est, in qua Filius Patri similis affirmabatur, de qua post.

Eo consilio, ut si ea æquis auribus populus recepisset.) Aperit fraudem novam Arrianorum, qui nomine Imperatoris epistolam protulerunt de Fide agentem; nimirum, ut si a populo improbata fuisset, culpa omnis in eo resideret, sed levis, quia adhuc catechumenus omnia Sacramenta Fidei nosse non potuisset.

Chri-

Lucifero Caralitano, Dionysio Mediolanensi, Paulino Treverensi, Hilario Pictavensi, Liberio Romano, Osio Cordubensi, & Rhodanio Gallicano Episcopis; quia damnationi Athanasii subscribere noluerunt. De quibus Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Constantius vocatis ad se Paulino Episcopo Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis est, Lucifero Metropolitano Sardiniæ, Eusebio Vercellis Civitate Italiæ, Dionysio Mediolani, quod & ipsum Metropolis est Italiæ, mandavit, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent. Atque iis dicentibus id non esse Ecclesiastici Canonis, subjecit; at quod ego volo, pro Canone sit. Ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote. Ita sancti viri excusso pulvere, & oculis in Deum conversis, nec Cæsaris minas timuerunt, nec ob strictos enses veritatem prodiderunt, & exilium veluti ministerii sui officium acceperunt.* Item in Apologia ad Constantium: *Ubique jactabatur, Liberium Romæ Episcopum, & Hispaniarum Osium, Paulinum Galliarum, Dionysium, & Eusebium Italiæ, Luciferum Sardiniæ Episcopos, aliosque complures exterminatos esse, quod contra vos subscribere recusassent.* Idem de fuga sua: *Liberius Rom. Pontifex, Paulinus Galliarum Metropolitanus, Dionysius Italiæ, Lucifer Sardiniæ, Eusebius item Italiæ, omnes boni, & præclari Episcopi in exilium aguntur, nulla alia de caussa, nisi quod astipulati non sunt Arrianorum hæresi, & illorum calumniis adversus nos subscribere noluerint. Nam de magno, & gravissimæ ætatis viro eodemque confessore Osio, superfluum arbitror meminisse: cùm nemo ignoret, eum ab illis quoque in exilium missum.* Quinetiam Hilarius contra Constantium scriptum reliquit: *Tu Paulinum beatæ memoriæ virum blandimento sollicitatum relegasti, & Ecclesiam Sanctam Trevirorum tali Sacerdote spoliasti.* Hilarium affuisse Mediolanensi Concilio, ipse indicat, cùm contra Auxentium inquit, ipsum Auxentium Mediolani sibi probri loco objecisse, quod damnatus à Saturnino fuisset, negans ipsum propterea, ut Episcopum, audiri debere. Excepere inde hæc dicta, & in historias retulere Socrates, Sozomenus, & Rufinus, qui ita scribit: *Ob hoc apud Mediolanum Episcoporum Concilium convocatur. Plures decepti: Dionysius verò, Eusebius, Paulinus, Rhodanius, & Lucifer dolum in negotio esse proclamantes, asserentesque quod subscriptionem in Athanasium non ob aliam caussam, quàm destruendæ fidei, molirentur, in exilium trusi sunt. His & Hilarius jungitur, ceteris vel ignorantibus, vel non credentibus fraudem.* Sigonius. De hoc Concilio lege Socratem II. 29. Theodorit. II. 15. 16. Sozom. IV. 8. 9. 10.

(472) Sic mox ait: *Hilarius Pictavorum Episcopus*. Hic ab Hieronymo, & aliis dicitur: *Vercellensis Episcopus*. Meminit Hier. Epist. LXX. quæ adversùs Vigilantium: *Vercellensis Eusebius omnium Psalmorum Commentarios hæretici hominis* (Origenem intelligit) *vertit in nostrum eloquium: licèt hæretica prætermittens, optima quæque transtulerit*. Drus. Socrates: Εὐσέβιος δὲ βρεκέλλων· πόλις δὲ αὕτη τῆς ἐν Ἰταλίᾳ λιγύων. XI. 29. *Theodoret.* Εὐσέβιος ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. II. 15. *Sozomenus:* ὁ βαρκέλλων τῆς λιγυρίας 4. 8.

Ut mox: *Dionysius Mediolanensium Sacerdos*, & *Hilarius Pictavorum Episcopus*. Potuit autem & *Episcopum Vercellensem* dicere.

(473) Ita legendum videtur; non à *Carnalis* vel à *Caranalis*, ut Coloniensis aliæque editiones habent. Vulgo *Lucifer Caralitanus* dicitur: cujus & opuscula aliquot supersunt.

(474) Nondum baptizatus. Nam catechumeni dicebantur, donec baptizati essent.

(475) Μυστήριον. Sic Vetus Interpres vocem hanc reddit. Et hoc ambitu omnia religionis capita maximè graviora comprehendit. Strictius ea voce Augustinus utitur Epist. V. cum dicit: *Omne Sacrum signum est Sacramentum*. Sulpicius autem morem antiquum respicit. Nam baptismum suscepturus, juramento se Christo obligabat. Hieronymus ad Heliodorum: *Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti*. Tertullian. I. ad Martyr. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cum in Sacramenti verba respondimus*.

videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesiâ epistolam, populus aversatur. Dionysius, quia non esset adsensus, urbe pellitur: statimque ejus in locum Episcopus subrogatur. (476) Liberius quoque urbis Romæ, & Hilarius Pictavorum Episcopus, dantus exilio. (477) Rhodanium quoque, & Dosanum (478) Antistitem (qui naturâ lenior, non tam suis viribus, quàm Hilarii societate non cesserat) (479) Arrianis eadem conditio implicuit: cùm tamen homines (480) parati essent Athanasium à communione suspendere, (481) modò, ut de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Arrianis optimum visum, præstantissimos viros à certamine submovere. Ita pulsi in exilium, quos supra memoravimus, abhinc annos quinque & quadraginta, Arbitione & Lolliano Consulibus. Sed Liberius paulò post urbi redditur, ob seditiones Romanas. Ceterùm exules satis constat totius orbis studiis celebratos, (482) pecuniasque eis in sumtum adfatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ ex omnibus ferè Provinciis frequentatos.

CON-

Christiani diu catechumeni erant, antequam baptismo inscerentur. Catechumenum vocabant, qui primus Fidei rudimentis imbuebatur. Unde dixit S. Augustinus libro VIII. Confessionum: *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se lætitia perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum Sacramentis, non multo post nomen dedit, ut per baptismum regeneretur.* Neque enim solum Constantius, qui post morti vicinus ab Euzojo Episcopo Arriano in nomine Patris per Filium tinctus est, sed etiam Theodosius major, & Valentinianus minor Imperatores, præterea S. Ambrosius, & S. Martinus Episcopi sero admodum baptizati sunt nomine in Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Igitur lectam in Ecclesia epistolam populus aversatur.) Et hoc apud solum Sulpicium scriptum reperitur.

Dionysius, quia non esset assensus, urbe pellitur, statimque ejus in locum Episcopus subrogatur.) Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes: *Auxentium delatorem potius, quàm Christianum Constantius è Cappadocia Mediolanum misit, & expulso inde ob suam in Christum pietatem Dionysio, eum ibi Episcopum constituit, hominem ne Romana quidem lingua, sed tantummodo hæreseos peritum.* Hujus meminit sæpe S. Ambrosius in Orationibus ad Valentinianum. Idem tradunt à Socrate, Sozomeno, Theodorito, S. Hieronymo in Chronicis. Apud Sulpicium, suspicor deesse nomen *Auxentii*, ut sit, *statimque in ejus locum Auxentius Episcopus subrogatur.* Ab hoc inde Arriana labe infecta Liguria est.

Liberius quoque Urbis Romæ, & Hilarius Pictavorum Episcopus dantur exilio.) Liberius aberat à Concilio Mediolanensi. Quare ceteris in exilium pulsis Constantius Liberium quoque evocavit, & venire recusantem vi adduci præcepit; quo nihil fieri potuit indignius; atque inde constantiam retinentem, & subscribere recusantem in exilium egit: auctor Socrates, Sozomenus, Theodoritus, qui etiam longum dialogum cum Constantio de Fide habitum adjicit. Hilarius autem, qui ante Biterrensi Concilio factione Saturnini damnatus fuerat, inde hoc Concilio in Phrygiam relegatus est; sic enim ipse loquitus in Apologia contra Auxentium: *Cùm decorem fingi, Fidem negari, Deum atque homines illudi, jubeor de Mediolano proficisci, cum consistendi mihi in ea invito Rege nulla esset libertas, quia damnatum quondam à Saturnino audiri, ut Episcopum, non oporteret.* Et in alia Apologia: *Ego gravissimum Fidei periculum longe antea providens post sanctorum virorum exilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii quinto ab hinc anno à Saturnini, Valentis, & Ursacii communione me cum Gallicanis Episcopis separavi.* Eundem in Phrygiam relegatum scribit una cum Sulpicio S. Hieronymus.

Rhodanium quoque, & Dosanum antistites.) Rhodanii Episcopi cum ceteris, qui supra nominati sunt, pulsi meminit Rufinus libro primo, & S. Hieronymus in Chronico: *Dosanum*, quod legerim, nemo prodidit. Quare suspicor legendum esse Hosium; hunc enim Athanasius inter ceteros pulsum nominavit; qui falli non potuit, ut supra diximus. Adde, quod ei conveniunt illa verba: *Qui natura lenior non tam viribus suis, quàm Hilarii societate, non cessit*; nam qui Concilio Mediolanensi propter lenitatem naturæ labavit, is paulò post Ariminensi corruit. Cordubensis hic Episcopus fuit, qui præclare se Concilio Niceno, & Sardicensi pro Catholicis gessit.

Ita pulsi in exilium, quos supra memoravimus, ab hinc annos quinque & quadraginta, Arbetione, & Lolliano Coss.) His Coss. conventus Mediolanensis est actus, teste Socrate, anno CCCLV. à quo usque ad Stiliconem Consulem anni sunt XLV. is enim anno CD. Consul fuit.

Sed Liberius paulò post urbi redditur ob seditiones Romanas.) Sequenti anno Constantium, cùm Mediolano Romam venisset, Matronæ Romanæ a viris suis impulsæ rogarunt, ut sibi Liberium Pontificem redderet, quòd Felix, qui suffectus ei fuerat, non placeret; itaque biennio post Liberius rediit, Felice sede à populo deturbato. Socrates, Sozomenus, Theodoritus.

Ceterum exules satis constat totius orbis studiis celebratos.) Athanasius ad solitarios: *Episcopi pulsi pergentes ex urbe in urbem, licet in vinculis essent, evangelizabant; piam quidem Fidem prædicantes, Arrianam vero hæresim anathemate damnantes, & perfidiam Ursatii, ac Valentis infamia notantes; resque illa insidiatoribus planè in contrarium abiit; quanto enim longius in exilium ibant, tanto majus odium adversus insidiatorum concitabant; iterque peregrinorum eorum prædicatio erat contra Arrianam hæresim; quis enim eos in itinere conspectos non ut confessores admiratus est, & illos non ut impios cum abominatione, vel potius, ut carnifices, & homicidas aversatus est?* Eusebius Episcopus Vercellensis caven consulsus Scythopolim missus dicitus in vita ejus, atque ibi ab Ariomanitis studiosissimè cruciatus; unde scripsit epistolam ad Patrophylum, quæ extat, miserias narrans suas. Atque hæc quidem ad Mediolanense Concilium pertinent.

(476) Sigonius suspicatur deesse nomen *Auxentii*, & legendum esse: *In ejus locum Auxentius Episcopus subrogatur*. Et sanè in locum Dionysii subrogatum esse Auxentium Arrianum, ex historia notum est.

(477) Ut *dare morti*, *dare neci*, *dare internecioni*, *dare letho*, *dare captivitati*; quibus phrasibus noster sæpe utitur.

(478) Sigonius suspicatur legendum esse *Hosium*. Quod & verisimile est. Hosium enim, Cordubensem Episcopum, inter eos fuisse, qui in exilium tum pulsi fuerunt, ex Athanasio & ejus ætatis Historicis sciri potest. Deinde, quod hic additur, naturâ leniorem fuisse, & non tam suis viribus, quam Hilarii societate non cessisse Arrianis, id Hosio ferè congruit. Paulò post: *Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam concessisse opinio fuit.*

(479) Conjungenda sunt his proximè sequens vox *Arrianis*; tumque comma ponendum, quo eadem vox a sequentibus separatur: ut rectè suspicatus est, ac Drusium monuit, Theod. Canterus. Parenthesi autem nihil opus hîc est.

(480) Pro *homines* legendum videtur *omnes*. Etiam de Dionysio, Episcopo Mediolanensi, supra scriptum est, illum subscripsisse in damnationem Athanasii se consentire, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur.

(481) Phrasis Ecclesiastica. Talis dicebatur τῆς κοινωνίας ἐκκλησιαστικῆς ἀλλότριος. Sic de Athanasio loquitur Constantius apud Theodoritum. II. 16.

(482) Athanasius ad Solitarios: *Episcopi pulsi pergentes ex urbe in urbem, licet in vinculis essent, evangelizabant: piam quidem fidem prædicantes, Arrianam vero hæresim anathemate damnantes, & perfidiam Ursatii, ac Valentis infamia notantes, resque illa insidiatoribus planè in contrarium abiit. Quanto enim longius in exilium ibant, tanto majus odium adversus insidiatores concitabant, iterque Sanctorum eos ussi prædicatio erat contra Arrianam hæresim. Quis enim eos in itinere conspectos non ut confessores admiratus est, & illos non ut impios cum abominatione, vel potius, ut carnifices, & homicidas, aversatus est?*

CONCILIUM ARIMINENSE ARRIANUM.

Interea Arriani non occultè, ut antea, sed palam ac publicè hæresis piacula prædicabant: (g) quia etiam Synodum Nicænam pro se interpretantes, quam unius literæ adjectione corruperant, caliginem quandam injecerant veritati. Nam ubi ὁμοούσιον erat scriptum, quod unius est substantiæ: (483) illi ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant: concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem: quia multum ab unitate similitudo distaret, ut, verbi gratia, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem. (484) Sed quidam ex his ultra processerant, Anomœusiam, idest, dissimilem substantiam (485) confirmantes. Eoque his certaminibus processum, ut istiusmodi piaculis (486) orbis terrarum implicaretur. Nam Italiam, Illyricum, atque Orientem Valens & Ursatius, ceterique, quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias nostras Saturninus Arelatensium Episcopus, homo impotens & factiosus (487) premebat. Osium quoque ab Hispania in eandem perfidiam concessisse, opinio fuit: quod eo mirum atque incredibile videtur, (488) quia omni ferè ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, (489) & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur:

nisi

(g) Jam transit ad exponenda duo Concilia à Constantio indicta, unum Arimini in Italia, alterum Seleuciæ in Asia, quæ propterea habita sunt, quia Arriani, Principibus Catholicorum in exilium actis, palam, ac publice Filium non *consubstantialem Patri* prædicabant, verum in hoc fraudem adhibebant; nam primum simulantes se consentire cum Concilio Nicæno, quod usum erat hac voce homousion, idest, consubstantialem, vel unius substantiæ, illi uno jota addito homojusion scriptum fuisse dicebant, idest, similis substantiæ, & quanquam vere similitudinem non concedebant, tamen præstare putabant, eam concedere, ut unitatem tollerent; deinde audacia provecti anomojusion etiam, idest, dissimilitudinem substantiæ Patris, & Filii intulerunt. Narrat etiam Sozomenus lib. III. cap. XVII. Constantium ab Arrianis deceptum, cùm dicerent, idem esse homousion, & homojusion; sed illud dici in corporibus, hoc in rebus corpore vacantibus.

Concedentes similitudinem dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate similitudo distaret; ut verbi gratia pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem.) Vox veritatem ferri potest, sed mihi loco apta non videtur, ac pro ea *unitatem* rectiue reponi posse censerem. Similitudo inquit, distat ab unitate, quia similitudo duo corpora ponit, unitas unum; veluti pictura hominis habet similitudinem, quia duo corpora sunt, quorum unum, idest, pictum est simile alteri, idest, naturali; quanquam autem pictura hominis, & homo habent inter se similitudinem, non tamen habent substantiæ unitatem, ut sint unus homo. Hac de re cùm loqueretur Epiphanius libro tertio, sic dixit: *Exprimunt & plastæ statuas, & assimilant imagines ex aliqua materia; at per colores & similitudinem habent, nihil autem juxta æqualitatem expressorum*; æqualitatem dixit, non veritatem.

Eoque his certaminibus processerunt, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur.) Arriani, inquit, hac fraude inventa totum orbem Christianorum depravarunt. Nam Italiam corrupit Auxentius Dionysii Mediolani successor datus; Illyricum, idest, Pannoniam, Dalmatiam, & Græciam Valens & Ursatius; Orientem, idest Asiam, Syriam, Ægyptum reliqui socii eorum, quos supra nominavit; Gallias Saturninus Arelatensis Episcopus; Hispanias Hosius, cùm propter ætatis infirmitatem a Catholicis defecisset, domumque se recepisset.

Hosium quoque ab Hispania in eandem perfidiam concessisse opinio fuit.) Quæ de Hosio feruntur, hæc ferme sunt. Concilium Nicænum prope auctoritate sua confecit. Sardicensi quoque egregiam operam præstitit. Sirmiensi vi adesse coactus Arrianæ formulæ verberibus compulsus subscripsit. Mediolanensi ab Hilario confirmatus non cessit; inde ætate vacillante ad partes Arrianas concessit, & similitudinem substantiæ in Hispania docuit. Hæc ex Eusebio, Socrate & Sozomeno, & ex hoc loco Sulpicii.

Nisi

(483) *Substantiam* pro essentiâ dixit. Alii quòd tres divinitatis substantias dicere, aliter vocem acceperunt.

(484) Ita omnino legendum, non, ut quidam volunt, *hominis unitatem*. Pictura non habet hominis veritatem, idest, non est verus homo. Ceterùm comparatio ista nihil est, & ne mentem quidem Arrianorum satis exprimit. Voluerunt illi, Christum non esse unius ejusdemque substantiæ, seu essentiæ cum Patre; sed esse similis modo substantiæ. At pictura hominis neque ejusdem substantiæ cum homine, neque similis substantiæ est. Similis quidem pictura hominis est homini: sed non est similis substantiæ, seu essentiæ. Potiùs illa cum picturâ comparatio ad opinionem pertinet eorum, qui ἀνομοιουσίαν, idest dissimilem substantiam, Patris & Filii statuerunt. De quibus noster mox subjicit: *Sed quidam ex his ultra processerant, Anomœusiam, idest, dissimilem substantiam, confirmantes.*

(485) Ἀνομοιουσίαν; unde ἀνομοιούσιος, dissimilis substantiæ. Quod fortassis reponendum in Chronico Hieron. ad annum Christi CCCLXVII. ubi vulgò: *in qua omousion in omusion, eoque rejecto medio, inter hæc omousion Macedonianum dogma vindicaverunt.* Editio nupera Scaligeri: *in qua homoousio anomœusioque rejecto, medium inter hæc Homœousion, &c.* Quod ut non improbo, ita suspicor Hieron. potius scripsisse: *in qua homousio anomœousioque rejecto.* Nam primum hoc propius accedit ad Scripturam vulgatam. deinde anomoeon non ita exprimit dissimilitudinem substantiæ. Vide & Baronium Appendice ad Tomum IV. Annal. de eodem Hieronymi loco, contra Frontonem Ducæum disserentem. Hujus blasphemiæ auctor fuit Aetius, qui Patrem & Filium ἀνομοίους dicebat. Ejus discipulus Eunomius fuit. Vide Socratem II. 28. Theodoret. II. 27. et.29. Sozom. IV. 12. Epiphanium in Ἀνομοίοις. Ita hæresis ex hæresi nata; & Ariani, qui Filium Dei creaturam dicebant, Semiariani, qui ὁμοιούσιον, Aëtiani, qui non modo ἑτερούσιον, sed & ἀνόμοιον dicebant, orbem Christianum infestabant. De hac hæresi fusè scripsit Philostorgius, & ipse Eunomianus, Aetii, & Eunomii perpetuus admirator, qui fallere & mentiri susque deque habet, dummodo causæ suæ inserviat. Accessit & quarta Acacii Cæsariensis hæresis, qui ὁμοουσίῳ, ὁμοιουσίῳ, ἑτερουσίῳ ac ἀνομοίῳ juxta damnatis, ὅμοιον asseruit. De quo Scriptores Seleuciensis Concilii.

(486) Ita hæresin Arrianam vocat. Paulò ante quoque *hæresis piacula* dixit.

(487) Paulò post: *Vir sanè pessimus, & ingenio malo pravoque.* Quod ex Sallustio expressum. Qui de Catilina dicit: *Ingenio malo pravoque.* Ceterùm *Arelate* urbs Galliæ Narbonensis nomen lingua Britonum antiquâ habet a paludibus, sicut *Toulon* a promontorio citharæ formam referente. Una enim antiqua Gallorum & Britannorum lingua, Cæsare teste.

(488) Non tantùm Severus noster, sed etiam Phœbadius atque Photius de hoc Magni Hosii lapsu, & subscriptione dubitarunt.

(489) Vix ullus Episcoporum in tanta apud antiquos admiratione ob ὀρθοδοξίαν, quam Hosius. Unde & μεγάλου titulum reportavit, & passim ingentibus laudibus effertur: Ποίας γὰρ οὐχ ἡγήσατο συνόδου καὶ λέγων ὀρθῶς, οὐ πάντας ἔπεισε, ποία ἐκκλησία τῆς τούτου προστασίας οὐκ ἔχει μνημόσυνα τὰ κάλλιστα. *Theodoret.* II. 15.

nisi fatiscente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in epistolis refert) deliraverit.

Quibus rebus perturbato orbe terrarum, & morbo quodam Ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minus gravis cura principem exercebat: quòd licèt Arriani, quibus favebat, superiores viderentur, necdum tamen de fide inter Episcopos conveniret. (490) Igitur apud Ariminum, (491) urbem Italiæ, Synodum congregari jubet: idque Tauro Præfecto imperat, (492) ut collectos in unum non ante dimitteret, quàm in unam fidem consentirent: promisso eidem Consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque magistris officialibus, acciti aut coacti (493) quadringenti, & aliquanto amplius Occidentales Episcopi, Ariminum convenere: quibus omnibus annonas & cellaria dare (494) Imperator præceperat, sed id nostris, idest, Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum (495) repudiatis fiscalibus, (496) propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm

Nisi fatiscente (ævo etenim major centenario fuit ut S. Hilarius in epistolis refert) deliraverit.) *Fatiscente ævo* dicit, pro deficiente: ut Tacitus lib XIV. *Exercitus per inopiam, & labores fatiscebant carne pecudum propulsare famem coacti.* Locus Hilarii, ubi dixerit; *centenarium tum majorem fuisse Hosium*, non invenitur; ac verò contra Constantium *Hosii deliramenta* vocavit, ut vere videatur non bene de illo existimasse. Itaque suspicor verba illa glossema esse; nunquam enim alias nominavit aliquem nomine Sancti, ut *S. Hilarius*, & alibi Hilarium tantum dixit.

Quibus rebus perturbato orbe terrarum.) De eodem sic Isidorus in libro de viris illustribus: *Hosius post longum terminum vetustatis, idest, post centesimum primum annum in ipso jam limine vitæ à Fidei limitibus subruens serpentis jaculo concidit. Nam accersitus à Constantio Principe, minisque perterritus, metuens, ne senex & dives damna rerum, vel exilium pateretur, illico Arrianæ impietati consensit, & vocabulum homousion, quod simul cum Patribus Sanctis Ecclesiis sequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit, cujus quidem vitam, ut meruit, exitus crudelis finivit.* Porro autem de excessu etiam ejus memorabili placet efferre, quæ idem scripserit ex Marcellino Presbytero: *Post impiam*, inquit, *Hosii prævaricationem dum S. Gregorius Illiberitanus Episcopus in Cordubensem urbem juxta Imperiale decretum fuisset adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Hosius dixit Clementino Constantii Principis vicario, ut mitteret eum in exilium. At ille, non audeo, inquit, Episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab Episcopatu dejeceris. Ut autem vidit S. Gregorius, quod Hosius vellet ferre sententiam, appellat Christum totis Fidei suæ visceribus exclamans ita: Christe Deus, qui venturus es judicare vivos & mortuos, ne patiaris hodie, humanam proferri sententiam adversùs me minimum servum tuum, qui pro Fide nominis tui, ut reus assistens spectaculum factus sum, sed tu ipse quæso in causa tua hodie judica, ipse sententiam proferre digneris per ultionem, non ego quasi metuens exilium fugere cupio, cùm mihi pro tuo nomine nullum supplicium grave sit, sed ut multi prævaricationis errore liberentur, cùm præsentem viderint ultionem. Hæc de his ecce repente Hosius residens factus, quasi regales Imperii sententiam conaretur exprimere, os vertit distorquens pariter & cervicem, & de sessu in terram eliditur, atque illico expiravit. Tunc admirantibus cunctis etiam Clementinus ille gentilis expavit, & licet esset judex, tamen timuit, ne in se simile supplicium judicaretur, prostravit se ad pedes sancti viri, obsecrans, ut sibi parceret qui in eum divina Legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio quàm mandato imperio; unde est quod solum Gregorius vindicantium integram Fidem nec in fugam versus est, nec passus est exilium; unusquisque enim timuit de illo ulterius judicare.* His de causis Constantius, cùm videret non solum Arrianos a Catholicis dissentire, quod Catholici unitatem, Arriani similitudinem prædicarent, sed etiam Arrianos inter se discrepare, quod alii similitudinem, alii dissimilitudinem affirmarent, enimo anxius novum Concilium indixit, unum Ariminum Occidentalibus, alterum Seleuciam Orientalibus. Concilium Ariminense prodidit Rufinus, Socrates, Sozomenus, Theodoritus, S. Hieronymus contra Luciferianos, verum Sulpicius multa, quæ apud illos non leguntur, adjecit.

Igitur apud Ariminum urbem Italiæ Synodum congregari jubet, idque Tauro Præfecto imperat.) Acta Concilii Ariminensis agnoscuntur, in quibus narrandis multa ab aliis prætermissa prodit. Taurum autem Præfectum Prætorii Italiæ intelligit; erant autem in Occidentali Imperio duo Præfecti Prætorio, unus Italiæ, alter Galliarum appellatus, quibus reliqui Magistratus parebant. Tauri Præfecti Prætorio per Italiam meminit Marcellinus lib. XXI. Eum verò S. Hieronymus etiam Ariminensi præfuisse Concilio adjicit. Valens Mursensis Episcopus, qui nam formulam conscripserat præsente Tauro Prætorii Præfecto, qui jussu Regis Synodo aderat, professus est, se Arrianum non esse. Hæc acta anno CCCLIX.

Promisso eidem Consulatu, si rem effectui tradidisset.) Verisimile id videtur, siquidem Taurus biennio post eum eloreutiu Consul fuit.

Itaque missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque magistris officialibus acciti, aut coacti quadringenti, & amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere.) Provinciæ, quas nominat, Occidentalis Imperii fuerunt. Magistri officiales sunt, qui magistri officiorum appellantur, de quibus in libro qui dicitur Notitia utriusque Imperii. Marcellinus in historia, & post sæpe Sulpicius *Nostros*, significat Arrianos, Catholicos.

Quibus omnibus annonas, & cellaria dare Imperator præceperat.) Mallim *dari*, ne subaudias, *Tauro*; annonæ, & cellaria idem sunt, atque quod Romani dicebant, *loca lautia*; cellaria enim pro hospitiis, sive cellis hospitalibus accipio.

Sed id nostris, idest, Aquitanis, Gallis & Britannis, indecens visum, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt.) Ausim affirmare, illa verba (*idest, Aquitanis, Gallis, & Britannis*) esse glossema imperiti alicujus, quod ex margine in textum irrepserit. Nam Sulpicius ferme cùm dicit *Nostros*, Catholicos intelligit, non Gallos, & si *Nostri* pro Gallis essent accipiendi, cur Britannos nominaret? jam vero cùm Galliarum provinciæ tum essent septemdecim, atque Aquitaniæ duæ inter eas numerentur, ridiculum videtur, Aquitanos a Gallis distinguere, quasi vero Aquitani non sint Galli. Addo etiam Sulpicium in hoc modò illam Catholicorum laudare velle, non Gallorum. Jussit ergo Constantius, dari omnibus annonas, idest, Catholicis & Arrianis, sed nostri, idest Catholici, repudiatis fiscalibus, proprio vivere maluerunt, præter tres tantum Episcopos ex Britannia.

Tres

(490) Mira hæc Constantii imbecillitas fuit, qui dum favet Arrianis factiosis violentisque, alteram partem, in speciem infirmiorem, vi minisque ad suppressurum parabat. Hinc tot in eum exsecrationes Eusebii Vercellensis, Hilarii, Hosii, Athanasii. Quorum hic eum cum Saule, Achabo, Pharaone, Pilato, Antichristo, comparat. *Epistola ad Solit.* Et ut aliqua juris specie agere videretur, crebras Synodos celebravit, propter quas eum etiam Paganus Marcellinus irridet: *Christianam religionem absolutam, & simplicem, anili superstitione confundens; in qua scrutanda perplexius, quàm componenda gravius, excitavit dissidia plurima; quæ progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis Antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ succideret nervos.* Petav.

(491) Pro *Ariminum* scribit rursus pro solemni suo.

(492) Tauri Præfecti Prætorio per Italiam, meminit Marcellinus XXI. Qui & Ariminensi Concilio præfuit. *Hieron.* Hæc acta A. CCCLX.

(493) Sigonius conjecit legendum esse *acciti, aut coacti*; ut prius ad Arrianos, posterius ad Catholicos referatur. Illud *numeratiivè*, quod alibi legitur, nihil est.

(494) Sigonius legendum putat *dari*. Qui idem per annonam τὰ ἐδώδιμα seu esculenta; per cellaria autem potulenta, intelligenda esse credit.

(495) Rectè conjicit Sigonius, verba illa: *idest, Aquitanis, Gallis, & Britannis*, glossema esse, atque ex margine irrepsisse in textum. Vocabulo *nostri* notet ad religionem elludere, & Catholicos designare solet. Ut supra pag. 164. *A nostris tum apud Arelatem, ac Biterras Episcoporum Concilia facta.* Et infra: *Ecclesiam nostri obtinent.*

(496) Idest, ex Fisco, & Publico, sumendis. Mox: *Tres tantum publico usi sunt.* Ita Dial. II. cap. III. *Rheda fiscalis.*

tùm ex Britannia, inopiâ proprii publico usi sunt, cùm oblatam à ceteris collationem respuissent: sanctius putantes fiscum gravare, quàm singulos. Hoc ego Gavidium Episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi; sed longè aliter senserim: laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potiùs quàm à fisco sumerent, ubi neminem gravabant, ita in utriusque egregium exemplum. (497) De reliquis nihil memoria dignum traditur. Sed redeo ad ordinem. Posteaquam omnes, ut supra dictum, in unum collecti sunt, fit partium secessio. Ecclesiam nostri obtinent, (498) Arriani tam Edensum de industriâ vacantem, orationis loco capiunt, (499) sed hi non ampliùs quàm octuginta. (500) Reliqui nostrarum partium erant. Igitur frequentibus Conciliis nihil actum, nostris in fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus. Ad postremum placuit, decem Legatos mitti ad Imperatorem, ut quæ esset partium fides & sententia cognosceret, sciretque pacem cum hæreticis esse non posse. Idem Arriani faciunt, mittuntque numero pari Legatos, qui adversùm nostros coram Imperatore confligerent, sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes parum docti, & parum cauti: ab Arrianis autem missi, senes, callidi, & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facilè superiores (501) exstiterunt. Sed nostris mandatum, ne quo modo cum Arrianis communionem inirent, omniaque integra Synodo reservarent.

CONCILIUM SELEUCIENSE CATHOLICUM CONTRA ARRIANOS.

Interim in Oriente exemplo Occidentalium, Imp. jubet cunctos ferè Episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari. (*b*) Qua tempestate Hilarius quartum jam exilii annum in

Tres tantum ex Britannia inopia proprii publico usi sunt, cùm oblatam à ceteris collationem respuissent, sanctius putantes, fiscum gravare, quàm singulos.) Tres tantum Episcopi è Britannia fuerunt adeo inopes, ut de suo se alere non possent, adeo modesti, ut ab aliis Episcopis non admodum fortassis abundantibus, sed tamen offerentibus, quæ necessaria sibi erant, accipere noluerint, sed a fisco potius ceperint, *collationem* vocet, quam Græci & Latini quoque Symbolam

Hoc ego Gavidium Episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi.) *Nostrum* intellige aut emicum, aut ejusdem provinciæ, earumdem partium. Quærit autem, num rectè illi fecerint, cùm a fisco, quam ab Episcopis, capere maluerint? ac primò ponit Gavidii sententiam, qui illorum factum increpuit, judicans æquius esse Episcopum ab Episcopo, quam ab Imperatore accipere, deinde suam sententiam adjicit, atque eis contra duplicem laudem tribuit, unam paupertatis, alteram modestiæ, quòd gravare fiscum, quàm privatos maluerint. Unde ego, quæ sequuntur, *Ita in utriusque egregium exemplum*, lego, *vita in utriusque egregium exemplum*, ut utramque vitam intellexerit, paupertatem in habendo, & modestiam in capiendo.

De reliquis nihil memoria dignum traditur.) Reliquos puto intelligi Arrianos, qui nullum virtutis exemplum ediderint, qualia Catholici, nam aut nihil ab Imperatore sumpserunt, aut ubi coacti sunt, fiscum, quàm Episcopos gravare maluerunt. Quod si hanc rem ad Gallos retulisset, id esset cum ceterorum Catholicorum ignominia, quorum laudi servire, res admonet. Quod si ita, ut ego sentio, legas, omnia in laudem Catholicorum recidunt, & probrum Arrianorum.

Sed redeo ad ordinem. Posteaquam omnes, ut supra dictum, in unum collecti sunt, fit partium secessio.) Redit ad acta Concilii Ariminensis explicanda. Ubi convenerunt, Episcopi, inquit, extemplo in duas partes secesserunt. Catholici Ecclesiam Christianorum occuparunt. Arriani ædem gentilium tum de industria vacantem. Verum cùm essent quadringenti, octoginta tantum erant Arriani; reliqui, idest, CCCXX. erant nostrarum partium, nempe Catholici.

Igitur frequentibus Conciliis nihil actum, nostris in Fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus.) Concilia vocat conventus, quibus inter se disceptabant in unum locum convocati. Ac Catholici quidem, homousion tuebantur, neque ab eo dimoveri poterant, Arriani vero homojusion, sic enim intelligendum est ex præcedentibus.

Ad extremum placuit decem legatos mitti ad Imperatorem.) Hujus legationis totius ordinem exposuit Athanasius, à quo sumpsere historici. Misere Catholici legatos decem ad Constantium Constantinopolim, atque expositâ controversiâ petierunt, ut sibi tandem paupertate laborantibus reditum ad Ecclesias daret. Arriani item decem alios miserunt: qui anteverso itinere ante ad eum, quem Catholici, pervenerunt, & Catholicos insimularunt, quòd formulam Fidei a se propositam, & ab illo Sirmii confirmatam repudiassent. Quibus verbis ille incensus Catholicos accedentes audire noluit. Socrates & ceteri. At Sulpicius hanc formulam post legatos auditos propositam ait.

Sed nostris mandatum, ne quo modo cum Arrianis communionem inirent.) Idest, ne legati horum cum legatis illorum congrederentur, & omnia integra Concilio reservarent, quod non fecerunt.

(*b*) Interserit nunc acta Concilii Seleuciensis, quod eodem tempore ab Orientalibus Episcopis actum est Seleuciæ in Isauria, quo alterum Arimini ab Occidentalibus in Italia; auctor Socrates & ceteri.

Qua tempestate Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens inter reliquos Episcopos per Vicarium, ac Præsidem data evectionis copia adesse compellitur.) Ex Notitia Imperii Orientalis apparet, Phrygias duas fuisse Pacatianam & Salutarem, atque eas duos, quos nominat, Magistratus, Vicarium & Præsidem habuisse. Quid verò sit evectionis copia, declaratur ex Codicis libro XII. de cursu publico: *Evectionum copiam, cùm proficiscendi ad nos necessitas fuerit, serenitas nostra largita est.* Ergo Vicarius, & Præses Phrygiæ data evectionis copia, idest, tuti itineris fide, Hilarium quoque in Phrygia exulantem adesse compulerunt, licèt speciale de illo evocando mandatum ab Imperatore non haberent.

Ju-

(497) Legendum videtur: *Ita in utrisque egregium exemplum*. Dicit Episcopos, qui nihil proprium habuerunt, unde vivere possent, & ex Fisco sumere maluerunt, quàm ab aliis, in utroque egregium fuisse exemplum; quod scilicet alii imitentur. *In utrisque* dicit pro *in utroque*, idest, in utraque re. Ita Nepos *utrique Dionysii* pro *uterque Dionysius*; & *utrosque profligavit* pro *utrumque*. Vide & Indices in Florum, & in Nepotem.

(498) Frequentissimè Ecclesiam Sulpicius, sæculi sui more, pro Templo ponit. Exempla passim in opusculis ejus obvia. Augustin. Quæst. super Levit. lib. III. quæst. LVII. *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Et hoc quotidianum loquendi usus obtinuit, ut ad Ecclesiam prodire, & ad Ecclesiam confugere nihil aliud, nisi quod ad locum ipsum parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.*

(499) Templum rursus *Ecclesiam* vocat pro more ejus sæculi. Pro *tam Edentum* legendum videtur *ædem tum*; ut ferè & Sigonio visum. Porrò *orationis loco* pro *in locum orationis*. Nimirum Arriani tunc temporis seperatim orare soliti sunt, cùm antea conjunctim id factum fuisset cum aliis.

(500) Athanasius quinquaginta vel plures. *De Synodis*. Idem ait, ducentos partis Catholicæ Ariminum concessisse. *Ad Africanos*.

(501) Præcipui fuerunt Valens, & Ursacius, non quidem ex numero decem Legatorum, sed eos antegressi. Nam cùm ob Sirmiensem formulam hæreticam, quo ab ea desistere nollent, abdicati ab Orthodoxis essent, propere ad Regem contendunt, ejusque animum falsis criminationibus & suspicionibus occupant. *Sozomen.* IV. 16. 18. Notum est autem imperatores eo tempore à Græcis etiam βασιλεῖς dictos. Quod nomen tum in Occidente, antiquato jam priscorum Romanorum edicto, *ne quem Regem paterentur*, invaluit.

in Phrygia agens, (502) inter reliquos Episcopos per Vicarium ac Præsidem (503) datâ evectionis copiâ (504) adesse compellitur; cùm tameo nihil de eo specialiter mandasset Imperator, judices tantùm generalem jussionem secuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere, ut ego conjicio, Dei nutu ita gestum, ut vir divinarum rerum instructissimus, cùm de fide disceptandom erat, interesset. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos & studia converterat, ac primùm quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides: quia tum Arrianis prava de nobis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebamur, trionymam solitarii Dei unionem secundùm Sabellium credidisse, (505) sed exposita fide sua, juxta ea quæ Nicææ erant à patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis (506) omnium animis, intra conscientiam communionis, nec non etiam in societatem receptus, (507) Concilioque ascitus est. Agi deinde cœptum: repertique pravæ hæresis auctores, atque ab Ecclesiæ corpore avulsi. In eo numero fuere, Georgius ab Alexandria, Acacius, Eudoxius, Uranius, (508) Leontius, (509) Theodosius, Evagrius, Theodolus. Sed confecta Synodo, decreta ad Imperatorem legatio (510) quæ gesta insinuaret; (511) damnati quoque ad Regem profecti, (512) satis freti sociorum viribus, & Principis societate. (513)

REDIT

Judices tantùm generalem jussionem sequuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter ceteros volentes miscuere.) Ego malim *volentem*, ut sit judices vi generalis mandati, quo omnes Episcopos agere, idest, advocare ad Concilium jubebantur, Hilarium quoque inter ceteros, quia solebat, miscuere; quasi sero si abnuisset, vim facturi non fuerint.

Ut ego conjicio, Dei nutu ita gestum, ut vir.) Illa verba, *ut ego conjicio*, alii ad superiora retulerant; ego ad sequentia malim, ut conjecturam suam afferat de Dei consilio.

Is ubi Seleuciam venit.) Hilarius in Concilium Seleuciense, ab Orientalibus magno favore exceptus, duo hæc salutaria obivit; unum, quòd testimonium Occidentalibus Fidei rectæ perhibuit; alterum, quòd in refellendis Arrianis socium se acrem exhibuit. Quod ad primum attinet, cùm suspectæ Fidei haberetur, quod cum Sabellio sentire perinde, ac ceteri Occidentales, putaretur, rogatus est, ut fidem suam proderet, ille convenientem Nicenæ formulæ prodidit.

Arrianis prava de nobis vulgantibus, trionymam solitarii Dei unionem secundùm Sabellium credidisse.) Supra dictum est, Sabellium credidisse, eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & tantum inter se nominibus diversos fuisse; quare Deum unum, & solitarium extitisse, & trium nominum diversorum unionem effectum esse. (Unde S. Hieronymus contra Luciferianos: *In tribus vocabulis trinominem esse credens Deum in Sabellii hæresim incurrit.*) Qui verò restiti Areio, de eo facile suspicari licet, quin faveat Sabellio, nam inter se adversantur.

Ita absolutis omnium animis.) Ita liberati Orientales ea suspicione, quam de Hilario conceperant, ne eum Sabellio faceret, primùm in conscientiam communionis, deinde in societatem congressionis admiserunt.

Agi deinde cœptum: repertique pravæ hæresis auctores, atque ab Ecclesiæ corpore avulsi.) Inde Concilium est habitum, atque hæretici patefacti, utque ab Ecclesia separati; nomina verò hæreticorum ferme omnia eadem affert Sozomenus, Uranium appellans Tyri Episcopum, Acacium Cæsarem, Eudoxium Antiochiæ.

Confecta Synodo decreta ad Imperatorem legatio.) Idem Sozomenus, & alii.

(502) Ex Notitia Imperii Orientalis apparet, Phrygias duas fuisse Pacatianam, & Salutarem, atque eas, duos, quos nominat, Magistratus, Vicarium & Præsidem habuisse.

(503) Hos scilicet Magistratûs duæ Phrygiæ, Pacatiana & Salutaris, ubi Hilarius tunc agebat, habuere, ut ex Notitiâ Imperii constare potest.

(504) Idest, datâ cursûs publici copiâ. Nam cursum publicum isto ævo, & *evectionem* dicebant. Savaro ad epist. XX. lib. V. Sidonii Apollinaris notat, evectiones esse ipsas literas, & diplomata, quibus jus & copia cursus publici usurpandi datur. In quam sententiam & Buchnerus in Additionibus ad Fabrum scripsit. Jam non nego quidem, ipsa quoque diplomata & literas, quibus cursus publici usurpandi copia dabatur, *evectiones* dictas fuisse (id enim ea phrasi *evectionem inspicere*, & id genus aliis, quæ lib. XII. Cod. Justinianei, tit. XXIII. & alibi leguntur, facilè adparet) sed propriè tamen ea vox ipsum cursum publicum significat: idque vel ex phrasi *evectiones copiam alicui dare*, intelligi potest. Copia sine dubio est pro præstare, & *copiam dare* pro potestatem dare. Non autem diplomatis copia seu potestas datur, sed rei alicujus, quæ diplomate conceditur. Libri XII. Cod Justinianei Tit. LI. *Evectionum copiam Senatus, cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, Serenitas nostra largita est*. Item: *Judicibus faciendæ evectiones copiam denegamus*. Ubi *facere copiam evectionis* nihil aliud est, quam dare potestatem cursus publici usurpandi.

(505) Sabellius docuit eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut sint in una substantia tres nomenclaturæ. Aut velut in homine corpus est, & anima, & spiritus: in Sole vis illuminans, calefaciens, & ipsa circumferentiæ forma. *Epiphanius* hæres. LXII. Hoc Sulpicius noster vocat: *trionymam solitarii Dei unionem*. Ceterùm hanc hæresin omnibus Orthodoxis Arriani impegerunt. Unde & cum Meletius in Antiocheno Concilio dixisset: τρία τὰ νοούμενα, ὡς ἑνὶ δὲ διαλεγόμεθα, Arriani statim exclamarunt eum τὰ Σαβελλίου φρονεῖν. *Theodorit.* II. 31. Sabellium credidisse, eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & tantum inter se nominibus diversos fuisse. Quare Deum unum, & solitarium extitisse, & trium nominum diversorum unionem effectam esse. Unde S Hieronymus contra Luciferianos: *In tribus vocabulis trinominem esse credens Deum in Sabellii hæresim incurrit*.

Sabellianæ hæresis, & supra mentionem fecit pag 163. scribens: *Marcellum Sabellianæ hæresis adsertorem extitisse*, & *Photinum à Sabellio in unione dissensisse*. Ceterùm trionymam illam solitarii Dei unionem, quam Sabellius credidit, Hieronymus exprimit sic, ut dicat, Sabellium credidisse, in tribus vocabulis trinuminem Deum esse.

(506) Pro *solutis*; compositum ponit pro simplici, ut & lib I. factum.

(507) Supra pag. 161. *Quod Marcellum atque Photinum pravo studio recepisset*. Ibi ergo solo verbo *recipere* usus tantumdem dicit. Et pag. 169. dicit *communionem cum aliquo inire*. Et paulò post: *communioni alicujus unire*.

(508) Tyri Episcopus. Sic eum cum Sulpicio, & aliis Sozomenus vocat. Apud Socratem Οὐρσάκιος dicitur. Sed facilè colligitur locum illum vitiosum esse, legendumque Οὐράνιος. Quia Ursacius Occidentis Episcopus fuit, nomenque ejus Latinum. Contra hic Orientalis, & Græcus, sicut & nomen Οὐράνιος.

(509) Galesinius, *Leontius*. Sed apud Socratem exertim legitur: Λεόντιος, Τριπόλεως τῆς Λυδίας. Ut nihil mutandum sit.

(510) Decem Legati, ut in Ariminensi factum, Constantinopolim missi. *Sozomenus* IV. 22.

(511) Usus ille vocabuli *insinuare* antiquioribus ignotus fuisse videtur.

(512) Acaciani. *Sozomenus*.

(513) Quippe perductis in suam sententiam, qui in Aula plurimum poterant: διὰ τοῦτο πραγματευσάμενοι τὴν παρὰ τοῦ κρατοῦντος εὔνοιαν, rebus suis prospexerant. *Sozomen.*

REDIT AD CONCILIUM ARIMINENSE ARRIANUM.

Interea Legatos Ariminensis Concilii (*i*) ex parte nostrorum compellit Imperator, uniri hæreticorum communioni: (514) eisdemque conscriptam ab improbis fidem (515) tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam, perfidia latente, loqueretur. (516) Namque Usiæ verbum tanquam ambiguum, & temerè à Patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium, fatebatur, (517) sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis. Ita dimissis Legatis, Præfecto mandatum, ut Synodum non ante laxaret, quàm conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur. Ac, si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Sed regressis Legatis, licèt vim regiam deprecantibus negata communio. (518) Enimvero compertis quæ decreta erant, major rerum & consiliorum perturbatio: dein paulatim plerique nostrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis, jam post reditum Legatorum superioribus, & Ecclesiam nostris inde detrusis obtinentibus, factâque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum: donec ad viginti usque nostrorum numerus imminutus est. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant, constantissimusque inter eos habebatur noster Fœgadius, (519) & Servatio Tun-

(*i*) Expleta Concilii Seleuciensis historia, redit ad Ariminense narrandum. Ceterum Socrates, Sozomenus, & ceteri Græci tradunt, Imperatorem noluisse Legatos Catholicos audire, sed in aliud tempus eos rejecisse, bellicas occupationes caussatum; atque ita Ariminense Concilium esse dimissum; ex quo apparet, eos rerum Occidentalium plane rudes fuisse; nam nostri multo plura ad rem conficiendam addiderunt, quæ nunc à Sulpicio afferuntur, quorum unum hoc est, coëgisse eum, ut Legati Catholici Arrianorum legatorum communionem contra mandata inirent, quod quemadmodum factum sit, subjicit.

Eisdemque conscriptam ab improbis Fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam, perfidia latente, loqueretur.) Postquam videre Arriani, Catholicos ab eo deduci non posse, quin unitatem in Patre Filioque assererent, neque substantia similem esse affirmarent, eo descenderunt, ut substantiæ nomen removerent, ac tantùm Filium Patri similem dicerent. Formulam verò partim Catholica, partim hæretica ratione scripserunt, testibus Græcis, qui jam tum Sirmii illam scriptam fuisse tradunt, & S. Hieronymo contra Luciferianos, ea verò fuit hæc: *Sub Rege Constantio, Eusebio & Hypatio Coss. Credimus in unum verum Deum, Patrem omnipotentem, in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est ex Deo, natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri, secundum scripturas, cujus nativitatem nullus novit, nisi qui solus eum genuit Pater.*

Namque Usiæ verbum tanquam ambiguum, & temerè à Patribus usurpatum, neque ex auctoritate scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ filius crederetur.) Declarat vitia superioris formulæ, quæ verbis fallentibus Catholicam disciplinam loquebatur. Primum nomen *substantiæ* sustulerunt, ut quod esset ambiguum, & de rebus corporeis & incorporeis diceretur, & imprudenter à Patribus Nicænis in formula Nicæna usurpatum, & quod in veteribus scripturis non inveniretur; at dolum eorum mens spectabat, nempe ne substantiæ nomine posito, Filius unius cum Patre substantiæ crederetur. Hac de re pluribus Epiphanius lib. tertio contra Semiarrianos.

Eadem Fides similem Patri Filium fatebatur, sed interius aderat fraus, ut esset similis, non esset æqualis.) Remoto substantiæ nomine, relinquebatur tantum, ut Filius Patri similis esset, quod posuerunt, ut posita similitudine tollerent æqualitatem; nam similitudo refertur ad qualitatem, exempli gratia, ut honores similes sint; æqualitas ad substantiam, ut sint ejusdem naturæ.

Ita dimissis Legatis Præfecto mandatum.) Primum dedit formulam Fidei, cui subscriberent; deinde Præfecto mandavit, ut subscribere cogeret, & abnuentes in exilium pelleret.

Sed regressis legatis, licet vim Regiam deprecantibus, negata communio.) Catholici, ubi legati sui Ariminum redierunt, eos in communionem recipere noluerunt, quòd contra mandata legatos Arrianos in communionem accepissent, neque eorum excusationem probarunt, vim sibi à Rege factam asserentium.

Enimvero compertis, quæ decreta erant, major rerum.) Formula Imperatoris accepta, & voluntate ejusdem cognita, Catholici vehementius æstuare cœperunt, ac primum paulatim formolæ subscripserunt, partim imbecillitate ingenii, quia minus Præfecti horrerent, partim tædio, quia longe a domo abessent; præsertim verò cùm post reditum legatorum Arriani auxilio Præfecti Catholicos Ecclesia deturbassent, & superiores facti essent, inde catervatim omnes subscripserunt præter viginti, qui in proposito vetere permanserunt.

Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant, constantissimusque inter eos habebatur noster Fœgadius, & Servatio Tungrorum Episcopus.) Inter viginti Catholicos qui subscribere detrectarunt, duo præcipui fuere Fœgadius, & Servatio. Fœgadium esse eundem arbitror, qui Sebadius à S. Hieronymo dicitur, cùm in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis inquit: *Sebadius Agenni Galliarum Episcopus edidit contra Arrianos librum, vivit usque*

(514) Chronicon Hieron. *Synodus apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides, decem numero Legatorum, deinde omnium proditione, damnata est.*

De his supra pag. 169. scripserat, homines fuisse adolescentes, parùm doctos, parùmque cautos.

(515) Nicææ Thraciam. Formula ejus extat apud Theodorit. II. 21. Nam Arriani, cùm adhuc Legatos & Concilium Ariminense detineret Constantius, interea Episcopos multos ἄκοντας Nicæam Thraciæ traduxerunt: καὶ πείθουσι, τοὺς μὲν βωκολήσαντες δι' ἁπλότητα, τοὺς δὲ δεδιξάμενοι, τὴν μὲν ΟΥΣΙ'ΑΝ καὶ τὸ 'ΟΜΟΟΥ'ΣΙΟΝ ἐξορύξαι τῆς πίστεως, ἐνθεῖναι δὲ ἀντὶ τούτων τὸ 'ΟΜΟΙΟΝ.

Fides pro expositione fidei; de quâ mox additur, quòd Catholicam disciplinam perfidia latente locuta fuerit; Usiæ verbum sub specie falsæ rationis aboleverit, ne unius cum Patre substantiæ filius crederetur; similem denique Patri Filium fassa fuerit.

(516) Solenne hoc Arrianis fuit, quod ab Archihæretico Arrio didicerunt. Unde quotiescunque cum Orthodoxis loqui, vel scribere videbantur, illud ὑπούλως καὶ οὐκ εἰλικρινῶς fecerunt.

(517) Verba sunt: ὅμοιον δὲ λέγομεν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, καθὼς καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ λέγουσι. *Theodoret.* II. 21.

(518) Quod supra pag. 166. dicit à communione suspendere, & infra *à communione alicujus se secernere*, id nunc *communionem negare* dicit. Contrarium est, *communionem dare*, *in communionem recipere*, *communionem cum aliquo inire*.

(519) Rectum est *Phœbadius*, cujus eruditissima epistola in Arrianos scripta, excusa est ab Henrico Stephano. Episcopus erat Aginni Nitiobrigum in Aquitania, onde illud *noster Phœbadius*. Nam Sulpicius etiam Aquitanus erat. Perperam in S. Hieron. *Sebadius* ex Sophronii Σοιβάδιος. Nam manuscriptus liquidò habet *Febadius*.

Legendum videtur *Fœbadius*, vel *Phœbadius*. Fuit autem Aginnensis in Aquitania Episcopus, cujus elegans contra Arrianos extat libellus.

Tungrorum Episcopus. Hos, quia minis & terriculis non cesserant, Taurus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, mitiora uti consulerent. Clausos intra unam urbem Episcopos jam septimum mensem agere: injuriis hyemis & inopia confectis, (520) nullam spem reversionis dari: quis tandem esset finis? sequerentur plurium exemplum, auctoritatem saltem ex numero sumerent. Et enimvero Fœgadius paratum se exilio, atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, profiteri, se ab Arrianis conceptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, ubi parum ad pacem proficiebant, (521) paulatim & ipse infractior, ad extremum proposita conditione evincitur. Namque Valens & Ursatius affirmantes, præsentem fidem (522) Catholica ratione conceptam, ab Orientalibus, Imperatore auctore, prolatam, (523) cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis foret, (524) si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. Postremò si quid minus plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent: præbituros se in his, quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta: nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ à Fœgadio & Servatione professiones edi cœpere: in quîs primùm damnatur Arrius, totaque ejus perfidia: ceterum non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur. Tum Valens tanquam nostros adjuvans, subjecit sententiam, cui inerat occultus dolus: Filium Dei non esse creaturam, sicut ce-

usque hodie decrepita senectute. Agennum autem oppidum fuit Aquitaniæ secundæ, quare propterea Sulpicius, qui erat Bituricensis ex Aquitania prima Episcopus, *suum* appellavit, vicinitate sibi conjunctum. Fœgadium etiam Episcopum præfuisse Valentino Concilio sub Gratiano scribit Isidorus. Servationis Tungrorum Episcopi meminit quoque Athanasius in Apologia ad Constantium, neque verò idem est cum eo, qui post venientem in Italiam Attila Rege Hunnorum floruit, cujus meminit Gregorius Turonensis Historia lib. II. nam ab hoc tempore ad illud annorum centum est intervallum, quod alii non viderunt.

Hos, quia minis & terriculis non cesserant, Taurus precibus aggreditur ac lacrymans obtestatur, mitiora uti consulerent.) Hos viginti, qui minis Tauri non cesserant, Taurus deinde precibus expugnare adortus est, ac lacrymans obtestatus, ut mitiora consilia caperent. Inde ad tacitas minas reversus dixit, eos septem jam menses Arimino clausos hyemis incommodis inopiaque confectos, sine spe reversionis sedere; debere eos, quod maxima pars fecisset, imitari.

Et enimvero Fœgadius paratum se exilio, atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, profiteri, se ab Arrianis conceptam Fidem non recepturum.) Fœgadius autem respondit, se exilium & omnia potius supplicia subiturum, quam ut tali formulæ subscriberet. Exilium autem interitaverat, cùm dixerat, *septem menses clausos sine spe reversionis sedere*.

Ita in hoc certamine aliquot dies tracti.) Certamen intelligit minarum & precum, quibus alternatim usus erat Taurus Præfectus.

Ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipse infractior, ad extremum proposita conditione evincitur.) Opinor legi rectius posse, *proficiebat*, ut sit, Fœgadius, ubi parum ad pacem constantia retinenda proficiebat, paulatim mollior evadens, tandem proposita conditione expugnatur.

Namque Valens, & Ursatius affirmantes præsentem Fidem Catholica ratione conceptam ab Orientalibus Imperatore auctore prolatam cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret.) Et hoc loco legendum arbitror, pro, *ut quis*, ecquis. Fidem autem vocat formulam ultimò allatam, cui præscriptum erat nomen Constantii Imperatoris, quæque Filii cum Patre similitudinem continebat, quam illi auctore Imperatore prolatam affirmantes sine scelere repudiari non posse, rogabant, ecquis tandem finis discordiarum foret, si quæ Orientalibus placuissent, Occidentalibus displicerent?

Postremò si quid minus plenè præsenti Fide editum videretur, ipsi adderent quæ addenda putarent, præbituros se in his quæ essent adjecta consensum.) Conditio verò proposita fuit hæc: ut ad formulam, in qua dicebatur, *Filius Patri similis*, adderent, quod vellent; nam se id causa concordiæ probaturos.

Favorabilis professio pronis omnium animis excepta; nec ultra nostri repugnare ausi jam quoque modo finem rebus imponere cupientes.) *Favorabilem professionem* appellat conditionem, sive, oblationem ultimam, quæ propter æquitatem suam accipi mereretur, & propterea a Catholicis viginti promptis animis excepta sit, præsertim verò cùm fessi jam finem Concilio imponere cuperent.

Dein conceptæ à Fœgadio, & Servatione professiones edi cœpere; in quîs primùm damnatur Arrius, totaque ejus perfidia. Ceterum non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur.) Hic locus meritò obscurissimus est, ut omnia, quæ doctrinam Trinitatis attingunt. Mihi verò hæc esse horum verborum sententia videtur. Arrius dixerat: *Credo in Jesum Christum à Deo ex nihilo creatum, ita fuerit tempus, quando non esset*. Contra quem Catholici in Nicæna Synodo ita formulam Fidei conceperant: *Credo in unum Dominum Jesum Christum Dei Filium unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*. Inde post aliquot verba addiderunt: *Et dicentes; Erat quando non erat, aut Non erat, antequam fieret, & quod ex non extantibus factus est; hos tales anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia*. Semiarriani verò non omnino in verbis Arrii permanentes ultimam formulam protulerant his verbis: *Credo in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est ex Deo, natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum de Deo similem genitori suo Patri secundum scripturas*. Quam formulam cùm Catholici denique præter paucos approbassent, Fœgadius, & Servatio accepta potestate addendi ei addiderunt ex formula Nicæna contra Arrium Filium expresse creaturam esse dicentem: *Genitum non creatum. Dicentes autem: Erat, quando non erat, aut, non erat, antequam fieret, ut Arrius, atque hæresis ejus asserunt, anathema sint*; atque his verbis satis factum conscientiæ suæ, & Nicænam formulam conservatam putarunt; neque addiderunt id, quod adhuc quæstionem faceret, *Consubstantialem Patri*, item, *ex Patre natum ante omnia secula*; nam putarunt, Consubstantialitatem, sive æqualitatem expressam in iis verbis ultimæ formulæ, *similem genitori suo Patri secundum scripturas*; nec, *sine principio, & sine tempore natum esse* addiderunt, satis expressum id arbitrantes in iis verbis formulæ Semiarrianæ: *Qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est*.

Tum Valens tanquam nostros adjuvans, subjecit sententiam, cui inerat dolus, Filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras.) Ubi verò Valens audivit adjectionem factam à Fœgadio, & Servatione, cùm dixerat: *Genitum, & non creatum*, statim quasi eorum sententiam, ut nimis brevem supplere, aut ut nimis obscuram illu-

(520) Hæc ex Hilario expressa esse, nullum dubium. Verba ejus sunt: *Synodus contrahis, & Occidentalium fidem ad impietatem compellis, conclusos urbe una minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, dissimulatione depravas*. III. ad Constantium.

(521) Legendum *proficiebat*, monente Sigonio. Videtur autem non de Tauro Præfecto, ut quidem volunt, sed de Fœbadio loqui. Porrò *infractum* dicit non pro *non fracto*, sed pro *fracto*; ut antiquiores ad unum omnes, & noster quoque supra non semel vocem usurpavit.

(522) Idest, præsentiam fidei expositionem. Sic paulo supra: *conscriptam ab improbis fidem*.

(523) Hanc Valentis, & Ursacii fraudem Sozomenus detegit. Quippe illi Ariminensibus persuasuros quosdam, persuasum ibant, Orientales, qui sunt Seleuciæ congregati, nunquam quieturos, ἐὰν μὴ τὸ τῆς οὐσίας ὄνομα περιαιρεθῇ. Ita Occidentales subversos exemplo, quod veteratoriè confictum erat, Orientalium; & Orientales exemplo Occidentalium ad eandem perfidiam coactos. Videtur IV. 18.

(524) Sigonius legendum putat *ecquis discordiarum finis foret*.

ceteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse ceteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantum ceteris, pronuntiabatur. (525) Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arrianis, professiones verò postea adjectæ pro nostris erant: præter illam, quam Valens subjunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animadversa est. Hoc verò modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Igitur Arriani rebus nimirum prosperè & secundùm vota fluentibus, Constantinopolim ad Imperatorem concurrunt: ibi repertos Seleuciensis Synodi Legatos, vi regia compellunt, exemplo Occidentalium, (526) pravam illam fidem recipere. Plerique abnuentes injuriosa custodia ac fame vexati, captivam conscientiam dedere. Multi constantiùs retinentes, (527) adempto Episcopatu in exilium detrusi, atque in eorum locum alii dati. Ita optimis Sacerdotibus aut metu territis, aut exilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concesserant. (*) Aderat ibi tum Hilarius, à Seleucia Legatos secutus, nullis certis de se mandatis operiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci: tribus libellis publicè datis audientiam Regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptaret. Id verò Arriani maximopere abnuere. Postremò quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis, (528) redire ad Gallias jubetur, absque exilii indulgentia. (529)

CON-

illustrare vellet, adjecit: *Filium Dei creaturam esse non sicut alias creaturas*; quæ verba Catholici acceperunt, Filium Dei non esse creatum, ut aliæ sunt creaturæ; at Semiarriani intellexerunt, creaturam quidem esse, sed præstantiorem esse aliis creaturis; quem dolum illi non sentientes formulæ ita auctæ subscripserunt.

Fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis similis esse ceteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior tantum ceteris pronunciabatur.) Aperit dolum, qui tum non est agnitus. Fraus inquit professionis, idest adjectionis, fefellit audientes, quæ hæsit in ea; nam Filius cùm non sicut ceteræ creaturæ esse, dicebatur tamen creatura, potior tantum ceteris dicebatur; atque hoc erat, quod à principio Arrius senserat.

Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat, quia Fides ipsa pro Arrianis: professiones vero postea adjectæ pro nostris erant, præter illam, quam Valens subjunxerat.) Aptum vero temperamentum utrique parti hoc visum erat, cùm & Arriani, & Catholici haberent, quod rapierant, Arriani in ipsa formula, quam vocant *Fidem*, voti sui compotes facti, quia, *consubstantiale* Catholicis subscribentibus ejecerant, Catholici in adjectis professionibus, in quibus *creatum* Arrianis assentientibus condemnarant; quia etiam iidem ultimam formulam a Valente prolatam sibi favere putarunt, quia tum fraudem insitam non viderunt, sed postquam jam Concilium fuerat dimissum. S. Hieronymus contra Luciferianos asserens Catholicos fraude Valentis, qui se cum Arrio sentire negavit, irretitos, longe alia ratione dolum esse intentum scribit; qui consuli potest.

Hoc vero modo Concilium dimissum bono initio, fœdo exitu est consummatum.) Bonum initium fuit, cùm Catholici & plures numero, & in causa constantiores fuerant: fœdus exitus, cùm cedentibus plerisque, pauci, qui in Fide remanserant, se decipi permiserunt.

Igitur Arriani rebus nimium prospere, & secundum vota fluentibus Constantinopolim ad Imperatorem concurrunt.) Deceptis Occidentalibus Episcopis Arriani Constantinopolim ad Imperatorem Constantium adeunt, ut Orientales sibi assentire compellant; idque assequuntur; aderant enim adhuc Constantinopoli legati Concilii Seleuciensis, de quibus ante diximus.

Vi Regia compellunt exemplo Occidentalium pravam illam Fidem recipere.) Usi imperio Constantii Regis Episcopos legatos Concilii Seleuciensis subscribere illi formulæ cogunt, in qua Filius Patri similis, & non creatura, sicut ceteræ creaturæ, asserebatur; cogunt autem abnuentes fame, carcere, Episcopatus ademptione, & in exilium missione.

Ita optimis Sacerdotibus aut metu territis, aut exilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concesserunt.) Paucos intelligit Principes Arrianorum, qui aut exanimatis, aut exterminatis Episcopis legatis Concilii Seleuciensis impulere ceteros omnes Episcopos Orientales, ut sibi assentirent, formulæque subscriberent; quod anno CCCLX. Constantinopoli factum est, ut Græci historici tradunt, Synodo convocata. Ita omnes Arriani facti præter illos paucos, qui in exilium acti his Conciliis non affuerant, Athanasium, Luciferum, Eusebium, & Hilarium, qui quamquam tum Constantinopoli affuit, tamen egregie in Fide vetere perstitit.

Atque

(525) Hieronymus adversùs Luciferianos, ait, in Concilio hoc nomine, unitatis & fidei infidelitatem scriptum esse. Nam illo tempore nihil tam pium tamque conveniens servis Dei visum esse, quam unitatem sequi, & a totius Mundi communione non scindi, præsertim cùm superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret. Sed cùm post solutum Concilium Ursacius & Valens, ceterique nequitiæ eorum socii cœpissent palmas suas jactare, dicentes: *se filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis*: tunc usiæ sive substantiæ nomen abolitum esse, tunc Nicænæ fidei damnationem conclamatam esse: *totumque ingemuisse orbem, & se Arrianum esse miratum*. Quod sic intelligendum, non quasi tunc Patres Orthodoxi facti sint Arriani, sed quòd in nova fidei regula, consubstantialitatis nomine prætermisso, atque substantiæ pariter ablegato, visi essent Nicænæ fidei proditores. *Baronius*.

(526) Sozomeni verba de hac ipsa re agentis lib. V. Trip. hist. cap. XXXV. omnino a Severo faciunt.

(527) Legendum sine dubio *renitentes*, uti Drusius conjecit. Id enim συνάφεια verborum requirit; & verbo *reniti* noster sæpe usus deprehenditur. Ut Dial. I. *Adversum hæc Episcopi obstinatius renitentes.*

(*) Ea tempestate facies Ecclesiæ fœda admodum ac turpis fuit, cùm non, sicut prius, ab exteris, sed propriis vastaretur, nec nisi fugæ, prævaricationes, lapsus, cernerentur. *Rufinus* l. 11.

(528) Orienti enim suo maximè consultum volebat Constantius, & libet suspicari, Juliani jam tum bonis simul & malis adulantis, utque Episcopos à Constantio relegatos ad suam quemque Ecclesiam revocantis, nonnullam rationem esse habitam. Non enim de nihilo est, quòd Hilarius audientiam poscens a Constantio his verbis utatur: *Nec levem habeo querelæ meæ testem, dominum meum religiosum, Cæsarem tuum Julianum, qui plus in exilio meo à malis contumeliæ, quam ego injuriæ, pertulit.* Et *S. Hieronymus* Dial. in Luciferianos: *Tunc* (post utramque Synodum) *omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt. Tunc Hilarium suum de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est.* Per novum Principem intelligit Julianum.

(529) In lib. de Vita Martyr. cap. VI. *Cum Sancto Hilario comperisset Regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi Roma, et tentavit adcurrere*. Quod cum illo ultero nonnihil discrepat. Cùm enim hic scribat, Regis pœnitentiâ potestatem indultam fuisse Hilario in Gallias redeundi, in ultero loco scribit, quasi discordiæ seminarium & perturbatorem Orientis ad Gallias redire jussum esse. Ceterùm sive permissum ei fuerit Gallias repetere, sive id facere omnino jussus fuerit a Constantio, ad Ecclesiam Pictaviensem certè non ante rediit, quam Constantius decessisset, inque locum ejus successisset Julianus. Diserté enim Hieronymus in l. c. Lucif. *Tunc omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis* (Juliani puta) *ad Ecclesias revertuntur. Tunc Hilarium suum de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est*. Atque hoc illud est, quod noster dicit, Hilarium ad Gallias redire jussum fuisse, *absque exilii indulgentiâ* seu remissione, idest, ut in ipsis Galliis tamen ab Ecclesiâ suâ exularet.

CONCILIUM BITERRENSE, ET ALIA CATHOLICA CONTRA ARIMINENSE.

Verùm ubi permensus est orbem pæne terrarum, (k) malo perfidiæ infectum, (530) dubius animi, & magna curarum mole æstuans, cùm plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum factu arbitratus, revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, (531) frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè epistolis (532) de errore profitentibus, apud Ariminum (533) gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformant. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, (534) vir sanè pessimus, & ingenio malo, pravoque, verùm etiam præter

Atque hoc est, quod inquit S. Hieronymus contra Luciferianos: *Ingemuit totus orbis, & se Arrianum esse miratus est.*

Aderat ibi tum Hilarius à Seleucia legatos sequutus, nullis certis de se mandatis opperiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exilium juberetur.) Interponit præclarum factum Hilarii, qui cùm Constantinopoli esset, cùm legati Seleucienses subscribere coacti sunt, ac deinde eos reliqui subsequuti sunt, solus dolum intellexit, nec subscribere voluit, quare ne Orientem perturbaret, in Gallias redire jussus est.

Postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire in Gallias jubetur, absque exilii indulgentia.) Constantius jussit, ut domum rediret, sed exilium non remisit. Mortuo mox Constantio Julianus omnibus reditum indulsit; tumque demum Hilarius cum ceteris in Galliam per Italiam redit. Unde Sulpicius in vita S. Martini: *Nec multo post, cum Sancto Hilario comperisset Regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentavit occurrere, profectusque ad urbem est.* Sic sensit S. Hieronymus, ut post apparebit.

(k) Non ignorandum est, Arrianos, postquam omnes Occidentis, & Orientis Episcopos nefaria subscriptione illa devinxerant, fraudem suam aperuisse, & pro se victoriam inclamasse, qua Catholici Filium creaturam esse confessi erant. Sic enim inquit S. Hieronymus: *Dimisso Concilio cœperunt postea Valens, & Ursatius, ceterique nequitiæ eorum socii palmas suas jactitare dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis; tum Usiæ nomen abolitum est; tum Nicæna Fides damnatio conclamata est. Ubi verò Catholici peccatum suum agnoverunt, tum remedia continuo quæsiverunt*; ea vero, teste eodem, hæc fuerunt: *Alii intra suam communionem permansere, alii ad eos Confessores, qui sub nomine Athanasii exulabant, literas misere; nonnulli cautam sanitatem in suorum desperatione planxere; pauci verò (ut se natura hominum habet) errorem pro consilio defensavere.* Interim mortuo Constantio successit Julianus, qui se initio Christianis æquissimum præbuit, atque Episcopis exulantibus reditum condonavit. Quare ita pergit S. Hieronymus: *Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redeunt. Tunc Triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit; tunc Hilarium de prælio revertentem Ecclesia Gallorum complexa est; tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit; concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quicquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, dicebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferre timuimus; decepit nos bona de malis existimatio, non sumus arbitrati, Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare.* Hæc in universum ab Episcopis acta sunt ad emendanda, quæ subscriptione Ariminensi commissa erant. Sulpicius autem præcipue acta Hilarii, & Luciferi longe inter se diversa exponit. Hilarius enim cùm legatos Concilii Seleuciensis Constantinopolim sequutus esset, ut audivit omnes Episcopos Filium creaturam esse aut errore, aut terrore, confessos esse, per tres libellos a Constantio audientiam petiit, ut cum adversariis de Fide coram ageret, quod cùm illi detrectassent, demum ab Imperatore ne Orientem disputatione turbaret, in Gallias, sed sine exilii remissione, redire jussus est. Dum autem Constantinopoli profectus in Galliam redit, Constantius moritur, & Juliani edicto reditus omnibus Episcopis ad Ecclesias datur. Hæc anno CCCLXI. acta. Ceterum ad ea, quæ perperam acta in Ariminensi Concilio erant, emendanda, duo consilia proponebantur, unum, ut omnes Episcopi, qui se subscriptione contaminassent, communione integrorum excluderentur, quod censuit Lucifer; alterum, ut ad pœnitentiam adhiberentur, quod censuit Hilarius. Hic enim cùm in reditu ex Oriente omnes homines perfidia Arriana pollutos esse reperisset, videretque plerosque cum Lucifero in ea sententia esse, ne cum Episcopis, qui Ariminensi Concilio subscripsissent, communio iniretur, ipse longe aliter sentiens, postquam in Italiam, & Gallias venit, multa Concilia habuit. Ibi vero cùm Episcopi errorem suum confiterentur, & se deceptos assererent, iis prope verbis utentes, quæ supra ex S. Hieronymo in hunc commentarium intrusimus, jurantes se nihil mali in sua Fide suspicatos, ex omnium consensu condemnavit formulam Ariminensem, qua Filius Patri similis, & creatura, non sicut ceteræ creaturæ, statuebatur, & Fidem in pristinum statum redegit, ut Filius crederetur genitus, non factus, consubstantialis Patri, ex Deo natus ante omnia secula. Ex Conciliis autem, quæ multa habuit, unum fuit Biterrense, ut ipse significat in libro de Synodis: *Ego gravissimum Fidei periculum longe ante providens post sanctorum virorum exilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii quinto abhinc anno, à Saturnini, & Ursatii, & Valentis communione me cum Gallicanis Episcopis separavi indulta ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate. Quibus postea per factionem eorum Pseudapostolorum ad Biterrensem Synodum compulsi cognitionem hujus hæreseos obtuli; sed hi timentes publicæ conscientiæ audire à me noluerunt.* Hinc S. Augustinus contra Maximinum: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arrianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est; quod postea in Concilio Ariminensi propter novitatem in verbis minus, quàm oportuit, intellectum multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentavit; sed non post longum tempus libertate Fidei Catholicæ prævalente, postea quam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, Homousion illud Catholicæ Fidei sanitate, longe lateque defensum est.*

Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus.) Hilarius non solum Catholicam Fidem restituit, sed Principes etiam Arrianorum Episcopos Galliæ Ecclesiis deturbavit, ut Saturninum Arelatensem, & Paternum a Petrocoris, ceteris venia data Gallias piaculo hæresis liberavit. Quare merito Rufinus in Historia scripsit: *Hilarius regressus, & in Italia positus Ecclesias instauravit, fidemque patriam reparavit*, & Sozomenus libro V. *Hilarius ab exilio reversus Italos, & Gallos docuit, quæ dogmata essent amplectenda, & contra quæ fugienda. Hunc in eisdem rebus corrigendis laborantem reperit Vercellensis Eusebius ab exilio reversus.*

Ve-

(530) Hæc sunt illa tempora, de quibus supra ex Hieronymo dictum: *Totus ingemuit orbis, & se Arrianum esse mirabatur.* Adv. Lucifer. Hæc est fœda illa Ecclesiæ facies Rufinus I. 21. Vide eundem lib. X. cap. XXX. & XXXI. qui hæc eadem tradit, & Hilarium ante ceteros exules revocatum esse innuit.

(531) Socrates II. 8. *Hilarius Pictavorum Episcopus (est autem hæc Civitas Aquitaniæ ulterioris) ante Eusebium, Episcopus tum in Gallia, Catholicæ fidei dogmata diligenter docuit, socio usus Eusebio Vercellensium Episcopo. Uterque fidem strenue propugnavit.* Ἱλάριός τε καὶ Ἐλλόγιμος ἐν βιβλίοις τῇ Ῥωμαίων γλώττῃ τὰ τῆς ὁμοουσίου παρέδωκε δόγματι, δυνατῶς δὲ καὶ τῶν Ἀρειανῶν δογμάτων καθήψατο.

(532) Giselinus pro *Epistolis* restituendum putat *Episcopis*: id quod valde probo.

(533) Scribit pro more sui ævi *apud Ariminum* pro *Arimini*. Pro *condemnant*, proque eo, quod sequitur *reformant*, legendum videtur *condemnat* & *reformat*; ut ad unum Hilarium id pertineat. Non enim casus rectus numeri pluralis antecedit; sed tantùm numeri singularis *arbitratus*.

(534) De quo paulò ante,

ter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus, Ecclesia ejectus est. Itaque partium vires amisso duce infractæ, (535) Paternus etiam à Petrocoris æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, Sacerdotio pulsus: ceteris venia data. Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas.

HÆRESIS, SIVE SCHISMA LUCIFERIANORUM.

Ceterum Lucifer (536) tum Antiochia (537) longè diversa sententia fuit. (*l*) Nam in tantum eos, qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione, vel pœnitentia recepissent. Id rectè, an perperam constituerit, dicere non ausim. Paulinus & Rhodanius in Phrygia defuncti. Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit.

HÆRESIS PRISCILLIANISTARUM.

Sequuntur tempora ætatis nostræ gravia & periculosa, (*m*) quibus non ofitato malo pollutæ Ecclesiæ, & perturbata omnia. Namque tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis (538) intra Hispanias deprehensa, superstitio exitiabilis arcanis occultata secretis. (539) Origo istius

Verumtamen præter hæresis infamiam multis, atque infandis criminibus convictus, Ecclesia ejectus est.) Saturninus non solum pravo ingenio, verum etiam ultra hæresim multorum infandorum criminum compertus, est condemnatus una cum Paterno ex Petrocoris. Petrocoritana vero Ecclesia fuit Provinciæ Aquitaniæ secundæ, cujus Paternus erat Episcopus, æque stultus, & impius ac Satorninus.

(*l*) Transit ad aliam hæresim a Catholicis propter recipiendos in communionem lapsos excitam, quæ ab Arriana profecta est. Quippe Lucifer è Thebis superioribus, ubi exularat, reversus Antiochiam venit; atque ibi Paulinum Episcopum contra Meletium Arrianum ordinavit; qui cùm ab Eusebio Episcopo Vercellensi non esset receptus, Lucifer offensus se ab ejus communione removit, quòd Arrianos etiam sub satisfactione in communionem admisisset; atque hinc Luciferianorum hæresis manavit, quæ censuit lapsos non esse etiam sub satisfactione recipiendos, ut inquit Sozomenos. Sulpicius autem negat se affirmare audere, recte ne an perperam tum Lucifer, aut fecerit, aut senserit, quia res varia utrinque tum jactabatur; nam multi Luciferianorum potius schisma, quam hæresim, appellabant, ut S. Augustinus scripsit, & Luciferi magna erat auctoritas, ne qui se nunquam Arriani alicujus communione polluisset, ut S. Hieronymus prodit.

Paulinus, & Rhodanius in Phrygia defuncti.) De S. Paulino sic Beda: *Prid. Kal. Septembris Treviris celebratur natalis S. Paulini Episcopi, & Confessoris, qui à Constantio Imperatore ob Catholicam Fidem relegatus exilio, & usque ad mortem extra Christianum nomen mutanda exilia fatigatus ad ultimum apud Phrygiam defunctus beatæ passionis coronam à Domino percepit.* Omisit Dionysium, de quo sic Usuardus: *Dionysius Episcopus Mediolanensis, & Confessor apud Cappadociam pro Fide Catholica damnatus exilio ibidem quievit.*

Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit.) Item S. Hieronymus in Chronico: *Mortuus est Pictavis Valentiniano, & Valente regnantibus nempe anno CCCLXVI.* De eo sic Beda: *Pictavis Idibus Januarii natalis colitur S. Hilarii Episcopi, & Confessoris, qui ob Catholicam Fidem quadriennio apud Phrygiam relegatus inter alias virtutes fertur, quod mortuum suscitaverit.* Hactenus de hæresi Arriana.

(*m*) Transit ad aliam hæresim exponendam, quæ suo tempore Hispaniam, & Galliam perturbavit, quæ antiquitus Gnosticorum, tum verò Priscillianistarum est dicta à Priscilliano, qui illam propagavit, ac pluribus, & certius, quam quisquam alius, eam exponit; periculosam autem vocat propter co-itiones nocturnas, easque infandas virorum, & fœminarum, qui in eam conspiraverunt; infamem, propter turpes libidines, & alia probra, quæ in eorum conventibus suscipiebantur. Gnostici autem fuerant Apostolis proximi a Basilide profecti, atque a cognitione rerum, quam profitebantur, ita appellati, qui, ut inquit S. Leo, *præter nefandas Evangelii interpretationes per magicarum artium profana secreta, & mathematicorum vana mendacia religionis Fidem, morumque rationem in potestate dæmonum, & effectu syderum collocarant.* Ceterum *Arcana secreta*, cùm inquit, turpitudines eorum intelligit; nam, ut scribit S. Epiphanius: *conventus suos turpitudine multiplicis coitus polluerunt comedentes, & bibentes humanas carnes, atque immunditias suas, ceu annunt, ut Nicolaitæ, habentes uxores post longas & apparatas epulas passim inter se miscebantur, ac semen maris manibus exci-*

(535) Joh. Jacobus Grynæus auctor vitæ B. Hilarii, Basileæ evulgatæ, corrigendum putat *fracta*, quod sanè ille non putaret, si paulò post de Fœgadio legisset. Paulatim & ipse *infractior*. Quid, quod Cicero aliter loqui nunquam solet?

(536) Episcopus Calaritanus in Sardinia, de quo supra. Ab hoc Luciferiani, contra quos Hieronymus Dialogum scripsit. Extat inter epistolas ejus. De hoc Schismate *Socrates* XI. 7. *Sozomen.* V. 21. *Niceph.* X. 17. Fuit homo vehementissimi ingenii, quod ex scriptis ejus apparet; & qui in Constantium acerrimè invectus est.

(537) Relegatus enim in Palæstinam, Antiochiæ Paulinum Episcopum designavit. Unde lis ei aliqua cum Eusebio Vercellensi. *Socrates* & alii.

(538) Quæ ex plurimis hæresibus conflata. Augustin. de hæres. cap. LXX. *Priscillianistæ*, quos in Hispania Priscillianus instituit, maximè *Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur: quamvis & ex aliis hæresibus in eas sordes, tanquam in sentinam quandam, horribili confusione, confluxerint.* Leo Epist. XCIII. ad Turibium: *Manichæi & Priscillianistæ inter se mutuo fœdere sunt connexi, ut solis nominibus discernantur.* Unde & Isidorus de Viris Illustribus, *Marcum Manis discipulum* vocat, non quòd Manis tempore vixerit, sed quòd ejus doctrinam amplecteretur.

(539) Ut se occultarent Gnostici, in speluncis & latibulis montium habitare consueverant. Unde in Cæsaraugustana Synodo decretum: *Ne habitent in latibulis cubiculorum ac montium, qui in suspicionibus perseverant: sed exemplum ac præceptum custodiant Sacerdotum: & ad alienas villas agendorum conventuum causa ne conveniant.* Iidem ut laterent, convenientes ad Ecclesiam Catholicam, sic accipiebant Eucharistiam, ut eam non comederent. Synodus Cæsaraugustana: *Eucharistiæ gratiam si probatur quis acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum.* Unde & propter occultandas contaminationes & turpitudines suas, habebant in dogmatibus suis hæc verba: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Augustin de Hæresib. cap. LXX. Habebant autem μυστήρια quædam, in quibus summam ἐποπτίας suæ collocabant. Quæ fuerunt horrenda illa secretorum libidinum monstra, cædes infantium, & alia: de quibus graviter Eusebius in Simone Mago: τὰ δὲ τούτων αὐτοῖς ἀποῤῥητότερα, ὧν φασὶ τὸν πρῶτον ἐπακούσαντα, ἐκπλαγήσεσθαι, καὶ κατά τι παρ' αὐτοῖς λόγιον ἔγγραφον θαμβωθήσεσθαι, θάμβους ὡς ἀληθῶς καὶ φρενῶν ἐκστάσεως καὶ μανίας ἔμπλεω τυγχάνει τοιαῦτα ὄντα, ὡς μὴ μόνον μὴ δυνατὰ εἶναι παραδοθῆναι γραφῇ, ἀλλ' οὐδὲ χείλεσιν αὐτὸ μόνον δι' ὑπερβολὴν αἰσχρουργίας τε καὶ ἀῤῥητοποιίας, ἀνδράσι σώφροσι λαληθῆναι. II. Hist. 13.

iſtius mali oriens ab Ægyptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile eſt differere. Primus eam intra Hiſpanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphi ortus. (540) Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & rhetor Helpidius. Ab his Priſcillianus (541) eſt inſtitutus, familia nobilis: prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, differendi ac diſputandi promptiſſimus: felix profectò, ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium: prorſus multa in eo animi & corporis bona cerneres, vigilare multum, famem ac ſitim ferre poterat; habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus, ſed idem vaniſſimus, & plus juſto inflatior profanarum rerum ſcientia. Quin & magicas artes ab adoleſcentia eum exercuiſſe creditum eſt. (542) Is ubi doctrinam exitiabilem aggreſſus eſt, multos nobilium, pluresque populares auctoritate perſuadendi, & arte blandiendi allicuit in ſocietatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxa fide, & ad omnia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis ſpeciem ore & habitu prætendens, honorem ſui, & reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ iſtius tabes, pleraque Hiſpaniæ pervaſerat, quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos Inſtantius & Salvianus Priſcillianum non ſolùm conſenſione, ſed ſub quadam etiam conjuratione ſuſceperant. Quo Adhyginus Epiſcopus (543) Cordubenſis ex vicino agens comperto, ad Idacium emeritæ ætatis Sacerdotem (544) re-

excipiebant, & intuentes cœlum Patri univerſitatis afferebant; idque loco ſanguinis hauriebant; liberorum procreationem averſabantur; hos conventus occulte agebant. Itaque, ut addit S. Auguſtinus in libro de hæreſibus: *propter occultandas contaminationes, & turpitudines ſuas habebant in ſuis dogmatibus hæc verba: Jura, perjura, ſecretum prodere noli.*

Origo iſtius mali oriens ab Ægyptiis, ſed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile eſt differere.) Multo fuſius, ac multo clarius, quam quiſquam alius, acta hujus hæreſis narrat Sulpicius. Quare multa habet ſingularia, maxime memorabilia. Origo fuit in Ægypto, ſed obſcura.

Primus eam intra Hiſpaniam Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphi ortus, hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & rhetor Helpidius.) Ex Ægypto translata eſt in Hiſpaniam a Marco, qui duos diſcipulos reliquit, Agapem, & Helpidium; de quibus poſt Sulpicium S. Iſidorus in libro de viris illuſtribus: *Itacius Hiſpaniarum Epiſcopus ſcripſit quemdam librum ſub Apologetici ſpecie, in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata, & maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra detegit, oſtendens Marcum quemdam Memphiticum, Magicæ artis ſcientiſſimum diſcipulum fuiſſe Manis, & Priſcilliani Magiſtrum.*

Ab his Priſcillianus eſt inſtitutus.) Hic eſt, qui hæreſi nomen dedit; de quo ſic S. Proſper in Chronico: *Anno Chriſti CCCLXXIX. Priſcillianus de Gallæcia ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.* S. Auguſtinus: *Priſcillianiſtæ, quos in Hiſpania Priſcillianus inſtituit, maxime Gnoſticorum, & Manichæorum dogmata permixta ſectantur; quamvis & ex aliis hæreſibus in eas ſordes, tanquam in ſentinam quamdam horribili confuſione confluxerunt.* Virtutes inde ejus, vitiaque perſequitur; inter quæ hoc etiam ponit, quòd magicas artes ab adoleſcentia noverat.

Is, ubi doctrinam exitiabilem aggreſſus eſt, multos nobilium, pluresque populares auctoritate perſuadendi, & arte blandiendi allicuit in ſocietatem.) Ut ergo Marcus Ægyptius Helpidium, Helpidius Priſcillianum, ſic Priſcillianus ingentem numerum virorum, mulierumque nobilium depravavit; præcipue autem mulieres catervatim ad eum ſe contulerunt, quod rerum novarum ſtudioſæ, quòd Fide imbecilla, & curioſo ingenio ſint. Cùm igitur fœminæ in ſocietatem diſciplinæ adſcitæ eſſent, ergo verum fuit illud, quod poſt ei in judicio objectum fuit, nocturnos eum turpium fœminarum egiſſe conventus. Unde ſcripſit S. Hieronymus adverſus Pelagianos: *Priſcillianus in Hiſpania pars Manichæi, de turpitudine, cujus te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis, & ſcientiæ ſibi temere vindicantes, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis, & illud eis inter coitum, amplexuſque decantant:*

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore fœtus.

Quæ quidem partem habent Gnoſticæ hæreſeos, de Baſilidis impietate venientem.

Quippe humilitatis ſpeciem ore, & habitu prætendens honorem ſui, & reverentiam cunctis injecerat.) Cepit primum homines artificio eloquentiæ, ac doctrinæ novitate, & retinuit ſimulatione probitatis; quoniam ore, & habitu præ ſe ferens humilitatem, quæ eſt ſpecies ſanctitatis, homines ad ſe venerandum alliciebat.

Quin & nonnulli Epiſcoporum depravati.) Demum, qui profanos illexerat, etiam Sacerdotes corrupit, ut Inſtantium & Salvianum Epiſcopos, qui cum eo prope conjurarunt. Qui vero hi fuerint, non prodit, verum ex Luſitania fuiſſe apparet; nam & ipſe Priſcillianus fuit è Gallæcia.

Quo Adhyginus Epiſcopus Cordubenſis ex vicino agens comperta, ad Idacium emeritæ ætatis Sacerdotem refert.) Legendum: *quod Hyginus Epiſcopus Cordubenſis ex vicino agens comperiens ad Idacium Emeritæ civitatis Epiſcopum*; quia, Auguſta Emerita vicina erat Cordubæ. Ceterum Hyginus, & Idacius ſucceſſerunt Oſio Cordubenſi Epiſcopo, & Florentino Emeritæ civitatis Epiſcopo, qui in Concilio Sardicenſi ſubſcripſerunt hoc modo: *Florentinus Emeritæ civitatis Epiſcopus*; tum verò Emerita metropolis habebat dignitatem, quæ poſt à Caliſto II. Pont. Compoſtellam traducta eſt. Poteſt etiam legi: *Quo Hyginus comperta*, omnino enim Hygini, non Adhygini nomen eſt retinendum. Pro Idacio vero S. Hieronymus habet: *Hylatium*, in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

Is

(540) Geleſin. *Memphi*. Memphis Ægypti antiquiſſima Regia, & Metropolis. Unde *Memphiticam Regem*, pro Ægypto. *Dialogo* I. In ſacris libris dicitur נֹף. Eſa. XIX. 13. Jer. II. 16. & מוֹף alibi, in Targum מְפִיס. Arabicè *Menph.* Abulfeda. Hodie Cairi ampliſſimo ambitu concluditur, & nihil ejus, præter nomen, reſtat.

Galeſinius legit ut Sigon. *Memphi*. Verùm nihil eſt opus. Nam & cap. XV. Dialog. I. ſcribit: *Deſerta quod eſt Memphis contiguum*. Deinde in cap. XVI. ejuſdem Dialogi ſimiliter ſcribit *Syenis*, numero itidem plurali.

(541) Hic nomen Priſcillianiſtis dedit. Qui non confundendi cum Priſcillianis, quos alio nomine Quintilianos ſive Pepuzianos vocarunt, & Ἀρτοτυρίτας. His enim nomen dedit Quintilla ſive Priſcilla quædam: fueruntque iidem cum Phrygibus. Tradidere, Quintillam aut Priſcillam, in Pepuza dormiviſſe, & Chriſtum ad ipſam veniſſe, ipſique revelaſſe, Pepuzam (qui locus eſt in ſuperiore Phrygia) eſſe cœleſtem illam Jeruſalem, & Civitatem, de qua Prophetæ vaticinati ſint. Laudabant Evam, quod lapſus & ſalutis cauſa fuiſſet. Vide S. Epiphanium hæreſi XLIX.

(542) Nihil mirum cùm etiam Marcus, qui hanc hæreſin primus in Hiſpanias intulit, Artis Magicæ ſcientiſſimus fuerit. S. Hieron. adv. Pelag. ad Cteſiph. *Priſcillianus Zoroaſtris Magi ſtudioſiſſimus, & ex Mago Epiſcopus, cui juncta Galla non gente, ſed nomine Germana, huc illucque currentem alterius & viciniæ hæreſis reliquit hæredem.*

(543) Infra *Iginus* vocatur: ſed legendum utrobique *Hyginus*. Hic Hoſio in Epiſcopatu ſucceſſit.

Druſius legendum cenſet *Hyginus*. Quod veriſimile fit ex eo, quòd idem & infra vocari videtur *Iginus*; pro quo tamen itidem *Hyginus* legendum fuerit.

(544) Sigonius legendum putat *Emeritæ civitatis*, ut *Emerita* ſit nomen proprium loci. Et conſtat ſanè, in Luſitania fuiſſe urbem nomine *Emeritam*: cujus Epiſcopus & Metropolitanus fuit. Porrò *Sacerdotem* dicit pro Epiſcopo, ut ſæpe,

refert. Is verò sine modo, & ultra, quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quandam nascenti incendio subdidit: ut exasperaverit malos potiùs, quàm compresserit.

CONCILIUM CÆSARAUGUSTANUM CONTRA PRISCILLIANISTAS.

Igitur post multa inter eos, & digna memoratu certamina, (545) apud Cæsaraugustam (546) Synodus congregatur: cui tum etiam Aquitani Episcopi interfuere. (n) Verùm hæretici committere se judicio non ausi, in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius & Salvianus Episcopus, (547) Helpidius, & Priscillianus laici. Additum etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset (548) sciret, in se eandem sententiam promendam. Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret, maximèque Hyginum extra communionem faceret: (549) qui cùm primus omnium insectari palam hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus, in communionem eos recepisset.

PRISCILLIANISTARUM TUMULTUS.

Interim Instantius & Salvianus damnati judicio Sacerdotum, Priscillianum etiam laicum, sed principem malorum omnium, unà secum Cæsaraugustana Synodo notatum, (o) ad confirmandas vires suas Episcopum in Labilensi (550) oppido constituunt: rati nimirum, si hominem acrem & callidum Sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tum verò Idacius atque Ithacius acrius instare, arbitrantes posse inter initia malum comprimi: sed parum sanis consiliis seculares Judices adeunt, (551) ut eorum decretis atque exsecutionibus hæretici urbibus pellerentur. Igitur post multa & fœda Idacio supplicante, elicitur à Gratiano tum Imperatore rescriptum, quo universi hæretici excedere non Ecclesiis tantùm aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, sponte cessere, qui Episcopi videbantur: ceteros metus dispersit. At tum Instantius, Salvianus & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Urbis ea tempestate Episcopum obje-

Is vero sine modo, & ultra, quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens.) Idacius vero Instantium, & socios maledictis gravibus, & fortasse minis acrioribus, quam oportuit, est aggressus; atque ita incendium potius auxit, quam sedavit, & furorem hæreticorum irritavit potius, quam compressit.

(n) Cùm autem diu scriptis inter se, probrisque certassent, tandem Catholici Episcopos ad Concilium Cæsaraugustam vocarunt; in quo affuere Episcopi non solum ex Hispania, sed etiam ex Aquitania; hæreticos autem judicio se committere non ausos, Catholici absentes damnarunt, nempe Instantium, & Salvianum Episcopos, Helpidium, & Priscillianum laicos; illo addito, si quis eos in communionem recepisset, eadem pœna teneretur. Pœna verò fuit Episcopis amissio Ecclesiæ, & ut communione omni Ecclesiæ ejicerentur.

Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret.) Non solum decreta faciunt, ut damnent hæreticos, sed executionem etiam mandant uni ex Episcopis Ithacio Sossubensi. Quæ autem civitas sit Sossuba, nondum reperi. Suspicor, ne Ossonobensi scribendum sit; nam Ossonoba fuit civitas Lusitaniæ, & Vincentius Episcopus Ossonobensis interfuit Concilio Eliberitano. Ni quis malit Oxomensi; nam Uxama Plinio, & Ptolemæo in Hispania celebratur, & in Conciliis legitur Episcopus Oxomensis, vulgo Osma. Isidorus vocat Ithacium Hispaniarum Episcopum.

Maximè Hyginum extra communionem faceret.) Nominatim mandatum, ut Hyginum communione depellaret, qui cùm hæreticos primus insectatus esset, tamen post in communionem receperat.

(o) Quæsivi quoque quod sit Labilense oppidum in Hispania, nec reperi. Quare Abilensi legendum putavi. Est enim Abila, seu Abula, nota & veteribus, & præsentibus temporibus in Hispania. Confirmavit meam opinionem S. Hieronymus, qui in libro de scriptoribus Ecclesiasticis Priscillianum Abilæ Episcopum vocat. Ut autem ex Labilensi litera ad sanitatem restituendam est detrahenda: sic etiam ex Sossubensi. Ergo hæretici Priscillianum a Catholicis damnatum Abilensem Episcopum faciunt.

Tum vero Idacius, atque Ithacius instare arbitrantes posse inter initia malum comprimi, sed parum sanis consiliis seculares judices adeunt.) Ut autem hæretici Priscilliano Episcopo constituto se muniverunt, sic Catholicorum principes ad præsidium secularium judicum contra eos confugerunt, atque à Gratiano tum Imperatore in Galliis agente rescriptum elicuerunt, ut omnes hæretici Ecclesiis, urbibus, ac terris omnibus pellerentur, factum est hoc anno CCCLXXXI.

Quo comperto Gnostici diffisi rebus suis non ausi judicio certare sponte cessere, qui Episcopi videbantur, ceteros metus dispersit.) Cognito edicto Imperatoris, hæretici, qui Episcopos se gerebant, cùm propter superiorem damnationem vere Episcopi non essent, non ausi in conspectum Imperatoris venire & coram caussam dicere, sponte ex Hispania abiere, alii aliò metu dispersi sunt.

Ac

(545) Crebræ, ut videtur, A. CCCLXXXIV. contra Priscillianistas Synodi habitæ. Fl. Luc. Dexter in Chronico, A. CCCLXXXIV. *Emeritæ Augustæ in Hispania Episcopus Metropolitanus Pontifex Lusitaniæ, contra Priscillianum Concilium convocabit.*

(546) Pro *Cæsaraugusta*. Ut jam adpareat, nostrum ferè perpetuò ita scribere.

(547) Legendum sine dubio *Episcopi*, ut Drusius monuit. Quippe *Instantium* quoque Episcopum fuisse, ex sequentibus intelligi potest.

(548) Hæc verba dubitare nos non sinunt, fragmenta Cæsaraugustani Concilii, esse ejusdem, cujus hoc loco Severus meminit. Nam ibi Canon. V. est: *Item lectum est*: ut hi qui per disciplinam aut sententiam Episcopi ab Ecclesia fuerint separati, ab aliis Episcopis non sint recipiendi. Quod si scientes Episcopi fecerint, non habeant communionem. Ab universis Episcopis dictum est: *Qui hoc commiserit, Episcoporum non habeat communionem*. Sed & ex dogmatibus atque corruptelis Priscilliani, quæ sanctis contrariis legibus idem Concilium conatum est convellere, planè intelliges, hoc illud idem esse Concilium Cæsaraugustanum, cujus Severus meminit. Cum enim Priscillianus plurimas nobiles fœminas seduxisset, Concilium sancivit: *Ut mulieres omnes Ecclesiæ Catholicæ fideles à virorum alienorum lectione, & cœtibus separentur*. Quod iidem jejunarent die Dominico, & abominanda in clandestinis conventibus patrarent, statutum: *Ne quis jejunet die Dominico. Ne habitent in latibulis cubiculorum ac montium*. Sumentes Eucharistiam eam non comedebant. Contra hoc Synodus: *Eucharistiæ gratiam, si quis probatur acceptam non consumsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum*. Baron.

(549) Pro *Iginus* legendum, ut diximus, *Hyginus*. Estque idem ille Episcopus Cordubensis, de quo superius scribit, quòd comperto, Instantium & Salvianum sub conjuratione quadam suscepisse Priscillianum, rem ad Idacium, Episcopum Emeritensem, atque adeò Metropolitanum Lusitaniæ, retulerit. Porrò *extra communionem facere* concise dictum pro *facere ut esset extra communionem*, *facere ut communio ei negaretur*.

(550) Pro *Labilensi* legendum sine dubio *Abilensi*, ut Sigonius censet: quia *Labinum* nomen planè ignotum est; Hieronymus autem in lib. de Script. Eccl. Priscillianum Episcopum Abilæ vocat.

(551) De novâ vocabuli *secularis* notione, hujusque origine, monui supra in Notis ad pag. 121. nu. 192. hujus, & ad pag. 17. nu. 56. superioris libri.

objecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit: ubi tum ab imperitis magnificè suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximèque Elusanam plebem, (552) sanè tum bonam & religioni studentem, pravis prædicationibus pervertêre, à Burdigala per Delphinum repulsi, (553) tamen in agro Euchrociæ aliquantisper morati, infecere nonnullos suis erroribus. Inde iter cœptum ingressi, turpi sanè, pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam fœminis, in quibus erat Euchrocia, ac filia ejus Procula: (554) de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse. Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æquè adversantem sibi Ambrosium repererunt. (555) Tum vertêre consilia, ut qui duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent, ita corrupto Macedonio, (556) cum Magistro officiorum, (557) rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius & Priscillianus, repetivere Hispanias. Nam Salvianus in Urbe obierat: ac tum sine ullo certamine Ecclesias, quibus præfuerant, recepere. Verùm Trachio (558) ad resistendum non animus, sed facultas defuit: quia hæretici corrupto Volventio Proconsule, vires suas confirmaverant. Quinetiam Ithacius (559) ab his quasi per-

tur-

Ac tum Instantius, Salvianus, & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum urbis ea tempestate Episcopum objecta purgarent.) Hæretici non accepto seculari judicio ad Principem Ecclesiarum omnium confugerunt, Romanum inquam Pontificem, Damasum, vel quia Pontifex erat, vel quia ex Hispania genus trahebat; is anno CCCLXXXIV. obiit, vir sanctitate insignis.

Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, ubi tum ab imperitis magnifice suscepti sparsere perfidiæ semina.) Hæretici Romam proficiscentes ex Hispania per Aquitaniam Galliæ provinciam iter fecerunt, ubi benigne excepti hæresim suam docuerunt.

Maximeque Elusanam plebem, sane tum bonam, & religioni studentem pravis prædicationibus pervertere.) Elusates Galliæ populos nominavit quoque Plinius, quos nunc corruptos a Gnosticis inquit Sulpicius.

A Burdigala per Delphinum repulsi.) Delphinus Episcopus Burdegalensis in Aquitania secunda, comperto Gnosticorum adventu, illos urbe arcuit; quare in agro apud Euchrociam viduam morati nonnullos, & præcipue ipsam Euchrociam depravarunt. Hæc Euchrocia uxor Delphidii Rhetoris, & Poetæ fuerat. Delphini Episcopi per hæc tempora meminit S. Ambrosius epistola LV. ad eum quoque scripsit S. Paulinus Episcopus Nolanus ab eo Burdigalæ baptizatus. Burdigala fuit metropolis Aquitaniæ secundæ.

Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æque adversantem sibi Ambrosium repererunt.) Gnostici neque Romæ a Pontifice Damaso, neque in reditu Mediolani ab Archiepiscopo Ambrosio ad se purgandum admissi sunt. Recte, fuit enim uterque priscæ severitatis, & innocentiæ vir, nec mirandum est, S. Ambrosium hæreticos exclusisse, qui etiam Theodosium majorem Imperatorem cæde Thessalonicensi cruentum Templi aditu prohibuerit, & pectori pedus objecerit. Eorum uterque inter Sanctos relatus est.

Tum vertere consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo, & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent.) Gnostici postquam nihil æqui à Summo Pontifice, & ab Archiepiscopo Mediolanensi obtinere potuerunt, qui eo tempore ceteris auctoritate præstabant, ad judicium seculare se retulerunt, & corrupto donis, & precibus Macedonio Officiorum Magistro rescriptum contrarium à Gratiano elicuerunt, quo abrogatis prioribus edictis, Ecclesiis, unde pulsi erant, restituti sunt; id actum anno CCCLXXXII. existimatur. Quod legitur: *corrupto Macedonio cum Magistro Officiorum*, legendum: *tum Magistro*, ut Macedonius intelligatur eo tempore Magister Officiorum, atque ita Instantius & Priscillianus Ecclesias sine certamine receperunt. Nam Salvianus Romæ diem suum obierat.

Verum Trachio ad resistendum non animus, sed facultas defuit, quia hæretici corrupto Volventio Proconsule vires suas confirmaverant.) Hæretici inde recrusti Volventium Proconsulem Hispaniæ donis corruptum in partes suas traxerunt, atque ita favore, & edictis ejus opes suas stabiliverunt. Quare Idacius, licet maxime cuperet, eos insectari non potuit. Est autem intelligendum, non omnes provincias habuisse Proconsulem, sed tantum Africam, & Hispanias, quæ Proconsulem, & Vicarium habuerunt, cùm aliæ Præsidem, & Vicarium haberent. Gratianus autem hoc tempore, ut post apparebit, Proconsulem Hispaniæ removit, ac solum Vicarium reliquit. Itaque in Notitia Imperii Occidentalis sola Africa Proconsularis nominatur, quod etiam Salvianus scripsit, in libro de providentia Dei. Pro *Trachio* sententia postulat, ut reponatur *Idacio*.

Quis

(552) Elusates Galliæ populos nominavit quoque Plinius. Nihil mutandum. Eluso oppidum in finibus Nitiobrigum, qua amni Draguro a Petrocoriis dividuntur. Vulgò Lausum.

Ab Elusone, oppido Galliæ sic dictam.

(553) Martyrol. Roman. ad XXIV. Decemb. *Burdegala Sancti Delphini Episcopi, qui Theodosii tempore claruit Sanctitate.* Ad eum extant multæ Epistolæ Paulini Nolani. Ejusdem mentio fit in fragmentis Cæsaraugustani Concilii, & apud Ambros. Epist. LV.

(554) Euchrocia sive Eochrmia uxor erat Delphidii Rhetoris, quem Ausonius recenset inter Burdegalenses professores. Idem Euchrociam cum filia Procula significat, cùm ait, Delphidium alloquens:

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es,
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus conjugis.

(555) A. CCCLXXXVIII. Aliquot Episcopi Priscillianæ factionis ad Ambrosium Mediolanensem Episcopum confugiunt, qui anteactæ vitæ & suorum errorum valde dolentes, confessione ad gremium Ecclesiæ redire satagunt. In quibus Dictinius tunc Presbyter, postea verò Episcopus Asturicensis, Symphosius Episcopus è Gallæcia, & etiam alii complures. *Dexter* in Chronico. Eadem ferè Idatius in Chronico suo habet.

(556) Immane profectò piaculum, quo suggestione Macedonii Gratianus Princeps maximè pius, ejus, quod piè sanxerat, prævaricator est factus: ea quo quidem facinore sibi necem comparavit. Nam Deus Maximum Tyrannum suscitavit, qui & Imperatori & hæreticis necem intulit. Nec multum abiit Macedonius, ut Paulinus in Vita Ambrosii docet: *Temporibus Gratiani, cum ad Prætorium Macedonii tunc Magistri officiorum pro quodam intercedendo, Ambrosius perrexisset, atque præcepto prædicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait:* Et tu quidem venies ad Ecclesiam, quam nec, clausas januas inveniens, ingredieris: *Quod factum est mortuo Gratiano. Confugiens etenim Macedonius ad Ecclesiam, patentibus januis aditum invenire non potuit.*

(557) Legendum, ut Sigonius monuit: *tum Magistro officiorum*: ut intelligatur, Macedonium, cujus mentio ante facta, Magistrum officiorum tum temporis fuisse. Fuit autem *Magister officiorum*, ut ex Notitiâ Imperii Orientalis & Occidentalis adparet, magnæ dignationis vir; cui non tantum multæ Scholæ, sed & variâ scrinia ac fabricæ commissæ fuere.

(558) Pro *Trachio* rescribendum sine dubio *Idacio*, ut Sigonius monuit. De hoc nimirum paulò ante scripserat, quòd eo supplicante rescriptum elicitum fuerit ab Imperatore, quo universi hæretici excedere non Ecclesiis tantùm aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jussi fuerint. Idem igitur Idacius, qui rescriptum istud elicuerat, cùm rescriptum aliud elicitum esset, quo hæretici Ecclesiis restitui juberentur, nihil ampliùs efficere potuit.

(559) Si pro *Trachio* rectè legitur *Idacio*, ut videtur; hic quoque *Idacius* legendum fuerit. Quamquam cognata nomina sunt *Idacius* & *Ithacius*; & supra pag. 177. Idacius & Ithacius, ut eamdem rem agentes, conjunguntur,

turbator Ecclesiarum reus postulatus, jussusque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias: ibi Gregorium Præfectum adiit. (560) Qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet. Sed id frustra fuit: quia per libidinem & potentiam paucorum, cuncta ibi venalia erant. Igitur hæretici suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent, ut Imperiali auctoritate Præfecto erepta cognitio, Hispaniarum Vicario (561) daretur. Nam jam Proconsulem habere desierant: missique à Magistro officiales, qui Ithacium tum Treveris agentem (562) ad Hispanias retraherent. Quos ille callidè frustratur: ac postea per Britannium Episcopum defensus, illusit.

CONCILIUM BURDIGALENSE ADVERSUS PRISCILLIANISTAS.

Jam rumor incesserat Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse Imperium, ac brevì in Gallias erepturum. (p) Ita tum Ithacius statuit, licèt rebus dubiis novi Imperatoris adventum exspectare: interim sibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingressus est, ingerit preces plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiæ atque criminum. Quibus permotus Imperator datis ad Præfectum Galliarum atque ad Vicarium Hispaniarum literis, omnes omnino, quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdigalensem jubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse Episcopatu pronunciatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit, (563) permissumque id nostrorum inconstantia, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut sibi ipsi suspecti habebantur, (564) alii.

Quin etiam Ithacius ab his quasi perturbator Ecclesiarum reus postulatus, jussusque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias, ibi Gregorium Præfectum adiit.) Ex duobus hæreticorum accusatoribus Idacius, qui ultro agebat, resistere adversus Proconsulem Volventium ab adversariis corruptum non potuit. Ithacius vero, qui mandato Cæsaraugustanæ Synodi agebat, tanquam auctor seditionis insimulatus, a Proconsule atroci executione ad se deduci est jussus, quod ut ille sensit, trepidus in Gallias ad Gregorium Præfectum Prætorio Galliarum, ut ad altiorem Magistratum, confugit, atque ejus præsidium imploravit.

Qui compertis, quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet.) Gregorius autem Præfectus cognitis rebus in Hispania actis, Instantium, & Priscillianum turbarum auctores rapi ad se jubet, omnia ad Gratianum Imperatorem refert, ne quid integrum per ambitum agendi hæreticis relinquat. Interim Hispania Proconsule spoliatur, atque omnis judicii summa ad Vicarium Hispaniæ redigitur.

Sed id frustra fuit, quia per libidinem.) Ubi ergo remotum esse Proconsulem Volventium ex Hispania, solumque Vicarium relictum hæretici cognoverunt, tum artibus suis Macedonium Magistrum Officiorum apud Imperatorem corruperunt, ac per eum edictum Imperiale elicuerunt, ut cognitio causæ hæreticorum Hispanorum eriperetur Præfecto Prætorii Galliarum, & traderetur Vicario Hispaniarum; nam tum Proconsul nullus erat, nec postea fuit; ut ex Notitia declaratur.

Missique à Magistro Officiales, qui Ithacium tum Treviris agentem ad Hispanias retraherent.) Nec solum Macedonius Magister Officiorum cognitionem ad Vicarium Hispaniarum redegit, sed etiam misit officiales, qui Ithacium tum Treviris agentem, (nam ibi erat cum Imperatore Præfectus Prætorio) ad Hispanias retraherent.

Quos ille callide frustratur, ac postea per Britannium Episcopum defensus, illusit.) Malim *frustratus*, ut sit: Quos cùm ille è manibus elapsus decepisset, (hoc enim est *callide frustratus*,) ac postea per Britannium Episcopum apud Imperatorem defensus fuisset, illusit; siquidem in Gallia restitit, neque ad causam dicendam in Hispaniam adiit.

(p) Anno CCCLXXXIII. Clemens Maximus militum Præfectus Gratiani Imp. in Britannia militari favore Imperator adversus Gratianum ipsum appellatus tantas mox opes adeptus est, ut ex Britannia in Galliam penetrarit, ac Gratianum Treviris fugientem persecutus ipsum apud Lugdunum occiderit, & Gallias, Hispaniasque sibi adjunxerit. Ithacius ergo ubi audivit, Maximum in Galliam erupturum, licet dubia victoria proponebatur, tamen adventum ejus expectare, atque interim nihil agere statuit. Hoc loco legenda est Historia Occidentalis à me scripta.

Igitur ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingressus est.) Erupit ergo Maximus in Galliam ac Trevirorum oppidum a Gratiano desertum victor iniit. Quod ut vidit Ithacius, statim Maximum adiit, atque adversarios, quam criminosissime, & invidiosissime potuit, accusavit, precesque pro se ipso, & caussa Catholicorum adjecit: quibus permotus Maximus Præfecto Prætorio Galliarum, & Vicario Hispaniarum literis datis mandavit, ut ad Concilium Burdigalæ Episcopis indictum omnes, qui hæretici esse dicebantur, abduci juberet. Maximus vero æquum se Catholicis præbuit adeo, ut etiam S. Martinum, Episcopum Turonensem in maximo honore habuerit; auctor Sulpicius in vita.

Ita deducti Instantius, & Priscillianus.) Hoc modo hæretici ad Concilium, quod semper ante evitarant, Burdigalam deducti, ex quibus Instantius, cùm se purgare non posset, Ecclesia spoliatus est. Priscillianus, ut Episcoporum judicium declinaret, ad Imperatorem provocavit. Hoc idem S. Prosper in Chronico: *Priscillianus in Synodo Burdigalensi se damnandum intelligens ad Imperatorem Maximum provocavit. Burdigalæ Urbica Priscilliani discipula ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus extincta est.*

Permissumque id nostrorum inconstantia.) Reprehendit factum Episcoporum Catholicorum, qui Priscilliani provocationi ad Imperatorem resserunt, cùm debuissent aut in eum refragantem sententiam ferre, aut si ipse eos Episcopos suspectos haberet, ad alios Episcopos cognitionem transferre, non caussam Sacerdotum de tam manifestis criminibus Imperatori laico permittere, de qua Valentiniani Imp. rescriptum extabat, ut scribit S. Ambrosius in epistola ad Valentinianum majorem: *Valentinianus major Imp. non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in caussa Fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui* nec

(560) Prætorio. Hic postea Episcopus factus est. Fl. Luc. Dexter A. CCCLXXXVIII. *Augustali in Sede Bætica Illiberritana succedit Gregorius ex Præfecto Prætorio Galliæ, jam confectæ & gravioris ætatis, vir apprimè pius, & egregiè bonas artes doctus.* Et ad An. CCCCXXIII. *obiit Gregorius, Bæticus, cùm prius dicasset librum, de Fide, vel de Trinitate, Gallæ Placidiæ Augustæ, fœminæ lectissimæ.*

(561) Hic vox aliqua ad complendum sensum desideratur. Et Galesinius quidem adjiciendum putat *deferatur*; ut intelligatur, Imperatoris Gratiani mandato cognitionem causæ Præfecto Prætorio Galliarum Gregorio ereptam, & Vicario Hispaniarum delatam fuisse. Sigonius adjecit *daretur*.

(562) Editio Coloniensis *tum in ære veris agentem*. Giselinus igitur *ære veris* ea conjectura restituit *Treveris*. Galesinius autem maluit *Arvernis*.

(563) Maximum Tyrannum. Prosper in Chronico: *Priscillianus in Synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum provocavit.*

(564) Ita editiones Colonienses & aliæ. At manifestum est, excidisse *si*, & legendum esse *aut, si sibi ipsi*. Deinde reciprocum *sibi* videtur esse pro demonstrativo *ei* vel *illi*; ut ad Priscillianum hoc pertineat. Quem pronominis *sibi* usum & supra pag. 100. hujus lib. observavimus.

aliis Episcopis audientiam reservare, non caussam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes, quos caussa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi, plus quàm oportuit, certassent. (565) Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quàm accusatores displicere. (566) Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse (567) definio. Fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eò usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, (568) aut propositum erat certare jejuniis, (569) tanquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen accerseret. Ausus etiam miser est, ea tempestate Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam. Namque tum Martinus apud Treveros constitutus, (570) non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut Episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut caussam Ecclesiæ judex seculi (571) judicaret. Denique quo ad usque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est, & mox discessurus, egregia auctoritate à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea Imperator per Magnum & Rufum (572) Episcopos

nec munere impar sit, nec jure dissimilis (*hæc enim verba rescripti sunt*;) *hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere.*

Ita omnes, quos caussa involverat, ad Regem deducti, sequuti etiam accusatores Idacius, & Ithacius Episcopi.) Hoc ab Episcopis concilio, omnes per Treviros ad Maximi Imperatoris judicium, ut appellaverant, deducti, eosque ipsi Episcopi accusatores de more sequuti. Qui fuerint rei, post ex damnatione cognoscetur.

Quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem si non studio vincendi plusquam oportuit, certassent.) Arguit accusatores vincendi potius studio, quam hæresis odio reos usque ad extremum peregisse. Quod etiam sentire videtur S. Hieronymus, cùm scripsit: Priscillianum Idacii, & Ithacii factione à Maximo tyranno cæsum fuisse.

Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos, quàm accusatores displicere, certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio; fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri, & gulæ plurimum impertiens.) Lego sic, postulante sententia: *mihi non tam reos, quàm accusatores displicere*. Judicium enim suum interponit; quo, inquit, non se tantus improbare reos Priscillianistas, quam accusatores eorum Episcopos Idacium, & Ithacium, ut qui studio crudelitatis ad accusandum adducerentur. Quod etiam tradidit Pacatus, homo gentilis, de illis sic scribens ad Maximi vituperationem in Panegyrico: *Fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, revera autem satellites, atque adeo carnifices non contenti avitis evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum, & pauperum*; præcipue autem vituperat Ithacium, ut qui moribus parum probatis in aliorum vitam inveheretur.

Hic stultitiæ usque eo processerat.) Invehitur in eumdem Ithacium, ut qui non solum vita parum probata esset, sed etiam iniquitatem certiam adjunxisset, ut omnes doctos, aut bonos viros, tanquam Priscilliani socios, aut discipulos accusaret.

Ausus etiam miser est, ea tempestate Martino Episcopo, viro plane Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam.) Nominatim inter bonos, & sanctos viros, quos Ithacius insectatus est, S. etiam Martinum Turonensem Episcopum vexare objecto hæresis crimine voluit, quod mox declarat. Et hoc loco vereor, ne verba illa, *ea tempestate*, loxata sint, & suum locum non teneant; malimque ita legi: *Ausus etiam miser est, Martino Episcopo, viro ea tempestate plane Apostolis conferendo, objectare hæresis infamiam*. Hoc enim auget crimen, non quòd tum Martino hæresim objectarit, sed quòd Martino objectarit, qui ea tempestate superabat omnes sanctitate, ut conferri cum Apostolis posset. Unde alio loco vocavit *beatum, & per omnia Apostolis similem*. Hujus vitam copiosissime scripsit Sulpicius, nam eo familiariter usus est. Objecit autem hæresim, quod negaret, hæreticos capite esse plectendos, cùm satis esset, Ecclesiis eos exuisse.

Namque tum Martinus apud Treveros constitutus non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret, Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret.) Maximum per hoc tempus Treviris versatum, docet S. Ambrosius epistola XXVII. ad Valentinianum Imperatorem. S. Martinum Treviris cum Maximo de negotio Priscillianistarum collocutum, ostendit Sulpicius in Vita S. Martini, & in dialogo tertio. Favit autem S. Martinus hæreticis non caussa hæreticorum, sed Ecclesiæ Catholicæ, cujus auctoritatem agi videbat, cùm a seculari judice caussa Sacerdotum cognosceretur, & in reos capitali supplicio animadverteretur, ergo & judicem, & pœnam improbabat; itaque rem ad Episcopos revocandam, & minori brachio tractandam censebat, nempe Ecclesiis, non vita, adimendis; novam enim & pravam judicii rationem introduci, ut caussam Ecclesiæ judex seculi judicaret.

Denique quoadusque Martinus Treviris fuit, dilata cognitio est.) Neque vero solum præsens S. Martinus cognitionem caussæ hæreticorum distulit, sed etiam discedens promissum a Maximo elicuit, fore, ut capitali pœna hæretici non afficerentur, & a sanguine abstineretur. Quanta porro auctoritate fuerit S. Martinus apud Maximum, docet idem aliis argumentis in vita ejus.

Sed

(565) Arguit accusatores vincendi potius studio, quam hæresis odio reos usque ad extremum peregisse. Quod etiam sentire videtur Hieronymus, cum scripsit: *Priscillianum Idacii & Ithacii factione à Maximo Tyranno cæsum fuisse*. Hæc nota indelebilis inusta Episcopo accusatori. *Baron.* Utcumque Ithacius nimio fervore peccarit, puniti illi sunt, non ob hæresin, sed propter immania, quæ patrabant, scelera. Nam Synodis, & Disputationibus coerceri haudquaquam potuerunt. Quæ crebræ contra eos in Hispania. Fl. Luc. Dexter: *Audentius Episcopus Toletanus, editis contra Priscillianum libris, ac habitis publicè contra Priscillianistas disputationibus, mirificè floret*. Et A. CCCXXXVI. *Toleti Concilium habetur contra omnes Episcopos rebelles ex secta Priscilliani, qui vehementer urgentur*.

(566) Sigonius legit: *mihi non tam reos, quàm accusatores displicere*.

(567) Putant quidam nostrum præcipuè Sallustium imitatum esse. Quod si ita est, hanc quoque phrasin *nihil pensi habere*, à Sallustio mutuatum eum esse dicendum fuerit. Certè Sallustius in Bello Catil. sic non semel loquitur. Sed non addit ille *nihil sancti*. Addit verò alicubi, *neque moderati*: ut plenum sit, *nil sancti, neque moderati habere*.

(568) Ad hunc modum quoque antiquiores. Sallustius B. Catil. *Huic homini non minor vanitas inerat, quàm audacia*. Vide & Ind. in Nep. v. *inesse*.

(569) Ithacius voluptuosus, quosque jejunantes, etiam Catholicos (ut accidit de S. Martino) cum Priscilliano sentire criminabatur. *Baronius*. Nam Priscillianistæ jejunabant die Dominico, & tempore Natalis Domini. Unde Canon in Cæsaraugustana latus: *Ne quis jejunet die Dominico causa temporis aut persuasionis aut superstitionis*.

(570) Mox *Martinus Treveris fuit*. Ergo tandem aliquando more scribendi antiquiore utitur. Illud *apud Treviros* tale est, qualia sunt superiora *apud Babylonem, apud Ariminum, apud Cæsaraugustam*.

(571) Supra pag. 177. *Judices seculares*. *Seculum* nostro idem quod *mundus*; & *secularis* idem quod *mundanus*, vel, ut iidem noster habet *mundialis*: Cujus rei causa & origo supra tradita pag. cit.

(572) Quærendum an is sit, qui post Episcopatu dejectus fuit, quòd Pseudo Prophetam quemdam, qui se Eliam fingebat, in Hispaniis adorasset. Ejus mentio in Vita Martini. Proculdubio is ipsus est. Verba sunt: *in quo etiam adeò illexit, ut eum quidam Episcopus, nomine Rufus, ut Dominum adoraret*.

pos depravatus, & à mitioribus consiliis deflexus, causam Præfecto Evodio permisit, viro acri & severo. Qui Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, (573) nudumque orare solitum, nocentem pronunciavit, redegitque in custodiam, donec ad principem referret. Gestis ad palatium delatis, censuit Imperator, Priscillianum sociosque ejus capitis damnari oportere. (574) Ceterum Ithacius videns quàm invidiosum sibi id apud Episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset (etenim iterati judicium necesse erat) subtrahit se cognitioni, frustra callido jam scelere perfecto. At tum per Maximum accusator apponitur patricius quidam, Fisci patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est, unàque cum eo Felicissimus & Armenius, qui nuper à Catholicis, Clerici Priscillianum secuti, desciverant. Latronianus quoque (575) & Euchrocia, gladio perempti. Instantius, quem superius ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam, quæ ultra Britanniam sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos sequentibus judiciis, damnatique Asarinus & Aurelius Diaconus, gladio. Tiberianus, ademptis bonis, in Sylinam insulam datus. Tertullus, Potamius, & Joannes, tanquam viliores personæ, & digni misericordia,

Sed postea Imperator per Magnum, & Rufum Episcopos depravatus, & à mitioribus consiliis deflexus, causam Præfecto Evodio permisit, viro acri, & severo.) Promisit primum Maximus S. Martino, se capitali pœna in hæreticos non usurum, inde a duobus Episcopis Magno, & Rufo depravatus consilium mutavit, ac caussæ cognitionem Evodio permisit, qui Præfectus Prætorio Galliarum erat, & severitate præstabat. Prosper item hanc caussam Treviris cognitam esse ab Evodio Præfecto Prætorio ait. Meminit ejusdem Evodii, & Consulis, & Prætorio Præfecti Sulpicius in Vita S. Martini: *Convivæ aderant*, inquit, *veluti ad festum diem evocati summi, atque illustres viri, Præfectus, idemque Consul Evodius, vir quo nihil unquam justius fuit.* Consul autem fuit Evodius anno Christi CCCLXXXVI.

Qui Priscillianum gemino judicio auditum convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis.) Docet, quàm juste judicium Priscilliani sit actum; primum bis auditus est; in quo ostendit, servatam esse comperendinationem, in qua primum agebat accusator, deinde defensor, & post diem tertium revocato judicio primum defensor, tum accusator; quare duæ actiones erant. De quibus nos in libris de judiciis pluribus. Convictum autem maleficii, vocat, testimoniis & alienis, & suis expugnatum. Quod autem dixit: *Nocentem pronunciavit*, in hoc etiam morem Romanum servatum ostendit; quo Prætor cognita caussa ex judicum sententia pronunciabat: *Videri fecisse, aut non jure fecisse.*

Nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus.) Præcipue tales conventus frequentabantur à Gnosticis, in quibus luminibus per canes extinctis promiscue inter se libidinis gratia miscebantur; quod gentiles Christianis Catholicis crimini objecerunt, cùm hoc esset hæreticorum flagitium, non Catholicorum. Tertullianus.

Gestis delatis censuit Imperator, Priscillianum sociosque ejus capitis damnari oportere.) Probato crimine, de pœna erat agendum; propterea Imperator constituit, ut postquam nocentem eum esse constabat, cognosceretur num ipse, & socii ejus capite damnandi essent. Sic enim ferme Athenienses agebant, ut primum de crimine, tum de pœna cognosceretur, ut in libris de Rep. Atheniensium demonstravimus. Quod apud Romanos usitatum non fuit, cùm omnia crimina suis pœnis, idest, legibus constitutis, peragerentur; at hoc crimen hæresis, atque impietatis nondum Legibus Romanis fuerat comprehensum; neque enim hujusmodi caussæ ad secularia judicia deferebantur, ut supra dictum est.

Ceterum Ithacius videns, quam invidiosum id sibi apud Episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset.) Cùm autem judicium illud constituendum esset, in quo de capitali pœna certaretur, Ithacius accusationem reliquit, neque adesse judicio voluit; invidiosum sibi fore apud Episcopos ratus, si ipse Episcopus Episcopum reum usque ad extremum rei capitalis judicium peregisset.

Subtrahit se cognitioni, frustra callido jam scelere perfecto.) Reliquit accusationem, sed frustra, idest, sine reorum utilitate, præsertim callido jam scelere perfecto, idest, versuta accusatione peracta.

At tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam fisci patronus.) Imperator autem, ut caussa perficeretur, accusatorem novum constituit quendam, ad quem, quoniam fisci patronus erat, hæc accusatio pertinebat, quia fiscum attingebat, & Maximus in bona eorum inhiabat, ut inquit in dialogo III.

Ita eo insistente Priscillianus capitis damnatus est, unàque cum eo Felicissimus, & Armenius. Latronianus quoque, & Euchrocia gladio perempti.) Horum apud alios etiam mentio. S. Hieronymus in libro de sacris scriptoribus: *Priscillianus Abilæ Episcopus factione Hydatii, Ithacii Treviris à Maximo tyranno cæsus est, Matronianus provinciæ Hispaniæ valde eruditus cæsus est & ipse Treviris cum Priscilliano, Felicissimo, Juliano, Euchrocia ejusdem factionis auctoribus.* S. Prosper in Chronico: *Priscillianus auditus Treviris ab Evodio Præfecto Prætorio, à Maximo gladio addictus est cum Euchrocia Delphidii Rhetoris conjuge, & Latroniano, aliisque erroris consortibus.* Euchrociæ quoque supplicium exprobrat Maximus Pacatus in Panegyrico his verbis: *Sed nimirum graves fuerant, invidiosæque caussæ, ut unca ad pœnam clari vatis matrona raperetur; objiciebatur enim mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta divinitas*; appellat autem Euchrociam clari vatis matronam, quod Delphidii Rhetoris, & Poetæ uxor esset, teste Prospero.

Instantius, quem superius ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam, quæ ultra Britanniam est, deportatur.) Hanc insulam Plinius agens de Britannia, & insulis Orcadibus, Silumnum vocat. Damnatus autem est ab Episcopis Burdigalæ, tum cùm Priscillianus ad Imperatorem provocavit.

Itum inde in reliquos sequentibus judiciis, damnatique Asarinus, & Aurelius Diaconus gladio.) Horum mentionem apud alios adhuc non reperi.

Tiberianus ademptis bonis in Sylinam insulam datus.) De hoc sic S. Hieronymus: *Tiberianus Bæticus scripsit pro suspicione, qua cum Priscilliano accusabatur hæreseos, apologeticum tumenti, compositoque sermone. Postea post suorum cædem tædio victus exilii mutavit propositum, & juxta sanctam scripturam, canis reversus ad vomitum suum, filiam devotam Christo virginem matrimonio copulavit*, idest, ut interpretatur Sophronius, nubere compulit.

Tertullus, Potamius, & Joannes.) Neque horum alibi mentio reperitur. Harum vero omnium rerum sic meminit S. Leo in epistola ad Turbium: *Merito patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur; quoniam etiam principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent.*

Hæc

(573) Præcipuè tales conventus frequentabantur à Gnosticis, in quibus luminibus per canes extinctis promiscuè inter se libidinis gratia miscebantur, quod gentiles Christianis Catholicis crimini objecerunt, cùm hoc esset hæreticorum flagitium, non Catholicorum. *Tertullianus.*

(574. Prosper in Chronico: *Auditusque Treviris ab Evodio Præfecto Prætorio, ab eodem Maximo gladio addictus est cum Euchrocia Delphidii Rhetoris conjuge, & Latroniano, aliisque erroris consortibus. Quo tempore Burdegalæ quædam Priscilliani discipula, nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam, per seditionem vulgi, lapidibus extincta est.* Zon. IV.

(575) Eum Hieronymus Matronianum vocat, libro de Scriptoribus Eccles. *Matronianus Provinciæ Hispaniæ, vir valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, cæsus est & ipse Treviris cum Priscilliano, Felicissimo, Juliano, Euchrocia ejusdem factionis auctoribus. Extant ejus ingenii opera diversis metris edita.* Prosper Aquitanus in Chronico suo. Vide Hieron. de Viris Illustribus, & Chronicon Vaini.

Ita & Prosper in Chronico eum vocat. At Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccl. *Matronianum* adpellat.

Zz *

dia, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exilio intra Gallias relegati. Hoc ferè modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis multati: quod initio jure judiciorum & egregio publico defensum, (576) postea Ithacius in jurgiis solitus, ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & consiliis effecerat; solus tamen omnium Episcopatu detrusus (577) Nardacius, (578) licèt minus nocens, sponte se Episcopatu abdicaverat. Sapienter id, & verecondè, nisi postea amissum locum repetere tentasset. Ceterum Priscilliano occiso, non solum non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata, latius propagata est; namque sectatores ejus, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priscillianum summa religio putabatur, ac inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat: quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc cùm maximè discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, somno, desidia essent depravata: postremò plures adversùm paucos bene consulentes, insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei, & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

Hoc ferme modo homines luce indignissimi pessimo exemplo necati, aut exiliis multati.) Demum judicium Priscillianistarum concludens, inquit, eos hoc modo aut morti, aut exiliis affectos esse, sed pessimo exemplo, quòd judices seculares de Sacerdotibus judicassent, eorumque sanguinem effudissent; assentitur enim S. Martino, satis fuisse, si hæretici Episcopali sententia judicati Ecclesiis essent expulsi.

Quod initio jure judiciorum, & egregio publico defensum postea Ithacius in jurgiis solitus, ad postremum convictus in eos retorquebat, quorum id mandato, & consiliis effecerat.) Cùm autem hæc accusatio improbaretur, atque Ithacio eo nomine lis ab Episcopis inferretur, ille primo defendit jure judiciorum, quia leges dant, ut hæretici rei peragantur; deinde egregio publico, idest, utilitate communi, quia salutare Reip. fuerat, auctores tam exitiabilis hæresis profligari; itaque in jurgiis primum solitus; nam pronunciarant, eum culpa non teneri, ut dialogo III. cap. XV. scriptum est; tandem convictus rejecit culpam in eos, qui sibi aut tale mandatum aut ejusmodi consilium dedissent, fuerant autem Episcopi, qui Cæsaraugustæ convenerant. *Egregio* autem *publico* dixit, quo modo Livius libro II. *Pessimo publico. Neque ambigitur, quin Brutus pessimo publico Reges exacturus fuerit, si libertatis immatura libidine priorum Regum alicui regnum extorsisset. In jurgiis* autem, inquit, idest, in judiciis Episcoporum; nam jurgium est inter benevolos, lis inter inimicos. Unde Cicero libro IV de Rep. *Benevolorum concertatio, lis inimicorum, non jurgium dicitur.* Licet autem hoc modo se tueretur, solus tamen ex accusatoribus Episcopatu detrusus est.

Nardacius, licet minus nocens sponte se Episcopatu abdicaverat; sapienter id, & verecunde, nisi postea amissum locum repetere tentasset.) Et hic legendum puto: *Nam Idacius.* Ithacio tamen addit S. Prosper in Chronico Ursatium; sic enim inquit: *Timasio, & Promoto Coss. Ithacius, & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiæ communione privantur* anno Christi CCCLXXXIX. hoc enim Promotus, & Timasius Consulatum gesserunt. Utriusque etiam meminit S. Isidorus in libro de viris illustribus: *Ithacius cum Ursatio Episcopo ob necem Priscilliani, cujus accusatores extiterant, Ecclesiæ communione privatus exilio condemnatur, ibique die ultimo fungitur, Theodosio majore, & Valentiniano regnantibus.* Satis autem constat, S. Martinum ab eorum consuetudine se removisse, qui cum Ithacio communionem inierant. Traditur hoc in dialogo III apud Sulpicium. *Maximus Imp.* inquit, *depravatus consiliis Sacerdotum, post Priscilliani necem Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, ceterosque illius socios, quos nominari non est necesse, vi Regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opere illius cujuscemque modi hominem fuisse damnatum.*

Ceterum Priscilliano occiso non solum non repressa est heresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata latius propagata est.) Postquam de exitu reorum, & accusatorum ostendit, demum de sectatoribus agit. Hi vero haudquaquam suppliciis reorum deterriti, perfidiam suam deseruerant, immo in ea etiam perseverantes divinos Priscilliano honores instituerunt, eumque pro Martyre coluerunt. Huc vero pertinent illa S. Hieronymi: *Priscillianus usque hodie à nonnullis Gnostica hæreseos accusatur, defendentibus aliis, non ita sensisse, ut arguitur.* Satis quidem liquet, teste Joanne Vaseo, Priscillianum adhuc in quibusdam Martyrologiis tanquam Martyrem numerari, quod eorum, qui id fecerunt, imprudentiæ, non impietati ascribo.

At inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat, quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum nullo modo sopiri poterat.) Bellum etiam ex caussa hæresis excitatum ab Episcopis significat, ante annos quindecim, tot enim sunt ab anno CCCLXXXVI. quo Consul fuit Evodius usque ad Stiliconem.

Et nunc cum maxime discordiis Episcoporum turbari, ac misceri omnia cernerentur.) Hos tumultus Stilicone Cos. editos, nemo præter Sulpicium tradidit, qui eos tamen obscure significavit. Extat tantum in Concilio Toletano Stilicone Cos. habito hoc caput: *Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, anathema sit.* S. Augustinus in libro contra mendacium invehitur in Priscillianistas, qui, quo Catholici viderentur, Priscillianum detestarentur, & Episcopos, à quibus illa hæresis nudata, & oppugnata esset, miris laudibus efferrent. Utinam autem nequando hujusmodi nos mala videamus, in quibus, ut verbis utar Sulpicii, plebs DEI, & optimus quisque probro ludibrioque habeatur.

(576) *Egregio publico* pro *bono publico*, imitatione Taciti, qui lib. III. Annal. ad eum modum scripsit. Livius lib. II. contractum simili formâ dicit *pessimo publico*. Ceterùm *malum publicum* & *bonum publicum* Auctor Orationis I. de Rep. Ord. habet.

(577) Hæc de Ithacio, non Nardacio, accipienda sunt. Isid de Viris Illustr. cap. II. *Hic Ithacius cum Ursacio Episcopo, ob necem ejusdem Priscilliani, cujus accusatores extiterant, Ecclesiæ communione privatus, exilio condemnatur, ibique die ultima fungitur, Theodosio majore, & Valentiniano regnantibus.* Quæ accidisse putamus postquam extinctus est Maximus, cujus præsidio fovebatur. *Baron.*

(578) Rectè Sigonius legendum putat *nam Idacius*: ut intelligatur Idacius ille, quem supra non semel cum Ithacio conjungit.

F I N I S.

BREVIS

BREVIS SUPERIORIS HISTORIÆ

Ad fovendam memoriam per tempora repetitio.

PRIMA ÆTAS.

Adam	anno 130	genuit Seth.
Seth	anno 105	genuit Enos.
Enos	anno 190	genuit Cainam.
Cainas	anno 170	genuit Malebel.
Malebel	anno 165	genuit Jared.
Jared	anno 162	genuit Enoch.
Enoch	anno 165	genuit Mathusalem.
Mathusalem	anno 187	genuit Lamech.
Lamech	anno 188	genuit Noë.
Noë	anno 500	genuit Sem.
	anon 600 perit diluvio genus humanum.	

SECUNDA ÆTAS.

Sem biennio post diluvium, cùm ageret annos 100., genuit Arphaxad.
Arphaxad anno 135 genuit Cainam, & ex Assyria migravit in Chaldæam.
Cainas anno 130 genuit Sala.
Sala anno 130 genuit Heber.
Heber anno 134 genuit Phaleg. Ab Heber Hebræi vocati.
Phaleg anno 130 genuit Ragau. Hoc vivente divisa est terra in tres partes.
Ragau anno 132 genuit Saruch.
Saruch anno 132 genuit Nachor.
Nachor anno 79 genuit Thara.
Thara anno 70 genuit Abraham, & ex Ur urbe Chaldææ migravit in Mesopotamiam, unà cum filio Abraham in oppidum Haran.

TERTIA ÆTAS.

Abraham anno 75 jussus à Deo, & multis promissis excitus, sed maximè numerosa progenie, & possessione Chananææ, & gentium omnium in semine ejus benedictione migravit ex Mesopotamia in Chananæam, & annos centum natus genuit Isaac.
Isaac anno 70. genuit Jacob.
Jacob, qui & Israël, ann. 130. migravit ex Chananæa in Ægyptum propter inopiam frumenti, ubi filius ejus Joseph potens erat apud Regem, ac moriens reliquit XII. filios *Ruben*, *Asser*, *Gad*, *Dan*, *Simeon*, *Juda*, *Zabulon*, *Nephtalim*, *Levi*, *Joseph*, *& Beniamin*, & duos filios Josephi pro filiis ascivit, *Manassem*, *& Effraim*, à quibus progenies nata Israëlitæ dicti, & in XII. Tribus divisi, is vixit cum suis in Ægypto annos 17.
Joseph post patrem Jacob vixit in Ægypto annos 53. eo mortuo Israëlitæ servierunt in Ægypto à Regibus Ægyptiis malè habiti annos 144.

EXITUS ISRAELITARUM DE ÆGYPTO IN CHANANÆAM.

Moyses filius Amram, nepos Cahat, pronepos Levi, abnepos Jacob, jussu Dei eduxit Israëlitas ex Ægypto, & in deserto Arabiæ tenuit annos 40. ubi legem à Deo accepit, & Rempublicam Israëlitarum instituit, qua usuri essent, cùm in terram promissam Chananææ pervenissent, annos 40.

CECROPS ATHENAS CONDIDIT.

Josue Nave filius ex Tribo Effraim post Moysem præfuit Israëlitis. Is Jordanem trajecit, & Chananæam obtinuit, victis ferme incolis ejus Chananæis, Amorrhæis, Hetthæis, Hevæis, Gergesæis, Jebusæis, & Pherezæis, eamque duodecim Tribubus Israëlitarum divisit. Tribui Levi, quæ erat XIII. Sacra mandavit, unà cum urbibus XLVIII. quæ in regione XII. Tribuum erant, annos 27.

JUDICES ISRAELITARUM IN CHANANÆA.

Post mortem Josue Respublica paululum sine principe fuit, inde Judices instituti. Ab hoc loco incipit Respublica Hebræorum in Chananæa à Deo tradita. Horum tempore Israëlitæ

vexati

vexati funt à vicinis Regibus & populis *Mesopotamiæ*, *Syriæ*, *Ammonitis*, *Madianitis*, Moabitis, Chananæis, & Philiftæis.

Gothoniel Judex ex Tribo Juda annos 50.
Aod ex Tribo Effraim annos 80.
Semigar anoum 1.
Debbora mulier ex Tribu Effraim, & unà
Barac vir ex Tribu Nephthalim ann. 40.
Gedeon ex Tribu Manaffe aoo. 40.
Abimelec Gedeonis filius nothos ann. 3.
Thola ex Tribu Iffachar aoo. 22.
Jair ex Tribu Manaffe ann. 22.
Jephte ex Tribu Juda ann. 6.
Abesan ex Tribu Juda ann. 7.
Elon ex Tribu Zabulon aon. 10.
Abdon ex Tribu Effraim ann. 8.
Troja capta.
Samson ex Tribu Dan ann. 20.
Hele Pootifex ex Tribu Levi ann. 20.
Samuel Propheta ex Tribu Levi ann. 20.

REGES ISRAELITARUM.

Ifraëlitis Reges optantibus Samoel juffu Dei unxit Saolem.
Saul Rex primus ex Tribu Benjamin aoo. 20.

QUARTA ÆTAS.

David ex Tribu Juda ann. 40. Hic Regiam Sedem in urbe Hierufalem pofuit, atque eò arcam fœderis detulit, & rempulicam, ac religionem conftituit, bella vicinorum confecit. Natan, Gad, Afaph, Heman, Idithum Prophetæ florent. Archontes Athenis fuccedunt Regibus.

Salomon Davidis filius ann. 40. Templum Dei Hierofolymæ conftruxit, arcam fœderis eò tranftulit, pax in Regno fuit. Abias & Jonathas Prophetæ florent.

Poft Salomooem Regnum in duo divifum, Judæ & Ifraël.

REGES JUDÆ.

Hæ fuere duæ Tribus Juda, & Benjamin.
Roboam Salomonis filius ann. 17. impius fuit.
Samsjas Propheta.
Sifac Rex Ægyptiorum Hierufalem cepit, & diripuit.
Abia Roboami F. ano. 3. impius.
Afa Abiæ F. ano 4. pius.
Azarias Hanaoi, & Joras Prophetæ.

Josaphat Afæ F. ann. 25. Pius remp. & religionem reformavit.
Joram filius Jofaphat ann. 8. impius.
Ochozias filius Joram an. 1.
Athalia uxor Joram an. 7. impia filios Ochoziæ Regis nepotis fui interemit præter Joam infantem.
Joas Ochoziæ filius an. 40. impius.

Amafias Joæ filius ann. 29. impius.

Azarias, five Ozias Amafiæ F. ann. 5. pius Ofee, Amos, Ifaias Prophetæ, quorum & aliorum tempora tradidit S. Augoftinus libro 18. de Civit.

Olympiades à Græcis inftitutæ.
Azarias Rex incenfo oblato quod foli Sacerdoti fas erat, lepra oppreffus eft.

REGES ISRAEL.

Hæ foere decem reliquæ Tribus.
Hieroboam ex Tribu Effraim aon. 2.
Defecit à Deo ad Idola, & decem Tribus impietate perpetua imbuit.
Jad Propheta.
Nadab Hieroboam filius ann. 2.

Baafa ex Tribu Iffachar ann. 24.
Ela Baafæ filius ann. 2.
Zambri diebus 7.
Amri ann. 12. in Samaria regnavit.
Achab filius Amri ann. 22.
Helias, & Abdias Prophetæ.
Ochozias filius Achab ann. 2.
Joram filius Achab ann. 12.
Jehu filius Jofaphat ex alia familia ann. 28. in impietate multa piè fecit.

Joachaz filius Jehu ann. 17.
Joas filius Joachaz an. 16.

Hieroboam feu *Joram* Joæ F. ann. 41. Jonas Propheta prædicit everfionem Nioivis Regi Affyriorum.

Affyriorum Reges, quorum fit mentio in Hiftoria Bibliorum.

Phul Belochus Rex Affyriorum poft Sardanapalum occifum, anoos 48. cap. 5. primi Paralipomenon.

Zacharias filius Hieroboam menf. 6. interfectus à Sellum.
Sellum menf. 1. interfectus à Manehem.
Manehem ann. 10. impius; cootra booc venit Phul Belochus Rex Affyriorum.

Joathan Azariæ F. ann. 16. pius. Michæas, Joël, Naum Prophetæ secundùm aliquos.
Achas Joathæ F. ann. 16. impientissimus, fœdus fecit cum Teglatphulassare Rege Assyriorum.
Obed Propheta.

Ezechias Achazis filius ann. 29. pius. Religionem instauravit. Pascha retulit.

Manasses Ezechiæ filius ano. 15. impientissimus à Merodac Rege Babyloniæ abductus, & dimissus.
Isaias Propheta, sectus serra.
Abacuc, Naum, Joël) Prophetæ sub Manasse ex traditione Hebræorum.
Ammon Manassis filios ann. 2. impius.
Josias filius Ammon ano. 31. pientissimus Deuteronomium amissum invenit, religionem reformavit.
Sophonias, Jeremias, Olda mulier) Prophetæ.
Joachas Josiæ filius, qui & Jeconias, mens. 3. impius.
Eliacim, sive Joacim Josiæ filios ann. 11. impius, abductus Babylonem à Nabucdonosore Rege, & intersectus.

PRIMA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM.

Joachim, sive Jeconias Joacim F. mens 3. impius, abductus Babylonem à Rege Nabucdonosore cum optimatibus. Urbs, & Templum spoliatom. Urias Propheta interfectus à Rege Joachim. Jerem. 26. Ezechiel Propheta.

SECUNDA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM.

Sedecias Josiæ Regis F. qui ante Mathanias an.

Phaceja filius Manehem ann. 2. interficitur à Phacee.
Phacee ann. 20. interficitur ab Osee.
Teglatphulassar Rex Assyriorum ann. 15. capite 5. primi Paralip. is cum Phacee contendit, & duas Tribus Galilææ Zabulon, & Nephtalim Assyriam transtulit.
Roma condita in Italia sextæ olympiadis anno 1.

Osee ann. 9.

Salmanassar Rex Assyriorum init anno 6. Ezechiæ Regis, regnat ann. 17. Osee Regem abduxit in Assyriam cum reliquis octo Tribubus Israël.

CAPTIVITAS ISRAELITARUM.

Sennacherib Rex Assyriorum ann. 7. bellum intulit Ezechiæ Regi Judæ, sed frustra.
Assaradon Rex Assyriorum filius Sennacherib ann. 10 Isaias cap. 37. lib. 3. Reg. cap. 19. Chutræor in Samariam deduxit, primo Esdræ cap. 4. lib. 4. Regum, cap. 37. Josephus. Pulsus est à Merodac Baludan Rege Babyloniæ.

REGES BABYLONIÆ.

Merodac Baludan filius Baludan ann. 52. misit ad Ezechiam Regem Judæ, & thesauros ejus exploravit, lib. 4. Regum, cap. 21. Isaias cap. 39.
Ben Merodac ann. 21.
Hic videtur fuisse, qui Manassem Regem Judæ Babylonem abduxit ac dimisit, ubi dicitur Rex Assyriorum in Paralipomenis.

Nabulassar an. 28 Josephus contra Appionem an. 7. Josiæ Regis init.
Pro eo pugnavit contra Nechao Regem Ægypti, & cecidit in prœlio Josias Rex Judæ.

Nabucdonosor an. 45. init Regnum anno 4 Joacim Regis Judæ, idem victo Nechao Rege Ægypti Joacim Regem tributarium fecit, iterum urbem ingressus ipsum cepit, & interfecit.

Nabucdonosor Joachim Regem cum optimatibus transfert in Babyloniam.

Nabucdonosor Rex Sedeciam Regem Judæ cum reliquo populo abducit Babylonem & urbem, Templumque incendit.

11. impius, abducitur Babylonem à Nabucdonosore Rege cum reliquo populo, urbs & Templum incenditur.
Gudolias Præfectus reliquiarum in Judæa relinquitur sine nomine Regis.

TERTIA TRANSLATIO JUDÆORUM IN BABYLONIAM.

CAPTIVITAS JUDÆORUM IN BABYLONIA, annorum LXX.

Daniel)
Baruch) Prophetæ.
Abacuc)
Seraja)

Nabucdonosor regnat post Sedeciam abductum annos 26.

Evilmerodac an. 12. secundùm Sulpic. is dimisit Joachim quondam Regem captivum anno 37 postquam abductus fuerat.
Balthassar an. 14. secundùm Sulpicium.
Darius Medus an. 18. secundùm Sulpicium. Hic vicit Balthassarem Regem Babyloniorum, & adjunxit Regno Medorum Regnum Babyloniorum, & Assyriorum.

RESTITUTIO JUDÆORUM IN PATRIAM.
Judæi sub Persis.

Judæi post annos LXX. redeunt in patriam permissu Cyri Regis, & sub Regibus Persarum parent Pontificibus suis, Templi novi fundamenta jaciuntur.
Consules Romæ instituti, exactis Regibus.
Templi ædificatio impeditur secundùm veritatem.
Aggæus)
Zacharias) Prophetæ
Templum perfectum an. 46. postquam cœptum fuerat, anno sexto hujus Darii.
Malachias Prophetarum ultimus, ut Hebræi tradunt, qui vaticinatus est de Joanne Christi Præcursore.
Esdras scriba reformavit legem.
Neemias restituit urbem Hierosolymorum secundùm veritatem ann. 20. Artaxerxis.

Hester, & Mardochæus florent sub Mnemone.
Judith & Olophernes florent sub Ocho.

REGES PERSARUM.

Cyrus Rex Persarum ann. 31. secundùm Sulpicium. Hic Regno Persarum avito adjunxit Regnum Medorum, Babyloniorum, & Assyriorum.

Cambyses Rex Persarum an. 9. suspendit Templi ædificationem secundùm veritatem.
Magi Reges Persarum an. 9.
Darius Hystaspis F. Rex Persarum an. 36.

Xerxes Rex Persarum an. 21.
Artaxerxes Longimanus Rex Persarum an. 41. suspendit ædificationem Templi secundùm Sulpicium.

Xerxes Rex Persarum an. 2.
Sogdianus Rex Persarum menses 7.
Darius Ochus Rex Persarum an. 19. sub hoc Dario Templum perfectum inquit Sulpicius.
Artaxerxes Mnemon Rex Persarum an. 26. sub hoc legem reformatam ab Esdra, & urbem restitutam à Neemia censet Sulpicius.
Ochus Rex Persarum an. 23.
Arses Rex Persarum an. 3.
Darius Arsis filius Rex Persarum an. 4. Vincitur ab Alexandro Magno Rege Macedoniæ.

JUDÆI SUB REGIBUS MACEDONIÆ.

Judæi, Persis deletis, subjiciuntur Alexandro Magno Regi Macedoniæ victori Persarum.
Judæi ab Alexandro benignè habiti, & legibus propriis uti permissi, sed tributarii facti.

REGES MACEDONIÆ.

Alexander Magnus an. 7.

Arrideus an. 9. secundùm Sulpicium.

JUDÆI SUB REGIBUS ÆGYPTI.

Judæi subjiciuntur Ægyptiis Regibus successoribus Alexandri Macedonis, contra quàm censet Sulpicius.

Judæi libros Bibliorum, & 70. Interpretes miserunt ad Ptolemæum Philadelphum, Pontifice Eleazaro.

REGES ÆGYPTI.

Ptolemæus Lagi F. an. 40. unus ex successoribus Alexandri Judæam in potestatem redegit.
Ptolemæus Philadelphus an. 38.
Romani primum Punicum bellum gerunt.

Ptolemæus Evergetes an. 26.
Romani secundum bellum Punicum gerunt.

JUDÆI

JUDÆI SUB REGIBUS SYRIÆ.

Judæi ſubjiciuntur Syriæ Regibus.

Judæi ſeditiones agunt propter Pontificatum, qui inde vendi cœpit à Regibus Syriæ.

JUDÆORUM SERVITUS.

Judæi religione, & libertate privantur ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ.
Judæi pugnant cum Syris pro libertate.

PRINCIPES JUDÆORUM.

Matthatias Aſſamonæus arma pro libertate Judæorum capit contra Antiochum Epiphanem Regem, & Principatum gerit anno uno.
Judas Maccabæus Matthatiæ filius, Principatu inito pugnat pro libertate Judæorum, & Templum profanatum repurgavit an. 4.

Judas proſperè pugnat cum ducibus Demetrii Regis Syriæ, fœdus fecit cum Romanis, inde in pugna cadit.
Jonathas Judæ frater ao. 18. multa proſperè gerit, & fit Pontifex ab Alexandro Rege Syriæ.
Jonathas Princeps recipit à Demetrio Rege Syriæ immunitatem tributorum ad tempus, pugnat pro Demetrio Rege contra Tryphonem Præfectum Syriæ, qui partes Alexandri fovebat, & dolo necatur.
Simon ſuccedit Jonathæ fratri in Principatu, & Pontificatu an. 8. impetrat remiſſionem tributorum perpetuam à Demetrio Rege, arcem à Syris Regibus recuperat, fines propagat, fœdus cum Romanis renovat.

Ptolemæus Philopater an. 17.
Hic ſpoliatur Judææ poſſeſſione ab Antiocho Magno Syriæ Rege.

REGES SYRIÆ.

Antiochus Magnus Callinici F. Rex Syriæ annos 37.
Romani bellum gerunt cum Antiocho Magno Syriæ Rege, duce L. Scipione.
Seleucus Philopater an. 12.

Antiochus Epiphanes an. 12.
Is Hieroſolymam depopulatus eſt an. 4. Regni, arci præſidium impoſuit; an. 7. edixit, ut Judæi ritu gentilium viverent, & Templum profanavit, & legem incendit.

Antiochus Eupator an. 2.
Demetrius Seleuci F. an. 12.
Alexander an. 5.

Demetrius Demetrii F. *Nicanor* an. 13.

LIBERTAS JUDÆORUM.

Reges Syriæ prorſus Judæa cedunt.

Joannes Hyrcanus Simonis filius Pontifex, & Princeps an. 36.
Idumæos ad circumciſionem adduxit, Samariam evertit, leges Phariſæorum abrogavit, Sadducæis ſtuduit, Templum Samaritarum diruit.

REGES JUDÆORUM ITERUM.

Ariſtobulus Joannis Hyrcani filius primus ſe Regem appellavit, Pontifex an. 1. Ituræos ad circumciſionem adegit.
Alexander Jannæus frater Ariſtobuli Pontifex, & Rex an. 27. Judæis infenſus fuit.
Sylla Romæ ſeditionem excivit.
Solina, ſive Alexandra uxor Alexandri Regina an. 9. Phariſæorum leges retulit. Tigranem Armeniæ Regem pecunia à Judæa repulit.
Hyrcanus Alexandri filius, Pontifex, & Rex pulſus à fratre Ariſtobulo menſ. 3.
Ariſtobulus Rex pulſo Hyrcano fratre, Rex, & Pontifex an. 6. capitur à Cn. Pompejo Romano duce, & Romam mittitur.

JUDÆA SUB ROMANIS.

Antipater Aſcalonita procurator imponitur à Pompejo Judææ provinciæ Populi Rom. factæ an. 24.

REGES JUDÆORUM TERTIUM.

Antigonus Ariſtobuli F. Pontifex, & Rex capta urbe contra Romanos an. 3. Zacharias pater Joannis Baptiſtæ Propheta.

Herodes

Herodes Magnus Antipatri Afcalonitæ fil. Rex contra Antigonum à Romanis factus Antigonum Regem interfecit, & regnat an. 37.
JESUS CHRISTUS DEI F. nafcitur in Bethleem,
Joannes Baptifta Propheta,
Simeon Prophera.
Archelaus Herodis F. Rex Judææ an. 9. Herodes Antipas Herodis F. Tetrarcha Galilææ an. 30.
Archelaus Viennam relegatur ab Augufto Imperatore.

JUDÆA ITERUM SUB ROMANIS.

C. Coponius procurator Judææ ab Augufto miffus an. 2.
M. Ambivius procurator Judææ ab Augufto an. 2.
Annius Rufus procurator Judææ ab Augufto an. 2.
Valerius Gratus procurator Judææ à Tiberio Imp miffus ao. 11.
Pontius Pilatus procuratot Judææ à Tiberio Imp. miffus an. 10.

SEXTA ÆTAS.

JESUS CHRISTUS prædicat legem fuam, & poft fub Pilato à Judæis crucifigitur.
Marcellus procurator Judææ à Tiberio Imp. miffus an. 1.

REGES JUDÆORUM QUARTUM.

Agrippa Herodes Ariftobuli F. Herodis Magni N. Rex Judææ à Cajo Imperatore factus acceptis tetrarchiis Herodis, Philippi, & Lyfaniæ an. 7. inde à Claudio Imperatore Rex Judææ, & Samariæ factus an. 3. hic S. Jacobum occidit, & S. Petrum in carcerem conjecit.

JUDÆA TERTIUM SUB ROMANIS.

Cuspius Fadus procorator Judææ miffus à Claudio Imperatore poft mortem Agrippæ Herodis Regis an. 3.
Agrippa Herodes Agrippæ Regis frater Chalcidicæ in monte Libano Rex creatus rogatu Agrippæ Regis fratris, fub Claudio moritur.
Tiberius Alexander procurator à Claudio Imperatore factus an. 2.
Cumanus procurator à Claudio Imperatore factus an. 3.
Agrippa Agrippæ Regis F. in patrui locum Rex Chalcidicæ factus à Claudio Imperatore an. 8. Imperii.
Antonius Felix procurator à Claudio Imperatore miffus, apud quem S. Paulus eft accufatus Agrippa regnante an. 3.
Portius Feftus procurator à Nerone Imperatore miffus ao. 3.
Albinus procurator à Nerone Imperatore miffus an. 1.
Geffius Florus procurator à Nerone Imperatore miffus ao. 3.
Prima perfecutio Chriftianorum fub Nerone.
Urbs Hierufalem cum Templo à Tito Cæfare Vefpafiani F. evertitur, & gens difpergitur.
Secunda perfecutio Chriftianorum fub Domitiano.
Tertia perfecutio Chriftianorum fub Trajano Imperatore.
Quarta perfecutio Chriftianorum fub Hadriano Imperatore.
Reliquiæ Judæorum delentur; Reliquiæ Urbis, & Templi evertontur, impofito in loco fepulchri Domini Veneris Idolo, ab Hadriano Imperatore.
Hadrianus reficit Urbem Hierofolymorum, atque Æliam à fe nominat.
Quinta perfecutio Chriftianorom fub Aurelio Imperatore.
Sexta perfecutio Chriftianorum fub Severo Imperatore.
Septima perfecutio Chriftiaoorum fub Decio Imperatore.
Octava perfecutio Chriftianorum fub Valeriano Imperatore.
Nona perfecutio Chriftianorum fub Diocletiano, & Maximiano Impp.
Pax Ecclefiarum fub Conftantino Maximo Imp. ad fidem converfo.
S. Crux invenitur in loco fepulchri Domini, à S. Helena matre Conftantini, ibi deleto Idolo Veneris, Templum Deo conditur.
Concilium Nicænum contra hærefim Arrianam fub Conftantino Maximo.
Concilium Sardicenfe contra Arrianos fub Conftante Imperatore.
Concilium Sirmienfe pro Arrianis fub Conftantio Imperatore.
Concilium Arelatenfe pro Arrianis fub Conftantio Imperatore.
Concilium Biterrenfe pro Arrianis fub Conftantio Imperatore.
Concilium Mediolanenfe pro Arrianis fub Conftantio Imperatore.
Concilium Ariminenfe pro Arrianis fub Conftantio Imperatore.
Concilium Seleucienfe contra Arrianos fub Conftantio Imperatote.
Concilium Biterrenfe contra Arrianos fub Juliano Imperatore.
Hærefis Luciferianorum fub Juliano Imperature.
Hærefis Prifcillianiftarum fub Gratiano Imperatore.
Concilium Cæfaraugustanum contra Prifcillianiftas fub Gratiano Imperatore.
Concilium Burdigalenfe contra Prifcillianiftas fub Maximo Imperatore.
Judicium Maximi Imperatoris contra Prifcillianiftas, qui provocaverant.

F I N I S.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
QUÆ IN TEXTU SULPICII, ET COMMENTARIIS OCCURRUNT.

Numerus sine parentesibus paginam; Literæ Notas Sigonii; Numerus inter parenteses Notas Variorum indicant; ubi litera, & numerus desunt textus innuitur, exceptis paginis à 5. usque ad 10., quæ aliquot Auctorum testimonia, qui Sulpicii meminere, & Præfationem Sigonii continent.

A

Atha-

B

C

D

E

Emer,

F

G

H

Im-

132.

K

L

M

Me-

N

O

P

Q

R

S

Sa-

Sup-

T

V

X

Z

F I N I S.

INDEX HEBRAICUS
RERUM ET VOCUM EXPOSITARUM.

Numeri primi paginam, secundi verò parentesibus comprehensi Notas Variorum indicant.

F I N I S.

INDEX GRÆCUS
RERUM ET VOCUM,
In quo præterea textus non versi latinè redduntur.

Græci textus, ne pluries repetantur, consultò expressis tantummodo verbis initialibus omissi sunt; Versio verò Latina ex integro expressa.

Numeri primi paginas; secundi parentesibus comprehensi Notas Variorum indicant.

A

αὐτο-

&

N

O

Π

παραφ

F I N I S.

CAROLI SIGONII
MUTINENSIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBRI XIV.

Nunc primùm è MS. Cod. Bibliothecæ Vaticanæ in lucem emissi,

Cum Prolegomenis

HORATII BLANCI
J. C. ROMANI.



CAROLI SIGONII
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ
AB ORTU CHRISTI
LIBER PRIMUS.



Istoriam Ecclesiæ literarum mandare memoriæ statui, quę in tertis à JESU Christo Dei Filio ad salutẽ humani Generis instituta, incolumis ad annos
B mille quingentos octoginta, licèt variis casibus, & periculis agitata pervênit: opus rerum tepetendarum varietate multiplex, monumentorum cognoscendorum multitudine infinitum, ac revolvendorum temporum vetustate cœcis propè quibusdam tenebris involutum. Quo fit, ut mihi imbecillitatem mearum virium contemplanti vix satis animi suppetat ad illud, non dico pro dignitate conficiendum, sed ne ad experiendam quidem industriam inchoandum. Sic enim mecum hoc animo officium reputans, ac cogitatione complectens invenio,

A Græcos, qui ut primi, sic propè soli in hoc studio elaborarunt, nec diligenter pertinentia ad hanc laudem omnia collegisse, neque narrationem suam longè admodum provexisse; siquidem satis constat, eos orientali Ecclesia, cui uni, aot perspiciendæ, aut eaprimeodæ videntur studuisse, contentos, occidentalem, quam omnium matrem, magistram, & dominam Divino Verbo constitutam, ne ipsi quidem inficiati sunt, prorsùs aut explicatione illustrare, aut scientiâ comprehendere neglexisse, neque ultra annum ferme sexcentesimum suorum, confectionem annalium produxisse. Ex quo efficitur, ut nos laborem multò quàm illi graviorem hausturi simus, qui & quæ illi
B attulerunt, attingenda, & quæ prætericrunt, conquirenda tantò post eos intervallo suscipimus, & inventis, si vita suppeditatit, industriam nostram ad hæc usque tempora intendere cogitamus, quibus quidem atrocissimis fluctibus diu jactatæ Ecclesiæ nunc demum eximia GREGORII XIII. Pontificis moderatione lux aliqua fortunæ melioris affulsit. Quamobrem quoniam iter, ut dixi, ingredior magnis molibus septum, ac miris difficultatibus impeditum, propterea eum ipsum, qui adhuc Ecclesiam ex sævissimis tempestatibus conservavit, & se usque in

Anno ab ortu Christi

A. Chr. finem fæculi fervaturum effe fpopondit, ea
qua decet pietare imis precibus obfecro,
ut profperos cœptis fucceffus afflare, & hos
longè viribus majores propiciare conatus
velit: quo ego admiranda ejus in Sanctis
fuis opera explicare, & immenfum in Ec-
clefia fua conftituenda, atque tuenda erga
nos charitatis ardorem pofteritati dignè
prodere poffim. Initium autem fcriptionis
faciam ab Ortu *Chrifti*, ita tamen, ut quæ
ad vitam, & prædicationem ejufdem atti-
neant, breviffima oratione perftringam,
haudquaquam ea temerè repetenda exifti-
mans, quæ difertiffimè in facris Evangelio-
rum libris enunciata, propter fanctiffimo-
rum Myfteriorum claritatem jamptidem
omnium funt hominum linguis fcriptifque
concelebrata.

Anno igitur Imperii Augufti Cæfaris
quadragefimo fecundo, Confulatu tertio
decimo, æternus, atque omnipotens Deus
expletis tandem temporibus, quibus ipfe
fe Filium fuum in terras ad invifendos, &
liberandos peccatorum vinculis homines
miffurum, Sanctorum Prophetarum voce
promiferat, JESUM CHRISTUM Filium
fuum unigenitum deftinavit. Quippe ille
in Utero MARIÆ Virginis, originem ex
Davide Judæorum Rege trahentis, ex SPI
RITU SANCTO, Angelo nunciante, con-
ceptus. VIII. Kal. Januarias Bethlemi, Ci-
vitate Judææ, ita eft natus, ut Divinam
Naturam, quam cum Patre coæternam ge-
rebat, haudquaquam abjecerit, verùm af-
fumpta carne humanam ipfam afciverit, ac
poft dies octo, Kalendis Januariis, ex lege
circumcifus JESU nomen accepit. Inde
tot ac tanti undique in eum funt congefti
divinorum teftimoniorum honores, ut fi
quis animum attendere voluiffet, facilè jam
tum ingentem majeftatis ejus perfpicere
gloriam potuiffet. Nam & VIII. Idus Ja-
nuarias tres Magi, ex Oriente præfulgida
ducente Stella profecti, ipfum tanquam
Regum, ac Sacerdotum maximum adora-
runt, ac pretiofis muneribus coluerunt, &
IIII. Nonas Februarias à parentibus ex le-
ge in Templum oblatum Symeon vates, ho-
mo jam ætate confectus, præclaro illo vo-
cis fuæ oraculo decoravit, cum puerum in
ulnis tenens, tum demum fe intelligere
finem fibi adeffe vitæ affetuit, poftquam
Salvatorem Mundi jampridem Judæis Gen-
tilibufque promiffum oculis fuis confpica-
II. tus fuiffet. Afportatus inde fequenti anno
V. Kalendas Januarias à parentibus in
Ægyptum, ne ab Herode Rege vitæ illius
propter injectam à Magis Regni ejus fufpi-
VIII. cionem infidiante, una cum cæteris Judææ
infantibus necaretur, ibi per feptennium
IX. prope in exilio manfit. Unde poft obitum
ejus VII. Idus Januarias in Patriam Gali-
læam relatus, cum quotannis Judæorum mo-
re ad Pafcha à parentibus Hierofolymam
XII. duceretur, duodecim annos natus, in Tem-
plo cum fapientibus de lege Dei acutè, ac
prudenter adeò difputavit, ut omnibus, qui
illum audierunt, ingentem admirationem
injecerit, coram Matre, tum illum anxiè
quærente, teftatus, fe in iis, quæ Patris
XXX. fui effent, oportere verfari. Tiberio inde
annum quintum decimum imperante, cum
annum jam trigefimum ætatis effet ingref-
fus, VIII. Idus Januarii à Joanne Zachariæ

A filio, qui Spiritu Sancto afflatus ipfum præ- A. Chr.
currens, Baptifma hominibus ad pœniten- XXX.
tiam tribuebat, in Jordane ablutus novo
Divini Teftimonii genere honeftatus eft;
fiquidem repentè Spiritus Sanctus fpecie co-
lumbæ in eum de Cœlo defcendit, ac vox
fimul inde audita eft inquiens: *Hic eft filius
meus, in quo mihi complacui*. Tum verò idem
à Spiritu in folitudinem ductus, jejunium qua-
draginta dierum, ac quadraginta noctium
iniit, quo profecto XIIII. Kal. Martias va-
riis diaboli tentationibus num Filius Dei
effet experiri volentis agitatus, facile om-
nes objecto Sacrorum eloquiorum fcuto
elufit. Inde difcipulis advocatis ad Joannem
B reverfus, præcipuum alium à fummo vate
honorem tulit, ut digito in illum intento
dixerit; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit
peccata Mundi*. Atque hæc quidem divinæ
illius, quæ mox confequuta eft, prædica-
tionis prævia quædam quafi rudimenta fue-
runt. Sequenti enim Anno, qui illi trige- XXXI.
fimus primus ætatis obrigit, idem admi-
randam fuam Mundo gloriam patefacere,
& mirificis fignis edendis, & cœlefti do-
ctrina tradenda inftituit. Nam primum ad
nuptias in Cana Galilææ, una cum Matre,
ac difcipulis invitatus VIII. Idus Januarias
deficiente vino, aquam rogatu Matris in
optimum vinum convertit, deinde cum Jo-
C annem ab Herode Tetrarcha in carcerem
conjectum audiffet, opus, cujus causâ ve-
nerat in terras, adortus, Galilæam, Samariam,
ac Judæam ita percurrere cum difcipulis
inftituit, ut fingulis in locis cùm mirifica
ad beneficium hominum prodigia fecerit,
tum infignem prædicationem de cœlefti jufti-
tia, & nova hominum vita inierit, ac fi-
mul falutarem aquam in Spiritu Sancto ad
veterem corruptæ humanitatis expianda deli-
cta tribuerit. Quibus rebus obeundis infi-
nitas fecum omnis fexus ætatis ac generis
turbas traxit, doctrinæ atque operum ejus
magnitudine, ac ftupore attonitas. Ex qui-
bus duodecim comites affiduos, & facræ
prædicationis, ablutionifque miniftros ha-
D buit, quos Apoftolos nominavit, ac feptua-
ginta duos alios, qui communi nomine
Difcipuli funt vocati. Apoftolorum nomina
fuerunt Simon, & Andreas frater ejus,
Philippus, ac Bartholomæus, Jacobus Ze-
bedæi, & Joannes frater ejus, Thomas, &
Matthæus publicanus, Jacobus Alphei,
Thaddæus, Simon Cananæus, & Judas If-
cariotes; deftinavit autem eos, ut Regnum
Cœlorum nunciarent Judæis, & fine merce-
de morbos omnes, atque alia hominum
detrimenta curarent, multo antè præmoni-
tos, fore. ut, quod evenit, varias perfecu-
tiones atque vexationem propter nomen
fuum illatas à populis, Præfidibus, & Re-
E gibus fuftinerent. Simoni porrò Apoftolo-
rum Principi, quem Cæpham, id eft Pe-
trum vocavit, tantum auctoritatis tribuit, ut
fe fuper eum firmaturum Ecclefiam fuam
dixerit, adverfus quam nihil inferorum por-
tæ valerent, & claves Regni Cœlorum da-
turum ita, ut quidqnid ligaffet, aut folvif-
fet in terris, idem ligatum, & folutum
effet in Cœlis. Jam verò virtutes, quas ille
edidit, fermè hæ fuerunt. Debiles, ac mem-
bris captos corroboravit, cœcis oculos,
furdis aures aperuit, claudis ingreffum,
mutis eloquium reddidit, vexatos immun-
dis

A. Chr. XXXI. dis spiritibus liberavit, aspersos maculis expurgavit, vita functos, quasi somno excitos, suscitavit, veotis imperans tempestatem Maris sedavit, atque exiguo aliquando pane infinitum hominum oumerum saturavit. Doctrinam verò suam multis concionibus prodidit, quibus rationem docuit fidei, quæ Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum attingeret, simulquè actiones ostendit, quas ejusmodi fidei socias esse oporteret, oempe jejunia, preces, erogationes, refrænationem iræ, ac cupiditatis, studium proximi, negligentiam sui, contemptum Mundi. Quibus officiis ritè obeundis præmium ingens proposuit, oimirum Gloriam Cœlestem, & vitæ æternitatem, postquam animus ex his corporis vinculis evolasset, adjiciens se iterum cum majestate, gloriaque venturum, atque extremo Judicii die, suæ à quoque vitæ rationem repetiturum, ac prò meritis præmia pœnasque constituturum, atque ità in hoc sanctissimo munere duobus annis, totâ in se unum conversâ Judæâ, versatus prima ejus Ecclesiæ, de qua scripturi sumus, fundamenta locavit. Quibus de rebus seniores, ac Sacerdotes Judæorum partim ira incensi, quòd ab eo tamquam peccatores arguerentur; partim invidia exulcerati, quòd confluente ad eum multitudine, ipsi quodammodo spernerentur, sæpe de illo interficiendo consilium habueruot. Ille

XXXIII. verò jam annum trigesimum tertium agens, licèt eorum consiliorum haud ignarus ad Pascha Hierosolyma redut, ac destinatum sibi à Patre transitum impendere præsentiens, sacram Cœnam unà cum duodecim Apostolis celebravit, ao more vetere mysticum agnum comedit, & aovo instituto Divinum Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum confectum singulis ad salotem consequendam impertiit; inde Apostoli Judæ proditione in horto per noctem orans ab armatis Judæorum satellitibus, tanquam latro aliquis captus, primum ad Caifam Pontificem, deinde ad Pilatum Procuratorem adductus, quamquam omnis plane criminis insons, omnia probrorum, contumeliarum, ac detrimentorum genera pertulit, ad extremom Judæis objicientibus atque in eo obstinatè populari seditione perstantibus, quòd se Dei filium, & Regem Judæorum efficeret, cum sibi unus tantum Rex Cæsar adesset, à Pilato, incitatæ multitudinis studio, post reluctationes aliquot victo, indictâ caussâ, Crucis supplicio condemnatus est. Quod ut Judas proditor sensit, contioob pretio Judæis, quod acceperat, restituto, ex arbore se suspendit. Jesus autem horâ sextâ Cruci affixus, nonâ mortuus est, ac sepulturæ mandatos. Quo temporis puncto Terra horrendo adeò motu contremuit, ut montium juga divulsa sint, & Sol subitò ita se subduxit, ut usque ad oonam solitam Mundo lucem inviderit, tanta cum eruditorum hominum admiratione, ut cum ipsa outante, ac quodammodo laborante natura, astra tum etiam, atque elementa injusta morte opificis, ac Domini sui commota sint judicata. Neque verò oobis dubitandum est quin Christus, si impias Judæorum manus effugere, ac dirum ipsum vitare Crucis supplicium voloisset, tanquam Deus facilè potuisset, verum id facere propter humanæ salutis studium, quo ab initio incensus ipsam humanitatem induerat, noluit. Etenim mors ejus pro peccatis nostris sacrificium fuit: pœna Crucis delicta nostra delevit: labor ejus onera nostra levavit, dolor omni nos solicitudine liberavit, ac denique injusta damnatio justæ nos supplicio damnationis exemit. Inde verò tertia die ab inferis ingenti cum gloria excitatus, multis se, ac præcipuè Apostolis ipsis, semel, iterumque ostendit, & cum illis cibum cepit, & sacrorum eloquiorum intelligentias enodavit, ac Spiritu Sancto afflato potestatem remittendi ac retinendi peccata indulsit, & cum se palpandum Thomæ non credenti dedisset, Simoni Petro summo se illius amore flagrare dicenti gregem Ecclesiæ suæ ter pascendum commisit, ac quo ille mortis genere Deum concelebraturus esset, osteodit. Demum alio io loco sic omnes io unum convocatos Apostolos appellavit: *Data est mihi potestas omnis in Cælo, & in Terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, præcipientes eos servare, quæcumque mandavi vobis, nam ego ero vobiscum omnibus diebus usque in finem sæculi*; novissimè autem accombentibus eisdem, exprobtata incredulitate iterum dixit. *Euntes in universas Orbis terrarum partes prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus erit salutem habebit, qui non crediderit condemnabitur; signa verò eos qui crediderint hæc consequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, novis linguis loquentur, serpentes tollent, & si quid letiferum biberint nihil inde mali percipient, super ægrotos manus imponent, & sanos efficient. Ego mittam promissum Patris mei in vos. Quare manete in Urbe, quousque virtute ex alto vos induamini*. Inde eos Bethaniam versùs eduxit, atque eisdem porrectis manibus benedixit. Atque his dictis, quadragesimo, postquam à mortois excitatus fuerat, die, videntibus illis in sublime elatus à oube ex conspectu eorum abreptus est. Cæterum spectantibus illis adhuc in Cœlum, duo viri vestibus albis induti se obtulerunt, atque ita dixerunt. *Viri Galilæi quid statis suspicientes in Cœlum? sic veniet quemadmodum abeuntem vidistis*. Quibus verbis auditis, illi ingenti gaudio cumulati ex Monte Oliveti in Urbem se receperunt, & ingressi in Cœnaculum ascenderunt eò ubi Petrus erat cum aliis decem Apostolis, qui omnes uno animo precarioni vacabant unà cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus. Post paullo surgens Petrus inter eos (erat autem cœtus hominum fermè centum viginti) sic dixit. *Viri fratres oportet, ut impleatur Scriptura, quam Spiritus Sanctus ore Davidis edidit de Juda Jesu proditore, qui suspendio disruptus est medius, scriptum est enim in libro Psalmorum. FIAT DOMUS EORUM DESERTA, ET NON SIT QUI INCOLAT EAM, ET EPISCOPATUM EJUS ACCIPIAT ALTER. Itaque sufficiendus est in ejus locum unus ex iis, qui assiduè Christum unà nobiscum sequuti sunt ab eo die, quo ille à Joanne ablutus est, ad eum, quo in Cœlum ascendit*. Quibus dictis duos ediderunt, Josephum, qui *Barsabas* dicebatur, & Matthiam, atq; una Deum orarunt ut ostenderet, utrum eorum Judæ substitui vellet. Cum autem ambo conjecti in

for-

sortem essent, Matthias locum obtinuit. Post autem ubi dies Pentecostes accessit, cum uno in loco cuncti convenissent, ingens repente de Cœlo sonitus factus est, quasi vehementis cujusdam spiritus flantis, quo tota, in qua considebant, domus intonuit, & linguæ divisæ instar ignis supra caput eorum steterunt. Itaque afflati omnes Spiritu Sancto variis loqui linguis cœperunt. Quod ubi percrebuit, plurimi Judæorum, qui Hierosolyma ex omnibus incolebant nationibus, accurrerunt, eumque eo sermone loqui eos viderent, qui regionis suæ proprius esset, stupore, atque admiratione magna perfusi sunt. Quibusdam verò illos irridentibus, ac vino madere dicentibus, Petrus excepit: *ac falso existimatis*, inquit, *hos ebrios esse, cum sit hora diei tertia. Est autem id, quod Deus Jobelis Prophetæ voce prædixit. ET QUIDEM SUPER SERVOS MEOS, ET SUPER ANCILLAS MEAS IN DIEBUS ILLIS EFFUNDAM DE SPIRITU MEO, ET PROPHETABUNT. Viri Israelitæ Jesum Nazarenum virum inter vos signis virtutibusque à Deo probatum, quem vos Cruci affigentes interemistis, Deus à mortuis excitavit, quod ibi cohiberi non potuit, ut de eo dixit David. INSUPER ET CARO MEA REQUIESCET IN SPE, QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO, NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM. Neque enim David hæc de se ipso dixit, qui & mortuus est, & sepulcrum usque ad hunc diem apud nos habet; verùm cum Propheta esset, & sciret jurasse sibi Deum fore, ut qui ex ipsius semine nasceretur, in solio suo consideret, hæc de Christi Resurrectione multo ante prædixit. Hunc igitur Jesum suscitavit Deus, ut nos omnes testes sumus: in Cœlum verò sublatus, promissione Spiritus Sancti accepta à Patre, hunc, quem vos videtis, & auditis, effudit, neque enim David ascendit in Cœlum, & tamen dicit: DIXIT DOMINUS DOMINO MEO SEDE A DEXTRIS MEIS. Quamobrem pro certo habetote Jesum hunc, quem vos in Crucem egistis, & Dominum, & Christum à Deo esse effectum. His auditis illi dolore compuncti rogarunt, quid sibi facto opus esset. Quibus Petrus: Pœnitentiam agite, & Baptismum sumite in nomine Jesu Christi ad expiationem peccatorum vestrorum, & Spiritus Sancti donum accipietis; ad vos enim, & filios vestros, & ad omnes, qui procul absunt, hæc promissio pertinet.* Aliis etiam verbis plurimis eos hortatus est, ut à pravis hominibus se secernerent. Quam orationem qui approbarunt salutari omnes aqua infecti sunt; fuere autem ad tria hominum millia, qui perseverarunt in disciplina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & precibus. Apostoli quoque multis signis, ac prodigiis edendis ingentem animis omnium terrorem incutiebant. Cæterùm omnes qui credebant pares erant, & in commune omnia conferebant, quin etiam possessiones, & facultates vendentes, ea omnibus pro cujusque necessitate distribuebant, & quotidie concorditer in Templo versantes, & panem circa domos distribuentes capiebant cibum cum lætitia, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & populo gratias agentes; Petrus autem & Joannes ascendebant in Templum horâ orationis nonâ, cum claudus ab origine quidam deferebatur ad portam Templi, nomine Speciosam; ut de more stipem rogitaret ab eis, qui in Templum inirent, qui cum Petrum, & Joannem introëuntes vidisset, stipem poposcit. Quem intuens cum Joanne Petrus dixit: *Aspice nos; ille verò oculos intendit sperans se aliquid accepturum.* Cui Petrus: *Neque aurum, neque argentum habeo, quod autem habeo, tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Et cum ille surrexisset, stetit, & ambulavit, & in Templum cum eis ingressus gratias Deo egit. Qua re cognita stupentes omnes, qui illum norant, magno concursu ad Porticum Salomonis ad Petrum & Joannem, quos ille distinebat, venerunt, ad quos Petrus sic est loquutus: *Viri Israelitæ nihil est, quòd miremini, aut quòd me, & Joannem intueamini; neque enim virtute, atque auctoritate nostra assequuti sumus, ut iste incederet; Jesus enim est, quem vos Pilato deditum peremistis, & Deus ab inferis excitavit, cujus fide, & nomine is, quem vos nostis, valens incedit: scio vos per imprudentiam fecisse, quemadmodum & Magistratus vestri. Deus autem, quod omnium Prophetarum ore prædictum esset explevit. Quare hortor vos, ut facti pœnitentiam capiatis, & in viam redeatis, quò vestra scelera deleantur.* Cum autem hæc & alia multa diceret, Sacerdotes, & Magistratus templi, & Sadducæi accesserunt, atque ipsos captos custodiæ in crastinum tradiderunt, ægre ferentes quòd populum erudirent, & Jesu exemplo ac nomine, mortuorum resurrectionem inducerent, sed tamen eorum, qui audierunt, quinque millia crediderunt. Postero die cum Annas, & Caifas, aliique Sacerdotes, & Scribæ convenissent, eos produci jusserunt, simulque cujus nomine hæc fecissent rogarunt. Tum Petrus Spiritu Sancto afflatus, *sciant*, inquit, *omnes, qui adsunt, si ab eis quæratur in judicio, cujus nomine curatus sit hic, de quo agitur, cum Jesu Christi Nazareni nomine esse sanatum, quem à vobis crucifixum Deus excitavit à mortuis. Hic nimirum est lapis, qui ab ædificantibus improbatus, ad anguli caput est positus, neque in alio spes salutis est reponenda; neque enim nomen aliud in terra datum est hominibus, quo omnibus salus sit afferenda.* Illi verò cum Petri & Joannis constantiam cernerent, quos literarum expertes norant, admiratione affecti sunt, atque eos cum Jesu fuisse agnoverunt. Cum autem hominem qui curatus fuerat stantem cum eis conspicarentur, nihil quod contra dicerent habuerunt; secedere tamen eos paulisper extra concilium præceperunt atque inter se quod agendum esset consultantes dicere instituerunt. *Quid faciemus hominibus istis, nam signum usque adeò omnibus Urbem incolentibus notum est, ut negari non possit. Itaque ne res latius maneat in populum denunciemus eis, ut post hac de hoc homine cum ulla loquantur.* Quod cum imperassent, Petrus cum Joanne excepit. *Atqui num æquum sit vos quam Deum audire, ipsi judicate; nos autem facere non possumus quin ea, quæ vidimus, & audivimus, enarremus.* Illi verò eum minis eos dimiserunt, quòd nullam satis justam caussam reperirent cur in eos animadverterent,

popu-

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM
CAROLI SIGONII
PROLEGOMENA
HORATII PHILIPPI BLANCI
J. C. ROMANI.

ECclesiasticæ Historiæ nobilissimum argumentum, atque ad Christianam pietatem excitandam utillimum, à *Carolo Sigonio*, inter alia plura, quæ vir æterni nominis exegerat, fuisse olim diligentissimè tractatum, nemo ignorare poterat, nisi qui ejusdem Epistolam, qua libros de Republica Hebræorum GREGORIO XIII. Sum. Pontifici dedicavit, minimè perlegisset. Verùm, etsi præsens adeò fuerit, atque apertissimum testimonium, raros admodum inter ejus opera Historiam eam enumerasse videmus, non alia fortasse de causa, quòd cùm in manus hominum nunquam venisset, injuriâ fortunæ sublatam esse crediderint.

Ego sanè cùm primùm Sigonii vitam à Clariss. *Ludovico Antonio Muratorio* scriptam, ac elegantissimæ huic editioni præpositam à *Philippo Argelato* nostro, qui omni studio, sedulâque diligentiâ eidem absolvendæ non sinè ingenti sumptu, multisque laboribus incumbit, maxima cum voluptate perlegi, quæque in ea recitantur à P. *Alexandro Caprara Sigonii* discipulo, librorumque ipsius, præcipuè Manuscriptorum, hærede instituto, paulò post Auctoris nostri mortem in ejus elogio, & epistolis narrata cognovi, statim instare cœpi apud eumdem *Argelatum*, ut quoniam liquidò constabat, libros eos Romam fuisse delatos, atque ipse non edendis tantùm, verùm & illustrandis Sigonianis omnibus operibus Literatorum Virorum gratiam iniret, id etiam laudis nomini suo compararet, ut diligentiâ suâ absconditus tamdiu thesaurus exhiberetur.

Neque multis agendum erat mihi cum homine, qui bene noverat quantum pretii novæ huic editioni ab inedito hactenus opere, vel à sola celebratissimi Auctoris fama æstimando, erat in posterum accessurum; sed utrumque à concepta spe repellebat longæ nimiùm ætatis memoria, qua hi libri delituerant; nihilominus aliquid etiam dandum conjecturis reponebam, ac diligenter inquirendum, an fortè in Vallicellanam Bibliothecam Patrum *Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii* translati fuissent, in quam universam ferme librorum suppellectilem, qua usus est ad suam Historiam concinnandam Ecclesiasticorum Annalium Scriptor Max. *Em. Baronius*, collatam fuisse noveram. Facilè namque mihi factum persuadebam, GREGORIUM XIII., qui Sigonium antea, deinde Baronium, cœlesti sanè consilio monitus, ad eximium opus excitaverat, cùm prioris libros ad se statim post illius mortem deferri mandavisset, nondum absolutos licèt, alteri procul dubio commodissimos, & usui futuros servasse, ob eamque causam Baronio tradidisse. Inquirendum etiam asserebam in Exc. *Boncompagnorum* ædibus tum Romæ, cum & Soræ, quòd eos plurimi fecisse *Sigonium*, ac bene de illius nomine fuisse meritos omnibus exploratissimum, unde suspicabar ad eos etiam potuisse deferri, atque in privatis eorum loculis tamdiu delitescere, ut pretium operi, quòd unicum atque ineditum superesset, augeretur. Vix enim de Vaticana Bibliotheca cogitaveramus, in quam omnibus liberali Summorum Pontificum ad propagandas literas munificentiâ patet accessus; multòque minus caussas investigare licebat, ob quas majores nostri, qui *Sigonium* summis laudibus, doctrinæque ipsius debitis exornarunt, librosque ab eo scriptus non semel repetitis editionibus vulgarunt, maturiorem ingenii ejus fœtum ita posthabuerint, ut ne verbo quidem infelicem postumum ciere voluerint.

Hisce itaque accensus diligentissimus *Argelatus* ad Reverendissimum Comitem D. Albericum Archintum, utriquè Patronum amplissimum, & Studiorum Ecclesiasticorum cultorem optimum literas dedit, quibus conjecturarum nostrarum ratione prænarrata, eumdem ad curam omnem adhibendam in inquirendis libris iis instantissimè sollicitavit, rogavitque, ne sumptui parceret, si fortè reperti, aliâ viâ in potestatem suam venire minimè potuissent. Nec diu fuit expectandum, cùm ille rescripsit, libros anxiè adeò expetitos in Vaticana Bibliotheca servari, & à Sanctissimo Pontifice nostro CLEMENTE XII., qui literas Ecclesiasticæ potissimùm disciplinæ profuturas regia liberalitate fovet, veniam ad eos rescribendos fuisse impetratam, atque id brevî factum est. Allatisque Mediolanum duobus codicibus, vix unum è manu posueram, cùm alterum percurrens, quatuor vel quinque paginis perlectis, intellexi, non solum esse unum idemque utrique argumentum, sed posteriorem hunc eumdem esse ac primum, uberiori tamen proœmio auctum, & utriusque collatione facta probatum est; quamobrem auctiorem imprimendum curavi, &, ne quid curiosissimis desiderandum supersit, pauca ex altero codice referam, quæ in edito minimè leguntur. Primo quidem codici *Sigonius* in hæc verba initium fecerat: *Quemadmodum JESUS CHRISTUS à* Joanne *in Jordane ablutus pœnitentiam in remissionem peccatorum indixerit, ac, prædicato per universam Judæam Evangelio, Fidelium Ecclesiam constituerit; post autem à Judæis occisus, & mox à mortuis excitatus, eamdem* Petro *Apostolorum Principi, cœlesti potestate delata, crediderit; ac demum, Apostolis inspectantibus, in Cœlum ascenderit, abundè in sacris Evangeliorum libris est demonstratum. Nunc, ut iidem Apostoli* Petri *ipsius auctoritatem sequuti, divisis inter se Provinciis, idem Evangelium in omnes Orbis terrarum partes ex Christi præcepto* distu-

distulerint, donec sæviente in se Imperatore Nerone martyrium pleraque pertulerint, nos tribus libris sequentibus explicabimus, quorum hunc usque ad eum annum, quo Petrus administrandam Romanam accepit Ecclesiam, proferemus. Rebus, quas diximus, in monte Oliveto peractis, Apostolisque inde in urbem Hierosolymorum reversis, Petrus *Condiscipulos in Cœnaculum convocatos, cum adesset quoque* MARIA *Mater* JESU, *& cœtus hominum prope centum viginti, in hunc modum est alloquutus. Viri fratres* &c., quæ sequuntur pag. 6., ita inter se paria, ut mirer id non observasse Romanum amanuensem, qui utrumque rescripserat: id tamen utilitatis à reperta lectione habuimus, ut emendatissimam editionem commodiùs instruere potuerimus.

Hæc itaque ad Sigonianam Ecclesiasticam historiam, hodie, ut ita dicam, renascentem, prænotata volui, ut fortuna eorum librorum distinctiùs inposterum cognoscatur. Nunc aliqua præfari liceat de ipsius operis præstantia.

Et sanè si Onuphrium Panvinium doctrina stiloque Historiæ huic scribendæ parem excipias, qui post restitutas Italiæ bonas literas in Ecclesiæ Catholicæ commodum argumentum hoc amplissimum tentaverat potiùs, quàm tractandum susceperat, primus, qui veterum tum Græcorum, tum Latinorum industriam æmulatus, ad eam scribendam calamum perstrinxerit, is est profectò *Sigonius* noster, qui cùm Bononiensem historiam literis tradidisset, monumentis pluribus Ecclesiasticis ad eamdem spectantibus ubique sparsis, optimum fidei doctrinæque suæ in iis colligendis, illustrandisque ita præbuit, ut GREGORIUS XIII. eo genere sacrarum Literarum exercitatissimus, nemini meliùs latissimam hanc provinciam tradere se posse crediderit, quàm Auctori nostro, cui nullus deerat ad eam explendam necessarius apparatus: sacrarum nempe Literarum, Hebraicæ, Christianæque antiquitatis, ac Theologicæ doctrinæ, Romanique juris peritia: cui temporum exploratissima series erat, ab assidua profanæ historiæ veterumque monumentorum lectione, quorum partem maximam, hoc est *Fastos Consulares*, & *Livianam historiam*, in meliorem, quàm antea fuerant, lucem eruditione sua restituerat, & in Græcorum, Latinorumque Patrum lectione perpetuò versatus, eâ tandem in utraque linguâ stili elegantiâ pollebat, quæ præstantissimo argumento responderet.

Tantum oneris impositum *Sigonio* fuisse, gravescente jam ipsius ætate certò scimus, cùm disertè scribat in ea epistola dedicatoria, se triennio ante, quàm eam daret, (dataque est anno MDLXXXII.) manum Historiæ Sacræ admovisse, ac deinde ad illustrandam Rempublicam Hebræorum divertisse, ut ab ea lectio Sacrarum rerum inciperet, continuaretque in *B. Sulpicii* libris, itaut utrumque opus introductionis vice fungeretur ad suam Ecclesiasticam historiam, si licuisset, absolvendam, quod implere minimè potuit: sublatus etenim è vivis est anno MDLXXXIV. mense Augusto. Integros tamen libros quatuordecim nobis reliquit, quos continent Vaticani Codices, iisque respondens editio nostra, res gestas ad annum usque CCCXI. Æræ Christianæ percurrentes.

Quòd si Patris *Capraræ* testimonio nimiùm deferamus vernaculè scribenti: *Sebbene è comune opinione di tutti, che ne aveva fatti diecinove libri; nondimeno nessuno dice di averla vista qui:* dicendum est, quinque historiæ nostræ libros, vel adhuc latere, vel fuisse deperditos. At quis credat sollicitè adeò quæsitos, &, mandante Pontifice, inscio penitus herede, Romam asportatos, non omnes in Vaticana Bibliotheca fuisse depositos? Verisimilius profectò mihi videtur, non bene rem eos cognovisse, qui decemnovem libros exaratos à *Sigonio* circumferebant; vel, quòd fortasse verius, mendum in signandis numeris irrepsisse, quòd *P. Capraræ* vulgatiori arabica nota, quatuor signaverit, quæ novem levi mutatione significat, unde factum est, ut ceteri decemnovem legerint, errore frequentissimo. Utcumque verò se res habeat, nullos alios libros, quàm à nobis editos continet uterque Codex Vaticanus, quorum unus, ut supra diximus, elegantissimo gravissimoque prologo auctus, initio tantùm ab alio diversus, donec ad certum locum venerit, unde utrique par lectio ad calcem usque ambobus communem.

Contemplanti verò mihi tempora, quibus hæc *Sigonius* jussu Pontificis Max. GREGORII scribenda susceperat, jam ad tenebras eas animus revocatur, quibus Ecclesiastica historia, præcipuè Occidentalis Ecclesiæ, circumfusa jacebat. Orientalis enim, quod optimè præfatur *Sigonius*, lucem aliquam acceperat à Græcis iis Ecclesiasticis Historicis, qui per manus nostrorum hodie circumferuntur, ne alios aliorum deperditos libros enumeremus; mirorque primum divinum prope Summi Pontificis consilium, qui tumultuantibus acerbissimè tunc temporis in Ecclesia Sectarum erroribus, coërcendis iis historiæ veritatem, unicum inexpugnabile scutum, doctrinâ suâ opponendum præcognoverit, quod est inposterum experimento probatum; nam, ut verbis utar *Hadriani Valesii* viri doctissimi in sua dedicatione Eusebianæ historiæ ad Clerum Gallicanum: *Certè diuturno experimento comprobatum est, seu scriptis, seu viva voce editis disputationibus, accendi potius hæreticorum animos, quàm sanari. Historia verò rerum Ecclesiasticarum, cùm se in animos legentium placidiùs insinuet, longè faciliorem de iis victoriam refert. Quis est enim ex diversæ factionis hominibus, qui cùm Ecclesiasticam historiam attentè perlegerit, non statim pudore suffusus, errorem suum illic damnatum agnoscat, seque velut membrum à reliquo corpore præcisum defleat. Etenim cùm Ecclesiastica historia nihil aliud contineat, quàm* Apostolicarum Sedium *perpetuam successionem*, Episcoporum *sibi invicem succedentium seriem, illustrium denique* Doctorum, *&* Martyrum *pro pietate certamina: ex quibus hi quidem furorem Gentilium tolerantiæ suæ fortitudine superarunt: illi verò hæreticorum, qui adversùs Ecclesiam insurrexerunt, perversa dogmata scriptis suis confutaverunt: quicumque ex hæreticis ad hujus historiæ lectionem oculos, atque animum intenderit, fateatur necesse est, se ab illa Apostolorum successione, ab illo Doctorum, & Martyrum grege, ab illa denique Episcoporum communione prorsùs alienum esse.*

Quòd si hæc sunt in historia Ecclesiastica tractanda, mitissima tamen arte, ut rem potiùs, quàm caussam agere videamur, & optatissimum fructum ex ea colligere valeamus, jam satis deinde mirari non possum *Sigonii* nostri judicium, qui sicuti cæteros omnes gravissimos Historicos tempore præcessit, ita etiam eos omnes, ni fallor, hac laude superavit. Ea namque omnia tam graviter ac modestè in universa historia sua axegit, tantaque diligen-

tia

tia in explicandis veterum monumentis assiduè laboravit, ut non à partium studio, sed à sola veritate rapi se legentibus persuadeat, & non sibi minus, quàm historiæ suæ, sinceritatis opinionem vindicet, simplicitate commendatissimos; cùmque perpetuò Catholicæ veritati propugnandæ studuerit sola rerum gestarum, errorumque veteribus obortorum enarratione, consilium suum altissimè absconditum feliciter dissimulaverit: à qua sanè perfectissima caussæ agendæ ratione, cum aliquoties deflexerit Eminentissimus doctrina, & dignitate *Baronius*, atque non semel, meritò licèt, nostri temporis Hæreticos erroris ac perfidiæ postulatos in judicium vocaverit, ad caninam potiùs rabiem, quàm sanam ad mentem *Casaubonum*, *Goldastum*, *Ottium*, *Basnagium*, aliosque centum excitavit; quippe argumentis ingenia potiùs ad pugnam; historiæ simplicitate animi ad fidem provocantur.

Neque me ista dixisse velim, quasi minus probare videar eos, qui Romani nominis hostes argumentis impetant ab historia deductis: id namque mihi, cæterisque Catholicis omnibus commendatissimum, eique præ cæteris enixè studendum; sed ita rerum Ecclesiasticarum Historicum institutum esse oportere intelligo, ut non tantùm vacet ab argumento adversùs quempiam inferendo, verùm etiam à suspicione, quòd partium studio percitus res eas memoriæ historiæ suæ mandaverit, eaque sibi utendum esse arte persuadeat, qua ex Romanorum Historicis moderatiores, quibus ne minimus quidem labor fuisse videtur in demonstrando, Romanis ne, an Punicis ex. gr. justi & honesti amor fuerit, sed operam hanc sibi unicè quæsitam lectoribus implendam reliquerunt, contentique se rerum gestarum historia in eorum mentibus rationem ad officia sua invitasse, à cæteris abstinuerunt, ne si judicium aliorum evincere velle viderentur, acre nimis atque adversùm experirentur.

Difficilem sanè artem, at præstantissimam, quippe quæ nudæ tantùm innititur veritati, Ecclesiastico verò Historico difficillimam, quòd ei plurima tractanda sint, quæ ingeniorum certamine longiùs protracta, quàm oportebat, Lectorum etiam ingenia in partes facilè trahant; sed quoniam expedita tandem ab erroribus veritas, in pristinam lucem à Sacrorum Conciliorum, & Summ. Pontif. decretis restituta, ingenia moderatur, eisque lenissimè imperat, ad hanc unicè explicandam contendere debemus: quod si quis facto experimento, comparari posse demonstravit, ni amor me meus in virum doctissimum fallat, *Sigonius* is est, cujus gravitatem, & simplicitatem in scribenda Ecclesiastica historia, si quis umquam imitetur, Cardinalis verò *Baronii* copiam, & rerum universitatem complectatur, ea critices ope, quæ post innumeros tot illustrium virorum labores ubique dominatur, tunc mihi persuasum erit, absolutam numeris omnibus Ecclesiasticam historiam magno Ecclesiæ Catholicæ commodo & emolumento esse habituros. Sed quis erit umquam fortunatissimus mortalium, cui tantum doctrinæ, tantumque vitium, imò potiùs cœlestis gratiæ Deus Opt. Max. largiri velit!

Sed age videamus, quæ veluti fila telam historiæ orditurus Auctor noster duxerit. Primus profectò labor ei fuit, ut Apostolorum Acta per tempora sua disponeret; quippe qui optimè noverat sine perpetua chronologiæ ratione, vix aliquid boni sperandum in historia. Quamobrem de CHRISTO JESU Domino nostro pauca delibans, quòd ejus doctrinam ab ipsis Evangeliorum fontibus absque aliena cujusvis opera puram putamque hauriendam esse existimaverit, *B. Sulpicium* imitatus, cui par in hæc verba sententia: *Verùm hæc quæ Evangeliis, ac deinceps Apostolorum Actibus continentur, attingere non ausus, ne quid forma præcisi operis, rerum dignitatibus diminueret*, totus deinde in eo est, ut quæ Apostoli gesserint, quasque per universum terrarum orbem prædicatione sua Ecclesias instituerint, diligentissimè prænarraret, & à S. Petro in subsequentes Romanos Pontifices, atque ab aliis Apostolis in alios nobiliorum Ecclesiarum Episcopos perpetuam seriem deduceret.

Quoniam verò prædicatione Verbi Dei persecutionum ignis in Fideles accensus est, Martyrum etiam singulorum Acta ætate sua sparsa, & non satis illustrata collegit, certisque sub Principibus atque annis collocavit, & in optimam lucem restituit; unde necessitatem primus ipse cognovit jungendæ cum profana Ecclesiasticæ historiæ, sed ea moderatione, ut hæc alteram habeat veluti pedissequam, non ab ipsius varietate in devium deducatur.

Origines etiam errorum inter Fideles invectorum à quorumdam fastu ac malitia, eorumque Auctores quàm modestissimè indicavit, quibusque argumentis propulsati fuerint è SS. Patrum libris, non disceptantis more, sed perpetuam historici personam sustinens, mira felicitate opportunis in locis breviter explicavit, itaut sæpe sæpius narrando potiùs, quàm refellendo, pravas Hæreticorum sententias conculcaverit.

Neque tandem quidquam omisit, quod à Pontificiis institutionibus dimanarit, ut earum auctoritatem solo historiæ præsidio propugnans, quòd ab ipsis, ut ita dicam, Ecclesiæ incunabulis productis certissimis monumentis repetiverit.

In universum itaque, ne ab arrepta semel metaphora discedam, ita suam telam orditus est, ut cæteri post eum tractandæ Ecclesiasticæ historiæ simpliciorem præstantioremque rationem invenire minimè potuerint, & si qui fila vel addiderint, vel minuerint, ut nonnullis factum est, experimento cognovimus partem maximam in errores gravissimos fuisse deturbatam, cæteris verò, si non doctrinæ, historicæ gravitatis palmam excidisse.

Quantum igitur critici luminis fuerit Auctori nostro ea ætate, qua nondum tot præsidia, vel ab editis deinde veteribus Scriptoribus, vel ab erutis monumentis, vel demum ex tot Clarissimorum hominum industria, quæ hodie sunt cuicumque rerum Ecclesiasticarum studioso, præsto erant, legenti palàm fiet, cùm vera è falsis, certa è dubiis, sincera ab apocryphis, vel solo silentio, vel brevi gravique monitu mira felicitate segregasse notaverit.

Quantum verò attinet ad Æram, unde historiæ suæ initium facit, ea est, quàm ante probaverat, *Sulpicium* interpretaturus, ita scribens: *Christum Augusto Imperante, & Herode regnante natum, non tamen, quo anno, idest, quibus potissimùm Coss. ortus sit, constat.* Sulpicius, *ac multi alii* Sabino & Rufo *Coss. id factum prodiderunt; qui Consulatus incidit in annum tricesimumquartum Herodis Regis, & Urbis Romæ septingentesimum quinquagesimum, Im*-

perii

perii verò Augusti, si Triumviratum quoque annumeris, quadragesimum. At Eusebius *in historia*, & Epiphanius *contra hæresie ostendit*, *eum natum esse* Augusto *tertiumdecimum*, & Silvano *Coss. ipsius Augusti anno quadragesimo secundo*, *qui erat Urbis septingentesimus quinquagesimus secundus, cui supputatione ferme omnes hoc tempore eam non sine ratione sequuntur, ne quam in tempora perturbationem introducamus, & nos hærebimus*. Ea etiam sententia doctissimo *Panvinio* placuerat, ad eumque nominatim appellavit *Baronius* in apparatu suo ad Annales. Rationem Eusebianæ supputationis feliciter assequutus est *Sigonius*. Contra verò *Scaliger* & *Petavius* contendunt annum Christi natalem jungendum cum anno Imp. Augusti XLIII. castigati à *Valesio* & *Pagio* ad an. Chr. 14. n.6.

Arriserat primùm hæc sententia Eminentissimo *Baronio*, sed perperam deinde auctoritate *Dionis* innixus, Consulatum Augusti XIV. se comperisse putavit, quamobrem ab *Eusebio*, *Panvinio*, & nostro discessit, errore illo, quem invictis argumentis correxit Eminentissimus *Norisius* in suis Cenotaphiis Pisanis, *Pagius*, aliique plures recentiores. Sed quoniam, ut Fidelibus omnibus manifestum, reparati humani generis annus alio charactere in Evangelio S. Lucæ insignitur: nempe descriptionis primæ factæ à Præside Syriæ *Cyrino*, quem *Josephus* in suis Antiquitatibus silentio præterit. *Tertullianus* verò scribit, census actos sub Augusto tunc in Judæa per *Sentium Saturninum*, & hunc etiam refert laudatus *Josephus*. Hinc varius Doctorum hominum conatus inter has angustias ad verum annum natalem Domini perquirendum, & ad Sacrosancti Evangelii certissimam auctoritatem cum *Tertulliani*, & profanorum Historicorum testimoniis componendam: quorum aliquot animadvertentes primam dici descriptionem à *Quirinio* factam in Evangelio, ipsumque à D. Justino *ἐπίτροπον* appellari, mirum in quot iverint sententias, ut nodum solvant. Eas verò si quis omnes recensere vellet, ac dilucidè satis explicare, plura essent in unaquaque sententia repetenda, quæ nimis extra chorum, non sine vitio affectatæ eruditionis uetum in scœnam producerentur, coctamque crambem, ut est in proverbio, recoquereraus in hac editione, in cujus primo Tomo plura sunt, quæ, quàm diligentissimè fieri poterat, explanata sunt à *P. Stampa*, quem paucis ante mensibus è vita sublatum ob doctrinæ præstantiam, & morum suavitatem mihi cæterisque omnibus, qui eum noverant, carissimum, non sine lachrymis & honoris gratia nomino.

Mihi sanè satis est rei difficultatem demonstrasse, quam nisi penitus superavit *Sigonius*, id sanè constat, æram Historiæ suæ constituisse præstantiorem ex iis, quæ sua ætate circumferebantur; quam si quis hodie studiosius emendare velit, ope Julianæ periodi à *Scaligero* propositæ facili negotio se expedierit, invenierque ab ea, quæ nunc eruditioribus probatur, parum distare, ac bene Consulatui Augusti XIII. fuisse alligatam; itaut ex duobus, ut ita dicam præcipuis anni Natalis Christi Sigoniani characteribus, unum ceteris etiam Chronologis hodie sit probatissimum.

Cùm igitur *Sigonius* Eusebianam Æram probaverit quantum ad annum natalem Domini, à Latinæ tamen Ecclesiæ auctoritate minimè recedendum putavit, cùm de natali etiam die ageretur, & JESUM CHRISTUM D. N. VIII. Kal. Jan. hominem induisse professus, jam ab ipso *Eusebio* discessit, qui, ut observavit citatus *Valesius* in notis ad historiam ejusdem, cum Orientali Ecclesia sentire debuerat, eumque salutarem diem VIII. Idus Januar. alligare. Ita deinde in cæteris etiam sacris mysteriis certis diebus conjungendis Latinæ Matris nostræ Ecclesiæ vetustissimas traditiones veneratus est, ut nefas esse duxerit, vel digitum ab eis discedere, juvarique se constanti observatione non semel declaraverit, dissimulatis penitus quæstionibus iis, quæ in recentiorum annalibus, ex variarum Ecclesiarum monumentis, & SS. PP. testimoniis tertio quoque verbo præter morem Historicorum excitari solent, ratus in iis, quæ nemini partium vitio verti possunt, non esse diutiùs immorandum.

Quoniam verò brevitati studuit, si quæ occurrant alibi ab eodem fusiùs explicara, non inutile reputavi ea in hunc locum revocare, ut apparatus vice historiæ legendæ sint profutura. Eo itaque in loco, ubi scribit, JESUM CHRISTUM à parentibus in Ægyptum delatum, ne ab Herode Rege vitæ illius, propter injectam à Magis regni ejus suspicionem, insidiante, unà cum cæteris Judææ infantibus necaretur, ibi per septennium *prope* mansisse. *ei prope* ita suis etiam verbis in notis ad *Beatum Sulpicium* explicatur: *Mortuo inde Herode Rege, Joseph ab Angelo monitus Christum puerum ex Ægypto in Judæam reportavit; verùm quia Archelaum Regem patris sui loco regnare audivit, eò non accessit, sed ejusdem Angeli monitu in Galilæam secessit, atque in Nazaræo oppido habitavit, ut impleretur quod scriptum erat per Prophetas:* QUOD NAZARENUS VOCABITUR. *Matth. cap. III. Sunt qui Christum septem annos in Ægypto fuisse tradant; quod fieri nequit, si statim mortuo Herode, & Archelao regnum adepto, relatus est; quod S. Matthæus significare videtur; neque enim quocumque anno natum eum dicas, hic septem annorum numerus iniri, salvis historiis, potest. Epiphanius certè biennium tantum agnoscit. Archelaus Rex Eleazarum Pontificem fecit, atque ei deinde successores more instituto dedit. Inde post novem annos à Judæis apud Augustum accusatus, quòd Judæos impotenter haberet, cùm se purgare non posset, regno spoliatus Viennam in Galliam relegatus est An. Urb. Cond. DCCLXIII. Christi XI.* Qui septennium integrum egisse in Ægypto scribit, is est *Tatianus*, seu alius quispiam sit in sua Harmonia Evangelica. *Nicephorus* triennio, alii quinquennio, vel sexennio, eosque omnes enarrat Eminentiss. Baronius ad annum Christi VIII. ubi Epiphanii sententiam explodit, censuram tamen passus & ipse, quòd reditum Jesu Christi in Judæam *Nervæ*, & *Metelli* Consulatui alligaverit, quo tempore jam *Archelaus* fuerat exauctoratus, quod jam ante observaverat *Sigonius*. Porrò à veritate Evangelica docemur, mortuo *Herode S. Josephum* ab Angelo monitum fuisse, ut cum Puero & Matre sua in terram Israël rediret: *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth*. Quamobrem Evangelio tacente, quantum temporis Sacra Familia Nazareth incoluerit, incompertum etiam cum doctissimo *Pagio* fateri debemus annum reditus Domini nostri Jesu Christi in Judæam, &c. si proprietate sermonis uti velimus,

et

ad Sigonianum *prope* accedere debemus.

Isniaus præterea Sacrosancti Evangelii auctoritati annum Imp. Tiberii XV. anno trigesimo JESU CHRISTI parem facit, non à Proconsulari imperio illius initio facto, quod Ætas ipsius penitus excludebat, sed ab Augusti morte, quod simplicius; idque fusiùs explicans in citat. notis, eam supputationis suæ de Tiberiano imperio rationem prodit: *Eodem verò anno Augustus Imperator est mortuus XIV. Kalend. Septembris, ac statim illum* Tiberius *gener ejus hæres testamento institutus excepit, qui sequenti anno, qui fuit Christi XVI.* M. Valerium Gratum *Procuratorem Judææ dedit; isque eam per annos undecim rexit, quibus transactis, anno Christi XXVII.* Pontius Pilatus *est missus*. Hinc est quòd mortem Augusti conjungens cum anno Christi D. XV. ab Eusebio discedit, & loco suo ferme restituit, ut bene observavit *Pagius* ad annum Christi XIV. n. 6. Se verò de Proconsulari imperio nullam hic rationem habuisse, disertè in loco citato profitetur paolò post scribens: *Ceterùm anno Tiberii XV. quem ille inivit XIV. Kalendas Septembris* Silano, *&* Nerva *Coss.* Pontio Pilato *Procuratore*, *&* Anna *Pontifice*, *&* Caifa, *cum annos* CHRISTUS *ageret XXIX.* Joannes *Zachariæ filius, Christi Præcursor pœnitentiam prædicare, & ad Jordanem profectus homines aqua tingere cœpit &c. Sequenti verò anno cùm jam* CHRISTUS *XXIX. annos & tredecim dies tricesimi transegisset VII. Idus Januarias venit ad Jordanem, & à Joanne baptismum poposcit.* Ex *Origenis* nempe, ac D. *Hieronymi* sententia, ad quos provocat Eminentissimus *Baronius*. *Pagius* econtra in ea est opinione, ut S. Lucas Tiberii annos ab ejus imperio Proconsulari deduxerit; sed ea cum supputatione *Sigonii* convenire non potest: neque tantum mihi tribuere velim, ut ad trutinam argumenta utriusque partis hoc loco revocem, ab ovo, ut ita dicam repetenda, nempe ab ipso Æræ Christianæ initio, ad quod investigandum sublimia Clariss. Viror. ingenia, non omnes hactenus difficultates exhaurire potuerunt. Legendus tamen ea de re numquam satis laudatus Card. *Norisius* in dissertat. 2. Cenotaph. Pisan. mihi pag. 515. edit. Venet. tom 3. ubi nullam cum *Sigonio* nostro necessitatem agnovit introducendi proconsulare Imperium Tiberii ad explicationem textus Evangelii, juvantque ipsius argumenta *Sigonium*, cui similis erat opinio, tria paschata J. Christum celebrasse post inceptam prædicationem, & ejus passionem cum *B. Sulpicio* Imperii ejus XVIII. *duobus Geminis* Coss. alligaverat.

Triplex deinde mysterium diei VIII. Idus Januarii juxta Latinæ Ecclesiæ opinionem assignavit, Magorum nempe adorationem, Baptismum Christi, & miraculum aquæ in vinum conversæ in nuptiis Canæ Galilææ, de quibus plura SS Patrum testimonia congessit Eminentiss. *Baronius* in Apparatu, & ad annum Christi 31. ubi explicat locum *D. Augustini* in serm. 3. feriæ VI. post Pascha, ea præcipuè animadversione motus, quod S. Doctor utrumque in diem Dominicum incidisse disertè scribat, & sibi Eminentiss. *Baronius* minus probabile videatur post Baptismum integri anni spatium excucurrisse absque ullo Christi miraculo, & quòd ultra triennium, quo Christi prædicatio ex *Joannis* testimonio duravit, aliud etiam Pascha fuisset addendum. Sed in supputatione Sigoniana minimè hoc necessarium: ita enim in sæpius citatis notis rationem apertiùs init, quippe qui cùm anno XXX. ætatis J.C. baptizatum superiùs recitato loco demonstraverit, mox ita prosequitur: *Anno inde XXXI. ineunte Jesus ad nuptias in Cana Galilææ cum Matre, & discipulis invitatus VIII. Idus Januarias adiit; cùm autem vinum defecisset, rogatu Matris aquam in optimum vinum convertit. Inde imminente Paschate, Hierosolymam adiit, & cùm invenisset homines vendentes oves, boves, ac columbas, nummulariosque sedentes, flagro ex funiculis facto, omnes inde exegit, & æra nummulariorum effudit, mensasque disjecit. Digressus inde Hierosolymis, ac per Samariam transiens mulierem Samaritanam, longo cum ea instituto sermone, convertit, atque in Galilæam reversus, cum multas res mirandas ad salutem hominum edidit, tum conciones plures de cœlesti Regno, atque justitia habuit; quarum una fuit insignis postero anno habita in Monte Tabor &c.* enarrat inde quæ Jesus Christus eo anno egerat. Mox Judæorum rabiem in eum excitatam, atque ita rationem temporis explet. *Jesus autem licèt eorum animos exploratos haberet, tamen sibi faciendum ratus, ut juxta Patris voluntatem obiret, sequenti anno Hierosolyma ad Pascha ex instituto contendit.* Ea rectè ratio temporis à Baptismo Christi ad ejus passionem hodie ferè omnibus acceptissima. Neque sibi contrarius est *Sigonius*, cùm in historia postquam Christi doctrinam anno ejus 31. breviter exposuit, hæc addat: *atque ita in hoc Sanctissimo munere duobus annis, totâ in se unum conversâ Judæa, versatus, prima ejus Ecclesiæ, de qua scripturi sumus, fundamenta locavit*. Nam attentè legenti patet, duos eos annos, qui integri numerandi sunt, eo loco intelligere. Tertii namque nonnisi paucos menses ea chronotaxis amplectitur, & in iis tertium Pascha celebratum à Christo Domino probabiliori sententia est numerandum.

Hæc ad annum Christi natalem, ejusque mortem, unde Historiæ cardo in *Sigonio* animadverti, non ut ejusdem opinionem propugnarem, tantum enim non patitur necessaria præfationis brevitas, sed ut constantem sibi, & ad *Sulpicium*, & in historia *Sigonium* ostenderem, qui concinnitati studens, quæstiones omnes ferè inextricabiles dissimulavit, atque unâ semel probatâ sententiâ, nihil aliud sibi curandum persuasit, quàm ut chronologiæ suæ ratio Sacrosancti Evangelii temporibus conveniret.

Quantum attinet ad Acta Apostolorum, ita in universum ad *Sulpicium* suum prænotaverat; *S. Lucas Apostolorum actiones PETRI & PAULI uno libro collegit, quem ACTUS APOSTOLORUM vocavit, exorsus à die quo SPIRITUS SANCTUS in Apostolos Hierosolymis sedentes est missus, usque ad tertium Neronis annum, quo PAULUS Romam sub militari custodia ductus est, idest ab anno CHRISTI XXXIII. usque ad LVIII. qui numerus est annorum viginti sex. Quo temporis intervallo Apostoli, & Discipuli toto terrarum Orbe dispersi CHRISTI Fidem ac disciplinam Gentibus æquè ac Judæis annunciarunt, Christianorumque nomen latè in omnes Provincias propagarunt, atque extremis omnia pro CHRISTI nomine pertulerunt.* In Historia verò ad annum Christi LV. aliquantisper ab ea ratione discessisse videtur. Scribit enim: *Ingressus est Urbem PAULUS pridie Nonas Julii secundo anno Neronis, ut in Martyrologio scripsit Beda*; Sed si annum tertium Neronis tamquam terminum ad quem excludas, jam uno, atque altero in loco *Sigonium* sibi constare comperies;

eaque sententia licèt à pluribus in dubium revocata, gravem habuit assertorem *Baronium*, qui D. *Hieronymum* chronologiæ huic adstipulari notavit.

Ea igitur, quæ diversis in locis scripserat *Sigonius* de anno, quo D. Paullus Romam deductus est, facili negotio inter se componuntur; At quæ de adventu D. Petri scripserat in notis, & in historia, omnino inter se repugnare observo, nisi dicam, secundis curis cùm historiam scriberet, chronologiæ suæ rationem ab ea, quam in *Sulpitii* notis inierat, immutasse, vel alius componendi modus sit, quem explorare minimè posse ingenuè fateor. Etenim lego ad *Sulpicium*: *Anno interim Christi XXXVIII. Tiberio Imp. defuncto successit Cajus, qui statim Agrippam Herodem Aristobuli filium, Herodis Magni nepotem Regem appellavit, atque ei Tetrarchias Philippi, Lysaniæque concessit; anno verò XLI. Herode Tetrarcha Lugdunum relegato Galilæam quoque adjecit.*

Anno verò XLII. Cajum Imperatorem mortuum excepit Claudius: qui Herodem Agrippam universæ Judææ & Samariæ Regem appellavit. Qui Herodes Jacobum Apostolum Zebedæi filium, Joannis fratrem gladio sustulit, & Petrum Principem Apostolorum, ut gratiam à Judæis iniret, comprehensum in carcerem condidit, unde post Angeli ductu evasit, ut S. Lucas in Actibus prodit. Itaque anno XLIV. Petrus Apostolus Romam primum venit, atque ibi Verbum Dei prædicare instituit, Episcopumque se gessit. Ex *Eusebii* nempe sententia, qui decimo post Ascensionem anno Romam venisse scripserat. In historiæ verò libro II diletté scribit, D. Petrum anno Christi XLII. Romam venisse, ac fundamenta Romani Pontificatus jecisse, aliorum fortasse motus auctoritate, qui nondum exacto biennio Imperii Claudii venisse referunt; cùmque is initium ejus Imp. anno Christi XLI. composuerit, necessarium ei pariter fuit anno Christi XLII.: initia Romani Pontificatus tribuere, & duplicem D Petri Romam adventum, quod *Pagius* optimè observaverat, admittere, inque rursus in notis, biennii tamen intercedente differentia, professus fuerat scribens: *S. Petrus Princeps Apostolorum, Claudio imperante, Romam, ut diximus, venit anno Christi XLIV. nempe post Ascensionem ejus decimo, teste* Eusebio; *atque ibi Episcopus prædicato Evangelio multos ad Fidem traduxit, quadriennio inde post Hierosolymam rediit, & Concilio Apostolorum interfuit anno XLVII.* (atque hanc Æram Concilii Apost. iterum in historia probavit). *Inde Romam repetiit anno LI. Biennio inde post Paulus misso Portio Festi Judææ Procuratoris judicio oppressus, Cæsarem appellavit, ac Romam propterea missus est anno LVIII. Lucas in Actis & Eusebius &c.* Quæ omnia diversis temporibus in historia sunt alligata, ut cuique conferenti apparebit.

Neque ante conveniunt inter se tempora, quàm ad SS. Apostolorum Martyrium ventum sit, quod in Sulpicianis notis hisce characteribus temporum descripserat: *Hoc factum est anno Christi LXVIII. Neronis anno XIII.*, & iterum in historia servavit.

Cæterùm de altera quæstione, quæ ab advento D. Petri Romam derivatur, ita sententiam sua prodiderat in notis: *Magna quæstio est, quo anno Simon Magus à Petro fuerit expugnatus. Eusebius libro II. regnante id Claudio factum, cùm primùm Petrus Romam venit, anno, ut conjici potest, quadragesimo sexto. S. Augustinus, & multi alii paulò ante mortem S. Petri & Pauli anno LXVII. Hic verò Sulpicius in adventum S. Pauli conjecit, qui anno LVIII. Romæ primùm prædicavit. Nos S. Augustini opinionem sequendam esse putamus: quia Nero hac re incitatus in Apostolos mox odio acerbiore deſævit &c.* neque ab ea sententia discessit in historia.

Summorum deinde Pontificum seriem à S. Petro deducturus *Damasi* potissimùm usus est testimonio, hoc est *Anastasii Bibliothecarii*, cujus libri sub Damasi nomine circumferebantur, ut doctissimi *Schelestrate*, *Ciampinus*, & omnium diligentissimus *Blanchinus* suis in eam rem dissertationibus demonstrarunt, eo tamen usque *Sigonius* fidem adhibuit, sicum veterum Patrum scriptis convenire observasset; quamobrem non dubitavit in priorum Pontificum Rom. successione recensenda non semel ab eo discedere, juvatque hoc loco referre, quæ ad annum Christi CI. scribit, cùm S Clementis successorem inter varia Patrum testimonia inquirit: *Evaristum quidem*, scribit Auctor noster, *suggerit* Irenæus, Optatus, Epiphanius, & Augustinus, *atque apertissimè omnium his verbis* Eusebius: Clemens novem annis officio functus, tertio anno Trajani diem obiit, & locum Evaristo concessit. *His autem assentiuntur quoque* Cyprianus, & Hieronymus, *ut postea demonstrabimus. Solus verò Damasus, & quicum secuti sunt, Clementi Anacletum, atque inde Anacleto Evaristum subjiciunt. Quod valdè opinamur animadvertendum, quòd eo in libro, qui Damasi dicitur* (sola namque vulgi opinione Damasum appellabat) *libes hærere insignes temporum videantur. Clementem enim, quem præponit Anacleto, sub Trajano scribit martyrium pertulisse. Anacletum verò, quem Clementi suggerit, sub Domitiano; adde quòd Clementem statim S. Petro sufficiens, atque usque ad Trajani tempora per annos amplius triginta perducens, & plures quàm novem annos ei necessariò tribuit, & simul Linum Cletumque excludit. Accedit quòd novem annos, quos Anacleto, totidemque, quos Evaristo ante Alexandrum assignat, nequaquam probati Consulum Fasti recipiunt, atque omnino alterutrum eorum recipiunt; quibus rebus nihil fingi potest in hoc genere scriptionis absurdius.*

Ad annum deinde Chr. CCLXXXIII. S. Eutychiani Pontificis mortem enarrans, hæc observat: *Damasus martyrio coronatum scripsit, quem Beda secutus est, cujus verò imperio, & qua occasione id factum sit, non adjecit. Aut igitur aliquis historiæ subest error, aut insignis aliquis in urbe tumultus exarsit; neque enim in Pontificem animadverti sine maximo aliquo motu Ecclesiæ potuit.* Eusebius *certè, qui his temporibus vixit, nullius ejus martyrii meminit.* Felici, *inquit*, cùm quinquennio Romanam rexisset Ecclesiam, Eutychianus substituitur, qui non integris decem mensibus absolutis, Cajo, qui nostra ætate vixit, Cleri administrationem reliquit. *Puto autem apud illum menses pro annis esse accipiendos, nam qui octo amplius annos sedit, non omnino decem perfecit. Quis enim ferre æquo animo possit* Damasum *scribentem, Eutychianum anno uno sedisse, eumdemque vitam à Consulatu Aureliani & Marcellini usque ad Consulatum Cari & Carini, quod est annorum octo spatium, perduxisse. O Scriptorem diligentem, cui de martyriis Pontificum credas!*

Unde satis judicium ipsius agnoveris, & paucis argumenta præbuisse miraberis dissertationibus iis, quas doctissimi plures posterioris ævi Scriptores evulgarunt.

Ne-

Neque minus in digerendis SS. Martyrum actis insudavit, primis præcipuè libris, quibus veluti fundamenta Catholicæ Ecclesiæ perlustrat, sedulâque industriâ singulorum vitas undique conquæsitas, servata temporum serie, quantum ævo suo licebat, collegit, *Metaphrastis* ut plurimum usus testimonio, in eo tamen cautus, quòd eumdem malum temporum æstimatorem appellet ad Annum Christi CLXVIII. & cùm vetustiorum Patrum suppetat testimonium, relictis ceteris posterioribus, optima ratione id unum adhibeat. Actis etiam singulorum Martyrum vulgatis non semel productis, & singularum Ecclesiarum tabulis, aut traditionibus, à quibus contra plurium recentiorum opinionem discedere minimè putavit. Eamque in exponendis Romanorum Impp. persecutionibus rationem in sua historia perpetuò servavit, quæ varias de numero ipsarum sententias inter se, propositis conjecturis suis, optimè componeret; itaut in hoc etiam articulo, si pauca excipias acta, quæ post *Sigonium*, hoc præcipuè tempore, quo Bollandianorum Patrum labore ac doctrina meliorem ad trutinam sunt revocata, vix aliud tibi sit aliunde quærendum, & si doctiss. *Ruinarte* præfationem, qua supra ceteros diligentissimè persecutionum earum initia, progressus, & fines investigavit, post Sigonianam Historiam perlegeris, ita inter se concordes observabis, ut parem in utroque Ecclesiasticæ ac profanæ antiquitatis peritiam sis commendaturus. *Sigonio* verò in universum eam laudem nemo negaverit, quam debitam sibi modestissimè sucupari videtur ad An. Christi CCCV. ubi Martyria quibus Diocletianus apud Occidentales sævierat enarraturus hæc scribit: *Has autem clades, ac trepidationes Christianorum nemo extitit antiquorum, qui ordine memoriæ consignarit, neque adhuc quisquam successit, qui eas dispersas colligere, atque in unum redigere aliqua annorum serie conservata studuerit. Itaque nobis danda erit venia, si minus præstiterimus, quam polliceri videamur, quod primi, ac prope soli difficile iter, ac prorsus invium ineamus*, & rursus ad calcem Historiæ suæ: *Atque ita, ut post clarius explicabitur, decima Persequutio, quæ Diocletiani appellatur finem accepit, quam in hos libros conjecimus, quom distinctissimè, planissiméque potuimus; martyriis tamen nonnullis omissis, quorum certos annos assequi, vel anxiè inquirendo nequivimus, quod hæc omnia propter insignem eorum, qui talia memoriæ prodidere in scribendo incuriam tantis sint caligine involuta, ut perspicacissimis etiam cæcitatem offundant. Neque enim satis est ad hæc digerenda cognoscere, ea sub Diocletiano gesta fuisse, sed & certi ejus & sociorum anni, & certa martyriorum loca, ac certi Præsides indagandi, quod firme ab aliis in hoc genere historiarum omissum est, unde miræ in eas tenebræ sunt infusæ, ut multa alia præteream, quibus ipsa apocryphorum ferme auctoritatem obtinuerunt.*

Sacrorum porrò Conciliorum tempora & occasiones, quæque in his decreta sunt, integra fide perpetuò repetit, productis ipsis etiam Canonibus, cùm historiæ suæ melius intelligendæ profuturos esse cognoverit; ob eamque caussam singulorum Patrum libros enumerat, initio facto ab apologiis, quas Christiani nominis defensores, tam in Oriente, quàm in Occidente vulgarunt, mox ad eos veniens, quibus majores nostri Hæreticorum errores propulsarunt. Præ ceteris verò studuisse videtur ope historiæ Cyprianicis illustrandis, tantumque in ea cura profecisse mihi videtur, ut recentioribus Criticis facem prætulisse contenderem, nisi certo scirem, ignotum illis Auctorem nostrum nunc primùm in vulgus prodire.

Non negaverim tamen, oculatissimum virum adhuc aliqua satis explorare minimè potuisse, quæ posterioribus temporibus jam satis liquent: unum exempli gratiâ proferam, in quo impositum sibi à vulgi opinione non animadvertit.

Scribit ille ad annum Christi XXXVIII. *Chrisostomum* in suis homiliis asseverasse: *Post resurrectionem Domini cùm Thomas esset in Persidem, tres Magos, qui Christum olim adoratum ex Oriente venerant, se illi adjunxisse, & baptizatos ab eo se adjutores illi prædicationis exhibuisse.* Non hoc sanè testimonium *Chrisostomo* tribuendum, sed Auctori operis imperfecti in Matthæum, quod plures post *Sigonium* observarunt, & præcipuè *Collius* Ambrosiani Collegii ornamentum in suis eruditissimis libris de Animabus Paganorum, ubi Magos cœlesti fuisse donatos corona multiplicibus argumentis demonstraturus, locum à Sigonio allegatum ita refert: *Cùm reversi fuissent, manserunt colentes, & glorificantes Deum studiosius magis, quàm priùs, & prædicaverunt omnibus in genere suo, & multos erudierunt. Denique cùm post resurrectionem Domini Thomas Apostolus esset in provinciam illam, adjuncti sunt ei, & baptizati ab eo facti sunt adjutores prædicationis illius.* Hucusque Anonymus; sed liceat audire eumdem *Collium*: *Ergo jure, ut in similibus PAULUS argumentatur, ut socii passionum in terris, sic & consolationis fuerint in cœlo planè opus est.*

Quod si hæc quæ ex apocrypha scriptura radicem trahere videntur, haud magni facienda esse arbitreris, revereri omnino debes, quæ in idem dogma tradidit D. Joannes Chrisostomus, quæ cùm (paucis dumtaxat exceptis) similem & eamdem sententiam habeant, non parum allatæ opinioni addunt roboris. Unde mihi, ait, videntur isti etiam in regione propria facti esse civium suorum magistri. Qui enim hic nequaquam ista dicere timuerunt, multo hæc ipsa liberiùs patriæ suæ hominibus prædicarunt, quippe præter Stellæ judicium habebant, & Angeli responsum, & Prophetæ testimonium. *Enim verò si quæ de Scriptoribus Ecclesiasticis memorat S.* Hieronymus, *huc spectarent, fidenter, & omni prorsus de medio sublata hæsitatione, incerti Auctoris subscriberem opinioni; at ne quod adhuc non planè compertum habeo, temerè dicam, num ad hoc, quod investigamus, D.* Hieronymus *alluserit, qui limatioris sunt ingenii judicent, illius certè de S. Thoma Apostolo ista sunt*: Thomas Apostolus, quemadmodum traditum est nobis, Partis, & Medis, & Persis, Germanis, & Hiresnis, & Bactris, & Magis prædicavit Evangelium Dei. *Quod si Magis fortasse, de quibus noster hic sermo est, Christi dogmata aperuit Thomas Apostolus, nihil esse potest veritati rationique magis consentaneum, quàm arbitrari, Magis in disseminanda Veritate Evangelica unà cum Apostolo munere functos.* Quæ tamen omnia propterea integra referre volui, ut appareat, non adeò in hoc articulo à vero discessisse *Sigonium*, quin aliqua sit ejus historiæ à vetustioribus monumentis auctoritas. Paria sanè aut minora, & quidem raiò, in universo ipsius opere cæteri notabunt. A reliquis namque consultò abstinui, ne censorem agere voluisse viderer, in tanto Criticorum numero, quorum è scriniis multa essent in nostras animadversiones conferenda.

Quòd

Quòd si alicui videatur, celeriori, quàm oporteret, compendio historiam hanc longa tempora excurrere, nullo absque Sigoniani nominis detrimento concedam. Nihilo tamen minus id mihi persuasum, ut si nostro rursus hoc tempore, quo tanta literatorum hominum industria in hoc argumentum collata est, eidem scribendæ incumberet Auctor noster, ab ea ratione non esset discessurus, quam optimam in scribendis libris de Occidentali Imperio, ac de Regno Italiæ, ceterisque judicio publico commendatissimam expertus fuerat. Suus præterea cuique Scriptori modus, ac stilus, ad quem ipsa urgente natura vel invitos impellitur, ac si ab eo discedere velit, vix aliquando sine periculo possit. At ne rationibus agam, juvabit etiam hoc tempore, quo Historia Ecclesiastica in molem augustam excrevit, tot illustrium virorum commentariis ornata, simplicem nostram producere, quæ Baronianos æternos Annales tempore præcessit. Et si enim nullibi constet ab Eminentiss. Scriptore, qui Sigonianis ceteris libris paullo ante relatis, non sine Auctoris laude in actis variorum temporum enarrandis utitur, eosque nominatim appellat, historiam hanc fuisse perlectam, unde *Sigonio* plurimum laudis tribuendum esset, quod vias parasse dicendum foret, vix tamen iterum tempero ab ea conjectura, quam initio proposueram; & cùm *Sigonius* doctrina notissimus Romam se contulerit ad Pontificium mandatum accipiendum de scribenda Ecclesiastica Historia, ibique rei manum admovisse cognoscamus ex testimonio suo ad An. Christi LXVIII. hæc omnia eidem Eminentiss. *Baronio* prorsus ignota mihi satis persuadere non possum; vel si demum id omnia cognoverat, se pauci adeò alterius operam æstimasse, ut Auctore nostro vita functo, nihil ultra de illius historia inquirendum putaverit. Imo potius suspicari liceat, quæ in vita S.Philippi Nerii vernaculè scripta leguntur, de *Sigonio*, non verò de *Panvinio* esse accipienda; quòd rationi temporum sit convenientius; *Baronius* etenim annum nondum trigesimum ætatis impleverat, cum *Panvinius* elatus est, majoremque vim præscii ominis habeat, si eidem à S. Patre suo prædictum intelligamus, eum, qui ex Pontificio mandato huic operi vacabat, non esse impleturum. Ut ut autem res habeat juvabit, inquam, & Sigoniana perlegere, unde una saltem nobis erit voluptas, quæ in animis eorum oboritur, qui ad ipsas ingentium fluminum origines venerint, quibus festivum atque gratissimum, saltu flumen illud transilire, quod immensis inde aquarum molibus auctum tantum laboris, tantumque periculi sibi olim navigantibus attulerat.

A. Chr. XXXIII.

A populo id, quod in clando factum fuerat, laudibus extollente, qui debilis annos amplius quadraginta fuisset. Dimissi autem ad suos se receperunt, atque acta omnia docuerunt, qui & ipsi Deum laudibus ingentibus, argumento ex vetere historia repetito, ornarunt; ad extremum precibus obtestantes, ut servis suis verbum suum libere loqui, & signa, ac prodigia fieri per nomen sancti filii sui Jesu permitteret. Quæ preces ubi confectæ fuerunt, locus, in quo fuerant convocati, contremuit, & omnes Spiritu Sancto afflati sunt, & Verbum Dei audacter eloqui cœperunt. Cæterum tum omnium credentium una erat consensio, nec B quisquam eorum quidquam habebat ut suum; & si qui se eis adjungebant, quæ possidebant, universa vendebant, pretiumque ante pedes Apostolorum ponebant: in primis verò Joseph, qui ab Apostolis Barsabas appellatus est, homo Cyprius, agro vendito, pretium ad Apostolos attulit. Vir autem quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua, prædio vendito, multum de pretio illo, conscia uxore, detraxit, ac partem quandam tantummodo attulit. Quod ut Petrus sensit, *Cur tandem*, inquit, *à Satana concitatus Spiritui Sancto mentitus es, & fraudasti de pretio agri, cum præsertim possessio vendita in tua potestate maneret? atqui* C *scito te non hominibus mentitum esse, sed Deo.* Quæ cum Ananias audiret in terram procidit, atque expiravit. Qui verò audierunt ingenti omnes horrore correpti sunt. Trium inde horarum interposito spatio, Sapphira conjux ejus, hujus facti ignara intervênit, & cum rogata à Petro an tanti agrum vendidissent, annuisset, & castigata eadem ratione fuisset, repentè mortua corruit. Interim Apostoli signa, ac prodigia multa edebant, & concordes in porticu Salomonis agebant; cum autem in dies credentium numerus augeretur, fiebat, ut in viis male affectos exponerent, ut transeunte Petro saltem umbra illius effunderentur, & D suis languoribus solverentur; quin etiam finitimæ civitates ægros suos, & spiritibus immundis correptos adducebant, atque omnes sanitatem recipiebant. Qua re animadversa Princeps Sacerdotum, & omnes qui cum eo erant Sadducæi, invidia exulcerati manus Apostolis injecerunt, & in custodiam publicam detruserunt. Verùm Angelus Domini, aperto per noctem carcere, illos eduxit, mandans, ut in Templo verba vitæ præciperent. Qua voce audita illi prima luce in Templum ingressi docere cœperunt. Princeps Sacerdotum cum advocasset Concilium adduci eos jussit; cum autem carcere clauso, & custodi- E bus septo evasisse eos audirent, de illis consultare cœperunt; ubi verò eos in Templo esse, ac populum docere senserunt, cum Magistratus adiit, atque eos sinè vi ulla adduxit, ne fortè lapidibus incesseretur à populo veritus, ac mox in Concilium productos acriter objurgavit, quòd contra jussa sua in nomine Jesu populum docuissent. Quibus Petrus respondit: *Nos Deo potius, quam hominibus parere debemus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos in Crucem agentes peremistis, hunc principem, & salutis auctorem Deus extulit dextera sua, ut Judæis pœnitentiam, & remissionem peccatorum concederet, & nos sumus testes horum verborum, & Spiritus Sanctus, quem Deus impertivit omnibus obedientibus sibi.* Quæ ubi illi audierunt vehementer animo angi, atque de nece illorum cogitare cœperunt. Tum Gamaliel Pharisæus legis interpres vir magnæ apud plebem auctoritatis, hominibus paulisper amoveri jussis, dixit: *Viri Israelitæ videte etiam atque etiam quid de istis hominibus statuatis; superioribus enim diebus Theodas exortus est dicens:* Extitit homo, *cui homines prope quadringenti assenserunt, qui occisus est, & quicunque ei assensi sunt, dispersi, ac perditi sunt; Post eum extitit Judas Galilæus, qui avocato ad se populo, & ipse mortuus est, & quicunque ei assenserunt dispersi sunt. Quare moneo vos, ut ab istis hominibus recedatis, eosque dimittatis; nam si opus hoc ab hominibus est, dissolvetur; si à Deo, non poteritis solvere, nisi & Deo videamini repugnare.* Qua oratione approbata illi advocatis Apostolis, verberibus admotis, denunciarunt, ne quid in Jesu nomine loquerentur, eosque dimiserunt. Hi verò læti quòd digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati, ex Concilio abierunt, nec propterea Christum quotidie in Templo, & domibus docere, ac nunciare cessarunt. Sub eosdem dies Apostoli Sacros ad munera Dei obeunda Ministros instituisse videntur, ut Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, & qui ab his sequuntur. VI. autem Kal. Januarias, ut scribit Beda, Episcopus unus lectus est, qui Ecclesiam Hierosolymitanam, quæ sola tum erat, administraret, eaque cura à Petro, Jacobo, & Joanne, qui columnæ esse Ecclesiæ videbantur, Jacobo fratri Domini, qui Justus appellabatur, mandata est. Qua de re sic, Eusebio teste libro sexto Hypotiposeon Clemens Alexandrinus scriptor his temporibus proximus: *Petrus, Jacobus, & Joannes post Salvatoris in Cœlum ascensum cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de honore, & gloria inter se contenderunt, sed uno consensu Jacobum Justum Hierosolymorum Episcopum designarunt.* De Presbyteris autem, & Diaconis Lucas sic scribere pergit: *Crescente numero Discipulorum Græci obloqui Hebræis cœperunt, quòd viduæ suæ quotidiano in ministerio spernerentur. Itaque Apostoli discipulorum Concilio advocato dixerunt: Haudquaquam æquum est nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Legite, ergo, Fratres viros ex vobis spectatæ vitæ septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos huic muneri præponamus; nos verò orationi, & Verbi ministerio incumbemus.* Hunc in modum approbato à multitudine consilio delegerunt Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Simonem, Parmenam, & Nicolaum Antiochenum, quibus in conspectum Apostolorum productis orantes manus imposuerunt. Ex quo factum est, ut S. Ignatius scripserit, *Stephanum Jacobo Episcopo Diaconum extitisse*; ita sequenti anno cum prædicatio increbresceret, numerus etiam discipulorum in Urbe crescebat: Nam turba Sacerdotum fidei obtemperabat. Cum autem post Stephanus plenus gratia, & fortitudine prodigia & signa magna in populo ederet, surrexere quidam de Schola

A. Chr. XXXIII. Libertinorum, Cyrenensium, & Alexandrinorum, & alii è Cilicia, & Asia, ac disputare cum eo cœpere; verùm cum ejus sapientiæ, & spiritui loqueatis non possent resistere, subornarunt testes, qui dicerent, se audisse eum probra jacientem in Moysem, & Deum, ac plebe, senioribus, scribisque concitatis, ipsum in Concilium rapuerunt, & falsos testes produxerunt qui dicerent se audivisse illum dicentem, Jesum Nazarenum eversurum locum illum, & instituta tradita à Moyse mutaturum. Intuentes autem eum qui sedebant, faciem ejus tanquam faciem Angeli agnoverunt. Interrogatus porro à Principe Sacerdotum, num ita esset, respondit, atque antiqua Dei erga Hebræos beneficia, historiâ jam inde à temporibus Abrahæ repetitâ, exposuit; quibus ordine commemoratis, demum eos occidisse Prophetas, qui de adventu Justi loquerentur, adjecit. Quibus rebus auditis illi animis incitari, & dentibus in eum frendere cœperunt. Cum autem Stephanus plenus esset Spiritu Sancto Cœlum suspiciens vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei, & ait: *Ecce video Cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei*. Illi vero clamore sublato aures suas eohibuerunt, atque uno animo impetum in eum fecerunt, atque urbe eaactum lapidibus incessebant, cum testes vestimenta sua ad pedes adolescentis posuissent, qui Saulus appellabatur; Stephanus autem positis genibus dicere cœpit: *Domine suscipe spiritum meum, atque hoc illis ignosce*; atque his dictis Saulo necem ejus probante expiravit, eoque die magna persecutione Hierosolymorum laboravit Ecclesia. Hæc autem I.I. Nonas Augusti acta esse ii docent, qui de Divinorum Officiorum ratione scripserunt. Cæterum hæc antiqua sacri martyrii fuere primordia, siquidem qui pro Christo passi sunt, Martyres in hunc usque diem, & Stephanus Protomartyr ab Ecclesia dicti sunt. Hæc porrò res effecit, ut Fides, quæ adhuc se Hierosolymorum urbe tenuerat, latius funderetur. Nam Discipuli omnes, ut pergit Lucas, relictis Apostolis, inde abierunt, ac per vicinas regiones divisi Judæis reliquis nunciare Evangelium instituerunt. Quod dum illi faciunt, Saulus Tharsensis, is, qui cædi Stephani assensum præbuerat, Ecclesiam acerrimè cœpit divexare, ex ædibus suis utriusqua sexus homines abstrahens, eosque custodiæ tradens. Philippus autem Diaconus, cum se in Samariam contulisset Verbum Dei nunciare, & miranda signa edere eum maxima eorum hominum assensione instituit. Nam & spiritibus immundis complures liberavit, & debiles, ac claudos multos sanavit, ea quo in magna gratulatione illa esse Civitas cœpit. Erat tum in urbe Samariæ Simon quidam magicis artibus eruditus, qui suis præstigiis tantam apud eos auctoritatem erat adeptus, ut eum virtutem essa Dei magnam assererent. Hic cum vulgo homines ad accipiendum à Philippo baptismum adire videret, & ipse fide imbutos accessit, ac se Philippo adjunxit, magna Signorum admiratione perculsus. Cùm autem Apostoli qui erant Hierosolymis Samariam Verbum Dei accepisse audirent, eò Petrum, & Joannem miserunt; qui profecti, effusis ad Deum precibus, manibus imponendis Spiritum Sanctum afflarunt. Quod ubi Simon conspexit, petiit ab eis, ut acceptâ pecuniâ eam sibi quoque potestatem tribuerent, ut cuicumque manus imposuisset, is Spiritum Sanctum acciperet. Cui respondit Petrus: *Pecunia tua tibi sit in exitium, quòd Dei munus parari pretio credidisti, tu vero abi, atq; hujus sceleris pœnitentiam age. Deumque roga, ut hoc tam perversum judicium tibi remittat*. Quibus ille: *imò vero vos orate Dominum*, inquit, *meo nomine, ne quid eorum, quæ dixistis, mihi contingat*. Hinc Philippus divinitus monitus Gazam versùs iter suscepit, atque in via eunuchum Æthiopem Candacis reginæ obvium fide imbuit, ac sacro baptismo infecit; inde Azotum, ac demum Cæsaream proficiscens passim Evangelium prædicare perrexit. Interim Christi mors, & resurrectio tantum omnibus hominibus stuporem injecit, ut ejus quoque rei fama Romam pervenerit; nam cum moris esset, ut quæ nova, & miranda in provinciis acciderent, de iis Præfecti Imperatores primo quoque tempore admonerent, Pilatus Tiberium Imperatorem de mirandis Christi operibus docuit. Quibus cognitis Tiberius ad Senatum de Christo pro Deo habendo retulit; Senatus autem quòd non prius ad se de more delata res esset, eam sententiam magna consensiona repudiavit. Tiberius tamen conceptam de Christi Divinitate opinionem haud usquam abjecit, ac noxam capitalem iis, qui Christianis negotium præbuissent, intendit. Qua de re sic scriptum reliquit Tertullianus: *Vetus erat decretum ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur, ut M. Æmilius de Deo suo Alburno. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum*. XXXIV. Initio sequentis anni Saulus minas adhuc, & cædem in Discipulos spirans literas à Principe Sacerdotum elicuit ad Synagogas Damasci, ut si quos hujus disciplinæ viros, ac mulieres invenisset, Hierosolyma vinctos adduceret. Ubi verò Damasco appropinquavit VIII. Kal. Februarii (sic enim traditum observat Ecclesia) media dia repentè cœlesti lumine circumfusus, oculis captus, metuque exterritus ex equo decidit, atque hanc vocem audivit: *Saule, Saule, cur me persequeris?* quamoa quærenti cum stupore Saulo quis esset, respondit: *Jesus sum, quem tu persequeris; durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Tum Saulus: *Quid me facere jubes?* ille autem: *Perge Damascum*, inquit, *& ibi, quid tibi facto opus sit, disces*. Perterrefacti autem hoc viso comites Paulum se attollentem, & nihil videntem, in urbem adduxerunt; ibi verò eum Ananias post triduum imposita manu sanavit, monitus à Deo, dicente, se eum selegisse ut nomen suum Gentibus, & Regibus, & filiis Israël nunciaret, ac mox etiam baptizavit; itaquè moratus cum Discipulis, qui erant Damasci, aliquot dies, in Synagogis Jesum Christum Dei filium, stupentibus rei novitate

cun-

A. Chr. XXXIV. omnibus, prædicare instituit, ac Judæos, qui Damasci erant, elingues reddidit. Damasco inde in Arabiam abiit, & ex Arabia rursus se Damascum recepit, ut ipse in Epistola inquit ad Galatas, quod Lucas prætermisit. *Ubi placuit Deo ut evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni, & sanguini, neque veni Hierosolymam ad Antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum.* Qua re comperta, teste Luca, Judæi de illo interficiendo consilium habuerunt, ac dies noctesque portas per Præfectum Aretæ Regis, ut eum interciperent, asservarunt, quo prærepto, discipuli silentio noctis eum per sportam ex mænibus demiserunt; ille vero Hierosolymam adiit, ac se se discipulis jungere studuit, qui illum cavebant, discipulum non esse credentes; Barnabas autem apprehensum adduxit ad Apostolos, quibus ipse, quæ sibi in via & Damasci evenerant, retulit, & cum illis urbem ingrediebatur, & egrediebatur cum fiducia, agens in nomine Domini, & loquebatur cum Gentibus, & disputabat cum Græcis, quigeum spoliare vita studebant Quod cum cognovisseur fratres Cæsaream deduxerunt, ac Tharsum dimiserunt. Atque hoc quidem modo Ecclesia per totam Judæam, Galilæam, & Samariam quietè agere cœpit, & in timore Domini incedens crescere, & Spiritu Sancto afflari. Petrus inde peragrans omnes fidelium Regiones Lyddam accessit, atque ibi Æneam quemdam hominem jam per annos octo membris omnibus captum in nominn Jesu sanavit. Quod ubi Lyddenses, & Saronenses compererunt, mox ad Christi Religionem accesserunt. Inde Joppem accitu Discipulorum progressus, Tabitham, cognomine Dorcadem, eximiæ pietatis, ac liberalitatis fœminam, vita functam, effusis precibus excitavit, quæ res multos quoque ad credendum induxit. Paucis inde interjectis diebus cum apud Simonem Coriarium hospitatus esuriret, ac cibum capere vellet, horâ diei sextâ Cœlum apertum sibi videre visus est, ex eoque linteum magnum quatuor oris in terram demitti, in quo essent omnia genera quadrupedum, serpentium, & volucrum, ac mox vocem se audire monentem, ut ea occideret, & comederet; cùmque se rebus immundis vesci posse negasset, visus est audire qui diceret, ne profanum id appellaret, quod Deus ipse consecravisset. Quod cum iterum, ac tertiò factum esset, vas illud speciem lintei præferens in Cœlum receptum est. Petrum inde super illa visione anxiè cogitantem tres viri nomine Cornelii Italicæ cohortis centurionis Cæsarea adierunt, atque ut ad eum contenderet, obsecrarunt, quod Angelus Sanctus eum admonuisset, ut illum ad se accerseret; itaque postridie unà cum eis profectus sequenti pervênit Cæsaream. Advenienti Petro Cornelius amicis advocatis obviam prodiit, & se adorandi causâ ad pedes ejus abjecit. Quod ille eos facere vetuit, se quoque hominem esse testatus; inde cum eo domum ingressus, præsentibus qui convenerant, ita est loquutus: *Satis scio nefas esse viro Judæo societatem inire cum alienis, aut ad eos accedere; sed quoniam Deus mihi ostendit, neminem hominem profanum aut immundum esse habendum, propterea accersitus non gravatè adveni: nunc verò scire aveo, quamobrem me acciveris.* Tum Cornelius: *quatriduo ante*, inquit, *cùm solus domi meæ horâ diei nonâ orarem virum quemdam candida veste indutum mihi videre visus sum, dicentem orationem & eleemosynas meas Deo acceptas esse, monentemque ut Joppe Simonem accerserem; Quare gratias tibi ago quòd veneris, simulque paratus sum ad audiendum quod tibi à Domino est præceptum.* Tum Petrus: *Compertum habeo*, inquit, *Deum nullius potius quàm alterius rationem habere, sed acceptos esse illi omnes apud omnes gentes, qui se timeant, & justè vivant. Verbum Deus misit ad filios Israël, quod pacem Jesu nomine nunciaret: is est Dominus omnium. Vos scitis illum verba fecisse per universam Judæam, quibus à Joannis Baptismo intellectum est Jesum à Spiritu Sancto unctum esse, eumdemque omnes qui à Dæmone oppressi essent pro sua benignitate curasse, cùm Deus in eo inesset, & cum eo versaretur, prout nos Condiscipuli ejus testes sumus. Is cùm à Judæis Crucifixus esset, tertia die à Deo ab inferis excitatus est, apparuitque non universo populo, sed iis, quos Deus prævidit, qui convivio ab illo adhibiti cibum potumque unà cum eo à mortuis excitato ceperunt. Idem nobis imperavit, ut populum doceremus, ac testaremur ipsum vivorum, & mortuorum Judicem esse datum, eumdem Prophetæ omnes esse aiunt, cujus nomine peccata omnia condonentur.* Adhuc eo loquente lapsus est Spiritus Sanctus in eos, qui audiebant, quos ubi variis linguis loquentes, & Deum collaudantes senserunt, Judæi, qui cum Petro advenerant, obstupuerunt, quòd Spiritus Sanctus ad Gentes etiam pervasisset. Tum Petrus eos Jesu nomine tinxit, & eum rogatu eorum aliquot dies apud ipsos maneret, Apostoli, & fratres, qui erant Hierosolymis, Gentes etiam Verbum recepisse audiverunt. Reversum inde illum Hierosolyma Judæi circumstetere quærentes: *quare Gentiles præputio præditos adiisset, & cum eis cibum cepisset?* Quibus Petrus exposita rerum actarum historiâ cumulatissimè satisfecit; atque eos sibi assentiri coëgit cum magna Dei collaudatione dicentes: *Ergo & pœnitentiam Deus Gentilibus concessit ad vitam.* Quæ dum aguntur reliqui Discipuli, qui à cæde Stephani Hierosolymis se metu dispersi proripuerant, Phœnicem, ac Cyprum, & Antiochiam nunciantes Evangelium perlustrarunt, ac solis Judæis Verbum exposuerunt. Postero si rectè conjicimus XXXV. anno, viri quidam Cyprii, & Cyrenæi ex Discipulis, qui prædicationem à nobis memoratam obierant, cùm Antiochiæ essent, Græcos alloqui cœperunt, & cùm Dominum Jesum eis annunciassent, multos eorum ad fidem ipsius auxilio traduxerunt. Quod ubi Ecclesia Hierosolymitana accepit, continuò eò Barnabam destinavit. Qui profectus, & re cognita gavisus, hortatus est eos, ut in instituto manerent, multisque conversis Tharsum adiens secum inde Saulum adduxit. Itaque per annum integrum cum cæteris qui convenerant Discipulis commorati, numerum hominum ingentem erudierunt; quæ res effecit, ut Antiochiæ primum Discipuli Christi, vulgò Christiani sint appellati. Hac re animadversa Apostoli Pridie Kal. Julias (sic enim

obser-

A. Chr. XXXV. observat Ecclesia) in unum convocati, unde
A XII. Apostolorum collectio nominata, tempus esse statuerunt, ut ex præcepto Christi ad propagandum in omnes regiones Evangelium irent. Quippe surgens inter eos Petrus sic dixit: *Memoria credo tenetis, fratres, mandatum nobis esse à Domino: Ite, & prædicate Evangelium omni creaturæ, & baptizate in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quamobrem cùm nihil aliud antiquius habeamus, quàm ut jussa illius omnia expleamus, incumbamus, quæso, in opus quod ille nobis injunxit, inquiens:* EGO MITTO VOS TANQUAM OVES INTER LUPOS *estote prudentes sicut serpentes. Ut enim serpentes vim patienter totum corpus suum offerunt,*
B *caput autem tantùm abscondunt, sic & nos mortem excipiamus, caput nostrum, qui Christus est, non negantes. Et quia ab eodem dictum est:* SI ME PERSEQUUTI SUNT, ET VOS PERSEQUENTUR, *pro certa habeamus multa nobis pericula imminere, verùm & bona multa percepturos, si mala propter Sanctum Nomen ejus passi fuerimus.* Quæ ubi dixit, eum Jacobus frater Domini excepit. *Rectè nos Petrus admonuit, nam verè tempus instat, ut hæc impleantur; nemo verò vestrûm ignorat, has mihi mandato Domini sedes esse permissas;* Cui Petrus: *Meminimus hæc omnis loca tuæ curæ esse commissa, nec*
C *sat esse, te ab hac urbe discedere. Quamobrem reliqua expediamus.* Hæc ita tum dicta Prochorus prodidit. Quibus actis placuit, ut Provinciæ in sortem conjicerentur. Quo facto, ut inquit ex Origenis sententia Eusebius, Petrus Bithyniam, Pontum, Galatiam, & Cappadociam, Bartholomæus Indiam, Thomas Parthiam, Andreas Scythiam, Matthæus Æthiopiam obtinuerunt. Isidorus verò, & alii Jacobo Zebedæi Hispaniam, Philippo Scythiam, Matthiæ Judæam, Simoni Ægyptum, Thaddæo Mesopotamiam addiderunt. Hac Provinciarum sortitione concelebrata, cùm omnis eorum in tradenda Fide esset opera consummanda, ne qua in
D eo obeundo officio inter se dissensio oriretur, inde communi consilio brevem quandam Fidei formulam conscripserunt, & cùm duodecim essent, universam ejus summam in duodecim, qui dicuntur, Articulos, suum pro se quisque afferentes, dispensarunt. Id Symbolum Apostolorum est appellatum, de quo S. Augustinus sermone CXVII *Symbolum est comprehensio Fidei nostræ atque perfectio, simplex, breve, plenum, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ. Quod enim Symbolum Græcè dicitur, Latinè collatio dicitur; collatio, quia collata in unum Catholicæ Legis Fides Symboli colligitur brevitate.* Item S. Hieronymus ad Pammachium.
E *Symbolum Fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus post Confessionem Trinitatis, & Unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Petrus dixit: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Joannes dixit: *Creatorem Cœli, & Terræ.* Jacobus dixit: *Credo in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Andræas dixit: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Philippus ait: *Passus sub Pontio Pila-*

A *to, Crucifixus, Mortuus, & Sepultus.* Thomas ait: *Descendit ad Inferna, tertia die* A. Chr. XXXV.
Resurrexit à Mortuis. Bartholomæus dixit: *Ascendit ad Cœlos, Sedet ad Dexteram Dei Patris Omnipotentis.* Matthæus dixit: *Inde venturus judicare vivos, & mortuos.* Jacobus Alphæi: *Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Simon Zelotes: *Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum.* Judas Jacobi: *Carnis resurrectionem.* Matthias complevit: *Vitam Æternam Amen.* Inde multa alia ad Ecclesiam ritè formandam pertinentia statuerunt, quæ sive Canones, sive Constitutiones Apostolorum, sive aliquid tertium fuerit, more magis,
B quàm scriptura contentum, nobis est incompertum. Hæc certè dogmata, & Instituta Hierosolymis ab Apostolis tradita Lucas post sæpe commemoravit. Quibus rebus ritè perfectis diebus Juliis, omnes in suas quisque Provincias discesserunt, unde is dies in martyrologiis divisio XII. Apostolorum dictus, atque omnibus nationibus Cœlestem pandere disciplinam cœperunt. Post tertium quo passus Christus fuerat, Cedreni testimonio, annum, solus Jacobus Hierosolymis XXXVI.
ad gubernandam Ecclesiam, & Joannes ad tuendam, quam in clientelam à Christo acceperat, Virginem remansere. Quin etiam Petrus usque ad sequentem An-
C num in Urbe alicujus negotii causâ substitisse videtur. Matthæus autem, ut inquit Eusebius, cùm adhuc Hebræis Evangelium prædicasset, ubi statuit ad alias Provincias proficisci, Evangelium suum patrio sermone conscripsit, & quod illis, à quibus discessit, deesse, dum apud eos aderat, videbatur, illud sedulitate, & labore scribendi supplevit, atque Evangelium illud Jacobo Hierosolymorum Episcopo tradidit. Sequenti XXXVII.
anno Agabus Propheta, teste Luca, Hierosolymis Antiochiam venit ac Spiritu Sancto instinctus, brevi magnam futuram in terris rerum ad victum pertinentium inopiam cecinit. Qua re cognita Discipuli,
D qui erant Antiochiæ, eam impendere calamitatem arbitrati, ac vicem fratrum, qui Judæam colebant, soliciti, pro suis quisque facultatibus contulerunt, ac per Barnabam, & Paulum, quos Antiochiæ mansisse supra diximus, opportuna vitæ subsidia submiserunt. Qui profecti munus illud diligentissimè sunt exequuti. Ac Hierosolyma progressi Joannem Barnabæ consobrinum, qui Marcus appellabatur, secum Antiochiam deduxerunt. Atque hoc est, ut opinor, tempus, quo se Paulus venisse Hierosolyma post tertium vocationis suæ annum scripsit ad Galatas, atque ibi quindecim dies moratum, & cum nemine, nisi cum Petro, &
E Jacobo fratre Domini colloquutum, credo quòd cæteri Apostoli jam in suas quisque Provincias discessissent. Eodem Anno Petrus, Hierosolymorum curâ Jacobo relictâ, Antiochiam ad Ecclesiam illam administrandam accessit, multos secum discipulos, inprimisque Martialem propinquum habens, ibique sedem VIII. Kal. Martias iniit, Anni auctor est Aurelianus in vita S. Martialis, qui scribit Petrum Antiochiam Anno vigesimo secundo Imperii Tiberii, & XXXVIII.
quinto post Passionem Domini concessisse, item cum eodem Eusebius, Damasus, & Hieronymus, qui ipsum per septem annos

pra-

A. Chr. XXXVIII. A præfuisse Ecclesiæ Antiochenæ tradunt, antequam ad Romanam accederet. De die testatur Ecclesia Romana, quæ annuam Cathedræ Antiochenæ commemorationem antiquitus adeò in illum diem conjecit, ut etiam S. Augustinus, & S. Leo Sermones in eundem scriptos reliquerint. Antiochiam verò ubi venit, doctrinam de Regno Cœlorum populis tradere, Martiali discipulo adjuvante, instituit, atque ita infinitam hominum multitudinem ad Sacra Christi accipienda, & Ecclesias, quibus in locis non erant, construendas traduxit, quas etiam Presbyteris, & Diaconis, qui idonei esse videbantur, ornavit. Eadem ratione cæteri B Apostoli in suis quisque Provinciis arcana cœlestis disciplinæ mysteria omnium in omnibus Orbis partibus populorum auribus feliciter intonare cœperunt, atque Ecclesiam vitæ exemplis, doctrinæ sanctitate, & miraculorum magnitudine fundare, ac provehere instituerunt, nulla vel tormentorum, vel mortis, quæ intentarentur, pericula formidantes. Quod scripsit Justinus in Apologia ad Pium: *Hierosolymis duodecim viri profecti sunt in Mundum indocti, & indiserti. Dei autem virtute omni hominum generi denunciarunt, se à Christo missos esse, qui cunctos Verbum Dei docerent*; & Lactantius libro quarto mandavit his verbis: *Discipuli per* C *Provincias dispersi fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine Magistri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia discedens instruxerat eos virtute, ac potestate, qua posset novæ annunciationis ratio fundari, ac confirmari.* Item Chrysostomus in Genesim: *Etiam si ad Indos abieris, & ad Scythas, & ad fines Orbis terræ, etiam si ad ipsum Oceanum, ubique invenies Fidem Christi illustrantem omnium animos. Hoc enim admirabile, & stupore plenum, quòd effera barbarorum corda demulsit, & placida fecit pietatis sermo, didiceruntque philosophari, & abjecta pristina consuetudine ad pietatem translati sunt. Et sicut per tres* D *illos hominum genus multiplicavit Universi conditor, ita quoque & in fide per undecim piscatores illiteratos, & idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi Orbem conciliavit. Et illiterati isti, & idiotæ, & piscatores Philosophorum obturaverunt ora, & transcurrerunt Orbem, quasi alati, seminantes veritatis sermonem, & spinas exsiccantes, & pristinas affectiones revellentes, Christique leges ubique plantantes. Et neque quòd pauci essent, neque quòd privati, & illiterati, neque quòd austera & insolita docerent, neque quòd veteri consuetudine humanum genus præventum esset, obstaculo eis esse potuit, sed prævia gratia sustulit hæc omnia, magnaque facilitate operati sunt omnia, pro ipsa majorem* E *accipientes alacritatem.* Et in libro, quòd Christus sit Deus: *Esaias commemorat quomodo prævaluerint Apostoli, dicit enim Dominus: DABIT VERBUM EVANGELIZANTIBUS VIRTUTE MULTA. Non enim moverunt arma, neque expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine, neque aliquo tali usi sunt, sed verbo simplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum ostensionem; Crucifixum enim prædicantes, & miracula facientes totum Orbem sibi subjecerunt; & propterea dicit: DABIT VIRTUTEM EVANGELI-*

A. Chr. XXXVIII. A *ZANTIBUS VIRTUTE MULTA, miracula significans. Etenim mira virtus erat Piscatorem, Publicanum, Pellionem nudis præceptis mortuos suscitare, Dæmones expellere, mortem abigere, Philosophorum linguam mutam facere, Rhetorum ora constringere, apud Principes ac Reges versari, Barbaris, Græcis, & omni hominum generi imperare. Nam omnia hæc verbo illi perfecerunt, & virtute multa mortuos in vivos mutaverunt, peccatores in justos, cæcos in videntes, & morbos naturæ, ac malitiam animæ expulerunt.* Idem etiam scriptum in Matthæum reliquit: Post Resurrectionem Domini, cum Thomas isset in Persidem, tres Magos, qui B Christum olim adoratum ex Oriente venerant, se illi adjunxisse, & baptizatos ab eo se adjutores illi prædicationis exhibuisse.

XXXIX. Insequenti anno XVIII. Kal. Aprilis Tiberius Imperator est mortuus, eumque excepit Cajus Caligula, homo immanis ille quidem, & ferus, sed qui Judæis potius quàm Christianis detrimentum attulerit. Is Herodem Agrippam, Aristobuli filium, Herodis magni nepotem Tetrarchiis illis ornavit, quas Philippus, & Lysanias obtinuerant, mox, ut tradit Josephus, usque eò vecordiæ ac temeritatis processit, ut se pro Deo coli à Judæis voluerit; itaque Synagogas eorum ad sui ipsius cultum traduxit, & suis statuis exornavit, ac Templum C Hierosolymitanum ad eam usque diem inviolatum suo nomini dedicavit, ex quo apparuit, vocem, quam illi temerè coram Pilato quondam effuderant, cùm se neminem Regem habere, nisi Cæsarem, dicerent, meritò in illorum jam capita recidisse. Atque hoc præcipuum earum, quæ post Judæis obtigerunt, calamitatum fuit initium, Christo jamjam cruciatum, necemque suam injustam ulcisci justissimè incipiente. Petrus autem cùm audisset Simonem Magum, quem superioribus annis Spiritum Sanctum emere cupientem reprehenderat, facta jampridem à Christo defe- D ctione Syriam peragrantem præstigiis suis illudere, atque à Christi doctrina novam suam inferendo avertere, qua se Patrem esse, & Filium, & Spiritum dicebat, monente Deo, ad eum persequendum, & Evangelium pro officio suo prædicandum exivit, ac, teste Sophronio, & Metaphraste, Hierosolymis profectus, quò propter Pascha recesserat, Cæsaream Stratonis advênit, ibique ipsum acri suscepta cum eo disputatione convicit. Inde Berytho, Biblo, Orthosia, Antarado, & Arado visitatis, Laodicæam accessit, ubi multos Dæmonibus, ac morbis oppressos sanavit, mox per Antiochiam in Cappadociam, atque Galatiam E iniit, ac Tyanis, & Ancyræ earum oppidis ita fuit, ut homine mortuo vitæ restituto, & Verbo Dei indicto, gloriosus inde discesserit. Inde verò profectum Ponti oppida Sinope, & Amasca, deinde Gangra Paphlagonum, tum Nicomedia, Nicæaque Bithyniæ exceperunt; ad extremum converso itinere, ut Hierosolymis ad Pascha sequentis anni adesset, Pisinuntem venit, & per Cappadociam, Syriamque, Antiochiam, atque inde Hierosolyma se recepit, Verbo Dei ubique felicissimè nunciato, & in multis oppidis Episcopis ejus rei gratiâ constitutis. Atque hæc quidem pri-

A. Chr. XXXIX.

ma Petri in Asia prædicatio fuit. Per eosdem dies Alexandriæ in Ægypto seditio gravis inter Judæos, & Græcos de Cajo Imperatore colendo exarsit. Qua de re missi ab utraque parte legati sunt Romam ad Cajum, à Græcis quidem Apio, à Judæis verò Philo, quorum uterque apud suos magnam eruditionis, & sapientiæ habebat opinionem. Cùm ambo in conspectum Imperatoris venissent, Apio loqui ingressus, Judæis in primis objecit, quòd Cæsari honorem non haberent, ut ceteri, qui Cajum dicatis Templis Divinis honoribus affecissent. Quibus rebus auditis Philo respondere pro suo officio voluit, verùm Cajus iratior Judæis prohibuit, atque ipsum è conspectu suo extemplo abire præcepit, sic enim Philo ipse memoriæ prodidit.

XL.

Postero anno, qui fuit ab ortu Christi quadragesimus, dum undecim Apostoli in suis quisque Provinciis Judæos ferme de Verbo Dei docere contenderent, teste Luca, placitum est Deo alios Apostolos quoque Gentium constituere, ut per eos semetipsum æquè omnibus nationibus indicaret. Itaque Barnabam, & quosdam alios Discipulos Dei ministerio Antiochiæ servientes, ac jejunantes Spiritus Sanctus admonuit, ut sibi Saulum, & Barnabam ad opus, cui illos destinasset, secernerent. Quare jejunio, atque oratione præmissa, Discipuli illos manibus impositis dimiserunt. Illi verò, duce Spiritu Sancto, profecti Seleuciam primùm, deinde Cyprum adierunt, Joanne Marco comitante, quem diximus, ac Salaminæ in Synagogis Judæorum Verbum Dei prædicaverunt; cùm autem totam Insulam Paphum usque abiissent, eos Sergius Paulus Proconsul vir prudentiâ summâ præditus accersivit, miro quodam audiendi Verbi desiderio captus. Cùm autem illi suadere Christi disciplinam cœpissent, atque adversarium quendam Elymam, qui fortè aderat, nacti essent, Saulus eum acriter objurgavit, quòd Divina consilia moraretur, eumque propterea brevî cœcitate laboraturum denunciavit, ac nondum fine dicendi facto, ille luminibus orbatus duces itineris requisivit. Quod ubi Paulus animadvertit, statim ad credendum se dedidit. Qua victoria parta Saulus Pauli nomen assumpsit, ut Origenes, & Hieronymus prodiderunt. Eodem anno Petrus ad prædicandum populis Asiæ Evangelium rediit; siquidem, ut inquit Metaphrastes, Antiochiæ Episcopo Enodio relicto, Synnada Phrygiæ urbem processit, tum Nicomediam Bithyniæ, demum Ilium Troadis, atque ubique nunciato Verbo, & Episcopis traditis, tertio vocationis suæ anno, ut Sophronius inquit, elapso, Hierosolyma, credo, ut solebat, ad Pascha revertit, quod in sequentem annum excedit. Quo anno Paulus, & Barnabas Papho solventes, teste Luca, Pergen Pamphyliæ trajecerunt. Inde Joanne Hierosolyma revertente, Antiochiam Pisidiæ contenderunt. Ibi verò cùm aliquot dies moram traherent in Synagogam progressi, cùm de more nonnulla legis, & Prophetarum capita perlegissent, à Principibus rogati sunt, num quid dicere vellent? Tum Paulus loqui orsus, vetera, Dei erga Judæos beneficia, initio facto à Patriarchis selectis, & populo ex servitute Ægyptiorum exempto, exposuit, ac demum ubi ad Davidem venit. *Ex hujus*, inquit, *semine Deus Jesum salutis auctorem eduxit, hunc verò Principes Sacerdotum nullius compertum criminis indictâ causâ in crucem sustulerunt, detractumque sepulturæ mandarunt, & Deus tertio post die ab inferis excitavit congruenter iis omnibus, quæ à Prophetis prædicta sunt. Agnoscite igitur eum, per quem vestra vobis scelera condonantur, quæ lex Moysis condonare non potuit; ad eos enim, qui ab Abrahamo genus ducunt, quique Deum timent, hoc verbum salutare missum pertinet.* Fine dicendi facto exeuntes inde rogati sunt, ut postridie, qui dies erat Sabbathi, iisdem de rebus disserere vellent, quo die prope tota Civitas ad audiendum concurrit. Qua de re Judæi irâ permoti Paulo adversari cœperunt. Quibus ille unà cum Barnaba constanter ita respondit: *Nobis primum fuit, ut Verbum Dei vobis exponeremus, nunc quoniam vos illud respuites, atque indignos vos sempiterna gloria, quam prædicamus, statuitis, ad Gentes proficisceremur. Sic enim Dominus nobis præcepit.* Quod cùm Gentiles audirent, maximâ perfusi lætitiâ Verbum Domini summis laudibus extulerunt. Judæi verò mulieribus religiosis, & viris urbis primariis concitatis, persecutionem commoverunt adversùs Paulum, & Barnabam, atque eos suis finibus exegerunt; hi verò excusso in eos pedum pulvere, Iconium abiere, & cùm Synagogam inissent, multos Gentilium, ac Judæorum in sui sententiam rapuere, ac Judæis, qui in pertinacia perstiterunt, Gentilium animos concitantibus, multo ibi tempore docentes, ac signa edentes mansere. Per eosdem dies Paulus in tertium Cœlum raptus audivit arcana Dei, quæ homini non est fas eloqui, ut ipse in secunda ad Corinthios scripsit. Eodem anno, ut refert Josephus, Herodes Antipas, qui Christum morte multari permiserat, à Cajo Imperatore Lugdunum relegatus est, Tetrarchiâ ejus Galilæâ Herodi, de quo diximus, Agrippæ tributâ. Quin etiam Pilatus, qui Christum injustè damnarat, repetundarum à Cajo justè damnatus, ipse sibi mortem conscivit, atque ita uterque Divino Numine procurante impietatis suæ pœnas pependit.

XLI.

Proximo Cajus Imperator & ipse IX. Kal. Februarii occisus est, cui Claudius successit, qui Agrippam Herodem universæ Judææ Regem constituit. Hac re Herodes superbiâ elatus, atque animi impotentiâ stimulatus, quod adhuc factum à Rege non erat, Apostolos duos Jacobum Zebedæi, & Petrum, cùm alter ex Hispania, alter Antiochia Hierosolyma ad Pascha de more convenissent, adortus est; siquidem ab Abiatharo illius anni Pontifice stimulatus milites Hierosolyma misit, ut Jacobum Christum prædicantem comprehenderent. Quibus profectis unus ex Scribis Judæorum nomine Josias funem Jacobi collo injecit, atque inde jussu Herodis ad locum supplicio destinatum adduxit; Jacobus autem, cùm in via hominem paralyticum conspexisset clamantem, & se liberari languore suo petentem dixit: *In Nomine Domini mei Jesu Christi Crucifixi, pro cujus Fide ducor ad mortem, exsurge sanus, & benedic Salvatorem tuum,*

&

A. Chr. XLI.

A & ille surrexit illico & lætus currere, ac gratias Deo agere cœpit. Qua re cognita, Josias ad pedes Apostoli procidens, veniâ petitâ, sa Sancti nominis fieri participem postulavit. Cui Jacobus: *Credis ne Jesum Christum quem crucifixere Judæi verum Filium esse Dei vivi?* annuentem autem illum monuit Pontifex, ut à Jacobo discederet, & nomini Jesu malediceret. Josia autem auctoritatem ejus repudiante Pontifex illum pugnis cædi præcepit, & ab Heroda, ut unà cum Jacobo capite plecteretur, obtinuit. Cùm autem Jacobus ad locum supplicii pervenisset, petitâ aquâ Josiam Christum confitentem perfudit, & oblato osculo cer-
B vicem spieulatori porreait, atqua ita ipse cum Josia obtruncatus est. Corpus inde ejus primùm Iriam Flaviam Compostellam relatum auctor est Isidorus; Hispani certà illud in hunc usque diem magno advenarum concursu summo in honore habuerunt. Hæc Lucas, & ex Clemente Eusebius, ne quid de Abdia dicamus. Quibus actis Herodes, ut addit Lucas, videns se Jacobi nece gratiam à Judæis iniisse, Petrum per dies Azymorum corripiendum curavit, atque in carcerem datum præsidio militum maximo custodiendum commisit, eo consilio, ut post Pascha ad populum produceret; dum autem ille fuit in vinculis, Eccle-
C sia pro eo ad Deum fundere preces non destitit, quas Deus audivit. Etenim pridie, quam produceretur, Angelus ejus per noctem sopore oppressum excitavit, & ut vestes, ac calceamenta sua indueret, & se sequeretur præcepit. Quod ille putans se visum videre perfecit. Transeuntes autem primam, & secundam militum stationem, cùm venissent ad portam ferream, quæ ducit ad urbem, eam ultrò apertam invenerunt, atque inde egressi, Angelus repente à Petro discessit. Petrus autem, agnito Dei beneficio, domum Mariæ matris Joannis adiit, qui appellabatur Marcus, atque omnes stupore inopinato salutis defixit, atque
D hoc ipsum Jacobo Justo urbis Episcopo, & fratribus nunciandum curavit. Herodes autem in milites, qui custodias negligenter egissent, virus suæ acerbitatis effudit. Hæ duæ clades, quoniam ferme in hebdomadam sanctam incidebant, propterea Ecclesia martyrium S. Jacobi in VIII. Kal. Augusti rejecit, quo die illius Ecclesia Compostellæ est consecrata; Vinculorum verò S. Petri commemorationem in Kal. Augusti contulit, quæ Romæ postea Templum nobile assequuta, ibi adhuc magna populi religione visuntur. Sub eos dies Petrus per visum à Deo monitus de Italia, atque adeò de ipsa Urbe Roma petenda
E primùm cogitavit, quæ adhuc Evangelium non audiverat. Accendit autem ejus animum ut Romam adiret, quòd Simonem Magum eò se ex Syria contulisse, atque eum populum falsa doctrina sua inficere competit. Nam, ut narrant Irenæus, & Justinus, Romani ejus admirationi usque adeò se dediderant, ut tanquam Deo statuam inter duos pontes statuerent cum hac inscriptione: SIMONI DEO SANCTO. Itaque Hierosolymis fugiens Antiochiam se recepit, atque Ecclesiam illam diligenter præceptis in omnem posteritatem instruere studuit. Cùm autem Paulus, &

Barnabas adhuc essent Iconii, ubi diu moratos eos ex Luca prodidimus, accidit, ut Paulo prædicante Iconiensium Civitas in duas partes distraheretur, quæ verò cum Judæis sentiebat ab iis solicitata impetum in Apostolos facere, atque eos cædere lapidibus statuit, qua re provisa illi se Lystram, & Derbam Lycaoniæ oppida contulerunt, atque ibi & finitimis in locis Verbum docuerunt. Erat Lystræ claudus ab ortu quidam, quem ut Paulus attentè audientem, & bene de salute sua sperantem animadvertit, clara voce ei, ut se in pedes erigeret, imperavit; ille autem erexit se, & ambulavit. Quod cùm vulgus vidisset, vociferari cœperunt Lycaonicâ linguâ dicentes: *Dii specie hominum ad nos venerunt*, & Barnabam Jovem, Paulum Mercurium, quòd dux verbi esset, vocarunt; Sacerdos quoque Jovis hoc comperto tauros cum coronis ante portas urbis unà cum populo voluit immolare. Quod ubi illi senserunt, scissis tunicis in medium processerunt, clara voce dicentes: *Viri quid agitis? & nos mortales sumus vobis similes homines, nihil aliud docentes, quàm ut vanis his rebus repudiatis, uni Deo cultum adhibeatis, qui fecit Cœlum, & Terram, & Mare, & quæ illorum complexu omnia continentur, qui superioribus temporibus gentes arbitratu vivere suo permisit, ac specimen tamen sui dedit, pluvias, & tempora fructifera de Cœlo suppeditans, ac cibo, & lætitia corda nostra reficiens.* Atque hæc dicentes vix populum ab immolatione continuerunt. Interim quidam ab Antiochia, & Iconio Judæi profecti multitudine concitata Paulum lapidibus petierunt, atque ejectum ea urbe pro mortuo reliquerunt, post paullo tamen ille Discipulorum corona circundatus in oppidum se recepit, ac postridia cum Barnaba Derbem discessit. Postquam autem ibi Verbum Dei tradiderunt, multosque ad fidem adduxerunt, Lystram, Iconium, & Antiochiam repetentes Discipulorum animos confirmarunt, hortantes, ut in fide permanerent, atque ostendentes, quemadmodum post multas ærumnas oporteret in Regnum Dei introire. Demum præfectis singulis in Civitatibus Presbiteris, precibus, jejuniisque confectis, eos Domino, in quem crediderant, commendarunt. Inde per Pisidiam in Pamphyliam ventum, ac Verbo Domini Pergæ indicto, Attaliam est processum, atque ad extremum Antiochia Syriæ repetita, ex qua urbe ei muneri destinati fuerant, quod jam absolverant. Eò verò cùm venissent, Ecclesiâ convocatâ, quæ ipsi ope Divina gessissent, & ut ille aditum Gentibus ad fidem aperuisset, exposuerunt; atque ibi multo tempore inde cum Discipulis commorati sunt. Eodem Anno Petrus multis Discipulis ad Evangelii ministerium sibi ascitis, ex Asia in Macedoniam transiit, inde in Græciam, ac tandem Italiam spectans, in Siciliam adiit, Episcopis in singulis, quæ visitavit, oppidis constitutis, ex quibus in Sicilia Syracusæ, & Tauromenium, Marcianum, & Pancratium acceperunt. Inde Tarentum provectus, Cataldum Episcopum ei tradidit, Neapoli verò Asprenum, ut Metaphrastes, & Dorotheus, & singularum Civitatum monumenta loquuntur.

A. Chr. XLI.

LI-

LIBER SECUNDUS.

S. PETRUS PONTIFEX.

SEquens Annus initium Romani Pontificatus habebit, rem cum maximè ad omnem memoriam posteritatis insignem, tum verò nuper sine ratione à nonnullis in contentionem, ac controversiam revocatam. Neque verò præclarum magis est nosse, quo tempore Petrus Romæ dignitatem Pontificiam cœperit, quàm quo Roma Petrum ipsum, id est Doctrinam Christianam, asciverit. Quorum utrumque ex hoc loco fideliter, & accuratè tradere persequemur. Initio igitur sequentis Anni Petrus Romam, cùm nondum secundus Imperii Claudii annus esset expletus, accessit, ac Sedem Episcopatus ibi XV. Kal. Februarii posuit, Marcum sororis filium, Martialem, Linum, Cletum, Clementem, Apollinarem, aliosque discipulos multos Verbi Dei Ministros secum habens. De re loquitur Marcellus Pontifex scribens ad Antiochenos: *Petri Sedes prius apud vos fuit, quæ postea jubente Domino Romam translata est*, & Hieronymus in Epistolam ad Galatas: *Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ fuisse Petrum accepimus, & Romam inde translatum, quod Lucas prætermisit*. De Anno Aurelianus, Eusebius, Hieronymus, & Orosius, qui accessum ejus Romam in secundum Claudii annum conjiciunt, quos deinde omnes alii sequuti sunt. De die cedere Romanæ juvat Ecclesiæ, quæ Cathedræ Petri Romanæ commemorationem in eum diem instituit. Cæterùm ubi Romam Petrus inivit, extemplo ad Judæorum Synagogam se contulit, ostendens se esse Hæbræum, & à Judæa ob mirum erga fratres studium Romam profectum. Inde cùm sæpius eos alloquutus fuisset, intulit Jesum Christum verum Dei esse Filium, qui genus omne humanum servasset, mox commemorare perrexit ingentes virtutes ab illo in Judæa convenientes Prophetarum vaticiniis editas. Qua oratione multi Judæi adducti, actâ pœnitentiâ, Fidei, ac Baptismi Sacramento se addixere. Neque verò solùm Judæi, sed etiam Romani Verbum suscipientes ingenti lætitia cumulati sunt, quòd Deus genus humanum visisset, misso ad renovandum Mundum Filio suo, & in Jesum credentes salutari lavacro se expiarunt. Ex quibus insignes fuere Marcellus, &, teste Beda, Appulejus Marci Præfecti filius, qui cùm Simonis Magi discipuli essent, ubi Petrum veritatem prædicantem audierunt, Simonis fallaciis agnitis extemplo illum deseruerunt, & se totos Petro dicarunt, eumque Marcellus domi suæ in hospitio habuit. Atque hæc quidem in veteribus S. Apollinaris, S. Martialis, & SS. Nerei, & Achillæi historiis scripta sunt. De eadem porrò prædicatione Romæ facta sic scribit Eusebius: *Simonis præstigia præstigiæ Romæ haud diu ex sententia processerunt; nam subitò secundo Claudii Principatus Anno summa Dei providentia Petrum fortem, atque Apostolorum Principem Romam ad ejusmodi pestem exstinguendam adduxit; ille verò, ut strenuus Dei dux, Divinis armis septus pretiosam veri luminis mercaturam mente sola comprehensi ab Oriente ad Occidentem deportavit, ipse de Regno Cœlesti prædicationem divulgavit, atque ita Divinus sermo ad Romanos pervasit*. Neque verò Petrus solùm Evangelii doctrinam nunciavit Romanis, sed tandem insignibus etiam miraculis comprobavit. Unde Orosius scripsit: *Exordio Regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit, ac salutarem cunctis credentibus Fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit*. Cæterùm satis constat Christum à Romanis tanta aviditate esse receptum, ut, quemadmodum scribit Hieronymus in Epistola ad Romanos, *omni Mundo mirum acciderit Romanos credidisse Christo, qui Idolorum nimia cultura essent possessi, ita ut omnium Gentium Diis, quos devicerant, deservirent*. Quamobrem Hilarius in Psalmos scriptum reliquit, *quamvis multæ barbaræ gentes Dei cognitionem secundum Apostolorum prædicationem adeptæ sint, tamen specialiter Evangelica Doctrina in Romani Imperii Sede consistit*. Atque his quidem rebus Petrus nefariæ prædicationi Simonis occurrit temerè jampridem in Urbe se cum multorum assensione jactantis. Multa quoque à Petro in Ecclesia Romana instituta feruntur, sed quæ ferme ex veteribus Scriptorum monumentis injuriâ temporum exciderunt, ex quibus duo prætereunda non videntur, quorum certos auctores Damasum, & Martinum habemus, qui ambo historiam scriptam de Romanis Pontificibus reliquerunt. Atque ex Damasi quidem verbis colligitur, Petrum instituisse, ut per mensem Decembrem, idest in ipso Adventus Christi Jejunio, sacris ordinationibus opera navaretur, & certus Presbyterorum ac Diaconorum numerus cooptaretur, quos deinde vetus Cardinalium, qui postea dicti sunt, Seminarium fuisse reperimus, quod ex sequenti narratione clarius apparebit, atque ille quoque in suo Pontificatu Presbyteros decem, & Diaconos octo elegit. Ut autem Martinus scribit, idem altare ligneum mobile rei divinæ faciendæ gratiâ struxit, quod deinde à Successoribus ejus urgentibus Persecutionibus est conservatum. Verba ejus verò hæc in Sylvestro sunt: *Sæviente Persecutione certa non erat in Urbe Episcopalis statio, sed ubicunque poterant, sive in cryptis, sive in cœmeteriis, & subterraneis, sive in domibus virorum fidelium, aut mulierum Missam celebrabant super illud altare, quod erat concavum velut arca, habens quatuor circulos in angulis, per quos quatuor Presbyteri illud ad locum celebrationis deferebant. Post autem ob reverentiam S. Petri, & aliorum Sanctorum Pontificum statuit Beatus Sylvester, ut nullus nisi Summus Pontifex super illud celebret, quod usque hodie servatur, sed subter ipsum deposita mensa Summus Pontifex celebrat, solumque deponitur in Cœna Domini, & non reponitur, nisi in Sabbatho Sancto post Baptismum*. Hodie quoque hæc ara cum mensa, & lituo Episcopali in Basilica Salvatoris servatur, sed sub nomine Arcæ fœderis, & mensæ cui accubuit Jesus in Cœna ultima cum Discipulis, & virga Aaron indicatur. Eodem Anno Herodes Agrippa tertium jam regnans Annum, ut

Lu-

A. Chr. XLII. A Lucas, & Josephus retulere, miserabili ad-
modum morte confectus est. Quippe Cæ-
saream profectus, die, quem pro salute
Cæsaris festum agebant, cum magna animo-
rum hilaritate confecto, regia, ac splendi-
da veste indutus pro tribunali consedit, ac
populum benignè alloquutus mirifico om-
nium plausu exceptus est, quasi Deus, non
homo verba fecisset; verùm repentè ab
Angelo Dei percussus, scatentibus undique
vermibus contabescere cœpit. Itaque do-
mum relatus, cùm sævas dolorum acerbita-
tes ferre non posset, animam post quinque
dies efflavit, debitis in Petrum Jacobum-
que perfidiæ pœnis affectus. Eo verò, qui
XLIII. B insequutus est, anno, Petrus collecto Ro
mæ jam magno fidelium numero, memor
eorum, quos in Asia, Ponto, & Bithynia
ad fidem ex circumcisione converterat, Epi-
stolam Roma ad eos misit, atque ad profe-
ctum novæ vitæ hortatus est, in extremo
sic scribens: *Per Sylvanum fidelem fratrem
vobis, ut arbitror, breviter scripsi obsecrans, &
obtestans hanc esse veram gratiam Dei, in
qua statis. Salutat vos Ecclesia, quæ est in
Babylone collecta, & Marcus filius meus.*
Omnes autem Catholici interpretes Baby-
lonem esse Romam exponunt. Cùm autem
Romani voce Petri contenti non essent,
qui novo Evangelii amore flagrabant, Mar-
C cum discipulum ejus orarunt, ut quæ de
Christo à Petro voce tradebantur, ea ipse
fulciendæ memoriæ causâ mandare literis
vellet, quod est argumento, Hebræos solos
Matthæi Evangelio fuisse usos. Ille verò
eorum voluntati obsequutus scripsit. Hoc
deinde Petrus cùm legisset summopere ap-
probavit, ac legendum Ecclesiæ tradidit,
ut, Eusebio teste, Clemens auctor est. Cæte-
rùm de Marci Evangelio Papias Hieropo-
litanus Episcopus, eodem testante Eusebio,
sic prodidit: *Marcus, qui fuit Interpres Petri
quæcumque tenebat memoria scripsit quidem
accuratè, sed tamen non eo ordine, quo erant à
Domino dicta, factave; neque enim Dominum
D ille audiverat, neque erat eum comitatus, sed
postea, ut dixi, comes Petri fuit, qui quidem
non Domini sermones, & præcepta narrandi
serie, quam Dominus in illis tradendis tenuis-
set, docebat, sed eam in prædicando rationem
sequebatur, quam ad auditorum animos insti-
tuendos opportunam existimavit. Quare in eo
neutiquam erravit Marcus, quòd quædam
sicut memoriæ ante mandaverat, literis pro-
didit, quandoquidem hoc unum providit, ut
nihil eorum, quæ audivisset, omitteret, nec falsi
aliquid iisdem omnino interponeret.* Petrus
autem eodem anno, idest postquam Romam
venerat, ut inquit Aurelianus, secundo, à
Deo monitus, ut universæ Italiæ ac Galliæ
E veritatem Evangelii panderet, Discipulos,
quos adduxerat, in urbes maxima tum
populi celebritate florentes misit, Marcum
Aquilejam, Apollinarem Ravennam, Eu-
prepium Veronam, Prosdocimum Patavium,
Romulum Fæsulas; in Galliam verò Ma
ternum Coloniam, Eucherium Treviros,
Crescentem Moguntiacum, Martialem Le-
movicum, Frontonem Petragoricas, Sabi-
num, & Potentianum Senonas; at verò
Torquatum, Ctesiphontem, Secundum,
Indaletrium, Cæcilium, Hesychium, & Eu-
phrasium Romæ Episcopos ordinatos in
Hispanias ire jussit, ut in Martyrologio

A Beda notatum reliquit. Atque hi primi ea- A. Chr. XLIII.
rum Civitatum Episcopi constituti ibidem
fœliciter prima Fidei Christianæ fundamen-
ta jecerunt, prout ii quoque narrant, qui
literis singulorum historias prodiderunt.
De Marco certè idem sensit Nazianzenus,
cùm Marcum Italiæ Evangelium tradidis-
se scripsit. Aquilejenses verò non modò
Evangelium à Marco voce sibi traditum,
sed & apud se conscriptum esse conten-
dunt, cui famæ Metaphrastes quoque, &
cum Beda Dorotheus adstipulantur. Apol-
linaris autem Ravennam progressus extra
urbem se continuit, atque apud militem
quendam nomine Irenæum hospitatus, vir-
B tutis Christi, quam prædicare instituit, ma-
ximum illud specimen dedit, quòd filio
ejus cœcato pristinum aspectum restituit,
atque ipsum ad fidem traductum in proxi-
mo flumine abluit; mox urbem ingressus
Theclam Tribuni militum uxorem sævissi-
mo, quo diu laboraverat, morbo libera-
vit, ac totam Tribuni credentem familiam
tinxit, & manens apud eum, plurimos ad
se adeuntes instruxit, atque ibi duobus
Presbyteris, ac Diaconis ordinatis per an-
nos duodecim habitavit. Martialis verò in
agrum Lemovicensem profectus, ac pro-
xima oppida, vicosque ingressus, qua Re-
gno Dei prædicando, qua mirificis signis
C edendis magnum item populi numerum ad
fidem accipiendam allexit, ac multa Deo-
rum simulachra subvertit, gravissimis Sa-
cerdotum in se irruentium contumeliis, at-
que injuriis superatis. Et quidem anno Im-
perii Claudii, ut scribit Aurelianus, tertio.
Sequenti verò monitu Divino urbem in- XLIV.
gressus Lemovicensibus cœlestem doctri-
nam Evangelii tradidit, Templo Idolorum
in honorem S. Stephani Protomartyris de-
dicato; ibi verò & Susannam Matronam
summo loco natam cum Valeria filia, &
universa familia præcipuè abluit, & Su-
sannâ mortuâ, Valeriam virginem, quæ se
se Christo ipsius prædicatione devoverat,
D consecravit; quod Stephanus ejus regionis
Princeps, qui ipsam sibi desponderat, ægrè
usque adeò tulit, ut ipsam arreptam occi-
dendam curarit. Verùm cùm spiculatorem
qui Valeriam percusserat repentè mortuum,
eumque continenter à Martiale in vitam
restitutum videret, statim pœnitentiâ cap-
tus ad pedes ejus se projecit, atque indul-
gentiam patrati facinoris petiit; Martialis
autem, indictâ ei pœnitentiâ, ipsum cum
omnibus comitibus, exercitu, & populo
ejus ad quindecim hominum millia abluit,
ingentibus præterea ab eo pecuniis, præ-
diisque donatus, ad Ecclesias in finitimis
provinciæ locis ædificandas. Inde Martia-
E lis apud Lemovices prædicans mansit;
Fronto verò Romæ à Beato Petro Episco-
po ordinatus cum Georgio Presbytero Pe-
tragoricas missus, cùm tertio die itineris
Georgius esset mortuus, reversus est ad
Apostolum, acceptoque ejus baculo, & su-
per corpus defuncti posito, socium à mor-
te recepit, & ita ad prædictam Civitatem
veniens, magnum ejus numerum convertit
ad Christum, & multis post clarus virtu-
tibus in pace quievit VIII. Kal. Novem-
bris. Sabinus autem, & Potentianus E-
vangelio Senonibus prædicato, post urbem
illam martyrii sui claritate illustrem inter

A. Chr. XLV. cæteros pridie Kal. Januarias reddiderunt. Indaleeius verò, & socii, cùm ad urbem Accitanam in Hispaniam accessissent, & propter laborem itineris modicum quietis caperent, & mox causâ victus emendi discipulos in urbem misissent, tum Paganorum multitudo, qui tum fortè Diis suis festa celebrabant, eos usque ad fluvium persequuta est, in quo pons miræ magnitudinis, & firmitatis extructus, transgressis Sanctis, Dei nutu, eum omni insequentium moltitudine funditus corruit, quo miraculo perculsi cæteri, & cujusdam magnæ Senatricis Lupatiæ, quæ divinitus inspirata eos benignè suscipiens credidit, exemplum sequuti, relictis Idolis, sese Domino dediderunt. Post hæc diversis urbibus Evangelium nunciantes, & innumeras multitudines Christi fidei subjicientes, Torquatus Acci, Ctesiphon Yergi, Secundus Abylæ, Indaletius Urci, Cæcilius Iliberi, Hesychius Carthesiæ, Euphrasius Ilitusgi quieverunt, ot Beda scriptum reliquit. Eodem anno, qui fuit Imperii Claudii quartus, fames illa, quam Antiochiæ Agabus futuram multis ante annis prædixerat, repentè Syriam totam, tum cum minimè timebatur, invasit, de qua sic Orosius: *Quarto Imperii Claudii anno fames sævissima per Syriam facta est, quam etiam Prophetæ pronunciaverant, sed Christianorum necessitatibus apud Hierosolymam, convectis ab Ægypto frumentis, Helena Adiabenorum Regina conversa ad fidem Christi largissimè ministravit.* Quam historiam ex libris Josephi cum Actis Lucæ congruentibus Eusebius quoque commemoravit. Per eosdem dies Philo Judæus Romam venit, & eum Petro prædicante Verbum Dei sermonem contulit, de quo sic Eusebius: *Philonem Romæ sub Claudii Principatu fama est in colloquium Petri venisse, qui Romanis eodem tempore Verbum Dei prædicabat, atque illud quidem est planè verisimile; quippe opus, quod deinde post aliquod tempus ab eo dicitur elaboratum, Ecclesiæ revera Canones ad nostram usque memoriam observatos complectitur.* Sequenti

XLVI. Petrus Roma profectus est præclaris multis Ecclesiæ Romanæ traditis institutis, quorum illius Dionysius Episcopus Corinthius apud Eusebium meminit: consuevisse Romanos à primis Ecclesiæ fundamentis victus subsidia ad eos fideles, qui in aliis Ecclesiis paupertate, & inopia premerentur, benignè summittere, eumque morem usque ad Soterem Pontificem diligenter servatum esse; etiam insigne illud humilitatis studium, quod in nascente Ecclesia fertur fuisse ipsorum in primis Apostolorum operâ excitatum, atque inductum est, cùm una omnes conditionis, fortunæ, & animorum paritas contineret, de quo sic Lactantius libro quinto: *Dicet aliquis: Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites, alii servi, alii domini, non ne aliquid inter singulos interest? Nihil, nec alia causa est, cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares nos esse credimus, nam cum omnia non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos & habemus, & dicimus spiritu fratres, religione conservos; divitiæ quoque non faciunt insignes, nisi quod possint bonis operibus facere clariores. Divites sunt enim non qui divitias habent, sed qui utuntur illis ad opera justitiæ, & qui pauperes videntur, eò tamen divites sunt, quia & egent, & concupiscunt nihil. Cùm igitur, & liberi servis, & divites pauperibus humilitate animi pares simus, apud Deum tamen virtute discernimur. Tanto quisque sublimior est, quanto justior. Si enim justitia est quasi parem se etiam minoribus facere, quamquam hoc ipso præcellat, quòd se inferioribus coæquavit; tamen si non tantùm quasi parem, sed etiam quasi minorem se gesserit, utique multo altiorem dignitatis gradum, Deo Judice, consequitur.* Proficiscens autem Roma Petrus Linum Episcopum in Urbe reliquit; neque enim, ut inquit Epiphanius, Roma sinè Episcopo esse potuit, & Marcum Consobrinum suum dedusit, qui Beda, & Aquilejensium, ac Ticinensium annalibus testibus, loco sui Hermagoram Episcopum Aquilejæ reliquit. Hermagoras autem inde Ticinum Syrum discipulum misit, qoi primus ei Ecclesiæ Episcopus præfuit, ac vicinas urbes unà eom Sancto Inventio illustravit. Inde Petrus per Hispaniam in Africam, & Ægyptum, ac postremò in Judæam se retulit, Episcopis in omnibus Provinciis institutis. Hujus autem profectionis, & peregrinationis auctor est Metaphrastes, cujus hæc verba sunt: *Non diu mansit Romæ Petrus, sed post aliquod tempus multis baptismo infectis, constitutâ Ecclesiâ, & Lino Episcopo ordinato, urbe abiit, atque in Hispaniam provectus, inde trajecit in Africam, & Crescente Episcopo Carthagine instituto, transiit in Ægyptum, & Thebis Rufum, Alexandriæ Marcum Evangelistam Episcopos statuit.*

XLVII. De Marco idem testatur Eusebius. Postero autem, ot Petrus ex Italia, sic cæteri Apostoli, & Discipuli ex suis quisque provinciis Hierosolyma convenerunt. Causa ejus rei fuit, ot omnes Assumptioni B. Mariæ Virginis interessent. Hoc autem divino opere factum est, ut Dionysius, & Joannes Damascenus significarunt, oimirum, ut ex diversissimis & remotissimis Regionibus tam multi uno tempore in unum locum confluxerint. Ubi verò dies Paschatis venit, convocati in unum, quid in suis quisque provinciis egerat, retulerunt, ut in vita Jacobi Justi scriptum est apud Abdiam. Inde Virginem XVII. Kal. Septembris mortuam honestissimo funere extulerunt, ac mox sepulturæ mandarunt, præsentibus Apostolis omnibus præter Thomam, qui cùm condito jam corpore accessisset, & semetipsum nimio videndi desiderio vehementiùs afflictaret, Apostoli ejus pietati obsequuti sepulchrum aperuerunt, verùm nihil nisi pannom, quo involutum corpus fuerat, repererunt, ex quo omnibus divino consilio apparuit factum, ut monumento reserato admirabilis Assumptio Virginis patefieret, quæ aliter ignota fortasse fuisset; est tamen non ignorandum hujus funeris historiam apocrypham non solùm à S. Hieronymo, sed etiam à S. Augustino esse judicatam, sic enim scribit in Sermonibus: *Sicut jam in consuetudinem suscepit Ecclesia, hodierna die ad Cœlos assumpta fuisse creditur Virgo Maria, sed quo ordine hinc ad superna transierit Regna, nulla catholica narrat historia, non solùm autem respue-*

A. Chr. XLVII. *puere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc eadem Ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sinè auctoris nomine de ejus Assumptione conscripta, quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur*; & paulò post: *Non invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quippiam dixisse apertè. Quid de illis dicam, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante Crucem Domini in suam, idest Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandaverit? Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille utique, qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem Filius Matrem reliquit; restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum quod Deus manere voluit occultum. Vera autem de ejus Assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundùm Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, Assumptam super Angelos esse credamus*. Sequens Annus quartusdecimus à Pau-
XLVIII. li conversione numeratur, quo, ipse se cum Barnaba, & Tito Hierosolyma accessisse, & Concilio Apostolorum interfuisse scribit his verbis ad Galatas: *Deinde post Annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto Tito; ascendi autem secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, &*
C *post cùm vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro Circuncisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circuncisionis, operatus est mihi inter Gentes) & cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circuncisionem tantùm ut pauperum memores essemus*. Quæ verba communi omnium Interpretum sententia respondent verbis Lucæ de Concilio Hierosolymis, præsente Paulo & Barnaba ab Apostolis habito. Cujus habendi hæc oblata occasio est. Cùm essent, inquit Lucas,
D Antiochiæ Paulus & Barnabas, venerunt quidam è Judæa dicentes, neminem adipisci salutem posse, nisi qui ex lege Moysis circuncisus fuisset; cùm autem Paulus & Barnabas longè ab ea sententia discreparent, orta seditione placitum est, ut ipsi cum nonullis alterius factionis aliis Hierosolyma ad Apostolos, & Presbyteros super hac quæstione consulendos contenderent; illi verò per Phæniceem, Samariamqne profecti exposuerunt quàm magna Deus ipsorum hortationibus effecisset, ac fratrum omnium animos ingenti lætitia cumularunt. Demum Hierosolyma progressi, atque ab Ecclesia,
E Apostolis, & Presbyteris benignè accepti eadem retulerunt. Ibi verò cùm surrexissent quidam de secta Pharisæorum, qui dicerent oportere eos circumcidi, & legem Moysi custodire, Apostoli, & Presbyteri super hac quæstione sunt convocati, ac magna disquisitione adbibita, surgens Petrus sic dixit: *Neminem vestrùm præterit, Fratres, placuisse Deo, ut Verbum ex ore meo Gentes audirent, & crederent, Deumque Spiritum Sanctum Gentibus perinde, ac Judæis dedisse, quare quid tentatis, ut jugum discipulorum cervicibus imponamus, quod neque Patres, neque nos ferre potuimus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi salutem ha-*

A *bere credimus, quemadmodum & illi*; Quibus dictis silentio consequuto Barnabas & Paulus subjecerunt, quanta signa per se ipsos Deus inter Gentes edidisset, qui postquam perorarunt, Jacobus intulit: *Petrus exposuit quemadmodum Deus primum constituit populum sibi ex Gentibus adipisci id, quod Prophetæ cecinerunt. Itaque censeo eorum animos, qui ad Deum ex Gentibus se recipiunt, non esse novis legibus conturbandos, tantumque tribuendum, ut se posthac à carnibus immolatis, à fornicatione, & ab eorum animalium, quæ suffocata sint, sanguine abstineant*. Qua sententia comprobata, placuit Apostolis, & Presbyteris, & cunctæ Ecclesiæ, ut Judas,
B qui appellabatur Barsabas, & Silas, qui primum inter fratres locum tenebant, cum Paulo & Barnaba Antiochiam mitterentur cum his literis: *Apostoli, & Presbyteri, & fratres iis, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem. Quoniam audivimus, quosdam à nobis proficiscentes vos verbis conturbasse, placuit nobis in unum convocatis deligere viros, & mittere ad vos cum carissimis nobis viris Barnaba & Paulo, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini Nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis eadem referent; visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris,*
C *quàm hæc necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicationibus, à quibus caventes bene agetis. Valete*. Illi verò profecti Antiochiam, advocato Coneilio, literas reddiderunt, quibus lectis magna gratulatio celebrata est. Post aliquot inde dies Judas, Sila remanente, discessit. Paulus autem, & Barnabas Antiochiæ remanserunt docentes cum aliis plurimis Evangelium.

Proximo Anno Petrus Antiochiam pro-
fectus cibum cum Gentibus eepit; post- XLIX.
quam verò quosdam à Jacobo venisse animadvertit, sese ab ea congressione abstinuit, quod ut Paulus sensit, in os eum
D increpuit. Atque hoc est, quod ipse eodem in loco ad Galatas scribere pergit his verbis: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia erat reprehensibilis*. Cæpham enim ibi plerique Interpretes, ut paullo ante, Petrum Apostolum accipiendum esse existimant. Eodem anno Apostoli unà cum Paulo & Barnaba iterum in Provincias exierunt, ut munus Evangelicæ prædicationis à Domino mandatum explerent; ac Petrus quidem Phrygiam, Galatiam, & Bithyniam, Matthias Judæam, Bartholomæus citeriorem Indiam, Philippus Scythiam, Matthæus Æthiopiam repe-
E tentes, disciplinam in eis locis veterem instaurarunt; reliqui verò, veteribus Provinciis relictis, novas adierunt, Joannes Asiam, Andreas Macedoniam, & Græciam, Thomas ulteriorem Indiam, Simon & Judas Persidem, atque ita communibus prædicationis laboribus Ecclesiam Dei usque ad fines Orbis terrarum propagare annixi sunt. Unde scripsit S. Ignatius ad Romanos: *Una est Ecclesia, quam suis sudoribus fundarunt Sancti Apostoli à finibus terræ usque in fines in Sanguine Christi*. Simon autem & Judas in Persidem hac occasione profecti sunt. Nuper duo Magi Zaroës, & Arphaxatius aspectum Matthæi

Apo-

A. Chr. XLIX.

Apostoli fugientes ex Æthiopia in Persidem se transtulerant, atque ibi docere instiruetant Deum verum, qui Abrahami Deus diceretur, tenebrarum Deum esse: Moysem veneficum extitisse: Prophetas omnes à Deo tenebrarum missos fuisse: homines animos a Deo delibatos habere, corpora verò à Deo præpostere facta esse: pro Deo vero Solem, & Lunam inducebant. Dei porrò Filium Jesum Christum nec verum hominem ex vera Virgine natum, nec verè crucifixum, nec passum, nec verè ab Inferis excitatum fuisse credebant, atque hac doctrina animos magnæ Persarum partis infecerant. Hac de causa Simon & Judas, ducente Spiritu Sancto, in Persidem concesserunt. Eo verò tempore Babylonem pervenerunt, cùm Varada Dux Xersis Regis exercitum contra Indos, qui fines Persidis invaserant, educebat. Factum est autem, ut cùm Varada dæmonem de prœlii eventu consuleret, responsum tolerit ab Idolis, oraculum nullum edi posse, quòd Apostoli Dei in exercitu versarentur, quorum unus Simon alter Judas appellaretur. Hac re cognita Varada Apostolos conquiri jussit, atque inventos percontatus est, unde, & quinam essent, & cur ad se venissent? Cui Simon: *Si genus quæris*, inquit, *Hebræi sumus; si conditionem, servi Jesu Christi; si causam itineris, tuæ, omniumque salutis causa venimus, ut relicto simulachrorum errore, Deum, qui in Cœlis est, possitis agnoscere*. Tum Varada: *non vacat mihi vos de his rebus in præsenti audire, quòd Indi impetum in Persidem fecerint, quibus ante volo accurrere, aliàs vobis operam dabo*; cui Judas, *imò statim notitiam ejus aliquam arripere debes, cujus ope hostes, aut prœlio superabis, aut certè alia ratione pacabis*. Tum Varada: *Atqui quando Dii responsum dare vobis præsentibus detrectarunt, exponite vos, quem hoc bellum eventum sit adepturum*. Tum Apostoli: *consulite Deos vestros iterum*, inquiunt, *nam à nobis respondendi potestatem acceperunt*. Consulti autem Dei, cruentum fore prœlium, atque ab utraque parte magnum militum numerum interemptum iri dixerunt. Quod eorum vaticinium cùm audissent Apostoli irriserunt, asserentes postridie Indos sine dubio legatos de pace missuros, & loca occupata restituturos; Sacerdotibus autem Ducem monentibus, ne habita temerè Apostolis hominibus despectissimis fide aliquid incautius ageret, Apostolis verò orantibus, ut saltem diem unum ad explorandam oraculi sui fidem expectaret, Varada sententiæ incertus omnes in carcerem condi jussit, eo animo, ut supplicium de iis sumeret, quorum falsum vaticinium reperisset. Postero die horâ tertiâ ea omnia, quæ Apostoli prædixerant, acciderunt. Itaque Varada ignem excitari jussit, cui vivos Pontifices traderet. Quod Apostoli cernentes inhibuerunt, dicentes: *se id nequaquam esse passuros, ne ipsi, qui ad mortuos suscitandos venissent, vivos occidere viderentur*. Mirantri autem, quòd pro eorum salute deprecarentur, qui omni ope tentassent, ut ipsi igne comburerentur, adjecerunt: *Noli mirari, nam disciplinæ nostræ ratio postulat, ut non solùm malum pro malo non referamus, sed etiam bonum pro malo reddamus*; adjudicante inde illis bona eorum ingentia, prorsus repudiarunt, eaque pauperibus potiùs distribui præceperunt. His de rebus Varada mirabundus Xersem Regem convênit, ac Deos specie hominum advenisse dixit, atque omnia, quæ evenerant, docuit; in primisque eorum in Pontifices misericordiam, ac novam pecuniarum in summa paupertate despicientiam demonstravit. Aderant in conspectu Regis Magi, Regi suadentes, ut Apostolos cultum Deis adhibere præciperet; monente autem Varada, ut eos ipsi ad id artibus suis impellerent, producti Apostoli sunt, quos Magi primò mutos & immobiles reddere, sed frustra conati, inde serpentum vim in eos maximam excitarunt, quos Apostoli vestibus suis exceptos in Magos converterunt, atque eos mortiferis morsibus affligendos curarunt; verùm post triduum ingentibus doloribus cruciatos, incolumes reddiderunt. Quare Magi devicti atque confusi Babylone abierunt, ac totam inde Persidem peragrantes, omnium, qui Idolis dediti erant, in eos odium concitarunt. Rex autem institutis Apostolorum, & doctrina perspecta, cum infinita suorum multitudine fidem, & baptismum accepit. Quare audacius inde Apostoli Persidem post per annos quindecim abierunt, Evangelium prædicantes, ac salutare lavacrum impertientes. Hæc ferme Apostoli; Paulus autem & Barnabas, partitis muneribus, seorsum ad revisendos fratres, quibus Evangelium tradiderant, exierunt. Ac Barnabas quidem secum ducto Joanne, Marco consobrino suo in Cyprum, atque inde in Italiam abiit, atque Ecclesiam Mediolani, Civitatumque finitimarum Bergomi, & Brixiæ, ut earum narrant annales, instituit; Paulus verò ascito Sila Syriam, & Ciliciam perlustravit, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire mandata Apostolorum, & Presbyterorum. Hujus verò peregrinationis comes fuit Lucas Medicus Antiochenus, atque in hoc itinere jussu Pauli Evangelium post Matthæum, & Marcum scripsisse existimatur, rerum veritate partim ex Apostolis, partim ex Paulo ipso perspecta, quam, ut ipse inquit, multi tradere conati, tamen non fuissent assequuti. Atque hoc esse Evangelium, Eusebio, & Hieronymo teste, creditur, quod Paulus intelligat, cùm in Epistolis inquit *Secundùm Evangelium meum*: Paulus autem Derbam primùm, inde Lystram progressus, ibi Timotheum discipulum nactus est, patre gentili, matre Judæa, sed fideli, natum, hominem omnibus, qui Lystriæ, & Iconii erant, fratribus imprimis probatum. Quem assumptum circumcidit, quòd Judæi scirent Patrem ejus gentilem fuisse. Lustrans inde urbes docuit, ut custodirent dogmata ab Apostolis, & Presbyteris Hierosolymis sancita, ex quo Ecclesiæ mirificos in dies progressus faciebant. In Phrygiam inde, & Galatiam cùm venissent, Spiritu Sancto vetante, Verbum Dei nullum in Asia tradiderunt; cùmque trajecissent in Mysiam, ab eodem moniti sunt, ne in Bythiniam penetrarent, credo quòd ibi Petrus versaretur. Cùm autem in Troade Mysiæ morarentur, viso objecto, Paulus monitus, ut in Macedoniam se conferret, eò trajecit, ac Philippos primariam Macedoniæ urbem tenuit. Ibi

cùm

A cùm Verbum Dei mulieribus, quæ convenerant, prædicaret, mulierem quandam nomine Lydiam, cùm Spiritus Sancti instinctu crederet, salutari aqua infecit, & rogatus apud eam divertit. Erat ibi puella quædam, quæ spiritu Pythonico afflata magnum quæstum ariolando suis dominis afferebat, hæc Paulum, comitesque ejus secuta dixit: *He homines Servi Dei sunt, qui nobis viam salutis ostendunt.* Quam ut vidit Paulus: *In nomine Jesu Christi*, inquit, *dæmon egredere, ac statim egressus est.* Quo facto domini puellæ ægrè ferentes, se quæstu illo esse privatos, Magistratus adieruur, & Paulom ac Silam correptos in forum ad Magistratus adduxerunt, accusantes eos B tanquam turbarum concitores, & veteris disciplinæ perturbatores. Quibus verbis moti Magistratus, laceratis vestibus eos cædi, & in carcerem traditos, diligenter asservari jusserunt. Media verò nocte, cùm ita Deum precarentur, ut ab aliis, qui in carcere erant, exaudirentur, terræ motus repentè tantus factus est, ut etiam carceris fundamenta commota, & ostia aperta, & omnium vincula dissoluta sint; custos autem carceris excitatus, cùm apertas carceris januas cerneret, impetum semet occidendi ferro cepit, quòd vinctos fugisse conspicaretur, cui Paulus voce magna ne faceret exclamavit, nam neminem evasisse; C ille autem introgressus cùm solutos eos videret, tremore correptus ad pedes eorum procubuit, ducensque extra carcerem consuluit, quid sibi faciendum censerent, quo sibi sempiternam vitam pararet. Cui ille, *crede in Dominum Jesum Christum, & salvus erit cum tota familia tua.* Inde tradito omnibus ex familia ejus Verbo, ablutis plagis, cunctos salutari aqua tinxerunt. Ubi verò illuxit, mandavit Magistratus, ut vinctos urbe emitteret. Quod cùm ille fecisset, questus est Paulus, quòd se cives Romanos publicè cæsos, atque indemnatos in carcerem condidissent, nunc verò clam ejicerent, non ita fieri oportere; sed ipsi D venirent, & exigerent. Magistratus verò ubi eos Romanos esse audivit, trepidus accedens oravit, ut urbe exirent. Ita egressi Amphypolim, Apolloniam, ac demum Thessalonicam processerunt. Ibi Paulus quoque de more Synagogam inivit, ac disputare cum Judæis cœpit de Scripturis, ac docere: oportuisse Jesum morte affici, & ab inferis excitari, & Jesum esse Christum eum, quem ipsis prædicaret, qua ratione multos Judæos, ac Gentiles, atque aliquot præcipuè mulieres nobili loco natas ad Fidem allexit. Hac re animadversa Judæi quidam domum Jasonis, ad quem diverterant, convenerunt, ut eos captos ad Po- E pulum producerent, neque inventis eis, Jasonem ipsum, & quosdam Christi discipulos rapuerunt, clamantes: Jasonem eos tenere, qui Orbem Terrarum concitarent, & Jesum alium Regem esse contra decreta Cæsaris affirmarent, qui tamen cognita causa confestim dimissi sunt. Berroëam inde profecti cùm idem officium præstitissent, pariter à Judæis Thessalonicensibus divexati sunt. Itaque Paulus, Timotheo & Sila relictis, ad mare, atque inde Athenas, hominibus fidelibus deducentibus, venit. Ibi verò cùm nobilem Civitatem deditam cultui simulachrorum videret, in Synagoga, & in foro quotidie cum eis, qui confluebant, disserere de Regno Christi instituit; quin etiam cum Epicureis, & Stoicis Philosophis disputavit; mox cùm novorum dæmonum doctrinam inferre putaretur, ad Areopagum adductus, & quæ esset hæc ipsius disciplina, rogatus, respondit: *Ego prædico Deum illum ignotum, cui vos aram consecravistis, venerantes quod ignoratis. Quod ergo vos ignari colitis, id ego vobis annuncio. Deus enim, qui hunc Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, fecit, nec in manufactis templis habitat, nec humanis manibus colitur, quasi aliquo egeat, quia omnibus vi-* B *tam, spiritum, & cætera omnia tribuit, idemque fecit, ut ex uno omne hominum genus universam terram incolant, definito vitæ cursu, quem omnibus dedit, ut quærant Deum, si forte ad ejus cognitionem perveniant, quamquam ab unoquoque nostrûm non multum abest, nam ejus benignitate, & vivimus, & loco movemur, & sumus, quemadmodum quidam Poeta vester dixit: Nam sumus & genus ejus. Nos igitur cùm genus Dei simus, ejusque cognatione teneamur, non debemus existimare, auro, argento, aut lapidi, quæ homo arte, atque industria sua sculpserit, similem esse divinitatem. Ac tempora quidem hujus ignorationis cùm Deus detestatus sit antea* C *semper, nunc denique hominibus aperit, ut omnes actæ vitæ pœniteat; propterea quòd diem constituit, in quo Mundum justè judicaturus est in viro, quem decrevit, tradita omnibus fide, cùm eum à mortuis excitarit.* Cùm autem illi mentionem fieri resurrectionis mortuorum audissent, alii irridere cœperunt, alii se de iisdem rebus ipsum aliàs audituros dixerunt. Ita ille à Concilio abiit. Quidam tamen ei assensi sunt. In his Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damasis. Dum autem Paulus Athenis fuit, duas ad Thessalonicenses, quæ extant, epistolas misit, redigens in memoriam prædicationem suam, & fidem illorum. Sequenti D anno, qui fuit Imperii Claudii nonus, à Christi verò ortu quinquagesimus, Christiani Romæ cùm in dies numero, atque opibus crescerent, adversarios in primis Judæos doctrinæ, ac tranquillitati suæ adepti sunt, ex quo tumultus non mediocris in Urbe est concitus. Quare permotus Claudius, edicto proposito, Judæos omnes Urbe exire jussit, ex quibus inter cæteros Aquila Ponticus jam Christianus effectus cum uxore Priscilla excessit. Hac de re sic Orosius: *Anno Claudii nono expulsos per Claudium Urbe Judæos Josephus refert, sed me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo: Claudius Judæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. Quod utrum contra Christum* E *tumultuantes Judæos coërceri, & comprimi jusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatæ Religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur.* Itaque Paulus cùm, Dionysio Athenis Episcopo constituto, Corinthum processisset, ad Aquilam, qui eò confugerat, se recepit, atque unà cum eo opus Tabernaculorum exercuit, haud quaquam omittens, quin Sabbatho in Synagogam prodiret, ac disputatione habita Judæos, & Græcos ad Christi cultum traduceret. Postquam autem Silas & Thimotheus acciti ad se de Macedonia prodierunt,

L.

runt, persuadere Judæis Jesum Christum
testimoniis Scripturæ instituit; quod cùm
illi reprobarent, excotiens vestimenta sua
dixit: *Peccata vestra in capita vestra recident;
ego omni culpa vacuus sum, nunc ad Gentes
me conferam*; inde domum cujusdam Titi
Justi, qui Deum colebat, inivit, in qua,
cùm Synagogæ conjuncta esset, non desti-
tit, quæ ad Religionem Christi pertine-
bant, exponere; quo factum est, ut Cris-
pus Synagogæ Princeps cum omni familia
sua crediderit, & multi Corinthii etiam
Baptismum acceperint. Monitus inde per
noctem à Deo, ut timorem omitteret, ac
liberè loqueretur, propterea quod ipse illi
B adesset, substitit. Per eosdem dies Simon
Magus occasionem absentiæ Petri, & Ju-
dæorum Urbe pulsorum adeptus, cùm esset
Romæ gratiosus, docebat, ut inquit S. Au-
gustinus in libro de hæresibus ab Irenæo
mutuatus, detestandam turpitudinem indif-
ferenter utendi fœminis: nec Deum fecisse
Mundum; negabat etiam carnis resurrectio-
nem, & asserebat, se esse Christum, item-
que Jovem se credi volebat. Minervam ve-
rò meretricem quandam Selenem, quam
sibi sociam scelerum fecerat, imaginesque,
& suam, & ejusdem meretricis discipulis
suis præbebat adorandas, & quas Romæ tam-
quam Deorum simulacra, publica aucto-
C ritate constituit, atque his institutis pluri-
mùm orienti tum primùm Romæ Ecclesiæ
LI. oberat. Postero anno Claudius Agrippam
Aggrippæ, de quo diximus, filium Regem
Judææ appellavit. Judæi Paulum, cùm an-
num & sex menses Corinthi docens fuisset,
ad Tribunal Gallionis Achajæ Proconsulis
adduxerunt, objicentes: quod contra Legem
hominibus Deum colere suaderet. Quibus
cùm Paulus purgandi sui causâ respondere
vellet, Gallio vetuit, dixitque Judæis, eos se
æquo animo auditurum, si quod crimen ejus
afferrent, nunc cùm de legis eorum verbis, ac
nominibus controversia esset, ipsi viderent,
nam se earum rerum arbitrium recusare. Ac
D Judæi quidem, tum Paulo omisso, se in So-
sthenem contulerunt, eumque in conspectu
Gallionis cædere instituerunt, neque ille ea de
re laboravit. Paulus verò salutatis fratribus,
conscensa navi, Syriam versùs unà cum Aquila
& Priscilla se retulit, & provectus Ephesum,
atque in Concilium progressus Judæorum,
cum eis disputavit. Cùm autem Epheso se di-
scedere velle diceret, atque ab eis retineretur,
non concessit, sed se rediturum pollicitus Cæ-
saream prodiit, atque inde salutatâ Eccle-
siâ Antiochiam se recepit, qua in urbe cùm
aliquandiu moratus fuisset, Galatiam, &
Phrygiam adiit, ut discipulos confirmaret,
atque inde Ephesum retrocessit, & apud
E Aquilam & Priscillam habitavit. Ibi in-
ventis quibusdam discipulis quæsivit ab
eis, num Spiritum Sanctum credentes hau-
sissent, cùmque illi respondissent, se ne
auditione quidem accepisse, num ullus esset
Spiritus Sanctus, rogare eos instituit cujus
nomine baptizati fuissent? tum illi: *Joannis
expiati baptismo sumus*. Quibus Paulus:
*Atqui Joannes baptismo pœnitentiæ populum
expiavit, monens, ut crederent in eum, qui
se sequeretur, id est Jesum*. Tum universi
illi, qui erant duodecim, in nomine Jesu
baptismo affecti sunt, venitque ad eos Spi-
ritus Sanctus, cùm eis manus imposuisset,

A unde variis linguis loqui, & vaticinari cœ-
perunt: inde Synagogam ingressus, per
tres menses de Regno Dei disseruit. Cùm
verò nonnullos obstinatè in sententia per-
manere videret, ab eis discessit, secretisque
discipulis, in Tyranni cujusdam schola quo-
tidie disputavit, idque per biennium, itaut
omnes, qui Asiam incolebant, Judæi, atque
Græci, Domini verbum audirent, atque
interim miranda quædam opera in Christi
nomine edidit. Nam cùm sudaria, & se-
micinctia, quæ corpori ejus adhæsissent,
aut ægrotis, aut à Dæmonibus arreptis ad-
movebantur, continuò morbi, Dæmonesque
depellebantur. Quod cùm septem filii Scæ-
B væ Judæi Principis Sacerdotum, exorcistæ
animadvertissent, experiri placuit, num
idem assequi possent, quod Paulum efficere
cernerent. Itaque Jesu nomen in eos, qui
arrepti erant, invocarunt, dicentes: *Adju-
ro vos per Jesum, quem Paulus prædicat*;
cùm autem Dæmon respondisset: *& Jesum
novi, & Paulum, vos autem quinam estis?*
Homo, qui à Dæmone correptus erat, sta-
tim in eos involavit, ac tantam vim intu-
lit, ut nudi acceptis vulneribus domo effu-
gerent. Qua re cognita Judæi, ac Genti-
les, qui erant Ephesi, timore perculsi Je-
sum gloriâ celebrarunt, multique creden-
tium ea, quæ in vita patraverant, prodide-
C runt, aliique, qui rerum curiosarum dediti
studiis fuerant, libros eos inspectantibus
omnibus combusserunt, tantâ copiâ, ut
cùm rationem inirent pretii, ea denariûm
quinquaginta millium sit inventa. Postero LII.
anno, cùm Paulus divino instinctu, Mace-
donia, & Achaja perlustratis, Hierosolyma
contendere, ut inde Romam se referret,
constituisset, Ephesi ingens motus ob Chri-
sti disciplinam est concitus. Demetrius qui-
dam, qui argentariam faciebat, ædibus ex
argento faciendis magnum quæstum opifi-
cibus afferebat; cùm autem Paulus suade-
ret, Deos non esse, qui manibus fierent,
relinquebatur, ut templum etiam Dianæ
D Ephesiæ tota Asia, atque Orbe celeberri-
mum esset evertendum. Qua re cognita
Demetrius opifices convocavit, atque ita
dixit: *Nemo vestrûm ignorat, quanto vobis,
& mihi hæc ars quæstui fuerit; audio verò à
Paulo non solùm Ephesi, sed penè totâ Asiâ
ingentem hominum multitudinem ab hac Re-
ligione averti, ut qui doceat, Deos non esse,
qui manu fiant. Quòd si vos quæstus tantus,
qui vobis eripitur, non movet, at Dianæ
templum, quod isto pacto contemnetur, vos
moveat*. Quibus verbis incensi illi magna
voce clamare cœperunt: *Magna Diana
Ephesiorum*, ac tumultu tota urbe concita-
to, Cajum & Aristarchum Macedonas
E Pauli comites vi in theatrum perduxerunt.
Paulum autem ad Populum prodire cupien-
tem prohibuere discipuli, & Principes Asiæ
amici ejus: ad extremum Scriba Civitatis
tumultum sedavit, cùm assereret, illos in
Dianam nihil dicere, ac moneret, ut res
ad conventus forenses, & cognitionem Pro-
consulis deferretur. Hoc tempore Corin-
thii, quos supra à Paulo in Fide eruditos
ostendimus, seditione conflata, in duas
partes secesserant, cùm multitudo principes
sibi quosdam constituisset, aut divitiarum,
aut sapientiæ opinione permota, eosque
majus aliquid, ut inquit Chrysostomus,
dice-

A. Chr. LII. dicere, ac docere posse contenderet. Omnes autem gravissimis se peccatis obstrinxerant. Nam quidam cum noverca coierant, alii ingluvie sua idolorum sacrificia gustantes, & sacris penitus dediti omnia polluebant; alii lite pecuniarum contracta, externis judiciis omnia permittebant; multi comati incedebant, multi in Ecclesiis separatim edebant, neque indigentibus quidquam erogabant; nimirum acceptâ ejusmodi à Philosophis, quibus se totos tradiderant, disciplinâ. Hoc igitur rerum statu Corinthii literas ad Paulum Ephesi morantem Fortunato, Stephanæ, & Achaico dederunt de virginitate, & matrimonio consulentes. Quorum ille postulatis satisfecit, itaut superiora quoque eorum delicta notarit, & eos ad collationem in pauperes faciendam hortatus sit. Atque hæc est prior ejus ad Corinthios Epistola, in qua se Ephesi depugnasse cum bestiis, idest, ut Chrysostomus interpretatur, cum hominibus immanitate feris, ac demum se ibi usque ad Pentecosten permansurum, inde ad eos Macedoniâ peragratâ venturum adjungit, inquiens: *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero, nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo, ut vos me deducatis quòcumque iero. Nolo enim vos modò in transitu videre; spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit; permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*. Jam Barnabas ex Italia, relicto Mediolani Anatalone Episcopo, in Cyprum se receperat; itaque hoc anno, cùm ibi Evangelium prædicaret, à Judæis Syriacis Salaminæ lapidibus obrutus, deinde igne combustus est. Quo facto Marcus consobrinus, & discipulus ejus ad Paulum Ephesum se ex Barnabæ viventis mandato recepit, ut Metaphrastes scriptum reliquit. Ephesi verò ubi tumultus sedatus est, Paulus salutatis fratribus, atque Timotheo Episcopo Ephesi relicto, in Macedoniam

LIII. transiit; unde sequenti anno priorem epistolam ad Timotheum scripsit, ipsum de officio Episcopi docens, ubi inter cætera, inquit: *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, & spero me citò ad te venturum*. Item posteriorem ad Corinthios, gratulans, quòd audisset, eos sibi dicto audientes fuisse, ac sua cohortatione meliores evasisse; ostendit autem & locum, & tempus, quo scripsit, inquiens: *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, supervacaneum est me scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaja parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos*. Inde fratres, qui erant in Macedonia, cohortatus, in Græciam, & Corinthum, sed aliquanto serius, quàm dixerat, ut censet Chrysostomus, adiit. Ibi verò cùm ageret, scripsit Epistolam ad Romanos, quos à falsis Apostolis præventos (opinor, Simonem intelligens) ait, eosque laudat, quòd Fides eorum toto Orbe terrarum illustris esset, seque cupere eos invisere addit, verba ejus hæc sunt: *Primùm gratias ago Deo meo per Jesum Christum, quòd fides vestra annunciatur in Universo. Desidero vos videre, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos; nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero, nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare Sanctis; probaverunt enim Macedonia, & Achaja collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui nunc sunt in Hierusalem. Hoc igitur cùm consummavero, & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam*. Commendat inde, atque salvere jubet fratres plurimos, inter quos nominat Priscillam & Aquilam adjutores suos, quos Epheso, ubi eos reliquerat Paulus, rebus Romæ melioribus rediisse apparet. Per eosdem dies Petrus quoq; comperto, Romanos à falsis Apostolis occupari, Romam repetiit, atque in itinere Corinthi Silam Episcopum instituit, cùm eum apud Paulum tum Corinthi morantem invenisset, quod Metaphrastes notavit, in tempore tamen apertè labens, quòd hoc in primo ejus Romam accessu factum referat, cùm eo tempore Paulus Corinthi non fuerit. Cùm autem Paulus Corinthi tres menses commoratus fuisset, constitueretque maritimo itinere in Syriam se referre, compertis Judæorum insidiis, consilium mutavit, ac terrestri per Macedoniam rediit, ac sociis reliquis, uno Luca excepto, præmissis, post dies Azymorum Philippis Troadem prodiit, ubi moram septem dierum spatii traxit, eorum verò extremo, cùm cibi capiendi causâ omnes convenissent, Paulus postridie discessurus sermonem usque ad dimidiam noctem perduxit; cùm autem adolescens quidam, nomine Eutychus, somno victus per fenestram de tertia contignatione procubuisset, ac mortuus esset, continuò Paulus descendit, ac medium complexus, circumstantes monuit, ne turbarentur, nam animam in juvene superesse. Reversus inde in cubiculum gustato cibo sermonem usque ad lucem pertraxit, ac, puero vivo relicto, discessit, ac Mytilenem primùm, inde Samum, tum Miletum pervênit; properabat enim, ut transvectus Ephesum diem Pentecostes ageret Hierosolymis. Ita accitis Epheso Presbyteris sic disseruit: *Non sum ignarus, me ex quo primùm die in Asiam veni, Domino ministrasse, ac paruisse semper cum omni animi demissione, & lachrymis; non ignoro etiam, quibus à Judæis insidiis appetitus sim, nullumque me tempus omisisse, quo non liberè, diligenterque, publicè, ac privatim vos docuerim, quæ ad Christi cultum spectarent, atque testimoniis Scripturæ Judæis, ac Gentilibus pœnitentiam scelerum, quæ in Deum admisissent, & fidem in Dominum Jesum Christum suasisse, cùm interim nihil de vestris facultatibus abstulerim; nunc verò, Spiritu Sancto duce, Hierosolyma peto, ubi quid mihi eventurum sit, nescio; nisi quòd Spiritus Sanctus ubique indicat, me illic vincula, & cruciatus manere. Ego tamen nihil horum omnium extimesco, nec vitam pluris, quàm me ipsum facio, dummodo cum vitæ cursum,* A. Chr. LIII.

qui

A *qui mihi datus est à Deo, conficiam, atque munus docendi Evangelium, quod à Domino accepi, pro dignitate absolvam. Exploratum habeo, me nunquam posthac à quoquam vestrûm visum iri, quos adivi; testor autem vos, me nulli culpæ affinem esse, etenim omne consilium Dei vobis exposui, neque ab eo ulla pœna, aut ullis suppliciis potui retardari: vos moneo, ut vobis consulatis, & gregi, cui vos Spiritus Sanctus Episcopos præposuit ad Dei Ecclesiam, quam ille sanguine suo redemit, administrandam. Scio, lupos rapaces post discessum meum impetum in gregem facturos, & ex ipsis viros prodituros, qui improba oratione ad se discipulos conentur abducere; vigilate igitur, ac memoria tenete, me nullum* B *finem per triennium cum lachrymis monendi fecisse. Vos Deo, & Verbo gratiæ ejus commendo, qui ædificare Sanctos omnes, eisque hæreditatem dare potest; argentum, aurum, & vestem nullius concupivi, atque hujus rei vos testes habeo, cùm ad ea paranda, quæ mihi ad cultum, victumque necessaria fuerint, corporis labor suffecerit; vos docui: egentibus, atque ægrotis quæsitis labore opibus succurrere oportere, memores verbi illius Domini Jesu: BEATIUS ESSE DARE, QUAM ACCIPERE.* Quæ cùm dixisset, positis genibus oravit cum omnibus. Tum verò flere omnes cœperunt, ac collo impliciti oscula obtulerunt, nihil acerbius ferentes,* C *quàm quòd nunquam alias eum essent visuri. Deductus inde ad navim ipse cum omnibus Coum, postridie Rhodum, tum Pataram venit, inde in Syriam transvectus Tyrum tenuit, ibi per septem dies commoratus est, prohibitus à fratribus divino afflatu percitis, ne Hierosolyma iret. Quibus transactis Ptolemaidem adiit, qua in urbe diem unum cum fratribus mansit. Postridie Cæsaream cùm venisset, ad Philippum Evangelistam unum è septem adiit, & apud eum cum comitibus habitavit. Post aliquot dies Agabus Propheta ex Judæa advênit, qui detractâ Pauli zonâ pedes, & manus sibi alligavit, atque ita di-* D *xit: *Spiritus Sanctus prædicit, ne is, cujus hæc zona est, Hierosolymis à Judæis hoc pacto vinciatur, ac Gentibus dedatur*. Quo audito Pauli comites, & loci incolæ omnes eum rogare cœperunt, ne Hierosolyma pergeret. Quibus ille: *vehementer lachrymis vestris excrucior; ego enim paratus sum non solùm vincula, sed etiam mortem propter Christum excipere*. Quare illi dissuadere se posse diffisi, rei eventum divino arbitrio permiserunt. Hierosolyma inde progressus, libenter à fidelibus cum comitibus est exceptus; postridie verò unà cum eis ad Jacobum, qui Hierosolymorum Episcopus* E *erat, venit, atque ei, & Presbyteris, qui convenerant, sigillatim omnia retulit, quæ Deus apud Gentes se ministro egisset, illi verò Deo summis laudibus celebrato dixerunt: *Quanta Judæorum multitudo ad Christi fidem conversa sit, cernis; qui verò legi Mosayeæ parendum censent, audierunt, te, quocumque accedis, ubi Judæi vivant, hoc docere, a lege Moysis recedendum esse, nec circumcidi oportere, neque in templum ingredi eo more, quem lex præscribat, opus esse. Itaque suademus, ut quoniam multitudinem necesse est convenire, ipse te cum aliis quatuor, qui venerunt, expies, & caput radas;*

A *sic enim fiet, ut quæ de te acceperant, falsa comperiant. Scripsimus autem de iis, qui ex Gentibus Christo nomen darent, ut se deinceps ab escis, quæ Idolis immolatæ essent, sanguine strangulatorum animalium, & fornicatione abstinerent*. Postridie Paulus cum illis quatuor expiatus in templum venit, ostenditque expiationis tempus esse, quod pro unoquoque horum hostia immolaretur; dum autem hæc aguntur, & septem dies explentur, Judæi Asiani, populo concitato, manus Paulo intulerunt, rogantes eos, qui circumstabant, ut sibi in eo comprehendendo adessent. Hic est enim, dicebant, qui ubique ea docet, quæ ad populi, & Sena- B tus Judæorum, & legis, ac templi perniciem pertinent, ac profanos homines in templum induxit, sanctumque locum violavit. Trophimum enim Ephesinum, quem cum illo in urbe viderant, ab illo in templum introductum putabant. Tumultus inde tota urbe coortus est tantus, ut omnes eò concurrerent. Quòd nisi Tribuno, qui tum in urbe erat, nunciatus tumultus fuisset, periculum erat, ne à populo discerperetur. Sed divino consilio dum captum, & extractum extra templum interficere cogitant, Tribunus cum Centurionibus, & militibus intervênit, qui, sedato tumultu, Paulum catenis duabus implicuit, ac quinam C esset, quidve patrasset, rogavit; aliis autem alia clamantibus, cùm præ tumultu nihil certi posset elicere, in castra duci jussit; cùm autem vociferante multitudine, ut tolleretur, duci in Castra cœpisset, ille, petitâ alloquendi populi veniâ, verba linguâ Hebræâ facere instituit, atque in sui excusationem, & originem suam, & ordinem suæ conversionis exposuit. Cùm autem diceret, se à Deo destinatum, ut Evangelium panderet Gentibus, tum tollendum esse clamarunt, ac vestimenta sua projicere, pulveremque in aera jactare cœperunt. Qua re conspecta, Tribunus virgis cæsum torqueri jussit, ut sciret, cur D tanto clamore ei obstreperent. Quod ubi audivit Paulus, rogavit, num hominem Romanum indictâ causâ virgis cædi fas esset? qua de re monitus à Centurione Tribunus, rogavit, num Civis Romanus esset? Cùm autem se natum Civem dixisset, eâ pœnâ exemptus est; postridie verò solutus, atque in Concilium Judæorum productus, rogatus est, ut diceret, quam ob rem à Judæis accusaretur. Quibus ille respondit, se ad eam usque diem semper bona fide in oculis, judicioque Dei vixisse. Quo verbo offensus Pontifex Ananias colaphos ei jussit impingi, cui Paulus: *Percutiet te Deus, paries dealbate, qui cùm* E *sedens ex lege me judices, tamen contra legem os meum tundi jussisti*; objurgantibus verò, qui aderant, quòd Principem Sacerdotum maledicto incesseret, ille se id nescire respondit; scriptum enim esse: *PRINCIPI POPULI TUI NE MALEDICITO*. Tum Paulus cùm Pharisæos, ac Sadducæos adesse videret, exclamavit, se Pharisæum, & Pharisæi filium esse, atque in judicium vocatum, quòd spem, & vitam mortuorum statueret. Qua de re orta est inter Pharisæos, & Sadducæos contentio tanta, ut Pharisæi innocentem esse, ac Spiritum, aut Angelum cum eo collocutum

esse,

esse, assereret. Tribunus autem timens, ne in turba discerperetur, eum de medio raptum in Castra duci præcepit. Proxima nocte Paulus à Deo bono esse animo jussus est; fore enim, ut Romæ quoque de se testificaretur. Prima inde luce Judæi ampliùs quadraginta inito consilio voverunt, se non ante cibum, potumve capturos, quàm Paulo vitam ademissent, qua conjuratione Pontifici, & Senioribus indicata, rogarunt, ut peterent à Tribuno, ut Paulum ad se perduceret, per speciem de eo certius comperiendi, nam se illum in via opprimere decrevisse. Pauli sororis filius cùm paratas avunculo insidias præsensisset, indicavit, atque ejus operâ à Centurione Paulus ad Tribunum productus pravum ei Judæorum consilium patefecit. Qua re permotus Tribunus, firmo peditum, equitumque præsidio dato, Paulum tertiâ noctis horâ ad Felicem Præsidem Cæsaream misit, cum his literis: *Claudius Lysiae Felici optimo Præsidi salutem; virum, quem ad te mitto, à Judæis comprehensum, cùm jam interficeretur, adventu meo militum operâ vix salvum ex eorum manibus eripui, cùm Romanum eum esse comperissem, cupiens inde nosse, quæ illi objicerentur, in Concilium eorum produxi, verùm nihil objici comperi, nisi quod ad legem eorum pertineret, quorum nihil morte, aut vinculis dignum est. Quoniam autem intellexi non deesse, qui ipsum ex insidiis necare constituissent, cum ad te misi, ut accusatores apud te agant, si quid in eum velint dicere. Vale.* Milites noctu Paulum Antipatridem, postridie verò equites Cæsaream perduxerunt, atque illam ei epistolam reddiderunt. Quam cùm legisset, ille Paulum, cujus esset Provinciæ rogitavit, cùmque Cilicem eum esse audisset, se operam ei daturum dixit, cùm accusatores ejus venissent. Interim in Herodis Prætorio custodiri eum jussit. Quinto autem die Ananias Pontifex cum quibusdam majoribus natu, & Tertullo quodam Oratore Cæsaream ad Felicem venit, citatoque Paulo, eum Tertullus accusare cœpit his verbis: *Non ignotam tibi Nazaræorum sectam esse opinor, qui novis quibusdam religionibus, institutisque omnium hominum mentes contra legee inficiunt, ejus principem cùm pestiferum istum invenissemus, qui & omnibus Judæis in universo Orbe seditionis auctor est, & templum polluere voluit, comprehensum ex lege nostra judicare decrevimus. Sed Tribunus Lysiae vi magna eum eripuit, jussitque ejus accusatores ad te venire, ex quo tu poteris facilè ea crimina cognoscere, quorum causâ eum in judicium adducimus.* Judæi vera esse, quæ Tertullus diceret, affirmarunt. Paulus verò potestate respondendi accepta sic dixit: *Scio ego, te, optime Felix, jampridem Judicem datum esse Judæis. Qua ego fiducia nixus pro me ipso respondebo. Haud plures quindecim dies sunt, cùm Hierosolyma in templum religionis causâ processi; isti autem me, nec ibi cum aliquo disputantem, nec in urbe ipsa, nec in Synagogis invenerunt, nec verò ea, quæ mihi objiciunt, probare possunt. Hoc autem fateor, me in disciplina, quam sectam vocant, sic patrium Deum meum colere, ut & ea omnia, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt, vera esse credam, & quam illi expe-*

A *ctant resurrectionem, fore quoque consilium, in quo ipse etiam studeo, me ita gerere, ut nemini, quod sciam, occasionem peccandi præbeam; ab eaque suspicione, Deo teste, sum liber. Multis autem annis post Hierosolyma veni, ut egentibus pro facultatibus subvenirem, Deoque offerrem, quæ vovissem; quæ in templo facientem cùm offendissent Judæi, non tumultum concitantem, ut isti volunt, corripuerunt, clamantes: Tolle inimicum nostrum. In me quidam erant ex Asia Judæi, quos adesse hic oportuit, & accusare, si quid haberent, quod in me criminosum putarent. Dicant verò ipsi, quo me in flagitio deprehenderint, nisi quòd hac oratione usus sum,*
B *cùm in judicium ob resurrectionem mortuorum adductum me esse clamarem.* His ex utraque parte dictis, Felix Judæorum querimoniam in illud tempus rejecit, cùm Lysias Tribunus venisset. Paulum autem Centurioni custodiendum tradidit, jubens, ut neminem de suis ei suppeditare, quæ essent necessaria, prohiberet. Interjectis inde aliquot diebus, Felix cum Drusilla uxore sua, quæ Judæa erat, veniens, Paulum accersivit, audivitque de Christi fide, ac religione orantem, cùmque protracto sermone de justitia, de veritate, judicioque futuro diceret, tremore correptus Felix eum dimisit, ostendens se acciturum,
C cùm opus esset, eumque post sæpe etiam accersivit, quòd se ab illo pecuniam acceptarum speraret. Postero anno Claudio LIV.
Cæsare III. Idus Octobris mortuo, Nero successit, qui per quinquennium adeò moderatè se gessit, ut Trajanus postea dicere consueverit, omnes Principes procul à quinquennio Neronis distare. Paulus Cæsareæ apud Felicem in libera custodia mansit. Apollinaris, cùm Ravennæ apud hospitem privatum occultus per duodecim annos mansisset, demum agnitus ad Pontifices est productus, rogatusque quis esset, cùm se Christianum esse respondisset, ac Juvis, in quo erat, templi ornamenta præ-
D clarius vendi, & dari posse pauperibus suasisset, à Pontificibus, & populo multatus extra urbem ejectus est. Collectus autem à discipulis, & apud viduam collocatus, ibi sex mensium spatio latuit, inde in oppidum Classis à fidelibus evocatus, homines duos sanavit, quorum alter à dæmone arreptus erat, alter vocem amiserat. Quo facto homines ampliùs quingenti in Christum crediderunt, neque ita multis post diebus à Paganis malè habitus inde exire coactus est; ad quem multi ex nobilitate credentes venerunt, atque operam præstiterunt, cùm quotidie in mari Apollinaris plurimos baptizaret, Ravennæ interim Calocero Presbytero Ecclesiam gu-
E bernante. Sequenti, Stephanus Princeps, LV.
de quo supra diximus, in Italiam è Gallia à Nerone anno primo Imperii sui, ut scribit Aurelianus, cum suis militibus evocatus, negotio, cujus causâ venerat, absoluto, cum omnibus Romam ad Petrum Episcopum invisendum supplicabundus se contulit. Erat tum fortè Petrus in Vaticano populum docens, qui ut hos discalceatos, & cilicio tectos ad pedes suos se prosternere vidit, unde venirent, quæsivit; cui illi: *Venimus ex Gallia à Beato Martiale illuminati, idest Evangelii verbum edo-*

cti, & in remissionem peccatorum abluti. Quare audita Petrus ad Deum conversus dixit: *Oro te, Domine, ut Martiali adjutor sis, qui propter nomen tuum in longinquam regionem concessit, & gravia pertulit*; inde Ducem rogavit, quemadmodum Martialis se cum illis populis gereret? cui Dux: *Multos mortuos in nomine Domini suscitavit, & quidquid à Deo postulat, continuò impetrat*. Atque his dictis petiit indulgentiam, quòd Valeriam virginem sibi desponsam necasset, quia nuptias suas virginitatis studio detrectasset. Cujus lachrymas, & pœnitentiam cernens Petrus absolvit. Quo facto Stephanus libras auri ducentas à Nerone acceptas obtulit, quas Petrus ad Martialem jussit referri, quibus novas in Gallia Ecclesias excitaret, & pauperum inopiam sublevaret; atque ita, accepta benedictione, se retulit, ut Aurelianus ipsius Martialis discipulus memoriæ prodidit. Reversus inde domum Stephanus Martialem adjuvit, ut Burdegalensibus, Tolosanis, cæterisque Aquitaniæ populis Evangelium panderet, ac simulachra deleret, unde extant quoque duæ Martialis ad Burdegalenses, & Tolosanos epistolæ, & ipse quoque Apostoli Galliæ nomen invênit. Felix successore à Nerone accepto, Paulo in vinculis ineundæ à Judæis gratiæ causâ relicto, discessit. Festus verò tertio, quàm venit, die, Cæsareâ Hierosolyma prodiit, quod ubi Judæorum Principes cognoverunt, illum adierunt, rogantes, ut Paulum à se accusatum Hierosolyma remitteret, eo consilio, ut eum in via ex insidiis opprimerent, ac necarent. Festus autem se propediem Cæsaream rediturum respondit, quam ob rem monere eos, ut venirent, & accusarent, si cui affinem crimini ducerent, ac post octo dies Cæsaream profectus, cùm pro Tribunali sederet, Paulum ad se adduci jussit. Accedentes autem Judæi varia crimina ingesserunt, quæ Paulus ita diluit, ut se legem Judæorum, aut templum violasse, aut quidquam contra Cæsaris majestatem fecisse, negarit. Tum Festus de illo quæsivit, num Hierosolyma ad dicendam causam contendere vellet? Quod ita aspernatus est Paulus, ut Cæsarem appellare se dixerit. Tum Festus de Consilii sententia: *At qui Cæsarem appellasti*, inquit, *ad Cæsarem ibis*. Festus inde Agrippam Regem, quòd ad se salutandi causâ Cæsaream venerat, consuluit quando Paulus Cæsarem appellasset, quid de illo sibi scribendum ad dominum esset. Agrippa verò audire eum cupiens, homini ad se adduci jusso potestatem dicendi quæ vellet fecit, ubi verò à Paulo se Judæorum invidiâ fiaè crimine ullo oppressum, vita sua à legis Mosaicæ cultu, & post à cœlesti sui vocatione exposita, didicit, illum desipere dixit, quòd nimiùm multis literis esset imbutus. Tum Paulus: *Haud quaquam desipio*, inquit, *sed verba veritatis, prudentiæque plena fundo, quemadmodum tu optimè tenes, sed quæro de te, num fidem Prophetis habeas?* Cui ille: *Paucis*, inquit, *hortaris me, ut sim Christianus*. At Paulus, *ora*, inquit, *Deum, ut non modò tu, sed etiam omnes, qui audiunt, tales evadant, qualis ego sum, vinculis his exceptis*. Agrippa inde, seducto Festo, dimitti eum potuisse dixit, nisi Cæsarem appellasset; ita constituto profectioni die, Paulus Julio cohortis Augustæ Centurioni, unà cum aliis aliquot vinctis Romam deducendus est datus. Cùm autem navem conscendissent, postridie Sidonem applicuerunt, Julio Paulum ad amicos divertere permittente. Inde solventes adversis ventis à Cypro rejecti, ac mare Ciliciæ, & Pamphiliæ prætervecti, Lystram Lyciæ devenerunt; inde tarda navigatione propter reflantes ventos Cnidum tenuerunt; Cretam inde ægrè prætervectos Boniportus excepit: ibi multo tempore peracto, cùm haud tuta navigatio esset, quòd Jejonii tempus, (id mense Decembri celebrabatur) præteriisset, Paulus omnes, qui aderant, de imminente & oneribus, & vectoribus periculo monuit. Centurio verò Gubernatoris auctoritatem sequutus, portum, qui Africum, & Chorum spectat, hyemandi causâ se petere velle dixit. Itaque Austro flante ab Asso solventes ventus Thiphonicus Cretam spectantes invasit, quò navi jactata in parvam insulam, quæ Clauda vocabatur, delati, ægrè navim scaphæ auxilio deligarunt; cùmque ita vi tempestatis agitarentur, postridie in mare onera projecerunt; post autem Cœlo per multos dies tenebris ita condito, ut neque Sol, neque Stellæ apparerent, spem omnem salutis amiserant, cùm Paulus eos ita est affatus: *Si me audissetis, à Creta minimè solvissetis, omniaque hæc, quæ amisistis, haberetis; nunc vos hortor, ut bonum animum habeatis, neque enim cujusquam vestrûm vitæ, sed navis tantùm jactura fiet: visus est enim mihi superiore nocte Angelus Dei, cujus sum, quemque colo, dicere, ne timore afficerer, Cæsari me sisti oportere; Deumque mihi omnes, qui unà navigarent, dedisse. Quare bono animo estote, divina enim benignitate fretus, ita, ut dixi, eventurum confido; nos in quamdam insulam veniemus*. Post quartamdecimam inde diem, cùm intempesta nocte in mari Adriatico jactarentur, suspicio nautas subiit, aliquem sibi locum ostendi, atque, demisso bolide, viginti passus abesse invenerunt. Veriti autem, ne in loca salebrosa inciderent, è navi evadere statuerunt; verùm Paulus eos commonefecit, nisi in navi remansissent, salutem adipisci non posse. Ita recepto animo omnes cibum ceperunt, eoque capto, in mare triticum abjecerunt, atque ita navim exonerarunt. Ubi illuxit, navis in terram ita impegit, ut prora fixa immobilis staret, puppis verò undarum impetu vexaretur, milites autem in captivos, ne evaderent, sævire statuentes, Julius coërcuit, ut Paulum conservaret, atque omnes, aut nando, aut tabulatum aliquod arripiendo, salutem sibi quærere jussit. Eo modo servati cognoverunt eam insulam Meliten nuncupari. Jam media sæviebat hyems; Melitenses autem ignibus factis eos recreare torpentes conati sunt. Cùm autem Paulus magnam vim sarmentorum in ignem conjecisset, vipera calore cogente egrediens manum ejus arripuit, quam ut Melitenses è manu illius pendentem viderunt, inter se dixerunt: *Næ ille nefarius aliquis homo est, quem è mari servatum divina justitia vivere non permittit*; at ille excussâ in ignem bestiâ nihil mali omnino sensit, contra Meliten-

tensium opinionem, qui illum inflatum brevi moriturum crediderant. Itaque ut vivere viderunt, Deum esse dixerunt. Paulus inde Publii patrem, à quo humaniter habitus fuerat, febri, ac dysenteria laborantem precibus, & manuum adhibita impositione sanavit, & dum ibi mansit, ægrotos omnes, cùm ad se adissent, curavit. Itaque magnis ab eo affectus honoribus, & rebus ad victum necessariis donatus, post tres menses discessit, navem Alexandrinam conscendens, quæ in Insula hyemaverat, solventesque Syracusas tenuerunt, ubi morati triduum, inde Rhegium, & biduo post Puteolos devenerunt, atque apud Christianos, quos ibi invenerunt, per septem dies manserunt. Quod cùm ii, qui Romæ erant, audissent, obviam eis usque ad forum Appii, & Tres-Tabernas prodierunt; quibus conspectis, Paulus gratias Deo egit, animumque recepit. Ingressus est Urbem Paulus pridie nonas Julii, secundo anno Neronis, ut in Martyrologio scripsit Beda. Romam ergo cùm iniissent, Centurio reliquos vinctos Præfecto Urbis tradidit, Paulo verò soli cum milite custode habitare permisit. Post tertium diem Paulus primos Judæorum accivit, atque omnia, quæ sibi Hierosolymis acciderant, enarravit, se, cùm patriis legibus, institutisque parêret, Romanis deditum esse, qui cùm in se inquisissent, nec capitale quidquam commisisse comperirent, vellentque dimittere, Judæos intercessisse: ita coactum se Cæsarem appellasse, non quòd gentem suam ipse ulla in re accusare posset; eò se ob eam causam accessisse, ut ipsos videret, & conveniret; se enim catenâ eâ, quam cernerent, vinctum esse propter spem Populi Israëlitici. Cui illi: *Nos nec literas de te ex Judæa accepimus, nec quisquam Judæorum, qui huc venerit, nunciavit, aut dixit quidquam de te, quod religioni repugnaret; petimus autem à te, ut edas quid sentias, nam satis compertum habemus, eam sectam, quam sequeris, ubique terrarum explodi.* Constituto inde die, cùm plures ad eum in diversorium convenissent, ipse eis Regnum Dei exposuit, eaque, quæ Christo acciderunt, testimoniis à lege Mosaica, & à Prophetis petitis à prima luce usque ad vesperam confirmavit: qui cùm dissentientes inter se abiissent, tum Paulus verba eis Esaiæ convenire dixit: *loquere cum populo isto: audietis, nec intelligetis, videbitis, & non videbitis.* Mansit autem, inquit Lucas, per biennium in suo diversorio, omnes, qui ad se adirent, recipiens, Regnum Dei prædicans, & quæ ad Deum pertinebant, liberè sinè ulla prohibitione docens, usque ad annum, ut Hieronymus interpretatur, Imperii Neronis quartum. Hoc autem biennio Petrus & Paulus Romæ unà fuerunt, atque ipsis sacræ prædicationis consiliis, laboribusque communicatis, Evangelium Judæis æquè, ac Gentibus maximo concursu hominum tradiderunt, virtutemque suam mirandis operibus ad salutem hominum edendis sæpius ostentarunt; quibus rebus innumerabiles homines ad sacra Christi asciscenda traxerunt. Quod in primis scripsit Sulpicius: *Nerone*, inquit, *imperante, divina apud Urbem religio invaluit; Petro ibi Episcopatum gerente, & Paulo postea quàm ab injusto Præsidis judicio Cæsarem appellaverat, Romam deducto, ad quem tum audiendum plures conveniebant, qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebrò ediderant, permoti, ad cultum Dei se conferebant.* Cæterùm debilitatibus, ac morbis quibuscumque affectos sanitati pristinæ restitutos, & mortuos ab utroque suscitatos, Linus est auctor. Neque verò solùm præsentibus malis depellendis, sed futuris etiam calamitatibus prædicendis oculos in se totius populi converterunt; cùm Regem brevi futurum dicerent, qui Judæorum Populos fame, sitique conficeret, orbesque eorum excinderet. Quod prodidit Lactantius in libro de vera Sapientia: *Deus futura, inquit, aperuit Apostolis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicaverunt, & ea prædicatio in memoriam scripta permansit, in qua cum multa alia mira, tum hoc etiam futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Judæos, & Civitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame, sitique confectos obsideret.* Ex hoc autem factum est, ut Apostoli ambo Ecclesiæ Romanæ auctores, & fundatores vocati sint, ut à quibus non solùm Episcopi successores eorum, sed reliquæ etiam Ecclesiæ propter singularem eorum præstantiam, fidem, instituta, legesque acceperint; unde Romanæ Ecclesiæ illustris supra cæteras omnes principatus eluxit. Quod Irenæus his verbis prodidit: *Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis, traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum provenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt; ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Eusebius auditores affuisse Paulo Linum, & Clementem; Ignatius Clementem Petro, Timotheum, & Linum Paulo scribit; & alio loco, Clementem Petri & Pauli auditorem fuisse inquit.

LVI. Postero anno in Æthiopia post Ecclesiam viginti tres annos felicissimè administratam Matthæus Apostolus ab Hirtaco novo Rege rogatus, ut Iphigeniam virginem, quæ, illo auctore, se Christo devoverat, de proposita sententia dimoveret, cùm non fecisset, ab eo ad altare sacra faciens gladio est transfossus XI. Kal. Octobris; ea credo de causa, Clemens Stromatum libro quarto, ipsum sinè vocis confessione decessisse notavit. Paulus tandem in conspectum Neronis adductus, causam nemine patrocinante dixit. Nero autem, sive quòd nondum depravatus esset, sive quòd de re ageretur, quæ ad ipsum non pertineret, facilè ipsum absolvit, quemadmodum ipse Paulus in secunda ad Timotheum scripsit, inquiens: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur; Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me sit, & audierint omnes Gentes, & liberatus sum de ore Leonis*; nimirum

Leo-

LVI. Leonem Neronem ipsum significans, ut omnes exponunt. Inde expleto Romanæ prædicationis, de qua Lucas dixit, biennio, Urbe egressus in Hispaniam est profectus, teste non solùm Epiphanio, sed etiam Chrisostomo in Epistola ad Hebræos, ita scribente: *cùm biennium Romæ Paulus exegisset in vinculis, tandem dimissus est, deinde in Hispaniam profectus est*, & Homilia VII. de laudibus Pauli: *Postquàm Romam ingressus est, ibi quoque quanta cum modestia nunciat veritatem, quanta cum libertate obstruit ora superiorum; verùm nec ibi manere contentus, etiam in Hispaniam procurrit*. Cùm autem transiret per Galliam, Trophimum discipulum suum Arelate, Sergium Paulum Narbonæ Episcopos ad illas Ecclesias constituendas reliquit, ut Beda cum Metaphraste
LX. prodidit. In Hispaniam verò anno sexagesimo cùm venisset, atque oppidum quoddam inisset, mulier quædam illustri, ut Glycas narrat, loco nata, quæ multo ante Pauli videndi desiderio arserat, & viva voce erudiri ab eo cupiverat, prospexisse in forum dicitur, ibique conspecto Paulo, qui forum transiret, marito suo Probo persuasisse, ut hominem domi suæ exciperet. Ingresso porrò in ædes Paulo, prodigium quoddam memorabile incidit: mulier enim apertis oculis in Apostoli fronte literas aureas legit ejusmodi: PAULUS CHRISTI PRÆCO; quare ad pedes ejus provoluta doctrinam Christianam accepit, atque ipsa cum Probo marito, & familia tota abluta est. Sub eosdem etiam dies Petrus, teste Metaphraste, in Brittaniam adiit, & quidem Cleto Episcopo in Urbe relicto, unde dixit Epiphanius: *Quoniam Urbs sinè Episcopo esse non potuit, & Petrus & Paulus ad alias sæpe Terras ablegabantur; siquidem Paulus in Hispaniam profectus est, Cletus Episcopus potuit, Petro & Paulo Apostolis adhuc superstitibus, alios Episcopos constituere*. Mediolanum autem profectus, ad Episcopum Anatalonem divertit, atque Cajo illi substituto, ipsum Brixiæ Episcopum statuit, ut Metaphrastes, & monumenta utriusque Civitatis loquuntur. Non est autem dubium, quin ambo Apostoli, & hoc, & sequentibus annis in suis uterque Provinciis erudiendis, maximo cum hominum
LXI. emolumento versati sint. Sequens annus eo nomine nobis de Christiana Ecclesia conscribentibus esse debet insignis, quòd tum primùm Nero apertè cœpit à semetipso in Imperio administrando deficere; itaque impuris omnibus libidinibus deditus eò alienior à Christianis est factus, quòd nullam aliam virtutem magis & vita præstabant, & oratione extollebant, quàm continentiæ, castitatis, & pudicitiæ, quæ laus affectata
LXII. multis post exitio fuit; Itaque proximo anno duo Apostoli Matthias & Jacobus frater Domini, quasi rebus Christianorum Neronis vitio ruere incipientibus, clara magis, quàm misera morte occubuerunt; Quos non atrox aliquod Neronis imperium perculit, sed naturale Judæorum odium, quod in eos gerebant, qui Christum à se crucifixum celebrabant. Hujus verò cladis auctor Ananus Pontifex fuit, qui arrepta occasione, quòd Albinus, quem Nero successorem Festo Præsidi mortuo dederat, nondum ad provinciam venerat, sævire in Ju-

A dæa adversus Apostolos cœpit; ac de Matthia quidem in vetere ejus historia sic scriptum reperitur: *Dum Ananus adolescens Pontifex solus Judæam sinè Præside gubernabat, Matthias Judæam circumlustrans Verbum vitæ æternæ Judæis nunciabat, multosque eorum ad Christum signis, ac prodigiis convertebat. Cùm autem in Urbe Galilææ Giscalim introisset, atque in Synagoga de Christo disserere instituisset, captus est à Judæis, & ad Principes Sacerdotum adductus, illo crimine in primis oblato, quòd Populum per totam Galilæam sollicitaret, circumferens doctrinam Jesu Nazareni nuper Principum judicio crucifixi*. Ananus autem, ubi illud audivit, hominem
B statim ad se adduci jussit, negans expedire Judæis, ut sermo de Jesu latiùs funderetur, eoque abducto, multis verbis pro Lege Moysis, quæ à Jesu, & Sectatoribus ejus everteretur, disseruit; quibus peroratis, Matthiæ potestatem, vel resipiscendi, vel sui defendendi dedit; tum Matthias: *Crimen, Anane, quod mihi objicis, nequaquam diluere volo, quia Christianum esse, non criminis, sed gloriæ loco duco; nam ipse dicit per Prophetam: VOCABO SERVOS MEOS IN NOVISSIMIS DIEBUS NOMINE ALIO*. Cui Ananus: *Quomodo non est crimen, legem sanctam pro nihilo ducere, Deo honorem adimere, & fabulis inanibus, superstitiosisque*
C *studere?* Tum respondit Matthias: *Atqui si me attentè audire volueritis, docebo hoc, quod prædicamus, fabulosum non esse, sed ab initio legis testimoniis approbatum*. Inde oratione ab Abrahamo repetita usque ad Moysem narrando pervênit, atque iis omnibus nihil aliud quàm Christum ipsum, significatum esse asseruit: *Quid enim*, inquit, *esus carnium agni proderat ad conscientiam? Quare renes accingitis? quare baculos in manibus, calceamenta in pedibus habetis? Hæc omnia, fratres, licèt scientia legis prædîti esse videamini, sicut scriptum est, SI NON CREDIDERITIS, NON INTELLIGETIS; quomodo enim sanguis agninus in utroque*
D *poste, & in superliminari aspersus ab exterminatore vos eriperet, nisi Crucem Jesu, qui dicitur Christus, exprimeret?* Ut autem nomen Jesu Ananus audivit, furore percitus ait: *Hæc tu igitur ad evertendam legem persequeris? an ignoras scriptum: SI QUIS PROPHETA, VEL SOMNIATOR IN ISRAEL SURREXERIT, UT AVERTAT VOS A LEGE DEI VESTRI, MORTE MORIATUR HOMO ILLE?* Cui Matthias: *At qui Jesus non solùm Propheta, sed & Dominus Prophetarum, & Deus, & Dei filius est, cujus divinitas multis declarata indiciis me, ut in eum crederem, impulit; neque ab eo aut pœnitentia, aut defectione ulla*
E *recedam, sed Jesum Nazarenum, quem vos negastis, verum Dei Filium asseram*. Tum Ananus legem recitari jussit, quæ erat: *QUI MALEDIXERIT DEO SUO, PORTABIT PECCATUM SUUM, ET QUI BLASPHEMAVERIT NOMEN DOMINI, MORTE MORIATUR. LAPIDABIT EUM OMNIS MULTITUDO, NON PARCET ILLI OCULUS VESTER, ET AUFERETIS MALUM EX VOBIS*. Atque ita duci statim ex lege ad supplicium imperavit. Ibi verò more Judæorum primùm lapidibus obrutus, deinde more Romano, ut absenti Præsidi aliquid honoris haberetur,

A. Chr. LXII.

tur, securi percussus, & VI. Kal. Martias mortuus, à discipulis sepulturæ traditus est. De Jacobo autem Ægisippus historiarum libro quinto, & Clemens Hypotyposeon libro septimo, Eusebio, & Abdiæ verba citantibus, sic scripsere: *Jacobus in utero matris vir fuit Sanctus, vinum, & siceram non bibit, sed neque animal manducavit, ferrum in caput ejus non ascendit, oleo non est unctus, sed neque balneis est usus; huic soli licebat introire in Sancto Sanctorum, neque enim laneo utebatur indumento, sed tantùm sindone, solus ingrediebatur templum, & jacebat super genua sua, orans pro populi indulgentia, itaut orando callos obduceret genibus more cameli, semper genua flectendo, nec umquam ab oratione cessando. Itaque pro incredibili hac continentia, & summa justitia appellatus est Justus, & Oblias, id est munimentum populi, & justitia, sicut & Prophetæ cecinere de eo.* Quidam ergo de septem Hæresibus, quæ erant in Populo, interrogarunt eum, quid esset ostium Domini? Quibus ille: *Hic est Salvator, ex quibus nonnulli Jesum Christum esse crediderunt.* Illæ autem Hæreses non crediderunt, neque surrexisse eum, neque venturum, ut retribuat unicuique secundum opera sua. Qui verò crediderunt, per Jacobum crediderunt; ex quibus cùm multi principes essent, perturbati Judæi sunt, dicentes: *Parum jam abest, quin omnis populus credat, Jesum esse Christum.* Itaque convenientes Jacobum, dixerunt: *Oramus te, ut revoces populum, quia falsò credit Jesum esse Christum; oramus, inquam, te, ut omnibus ad diem Paschæ convenientibus de Jesu suadeas: Tibi enim omnes obtemperamus, & de te tam nos, quàm populus testimonium ferimus, te justum esse, & nullius personam accipere: ascende igitur in pinnam templi, ut in edito positus conspiciaris, & audiaris ab omnibus, quia in die Paschæ conveniet non solùm Judæorum, sed etiam Gentilium multitudo.* Statuerunt igitur supradicti Scribæ, & Pharisæi Jacobum in pinna templi, & voce magna clamantes dixerunt: *Vir justissime, cui omnes nos parère debemus, quoniam Populus errat in Jesu, qui crucifixus est, expone nobis quid sit ostium Domini.* Quibus Jacobus: *Quid me interrogatis de Filio Hominis? Ecce ipse sedet in Cœlo à dextris summæ virtutis, & ipse venturus est in nubibus Cœli*; qua responsione multi contenti cœperunt laudibus Deum concelebrare, ac dicere, *Osanna filio David.* Tum illi inter se cœpere dicere: *Malè fecimus, ut tale ei testimonium ferat de Jesu; sed ascendamus, atque illum in præceps demus, ut cæteri timeant, atque ei credere caveant*; ac simul voce magna dixerunt: *Justus erravit*, & compleverunt in hoc scripturam Esaiæ dicentem: *AUFERAMUS JUSTUM, QUONIAM INUTILIS EST NOBIS: PROPTEREA FRUCTUM OPERUM SUORUM MANDUCABUNT.* Ascenderunt ergo, & præcipitaverunt eum, & inter se dixerunt: *Lapidetur homo iste*, atque his dictis cœperunt in Jacobum lapides jacere; ille autem præcipitatus non modò non periit, sed genibus nixus dixit: *Rogo te, Domine Deus Pater, ignosce illis peccatum; non enim sciunt, quod faciunt*; quem ut audivit unus de Sacerdotibus filiis Rhachabitarum, exclamavit dicens: *Parcite, quæso, quid facitis? pro vobis orat justus iste, quem lapidatis.* Tum unus ex illis fullo arreptum fustem, quo pannos exprimere solent, cerebro ejus illisit. Ita ille interiit, atque eodem loco sepulturam invênit. Tradit porrò Josephus, homo Judæus, ipsum propter Sanctitatem populo adeò probatum fuisse, ut vulgò creditum sit propter injustam illius necem paucis post annis urbem Hierosolymorum eversam. Triginta annos rexit Ecclesiam, idest usque ad septimum Neronis annum, Eusebio & Hieronymo testibus.

LXIII. Sequenti anno, qui fuit Neronis octavus, Marcus item Evangelista, atque Episcopus Alexandriæ, hoc modo finem vitæ imposuit; quippe ex Pentapoli, ubi duos annos in Verbi ministerio egerat, Alexandriam regressus, fratres multiplicatos, & Ecclesiam in loco, qui dicebatur *Bucolus*, ab eis ædificatam invênit juxta mare sub rupibus, quem ut reversum sensere, qui Idolis addicti erant, quòd à Christianis irriderentur, recenti odio agitati, insidias illi tenderunt, atque expectata Christiani Paschatis festivitate, quæ tum in VIII Kal. Majas incidebat, quo tempore ipsi Serapis festum agebant, ipsum precationes in Ecclesia fundentem corripuerunt, ac fune collo injecto, tamquam bovem, traxerunt, atque ita tractum, ut fuso sanguine saxa inficeret, in carcerem conjecerunt, quem Angelus Domini, mortem instare nuncians, consolatus est; postridie autem ad locum *Bucoli* iterum tractus expiravit, atque ibi à discipulis suis sepulturæ mandatus est. Narrat Eusebius, Ecclesiam Alexandrinam ab illo tanta cum continentiæ laude formatam, ut omnes Christi cultores ad imitationem sui accenderit. Quare Philo Hebræus severam Christianorum, quos ille instituerat, disciplinam admiratus, eorum studia, exercitationes, mores, congressus, & vitæ communionem scriptis mandavit. Successor ei datus est Anianus. Hæc Eusebius, Hieronymus, & Metaphrastes.

LXIV. Proximo Paulus Hispaniam, multis Ecclesiis institutis, reliquit, & se in Asiam retulit, quod ex sequenti narratione historiæ apparebit, quanquam certus profectionis ejus annus nondum mihi explorari ad liquidum potuit. In Perside autem Simonis & Judæ Apostolorum illustre martyrium accedit. Quippe Magi duo ex omnibus Persidis, quas adierant, locis ab Apostolis ipsis expulsi, cùm se in urbem magnam Sunirum contulissent, templorum Pontifices convenerunt, monentes, venturos Hebræos duos, qui Deorum suorum cultum everterent, nisi illos advenientes, aut ad religionem suam traducerent, aut vitâ exuerent.

Ita postquam Apostoli in urbem ingressi ad Semnem discipulum suum diverterunt, extemplo Sacerdotes eum magna populi turba ædes Semnis circumdederunt, atque ignem se tectis subjecturos, nisi Judæos dederet, & cum eis sacrificium Diis faceret, comminati sunt. Hoc pacto capti Apostoli ad templum Solis ducuntur, ac Soli, & Lunæ sacrificare jubentur, quo imperio detrectato, cùm multa adversùs ejusmodi religionem orassent, à Sacerdotibus iracundiâ concitatis, unà cum Semne necati sunt; quorum corpora Rex Persidis

A. Chr. LXIV. jam pridem Fide ab illis imbutus Babylonem transferenda curavit, eaque dicato templo cohonestavit, ut Abdias memoriæ prodidit. Per hos etiam dies Apollinaris Calocero Presbytero in urbe Ravenna reli-

A ćto, io Æmiliam sese contulit, ac secretis sermonibus populos docens, ac signa in nomine Jesu faciens quamplurimos potuit, ad Fidem traduxit. A. Chr. LXIV.

LIBER TERTIUS.

HActenus, ut Evangelium Christi diligenti Apostolorum opera sinè ullo ferme Romanorum impedimenro vulgatum sit enarravi, oonc ut imputissimus eorum Imperator Nero primum, idemque crudelissimum nascenti adhuc Ecclesiæ bellum intulerit, & ut præcipuè clarissima duo ejus lumina, Petrum & Paulum Apostolos Romæ extinxerit, deinceps exponere pergam. Dico igitur, Christianam Fidem, à die, qno Christus in Cœlum ascendit, assiduis Apostolotum, ac Discipulorum prædicationibus Judæis, ac Gentilibus æquè ounciatam ac traditam, tantos ad hunc usque diem progressus ubique fecisse, ut totum ferme terrarum Orbem Ecclesiis, Episcopisque complexa sit; nam si quid adhuc aliuode incommodi accidit, id ferme à Judæorum gente manavit, qui sævo mirabilium, quæ edi in nomioe Jesu videbant, operum dolore distumpebaotur; unde, ut diximus, Stephanum Diaconum, Jacobos duos, ac Matthiam Apostolos tumultu temere concitato necarunt, ac Petrum & Paulum nefariis sæpè insidiis petiverunt. Gentiles autem Romani, licèt non optimè de Christianis seotirent, nullum tamen adhuc eis iosigne negocium præbuerunt, oec prædicationi moram aliquam attulerunt. Alieni tamen ab eis erant, quòd propter corruptos illorum mores, oec tam diligentem divini Numinis cultionem probabant, nec tam acrem, & severam vitæ disciplinam æquo ferre animo poterant, eaque præsenti Reip. statui adversari, atque obesse putabant; itaque superstitiosos eos, maleficos, seductores, ac corruptores humani generis appellabant. Ubi verò infesti eis esse cœperunt, acerbè illi quidem, sed tamen duobus tantùm nominibus nocueruot, Judæis, quòd nova religione ascita præsentem statum Reip. perturbareot; Gentilibus, quòd vetere Deorum cultu relicto, sacra, ritusque à majoribus traditos aperti mendacii, ac non dubiæ vanitatis arguerent. S. Augustinus libro primo de consensu Evangelistarum scribit, *Romanos Sacra Dei Israel propterea recipere noluisse, sicut receperant Deorum alienarum Gentium, quas vicerant, quia ubique ipse idola Gentium disturbaret*. Hujus verò persecutionis ioitium ab hoc tempore factum est, Nerone Imperatore jam ita probris, ac sceleribus omnibus profligato, & perdito, ut humanitate omni abjecta mores planè ferinos ioduisse, cum in omoi oequitiæ geoere, tum turpioris potissimùm intemperantiæ videretur. Occasionem verò ineundæ persecutioois, neque ipsa Evangelii prædicatio, nec novæ Religionis iovectio, sed iocendium atrox aperuit, quo sequenti anno Lecanio Lici- LXV. nioque Coss. magna Urbis Romæ pars occulto Neronis, ut vulgò crediderunt, imperio, conflagravit, cujus rei invidiam cùm ipse à se avertere bomo impius vellet, Christianos prorsus innoxios, sed, ut dixi, malè jam pridem apud populum audientes, subornatis accusatoribus, curavit insimulandos. Quorum delationibus ex constituto acceptis, in eos primùm, tamquam iocen- B dii compertos, animadvertit, deinde lege lata, ne cuiquam Christianum esse licerer, tamquam Cbristo addictos, variis, & exquisitis generibus suppliciorum affecit. Cæterum quantâ ille animi impotentiâ, & crudelitate ejusmodi imperium exercuerit, præstat, ut ipsum scribenrem, qui interfuit, Tacitum audiamus: *Incendium*, inquit, *fortè, an dolo Principis conflatum fuerit, in incerto fuit, eo certè tempore Antii agens Nero, non ante in Urbem regressus est, quàm domus ejus, qua Palatium, & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret; subsidia verò omnia in irritum ceciderunt, quia pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis Ur-* C *be inisse eum domesticam scænam, & cecinisse Troianum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimulantem, videbaturque Nero condendæ Urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere. Ut autem rumorem aboleret, quo jussum incendium credebatur, subdidit reos, & exquisitissimis suppliciis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor ejus nominis Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque inpræsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Judæam originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quò cuncta undique atrocia, ac pudenda confluunt,* D *celebrabatur. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine, quàm odio humani generis convicti sunt; et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens.* Hæc Tacitus. Incendium porrò, ut ille scribit, cœpit XIIII. Kal. Sextiles, ex quo per reliquum inde anni in Christianos Romæ sævitum esse licet existimare. Cæterùm quoniam horum E martyriorum sæpè nobis est memoria celebranda, non ignorandum est, ejusmodi animadversionis hanc ferme rationem fuisse; qui tamquam Christiani ad Magistratum deferebantur, ferme in conspectum ejus adducti, num Christiani essent, & quando esse cœpissent? interrogabantur; si verò se esse negasseot, ac jussi ad immolationem se retulissent, ferme nullo negotio sola inficiatione liberabantur; sin contra fassi fuissent, tum primùm blandioribus, deinde ferocioribus verbis ad senrentiam depooendam, & veterem immolandi consuetudinem repetendam invitabantur. Quo facto facilè

quo-

A. Chr. LXV.

A quoque veniam præteritorum nanciſcebantur; ſin autem, ut plerique, minis contemptis, egregiæ confeſſionis conſtantiam tenuiſſent, tum illos in equuleum more Romanorum tollebant, atque illo uſque ad quintum foramen deducto, omnes artuum compagines fœdiſſimè divellebant; non quidem, ut eos morte afficerent, ſed ut atrocitate ipſa doloris ad Chriſtum deteſtandum adigerent. Quòd ſi torquendis membris propoſitum ſuum aſſequi nequiviſſent, tum eoſdem adhuc in cataſta ſuſpenſos, aut flagellis, fuſtibuſque cædebant, aut uncis, ſive ungulis laniabant, aut admotis candentibus laminis adurebant. Quos cruciatus, ſi B inanes adhuc, & parum ad eorum debellandam pertinaciam efficaces reperiſſent, inde ſe ad alia atque alia ſuppliciorum genera, pro cujuſque Judicis ingenio, ac libidine conferebant; nam & in carcere macerabant, & membra debilitabant, & faciem multabant, & corpus liquore fervido perfundebant, & lapidibus inceſſebant, & feris objiciebant, & in profluentem mergebant, & igne cremabant, & in crucem agebant, atque ultimo loco, cùm illi omnia deviciſſent, gladio detruncabant. Ferme autem evênit, ut quæ ſingula, vel ipſo tantùm nomine fortiſſimi cujuſque animum perculiſſent, ea univerſa, vel crebra ipſa perpeſſione eorum, qui intimis C pectoribus verè Chriſtum conceperant, ne terrere quidem mentes poſſent; ſiquidem non modò tormenta omnia oblata deſpiciebant, ſed ultro etiam appetebant, ac ſumma alacritate excipiebant, nec ſolùm ullo cruciatu patiendo Fidem non deſerebant, ſed in confeſſione ſemel ſuſcepta uſque ad extremum ſpiritum aſſiduè collaudantes Dominum permanebant; uſque adeò, ut non ſolùm tortores, ſed etiam tormenta ipſa magnitudine patientiæ fatigarent: ex quo omnibus apparebat, eos in ipſa humanitate ipſam prorſus humanitatem propter inſolitatam adversùs immania dolorum cruciamenta duritiem exuiſſe. Qui verò fer- D vente adversùs Chriſtianos inquiſitione palàm Chriſto navare operam non audebant, ii cryptas ingreſſi, occultè præſtitere, quæ, ut inquit S. Hieronymus in Ezechielem, *in profunda terra defoſſæ erant, raro lumine deſuper admiſſo horrorem tenebrarum temperante*. Atque hæc quidem hoc anno in Urbe. Hujus porrò perſecutionis meminit Tertullianus in Apologetico: *Conſulite*, inquit, *veſtros commentarios, illic reperietis Neronem primum in hanc Sectam tum maximè Romæ orientem Cæſariano gladio ferociſſe*. Et Sulpicius in Sacra Hiſtoria: *Interea jam abundante Chriſtianorum multitudine accidit, ut Roma incendio conflagraret, cujus rei Nero vertit invidiam in Chriſtianos, actæque in innoxios crudeliſſimæ quæſtiones. Hoc initio in Chriſtianos ſæviri cœptum; poſt etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propoſitis Chriſtianum eſſe non licebat*. E

LXVI. Poſtero verò cùm idem Nero ſævum in Provincias edictum miſiſſet, parem ibi quoque tumultum, ac conſternationem excivit, Proconſulibus non minus fœdè in Provinciis, atque ille in Urbe, quæſtiones ejuſmodi exercentibus; unde ſcripſit Oroſius: *Primus Nero Chriſtianos ſuppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari*

A. Chr. LXVI.

A *perſecutione excruciari imperavit*. Verùm licèt ubique in eos, qui Chriſtum non ſolùm prædicarent, ſed etiam faterentur, duriſſimè conſuleretur, tamen æſtimari non poteſt quàm multi, & quanta animi, ut dixi, fortitudine, & conſtantia vim omnem tormentorum exceperint; ex quo Eccleſiæ Sanctorum Martyrum numerus ingens accrevit. Inter quos Apollinaris Ravennæ, Torpes Piſis, Nazarius Mediolani, Thecla Iconii, & Andreas Apoſtolus Patris inſignes fuere. Nam cùm Apollinaris nuper ex Æmilia reverſus Rufi Patricii filiam, quam à mortuis excitarat, unà cum matre, & tota familia expiaſſet, ac præterea virgi- B nem conſecraſſet, Ruſo patre, metu Cæſaris occultè omnia, quæ illi erant neceſſaria, miniſtrante, ea re permotus Cæſar, ſucceſſorem ei Meſſalinum Vicarium miſit, negocio dato, ut Apollinarem omnino aut ſacrificare, aut in exilium ire compelleret. Quod præceptum Meſſalinus diligenter explevit. Nam Apollinarem ad ſe adductum, cùm Chriſtum conſtantiſſimè fateretur, primò tortum acerrimè verberavit, deinde nihil de fortitudine remittentem fervidâ aquâ perfudit, & os ſaxo contudit; quam acerbitatem ut Chriſtiani viderunt, adversùs Gentiles concitati, ampliùs ducentos interemerunt. Meſſalinus C autem populi tumultum devitans, Apollinarem juſſit in carcerem condi, atque in ligno extendi, alimentis omnibus, ut inediâ conficeret, interdictis. Poſt quartum autem diem, ut adhuc vivere ſenſit, catenis implicitum, in exilium miſit. Apollinaris, tribus Clericis comitantibus, & Eccleſiâ Presbyteris, ac Diaconis commendatâ abiit, ac mari tempeſtatem ſæviſſimam paſſus, ipſe cum Clericis ſuis, & militibus duobus, quos poſtea Fide imbutos tinxit, evaſit incolumis, ac per tres deinde annos in Illyrico variâ fortunâ prædicans Evangelium manſit. Atque hæc quidem ex vita Apollinaris, quam etiam Beda legiſſe, & probare D videtur. De reliquis autem ſic ille ſcribit: *Torpes magnus in officio Neronis fuit, & à Beato Antonio Presbytero baptizatus, & in Chriſti Fide eruditus. Hunc cùm cognoviſſet Nero Chriſtianum eſſe, tradidit eum cuidam propinquo ſuo Satellico, ut impelleret eum ſacrificare, ſed cùm Spiritu Dei confirmatus, ſuſcepta in ſententia permaneret, curavit Satellicus, ut alaphis cæderetur, & ad columnam ligatus tamdiu verberibus afficeretur, quouſque ſanguis guttatim de corpore ipſius deflueret, ſed ſubitò dum cæderetur, columna cadens oppreſſit Judicem, & quinquaginta cum eo; inde in rotam impulſus, tum feris objectus, à filio Satellici nomine Silvio ad extremum extra oppidum Piſarum in Tuſcia* E *ductus, detruncatione capitis martyrio finem impoſuit III. Kal. Maji. Hujus corpus miniſtri ſceleris impoſuerunt fractæ & carioſæ navi, cum quo ſimul canem, & gallum projecerunt in profluentem; apparens autem Angelus Domini cuidam venerabili fœminæ, nomine Celerinæ, monuit, ut perquireret Sancti Martyris corpus, & ſepeliret. Quod inventum cum omni reverentia ſepelivit, & de facultatibus ſuis, ceſſante perſecutione, Eccleſiam ſupra conſtruxit. Agitur feſtivitas Martyris, & conventus Civium XVI. Kal. Junii. Hujus verò paſſionem videns Evellius, & mi-*

ra

ra opera ejus, credidit Christo, cùm antea fuisset Neroni consiliarius quemadmodum Christiani occiderentur, & V. Idus Maji passus est. At verò pridie Idus Junias Mediolani Anullinus ax adicto Neronis Nazarium diu primùm in carcera, quòd Idolorum cultum respueret, maceravit; ad extremum verò ipsum cum Sanctissimo puero Celso, quem idem educabat, gladio detruncavit. Quin etiam IX. Kal. Octobris Thecla virgo, quam Iconii Beatus Paulus instruxerat, à sponso propter repudiatas nuptias de Christi confessione delata, igni est tradita, deinde bestiis, ac serpentibus oblata, cùmque neutro modo damnum ullum cepisset, demum Seleuciæ duplicem coronam martyrii, & virginitatis adepta migravit ad Dominum; illud præ cæteris consequuta, ut quemadmodum Stephanus primus inter viros, sic ipsa prima intar mulieres, Christo testimonium passionis illustre præbuerit. De qua sic S. Ambrosius in secundo de Virginitate: *Thecla copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* De Andrea varò, sic consentiante Beda, vetus ejus narrat hystoria: Cùm Ægeas Achajæ Proconsul accepto Naronis adicto, Patras ingressus mandasset, ut Christiani cultum idolis tribuerent, Andreas, qui Macedoniam, & Græciam illustri jampridem prædicatione docuerat, pro officio se objecit, atque animum ejus ab ejusmodi abducere imperio instituit; cui Ægeas: *Tu ne es Andreas ille*, inquit, *qui jampridem Deorum templa evertere molitus, & superstitiosam illam sectam induit, quam nuper detectam Romani Principes exterminari jusserunt.* Ad quæ Andreas respondit: *Romani Principes adhuc non cognoverunt Jesum Filium Dei, venientem docuisse hæc idola non solùm non Deos, sed contra dæmonia teterrima, & generi hominum inimica habenda esse.* Tum Ægeas dixit: *Nescis, Jesum illum tuum hæc docentem à Judæis Cruci esse suffixum?* Inde verò excipiente Andrea, Jesum sponte Crucis supplicium subiisse, atque ipsum Crucis, nempe pro salute humana susceptæ, mysterium longa in primis, ac magnifica oratione ornante, subjecit: *Nisi tu de sententia ista decedes, ego te virgis cæsum Cruci huic, quam tantopere laudas, affigam*, ac demum in doctrina Evangelii tradenda perseverantem in carcerem conjici jussit. Quod ut populus sensit, repentè frequans accurrit, atque Ægeæ vim inferre, ut Andream emitteret, voluit; verùm Andreas inhibuit, populum per totam noctem docens, ut hæc, & majora quoque mala Christi studio sibi pertereoda putaret. Postridie flagellis innumeris verberatus iterum rogatus est, num tandem traditam de Christo doctrinam revocara, atque ita vitam redimere suam vellet? negans autem, & cruciatum ab illo sibi intantatum optare dicens, satellitibus ad crucifigendum est datus; cùm autem duceratur, populum conquerentem, virum justum, atque innocentam occidi, oravit, ne quam supplicio suo motam afferent, & cùm venisset ad locum, ubi parata Crux arat, *salve*, dixit, *Crux sanctissima, quæ ut ante Christi passionem terrori hominibus extitisti, sic nunc in eorum animis cælestem amorem accendis, rogo te, ut quemadmodum securo, ac læto ad te animo venio, sic tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui in te pependit.* Atque his dictis nudatum carnifices patibulo vinculis alligarunt, atque in sublime levarunt; cùm autem qui aderant ad viginti millia, hominem justum, ac pium indignè plecti clamarent, ille ita loqui cœpit: *Gratias ago Domino Jesu Christo, qui me tandem mandato suo perfunctum ex hoc excedere corpore voluit, ut per bonam confessionem perpetuam consequar misericordiam; vos verò hortor, ut in Verbo vobis tradito maneatis, docentes, & monentes alterutrum, ut & ipsi apud Deum meum in perpetuum habitetis, & promissa ejus recipiatis*, cui Christiani, qui aderant, magna voce *amen* responderunt. Cùm autam Andreas per diem, & noctem, quæ insequuta est, assiduà de Cruce populum esset affatus, populus ad Ægeam cucurrit, atque ut virum justum, & veritatem da Cruca per duos jam dies sinè mortis accessiona loquentem, inde deponeret, obsecravit. Quorum verbis permotus Ægeas eò iter intandit. Ut verò advantantam Andreas vidit, *quid ad me festinas*, inquit, *Ægeas? si, ut Fidem Christi addiscas, aditus tibi indulgentiæ patet; si, ut me dimittas, haud quaquam poteris. Jam enim ego me coram Domino meo sisto.* Cùmque carnifices primùm, deinde alii quoque nixi fuissent, repentà manus ita obtorpuerunt, ut attingere non potuerint. Itaque cùm precatus Christum esset, ne se ab impuro homina solvi permittaret, sed spiritum suum ad eum venire cupientem susciperet, statim splendore quasi cujusdam fulguris circumfusus axpiravit. Cujus aorpus Maximilla Matrona pridie Kal. Decembris deponandum, atque honorificè sepeliendum curavit. Eo tempore Simon Magus Romæ Christianorum calamitatis occasione usus, doctrinam suam nefariam adversùs Christum magna populi cum assensione, & gratia renovabat, nempe, ut inquit S. Augustinus in libro de Hæresibus: *Se in monte Syna Legem Moysi in patris persona Judæis dedisse tempore Tiberii, in filii persona putativè apparuisse; Christum autem nec venisse, nec à Judæis quidquam pertulisse*; atque hæc prima hæresis fuit, quæ Christianam Ecclesiam perturbarit. Petrus autam in Britannia divinitus monitus est, ut martyrii causà Romam rediret. Cui visioni ille continuò paruit, & cùm jam Nero duodecimum Imperii annum iniisset, ad Urbem in sordibus, & squallore propter cruciatus assiduos Christianorum jacentem accessit, ut scribit Metaphrastes in vita ajus: *Petrus, cùm longo tempore apud Britannos fuisset, & multas Gentes ad Fidem traxisset, angelicam aspexit visionem, quæ dicebat: Petre instat tempus tuæ resolutionis, & oportet te ire Romam, in qua cùm mortem per Crucem sustinueris, recipies mercedem justitiæ; cùm ergo propterea Deum glorificasset, & Ecclesias constituisset, Episcoposque creasset, duodecimo anno Neronis rursus Romam revertitur.* Hujus autem revelationis & ipse in secunda ad Ponticos epistola meminit, quam hoc tempore scripsit: *Justum autem arbitror*, inquit, *quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus, quod velox est depositio Tabernaculi mei,*

A Chr. LXVI.

mei, secundùm quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo operam, & frequenter habete vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis, & post Pauli etiam meminit his verbis: *& Domini nostri Jesu Christi longanimitatem salutem arbitramini, sicut & carissimus frater Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis*. Neque ita multo post eadem quoque visio Paulo in Asia apparuit, cui & ille pari ratione sibi obtemperandum putavit. De utroque testatur Athanasius in Apologia: *Petrus, qui ob metum Judæorum in latebris se habuit, & Paulus in sporta demissus, & ita fugiens, cùm audirent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem, sed potiùs cum gaudio abierunt*. Et Chrysostomus in laudem amborum: *Christus, qui dixit Petro, oportet te pati, de Paulo etiam dixit, quàm multa oporteret eum pati pro nomine suo*. Romam verò ubi Petrus advênit, statim eum Marcellus excepit, ut ipse epistolâ ad Nereum & Achillæum scriptâ ostendit. Cùm autem Simon Petrum magum, adhuc & corruptorem appellare insisteret, eam contumeliam diutiùs ferre Petrus non potuit, atque hominem sibi honesto divinæ virtutis certamine provocandum putavit. Itaque cùm casu nobilis quidam adolescens magna prosequente turba populi efferretur: *Age*, inquit, *ò Simon, virtutem nostram, de qua jampridem sine fine ullo contendimus, huic populo in hoc juvene à mortuis excitando probemus?* Simon accepit provocationem ea conditione, ut si ipse mortuum suscitasset, ille capite pœnas daret; atque assentiente populo extemplò cadaveri admotus dæmonum ope, ut paululum moveretur, effecit. Qua re conspecta Populus magna voce Simoni victoriam gratulatus est. Tum Petrus vix imperato silentio, inquit: *cavete Romani credatis, hunc puerum vivere; nam si vivit, loquatur, incedat, cibum capiat; si hoc facere non potest, præstigias meras has esse Simonis existimate*. Probante autem populo, Simon canem simulans inde se proripere voluit; verùm à populo retentus non potuit. Tum Petrus, sublatis in Cœlum oculis, dixit: *Domine Jesu Christe, qui nobis dixisti: In nomine meo dæmonia ejicite, infirmos curate, mortuos suscitate, excita puerum istum, ut omnis turba cognoscat, te esse Deum, nec alium præter te, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum*; atque his dictis subitò adolescens surrexit, & ad Petri pedes se abjiciens, Jesum se vidisse dixit, Angelis imperantem, ut se vitæ, Petri precibus, restituerent. Qua re conspecta populus majore quàm ante voce exclamare cœpit, unum esse Deum, quem Petrus prædicaret; Simonem autem fugam molientem occidere voluit; verùm Petrus prohibuit, affirmans se à Christo accepisse, ut bonum pro malo referret. Simon inde ad Marcellum quondam discipulum suum se contulit, putans illum nescire, quod actum esset, ac canem ingentem in aditu domus vinctum locavit, inquiens: *Experiri volo, num te hodie Petrus adierit*. Neque ita multo post accessit Petrus, ac signo Crucis facto, statim vincula canis laxavit, & dixit: *Abi Simonem, & mone, ut finem iniquitatis po-*

A Chr. LXVI.

puli faciat, pro quo sanguinem suum Christus effudit. Hoc cognito Marcellus Petro obviam prodiit, atque, illo recepto, Simonem eum cane exegit. Canis verò, jubente Petro, in dominum suum tanta se rabie intulit, ut & eum prostraverit, & vestes, illo inviolato, funditus laceraverit. Ita Simon cane, & populo persequente Urbe inglorius exiit, ac pudore confusus aliquandiu in obscuro loco delituit.

LXVII.

Sequenti verò anno cùm amicorum commendatione se in amicitiam Neronis insinuasset, auxilio ejus Petro comparavit insidias, quæ haud diu latêre Petrum potuerunt; nam à Deo per quietem his verbis est monitus: *Petre, Nero, & Simon insidias tibi tendunt, verùm bonum animum habe: ego tibi assistam, & socium Paulum adjungam, qui cras Urbem ingredietur, & ambo pariter post menses septem cum Simone certabitis, eoque superato ad me victores venietis*. Visionis verò hujus veritatem statim ipse exitus comprobavit; nam crastina die Paulus advênit; tum verò gratulatione inter se facta Apostoli ambo solitas de Fide amplectenda, & Cœlesti Regno quærendo conciones, sed privatis in locis, occultè habere cœperunt, in primisque castitatem in Cœlum tollere, omnem libidinem, atque intemperantiam, ut saluti æternæ contrariam, explodere perrexerunt; neque aut concitatâ incendii in Christianos invidiâ, aut ostentatis mortis, tormentorumque periculis apostolicum officium aliqua ratione deseruerunt. Quo pacto ingens vis hominum rursus ad Baptismum accipiendum accessit. Quod Hilarius contra Arrianos scriptum reliquit: *Apostoli nullis ad prædicandum Evangelium suffragiis usi sunt, neque edictis Regis Paulus, cùm in Theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat, Nerone patrocinante, cujus in nos odio confessio divinæ prædicationis efflorùit: illi manu, atque opere se alentes intra cœnacula, secretosque coëuntes vicos, & Castella, gentesque ferè omnes terra, ac mari contra Senatus consulta, ac Regum edicta peragrantes, claves credo Regni Cælorum non habebant, aut manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit, cùm tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur*. Tum verò Petrus præ metu Neronis in Crypta, quam cœmeterium Ostrianum vocabant, Baptismo impertiendo vacavit, ac Lucinam, & Plautillam matronas summo loco natas, unà cum Domitilla Plautillæ filia, & Nereo atque Achillæo eunuchis, qui omnes fermè post martyrio affecti sunt, tinxit, ut idem Marcellus asserit. Tum etiam martyrium uxoris Petri, & invaletudo Petronellæ filiæ contigisse videntur; martyrii testis est Clemens Alexandrinus libro Stromatum septimo: *Ajunt beatum Petrum, cùm vidisset uxorem suam duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocationem, & quòd domum reverteretur, valde autem exhortando, & consolando proprio nomine eam compellantem dixisse: Heus tu memento Domini*. De Petronella verò sic Marcellus in iisdem literis: *Petronellam probè nostis voluntate Petri Apostoli clinicam factam; meministis enim, interfuisse vos, cùm permulti ejus discipuli apud illum ederemus, & Titus diceret ad eum: Quando omnes à te curantur,*

H ** cur

cur Petronellam pateris ex paralysi decumbere? cui Petrus respondit: sic enim ei expedit; ne quis tamen putet, me his verbis indicare voluisse, fieri non posse, ut sanetur, volo ut surgat, & ministret nobis, & mox illa surrexit incolumis; expleto autem ministerio, jussit eam Apostolus redire ad lectum suum: postquam autem in Dei timore cœpit esse perfecta, non modò ipsa curata est, sed etiam permultis aliis suis precibus obtinuit sanitatem. Interim Simon prope actam esse auctoritatem, & gloriam suam ratus, quam apud populum quondam pepererat, nisi ultima artis suæ ad ostendendam Divinitatem exprimeret, ac Petrum novo certamine provocaret, die quodam, plurimis audientibus, cùm & ipse Petrus adesset in Theatro, professus est, se tamquam Christum in Cœlum ad Patrem evolaturum, atque ei rei proximum diem Dominicum populo ad fidem capiendam indixit. Universa erecta in tam novum spectaculum civitate, Petrus occurrendum multorum jam in Fide labantium periculo arbitratus, pridie, qui dies erat Sabbathi, totum se jejunio tradidit, orans Deum, ne pateretur, tam fœdam Ecclesiæ suæ labem, atque offensionem offerri, unde post jejunandi in Sabbatho consuetudo ex multorum opinione permansit. Postridie verò cùm frequens populus in Capitolium acti visendi studio convenisset, ecce Simon per mediam Urbem curru igneo vectus, teste Epiphanio, venit, atque in rupe Tarpeja præsedit; neque ita multo post omnibus in eventum tantæ novitatis expectatione suspensis, in sublime à duobus dæmonibus est sublatus, testans se in Cœlum ire, atque inde bona præbiturum mortalibus esse. Stupentibus autem plerisque, ac dicentibus sinè dubio Dei, non hominis hanc esse potentiam, nec Christum quidquam ejusmodi peregisse, Petrus, qui unà cum Paulo intererat, plurimùm ea re perturbatus extemplo genua posuit, ac supplex orare Christum cœpit, ut ostenderet inanes Simonis artes esse, ne populus, qui crediturus esset, inani illa specie falleretur; verùm hominem sic deturbaret, ut se nihil potuisse vivens agnosceret; quibus vocibus editis statim ad Christi invocationem dæmones abierunt, ac Simonem fluctuantem in aere reliquerunt. Itaque destitutus è vestigio præceps decubuit, ac cadens crura miserè saxis illisit. Ea de re omnes, qui aderant, stuporem à Simone in Petrum verterunt, una voce consentientes, verum esse Deum, quem Petrus assereret. Ablatus inde Ariciam Simon desperatione simul, ac pudore confusus, ultro se se ex eminentissima turri dejecit. De hoc tam mirando opere scriptum est præcipuè apud Sanctum Augustinum in Sermonibus. *Hodierno die*, inquit, *beati Apostoli sanguinem profuderunt, sed videamus causam, quare ista perpessi sunt: scilicet quòd inter cætera mirabilia etiam Simonem Magum illum orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostraverint. Cùm enim Simon se Christum diceret, & tamquam Christum ad Patrem assereret se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem, nam velut vinctum eum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens, ejus crura confregit; sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd Magus iste, præsente Apostolo, per aerem aliquandiu volitaverit, hoc patientia Petri fecit; voluit enim in excelsum levari à conspectu omnium, ut ruentem illum de excelsa omnium perviderent oculi.* Item apud Sulpicium: *Tunc illustris illa adversùs Simonem Petri & Pauli congressio fuit, qui cùm magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante, disruptus est*; & apud Arnobium: *Viderunt Romani currum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse viderunt sidentem Deis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo cruribus jacuisse perfractis, post deinde perlatum Brundam cruciatibus, ac pudore defessum ex altissimi culminis se rursus præcipitasse fastigio.* Quod autem dixi de jejunio propterea in Sabbatho instituto, id est non solùm apud Cassianum, sed etiam apud S. Augustinum his verbis in Epistola octogesima scriptum: *Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam plerique falsam perhibeant, quòd Apostolus Petrus Romæ cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipsum magnæ tentationis periculum, cum ejusdem Urbis Ecclesia jejunaverit, & consequuto tam prospero, gloriosoque successu eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ occidentales Ecclesiæ.* Cæterùm divina Apostolorum virtus in eludenda Simonis divinitate monstrata, ut ingentem eis gloriam attulit, sic non minimum quoque incommodum importavit, nam ex ea re in offensionem incidêre Neronis: quare simul quotidiana eorum, quam contra edicta sua celebrari audiebat, prædicatione accensus, ipsos Paulino Magistro officiorum tradidit, qui eos statim comprehendi, ac catena vinctos in carcerem Mamertini conjici jussit, qui nunc propterea quoque magna populi Romani veneratione sub radicibus Capitolii visitur. Ibi verò cùm ita tenerentur, ut & amicos, & cæteros ad se adeuntes excipere, atque appellare liberè possent, haud quaquam interim omiserunt, quin omnes de Fide instruere pergerent, quorum colloquii copiam, & congressus haberent; præcipuè autem multos è familia Neronis ad Fidem suscipiendam induxerunt: siquidem S. Hieronymus in Epistolam ad Philemonem scripsit: *Paulus à Cæsare missus in carcerem notior ejus familiæ factus, persecutoris domum Christi Ecclesiam reddidit.* Dum autem Apostoli in carcere inclusi manserunt, non defuere interim, qui extra carcerem munus Evangelicæ sibi prædicationis asciscerent; verùm non eadem de causa omnes, nam alios certa spes Apostolorum incolumitatis adduxit, alios invidia acuit, alios egregia erga Christum voluntas, quosdam etiam summus caritatis ardor incendit; fuere quoque, qui parum sincero animo ad id muneris accesserunt, invidiam conflare ipsis Pauli vinculis cupientes. Quæ dum illi faciunt, interim Paulus multas ad amicos literas misit, certiores eos de vinculis suis faciens, & Fidem eorum curæ sibi esse ostendens, simulque petens, ut pro salute sua orarent,

quin

A.Chr. LXVII. quam brevì se consequuturum speraret; quarum epistolarum sententias aliquot, quæ huic tempori lucis afferre aliquid possent, huic historiæ intexere non gravabor. Primùm autem scripsit ad Philippenses, Timotheum discipulum suum brevi se ad eos missurum nuncians: *Scire vos volo*, inquit, *fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, itaut vincula mea manifesta fierent in Christo, in toto Prætorio, & in cæteris omnibus, ut plures è fratribus in Domino confidentes in vinculis meis auderent sinè timore verbum Dei loqui. Quidam quidem, & propter invidiam, & contentionem; quidam autem, & propter bonam voluntatem Christum prædicant; & quidam ex caritate, scientes quoniam in defensione Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincerè existimantes pressuram se suscitare in vinculis meis. Quid enim? dum omni modo per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*; & paullo post: *& hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium Fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo, in me per meum adventum iterum ad vos*; & statim: *vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me*. Ex quibus verbis apparet, tum Philippenses quoque persecutionis incommodo divexatos; & post: *spero in Domino Jesu, Timotheum me citò mittere ad vos, ut ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt; confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò; necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ mittere ad vos, quoniam quidem vos omnes desiderabat, & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum; nam & infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus verùm etiam & mei, ne mœstitiam super mœstitiam haberem. Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de domo Cæsaris sunt*.

LXVIII. Inde procedente jam altero, ut opinor, anno, dimisso Timotheo, scripsit ad Hebræos, inquiens: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos. Salutant vos de Italia fratres*. Scripsit etiam ad Philemonem, se senem, & vinctum appellans, & Onesimum se remisisse ad eum, nuncians: *Propter caritatem magis obsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc & vinctus Jesu Christi, obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem & tibi, & mihi utilis, quem remisi tibi; tu autem illum, ut viscera mea suscipe, quem ego volueram mecum detinere, utpote mihi ministraret in vinculis Evangelii; simul etiam & para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adjutores mei*. Item eodem argumento scripsit ad Colossenses Phrygiæ Populos, Tychicum se ad eos misisse docens, qui eos de statu suo commonefaceret, & cum Onesimo fratre consolaretur, qui apud

A eos agebat: *Quæ circa me sunt*, inquit, *omnia nota vobis faciet Tychicus carissimus frater, & minister, & conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum Onesimo carissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus, qui dicitur Justus, qui sunt ex Circumcisione. Hi soli sunt adjutores mei in Regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, Lucas Medicus carissimus, & Demas; memores estote vinculorum meorum*. Item ad Ephesios, Tychicum item se misisse ad eos nuncians: *Orate pro me,*
B *ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena, itaut in ipso audeam, prout oportet, me loqui. Ut autem & vos sciatis, quæ circa me sunt, quid agam; omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra*. Eodem anno mense Majo mors Petronellæ Petri filiæ incidit, ut Marcellus loco supra commemorato notavit: *Cùm virgo*, inquit, *præstantis formæ corporis esset, Flaccus Comes ad eam cum militibus suis venit, sibi conjugem asciturus*. Cui illa: *Itane*
C *ad puellam inermem cum armato milite venis? si me vis habere conjugem, da operam, ut matronæ, & virgines honestæ post triduum ad me veniant, ut ego cum illis pariter accedam ad tuas*. Interim sancta virgo jejuniis, & orationibus vacavit, habens apud se sanctam virginem Feliculam in Dei amore perfectam: tertio inde die venit ad eam Nicomedes Presbyter, & Christi mysteria celebravit; cùmque virgo Christi Sacramentum accepisset, reclinans se in lectulum, emisit spiritum. Matronæ autem, & virgines, quas Flaccus ad eam miserat, funeris ejus exequias celebrarunt. Tum Flaccus animo in Feliculam traducto,
D dixit ei: *Aut tu mihi nube, aut Diis sacrifica*. Cui respondit Felicula: *Nec uxor tua ero, quia Christo sacrata sum; nec Idolis immolabo, quia Christiana sum*. Quare Flaccus correptam illam in obscuro quodam cubiculo clausit, ubi prope inedia est confecta. Ibi custodum uxores eam sic appellarunt: *Cur mavis tetram mortem oppetere, quàm virum hunc nobilem, divitem, formosum, ætate florentem, Imperatoris amicum, & Comitem sumere?* Quibus illa nihil aliud respondit, nisi se Christi virginem esse, nec præter eum sponsum alium habituram; inde in eculeum sublata dixit: *Jam incipio videre Christum, in quem totus amor meus*
E *defixus est*. Cùmque nullis tormentis adigi potuisset, ut Christum negaret, eum ab eculeo deposita, in cloacam projecta est. Nicomedes autem Presbyter in spelunca degens, clam corpus ejus avexit; & septimo lapide ab Urbe Roma viâ Ardeatinâ sepulturæ mandavit. Hoc verò ubi Flaccus cognovit, Nicomedem comprehendi, & duci ad sacrificandum jussit, & cùm diceret: *si non sacrificare Diis lapideis*, plumbatis diutissimè cæsum vitâ privavit. Corpus ejus in Tiberim projectum Justus Clericus ejus collegit, & ad hortulum suum viâ Nomentanâ transtulit, atque ibi recondidit.

A.Chr. LXVIII.

A didit. In Martyrologiis Petronellæ commemoratio pridie Kal. Junias, Feliculæ Idibus Junias, Nicomedis XVII. Kal. Octobris celebratur. Post novem autem menses, quàm Apostoli in carcere erant, mense Junio res incidit, quæ illis vitam ademit. Nam cùm sacram ibi prædicationem in omnium ad se adeuntium auribus inserere non desinerent, libero ore depravatos, ac perditos Civitatis mores accusantes, ac simul impuram quoque ipsius Neronis vitam non obscurissime perstringentes, ac libidinem in primis passim in Urbe grassantem exagitantes, ac prædicationem porrò suam multis mirandis operibus confirmantes, factum est, ut Pe-
B tri cohortatione concubinæ Agrippæ Præfecti Urbis quatuor, Pauli verò, pellex una, & pincerna Neronis ab illis ad Christi Fidem, & disciplinam se contulerint. Quod idem quoque Processus & Martinianus, duo ex militibus, qui carcerem asservabant, fecerunt; quippe insignia Apostolorum opera admirati, dixerunt: *Nonus jam agitur mensis, quo hic inclusi estis, pro certo autem habere debetis, Neronem jam vestri prorsus memoriam abjecisse; quare si nos aquâ istâ tingere vultis, liberum vobis hinc exitum concedemus.* Quibus Apostoli dixerunt: *Si credere in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vultis, vestræ morem volun-*
C *tati geremus.* Quod ubi qui in custodia tenebantur, audierunt, simul clamare cœperunt: *Date nobis aquam, quia propter sitim fauces nobis exaruerunt.* Quibus Petrus: *Credite in Sanctam Trinitatem, & omnia suppetent vobis.* Tum omnes projicientes se ad pedes Apostolorum petierunt, ut aquam Baptismi concederent. Quare Petrus unà cum Paulo divina supplicatione defunctus signo Crucis aquam ex carceris ipsius saxo expressit, atque omnes, qui erant quadraginta septem, unà cum Processo & Martiniano tinxit, ut in eorum vita, Beda confirmante, est scriptum. Nero autem & Agrippa deliciis se spoliatos suis, iniquissimo
D animo patientes, mox omni ope tentarunt, ut Apostoli revocata continentiæ laude scorta & sibi, & vitæ pristinæ restituerent. Quod ubi minis adhibitis impetrare non potuerunt; tum demum de nece illorum cogitare cœperunt. Atque hæc quidem non solùm apud Linum, sed etiam apud Chrysostomum scripta sunt, primùm in libro de profectu Evangelii: *Nero*, inquit, *dormientibus omnibus omnium bona diripiebat, nuptias invadebat, domos subvertebat, nullum sceleris genus prætermittebat; postquam verò S. Paulum vidit afferre sermonem doctrinæ, quo sua reprehendebatur iniquitas, quo omnia facere licenter posset, curavit, ut extinguere-*
E *tur prædicatio, & interficeretur magister; itaque vinctum conjecit in carcerem;* deinde in oratione contra vituperatores Monachorum: *Neronem*, inquit, *omnino famâ audistis; fuit enim homo insignis libidine, qui primus & solus invenit in tali imperio novos intemperantiæ, & turpitudinis modos. Hic ergo B. Paulum eo modo criminans, quo vos nunc hos sanctos viros Monachos (ejus enim pellici valde dilectæ persuaserat, ut simul acciperet verbum Fidei, & liberaretur ab immunda illa congressione;) hoc modo, inquam, ille criminans, corruptoremque, & seductorem, & ea, quæ vos perstrepitis, Paulum*

A *vocans, vinctum in carcerem tradidit; & postquam non persuasit, ut puellam dedoceret, tandem caput ei amputavit;* & in secundam ad Timotheum: *Paulus in odium Neronis incurrit, quòd quendam ex familiaribus ejus Fidei aggregavit,* item: *Neroni jam astiterat Paulus, & illæsus abierat; ubi verò Pincernam ejus instituit, ac Fidei Sacramentis instruxit, tum jam capite truncavit.* Hac igitur de causa Paulus in majoribus vitæ angustiis positus, & jam prope de salute desperans, secundam ad Timotheum discipulum epistolam scripsit, in qua eum primùm ad excitandam sinè timore Evangelii prædicationem accendit, deinde de suis ærumnis,
B in quas post profectionem ejus inciderat, docuit; sic enim scripsit: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus. In Evangelio positus sum prædicator, & Apostolus, & Magister Gentium, ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scis quòd aversi sunt à me omnes Asiani, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, & invênit; det illi Dominus invenire misericordiam à Deo in illa die, &*
C *quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David secundùm Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum; ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur. Tu vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto; ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Festina ad me venire citò; Demas enim me reliquit, di-*
D *ligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam; Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam; Lucas est mecum solus. Marcum assume & adduc tecum, est enim mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, ac confortavit me, ut per me prædicatio impleta sit, & audierint omnes Gentes, ac liberatus sum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo, & salvum faciet in Regnum suum cœleste, cui gloria in sæcu-*
E *la sæculorum, amen. Saluta Priscillam, & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem infirmum reliqui Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* Accidit interim, ut Petro decus ipsum castimoniæ in cœlum ferre perseverante; Matrona quædam Xantippe laudis ejus studio inflammata à thoro Albini mariti, viri in Urbe primarii, se removerit. Qua re cognita Agrippa, qui honestiorem aliquam perdendi Petri causam jampridem offensus quærebat, Albino ipso adjuvante, Senatum

compulit, ut perniciosam esse moribus Civitatis, & statui Reipublicæ apostolicam ejusmodi de tuenda castitate doctrinam statueret, atque ita ejus auctoritate tumultum adversùs Apostolum in Urbe maximum concitavit. Marcellus autem Petri discipulus, de his rebus, quæ movebantur à Xantippe, edoctus, extemplo cum fratribus ipsum convênit, atque imminenti periculo demonstrato, communi omnium nomine, ut paulisper Urbe cederet, & ardentem Principum iram declinaret, oravit; quibus Petrus respondit: *Non oportet, fratres, fugere propter Christum ærumnas, cùm ipse propter nostram salutem ultro se supplicio mortis objecerit*. Tum illi: *Atqui si tua causa*, inquiunt, *periculum declinare mortis in animum non inducis, at saltem eorum rationem habe, quos rudes adhuc in Fide inter tot infidelium turbines solos destituis; & si pro vita eorum paratus es, ut sæpe ostendisti, mortem oppetere, nunc pro confirmatione eorumdem, patere te in vita manere*. Inde adolescentes, quos ille in Fidei, & castimoniæ cultu educarat, imis obsecrare precibus institerunt, ne se morsibus luporum immanissimorum objiceret; quo adhuc reluctante, ad extremum Matronæ quoque cinere conspersæ, ac lachrymarum plenæ excipientes obtestari cœperunt, ut parcere sibi vellet; sic enim posse eum simul & Domino ministrare, & reservatam sibi coronæ gloriam expectare. Quibus dictis custodes etiam carceris Processus & Martinianus adjecerunt, ut in auctoritate amicorum fideliter suadentium esset, ac per se quoquò vellet, abiret. Ita Petrus tanto fidelium consensu, ac tam enixis familiarium precibus expugnatus, eorum voluntati, & consilio paruit, ac sequenti nocte post celebratam orationem, salutatis fratribus, solus discessit; ut autem portæ Appiæ limine pedem extulit, continuò Christum obvium habuit, quem, ut vidit, ingenti horrore perfusus, statim procidens adoravit, ac protinus quærere de illo instituit: *Domine quò vadis?* Cui ille: *Venio Romam, ut iterum crucifigar*. Tum Petrus mirabundus, *an igitur*, inquit ipse, *iterum crucifigeris?* Cui Christus, *etiam*. Tum Petrus: *Atqui ego in Urbem revertar, & te sequar*, ac momento temporis Christus evanuit. Petrus autem resipiscens intellexit, vocem Christi nihil aliud, quàm ad sui supplicium pertinere: itaque Urbe cum gaudio repetita, fratribus, & quod evenerat enarravit, & passionem instare suam ostendit. Hæc autem à Lino, ita ut diximus, exarata, post etiam à S. Ambrosio confirmata sunt in Sermonibus: *Petrus*, inquit, *post victum Simonem, cùm præcepta Dei Populo seminaret, ac doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium, quibus eum occidere quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet; & quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi deprecantis, inflexus est; rogabant enim, ut ad instituendum, & confirmandum populum se reservaret; quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Urbemque ingredi, ait: Domine quò venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam Crucem divinum pertinere responsum; itaque sponte remeavit; interrogantibus Christianis, responsum reddidit, statimque correptus est*. Hæc ille, locum inde hujus occursus Christiani Sacello in Appia via constructo signarunt. Quod ego nuper cùm Romam ad sacra hæc mandata accipienda venissem, à Gregorio XIII. Pontifice, omnium veterum ejusmodi monumentorum instauratore, ad retinendam priscam populi Religionem renovatum studiosè invisi. Cæterùm ubi fideles Petri cruciatum instare Dei voluntate senserunt, tristes, ac mœsti, ut seipsos in extremo saltem respiceret, & sermone aliquo confirmaret, oraverunt. Quibus ille satisfecit, ac protinus multa ad eorum animos instruendos, & in Fide, ac caritate corroborandos disseruit. Quibus peroratis Clementem Presbyterum, qui aderat, successorem in eo munere sibi substituit, ita inquiens: *Quoniam sicut didici à Domino & magistro meo Jesu Christo, dies meæ passionis impendet, Clementi huic sedem meæ prædicationis, & doctrinæ concedo, qui mihi perpetuus comes fuit, ac propterea rationem totius meæ peregrinationis perspexit, viro in primis Deum colenti, homini diligenti, casto, sobrio, justo, patienti, & in ferendis etiam eorum, qui in verbo Domini instruuntur, injuriis erudito. Quamobrem illi trado omnem delatam mihi à Domino potestatem ligandi, & solvendi, ut quæcumque decreverit in terris, eadem decreta sint in cœlis*. Et cùm hæc dixisset, manus ei imposuit, eumque sua in Cathedra collocavit, docens quemadmodum Ecclesiam sibi commissam administraret; quod à Lino, Damaso, & Tertulliano, ne quid dicam de iis scriptis, quæ Clementis, & Abdiæ nomine circumferuntur, literis consignatum est. Hæc autem dum inter fideles aguntur, ecce satellites Agrippæ ipsum, ut inquit Linus, quærentes, superveniunt, atque correptum ad Agrippam, ut jussi erant, adducunt. Agrippa vero, ut eum conspexit, irâ fervidus cum alia quædam inania, tum præcipuè quòd prædicatione sua uxores à viris sejungeret, & leges, moresque Romanorum dissolveret, objectavit, atque acerbissimos mortis cruciatus, nisi semet revocaret, intendit. Cui Petrus ita respondit, ut & Disciplinæ Christianæ sanctitatem defenderit, & miram fortitudinem in atrocissimo quoque, quod intentabatur, pro Christo supplicio subeundo præstiterit, quòd in una Cruce Domini sui Jesu Christi gloriaretur. Quod ut Agrippa audivit, tum ira majore incensus: *si Cruce Christi gloriaris*, inquit, *ergo & tu crucifigêris, ut ille*. Cui Petrus: *non recuso ipsum Crucis supplicium, quo Dominus meus affectus est; immo summi beneficii atque honoris loco duco, dummodo non ut ille erecto capite, sed depresso affigar; neque enim fas est servum Domino, & hominem vilissimum Cœli Principi adæquare*. Tum Agrippa: *Atqui libenter mos tibi geretur*, inde illum, sive communicato, sive non communicato (utrumque enim traditur) cum Nerone consilio, patibuli tormento addixit. Cæterùm edicto hujusmodi divulgato, confestim ingens Populi multitudo concurrit, quæ hominis integritate atque innocentia collaudata, se paratam esse illius insontis caput propugnare ostendit. Petrus autem cùm seditionem ingentem instare videret, silentio Plebi manu indicto, dixit: *Oro vos, fratres, ne me ire*

properantem ad Dominum retardetis; verùm æquo animo dum hostiam illi cum hilaritate offeram expectetis. Quibus verbis Christiani placari ægrè à Præfecto manus abstinuerunt; ita sedato tumultu, extra Urbem ab apparitoribus ductus est in montem Vaticinum ad Naumachiam. Eò verò ubi advenit, Crucem paratam intuens, sic populum, qui se prosequutus fuerat, atque iterum pro illo pugnare dolore mortis ejus ardens cupiebat, appellavit: *Viri Romani, qui in Christum creditis, & in illo solo spem vestram defixam habetis, nolite angi animo, & laborare propter me, neque oblationem meam impedire, neque adversùs Agrippam sævire, ille enim minister est imperii, nam damnationis meæ auctor est diabolus, Dei abutens permissione, quia ægrè fert vasa contumeliæ per me sibi erepta esse, ac facta esse diversoria continentiæ, templa Christi, domicilia honoris, & gratiæ. Quare voluntati Dei obtemperate, à quo monitus sum, me ejusmodi supplicium perpessurum; mementote autem signorum, ac prodigiorum, quæ in ejus nomine vobis inspectantibus edidi, nam propterea multorum morbos curavi, ut omnium animæ sanarentur, mortua corpora suscitavi, ut animæ mortuæ reviviscerent. Valete igitur, & quæ à me audistis, firmissimè custodite.* Inde accedens ad crucem, præclara quædam alia de Crucis dignitate, in qua Dominus Mundi mortem oppetiit, atque inde lictores, ut lege agerent, & se cruci suffigerent, monuit. Quo facto, indeflentem populum de ligno appellans, atque consolans divina quædam alia de sacrosancto ipsius Crucis erga homines beneficio docuit, in qua cum Corpore Domini mors ipsa suffixa, & Mundus peccati vinculis absolutus fuisset; & cùm gratias Christo ingentes egisset, quòd cum omnia, tum demum semetipsum sibi totum exhibuisset, ad extremum dixit: *Commendo ergo tibi Domine oves, quas mihi pascendas attribuisti, tu eas in ovile tuum congrega, & conserva, quia tu es ostium, tu ovile, tu ostiarius, tu pastor, & æterna refectio, tibi gloria cum Patre, & Spiritu Sancto nunc, & in omnia sæcula sæculorum*, & cùm plebs vocibus fletu intermistis, *Amen* dixisset, spiritum edidit. Quod ubi discipulus ejus Marcellus animadvertit, subitò corpus ejus ex cruce detraxit, ac pretiosis aromatibus conditum in sepulchro suo Vaticano juxta viam Triumphalem reposuit. Uterque locus, & ubi occisus, & ubi sepultus Petrus fuit, ornatissimis post Templis Apostolo ipsi dicatis hodie quoque magna fidelium religione, ac reverentia colitur. Hæc III. Kal. Julias acta. Marcello inde ad sepulchrum Apostoli excubanti, atque uberiùs ardenti magistri desiderio flenti, Petrus ipse se obtulit, atque ita dixit: *Marcelle noli lugere mortuum, memor præcepti Christi; qui dixit: SINE MORTUOS SEPELIRE MORTUOS SUOS, ne quasi mortuus videaris mortuum sepelisse, verùm tanquam vivus viventi, & gaudenti magna hilaritate animi gratulare, & quæ ex me didicisti, vade, & Regnum Dei annuncia.* Quod Marcellus audiens, lachrymas abstersit, atque Apostoli mandatum exhausit, atque ita ope S. Petri fides credentium adolevit. Ex altera parte eodem quoque die Nero Paulum ad se adduci jussum diligenter de ratione disciplinæ suæ rogare, ac criminosis in eum nominibus invehi cœpit, ut qui mores, legesque Romanorum perverteret, & Rempublicam Romanam sua prædicatione turbaret, ac mortem, nisi doctrinam ejusmodi commutaret, intendit. Cui Paulus constanti animo, ac firmo vultu respondit: *Disciplina, quam ego trado, non solùm recta, sed etiam divina est, ut quæ à Domino Jesu Christo Deo præcepta sit; quod verò cum mortis comminatione imperas, ut prædicationem dimittam, & puellam à suscepto vitæ instituto reducam, nam incassum agis; neque ego potestatem imperii tui pertimesco; nam corpus tu quidem meum vincere potes, at verbum Domini nequaquam; tu verò cave existimes, te hujus sæculi opibus, ac gloria salvum fore, sed si ea spreveris, tum demum salutem perpetuam adepturum existima; nam cùm Christus ad judicandos vivos, & mortuos veniet, & hanc Mundi machinam igne dissolvet, tum æterna cuique pro cujusque meritis tribuet. Erat autem*, inquit Chrysostomus in secundam ad Timotheum, *novum, ac planè mirandum, intueri hominem, catenâ constrictum, & pannis obsitum tanta libertate Regem alloquentem, quanta Rex ipse ne vile quidem mancipium appellasset; qui quo sordidior, atque obsoletior erat, eo magis omnium in se oculos, atque animos rapiebat, quàm Rex ille purpuratus in tribunali celsissimo constitutus.* Nero autem postquam illum auctoritatem contemnere Imperatoris tanta animi fiducia sensit, multo majore iracundia inflammatus ex Senatus Consulto Paulum, tanquam Majestatis reum, ex Legibus Romanis capite multari præcepit, ac Centurionibus Longino, Megisto, & Acesto ad supplicium ducendum permisit. Unde scripsit Chrysostomus eodem in libro: *Inhibuit Nero, ne Paulus doctrinam pietatis disseminare præsumeret, ille obstitit dicens: NON CEDO; VERBUM ENIM DOMINI NON EST ALLIGATUM*; & in oratione de Monachis: *Nero postquam Paulo non persuasit, ut desisteret puellæ dare consilium, tandem caput ei amputari jussit.* Interim ministros per omnes Urbis partes Nero immani animi feritate dimiserat, qui è cryptis, aliisque occultis locis latitantes Christianos extraherent, ac vita extemplo exuerent. Quod cùm sævissimè per immissos satellites curaretur, ac tota in Urbe nihil aliud, nisi fœdus luctus, atque anceps trepidatio versaretur, nonnulli ex populo tantam stragem Civium aversati, globo facto, in Palatium irrupperunt, ac magna voce clamare cœperunt: *Pone modum, Cæsar, injustissimo Edicto tuo; nostri enim sunt, quos occidis; tibi militant, quos ad cruciatum conquiris; nervos Romani Imperii incidis, cùm tam multos bellatores ei adimis.* Quibus vocibus ille permotus, statim edixit, ne in quemquam Christianum animadverteretur, nisi accusatus, atque à Cæsare causâ cognitâ condemnatus fuisset. Quo audito Paulus ad eum illico ex via est reductus. Quem ut Nero longè prospexit: *Aufer*, inquit, *ac tollite perditum, ac maleficum hunc impostorem, ac Legum, Jurisque Romani violatorem, ac statim quod meruit homo nefarius, patiatur.* Quod verbum ut Paulus audivit: *Patiar equidem*, inquit, *modico tempore*

Nero,

Nero, sed vivam in perpetuum cum Deo meo, & Rege æterno Jesu Christo; tum Nero iratior: *Amputate illi extemplo caput, ut discat, neminem alium, quàm me, Regem invictum esse, qui illum & vinxi, & interfeci.* Tum Paulus: *atqui ut scias, me post mortem Regi meo invicto perpetuò vivere, te autem victum esse, qui te putas victoriam retulisse, cùm mihi abscissum caput fuerit, me tibi vivum ostendam, ut discas, mortem, & vitam Domino meo servire.* Atque his dictis inde ad supplicium ire perrexit. Ex quo apparet, verè ibidem Chrysostomum scripsisse, *Paulum catena vinctum, & carceris fœditate squallentem Agrippæ satellites, ac Neronem ipsum diadematum prostravisse.* Cùm autem in via Longinus, Megistus, & Acestus milites de illo quærere instituissent, quis, & qualis iste tandem Rex ejus esset, & quæ tanta venerantibus eum bona conferret, ut eos propterea ad mortem ultro oppetendam alliceret? subjecit Paulus, & longum sermonem de Fide, & gloria fidelibus præparata instituit; quo illos ita permovit, ut statim acri Baptismi cupiditate exarserint. Quæ dum ille ab circumfusa multitudine attentè auditus agit, ac moram supplicio aliquam interponit, ecce Parthemius & Phereta milites à Nerone Apostolicum plus justo sanguinem sitiente ad opus urgendum immissi adveniunt, quos ut Paulus prospexit: *Procedite*, inquit, *filii, & vos in Christum credite, ut salutem adipiscamini.* Cui illi: *Nos priùs Paule excessum tuum, ut jussi sumus, Neroni renunciabimus; tu interim ora, ut credamus in eum, quem tu prædicas, Deum.* Tum Paulus: *redite post paulo*, inquit, *filii ad sepulchrum meum, & invenietis viros duos orantes, qui pro me vobis signum salutis impertient.* Atque his dictis, extra Urbem in viam Ostiensem est ductus. Quò ubi pervênit, primùm oculis, & manibus in Cœlum elatis oravit, deinde pace fratribus, qui ipsum secuti fuerant, data, genibus positis, totum se percussori tradidit; lictor autem elato gladio cervicem desecuit, ex qua primùm lactis unda, qua vestis percussoris infecta est, deinde sanguinis emanavit. Quod ubi, qui aderant, conspexerunt, religione perfusi Deum meritis laudibus extulerunt. Spiculator autem ad Fidem conversus est. Corpus inde ejus Lucina singularis pietatis matrona in eadem via secundo ab Urbe lapide in proprio prædio sepelivit; uterque locus adhuc summa piorum religione invisitur. Passus est item, ut Petrus, III. Kal. Julias. Postridie sub lucem Parthemius & Phereta ad sepulchrum ejus pleni religionis venerunt, atque ibi Titum & Lucam Pauli discipulos offenderunt. Titus autem & Lucas, ut milites adversùs se prodire viderunt, inimicos rati, fugam statim arripuerunt, quos milites miti oratione ac placida revocantes, bonum animum habere, & fugam inhibere jusserunt. Et cùm, reversis illis, promissum sibi à Paulo Baptismum petiissent, facilè impetrarunt. Hæc Linus. De lacte autem ex Pauli cervice manante sic quoque in sermonibus suis, iisdem ambo verbis, Ambrosius & Augustinus: *De Pauli cervice, cùm jam persequutor gladio percussisset, dicitur fluxisse magis lactis unda, quàm sanguinis.* Chrysostomus autem ita Paulum ipsum in laude appellans: *Quinam, quæso, locus lacteum illum sanguinem tuum excepit, conspectum in ejus veste, qui te percussit; quod ipse sanè barbarum ejus animum majore vi dulcem efficiens, quàm mel ipsum, infidelem antea, fidelem effecit.* Hæc sunt sacrosancta Petri & Pauli Apostolorum martyria, qui non solùm totum terrarum Orbem doctrinæ suæ splendore, tanquam duo lucidissima sydera, collustrarunt, sed etiam pretiosissimo suo sanguine Ecclesiam Romanam reliquarum Ecclesiarum omnium Matrem, Magistram, ac Dominam consecrarunt. Quibus Martyriis ut nihil est in universa Christi Ecclesia post ipsam Christi passionem nobilius, sic nequidquam quidem reperitur in tota antiquitate compertius; nam ut testes eos, quos supra edidi, missos faciam, extant etiam alii multi, & quidem omnes antiqui, atque iis temporibus proximi. Etenim Cajus, qui æqualis (ut inquit Eusebius) Zepherini Pontificis fuit, sic scripsit: *Ego Apostolorum trophæa perspicuè possum ostendere; nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam Ostiensem te conferre, trophæa eorum, qui sua virtute, & sermone stabiliverunt, invenies*; & Dionysius Corinthius Episcopus ad Romanos scribens: *Petrum & Paulum*, inquit, *qui Romanos, & Corinthios primùm in Ecclesiam Christi instruxerunt, prudenti quadam admonitione impulsi in unum locum conclusistis; nam ambo cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & ejusdem doctrinæ præceptis, tum nostros, tum vestros animos imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt.* Et Tertullianus adversus Gnosticos: *Vitas Cæsorum legimus, orientem Fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ob altero cingitur, cùm cruci astringitur; tunc Paulus Civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate*; & adversùs Marcionem: *Romanis Evangelium Petrus & Paulus sanguine suo quoque signatum reliquerunt.* Et de præscriptionibus: *Fœlix Romana Ecclesia, ut totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Eusebius verò, Hieronymus, & Chrysostomus Petrum crucifixum scribunt capite ad terram verso, & pedibus in sublime elevatis, asserentem se indignum, ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus. At S. Augustinus altiùs totam hanc martyrii hujus communionem considerans in Sermonibus ita scripsit: *Non sinè causa putamus factum, quod una die, uno in loco tyranni hujus toleravere sententiam; una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent; uno in loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persequutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persequutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt Sancti Apostoli? in Urbe Roma, quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum; scilicet, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; ubi Gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum morerentur Principes. Cujus autem meriti sint Beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cùm Dominus Orientis regionem propria illustraverit passione, Occidentis plagam, ne*

quid

A *quid minus esset, vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est; & licèt illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen horum martyrium nobis contulit ad exemplum*. Monumenta porrò eis statuta à Christianis ostendit quoque Eusebius scribens, extitisse veteres in Cœmeteriis Romæ Petri & Pauli inscriptiones. De utriusque sepultura sic Chrysostomus: *Piscator Petrus, quoniam virtutem sequutus est, & Civitatem Reginam occupavit, & post mortem resplendet Sole clarius. Paulus autem Regibus omnibus splendidior Regia in Urbe, in qua & certavit, & vicit, conditus est*. Item: *Ego etsi aliunde quoque Romam laudare, nempe à magnificentia, antiquitate, pulchritudine, multitudine,* B *potentatu, divitiis, & rebus in bello fortiter gestis, tamen relictis istis omnibus, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus, dum viveret, adeò fuit benevolus, adeò illos amavit, cor in disseruit, & postremò vitam apud eos finivit; unde & Civitas ista facta est insignis plus, quàm à reliquis omnibus; & quemadmodum corpus magnum, ac validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora; nam ita Cœlum splendescit, quando radios suos Sol ex se dimittit, ut Romanorum Urbs duas illis lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapitur Paulus, hinc Petrus: considerate, quale spectaculum visura* C *sit Roma, Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri*.

LINUS PONTIFEX II.

Ecclesiam inde Romanam clarissimis duorum Apostolorum luminibus à Nerone orbatam, non Clemens à Sancto Petro (ut diximus) ordinatus, sed Linus excepit, is, quem, absente Petro, Ecclesiam aliquando administrasse commemoravimus. Clemente de jure suo ob singularem animi moderationem, primùm Lino, deinde etiam Cleto cedente. Hujus successionis antiquissimus quisque testis est, Irenæus, Eusebius, D Chrysostomus, & qui ab eis sequuntur; ex quibus Irenæus scripsit hoc modo: *Petrus & Paulus, qui Romanam Ecclesiam fundaverant, & instruxerant, ejusdem Episcopatum Lino reliquerant*. Eusebius verò: *Post Petri & Pauli martyrium primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum cepit Linus, cujus Paulus Romæ scribens ad Timotheum meminit: Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus*. In quæ verba sic quoque Chrysostomus: *Hunc Linum aiunt secundum post Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse*. Hieronymus item, Optatus, Epiphanius, & Augustinus in recensenda serie Romanorum Pontificum, primum locum tribuunt Petro, secundum Lino. Hoc igitur modo Linus Petro succedens, in ipsum sævientis persecutionis ardorem incurrit, quam tempestatem verisimile est ipsum cum multis aliis cryptarum maximè, ad quas confugiebant, beneficio evasisse. Satis enim constat, Neronem Petro & Paulo occisis non contentum, crudelitatem suam inde adversùs eos, qui ipsorum usi familiaritate, & doctrina fuerant, intendisse. Itaque Paulinus Magister officiorum primùm quadraginta septem viros, quos Petrus in carcere abluerat, pridie Idus Maji obtroncavit, ut Beda scripsit;

A deinde Processum & Martinianum, qui baptizati, Petrum è carcere emiserant, arripuit, ac primùm verbis castigatos, à suscepta Christi Fide revocare contendit; deinde eisdem, hortante Lucinæ Matronæ in sententia egregiè persistentibus, saxo os contudit, dentesque comminuit. Tum Jovem adorare jussos, cùm abnuissent, in eculeo nervis, & fustibus cædi, & laminis candentibus aduri præcepit. Cùm autem post triduum Paulinus arreptus à dæmone expirasset, in carcerem redactos Lucina sustinuit. Tum Cæsarius Urbis Præfectus jussu Neronis extra Urbem in viam Aureliam adductos pridie Idus Julii obtruncandos B curavit. Eorum corpora à Lucina sepulturæ mandata. Hodie quoque commemorationem eorum in eum diem Romana Ecclesia celebrat; in martyrologiis tamen Bedæ, & Usuardi, natalis eorum in VI. Nonas Julii confertur. Lucina etiam, cùm cryptam, ut esset sepulchrum Martyrum, condidisset, pari affecta supplicio colitur. Dorotheus porrò auctor est, Olympium, & Rhodionem Petri discipulos post ipsum Petrum esse peremptos; nam Longinum, Megistum, & Acestum milites Christianos effectos pariter post Paulum percussos, in martyrologiis scriptum est. Sub eosdem dies Cajus Mediolani Episcopus, Aposto- C lorum desiderio flagrans, iter ad Urbem Romam suscepit; in via verò dum esset, divina præsensione eos Neronis imperio fuisse extinctos vidit, atque ita factum, postquam Romam accessit, invênit. Post aliquot inde dies Nero se videre per noctem S. Petrum sibi astantem visus est, qui se à quodam verberari juberet, ac diceret: *Contine homo nefarie manus à servus Jesu Christi?* Quin etiam horâ nonâ Paulus januis clausis cubiculum ejus ingressus, atque ita loquotus est: *Ecce, o Nero, Paulus Regis æterni miles; nunc denique disce, me non mortem appetiisse, sed vitam Deo meo vivere: tu verò scito, mala tibi innumerabilia immi-* D *nere, & vitæ supplicium, & æternum interitum, quòd inter cætera tua flagitia injustissimè justorum sanguinem effudisti*, atque his dictis repentè evanuit. Quibus visis Nero perculsus ex amicorum consilio omnes Christianos, quos habebat in vinculis, dimitti præcepit, atque Edictum adversùs eos revocavit. Atque hunc quidem finem tetra ipsa Neronis persecutio habuit. Linus inde quietiorem Ecclesiam nactus, exemplo magistri prædicando Evangelio Fidem multò latiùs in Urbe disseminavit; &, ut scribit Polonus, divinam virtutem in fugandis dæmonibus, & mortuis ad vitam reducendis ostendit. Non multis inde post diebus oraculum à S. Paulo Neroni editum, exitus admirabilis approbavit, nempe ut homo impurissimus, ac crudelissimus pœnas Christianis, & cæteris insignes daret, quorum injustissimè sanguinem exhausisset; nam Neapoli constitutus primò Galliam, atque exercitum ejus à Julio Vindice Prætore solicitatum defectionem inisse, inde Romæ, Galbam in Hispania Legatum, Imperatorem ab exercitu declaratum accepit. Quibus de rebus primùm de se timere, deinde prorsus desperare incœpit, atque ad hos nuncios prope intermortuus jacuit. In apparandum inde bellum intentus, Con-

fuli-

A fulibus ante tempus abire Magistratu jussis se ipsum Consulem declaravit; interim multis prodigiis territus, & maximè quòd Kal. Januariis exornati lares in ipso apparatu Sacrificii conciderunt. Missus inde adversùs Galbam in Italiam venientem Rubrius pariter ab ipso defecit; quo nuncio accepto eò furoris evasit, ut mensam, cui prandens accumbebat, prosiliens disturbarit, ac profugere Alesandriam cogitarit. Ad extremum, ut se à militari quoque statione desertum sensit, percussorem requisivit; mox revocato impetu, solis quatuor comitantibus Urbe profugit, ac metu persecutorum in arundineto se abdidit; cùm porrò audisset, se hostem à Senatu judicatum conquiri, ut more majorum collo in furcam injecto virgis ad necem cæderetur, atque aliquos ad se venientes Equites prospexisset, familiares, ut se interficerent, monuit; quibus cunctantibus, ipse sibi manum circa Idus Junii intulit, cujus interitu cognito adeò tota Romana Civitas exoltavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sævo exempta dominio, triumpharit. Ita divino Numine se se intra annum adversùs hostem tam impium ulciscente, Ecclesia integram pacem est consequota. Apollinaris Episcopus ex Illyrico post tertium annum ab exilio Ravennam reversus ingenti ab omnibus Christianis gratulatione exceptus est. Martialis in Gallia martyrium Apostolorum per revelationem accepit, atque Oratorium in B honorem eorum in urbe Lemovicense construxit; idque hoc anno, nempe Neronis, ut inquit Aurelianus, quartodecimo, VI. Nonas Maji consecravit.

LIBER QUARTUS.

NEronis inde necem ii tumultus in Imperio exceperunt, qui ut Reipublicæ ocium perturbarunt, sic in pristinam tranquillitatem Ecclesiam revocarunt; nempe enim crebræ mutationes Imperatorum, ac continentes successiones bellorum quemquam persecutioni Christianorum C incumbere minimè permiserunt, ex quo Ecclesia ipsa pacem diuturnam adepta maximum incrementum, ac propagationem est nacta. Tumultus autem, quos proposui, fuere hujusmodi. Nerone occiso, Galba Augustalibus Insigniis in Hyspania sumptis Romam venit, verum Imperium paullum ultra septem menses obtinuit. Nam cùm omnes insigni crudelitate, atque avaritia sua cives offenderet, occasionem Othoni exercitum in se sollicitandi aperuit, quem dum lorica tectus placare contendit, initio
LXX. sequentis anni, qui fuit à Christo nato septuagesimus, XVII. Kalen. Februarii occisus est. Otho inde Imperium, sed D trium tantùm mensium spatio tenuit. Etenim cùm Vitellium à Germanicis legionibus in Gallia Augusti nomine insignitum audisset, bellum civile molitus, tria quidem prœlia in Italia cum Vitellianis prosperè fecit; verùm quarto ad Bebriacum Cremonensis agri oppidum ira pulsus est, ut desperata salute XII. Kal. Maji sibi mortem consciverit. Ira ad Vitellium victorem omnis res Romana delata; neque verò hic diu admodum principatum obtinuit; nam posteaquàm Vespasianum, qui Hierosolyma jam tum à Neronis tyrannide magna armorum mole Proconsul oppugnabat, in Judæa Imperii arripuisse Insignia didicit, rabie efferatus E se se in amicos, & propinquos Vespasiani, qui Romæ erant, convertit, atque in Capitolium compulsos succenso Templo delevit; verùm mox exercitu suo ad Vespasiani partes transeunte relictus, ubi armatum adventare Vespasianum audivit, trepidus se in proximam Palatio cellulam abdidit, unde tractus, octavo, quàm cœperat Imperium, mense, IX. Kal. Januarii apud Gemonias scalas est trucidatus, atque in Tiberim jactus. Atque hoc quidem modo Vespasianus Imperio occupato pristinam Reipublicæ tranquillitatem restituit. Eodem anno Ecclesia Antiochena ad Ignatium spectatæ Sanctitatis virum, Evodio defuncto, pervênit, cujus rei Origenes quoque in Lucam meminit, inquiens, Ignatium post Perrum Ecclesiam Antiochenam administrasse.
LXXI. Sequenti, Ecclesia Christiana magnam inter homines auctoritatem adepta est, postquam ipsi Judæorum nationem, C quæ Christum injusto supplicio Crucis affecerat, profligatam, ac funditus eversam, quemadmodum brevì eventurum, Christus, atque Apostoli ejus prædixerant, conspexerunt; id quod hoc demum anno cum ingenti omnium admiratione est factum; siquidem post hos dies bellum, quod biennio ante, Nerone imperante, per Vespasianum adversùs Judæos, qui propter Flori Procuratoris injurias rebellaverant, erat susceptum, jussu Vespasiani per Titum filium non solùm continuatum, sed ad exitum quoque perductum est. Eo verò bello in Judæos durissimo omnium est consultum; D nam & civitas ad diram, ac nefandam famem per diuturnam obsidionem adducta, & urbs die Paschatis capta, direpta, atque eversa, templum incensum, & gens ipsa Judæorum, aut neci data, aut in servitutem abrepta, aut longè latèque dispersa est. Quod bellum Josephus Judæus, cujus supra meminimus, primùm ita gessit, ut eo etiam captus sit, deinde ita scripsit, ut prope pinxisse judicatus sit. Eo verò auctore, ferro, aut fame periisse undecies centena millia Judæorum dicuntur, dispersa verò toto Orbe, aut servitute multata ad nonaginta millia; cujus tam immensæ multitudinis eam ille rationem reddit, quòd E Judæi ad templum per dies azymorum undique de more confluxerant. In quo illud à piis hominibus rectè est animadversum, placuisse Deo, ut per eos dies, quibus Judæi Christo nefandam necem intulerant, & ipsi internecione conficerentur, ex qua calamitate nunquam in posterum emergere potuerunt. Quamobrem sic scripsit Sulpicius: *Hæc ultima templi eversio, & postrema captivitas, qua extorres patriâ per Orbem terrarum dispersi cernuntur, quotidie testimonio sunt, non ob aliud eos, quàm ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos, nam sæpe aliàs cum propter peccata captivi-*

LXXI. *tatibus traderentur, nunquam tamen ultra septuaginta annos servitutis pœnam penderunt*. Hac clade accepta, teste Eusebio, discipuli Domini, qui supererant, cum iis, qui Christum propinquitate aliqua attingebant, in unum convenerunt, atque uno consensu in locum Jacobi Justi Episcopi, quem Judæi ante urbis excidium neci tradiderant, Simeonem Cleophæ filium, qui Cleophas Josephi viri Beatæ Virginis fuerat frater, substituerunt. Affuit præcipuè his comitiis Joannes Apostolus, ut qui non longè in Asia aberat, septem ejus Ecclesias docens, Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Tiathyram, Sardes, Philadelphiam, & Laodiceam, atque his actis eòdem re-

LXXII. petiit. Sequenti anno Apollinaris Ravennæ à Gentilibus seditione commota comprehensus, & in Apollinis templum adductus, cùm vi orationis suæ simulachrum Apollinis disturbasset, ac templum evertisset, ab eis tanquam tanti mali effector Judici *Tauro* est traditus; ab eo inde, cùm filio ipsius aspectum depulsa cœcitate restituisset, ex manibus populi ereptus in custodiam sub præsidio datus est, in qua post per quadriennium Christum prædicare, & ægrotos oblatos curare perseveravit. Per hæc etiam tempora Apostoli duo, Bartholomæus, & Thomas extra Imperium sævis barbarorum manibus in suis quisque provinciis, verùm incomperto adhuc nobis anno, ad Christum, cujus Fidem per plurimos annos constanter Gentilibus intonuerant, hoc modo migrarunt. Bartholomæus in India citeriore Polymium Regem, ac populum ejus ad Christum traduxit, atque ibi Evangelium Matthæi reliquit. Quod ubi Astyages frater ejus, Beda teste, audivit, à Pontificibus, qui Idolis serviebant, impulsus, ipsum corripuit, atque eis cultum tribuere jussit; ac demum abnuentem verberatum, primò pelle exuit, deinde caput recidit IX. Kal. Septembris; corpus ejus à Polymio sepulturæ mandatum est. Thomas verò Calaminæ interioris Indiæ urbe, cùm prædicationem de castitatis laude habitam revocare, ut à Rege jubebatur, in animum non induceret, primò candentibus laminis adustus, deinde in fornacem conjectus, postremò lanceis transfixus interiit, atque in eodem loco à discipulis sepulturam accepit. Et hunc sinè vocis confessione excessisse Clemens Stromatum libro quarto mandavit. Per hos annos in Oriente, qui ut summum Fidei principium, sic fœcundum quoque perfidiæ seminarium fuit, variæ hæreses exstiterunt, quæ tanquam fungi è terra omnes uno prope tempore eruperunt; nempe postquam plerique Apostoli diversis casibus interempti vivæ Verbi prædicationi finem imposuerunt; nimirum hæc ars diaboli fuit, qui, ut S. Cyprianus inquit, postquam se adventu Christi detectum, ac prostratum, lumine Gentibus, ac salute hominibus accedente cognovit, ac propterea Idola destitui, & propter ingentem Credentium numerum sedes suas, ac templa deseri sensit, novæ fraudis rationem inivit, ut sub ipso Christiani nominis titulo incautos circumveniret; quippe hæreses invênit, & schismata, quibus subverteret Fidem, corrumperet veritatem, scinderet unitatem, & quos retinere non potuit in viæ veteris cœcitate,

LXXII. A decepit novi itineris errore, rapuit de Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini, atque evasisse sæculi noctem videbantur, alias necessitatibus tenebras rursus effudit, ut qui cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus, & Lege non starent, Christianos se vocarent, & qui ambularent in tenebris, habere se lumen existimarent; quo turpior eorum inscitiane, an malitia fuit, quòd ad percipiendam veritatem, gravissimam ipsam Ecclesiarum Apostolicarum auctoritatem habentes, quæ disciplinam à Christo per Apostolos hauserant, longè ab ea se removerunt. Cujus autem, ac quantæ auctoritatis ipsæ Aposto- B licæ Ecclesiæ fuerint, his regulis cognoscendum docuit in libro de Præscriptionibus Tertullianus: *Si Christus*, inquit, *Apostolos misit ad prædicandum, non alii recipiendi sunt prædicatores, quàm quos Christus instituit, quia nec alius Patrem novit, nisi Filius, & cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, idest quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet, quàm per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quàm per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat perinde om-* C *nem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, id sinè dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo; reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Edant ergo hæretici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos* D *deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit; proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Ad eandem formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licèt nullum ex Apostolis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem Fide conspirantes non minus Apostolicæ reputantur pro consanguinitate doctrinæ*. Cæterùm hæretici ejus ætatis fuerunt, Menander, Saturninus, & Basilides, qui Simonis vestigia persecuti, E universam Dei Patris, ac Christi Filii naturam, ac potentiam perverterunt, ac sibi quodammodo asciverunt. De quibus Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, & Augustinus scripserunt. Menander Samarita successor Simonis fuit, qui & ipse ad summum Magiæ pervênit. Hic primam virtutem incognitam omnibus dixit, se autem esse, qui missus esset ab invisibilibus ad salvandum Genus humanum, nec quemquam salvum esse posse, nisi qui in nomine suo baptizatus fuisset; Mundum autem factum ab Angelis, quos & ipse similiter ut Simon ab Ennoëa missos censuit. Saturninus in Syria

unum

A. Chr. LXXII. unum Patrem incognitum omnibus, quomodo Menander, asseruit; ab eo factos Angelos, ab iis factum Mundum, & homines procreatos, se verò ad hominum salutem è Cœlo à sæculis invisibilibus esse demissum: Christum porrò in substantia Corporis non fuisse, & phantasmate tantùm quasi passum fuisse; resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. Basilides autem in Ægypto duos Deos constituit, summum nomine Abraxan, ab eo mentem creatam, inde Verbum, ex illo providentiam, virtutem, & sapientiam; ex ipsis Principatus, & Potestates, & Angelos factos, à quibus Cœlum, & Mundum; in ultimis autem Angelis posuit Deum Judæorum, idest Deum Legis, & Prophetarum, quem turbulentiorem ait fuisse cæteris Angelis: Christum non ab hoc Deo, qui fecerit Mundum, sed à summo Abraxa missum venisse, eum in phantasmata, sine substantia carnis fuisse; passum apud Judæos non esse, sed pro illo Simonem Cyrenæum crucifixum esse; quare nec in eum credendum, qui sit crucifixus, ne in Simonem credidisse confiteatur; carnis resurrectionem impugnavit, negans salutem corporibus repromissam. Præter hos celebrati sunt etiam Nicolaitæ; fuit autem Nicolaus è septem Diaconis Hierosolymæ lectis unus, qui (ut inquit Clemens in Stromatibus,) cùm zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi sui causâ permisisse fertur, ut eâ, qui vellet, uteretur. Quod ejus factum pro exemplo quidam sumpserunt, atque usum fœminarum indifferentem, & libidines multiplices induxerunt; & hi Deo non tribuerunt creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel finxerunt vanitate, vel crediderunt. Nominantur etiam alii quidam, sed obscuriores hæretici, sub hos annos oborti, de quibus apud eosdem legere licet. Hæc in Orientali Ecclesia hæretici adversùs Fidem Catholicam ab Apostolis ex Christi sententia constitutam variè permiscebant, ac paucis decretis, & improbis moribus suis Fidem Christianam in odium Gentilium adducebant, cùm in Occidente multi indulgentiâ Vespasiani Imperatoris abusi, diris fidelium persecutionibus quietem adolescentis Ecclesiæ perturbabant.

LXXIII. Sequenti anno, qui fuit Vespasiani tertius, Martiali Episcopo Lemovicensi oranti Christus apparuit, & se ad eum post quindecim dies venturum, atque in Chorum Angelorum recepturum significavit. Quo audito Martialis exhilaratus vicinos Populos, quibus ipse Verbum tradiderat, ad certam adesse diem præcepit, Pictavenses, Bituricenses, Arvernos, & alios circumjectos, qui ubi venerunt, jejunio, precatione, sacrificioque præmisso, extra urbem progressus concionem ad eos habuit, hortans, ut in Sanctam Trinitatem à se traditam crederent, & se ad Christi vitam componerent, atque in primis humilitatem, & charitatem amplecterentur; quibus dictis, eis benedixit his verbis: *Omnipotens Deus suâ nos Clementiâ benedicat, & sensum in nobis sapientiæ salutaris infundat, Catholicæ Fidei documentis enutriat, gressus nostros ad vitam dirigat, viamque pacis, & charitatis ostendat*; cùm autem omnes respondissent: *Amen*, inde subjecit: *Benedicat vos Dominus, & custodiat vos, & misereatur vestri, convertat vultum suum super vos, & det vobis pacem*; inde conversus ad Deum dixit: *Domine Jesu Christe Pastor bone commendo tibi Oves, quas Sancto Petro nunciante mihi tradidisti; conserva Populum tuum, quem tibi gratia tua per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratum acquisivit, quemque glorioso tuo Sanguine redemisti, ut tibi sit Populus peculiaris, & tu sis custos indeficiens per infinita sæcula Amen*. Quibus actis inde se febris ardoribus cruciatum ferri in Oratorium S. Stephani jussit, ibique genibus nixus iterum oravit, ac spiritum suum Domino commendavit; & populo, qui aderat, cum ejulatu maximo flenti, silentio manu indicto, continuò locus insuetato splendore refulsit, & vox cœlestis audita est: *Egredere anima benedicta, quæ quia mandatis meis obtemperasti mecum in perpetua claritate versaberis*; atque ita postquam annos viginti octo Lemovicensem Ecclesiam gubernarat, spiritus ejus ad Deum è corpore commigravit. Ad cujus funus cùm ex vicinis locis cæci, paralytici, hydropici, aliique languoribus multis oppressi venissent, à sudario ejus per Alpinianum discipulum tacti, continuò liberati sunt.

LXXIV. In sequenti inde anno Gentiles, qui Ravennæ agebant, Vespasianum adversùs Apollinarem Episcopum incitarunt, docentes, nisi obviam conatibus ejus iretur, populum universum antiquos ritus omnes, ac cæremonias deserturum. Quare Demosthenes Patricius, teste quoque Beda, literis super hac re à Vespasiano acceptis, Apollinarem exemplo ad se adduci præcepit, atque simulachris cultum reddere detrectantem, ac contra Deos variè disserentem, in custodiam tradidit cuidam Centurioni, qui cùm occultè Christianus esset, ipsum silentio noctis emisit, rogans, ut sibi, suisque consuleret. Verùm, cùm abiret, captus à Gentilibus, usque ad mortem virgis est cæsus; ante lucem verò à Christianis exceptus in vicum leprosorum delatus est, ubi usque ad septimum diem inter Christianos cubans vitam protraxit, atque ita extra muros Classis X. Kal. Augustas mortuus ibidem sepulturam invênit, cùm annos viginti novem Ravennatem Ecclesiam sibi à S. Petro commissam in maximis tempestatibus gubernasset, ac prima Fidei fundamenta Ravennæ, atque in Æmilia universa jecisset. Cæterùm quod Ravennæ Apollinaris agebat, idem Tripoli quoque Leontius quidam miles Christianus efficere conabatur, qui inter cæteros, duos Imperatoris milites ad Christum attraxit. Ea de causa Hadrianus Præses, mandato Vespasiani accepto, eos comprehendi milites jussit, atque in equuleum elatos diversis admotis tormentis ad Christum abnuendum adigere studuit, ac demum, cùm fortitudinem Christianam præstarent, securi feriendos curavit. Inde Leontium arreptum monuit, ut cultum Idolorum susciperet; ubi verò recusantem vidit, primò verberari, deinde in equuleo suspendi, ac latera ejus uncis exarari mandavit. Cùm autem ille suspiciens Cœlum diceret: *Deus in te speravi, salvo me Domine*, ratus eum precari, ut sibi laxamentum à tormento daretur, jussit deponi; inde conquerentem, quòd depositus esset, iterum jussit suspendi,

LXXIV. di, capite in terram verso, & saxo in-
genti collo appenso; tum iterum deposi
tum in carcerem tradi, ubi Leontius tota
nocte psalmum canens: *Deus illuminatio
mea, & salus mea, quem timebo?* ab Angelo
confirmationem accepit; postridie verò rur-
sus ad se adductum monuit, ut aliquando
tandem suæ salutis rationem haberet; cùm-
que ille respondisset, se à Christo nullo
unquam tempore desecturum, in quo solo
spem omnem collocatam haberet, denuo
suspensum verberavit, adjiciens, ut sacri
ficio facto & se tormentis eximeret, & in
super dignitatem acciperet; negante verò
illo, dignitatem ullam esse tantam, quæ
cum Christo comparari studio posset, sen-
tentiam tulit, ut tandiu verberaretur, quo-
ad morte conficeretur, atque ita ille cor
pore ex omni parte dilaniato XIIII Kal
LXXX. Julias obiit. Anno inde octogesimo Vespa-
sianus Imperator VI. Kal. Julii ex humanis
rebus eximitur. Huic Titus filius successit,
vir adeò propter summas virtutes omnibus
jucundus, & carus, ut amor, & deliciæ
humani generis diceretur. Eodem quoque
anno Linus Pontifex IX. Kal. Octobris à
Saturnino Consule obtruncatus est, quòd
magicis artibus assequutum putaret, ut fi-
liam suam immundo spiritu liberaret. An-
nos ille duodecim, Eusebio ac Epiphanio
testibus, Ecclesiæ Romanæ præfuerat, at-
que, ut inquit Damasus, ex instituto S. Pe-
tri duabus Ordinationibus Episcopos quin
decim, & Presbyteros XVIII. consecrarat;
corpus ejus in Vaticano juxta S. Petri se-
pulturæ commissum est.

ANACLETUS PONTIFEX III.

Linum inde excepit Cletus, ut scripsit
Damasus, Epiphanius, & Hierony-
mus, nam pro Cleto Anacletum prodide-
runt Ignatius, Irenæus, Eusebius, Opta-
tus, Augustinus, & Beda. Apud hunc
Pontificem Maria Cassobolitis fuit, mulier
mirificæ sanctitatis, ut scripsit Ignatius An-
tiochenus Episcopus in epistola ad eum
missa, quæ extat: *Mihi venit in mentem,
ut verum dicam fuisse sermonem, quem de te
audieram, cùm Romæ apud B. Papam Ana-
cletum esse, cui modò Beatissimus Clemens suc-
cessit.* Jam sacra Apostolorum Petri & Pau-
li sepulchra, propter ingentes, quæ quo-
tidie ad ea edebantur, virtutes, in tanta
veneratione esse cœperant, ut ex vicinis
quoque regionibus homines pietatis causâ
ad visitandum concurrerent. Quod sentiens
Anacletus, tantam religionem sibi pro of-
ficio fovendam, atque augendam ratus,
LXXXI. postero anno eam visitationem, ut piam,
& ad vitæ beatitudinem efficacem literis ad
populos circummissis suasit; & qui illam
aut verbis improbasset, aut facto inhibuis-
set, dito anathemate perculit; Ejus rei
Martinus est auctor. Huic Damasus cum Be-
da adjicit, quod eòdem pertinere videtur:
Anacletum S. Petro monumentum (memo-
riam illi vocabant) construxisse, atque aliud
juxta illud, in quo successores ejus recon-
derentur, apposuisse; ex quo apparet, prius
sepulchrum crescente religione, haudqua-
quam ex tanti Apostoli dignitate fuisse ju-
dicatum, ac sepulchro Oratorium esse ad-
junctum: &, teste Beda, constituit, ut
dum Evangelia recitantur, Sacerdotes non

A sedereor, sed curvi starent. Per idem tem- LXXXI.
pus Lucas, qui scripserat Evangelium, &
Acta Apostolorum, in Bithynia, teste Be-
da, est mortuus, annos, ut inquit Hiero-
nymus, octogiota quatuor natus. Sequenti LXXXII
anno Titus Amphitheatrum magno rerum,
& pompæ apparatu dicavit, clarissimum
futurum in Urbe sanctis Christi Martyri-
bus testimonium, cujus pars adhuc inter
admiranda veteris Urbis monumenta prop-
ter amplitudinem, & magnificentiam suam
cum incredibili omnium stupore invisitur.
Id Colosseus hodie nominatur; neque ita
multo post ipse quoque moritur, tanto ci-
vium omnium eum dolore, ut ipsum per-
B inde atque in propria luxerint orbitate.
Senatus, morte ejus comperta, nocte in
Curiam properavit, ac tantas ei mortuo
gratias, laudesque congessit, quantas nec
vivo, nec præsenti aliquando egerat, us-
que adeò, ut post etiam inter Divos eum
retulerit. Ei deinde Domitianus frater mi-
nor successit, qui exemplo Neronis primis
annis eximiæ moderationis specimen dedit;
deinde verò sensim sic à priore laude defe-
cit, ut in omne se nequitiæ genus scelerif-
que profuderit. Postero Anacletus Ponti- LXXXIII
fex novum in Ecclesia institutum induxit;
nam cùm Petrus & Linus ita literas inscri-
bere consuessent, ut Romanorum exemplo,
C *salutem* tantùm præfigeret, ipse primus:
Et Apostolicam benedictionem adjunxit. Quod
Martinus quoque memoriæ prodidit. Se-
quenti anno, sive certè per hos annos (ne LXXXIV
que enim exploratos cujusque actionis af-
ferre annos in summo veterum literarum
silentio possumus, neque incerta pro certis
afferre volumus) Philippus Diaconus Hie-
rapoli Oppido Phrygiæ VIII. Idus Julii
obiit; ac quatuor filias Spiritu divino af-
flatas reliquit. Quod Eusebius epistolâ
Polycratis Ephesi Episcopi ad Victorem
Episcopum Romanum, & Caji disputatione
confirmat. Quam tamen historiam alii ad
Philippum Apostolum transtulerunt, eadem
D de morte illius Hierapoli, & quatuor filia-
bus vatibus referentes, cùm tamen Lucas
Actuum XXI. sic de Philippo Diacono scri-
bit: *Venimus Cæsaream, & intrantes domum
Philippi Evangelistæ, qui erat unus è septem,
mansimus apud eum; huic autem erant qua-
tuor filiæ virgines prophetantes.* Cæterùm,
ut Lino sedente, Menander, Saturninus,
Basilides, & Nicolaus hæretici emerserunt,
sic Anacleto, Carpocrates, Cerinthus, &
Ebion extiterunt, homines ætate quidem
inter se æquales, sed ita, ut alter alterum
excepisse, teste Tertulliano, & Epiphanio
videatur. Hi prorsus Christum ipsum lu-
E men gentium non viderunt; quia ut Dio-
genes quondam inveniendi hominis causâ
lumen accendit, sic hi Deo invento lumen
fidei suæ, ne aspicerent, extinxerunt. Car-
pocrates docuit omnem turpem operatio-
nem, omnemque inventionem peccati. Je-
sum hominem tantummodo, & de utroque
sexu natum, & Josephi filium putavit, sed
accepisse talem animam, quæ sciret & quæ
superna essent, ac nunciaret: resurrectio-
nem corporum simul cum lege abjecit;
Mundum non à Deo, sed à quibusdam
virtutibus factum dixit; Cerinthus Mun-
dum ab Angelis factum censuit, & carnem
circumcidi oportere, atque alia hujusmodi
legis

A. Chr.
XXCIV. legis præcepta servari: Jesum hominem tantummodo fuisse, & quidem ex semine Joseph, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseruit; mille quoque annos post resurrectionem in terreno Regno Christi, secundùm carnales ventris & libidinis voluptates futuros. Ebion item Christum tantummodo hominem dixit, & ex concubitu Josephi cum Maria conjuge sua in hanc lucem editum esse; verùm propter progressum, quem in virtute fecisset, justum hominem evasisse, ut D. Augustinus, Tertullianus, Irenæus, & Epiphanius docuerunt. Verùm ut superiores, sic & hi, vivente adhuc Joanne Apostolo, & plerisque Christi atque Apostolorum discipulis, palàm Ecclesiam invadere minimè ausi sunt, sed expectata occasione, se intra tecta contin-
XXCVI. nuerunt. Biennio post Abilius, Aniano mortuo, in administratione Ecclesiæ Alexandrinæ successit. Quiescente autem Romana Republica, cùm præclara in primis illa invaluisse consuetudo videtur, quam post maximopere Dionysius Episcopus Corinthios Soteri Romano Episcopo commendavit, cùm Romanos inquit, non solùm fratribus egentibus, sed etiam ad metalla damnatis abundè victus subsidia ministrasse; fuisse enim multos ejusmodi per hæc tempora paulò post ostendemus, cùm
XXCVIII de Clemente dicemus. Duobus inde interpositis annis Domitianus, tanquam alter Nero, omnino egregiam illam, quam prioribus annis pepererat, moderationis laudem corrupit; siquidem eousque impudentiæ, vecordiæque processit, ut se Dominum, ac Deum appellari permiserit, atque ipse ita quoque se scripserit; & cùm no-
XXCIX. men Germanici ascivisset, postero anno menses Septembrem, & Octobrem Germanicum, & Domitianum vocari præceperit, quòd uno Imperium, altero vitam iniisset.
XC. Proximo verò, qui fuit nonagesimus, avaritiâ stimulatus in extremam crudelitatem erupit; siquidem ut opes alienas, & nihil ad se pertinentes invaderet, magnam nobilitatis partem aut injustis exiliis, aut veneno, aut cæde prostravit, ac Philosophos, & Mathematicos Urbe dejecit, atque inde sævire magis in dies, per sequentes annos cum maximo omnium timore perrexit.
XCI. Sequenti Philippus Apostolus, cùm se jampridem in Asiam ex Scythia retulisset, annos jam octoginta septem natus in urbe Hierapoli Presbyteros, Diaconos, ac vicinarum civitatum Episcopos advocavit, eosque hortatus est, ut memoriam doctrinæ Jesu Christi servarent, & minis inimici resisterent, Deumque precatus est, ut promissa sua compleret, & suam Ecclesiam confirmaret; ac post septem dies in pace quievit. Hæc Abdias ex Beda. Symeonem autem, cùm Serpenti cuidam patrio cultum abrogaret, à Magistratibus captum, atque in crucem actum prodidit, sequutus Clementem, qui ipsum sinè vocis confessione martyrium pertulisse scripsit. Eo verò anno, nempe Vulpio Trajano & Acilio Glabrione Consulibus, eadem, ut inquit Dio, prodigia, sed diversis eventibus, contigerunt. Nam Glabrio postea interitum,
XCII. Trajanus imperium nactus est. Postero, Mediolani Cajus Episcopus vitâ cessit, eumque Castricianus excepit, qui primus Ec-

A clesiam in Urbe Philippo Apostolo, testibus Mediolanensium tabulis, dedicavit. A. Chr. XCII.
Proximo, Anacletus Pontifex duodecim & XCIII.
ampliùs in administranda Romana Ecclesia annis transactis, postquam ex præscripto S. Petri Presbyteros viginti quinque creaverat, ad Christum migravit, atque in Vaticano quoque juxta S. Petrum sepulturam VI. Kal. Maji invênit. Et hunc martyrio coronatum prodit Damasus. Beda verò martyrii rationem adjungit: *Anacletus*, inquit, *Presbyter à Beato Petro ordinatus ad sacrificandum, imperante Domitiano, ductus, sacrificavit; deinde pœnitentia captus pro confessione veræ Fidei VI. Kal. Maji capite*
B *truncatur*.

CLEMENS PONTIFEX QUARTUS.

INde, cùm duodecimum Imperii annum Domitianus iniisset; Clemens successit, qui fuerat jam inde à S. Petro vivente sibi subrogatus. Huic successioni assentitur Ignatius, qui eum videre potuit, cùm ad Mariam scripsit, Anacleto Clementem Petri & Pauli adjutorem successisse; assentitur Irenæus, qui ita scriptum reliquit: *Post Anacletum tertio loco ab Apostolis Episcopatum cepit Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & congressus est cum eis, cùm adhuc in-*
C *tonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet; neque enim solus, sed multi adhuc supererant ab Apostolis docti*; assentitur Eusebius, ita scribens: *Duodecimo Imperii Domitiani anno, cùm Anacletus Romanam Ecclesiam annos duodecim Episcopus gubernasset, eum sequutus est Clemens, quem Apostolus in epistola scripta ad Philippenses cooperarium suum fuisse inquit*. Quem in locum sic Hieronymus scripsit: *Clemens hic quartus post Petrum Romæ Episcopus, siquidem secundus Linus fuit, & tertius Cletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem*. Ex his autem Latinis fuit Eu-
D cherius Episcopus Lugdunensis, qui in epistola ad Valerianum sic scriptum reliquit: *Clemens vetustâ prosapiâ Senatorum, atque etiam ex stirpe Cæsarum omni scientia refertus, omniumque liberalium artium peritissimus ad hanc Justorum viam transiit; itaque in ea etiam excellenter effloruit, ut Principi quoque Apostolorum successor extiterit*. Latinos verò movit, quòd legerunt, Clementem à S. Petro vivente sibi substitutum fuisse, neque viderunt, si ille Petro continenter successisset, non in Trajani tempora incursurum fuisse, sed in Vespasiani, cùm tamen eum à Trajano necatum fuisse, constans omnium opinio sit. Verùm, ut supra
E dixi, Clemens majoribus natu Presbyteris, condiscipulisque suis, quique sub Petro ejusmodi munere functi fuerant, ut inquit Damasus, cessit. Quam quæstionem solvere cupiens Epiphanius, multo magis implicuit, cùm ita scripsit libro primo: *Romæ primi fuerunt Petrus & Paulus Apostoli iidem, atque Episcopi; deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli. Hujus mentionem facit Paulus in epistola ad Romanos. Et nemo miretur, quòd ante ipsum alii Episcopatum assumpserunt, cùm sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri & Pauli, nam & illi con-*

A. Chr. XCIII. *temporanei Apostolorum fuerunt; sive igitur adhuc ipsis superstitibus à Petro accepit manuum impositionem Episcopatus, & eo recusato remoratus est; dicit enim in una epistola sua: secedo, abeo, erigatur populus Dei (hoc enim in quibusdam Commentariis reperimus) sive post Apostolorum successionem à Cleto Episcopo hic constituitur, non ita clarè scimus. Verumtamen etiam hic potuit superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, alios Episcopos constituere, propterea quòd Apostoli sæpe ad alias terras ablegabantur propter Christi prædicationem; non potuit autem Urbs Roma sinè Episcopo esse. Paulus enim in Hispaniam profectus est; Petrus verò sæpe Pontum, & Bithyniam visitavit. Possibile est autem, postquam discessit, ac recusavit Clemens (si modò sic factum est, rationem etiam sic ineo, non decerno) postea post obitum Lini & Cleti, quorum uterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post S. Petri & Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum.* Atque hæc quidem de Episcoporum Romanorum successione, in primisque de Clemente ipso hactenus dicta sint. Cæterùm Clemens Episcopatum adeptus, ut vetus ejus historia loquitur, in maximis rerum fluctibus Ecclesiam gubernare magna animi moderatione cœpit, Gentilibus, Judæis, & Christianis æquè se probans; nam Gentilibus vanitatem suorum Deorum ostendit, non eos execrando, sed ex eorum libris indicando, ubi illi, & unde orti essent, & quam vitam, & mortem egissent; ipsos verò veteris errati veniam facilè consequi posse, si inani se eorum cultu abdicassent. Judæis verò confessus est, Patres eorum amicos Dei fuisse, legemque eorum sanctissimam extitisse, primumque locum apud Deum habituros, si legis suæ sacramenta servarent, non negantes promissum Abrahæ in Christo esse completum. Christianis verò se gratum reddidit singularem, urbis regionum egenos in tabulis referendo, & quos Baptismi sanctitate affecerat, eos nullius rei indigere sinendo, ac quotidiana prædicatione eos, qui opes haberent, adhortando, ne paterentur, Christianos, qui rei familiaris angustiis premerentur, stipem à Judæis, aut à Gentilibus corrogare, & vitam Baptismatis consecratione mundatam Gentilium muneribus inquinari. Multos inde ad Civitates Galliæ erudiendas, & gubernandas misit; quorum Taurinum Ebroicensibus, Eutropium Sanctonibus, & Lucianum Bellovacensibus Episcopos dedit, ut Beda scripsit. Per eosdem dies nova exorta est hæresis eorum, qui se *Gnosticos*, idest *Cognitores* vocabant, quos alii à Simone & discipulis ejus, alii à Nicolao, alii à Carpocrate & sectatoribus ejus profectos putarunt. Hi omnes superiorum hæreticorum turpitudines collegerunt, ac novis de suo flagitiis additis cumularunt, quemadmodum post
XCV. loco opportuniore demonstrabitur. Biennio post, Torquato & Clemente Consulibus, Domitianus iterum se in Romanam Nobilitatem invexit, eamque novis cædibus, exitiisque imminuit. Post autem cùm jam quartumdecimum Imperii annum, Hieronymo teste, iniisset, à Gentilibus se se in Christianos convertit, odio quodammodo

A humani generis inflammatus. Hæc verò ab omnibus secunda Christianorum Persecutio appellata est. Cujus quamquam Tertullianus, Sulpicius, & Augustinus meminerunt, libet tamen Eusebii, & Orosii tantummodo verba, ut illustriora, & ad rem gestam, causamque illius gerendæ significandam aptiora, annalibus hisce intexere. Eusebius *Cùm Domitianus*, inquit, *non exiguam partem nobilium Romæ temerè sustulisset, atque alios spoliatos bonis in exilium pepulisset, tandem in sceleratam Neroniani odii, & impietatis hæreditatem successit; secundus autem fuit, qui contra Christianos, licèt pater ejus Vespasianus nihil mali molitus esset, Persecu-*
B *tionis incendium excitavit.* Orosius: *Domitianus confirmatissimam toto Orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ Persecutionis Edictis convellere ausus est, in tantam superbiam prolapsus, ut Dominum se se, ac Deum vocari, scribi, colique jusserit; idemque efferatus superbiâ Persecutionem in Christianos agi secundus à Nerone imperavit.* Melito Sardianus Episcopus in epistola ad Antoninum Imperatorem scripta, Neronem, & Domitianum, iniquorum, & malevolorum oratione inductos, Religionem Christianam in crimen, & invidiam adduxisse, ab eisque ad cæteros eam criminationem pervasisse, teste Eusebio, refert. Edictis
C igitur in Urbe, provinciisque propositis, ut Christiani conquirerentur, & quæstionibus habitis, aut Christum detestarentur, aut in exilium pellerentur, aut tormentis adigerentur, in luctu iterum, ac sordibus versari Ecclesia cœpit, ac novus Martyrum numerus Deo ipso Confessores suos in mediis, ut ante, calamitatum, ac tormentorum ardoribus confirmante, confectus. Quod cùm Clemens Pontifex animadverteret, opportunè ad sacram eorum, qui sanguinem pro Christi nomine profudissent, memoriam imposterum conservandam septenos Notarios in singulis regionibus Urbis instituit, negocio dato, ut acta Martyrum
D regionis quisque suæ inquirerent, eaque in tabulas posteris cognoscenda referrent, qui deinde Protonotarii appellati sunt. Cæterùm inter eos, qui hac Persecutione vexati sunt, in primis Joannis Apostoli memoria celebratur; quippe Ephesi, ubi cum Timotheo Episcopo à Paulo, ut diximus, imposito quietus degebat, à Proconsule comprehensus, ac lecto Imperatoris Edicto prædicatione desistere jussus est. Cui intrepido animo Joannes respondit: *Deo potius obedire oportet, quàm hominibus; quare munus à Christo mihi mandatum, dum vivam, haudquaquam deseram.* Quamobrem Proconsul ipsum vinctum Romam ducen-
E dum ad Domitianum curavit. Sequenti verò anno, cùm Domitianus ipse XVII. & Flavius Clemens Consulatum unà administrarent, Romæ coram Imperatore constitutus, ac prædicationem omittere jussus, constantissimè, ac disertissimè recusavit; quare mandato ejus ad Portam Latinam adductus pridie Nonas Maji in dolium ferventis olei est conjectus; verùm quod universam Civitatem stupore summo defixit, Dei virtute nixus ex eo evasit innoxius. Quod ubi sensit Domitianus, ipsum in Insulam Pathmum perduci, atque ibi teneri usque ad vitæ exitum imperavit. Hujus verò rei XCVI.

vetus

vetus auctor est Tertullianus: *Fælix Romana Ecclesia, cui totam Doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur*. Item D. Hieronymus adversùs Jovinianum: *Refert Tertullianus, quòd Joannes Romæ missus in ferventis dolium olei, purior, & vegetior exiverit, quàm intraverit*. Hodie quoque Romana Ecclesia, vetere à majoribus instituto accepto, ejus diei solemne pridie Nonas Maji agit, Templo ad Portam Latinam ejus rei gratiâ constituto. De relegatione porrò scribit ipse in Apocalypsi, Ignatius, Origenes, Hieronymus, & Augustinus. Origenis autem in Matthæum verba sunt hæc: *Imperator, sicut docet traditio, condemnavit Joannem dantem testimonium verbi Dei in Insulam Pathmon, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens, quis eum condemnavit, sed ubi condemnatus fuerit*. Eodem quoque anno Domitilla virgo, quæ ipsum Domitianum conjunctione sanguinis attingebat, unà cum plerisque suorum vexari ob studium dicatæ Deo virginitatis est cœpta. Ea verò historia pluribus verbis in Vita SS. Nerei & Achillæi à Notariis, quos diximus, scripta refertur, hoc modo: *Domitillam virginem Nereus & Achillæus eunuchi, quos S. Petrus Fide imbutos abluerat, ad virginitatis decus pro Christo tuendum, multis rationibus, quas à S. Petro didicerant, adhortati, Clementem Pontificem adierunt, atque ita dixerunt: Etsi tua gloria omnis in Domino Jesu Christo est posita, non ignorare tamen debes, Clementem Consulem Patris tui fratrem germanum fuisse, cujus soror Plautilla nos infantulos emit, & quando à Petro Apostolo Verbum audiens credidit, & Baptismum accepit, nos quoque cum filia sua Domitilla tingendos curavit. Eodemque anno Petrus martyrio, Plautilla morte occubuerunt. Domitilla verò, quæ est Aureliano desponsa, à nobis sermonem didicit, quem nos ab ore Apostoli hauseramus, nempe virginem Christi studio in virginitate perseverantem, Christum ipsum sponsum adeptam esse. Quo factum est, ut ipsa cupiat virginitatis suæ votum manus tuæ velamenta sacrari. Quibus Clemens: Tempus, ut videtis, adest, inquit, quo & ego, & vos pro Christo martyrio afficiamur; sed quia à Domino accepimus, ne timeremus eos, qui corpus occiderent, contemnamus hominem mortalem, & sempiternæ vitæ Principi serviamus, atque his dictis Domitillam virginem consecravit*. Aurelianus autem sponsus, ubi id cognovit, omnia, quibus eam averteret à proposito, miscuit, quibus cùm nihil proficeret, à Domitiano impetravit, ut si ad Deorum cultum redire nollet, in Pontiam Insulam, quam Pandatariam quoque dicebant, relegaretur, atque ita in eum locum unà cum Nereo & Achillæo, aliisque familiaribus ejus Christo deditis deportata est, cùm Domitianus jam annum quintum decimum Imperii, teste Eusebio, inivisset. Erant tum in ea Insula Priscus & Furius Simonis Magi quondam discipuli, eò propter magicas fallacias relegati, qui cùm præstigiis suis omnes prope Insulæ incolas adegissent, ut Simonem tanquam Dei filium crederent, ac Petrum et sinè ratione infensum fuisse docerent, eos Nereus & Achillæus ferre non potuerunt, ac germanam Simonis malitiam se testimonio Marcelli, qui Simonis quondam in disciplina fuisset, comprobaturos esse professi sunt, atque ita literas ab eo de Simonis & Petri certaminibus scriptas postulaverunt; quarum testimonio nos supra quoque usi sumus, cùm Sancti Petri historiam contexuimus; ante verò quàm illæ venirent, Nereus & Achillæus martyrio coronati sunt. Venit enim in Insulam Aurelianus, se donis tentare eorum animos cœpit, ut Domitillam de virginitatis sententia dimoverent. Illi verò & munera aspernati sunt, & Domitillam multo magis in castitatis studio confirmarunt. Quare gravissimis verberibus affecti Tarracinam ad Memmium Rufum Consularem sunt missi, à quo equuleo, flammisque ad immolandum impulsi responderunt, se à S. Petro baptizatos nulla ratione posse induci, ut ejusmodi sacrilegio se obstringerent, atque ita capite truncati sunt, quorum corpora Auspicius discipulus sepelivit in Crypta Arenaria, viâ Ardeatinâ, juxta monumentum, quo condita fuerat Petronella S. Petri filia, IV. Idus Majas. Eutiches autem, Victorinus, & Maro in curam Domitillæ virginis succedentes, Marcellum de Nerei & Achillæi martyrio scriptis, quæ extant, literis docuerunt. Quibus lectis Marcellus germanum suum ad eos in Insulam misit, qui post ad fratrem reversus hæc omnia, ita ut evenerant, retulit. Eandem verò historiam invenio primùm apud Dionem hominem Gentilem, deinde apud Eusebium Christianum. *Domitianus*, inquit Dio, *cum multos alios, tum verò Flavium Clementem Consulem, etsi nepos ejus erat, duxeratque uxorem Flaviam Domitillam propinquam ipsius, morte afficit, illato ambobus crimine impietatis, cujus rei causâ multi, qui in mores Judæorum transierant*, (sic Christianos appellat) *damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est; Glabrionem quoque, qui cum Trajano Consulatum gesserat, accusatum præter cætera superioris criminis, & quòd cum bestiis pugnavisset, interfici jussit; cui præsertim propter invidiam infensus erat; nam cùm eum Consulem in Albanum vocasset ad Juvenalia, coegissetque immanem Leonem expugnare, Glabrio non solùm à Leone læsus non est, sed etiam eum egregiè confecit*. Eusebius autem: *Narrant, Flaviam Domitillam ex sorore Fl. Clementis tum Consulis natam, tum aliis plerisque ob Christi testimonium, anno quintodecimo Domitiani in Insulam Pontiam supplicii, & multæ causâ extrusam*. Nonis Octobris Marcellus & Apulejus, quos S. Petri discipulos fuisse diximus, Aureliano Consulari quæstionem exercente, teste Beda, martyrium pertulerunt. Per eosdem dies Joannes Apostolus in Insula Pathmo revelationem vidit, quam Deus jussit septem Ecclesiis Asiæ prodi, Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thistyræ, Sardium, Philadelphiæ, & Laodiceæ, in quis præter cætera Deus se odisse facta Nicolaitarum inquit, eamque Græcis literis proditam Apocalypsim vocavit; de qua sic D. Hieronymus: *Quartodecimo anno Domitiani, secundam post Neronem Persecutionem movente Domitiano, Joannes*

in

A. Chr. XCVI. *in Pathmum Insulam relegatus scripsit Apocalypsim, quam interpretatur Justinus martyr.* Irenæus quoque libro quinto adversùs Valentinum scribit, Joannem vidisse Apocalypsim in fine Imperii Domitiani. Sequenti anno,

XCVII. sæviente adhuc Persecutione VI. Idus Januarii Lucianus Episcopus Bellovacensis, Maximianus Presbyter, & Julianus martyrio in Gallia affecti; Timotheus verò Episcopus Ephesinus, cùm Ephesios in festo suo Catagogio de more lascivientes, & impudenter mulieres obvias invadentes videret, ægrè ferens acriùs eos increpuit; quare ab eis iracundiâ inflammatis tumultu populari occisus est IX. Kal. Februarias. Per eosdem etiam dies Latinus Brixiæ Episcopus acerbè in Urbe vexatus est. Jampridem Domitianus, quæ Christiani de Christi Regno futuro prædicabant, cognoverat, ac mundanum aliquod id esse Regnum arbitratus, sibi ipsi, ut quondam Herodes, metuere cœperat; quam ob causam quicumque è stirpe Davidis superessent, conquiri ad necem præcepit. Quare nepotes Judæ duos, qui secundùm carnem frater Domini dicebatur, quidam malevoli detulerunt, atque eos Jocatus quidam ad Domitianum adduxit, à quo interrogati, num essent ex genere Davidis? se esse responderunt. Inde quantas facultates haberent? denarios se novem, & modicum agellum possidere dixerunt, quo & tributa pensitarent, & vitam suam sustinerent, quam in eo colendo contererent; atque in ejus rei argumentum manus, quæ callos duritie laboris obduxerant, ostenderunt. Rogati denique, ut rationem Christi Regni afferrent, id non terrestre, sed cœleste Regnum fore dixerunt, idque in ipsa sæculi confectione appariturum, quando Dominus cum gloria, & majestate cœlo lapsus de vivis, & mortuis esset judicaturus, & unicuique secundùm sua opera responsurus. Qua re cognita Domitianus securior factus, nihil contra eos mali decrevit, sed tanquam abjectos, & simplices aspernatus, liberos dimisit, atque à Persecutione destitit, quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat. Hæc ex Ægisippi historia hoc modo Eusebius; quod autem ad inhibitam Persecutionem attinet, idem est apud Tertullianum his verbis: *Domitianus cœptam Persecutionem repressit, restitutis etiam, quos relegaverat.* Ego tamen jussisse quidem illum, ut restituerentur, sed antequam redirent, ipsum interfectum fuisse existimo; interfectus est autem haud ita multo post suorum conjuratione, C. Valente & C. Antistio Consulatum gerentibus, ut scribit Dio, XIV. Kal. Octobris. Quem Nerva favore militum excepit, qui postquam init, decretum, Eusebio teste, à Senatu est factum, ut omnia, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur. Itaque multi, quos ille injustè exegerat, de exilio reverterunt, nonnulli etiam bona propria receperunt; inter cæteros Joannes Apostolus exilio liberatus Ephesum repetivit, qua in urbe & hospitiolum, & amicos habebat. Cùm autem, ut addit Prochorus, urbem ingrederetur, fortè vidua quædam Christiana, nomine Drusiana, efferebatur, propinqui verò ejus, ut Joannem viderunt, in hæc verba cum lachrymis proruperunt: *Drusianam, ò Joannes, offerimus, quæ præceptis tuis semper obtemperavit, & tanto tui desiderio flagravit, ut quotidie se æquo animo ex hac vita cessuram diceret, si te semel vidisset; nec voti sui compos esse misera potuit.* Quorum fletu Joannes permotus mulieri dixit: *Dominus Jesus te ab inferis excitet; surge, & ad instruendum convivium vade.* Illa verò quasi somno excitata surrexit, & abiit. Joannes inde, Timotheo Episcopo mortuo invento, Ecclesiam illam administravit. Proximo anno res acXCVIII.

XCVIII. cidit Romæ in Ecclesia Christiana, quæ jam quiescere Domitiani nece incœperat, memorabilis. Sisinius Civitatis princeps, zelotypia uxoris Theodoræ accensus, quam Clemens Pontifex ad Sacra Christiana traduxerat, occultè illam ad Ecclesiam pergentem est prosequutus, cùm ipse sacris ejusmodi non esset initiatus. Ubi verò Clemens orationem perfecit, ac populus, *Amen*, respondit, tum Sisinius oculis, atque auribus repentè captus, servis suis, ut se inde abducerent, imperavit, quod illi facere Ecclesiâ sæpius peragratâ, sed frustra, conati, ubi exitum reperire non potuerunt, ad Theodoram adhuc orantem accesserunt, atque ei Sisinium, dum arcana Dei videre, atque audire voluisset, aspectus & auditus officium amisisse, nec se propterea rationem exeundi ex Ecclesia inire posse narraverunt; tum illa precatione perfuncta, dixit, ut abirent, nam se mox sequuturam, ac protinus ad Clementis pedes accidens, ipsum pro salute viri sui oravit. Hoc audito Clemens ad ædes Sisinii cum muliere maturavit, ac precatione ad Deum effusa homini pristinos sensus restituit; ille verò ur Clemenrem in ædibus suis aspexit, statim vetere zelotypiæ morbo impulsus, ipsum comprehendi jussit; Clemens autem servos ejus in se irruentes impulit in columnas, ac Theodorâ cum pace relictâ, domum se recepit; oranti inde Theodoræ sub vesperam oblata est species viri veneranda canitie præditi, qui dixit: *Per te sanas eris vir tuus, ut impleatur quod dixit frater meus: Sanctificatur vir infidelis per uxorem fidelem:* atque hoc dicto abscessit. Ex quo intellectum est, eum S. Petrum Apostolum exstitisse. Sisinius interim accita uxore dixit: *Roga Deum tuum pro incolumitate mea; ego enim nimio tui studio percitus ad Ecclesiam adii; nunc verò quoniam beneficio Clementis aspectum, auditumque recepi, dic, ut me conveniat, & doceat veritatem.* Itaque vocatus Clemens advênit, ac summo honore exceptus, omnia, quæ ad imbuendum Fide hominem pertinebant, edocuit; Sisinius autem genibus ejus advolutus dixit: *Gratias ago Deo Omnipotenti, qui me cæcum effecit, ut Deum viderem, & surdum, ut veritatem audirem*, & cum tota familia sua credidit, & proximo Paschate abluti sunt ampliùs quadringenti; multique inde nobiles Viri per eum conversi sunt, Cæsaris Nervæ amici. Aureliaons autem Domitillæ sponsus, iisdem, quibus ante furiis agitatus, cùm audisset Euthichen, Victorinum, & Maronem curam sibi virginis ascivisse, à Nerva Imperatore obtinuit, ut eos sibi donaret, si adducere ad sacrificandum non posset, atque eos jussa sua despicientes arripuit, ac per prædia sua di-

distribuit; Eutychen quidem sextodecimo ab Urbe lapide viâ Nomentanâ, Victorinum sexagesimo viâ Salariâ, Maronem centesimo trigesimo eâdem, jussitque eos totum diem fodiendæ terræ operam dare; omnes autem cum populos ad Christum avocare studuerunt, tum multorum languores in virtute ejus curarunt. Quibus rebus auditis, Aurelianus satellites ad illos interficiendos immisit. Ac Eutyches quidem in via occisus, ibidem quoque sepulchrum cum Ecclesia nactus est. Victorinum verò apud Cutilias, demerso per tres horas in puteotes & sulphureas aquas capite, oppressère; quem denique mortuum Amiternini rapuere, ac sepulturæ apud se mandavere. Maroni porrò saxum tantæ magnitudinis in humeros est impositum, ut vix homines septuaginta moverent; quod ille ad tria passuum millia tulit, atque eo in loco reposuit, ubi solitus erat preces Domino fundere; cujus rei admiratione populus ille ad Fidem conversus est; ad extremum verò Aureliano instigante occisum, populus sepulchro in eo saxo, quod ille gestarat, exciso commisit. Per eosdem dies seditio apud Ecclesiam Corinthiorum est mota; quod cùm Clemens audisset, pro officio suo Epistolam ad eos nomine Romanæ Ecclesiæ, jam tum omnium, ut apparet, Magistræ, scripsit, qua illorum Fidem reparare, & pacem inter eos reconciliare conatus est, tradens eam, quam ab Apostolis acceperat, disciplinam. Hujus seditionis meminit, teste Eusebio, Ægisippus; Epistolæ verò missæ Irenæus, Eusebius, & Hieronymus, inquiens: *Scripsit Clemens ex persona Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valde utilem Epistolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur, quæ mihi videtur characteri Epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire; sed & multis de eadem Epistola non solùm sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur, omnino grandis in utraque similitudo est; fertur & secunda nomine ejus epistola, quæ à veteribus reprobatur; & disputatio Petri & Apionis longa sermone conscripta, quam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ Historiæ volumine coarguit.* Hujus Epistolæ multa fragmenta adhuc extant apud Clementem Alexandrinum. Per eosdem dies Clemens Pontifex Amatorem Tricassas in Galliam Episcopum misit. Apud Ephesum autem Joannes rem memorabilem gessit, ut, teste Eusebio, scripsit Clemens Alexandrinus in eo libro, qui inscribitur: *Quis sit dives, qui salvetur.* Ea verò fuit hujusmodi. Joannes Tyranno mortuo ex Pathmo Ephesum reversus, priore anno quorumdam rogatu finitimas Civitates invisit, alibi Episcopos instituturus, alibi integras Ecclesias ordinaturus, alibi certos homines Cleri numero ascripturus. Cùm autem ad vicinam civitatem venisset, & munera necessaria perfecisset, ad extremum, adolescentem omnibus corporis, atque animi bonis instructum, sed præferoci ingenio præditum conspicatus, coram Ecclesia, & Christo ipsius loci Episcopo commendavit, atque ille se curam ejus omnem habiturum promisit; & Joanne profecto adolescentem apud se eruditum salutari aqua infecit, ac demum etiam confirmavit. Post aliquot in dies juvenis indulgentiùs habitus, & ab æqualibus depravatus ad malam frugem se contulit, ita ut cædibus, latrociniis, & gravissimo quoque scelere se obstrinxerit, ac demum sicariorum se, & latronum ducem præbuerit. Hoc autem anno Joannes cùm iterum ad eam orbem adisset, cæteris rebus, quarum causâ venerat, constitutis, ab Episcopo pignus apud eum depositum reposcit: cùmque ille, quodnam pignus sibi tradidisset, anxius quæreret, adolescentem se repetere dixit, quem illi commendasset. Tum Episcopus manantibus lacbrymis, mortuus est Deo, inquit, nam sceleratus, & facinorosus evasit, ac sicariorum, & latronum dux vicinum montem insedit; quare audita Joannes lacerata veste, & percusso capite cum ingenti gemitu dixit: *O egregium animæ fraternæ custodem!* ac statim conscenso equo, ad eum investigandum se contulit. Captus inde à latronibus, qui in excubiis stabant, ipsum ad se acciri jussit. Juvenis autem, cùm eminus Joannem vidisset, pudore victus, propius accedere non sustinuit, sed quanta potuit celeritate, longè ab ejus se conspectu proripuit, quem Joannes subditis equo calcaribus insequutus clamare instituit: *Quid fugis conspectum patris a fili? cur inermem senem armatus juvenis? bono animo esto; adhuc spes de te aliqua superest. Ego rationem ipse pro te reddam, & pro te mortem libenter oppetam, quemadmodum Deus pro nobis excepit; tantùm insiste, & crede; nam ego à Deo missus sum.* His auditis ille restitit, & vultu demisso primùm arma abjecit, deinde flere uberiùs cœpit; postremò se ad pedes Apostoli misit, ac veniam imploravit, dextram, qua multos vita spoliarat, occultans. Joannes autem, se à Deo veniam impetraturum affirmans, & dextram ministram cædis exosculans, quasi jam expiata pœnitentia esset, ad Ecclesiam reduxit, atque jejuniis & precibus cum eo susceptis, veniam à Domino impetrare, ac multis verbis consolatus efferatos ejus mores mitigare contendit; nec ante destitit, quàm eum omnino emendatum actâ pœnitentiâ vidit; ac tum denique præesse Ecclesiæ jussit. Eodem tempore Cerinthus quidam hæresim in Asia sparserat, de qua, teste Eusebio, sic Cajus scripsit: *Cerinthus, qui per adumbratas revelationum, tanquam à magno quodam Apostolo conscriptarum, species absurda portenta, præstigiasque quasi per Angelos ipsi ostentatas, nobis falsò comminiscebatur, hæc asseveranter introduxit: Post resurrectionem carnis humanæ Regnum Christi terrestre futurum, & apud Hierusalem homines in carne cupiditatum, & voluptatum blanditiis servituros. Qui cùm sacrosanctis Dei eloquiis hostis esset infensus, numerum mille annorum* (habuit enim in animo homines in fraudem illicere) *in nuptiarum festis, & celebritate dicebat consumptum iri.* Cùm autem hæc ille dissereret, Joannes in balneum lavandi causâ ingrediens, certior factus, Cerinthum intus esse, subitò ex eo loco recessit, ac foràs se proripuit, neque rectum illud ampliùs subire voluit, & ad comites suos conversus dixit: *Fugiamus extemplo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subitâ ruinâ nos opprimat.* Hæc se Irenæus ex Polycarpi ore hau-

XCVIII. hausisse inquit, qui S. Joannis discipulus fuit; Epiphanius autem hæc ad Ebionem, XCIX. non ad Cerintbum refert. Postero anno Nerva Imperatore VI. Kal. Februarii ex humanis rebus erepto, Trajanus ab eo adoptatus, inito apud Agrippinam Imperio, Romam venit, adeò probatus in omni Imperatoria laude omnibus, ut Victor scripserit, virtutem ejus ægrè exprimere summorum Virorum admiranda ingenia potuisse. Eo anno P. Tarquinius sacrarum largitionum Comes videns Romæ innumerabilem hominum multitudinem operâ Clementis ad Christum ab Idolis avocari, invidiâ percitus ipsos ad se regionum patronos accivit, & divisâ pecunia seditionem B concitare adversùs Christianos præcepit. Quare multi ab eo subornati passim objicere Clementi cœperunt, quòd cultum Deorum magicis artibus infirmaret, ac Jovem, cæterosque Deos everteret, cùm tamen alii ipsum virum bonum, & pauperum studiosum esse clamarent. Qua seditione permotus Mamertinus Urbis Præfectus, Clementem ad se adduci jussit, atque ita appellavit: *Summo te loco ortum omnes, Clemens, fatentur; sed vehementer errare te in eo consentiunt, quòd neglectis Diis Christum colas; quare fac, ut hanc superstitionem abjicias, & Deis honorem suum restituas.* Imperium autem ejus abnuente Clemente, rem C ad Trajanum detulit. Trajanus verò rescripsit, ut Clemens aut Diis honorem haberet, aut Chersonem in Pontum exilii causâ secederet; atque ita multis ille religiosis stipatus hominibus, eò profectus est. Chersonem verò ubi pervênit, ibi ampliùs bis mille Christianos ad metalla damnatos invênit, quos flentes, ac conditionem suam flebiliter deplorantes, oratione, quoad potuit, confirmavit. Cùm autem illi ingenti se premi inopia aquæ narrassent, quòd eam sexto inde lapide peterent, orare cœpit Deum, ut miseris aquam suppeditaret, atque illico agnum stantem, qui pede dextro erecto locum sibi indicaret, aspexit. D Qua re animadversa fontem à Christo sibi ostendi ratus, eò perrexit, ac loco illo fodi jusso perennis aquæ fontem aperuit; cujus miraculi famâ vicini permoti, è vestigio undique confluxerunt, atque ampliùs quingenti conversi Baptismum acceperunt. Inde intra annum per totam provinciam Ecclesiæ ampliùs septuaginta fundatæ sunt. Aurelianus autem postquam Eutychetem, & socios, qui Domitillæ solatio erant, amovit, ipsam pervehi Tarracinam curavit, atque eò Euphrosynam & Theodoram, Sulpicio & Serviliano desponsas misit, ut ipsi matrimonium suaderent. Quod illæ non E impetrarunt. Interim Domitilla filiam nutricis suæ, quæ salvo auditu verba proferre non poterat, precatione præmissa sanavit, ac mox fratri Theodoræ cœco adducto sensum aspiciendi restituit. Quibus rebus visis sponsæ ambæ se ad pedes Domitillæ abjecere, & credentes Christi se mysteriis addixere. Quas multi alii utriusque sexus homines imitati domum eam simulachrum cujusdam Ecclesiæ reddidere. His actis tum Aurelianus cum Sulpicio & Serviliano sponsis pueros Symphoniacos secum habens advênit, tanquam tria sponsalia peracturus; duo verò sponsi, ut mutæ elo-

A quium, cœco aspectum redditum viderunt, XCIX. statim & ipsi crediderunt; Aurelianus autem in sua pertinacia permanens Domitillam per vim includi in cubiculum imperavit, ut vi, quod voluntate non poterat, extorqueret; & cùm duos dies ac noctes saltationem hilari animo celebrasset, demum repentina morte occubuit. Qua re perterriti cæteri, & ipsi ad credendum adducti sunt. Luxurius autem frater ejus petiit à Trajano, ut sibi liceret omnes ad sacrificandum compellere, & abnuentes, quo vellet, supplicio interimere. Itaque Servilianum & Sulpicium Præfecto Urbis Aniano tradidit, atque immolare recusantes B XII Kal. Maji obtruncandos curavit, quorum corpora viâ Latinâ secundo ab Urbe lapide condita sunt. Inde Tarracinam profectus, virgines pristinam constantiam retinentes in cubiculum, in quo erant, inclusit, ac subjecto igne combussit. Postridie Cæsarius Diaconus veniens corpora earum inviolata offendit, nam in faciem suam prostratæ Dominum orantes decesserant, atque eas sepulturâ recondidit. Anno inde C. ab ortu Christi centesimo, Joannes Apostolus jam ætate confectus Ephesi Evangelium scripsit. Ejus scribendi causa duplex affertur, una, ut suppleret ea, quæ Mathæus, Marcus, & Lucas de Divinitate C Christi omiserant, qui humanitatem magna ex parte attigerant; altera, ut Cerinthum, & Ebionitas, aliosque Hæreticos refutaret, qui tum Ecclesiam perturbabant, de Christi Divinitate pessimè & loquentes, & sentientes; scripsisse autem, postquam ab exilio rediit, præter cæteros S. Augustinus in quæstionibus novi Testamenti tradit: *Joannes*, inquit, *in exilio positus, in Insula Pathmo, in quam fuerat à Domitiano Imperatore relegatus, vidit revelationem, sicut dicit in die Dominico: post, sicut diximus, scripsit Evangelium*; & Hieronymus: *Joannes novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis ad-* D *versus Cerinthum, aliosque Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse; unde compulsus est divinam ejus Nativitatem edicere; sed & aliam causam hujus scripturæ ferunt, quòd cùm legisset Mathæi, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem Textum historiæ, & vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantùm anni, in quo & passus est post carcerem Joannes, historiam texuisse; prætermisso itaque anno, cujus acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcerem, gesta narravit.* Per eosdem dies Joannes Aristodemum Principem Sacerdotum populum E adversùs se concitantem adiit, & rationem, qua illi persuadere Christum posset, quæsivit; cui ille: *si venenum*, inquit, *quod ego dabo, sinè noxa ebiberis, ego me Christo addicam*; cùm autem Joannes conditionem accepisset, Aristodemus, ut eum deterreret, duos capite damnatos ante potare jussit, qui statim enecti sunt; Joannes autem cùm signo Crucis præmisso hausisset, nihil mali percepit, ac deinde duos illos, qui mortui jacebant, admotis vestimentis suis, ad vitam redegit; quibus signis visis, CI. plerique Christo se devoverunt. Proximo, Joannes paullò ante Pascha sibi Christum

vide-

videre visus est, qui se ad convivium invitaret, cui jam Condiscipulos ejus adhibuisset, quem ut vidit, gratiis actis, ut id sinè mora faceret, obsecravit. Tum Christus pollicitus est, se post Pascha facturum; quare se ad id tempus interim compararet. Ubi verò dies destinata venit, Joannes Presbyteris, aliisque fidelibus Ecclesiæ assumptis, Ephesо egreditur, & cum eis in collem quemdam, quò cum eis orationis causâ solitus fuerat convenire, progreditur; atque ibi precatione adhibita, Ecclesias Asiæ Deo commendavit, mox sepulchrum sibi effodi præcepit; inde eos, qui aderant, in Fide confirmatos valere jussit; demum signo Crucis munitus in monumentum se intulit, atque operculo claudi mandavit. Quo facto splendor circumfusus astantibus, loci, hominisque aspectum ademit, qui ubi remisit, inane conditorium est inventum, neque ipse ampliùs in terris est visus; in sepulchro autem nihil, nisi manna repertum, quæ post ex illo manare non destitit. Hæc Prochorus, Abdias, Gregorius Turonensis, & Metaphrastes. Quibus astipulantur Hieronymus, & Augustinus: *Joannes*, inquit Hieronymus, *è Pathmo rediit Ephesum, ibique usque ad Trajanum Principem perseverans, totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias, & confectus senio sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus juxta eandem urbem sepultus est*; & alibi: *In sepulchro Joannis, ut fertur, non nisi manna invenitur, quod & scaturire cernitur.* Augustinus verò ut asserat Joannem vivere, atque in illo sepulchro ejus, quod est apud Ephesum, dormire eum potiùs, quàm mortuum jacere contendat, assumit in argumentum, quòd illic terra sensim scatere, & quasi ebullire perhibetur. Eadem quoque Eusebius. Cæterùm moriens Onesimum Ephesi, Polycarpum Smyrnæ, Papiam Hieropolis reliquit Episcopos. Eodem anno Clemens quoque Pontifex vitâ cessit; Trajanus enim cùm audisset, infinitam hominum multitudinem

A operâ Clementis Christiana mysteria suscepisse Chersone, ad eam rem impediendam Aufidianum immisit, qui diversis pœnis propositis eos avertere ab ejusmodi proposito nixus, cùm videret, læto eos, atque alacri animo ad cruciatus omnes subeundos accedere, se continuit, & soli Clementi, ut sacrificaret, mandavit; ubi verò eum constanter recusantem vidit, in mare anchorâ collo illigatâ projici jussit. Mortuus est IX. Kal. Decembris, tertio, ut scripsit Eusebius, anno, postquam Trajanus imperitabat, cùm more à S. Petro instituto duabus, teste Damaso, Ordinationibus per mensem Decembrem factis Presbyteros decem,
B Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim consecrasset. Mirabile porrò est, quod Ephraim Chersonis ipsius Episcopus de Reliquiis Clementis posteritati mandavit: *Clemente*, inquit, *in mare præcipitato, cùm discipuli, ac fideles, qui in littore substiterant, lachrymis, precibusque à Deo contenderent, ut sacrosanctas gloriosi Martyris Reliquias sibi ostenderet, protinus mare ipsum ita summotum est, ut profundum adiri usque ad tria millia passuum posset; qua re cognita fideles susceptâ fiduciâ eò processerunt, atque ibi Templum, & in arca lapidea ipsius Martyris Reliquias invenerunt. Cùm autem eas inde evehere cuperent, per*
C *noctem à Martyre moniti sunt, ne facerent; nam se quotannis in die certaminis sui per septem dies mare ita patefacturum, ut sicco ad se adire itinere possent. Cùm autem ad hoc miraculum invisendum non solùm Chersonenses, sed etiam finitimi populi convenissent, vir quidam pius Templum ingressus arcam intueri, & Martyrem, ut diuturnam filio, quem secum habebat, vitam concederet, orare institit; ac demum osculo sanctis Reliquiis oblato recedere properavit. Ubi verò litus attigit, aquâ in suum locum reversâ, puerum abesse cognovit, & cùm nec repetendi itineris, nec indagandi pueri rationem iniret, submersum ratus, magna comploratione facta, domum se mœstissimus retulit.*

LIBER QUINTUS.

Huc usque pervenisse videtur Ecclesia, quam Apostoli, atque Apostolorum discipuli aut præclaris Institutis formarunt, aut singulari sua sapientia gubernarunt. Nam ferme qui versati cum Apostolis fuerant, aut vita migrarant, aut plurimùm jam annis, atque ætate processerant. Itaque ad hæc usque tempora Ecclesia, ut inquit apud Eusebium Ægisippus, tanquam virgo pura & incorrupta permansit, iis, qui sanam doctrinam saluriferæ prædicationis corrumpere studuerunt, ferme in conspectum sanctorum virorum prodire non sustinentibus; postquam autem sacer Apostolorum chorus, cum iis, qui ab ipsis disciplinam auditione acceperant, è terris excessit, tum impii erroris compositio eorum, qui diversa docuerunt, fraude invaluit, qui nemine jam Apostolorum superstite, nudo, ut ajunt, capite prædicationi veritatis falsò appellatam Gnosin opposuerunt, à quibus Episcopi Ecclesias suas enixè conservasse integras contenderunt. Quin etiam nova hinc in eandem Ecclesiam instituta induci pro temporum ratione sunt cœpta; quorum illud ad memoriam nobis hanc Historiam scribentibus esse debet insigne, quod Romani comitia Pontificis attigit. Nam Christus Petrum, Petrus Linum, Cletum, & Clementem edidit, idest sine ullis comitiorum suffragiis sibi sublegit. Clemens verò longè terrarum in Ponto moriens, neque ipse sibi quemquam substituit, neque substituere absens potuit, ac fortasse ne tantam quidem potestatem, jam multiplicato fidelium numero sibi asciscendam putavit. Itaque ubi mors ejus post dies vigintiduos, ut scribit Damasus, Romæ est nunciata, Clerus in unum convênit, atque exemplo Hierosolymorum, eum, qui virtute cæteris inter se videretur excellere, subrogavit, potestate cuique facta, ut quemadmodum significavit in Alexandro Lampridius, si quis quid haberet criminis manifestis rebus probaret, si non probasset, pœnam capitis solveret. Quis autem hic fuerit, magna adhuc controversia extitit. Evaristum quidem suggerit Irenæus, Optatus, Epiphanius, & Augustinus, atque apertissimè omnium his verbis Eusebius: *Clemens novem annis officio functus, tertio anno Trajani diem obiit, & locum Evaristo concessit*. His autem assentiuntur quoque Cyprianus, & Hieronymus, ut postea demonstrabimus. Solus verò Damasus, & qui eum sequuti sunt, Clementi Anacletum, atque inde Anacleto Evaristum subjiciunt. Quod valdè opinamur animadvertendum, quòd in eo libro, qui Damasi dicitur, labes hærere insignes temporum videantur. Clementem enim, quem præponit Anacleto, sub Trajano scribit, martyrium pertulisse; Anacletum verò, quem Clementi suggerit, sub Domitiano; adde, quòd Clementem statim S. Petro sufficiens, atque usque ad Trajani tempora per annos amplius triginta perducens, & plures quàm novem annos ei necessariò tribuit, & simul Linum, Cletumque excludit. Accedit, quòd novem annos, quos Anacleto, totidemque, quos Evaristo ante Alexandrum assignat, nequaquam probati Consulum Fasti recipiunt, atque omnino alterutrum eorum rejiciunt; quibus rebus nihil fingi potest in hoc genere scriptionis absurdius. Cæterùm Evaristus Ecclesiæ formandæ decessorum suorum exemplo intentus, sequenti, ut puto, anno novi illud constituit; CII.
quippe Titulos, eo, quem diximus, reste, divisit Presbyteris. Erant autem Tituli Parœciæ in singulis Urbis, quæ quatuordecim numerabantur, regionibus, sive ab ipso, sive à superioribus Pontificibus collocatæ. Instituit ergo Evaristus, ut singuli Tituli singulos Presbyteros haberent, qui ibi fideles sacris Christianæ religionis imbuerent; atque hoc idem Beda quoque notavit. Eo anno Chersone res altera mirabilior facta est; quippe die martyrii Sancti Clementis, idest IX. Kal. Decembris mare rursùs, perinde ac superiore anno, recessit, ac viam iis, qui sepulchrum venerari Pontificis ac Martyris vellent, munivit. Quod ut vicini agnovere, miro statim aut visendi, aut venerandi accensi studio confluxere; inter cæteros autem vir ille, qui puerum superiore anno amiserat, advolavit; ac primùm Templum, atque arcam invisens, ibi filium suum non modò vivum, sed lætum quoque & gestientem invênit. Quo recepto, & gratiis Deo actis, domum repetiit, omnibus, qui rem noverant, verè admirabilem Deum in sanctis suis esse fatentibus. Affirmat autem Ephraim, sua quoque ætate illo die quotannis mare abscedere, & viam ad sepulchrum ingredientibus aperire consuevisse. Cui Gregorius quoque Turonensis astipulatur. Interim Trajanus ægrè ferens, Domitianum à Decebalo Dacorum Rege pulsum, ac superatum fuisse, adversùs eum exercitum duxit, ac Danubium amnem transgressus prœlio cum eo conflixit, victumque ad pacis conditiones accipiendas adegit. Itaque Romam reversus de Dacis triumphavit, & Dacici cognomen assumpsit. Postero autem, cùm CIII.
Decebalum iniquè se contra fœdus agere comperisset, iterum à Senatu hostem judicatum novo bello petivit, ac ponte lapideo in Danubium facto securè magis, quàm celeriter bellum confecit; ac Daciâ subactâ, Decebaloque ad necem sibi consciscendam impulso, eam regionem in formulam provinciæ redegit, atque inde sequenti Romam CIV.
reversus pacis opera moliri insignia cœpit, Bibliothecam, Forum, & in Foro Columnam cochlidem, quam sibi sepulchrum esse constituit; de qua sic Dio scribit: *Trajanus in foro suo Columnam cochlidem collocavit, sepeliendi sui causâ, partim ut opus, quod ipse circa Forum fecerat, posteris ostenderet; nam eum locum montuosum, quanta est altitudo Columnæ, perfodit, & Forum eo pacto complanavit*. Hæc Columna adhuc inter cætera Urbis veteris visenda ornamenta ostenditur. Proximo, bellum Armeniis indixit, CV.
prætensâ causâ, quòd Rex eorum non abs se, sed à Rege Persarum diadema sumpsisset. Itaque in Orientem profectus, arma

Ar-

CVII. Armeniæ intulit, atque Armenios repugnantes sequenti biennio mandata sua facere compulit. Dum autem Imperator quà pacis, quà belli studiis occupatur, Ecclesia quietem maximam agitante, Evaristus Pontifex Fidem propagare Evangelii prædicatione contendit; præcipuè autem ad augendam sepulchrorum Apostolicorum auctoritatem, teste Gratiano, constituit, ut omnes propinqui Episcopi quotannis circa Idus Maji ad limina Apostolorum visitanda sinè ulla exceptione venirent; longinqui verò juxta chirographum suum. Post hos etiam dies Papias Episcopus Hierapolitanus VIII. Kal. Martii, teste Beda, decessit, Polycarpi Episcopi Smyrnæi familiaris. Is libros quinque reliquit, quos expositionem sermonum Domini appellavit, atque in exordio operis sui, ut scribit Eusebius, Apostolos se vidisse, aut audisse negavit, sed ea, quæ ad Fidem pertinerent, ab eorum familiaribus accepisse: *Si quis enim Presbyter mihi occurrebat*, inquit, *qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum diligenter ab eo sciscitabar, nempe quid Andreas, Petrus, Philippus, Thomas, Jacobus, Joannes, Matthæus, aut alius aliquis Domini discipulus; quid denique Aristion, & Joannes Presbyter, qui in numero Discipulorum Domini habebantur, loquuti fuissent*. Ingenii verò pertenuis eum fuisse Eusebius arguit, qui illius scripta, quæ intercidère, perlegit.

CVIII. Decimo inde Imperii anno Trajanus bellum ab Armeniis in Parthos, Persasque convertit, gloriæ cupiditate potiùs quàm insigni aliqua injuria provocatus. Judæorum non solùm opibus fractis, sed ipsa etiam natione deleta, nullum ab eis amplius in Christianos intentari periculum poterat, cùm Gentiles multo, quàm ante, sæviores in eos se, duobus quasi factis agminibus, intulerunt, quorum uni eruditi, alterum vulgares homines expleverunt; atque sicut illi subtilibus argumentis & physicis rationibus admirabilia Christianorum dogmata invaserunt, sic hi turpibus ac de trivio arreptis conviciis honestam vitam, & consuetudinem eorumdem aspergere instituerunt, magnam utrique huic malo occasionem hæreticis exhibentibus, vulgò homines, & doctrina, & vita fallentibus. Itaque Trajanus, dum Antiochiæ positus Orienti arma molitur, seditione populi adversùs Christianos, ut inquit Eusebius, propterea concitata permotus novam in eos Persecutionem indixit, quam Tertullianus, Sulpicius, & Augustinus tertiam nominarunt, atque, ut inquit in Ignatio Metaphrastes, Edictum proposuit, idque ad Urbem, & in omnes provincias misit, ut Christiani ubique conquirerentur, & per tormenta, si aliter non posset, usque ad mortem sacrificare ritu majorum adigerentur. Quo facto Romæ, & in provinciis passim magna edi cædes cœpta, cùm Christiani omnibus se cruciari suppliciis paterentur, quàm ut Christum, quem semel susceperant, aliqua ratione diffiterentur. Ingentem verò hanc quoque fuisse Persecutionem nobilitas Martyrum, quos complectemur, ostendet. Nam primarum Ecclesiarum Sanctissimus quisque vexatus est. Ac Cerdo quidem Alexandriæ Episcopus, cùm hoc anno vita functus dicatur, in Persecutione passus videtur; cui alter nomine Primus successit. Ignatius certè Antiochenus Antistes, vir commemorabili pietate præditus, miserandum in modum est habitus. Etenim cùm neglecto Trajani Edicto in prædicatione perseveraret, accusatum Trajanus in Persas profecturus accivit, eumque ut de proposito desistere vellet oravit, dignitatem ei se communicaturum, si ad se transire vellet, ostendens. Cui respondit Ignatius: *Non si me feris objeceris, aut in crucem egeris, aut gladio, ignive confeceris, me à Christo meo unquam avocaveris, & ad tuos istos falsos Deos traduxeris*, atque inde pluribus contra Deorum Religionem oravit. Qua oratione infensior Trajanus effectus, ipsum in vincula tradidit, & postridie re cum consilio agitata, Leonibus objiciendum decrevit; verùm ne præsenti supplicio in animis Antiochenorum fortè aut misericordiam, aut desiderium hominis excitaret, Romam mittendum, tanquam unum ex maleficis, ibique plectendum delectandi populi causâ constituit. Quare iterum ad se adductum, postquam deterrere de consilio suscepto non potuit, vinctum militibus Romam cum Rufo & Zosimo, & aliquot aliis ducendum præcepit, literis ad Præfectum Urbis datis, ut in die festo, convocato in Theatro populo, bestiis offerretur. Atque his actis in Persas profectus est. Ignatius autem Ecclesiâ suâ Deo commendatâ pedibus Seleuciam est perductus. Ex itinere autem omnes, quæ extant, epistolas scripsit ad amicos, quarum mentionem necessariò faciendam esse duximus, quòd in iis certa vestigia horum temporum sint impressa, quæ suprascriptis hæresibus, quas hic commemorat, erant infecta, & præcipuè Ebionis, qui ultimus Christum, purum esse hominem dixit, ac primùm in Asia, deinde etiam Romæ id, teste Epiphanio, docuit. Adde, quòd & in summa sacrorum Scriptorum, quæ hæc tempora occupavit, inopia, multa nobis veteris Fidei, & Apostolicorum Institutorum documenta sunt tradituræ, quorum quidem Eusebius diligens ejusmodi monumentorum collector, non meminit. Quare hortor omnes, ut hæc diligenter tanquam certum aliquem historiæ Commentarium legant. Seleuciâ igitur epistolam credo ad Mariam Cassobolitem misit, in qua sic de vinculis suis scripsit: *Ego non tam in ut, quam aliorum nunc factus, multorum adversariorum arbitrio exagitor, partim exiliis, partim custodia, partim vinculis; at nihil eorum curo, verùm eorum injuriis erudior, ut Jesum assequar, fruar suppliciis mihi paratis*. Item: *Mihi in mentem venit, ut verum dicam fuisse sermonem, quem de te audieram, cùm Romæ apud Beatum Anacletum Papam essem, cui nunc successit Beatissimus Clemens Petri & Pauli auditor. Vehementer cupivi venire ad vos, & unà vobiscum requiescere, & refici; verùm non est in hominis potestate vita ejus; impedit enim meam voluntatem militaris custodia, quæ non permittit ultra progredi*. Monet inde, ut caveat ab hæreticis Basilidianis: *Fuge*, inquit, *eos, qui Christi Passionem, & Nativitatem ejus, qui secundùm carnem genitus est, negant; multi sunt hoc morbo laborantes*. Inde à militibus in navim impositus, Smyrnam

nam accessit, ubi Polycarpum Episcopum, olim Condiscipulum suum, salutavit, & quatuor epistolas scripsit, ad Ephesios, Magnesios, Trallianos, & Romanos, quarum aliquot verba subjiciemus, ac primùm quidem in ea, quæ est ad Ephesios, sic de se dixit: *Audistis, me vinctum à Syria abduci, idque pro Christo communi spe nostra confisum vestris precibus me consequuturum, ut Romæ adversùs bestias pugnem, quo per Martyrium discipulus esse possim illius, qui se ipsum pro vobis obtulit Deo Patri oblationem, & hostiam. Quoniam igitur numerosam vestram multitudinem in Onesimo numquam satis ob virtutem prædicando, vestro autem Episcopo excepi, opto eum juxta Christum Jesum vos amare, omnesque vos illius similes esse*; & post: *Utinam meam pro vestra liceat commutare animam, & pro iis, quos ad honorem Dei misistis Smyrnam, unde & scribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum, sicut & vos. Orate pro Ecclesia Antiochena, quæ est in Syria, unde vinctus Romam adducor*. In ea verò, quæ est apud Magnesios, monet eos, ut revereantur Demam Episcopum suum, non respicientes adolescentiam ejus, sed prudentiam; & addit de se: *Tametsi vinctus sum, comparandus tamen uni vestrûm solutorum non sum. Subjecti estote Episcopo, & vobis mutuò, ut Christus Patri, ut inter vos divina quædam sit unio. Salutant vos Ephesii, & Smyrnæi, unde hæc scribo vobis*. In ea verò, quæ est ad Trallianos, nominat Polybium eorum Episcopum, monetque, ut Sacerdotes revereantur: *Episcopus enim*, inquit, *typum Dei Patris omnium gerit. Presbyteri verò sunt consessus quidam, & conjunctus Apostolorum cœtus, sine his Ecclesia electa non est. Vinctus sum propter Christum, sed necdum Christo dignus sum; si verè consummer, fortasse dignus fuero*; inde: *Diacons purum, & inculpatum Ministerium Episcopis præbeant, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro*. Ad extremum addit etiam, ut caveant hæreticos suprascriptos, qui tum Ecclesiam perturbabant, *sunt nonnulli vaniloqui*, inquit, *& seductores non Christiani, sed Christi mercatores, fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Evangelii, & erroris venenum allinientes dulcibus alloquiis; loquuntur namque Christum, non ut Christum annuncient, sed ut Christum damnent, ac rejiciant, nec Legem stabiliunt, sed ex Lege vitam prædicant. Nam Christum à Deo Patre alienum esse docent, & Legem nihil cum Christo habere commune prædicant. Partum Virginis calumniantur, & cùm pudent illos Crucis, passionem negant, nec resurrectionem credunt, sed ignotum Deum introducunt, Christum ingenitum esse censent; Spiritum verò Sanctum nec esse confitentur. Quidam verò eorum Filium, purum hominem esse dicunt, & eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & omnia creata à Deo non per Christum, sed per alienam potestatem quamdam; adversùs hujusmodi munite vos, ne capiamini, ne ansam detis Gentibus, ut propter paucos insipientes sermo, & doctrina culpetur; obturate aures vestras, cùm vobis quispiam loquitur excludens Jesum Christum Filium Dei, qui natus est ex David, qui ex Maria, qui verè genitus est ex Deo, & ex Virgine, verùm non simili modo. Fugite itaque impias hæreses; sunt enim Diaboli inventa, & excogitatæ artes serpentis illius filium, & Menandrum, & Basilidem. Fugite quoque impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes voluptatum amatores, & Sycophantas; fugite præterea maligni illius nepotes Theodetum, & Cleobulum, qui gignunt mortiferum fructum. Saluto vos è Smyrna cum Ecclesiis Dei, quæ mecum sunt; obsecrant vos vincula hæc mea, quæ propter Jesum Christum circumfero; orate ut Deum assequar; permanete in mutua concordia, & oratione*. Ad Romanos verò scripsit hac occasione: cùm à circumjectis Episcopis, & Fidelibus assiduè viseretur, rogabat omnes, ut æquo animo paterentur, se citò bestiarum impetu laniari, ut ei se primo quoque tempore ostenderet, cujus amore flagrabat. At verò cùm eos valde vicem suam dolentes, ac solicitos cerneret, veritus ne Romani eodem modo erga se affecti aliquid pro salute sua tumultuosiùs molirentur, & suum martyrium morarentur, eos sibi per literas orandos putavit, atque ante IX. Kal Septembris Smyrnâ ad eos epistolam dedit, quam prope totam ob multas caussas hoc loco placet inserere: *Ego scribo omnibus Ecclesiis, & omnibus mando, quia voluntariè pro Deo morior, si vos non prævedieritis. Rogo itaque vos, ut non frustra sit in me dilectio vestra. Sinite me, ut bestiarum esca fiam, per quam possum Deum promereri. Triticum enim Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut possim panis Dei mundus inveniri; magis autem blandimini bestiis, ut mihi sepulchrum sint, & nihil de meo corpore relinquant, ut non obdormiens gravis alicui inveniar. Non sicut Petrus & Paulus præcipio vobis. Illi enim Apostoli sunt Jesu Christi, ego autem usque nunc servus, sed si passus fuero, libertus ero Jesu Christi, & resurgam in eo liber. Nunc disco vinctus nihil Mundi concupiscere, aut aliquid vanum. A Syria Romam usque cum bestiis depugno per terram & mare, die ac nocte vinctus cum decem leopardis, hoc est cum militari custodia, qui ex beneficiis pejores fiunt; in injustitiis autem eorum magis doceor, sed nec in hoc quidem justificor. Utinam fruar bestiis, quæ mihi paratæ sunt, quas & opto mihi veloces esse ad meum interitum, & allici, ut celeriùs me comedant, ne sicut in aliis territæ sint, & non eos tetigerunt; & si ipsæ noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat. Nunc incipio esse discipulus, nulli æmulor visibilium & invisibilium, ut Jesum Christum merear adipisci, ignis, crux, bestiarumque constantia, abscissio, separatio, confractio, dissipatioque membrorum, interitus totius corporis, & flagella Diaboli omnia in me veniant, ut Jesum Christum merear adipisci. Nihil me juvant quæ sunt Mundi hujus, neque Regnum temporale. Bonum enim mihi mori in Christo Jesu, quàm regnare in finibus. Quid enim prodest homini, si universum Mundum lucretur, animam verò suam perdat? Dominum namque desidero Filium veri Dei, & Patrem Jesu Christi; ipsum utique quæro, & illum, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Ignoscite mihi, fratres, ne mihi impedimentum opponatis ad vitam. Jesus etenim vita fidelium, ut ne velitis me*

A *mori, quia vita mors est sinè Christo; Dei volens esse, Mundo non placeam. Sinite me puram lucem percipere, illuc perveniens, homo Dei ero. Concedite mihi, ut sim imitator passionum Dei mei; qui enim vult in se ipso habere, intelligat quod volo, & compatiatur mihi, sciens quid sit in me. Princeps enim Mundi hujus diripere me vult, & in Judicio Dei mei dirumpere. Nemo ergo de præsentibus vobis auxilietur ei, magis autem mei adjutores estote, hoc est Dei. Nolite dicere Jesum Christum, Mundum autem honorantes. Facinus in vobis non habitet, neque si vos præsens rogavero, consentiatis mihi; his autem consentite, quæ scribo vobis. Vivus enim vobis scribo, desiderans mori pro Christo.* B *Meus enim amor crucifixus est, & non est in me. Aqua autem alia viva manet in me intrinsecus mihi dicens, veni ad Patrem: non comedam escam corruptionis, neque voluptates hujus Mundi desidero, panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ, qui est caro Jesu Christi Filii Dei vivi (qui natus est in novissimo ex semine David, & Abrahæ) & potum volo sanguinem ejus, quo est dilectio incorruptibilis, & vita æterna. Hæc igitur scribo vobis de Smyrna per Ephesios beatitudine dignos; est autem mecum simul cum aliis Crocus desiderabile mihi nomen ex iis, qui advenerunt mihi de Syria ad Romam in gloria Dei.* C *Credo vos agnoscere quæ mihi mandastis adhuc proximè constituto; omnes enim digni sunt Deo, & apud vos me oportet requiescere. Scripsi vobis hæc nono Kal. Septembris. Incolumes estote usque in finem in patientia Jesu Christi, Amen.* Smyrnâ inde Troadem provectus scripsit ad Philadelphienses, hortans eos, ut sectionem unitatis devitarent, post multa subdens: *Quare confisus charitati vestræ obsecro vos, ut una fide, una prædicatione, una Eucharistia utamini; una enim est caro Domini Jesu Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus calix, qui pro nobis omnibus distributus est, unus panis, qui omnibus fractus est,* D *unum Altare omni Ecclesiæ, & unus Episcopus in Presbyterorum collegio, & Diaconis conservis meis; quandoquidem & unus est ingenitus Deus & Pater, & unus Unigenitus Filius, Deus Verbum, & Homo, unus Paracletus Spiritus Veritatis, & una prædicatio, & una Fides, & unum Baptisma, & una Ecclesia, quam suis sudoribus, & laboribus fundarunt Sancti Apostoli à finibus terræ usque in fines in sanguine Christi;* & post: *Fratres mei nimis effusus sum amore vestri, & supra modum exultans, tutos tantosque vos reddo, non ego, sed per me Dominus Jesus, in quo vinctus plus timeo; nec dum enim perfectus sum, sed precatio vestra ad Deum me perficiet, ut id consequar,* E *ad quod vocatus sum, confugiens ad Evangelium, tanquam ad carnem Christi, & ad Apostolos, velut ad Ecclesiæ Presbyterorum collegium, & ad Prophetas, ut qui Christum annunciarint, & ejusdem Spiritus participes fuerint, cujus & Apostoli. Quemadmodum enim pseudoprophetæ, & pseudoapostoli unum & eundem spiritum malum, fallacem, & populi seductorem acceperunt, sic & Prophetæ, & Apostoli unum & eundem Spiritum Sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem, & rectum acceperunt à Deo per Jesum Christum;* inde de hæreticis sic loquitur:

Si quis Deum unum prædicat legis, & Prophetarum, Christum verò negat esse Deum, mendax est, quemadmodum & pater ipsius Diabolus, & est hic terrenæ circumcisionis pseudojudæus: si quis confiteatur, Christum Jesum Dominum, neget autem Deum legis, & Prophetarum, dicens Patrem Christi non esse opificem cœli & terræ, hic in veritate non stetit, sicut nec pater ejus Diabolus, & talis est sectator Simonis Magi, non autem Spiritus Sancti discipulus; si quis dicat unum quidem esse Deum, & confiteatur Christum Jesum, sed eundem nudum esse hominem putet, non autem Deum Unigenitum, Sapientiam, & Verbum Dei, sed sola anima, & corpore illum stare censet, hujusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est hujusmodi inops sensus cognomento Ebion. Si quis universa hæc confiteatur, sed legitimam commixtionem, & liberorum procreationem, corruptelam, & pollutionem appellet, aut cibos aliquos detestandos putet, talis apostatam illum draconem in se habitantem fovet. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confiteatur, & Creaturam laudet, sed opinionem, solamque phantasiam esse dicat Incarnationem, Passionemque pudendam dicat, talis Fidem negavit non minùs quàm Judæi, qui Christum necarunt. Porrò si quis hæc confiteatur, & quòd Deus in summo corpore habitabat Verbum existens in ipso, sicut anima in corpore, & propter inhabitans Verbum Christum esse Deum, sed non fuisse in Christo animam humanam, & dicat illegitimos concubitus bonum quoddam esse, & finem beatitudinis constituat voluptatem, ut is, qui falsò nomine Nicolaita dicitur, hic nec Dei, nec Christi amator esse potest, sed propriæ carnis corruptor est, & ob hoc Spiritu Sancto vacuus, & à Christo alienus. Omnes ejuscemodi, columnæ sepulchrales, & mortuorum sunt monumenta, quibus mortuorum hominum duntaxat nomina inscripta sunt. Fugite igitur maleficia, & insidias spiritus, qui nunc operatur in filiis hujus sæculi, ne quando afflicti charitatis affectum in vobis languescere permittatis, sed omnes in unum sitis corde indivulso, & animo voluntario unanimes semper eadem de iisdem sentientes in quiete, in periculis, in mœrore, in gaudio. Suadet inde, ut Episcopo pareant: *Episcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis. Si autem suspicamini, me hæc dicere, quòd intellexerim quosdam dissidere, testis est mihi is, propter quem vinctus sum, quòd non cognoverim istud ex uno cujusquam hominis, sed spiritus annunciavit mihi: sinè Episcopo nihil facite; carnem vestram, ut Templum Dei custodite, virtutem amate, dissidia fugite, imitatores este Pauli, & aliorum Apostolorum, sicut & ipsi fuere Christi;* & post: *Obsecro vos, nihil per contentionem faciatis, sed omnia juxta Christi disciplinam. Audivi enim quosdam dicentes: nisi Evangelium invenero in archivis, non credo. Talibus ego dico, quòd Jesus mihi pro archivis est, quem nolle audire manifesta pernicies est. Illibatum est mihi archivum crux ejus, & mors, & resurrectio ejus, & Fides horum, per quæ cupio justificari precationibus vestris. Qui non credit Evangelio, nihil cæterorum credit; nec enim spiritui debent archiva præferri;* in extremo: *Salutat vos charitas fratrum, qui sunt in Troade, unde & scribo vobis per Burgum.*

Quin

Quio etiam ex eodem loco, atque in eandem sententiam scripsit ad Smyrnæos. Nam cùm de Basilidianorum hæreticorum opinione dixisset, infert: De his autem admoneo vos, carissimi, sciens vos non aliter atque ego, de his sentire, sed præmunio vos contra feras humanam formam præseferentes, quas non modò aversari oportet, sed etiam fugere, solumque pro iis orare, si quando pœnitentia ducantur; si enim in opinione sola in corpore fuit Dominus, & phantasia crucifixus est, & ego opinione solum vinctus sum, cur verò me ipsum morti prorsus tradidi ad ignes, ad gladios, ad feras? at non opinione, sed revera hæc sustineo propter Christum, ut cum illo patiar, ipso me confortante, nec enim mihi tantæ vires. Nemo erret, nisi crediderit Jesum Christum in carne conversatum, & Crucem illius confessus fuerit, & passionem, & sanguinem, quem effudit pro Mundi salute, non assequetur vitam æternam. Nefandas hæreses, & eos, qui schisma faciunt, fugite, ut fontem malorum. Inde monet, ut Ecclesiæ obtemperent: Omnes Episcopos sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium ut Apostolos: Diaconos reveremini, ut ex Dei præcepto ministrantes; sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit; ubi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit, quemadmodum ubi Christus, ibi omnis astat exercitus cœlestis, velut Imperatori potestates Dominicæ; & in extremo: Salutat vos charitas fratrum vestrorum, quæ est Troade, unde & scribo vobis per Burgum; saluto Episcopum vestrum Polycarpum. Hunc autem etiam Polycarpum propriâ epistolâ salutavit, inter cætera dicens: Quoniam omnibus Ecclesiis scribere nequivi, quòd repentè jussus sum à Troade navigare Neapolim; scribes Ecclesiæ anteriore loco positis, ut qui Dei voluntatem teneas, quo & ipsi idem faciant. In Macedoniam inde transgressus scripsit Philippis ad Tarsenses de se in hunc modum: A Syria Romam usque cum bestiis depugno, non quòd à brutis feris devorer; hæ namque, ut nostis, Deo volente pepercerunt Danieli, sed à feris humanam gerentibus formam, in quibus immitis illa fera cubat, quæ me quotidie pungit, & vulnerat; verùm nihili pendo supplicia hæc, neque tanti facio vitam meam, ut eam plus amem, quàm Dominum. Quare paratum me offero igni, feris, gladiis, cruci, dummodo Christum videam Salvatorem, & Deum meum, qui propter me mortuus est; inde de hæreticorum superiorum opinionibus ita: Obsecro vos ego vinctus Christi, quos terra, mare quis exagitet, state in fide, este constanti & firmo animo, quia justus ex fide vivit; estote immobiles, quia Dominus habitare facit in domo iisdem moribus præditos. Novi quosdam Ministrorum Satanæ voluisse vos turbare, quorum alii asseverant, Jesum opinione tantùm, & phantasia natum, & opinione crucifixum; alii verò dicunt, eum non esse Filium Creatoris omnium; nonnulli verò, quòd ipse est super omnia Deus; aliqui, quòd merus homo; alii verò, quod eadem caro non resurgit, & quòd voluptaria vita amplectenda sit; hunc enim esse finem bonorum iis, qui paulò post corrumpendi sint; in extremo: Salutat vos Ecclesia Philippensium, unde & scribo hæc; Item aliam scripsit ad Antiochenos de iisdem rebus loquens, & præcipiens: Levia, minusque gravia vincula mea Dominus fecit, ubi didici vos pacem habere, & in omni concordia & corporali, & spirituali degere. Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, ut ambuletis dignè vocatione, qua vocati estis, caventes maligni illius hæreses, quæ impudenter se ingesserunt ad fraudem, & exitium illorum, qui credunt iis; sed attendentes Apostolicæ Doctrinæ, & legi, & Prophetis credentes, abjicite omnem Gentilem, & Judaicum errorem, ut nec multitudinem introducatis Deorum, nec prætextu unius Dei negetis Christum; & post: hæc scribo vobis, Christi novella oliva, non quòd conscius sim, vos ejusmodi sentire, sed ut præmuniam vos, vobisque cautum velim, ut pater filiis. Cavete itaque improbos operarios, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum gloria est in confusione eorum. Petri & Pauli fuistis discipuli, ne perdatis depositum; mementote Evodii beatissimi Pastoris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula vestræ Ecclesiæ adeptus est; non simus pudore Patri, simus genuini filii, non autem adulterini. Nostis quomodo vobiscum conversatus sum; quæ præsens dicebam vobis, hæc & absens scribo. Memores estote vinculorum meorum. Presbyteri pascite gregem, qui inter vos est, donec Deus designaverit eum, qui principatum in vobis habiturus est. Ego enim jam immolor, ut Christum lucrifaciam; inde Cæsari subjecti estote in iis, in quibus subesse nullum animæ periculum est; principes nolite irritare, ne exacerbentur, ne ansam detis eis, qui illam contra nos quærunt. Saluto sanctorum Presbyterorum collegium; saluto sacros Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas; Hypodiaconos, Custodes sacrorum vestibulorum in Christo, Diaconissas, Christo afflatas virgines, populum Domini à parvo usque ad magnum, & omnes sorores meas in Domino. Salutat vos Polycarpus Smyrnæorum Episcopus, Onesimus Ephesiorum, Demas Magnesiorum, Polybius Trallianorum. Hæc è Philippis scribo vobis. Atque ex eodem quoque loco scripsit ad Heronem Diaconum, cui Ecclesiam Antiochenam discedens commendarat, præter cætera docens, ut ea tantùm teneat, quæ ab Apostolis constituta sunt: Quicumque dixerit, quippiam præter ea, quæ constituta sunt, tametsi fide dignus sit, quamvis jejunet, quamvis in virginitate degat, quamvis signa edat, quamvis prophetet, pro lupo illum habeas, quique sub ovina pelle exitium, pestemque afferat ovibus. Si quis Crucem urget, quemque Crucis pudeat, sit tibi ipse adversarius, tametsi omnia sua distribuat pauperibus, tametsi tradat corpus suum incendio, sit tibi detestandus; nihil sine Episcopis facito; Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister; baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt; tu verò illis ministras, ut Sanctus ille Stephanus Jacobo & Presbyteris, qui erant Hierosolymis. Salutant te Episcopi, Onesimus, Bitus, Demas, Polybius, & omnes, qui sunt Philippis in Christo, unde & hæc scripsi vobis. XV. Kal. Januarias Rufus & Zosimus Ignatii comites Philippis martyrium pertulerunt, quos ex primis discipulis fuisse, qui Ecclesiam constituerint, eorumque Polycarpum in epistola ad Philippenses memi-

A. Chr. CVIII.

minisse Beda cum Usuardo testatur. Ignatius interim in Epirum provectus, Tyrrenum mare transmisit, ac sequenti ineunte anno,

CIX.

qui fuit Imperii Trajani undecimus, Puteolos adiit, atque inde Romam pervênit, & Præfecto Urbis oblatus est; ille verò literis Trajani acceptis, jussa ejus diligenter exhausit; nam, prout adjicit Ado, ut Deorum confessionem adversùs Christum extorqueret, scapulas ejus plumbeis pilis contudit, ungulis corpus laceravit, & lapidibus asperis confricuit, latera oleo ardenti infuso adussit, super accensos carbones incedere compulit, plagas aceto, & sale perfudit, vinculis ferreis membra constrinxit, pedes ligno inclusit, ipsum per triduum in carcere sinè cibo, potuve continuit, atque ad extremum Christianam constantiam retinentem, ubi dies festus accessit, in arenam, sedente cum Senatu in Amphiteatri gradibus populo, à feris laniandum produxit; ibi verò constitutus, cùm rugientes leones audiret, sic populum alloquutus est: *Viri Romani, nolite putare, me hæc pati, quia alicujus manifestus sim sceleris, sed ut Deum assequar, cujus desiderio teneor; sum enim frumentum, & molor per dentes bestiarum, ut fiam ei panis purus*. Atque his dictis immissi in caveam leones impressionem in eum fecerunt; verùm Dei voluntate, cùm fauces elisissent, à corpore contra ipsum belluarum ingenium temperarunt. Hæc omnia præsente Romæ Trajano acta esse scribit Ado, cùm tamen Metaphrastes eum in Oriente abfuisse belli causâ prodiderit, cujus sententiæ nos potiùs assentimur. Dimisso inde Theatro fideles, ad quos Ignatius scripserat, corpus ejus collegerunt, & in sepulchro extra Urbem condiderunt. Quod postea Antiochiam reportatum XVI. Kal. Januarii repositum est. Atque hæc quidem, teste Hieronymo, undecimo Trajani anno sunt acta. Hujus martyrii meminit Irenæus, his verbis: *Quidam è nostris cùm per testimonium, quod Deo perhibuerat, esset ad bestias condemnatus, sic loquutus est: Dei frumentum sum, & ferarum dentibus molor, ut purus, & sincerus panis evadam*. Sub eosdem dies Polycarpus quoque, postquam literas ab Ignatio acceperat, verùm antequam eum martyrio Romæ confectum audierat, literas, quæ extant, scripsit ad Philippenses, in quibus officiorum, quæ illi erga Ignatium, cæterosque fratres vinctos præstiterat, & literarum, quas ab Ignatio acceperat, meminit: *Gratulatus sum*, inquit, *vobis in Domino nostro Jesu Christo, suscipiens imitabilia verba charitatis, quam ostendistis erga sanctos illos, qui præmissi sunt, viros vinculis decoris astrictos, quæ sunt catenæ electæ Deo*. Item: *Rogo vos omnes insistere verbo justitiæ, & patientiæ, quam oculata fide vidistis in beatissimis illis Ignatio, Rufo, & Zosimo; scripsistis ad me, & vos, & Ignatius, ut si quis vadit in Syriam, deferat literas meas, quas & desidero vobis; epistolas Ignatii, quas ad vos misit, habeo, & alias quotquot apud nos habuimus, ad vos mittimus, ut mandastis; atque huic epistolæ subjecimus; continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem. Et de ipso Ignatio, & de iis, qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate*. Harum quoque literarum Eusebius meminit. Ignatio deinde Heros Diaconus est suffectus, de quo supra diximus. Dum hæc Romæ aguntur, XIV. Kal. Februarii Sarbellius nuper cum Barbea sorore à Barsimæo Episcopo ad Fidem traductus martyrium oppetiere. Quippe à Præfecto Lysia comprehensus, cùm de sententia non decederet, primò virgis cæsus, scalpro laniatus, igne adustus, post inter bina ligna dissectus, ac demum unà cum sorore gravissimè ante cruciata truncatus est, ut quidam nuper ex Græcorum monumentis prodiderunt; postridie verò Barsimæus Episcopus eadem de causa eodem martyrio coronatur. Neque verò solum Alexandria, & Antiochia Episcopis suis orbatæ sunt, sed Hierosolyma quoque, & Roma; nam Symeon, ut ex Ægisippi historia narrat Eusebius, martyrio coronatus est. *Cùm Judæi*, inquit, *ex Regia Tribu Davidis conquirerentur, quidam ex septem Sectarum numero Symeonem Cleophæ filium Hierosolymorum Episcopum non modò ut ex Davidis stirpe editum, verùm etiam ut Christianum in judicium adduxerunt*. Ita Simeon centum & viginti annos natus, coram Attico Consulari Fidem Christi constanter professus, cùm multis diebus acerbas plagas esset passus, testimonium Christo fortissimè reddidit, adeò ut cum omnes, tum ipse Consularis admiraretur, quo pacto, cùm id ætatis esset, tam asperum plagarum cruciatum sustineret. Quibus rebus confectis XII. Kal. Martii, teste Beda, in crucem actus est; atque ei successit Justus. Qui verò nomen ejus detulerunt, & ipsi ex eodem sanguine esse reperti sunt. Marianus Scotus censet, Evaristum Pontificem epistolam, quæ adhuc ejus nomine scripta ad Africanos Episcopos fertur, hoc anno scripsisse; ex qua Evaristi Decreta intelligi possunt: *Diaconi*, inquit, *qui quasi oculi videntur esse Episcopi, in unaquaque Civitate juxta Apostolorum Instituta, septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquomodo infestetur, aut lædatur à suis, aut Verba Divina detrahendo, aut insidiando polluantur, vel despiciantur, sed veritas spiritali redoleat fervore, & pax prædicata libiit, animi cum voluntate concordet*; & post de hæreticis loquens: *De his verò, quibus ab insidiatoribus fatigamini, unde & nos consulere, & à nobis edoceri inter cætera voluistis, eo quòd sint quidam, qui arbitrantur, de Patre solum dictum esse, quia ipse solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, eos Apostolicis percutite ferulis, & Divinis redarguite præceptis*. In eadem quoque epistola matrimonium publicè celebrari, & benedictionem Sacerdotis adhiberi constituit. Hic deinde cùm tribus Ordinationibus per Decembrem initis Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca quinque creasset, propter confessionem arreptus VII. Kal. Novembris vitam, teste Damaso, martyrio terminavit, in Vaticano juxta S. Petrum sepulturam adeptus. Idem autem est etiam apud Bedam his verbis: *Evaristus novem sedit annos, sub Trajano martyrio coronatus VI. Kal. Novembris, sepelitur in Vaticano*. Eundem octo annos sedisse, atque ad undecimum Trajani pervenisse, notavit Eusebius; quo anno Consules fuerunt Gal-

A. Chr. CIX.

CIX. Gallus & Bradua, quibus Consulibus ipsum Evaristum martyrio affectum prodidit quoque Damasus rectè; init enim anno Trajani tertio, ut diximus, extremo; obiit anno undecimo prope extremo. At Damasus, qui ipsum Evaristum inisse Vetere & Valente Consulibus inquit, quo anno Nerva augustalia Insignia cepit, imprudenter Clementem ab Imperio Trajani excludit, quem alio loco sub Trajano passum esse testatur; ex quo apparet, hanc Pontificiam dispensationem apud illum, ut diximus, ex omni parte labare.

ALEXANDER PONTIFEX VI.

EVaristi verò locum suscepit Alexander, ætate ille quidem juvenis, sed sanctitate eum antiquitate comparandus, quem quintum à S. Petro produnt Irenæus, Eusebius, Optatus, Epiphanius, Augustinus, & Beda, nemine inter Clementem, Evaristumque recepto. Onesimus quoque Ephesiorum Episcopus, de quo paulò ante diximus, cùm constanter in confessione
CX. Christi perstaret, sequenti, qui fuit centesimus decimus Romam ex Asia missus est Romæ autem Tertullo Præfecto Urbis oblatus, cùm de more rogatus, num esset Christianus, asseruisset, ac data occasione multa adversùs eum de erroris Gentilicii vanitate pro Religionis Christianæ veritate loquutus esset, atque ipsum Præfectum ut sibi assentiretur, urgeret, ab eo in carcerem trusus est, in quo per octodecim dierum spatium maceratus, à populo concurrente magis est in vera Fide confitenda firmatus. Quod ut vidit Tertullus, ipsum ex Urbe per speciem clementiæ expulit Onesimus verò Puteolos progressus, assiduis concionibus habitis magnum populi numerum ad se allexit. Qua re audita Tertullus eum revocavit, ac post acrem objurgationem in ligno extentum per ignominiam virgis cædi; post autem minatus se artus ejus singulos dissecturum, cùm nihil de libertate sua remitteret, tibias, & fœmora ei suffringi præcepit, atque ita Onesimus fortiter Martyrium consummavit. In Ponto Phocas Episcopus Synopensis tanto fuit animi robore, ut, teste Beda, Præfecto Africano sub Trajano, carcerem, vincula, ferrum, ignemque pro Christo devicerit. Hæc Metaphrastes. Beda verò utrumque lapidibus obrutum scribit. In Exercitu autem Cæsaris interim res alia memorabilior acta est; quòd undecim millia Militum extiterunt, qui Edicto ejus neglecto, sese à cultu Deorum abstinuerunt. Quod ut audiit Trajanus, post prœlium prosperè factum, in Melitonam Armeniæ relegavit. Romulus autem Aulæ Præfectus factum hoc reprehendere ausus, cùm impietatis accusatus, præsente Trajano, Deis obloqui non desineret, primùm cædi, deinde obtruncari Nonis Septembris est jussus, ut prodidit Metaphrastes. Multi alii sub Trajano Martyrium passi dicuntur; quorum quia apud Bedam, aut alium veterem nihil certi scriptum reperi, ne meminisse
CXI. quidem volui. Proximo, ut in Chronico notavit Eusebius, anno, Plinius Bithyniæ Proconsul cùm assiduis Christianorum delationibus urgeretur, atque eorum varias

A esse causas reperiret, incertus sententiæ Trajanum consuluit, atque epistolam ad eum misit, quam his annalibus intexere operæ pretium duximus; neque enim scriptum extat aliud, unde illustriùs, ac certiùs perspici ratio possit persecutionum, & quæstionum, quæ de Christianis exercerentur, &, quod memorabilius est, idem adeò disertè innocentem eorum vitam, sanctos mores, & egregia Instituta exponit, ut à Christiano Scriptore, aut præclariùs exprimi, aut fideliùs tradi nequiverint; Epistola verò est hujusmodi: *Plinius Trajano: Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest meliùs vel cunctationem meam regere, vel*
B *ignorantiam instruere? cognitionibus de Christianis interfui nunquam; ideo nescio, quid, & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sit ne aliquod discrimen ætatum, aut quamlibet teneri, nihil à robustioribus differant, detur ne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit, nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani; confitentes iterum, ac tertiò interrogavi ipsos, an essent Christiani, supplicium minatus; perse-*
C *verantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pervicaciam certè, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia Cives Romani erant, adnotavi, in Urbem remittendos; mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus, sine auctore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cùm præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulachris numinum adferri, thure, ac vino supplicarent; præterea maledicerent Christo (quorum nihil cogi posse dicuntur qui sunt revera*
D *Christiani) demittendos putavi. Alii ab Indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt, fuisse quidem, sed desisse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, Deorumque simulachra venerati sunt, ii & Christo maledixerunt: adfirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus per-*
E *actis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium, quod ipsum facere desisse post Edictum meum, quo secundùm mandata tua, & eras esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere: sed nihil aliud inveni, quàm superstitionem pravam, & immodicam; ideoque dilata cognitione ad consulendum te decucurri; visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum; multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum,*

&

A. Chr. CXI. *& vocabuntur; neque enim civitates tantùm, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti, & corrigi posse. Certè satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur; ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.* His verò literis respondit Trajanus: *Trajanus Plinio: Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur, & arguantur, puniendi sunt; ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, idest supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sinè auctore verò propositi libelli nullo crimine locum habere debent, nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.* Hoc rescripto Trajani publicato vis repressa Persecutionis existimatur; unde scripsit Sulpicius: *Trajanus cùm tormentis, & quæstionibus nihil in Christianis morte, aut pœna dignum reperisset, sævire ultra in eos vetuit.*

CXIII. Biennio post, qui fuit Trajano sextum, & Julio Africano iterum Consulibus, Alexander Pontifex epistolam ad omnes Orthodoxos scripsit, ne Sacerdotes vexarentur, ne scripta ab eis per metum, aut aliquam fraudem exigerentur, & ut Passio Domini in consecratione Corporis misceretur, & aqua cum sale ad domos aspergendas benediceretur, & ut fides Trinitatis firmiter teneretur. Extat epistola superioribus Consulibus IX Kal. Augosti data, quam unusquisque consulere potest. Eodem anno Za-

CXIV. charias Justo, & sequenti Thobias Zachariæ Hierosolymorum Episcopi successerunt. Alexander interim tribus Ordinationibus per mensem Decembrem factis, Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca quinque creavit, & Fidem prædicando multos homines ad Christum attra-

CXV. here studuit. Proximo, Columna in Foro Trajani dedicata est cum hac inscriptione: *S. P. Q. R. Imp. Cæsari D. Nervæ F. Nervæ Trajano Aug. Germanico, Dacico, Pont. Max. Tribun. Potest. XVII. Cos. VI. P. P. ad declarandum quantæ altitudinis mons, & locus tantis operibus sit egestus.* Eodem anno Trajanus viam à Benevento Brundusium stravit, testis est hæc inscriptio: *Imp. Cæsar Divi Nervæ F. Nerva Trajanus Aug. German. Dacic. Pont. Max. Tr. Pot. XIII. Imp. VI. Cos. V.* P. P. *viam à Benevento Brundusium pecuniâ suâ fecit.* Post rescriptum Trajani Persecutio prorsus refrixisse Romæ videbatur, cùm subitò contra omnium opinionem recruduit. Ei verò rei materiam dedit Alexander Pontifex, postquam Præfectum Urbis convertit, ut in vita ejus antiquissima proditur; quippe Hermes Præfectus Urbis, cùm unicum filium lethali morbo tentatum haberet, ipsum in Capitolium tulit, ac sacrificio Deis facto, & muneribus Pontificibus pro salute illius oblatis, nihilominus eum amisit; cùm autem pueri nutrix, mulier Christiana, eum increparet, inquiens: *Si ipsum ad limina S. Petri tulisses, & Christo credidisses, hodie incolumem filium tuum haberes*; ille respondit: *Tu cùm aspectum tuum* (erat enim luminibus capta) *recuperare non possis, quomodò filium mihi meum restitues?* Tum illa: *Si ante hos quinque annos, quibus cæcata sum, credidissem Christo, oculos meos sinè dubio recepissem*; cui Hermes: *Vade ergo, & crede, & si tibi oculos aperuerit Alexander, credam ipsum & filium mihi posse meum ab inferis excitare.* Abiit ergo illa horâ tertiâ, & sextâ videns revertit; ac statim puerum Hermetis in humeros sublatum quanta maxima celeritate potuit, ad Alexandrum detulit, eoque ad ejus pedes posito dixit: *Domine redde mihi cæcitatem, sed huic puero vitam.* Alexander autem precatione factâ, cùm puerum suscitasset, eum Hermeti parenti obtulit; quem ut Hermes vidit, lætitiâ gestiens ad ejus se pedes abjecit, & ut se quoque, & Theodoram uxorem suam Christianorum sacris initiaret, oravit, ac non tantum boni adeptus, Alexandrum pueri tutorem, bonis matris omnibus cum parte suorum tributis, instituit. Ubi verò dies Paschatis venit, servos suos mille ducentos quinquaginta parte patrimonii sui unà cum libertate donavit, reliqua verò pauperibus destinavit; atque ita familia Hermetis universa unà cum ingenti nobilium numero salutari lavacro infecta est. Res ut erat insignis, sic statim ad aures Trajani Seleuciæ tum agentis perlata est. Qua cognita ille è vestigio Aurelianum Comitem utriusque militiæ Romam destinavit, datis mandatis, ut Christianos, quotquot ad Deos redire abnuerent, per omnia tormenta necaret. Qui postero anno ad CXVI.
Urbem profectus extemplò Alexandrum in carcerem, Hermetem verò in custodiam apud Quirinum Tribunum dedit; interim Gentilibus in Urbe seditiosè vociferantibus, ut Alexander & Hermes igne comburerentur, qui à Deorum cultu tot hominum millia revocassent, & Templa, Deosque subvertere docuissent; Quirinus interim Hermetem, quem in custodia habebat, admonuit, ut resipisceret, ac fortunas, & dignitatem retineret. Quod ille se facere non posse dixit; sic ab Alexandro viro magnorum operum patratore imbutus. Cui Quirinus: *Si Alexander tanta potestate præditus est*, inquit, *cur non se, & te ipsum his vinculis expedit?* Cui Hermes, *exemplum Christi*, inquit, *imitatur, qui in Crucem sublatus, semetipsum non solvit. Verùm tu potestatis ejus periculum facere potes hoc modo: Perge ad illum, & dicito, si assequi poteris, ut ex hoc carcere ad Hermetem evadas, ego tibi assentiar.* Quirinus, ut potestatem ejus experiretur, abiit, ac dixit: *Si tu me invito hinc ad Hermetem processeris, me in auctoritate tua fore polliceor*; atque hoc dicto custodias ei, ne elaberetur, adauxit. Alexander autem oratione ad Deum effusâ, silentio noctis ab Angelo per fenestram ad Hermetem perductus est. Quirinus autem postquam in cubiculum Hermetis ingressus, Alexandrum inspexit, prope metu cohorruit; cui Alexander: *Quia spopondisti*, inquit, *te, si nos, qui corpore disjuncti eramus, in unum convenissemus, Fidem nostram suscepturum, age, quando effectum id vides, crede; sed ne putes, nos evadendi causâ vincula dissolvisse, postridie mane nos, ut ante,*

vin-

CXVI. A *vinctor inveniet; nam tuæ salutis causâ id fecimus; nempe ut tibi probemus, Christum Dei Filium verum esse Deum.* Tum Quirinus: *Ego assentiar vobis, si Balbinam filiam meam, puellam venustissimam, insigni strumæ vitio, quæ illam dedecorat, liberabitis. Atqui,* inquit Alexander, *noli vereri; Adducito illam ad me in carcerem, & salvam recipies.* Cui Quirinus, *si tu es in cubiculo meo, cur est opus, ut eam ad te adducam in carcerem? quia,* inquit Alexander, *qui me inde eduxit, mox me illuc quoque reducet.* Cùm aosem Quirinus clauso, ut solebat, eubiculo discessisset, Aogelus rediit, atque Alexandrum in carcerem per fenestram reduxit. Quirinus inde in carcerem profectus, ad pedes ejus se B prostravit, inquiens: *Ora pro me Deum, cujus tu es Episcopus, ne ille mihi succenseat.* Cui ille: *Deus neminem vult perire, sed potiùs peccatores converti.* Tum Quirinus: *Ecce Balbina ancilla tua, filia mea.* Alexander Evenrio Presbytero, & Theodulo Diaeono, qui esdem de causa io careere erant, aceitis, bojam eervice sua detractam collo poellæ imponi jussit; eamque abire præcepit. Exeunti verò Angelus se se obtulit, inquiens: *Balbina salva esto, & tu virginitate maneto; & ego efficiam, ut videas sponsum tuum, qui tui amore fudit sanguinem suum;* atque hoe dicto evanuit. Tum Quirinus videns filiam suam sanam, dixit: *Exi* C *hinc Alexander, ne fortè, te hic moram trahente, ignis è Cælo labatur, qui me conficiat.* Tum Alexander: *Si me vis magno beneficio cumulare, fac, ut omnes, qui versantur in carcere, Baptismum accipiant.* Cui Quirinus: *Quid hoc conaris? Christiani enim viri sancti sunt; horum verò alii effractores, alii adulteri, alii malefici, & criminum diversorum comperti sunt.* Tunc Alexander: *Atqui propter peccatores Christus Dei Filius è Cælo descendit, atque ad pœnitentiam universos vocavit.* Demum ad eos Quirioi jussu advocatos sic disseruit: *Filii audite me, & credite; Deus, qui fecit cælum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, Filium suum* D *misit è summo cælo, ut ex Virgine nasceretur, qui nullum unquam habuit nascendi initium. Hic verò ad Fidem suam cœpit invitare omne genus humanum; sed cùm mortales duros se ad credendum præberent, voluit eos miraculis permovere; itaque deficiente in nuptiis vino, aquam mutavit in vinum, enunciavit occultas hominum cogitationes, cæcis restituit aspectum, mutis eloquium, claudis gressum, Dæmones fugavit, languentes curavit, mortuos excitavit, ventis imperans tempestates sedavit, ac mare vestigiis siccis calcavit. Cùm autem his visis plurimi in eum crederent, Pharisæi & Judæi invidia perciti, eum Cruci affigendum curarunt; nec ille mori* E *recusavit, cùm id declinare nullo negotio posset, ut mortis nostræ auctorem Diabolum captivum abduceret: mortuus autem tertia die surrexit, & se in cælum multis inspectantibus extulit, collatâ discipulis suis eadem signa edendi potestate; supremo verò Mundi die venturus est ad Judicium, ut bonis bona, malis mala rependat. Vos igitur, si hæc creditis, date nomina vestra, ut possitis effici Christiani.* Cùm autem omnes se eredere affirmareot, præcepit Eveotio & Theodulo, ut manus eis imponerent, atque eos Catheeumeoos facerent. Inde Quirino

A & Balbinæ filiæ, & universæ ejus familiæ, CXVI. cæterisque, qui in careere erant, Baptismus est impertitus, atque omnes vestibus albis à Quirino donati, & carcere exire jussi suot. Quæ ubi Commeotariensis vidit, statim ad Aorelianum detulit; ille verò iraeundiâ inflammatus, Quirinum extemplò accivit, & de re gesta rogavit, minis in eum gravissimis intentatis. Coi ille: *Christianus,* inquit, *evasi, & Alexandrum, Hermetem, cæterosque, qui in carcere tenebantur, Christiance emisi; qui tamen nusquam abierunt; quare minas tuas non pertimesco, sed omnia tormenta contemno; qui verò versantur in carcere, ejusdem mecum* B *sententiæ sunt; nam si propter crimina nostra, inquiunt, eramus mortem appetituri, multo alacriùs eandem propter Christum excipiemus; quare licet in omnes pro arbitrio animadvertere.* Ea libertate offensus Aurelianus, statim linguam ei jussit exeiodi, & io equuleo torqueri; non eedente autem illo, manus & pedes abscidit, atque adhuc reluctanti demum III. Kal. Apriles caput amputavit. Corpus autem projectum eanibus Christiani protious rapuerunt, & in cœmeterio Prætextati viâ Appiâ condiderunt. Interim Balbina ad carcerem reversa Alexandri, & sociorum vestigiis insistens in Sancta Virginitate permansit; cui aliqoando bojam C Alexandri, qua cuncta fuerat, osculanti, Alexander: *Desine hanc osculari bojam,* inquit, *sed potiùs vincula S. Petri perquire, eaque osculare. Quæ inquisita, ubi Balbina invênit, gratias Christo egit, & prosternens se dixit: Benedictum sit nomen tuum, Omnipotens Deus, quòd per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritalem aperuisti;* atque ea cum multis osculis venerata, ad Theodoram Hermetis uxorem attulit. Post aliquot iode menses Aurelianus adhue iram retinens, Hermetem obtruncari jussit V. Kal. Septembris, cujus corpus Theodora uxor collegit, ac viâ Salariâ oon longè ab Urbe reposuit; D inde eos, qui io carcere hærebant, ad mare perduci mandavit, & navi vetustæ impositos, atque in altum evectos alligatis collo saxis submergi; atque eos Balbina virgo Deum collaudans est coosequuta pridie Nonas Octobris. Eodem aooo cùm Trajanus hyberna Antiochiæ ageret, urbs illa sævissimo terræmotu jactata est, quo non solùm tecta magna ex parte procubuerunt, sed etiam iofinitus homioum oumerus aut afflictus, aut debilitatus est; inter cæteros Pedo Consul elisus interiit. Trajanus autem vix sibi fugâ ex urbe arreptâ consuluit, ut Dio multis verbis narravit. Postero, qui CXVII. fuit Trajani noousdecimus, Joannes, teste E Epiphanio, Hierosolymorum Episeopus factus est. Romæ nutem Aurelianus Alexandrum Pontificem ad se adduci præcepit, & de illo quærere instituit, cur tandem mallet pro Christo mactari, quàm vioci? Cui Alexander; *quod quæris sanctum est; Nobis autem interdicitur à Christo, ne sanctum projiciamus canibus.* Cui Aurelianus: *an verò ego sum canis?* inquit, & cùm Alexander responderet, *illum cane quoque multo esse deteriorem,* adjecit: *Nisi quæstioni meæ satisfeceris, ego te verberibus afficiendum curabo.* Iode cùm diceret Alexander, se neminem timere, nisi Regem suum, qui

esset

A. Chr. CXVII. esset in cœlis, infensior factus mandavit, ut in equuleo torqueretur, & ungulis foderetur, & lampadibus ureretur. Quo facto: *Quin igitur*, inquit, *ad interrogata respondes, & te his aliquando cruciatibus liberas? & cùm triginta annorum sis, juventutem tuam conservas*. Inde verò Severinæ rogatu oxoris, mala illi omnia, ni parceret, intentantis, de equuleo deposuit; atque Eventium & Theodulum produci imperavit. Eventius autem in equuleo positus, cùm de Fide sua esset rogatus, dixit: *Ante annos septuaginta, anno ætatis meæ undecimo baptizatus, vigesimo Presbyter factus, nunc verò annos unum & octoginta sum natus, & altero jam anno in carcere teneor*. Cui Aurelianus: *Consule ergo senectuti tuæ, & nega Christum esse Deum tuum, & præmium eximium feres*. Tum Eventius: *Immo verò*, inquit, *tu age pœnitentiam, & crede Christum Dei Filium verum Deum esse, ut possis ad ejus misericordiam pervenire*. Inde sublato Theodulo dixit: *Tu ne ille es, qui jussa mea pro nihilo ducis? Sanè*, inquit Theodulus, *quia Sanctos Viros variis suppliciis afficis; quid enim deliquit Alexander, ut tam multis eum tormentis excrucias?* Cui Aurelianus: *Perinde loqueris, quasi tute ab eis liber sis*. Tum Theodulus: *Immo verò spero me cum illo communicaturum*. Ea de re Aurelianus iracundiæ impotens Alexandrum cum Eventio colligatum in ardentem furnum projici jussit; quibus Theodulus ab Alexandro vocatus se quoque adjunxit, inquiens: *Igne nos examinasti, & non est inventa in nobis iniquitas*. Quod ut Aurelianus accepit, iratus ingemuit, atque Eventio & Theodulo cervices desecari mandavit. Alexander autem per omnia membra punctis creberrimis figi, donec deficeret. Cùm autem eis mortuis insultaret, repentè vocem clamantem de cœlo audiit: *Aureliane hic, quibus tu illudis, apertus est Paradisus, tibi verò patet Tartarus*. Quibus verbis Aurelianus exterritus, Severinæ uxori dixit: *Venit ad me Juvenis cum virga ferrea, eàque ignitâ, qui dixit: habe Aureliane quod petisti, atque ex eo tempore febri oppressus cohorrui; nunc quoniam quid agam incertus sum, tu pro me ora Deum tuum, ut mihi ignoscat*. Severina verò respondit: *Ego verò abibo potius, ut illos sepulturæ committam, ne idem mihi, quod tibi, contingat*; Quare abiens septimo ab Urbe lapide viâ Nomentanâ in prædio suo Alexandrum & Eventium uno condidit monumento; Theodulum verò in altero. Aurelianus verò interim mente alienatus, & febris æstu accensus, linguam mandens suam interiit. Qua re cognita Severina cilicio sese induit, & ad sepulchra Sanctorum, quos sepeliverat, sese contulit. Hæc V. Nonas Maji acta, teste non solùm Alexandri Vita, sed etiam Beda, qui hæc omnia ex Vita brevissimè in Martyrologio repetivit.

XYSTUS PONTIFEX VII.

Alexandrum inde tanta cum gloria mortuum excepit Xystus, qui à Severina rogatus Sacerdotem instituit, qui sibi quotidie sacra Martyribus faceret. Eodem anno Portus Anconæ à Trajano factus est,

dedicatus cum hac, quæ extat, inscriptione: *Imp. Cæsari D. Nervæ filio Nervæ Trajano optimo Aug. Germanic. Dacico. Pont. Max. Trib. Pot. XVIIII. Imp. IX. Cos. VI. P. P. providentissimo Principi Senatus P. Q. R. quòd accessum Italiæ hoc etiam addito ex pecunia sua portu tutiorem navigantibus reddiderit*. Judæi, qui superiore anno, teste Eusebio, in Ægypto seditionem adversùs Gentes repentè conciverant, hoc anno ad arma contenderunt, atque in Ægypto & Cypro, Artemione duce Græcorum, & Romanorum, ad ducenta quadraginta millia deleverunt. Qui verò Cyrenem habitabant, duce Andrea, eandem stragem fecerunt, tanta crudelitate adhibita, ut eorum etiam carnibus vesci, & pellibus indui sustinuerint. Qua re audita Trajanus, Turbone cum omnis generis copiis misso, ingentem Judæorum multitudinem internecione delevit; veritus autem, ne in Mesopotamia tale aliquid molirentur, Lucium quoque ducem eò misit, atque omnem Judæorum nationem, quæ ibi domicilia collocarat, extinxit; ac propterea Lucium Judææ Præfectum declaravit. Judæis, qui inter Gentes habitabant, exterminatis, soli, qui Judæam colebant, incolumes, sed pauci, supererant, quorum ultimum exitium Deus Hadriano, qui post consequutus est, reservavit. Hæc à Dione, atque Eusebio literis prodita sunt. Ineunte inde Vere Trajanus exercitum in CXVIII.
Persidem duxit, & trajecto Tigride Ctesiphontem occupavit, ac Parthici nomen superiore anno adeptum confirmavit. Inde ad Oceanum progressus impetum petendæ extemplo Alexandri Magni Judææ animo cepit; atque his de rebus multis à Senatu honoribus est ornatus. Dum autem Oceanum navigat, loca capta defecisse audivit; ac Nisibi, Edessa, & Seleucia urbibus per legatos acceptis, atque incensis, Ctesiphontem reversus, Parthis Regem dedit, in Arabiam inde progressus, atque Agarenos, qui & ipsi defectionem inierant, frustra adortus, inde abire perrexit, atque in itinere in morbum incidit, Ælio Hadriano, quem sibi filium adoptarat, in Syria cum exercitu relicto. Tandem Selinuntem Ciliciæ, quæ Trajanopolis appellata est, cùm venisset, V. Idus Augusti ex profluvio sanguinis mortem oppetiit, apud Gentiles famam optimi Imperatoris adeptus. Trajano mortuo Hadrianus non tam adoptionis jure, quàm Plotinæ Augustæ favore, excepit Imperium, atque Insignibus Antiochiæ sumptis, anno illo rebus Orientis ordinandis incubuit. Postero verò, Romam profectus CXIX.
ingenti ab omnibus studio est exceptus, ac triumpho de Oriente Trajani mortui nomine acto, in primis remittendo tributo civium sibi comparare benevolentiam studuit. Eo quoque anno Brixiæ Apollonius Episcopus vir sanctitate mira ornatus Episcopatum urbis, ut ipsi Brixiani narrant, adeptus, Christum pandere civitati perrexit; & cum alios multos ad Fidem Baptismumque traduxit, tum in primis viros duos summo loco natos Faustinum & Jovitam, quorum unum Presbyterum, Diaconum alterum ordinavit. Sequenti, qui fuit CXX.
à Christo nato centesimus vigesimus, Hadrianus tertium Consulatum occepit, ac proximo in Mœsiam profectus, bellum Ala- CXXI.

A. Chr.
CXXI. nis, & Sarmatis intulit; mox Daciâ Turboni Præfecto commissâ Romam repetiit, ut famam aboleret, quæ increbuerat, quatnor viros Consulares, eivitatis principes, sive jussu, sive permissu ejus necatos fuisse. Eodem anno Justus Alexandrinæ, Matthias Hierosolymitanæ administrationem accepit
CXXII. Ecclesiæ; qui sequenti anno III. Kal. Februarias locum Philippo concessit, teste eum Eusebio Beda, qui ita scribit: *Matthias Hierosolymorum Episcopus multa pro Christo perpessus, ultimò in pace vitam fini-*
CXXV. *vit III. Kal. Februarias*. Proximis annis Xystus Pontifex, pace Ecclesiis reddita, præclara aliquot instituta invexit; nam Missis hymoum ter *Sanctus* inseruit, statuitque, ut Corporale ex lino putissimo contexto, nou tincto, perficeretur, & ne sacra vasa ab A aliis, quàm à sacratis, Dominoque dicatis hominibus tractarentur, & ut quicumque Episcopus ad Apostolicam Sedem vocatus venisset, ad Ecclesiam suam rediens non reciperetur, nisi literas ab ipso Patriarcha deferret. Extat ejus nomine scripta epistola, io qoa hæc omnia continentur; & tres jam per mensem Decembrem Ordinationes explevit, quibus Presbyteros undecim, totidem Diaconos, & Episcopos quatuor designavit. Per eosdem quoque annos Castor Agrippa, ut ioquit Eusebius, captiooes hæretici Basilidis omnes volumine edito patefecit, ac fregit, in quo scripsit, Basilidem vigintiquatuor libros in Evangelium confe- B cisse, & novos Prophetas ad errorem suum nobilitandum finxisse.

A. Cbr.
CXXV.

LIBER SEXTUS.

Ecclesia Christiana, quò magis in dies Fidelium ubique numero augebatur, eò sævioribus criminibus, & asperioribus calumniis à Gentilibus Romanis ad exitium premebatur. Nam ad ea, quæ de Christo, & discipulis ejus ab initio dixerant, sanctissima nempe illorum instituta, legesque eo tantùm nomine, quòd turpem ipsorum vitam, ac religionem everterent, irridentes, nuper nova quoque, eaque nefaria in eos maledicta confixerant, qui præclara discipulorum Christi vestigia persecuti, doctrinam eorum voce ac scripto tradere, & vita atque exemplo præstare studebant; quorum summa erat, eos inter se conjurationem iniisse, ac diversis se probris ac sceleribus nequitiæ, libidinis, ac crudelitatis in secretis ipsorum cœtibus devincire, & inprimis Imperatori ipsi exitium, perniciemque precari. Atque hæc ipsa patentibus Magistratuum, atque Imperatoris auribus identidem inculcantes, ipsos ad renovandam Persecutionem incendere contendebant. Huic porrò famæ occasionem aperuerunt Christiani illi, qui à catholica veritate deficientes non minùs impuram vitam, quàm nefaria decreta in Ecclesiam importarunt. Etenim ad eos, quos supra commemoravimus, hæreticos, nuper, ut diximus, Gnostici quoque jam inde ab Imperio Domitiani accesserant, atque omnia obscœnitatum ac libidinum probra in Christianam Religionem pro disciplinæ pravitate induxerant. De turpitudinibus autem eorum multa Epiphanius, quarum summam, quia ad ea, quæ sequuntur, intelligenda maximè pertinet, hoc loco cum aliqua præfatione honoris, sic enim convenit, afferemus: *Gnostici*, inquit ille, *à veritate declinantes non solùm mentem, sed etiam corpora sectatorum perverterunt; ipsos enim conventus suos turpitudine multiplicis coitus polluunt, comedentes, ac bibentes humanas carnes, atque immunditias suas, communes, ut Nicolaitæ, habentes uxores; si quis verò eorum expers dogmatis accesserit, signum inter se viri, & fœminæ habent, ut manum extendant, ac palmam titillatione contrectent, ostendentes ejusdem religionis se esse. Inde mutua cognitione accepta, longas & apparatas epulas ineunt, à quibus discedentes passim inter se miscentur, ac semen maris manibus excipiunt, & intuentes cœlum patri universitatis offerunt, atque inde tanquam sacrum cibum edunt; pariter menstruum mulieris sumunt, eumque loco sacri sanguinis hauriunt; liberorum procreationem aversantur; quòd si qua mulier fortè conceperit, detractum fœtum in mortario tundunt immisso melle, ac pipere, & aliis quibusdam* C *aromatis, & unguentis ad nauseam avertendam, & convocati omnes illius participes fiunt; idque perfectum Pascha ducunt*. Hæc, sed multo pluribus, ac fœdioribus quoque verbis, Epiphanius. Hi verò tam spurcis, ac nefandis operibus eam opinioοem Gentilibus attulerunt, Christianos omnes in occultis conventibus nefario concubitu matres, & sorores post incœsta, convivia, luminibus per canes extinctis, inire. Itaque ut eos in odium Imperatorum adducerent, ac funditus tollerent, hæc in eos crimina congesserunt, eaque sermonibus usurpare ad incendendam invidiam institeruot; quæ quoniam ad eas, quæ sequuntur, Persecu- D tiones cognoscendas valent, videtur faciendum, ut hoc loco exponamus. Verùm, ut verborum invidiam in referendis ioimicorum nostrorum calumniis evitemus, verbis veterum, sed tamen Christianorum, eas prodemus; quorum qui ordine, & copia cæteris præstitit, M. Minucius Felix, Romanus Causidicus, fuit; sic igitur ille in Dialogo octavo Cæcilium quemdam in Christianos invehentem aliquot post annos induxit: *Cùm Abderitem Protagoram Athenienses viri consultè potiùs, quàm profanè disputantem, & expulerint suis finibus, & in concione ejus scripta deusserint; quid homines, homines in-* E *quam, deploratæ, inclinatæ, ac desperatæ factionis grassari in dies non ingemiscendum est? qui de ultima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt; quæ nocturnis congregationibus, & jejuniis solemnibus, & inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo fœderantur, latebrosa, & lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula, templa, & busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra, miserantur miseri (si fas est) Sacerdotum honores, & purpuras despiciunt, ipsi seminudi, pro mira stultitia, & incredibili audacia spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt, &*

futu-

A. Chr. CXXV.

A *futura; & dum mori post mortem timent, interim mori non timent; ita illis pavor, & fallax spes solatio redivivo blanditur. Ac jam ut fœcundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus per universum Orbem sacraria ista teterrima impiæ coitionis adolescunt. Eruenda prorsus hæc, & execranda consensio; oculis se notis, atque insignibus noscunt, & amant mutuò, pene antequam noverint; passim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miscetur; ac se promiscuè appellant fratres, & sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incœstum; ita eorum vana & demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi*
B *subsisteret veritas, maxima, & varia, & honore præfanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimæ pecudis caput Asini consecratum, inepta, nescio qua persuasione venerari; digna, & nata religio talibus moribus, alii eos ferunt ipsius Antistitis, ac Sacerdotis colere genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam; nescio an falsa, certè occultis, ac nocturnis sacris apposita suspicia. Et de convivio notum est, passim omnes loquuntur, id etiam Circensis nostri testatur oratio: ad epulas solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis: illic post multas epulas, ubi convivium caluit, & incœstæ libidinis ebrieta*
C *te fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum, & saltum provocatur; sic eversa & extincta conscia lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortes, & si non omnes operâ, conscientiâ tamen pariter incœsti; quoniam voto universorum appetitur quicquid accidere potest in actu singulorum. Multa prætereo consultò, nam & hæc nimis multa sunt, quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravæ religionis obscuritas; cur etenim occultare, aut abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur? cur honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla*
D *nota simulacbra, nunquam palàm loqui, nunquam liberè congregari, nisi illud, quod colunt, & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum?* item post: *Non floribus caput nectitis; non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus: coronas etiam sepulchris denegatis, pallidi, trepidi, misericordiâ digni, sed nostrorum Deorum; ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis.* Cùm igitur Ecclesia partim malesanis hæreticorum decretis, partim injustis Gentilium maledictis incesseretur, posthac omnis piorum doctorumque hominum eò industria est collata, ut volumina scriberent, quibus
E hæreticorum insaniam demonstrarent, & apologias conficerent, quibus aut Philosophis responderent, aut integram innocentemque Christianorum vitam, & sancta instituta probarent. Ex quibus hoc tempore Quadratus Philosophus hujus laudis principatum, Eusebio teste, quæsivit, qui orationem apud Hadrianum pro Christianis malè audientibus habuit, atque apologiam eodem argumento scriptam ei porrexit; cujus exemplo Aristides Philosophus Atheniensis adductus defensionem alteram pro eisdem ad Hadrianum pariter detulit. Atque hi quidem, quanquam omni, quo potue-

A runt, studio in hanc causam incubuerunt, propositum tamen obtinere non potuerunt. Nam Hadrianus prorsus Gentilium criminationibus instigatus, novam Persecutionem indixit, quam Eusebius, Sulpicius, & Augustinus quartam vocarunt. Edictum verò ejus in eamdem sententiam compositum fuisse videtur, atque id, quod à Trajano primum fuerat promulgatum, nempe, ut qui defecisse à vetere Deorum cultu dicerentur, nisi ad eos facto sacrificio reversissent, omni tormentorum genere cogerentur. Hoc autem quo potissimùm anno sit editum, nemo narrat; mihi verò veritatem certis conjecturæ vestigiis indaganti, id
B anno Imperii ejus septimo, qui in Christi centesimum vigesimum sextum incidit, evenisse videtur, id quod ipsorum martyrum series explicanda monstrabit. Erat tum quidam nomine Getulius in agro Sabino, vir eximiâ doctrinâ & pietate ornatus. Hic neglecto Hadriani Edicto, accitis Christianis, & legem exponebat, & sua bona communicabat. Quod ut audiit Hadrianus, Cereali Vicario negotium dedit, ut de illo quæstionem haberet. Cerealis in Sabinos profectus, cùm eum in hoc munere versantem deprehendisset, dicere instituit: *Audistin quæ à Principibus edicta super isto officio divulgata sunt?* Cui Getulius: *Sanè*, in-
C quit, *audivi; verùm malo obedire omnipotenti Dei filio, quàm homini mortali, mox in putredinem abituro.* Tum Cerealis: *An igitur Filius vester iste Deus est prædictus? Prorsus* inquit Getulius. *Etenim Verbum Dei verus Deus ex Deo parente genitus, & de Spiritu Sancto conceptus ex Virgine Maria natus est. Hic verò novissimis his temporibus venire dignatus est, ut mortuis vitam, cæcis aspectum, claudis ingressum concederet.* Inde Amantio fratre suo, qui metu se abdiderat, in colloquium revocato, cùm se à Cereali audiri attentè videret: *Quin tu quoque*, inquit, *exemplo meo hanc religionem amplectere, qui Tibure uxorem, liberos, domumque*
D *reliqui, ut æternam salutem mihi pararem.* Tum Cerealis: *Atqui si quid est, quod sempiternum sit, quæso ne me celes; neque enim ego conjugem, aut liberos habeo, quos relinquam.* Tum Amantius: *Si tu Baptismum*, inquit, *in Christi confessione susceperis, æternæ vitæ particeps fies, & ævo sempiterno frueris.* Cùm autem Cerealis in eorum se potestate esse dixisset, triduanum illi jejunium indixerunt, ac tota nocte in supplicatione versantes, cœlestem vocem audierunt, monentem, ut Xystum Urbis Episcopum advocarent, atque ab illo Baptismum acciperent. Igitur rogatu eorum Xystus advênit, & in cryptam Sabinorum cum eis ingressus
E Cereali jam Fidei rudimentis imbuto Baptismi Sacramentum impertiit, ac Sacro facto, participes omnes Corporis & Sanguinis Domini fecit. Interim Officialibus Cerealem quærentibus Vincentius eò, ubi sancti viri agebant, accessit, ut aurum publica exactione collectum afferret. Cui Cerealis dixit: *Volo te scire, me caducas res abjecisse, ut æternas assequerer.* Quam vocem ut Vincentius audiit, exclamavit, & Cerealem depravatum fuisse conquestus est, atque ad Hadrianum reversus dixit: *Cerealis Christianum se profitetur.* Qua re audita Hadrianus statim Licinium Consularem ad

A. Chr. CXXV. — CXXVI.

eum

eum comprehendendum misit. Qui profectus Getulium, Cerealem, & Amaotium cepit, atque Hadriaoum certiorem continuò fecit, qui rescripsit: *Aut immolare compelle, aut igne combure*. Quo mandato accepto, Licinius Tibure Tribunal ascendit, eisque in conspectum suum adduci jussis, primò Cerealem acriter, quòd à Religione vetere descivisset, increpuit, deinde omnes ad imminens redimendum ignis supplicium sacrificare Diis præcepit. Quod imperium magno illi atque alacri animo detrectaruot; quare iratus ille exspoliatos cædi, & cùm inter verbera Deum collaudare videret, in carcerem trudi præcepit; & Romam reversus rem gestam Hadriano exposuit; qui statim milites ad ultimum sumendum supplicium misit. Hoc modo ducti à militibus ad tertium decimum ab Urbe lapidem in ripa Tiberis pedibus manibusque constrictis in ardentem ignem conjecti sunt. Cùm antem Getulius inviolatus solutis vinculis Cbristum Dei Filium celebraret, milites caput ei fustibus percusserunt, atque ita invocans nomen Domini, efflavit animam. Symphorosa verò uxor ejus accedens corpus collegit, atque in arenario prædii sui IV. Idus Junias collocavit. Quare ipsa cum septem filiis comprehensa, cùm eandem, quam Getulius, fortitudinem in Christi confessione præstaret, XV. Kal. Augusti pari martyrio decorara est; nam palmis diu cæsa, deinde crinibus suspensa, demum saxo ad collum appenso in flumen præcipitata est, corpore ab Eugenio ipsius fratre sepulto; postridie verò septem fratres singulis stipitibus alligati, Crescentius, Julianus, Nemesius, Primitivus, Justinus, Stracteus, & Eugenius variè corpus & membra transfixi, item martyrium confecerunt. Eorum corpora cùm in fossam projici Hadrianus jussisset, locus à Pontificibus ad septem Biothanatos dictus est. Atque hæc quidem in vetere eorum Vita scripta reperiuntur, cui Beda & Usuardus attestantur. Eadem ratione Hadrianus cùm Eleutherium in Illyrico Episcopum multos ad Christum convertere comperisset, ipsum à Felice Romam perduci jussit, atque ante se constitutum rogavit: *Quæ te res impulit, ut patriam religionem destitueres, & Christum hominem turpissimo Crucis supplicio interfectum asciceris?* illo verò nihil respondente, *sacrifica*, inquit, *Deis, alioquin acerbissimo cruciatu torqueberis*. Eo verò se Christum Deum suum solùm honoraturum esse dicente, in lectum æneum imposuit, atque ignem ei subjici jussit, nimiam Imperatoris crudelitatem omnibus, qui aderant, exprobrantibus, quòd virum insignem, Civem Romanum, ac nobili loco natum tam atroci conficere supplicio properaret; verùm eum non læsit. Itaque ille lecto depositus Hadrianum adiit, ac *vides ne potentiam Christi mei*, inquit, *qui, quem tu perditurum putasti, ipse incolumem ex medio incendio conservavit?* Quæ verba in contumeliam suam dicta arbitratus Hadrianus, craticulam ferream adduci, atque oleo illini, ac subito igne Eleutherium imponi præcepit; verùm & tum extincto igne evasit innoxius. Hac re obstupefactus Hadrianus, in sartaginem pice adipeque fervente refertam injecit, ac ne ita quidem ei nocuit. Qua re animadversa ex Corebonis Præfecti Urbis monitu in Clibanum æneum acutis obeliscis munitum intulit; tum verò ille nihil mali patiens, Deum tam enixè exoravit, ut Corebonem ipsum quoque sui tormenti auctorem converteret. Itaque cùm Hadrianus Corebonem repentè verba pro Eleutherio facientem videret, miratus, primò auro corruptum existimavit; deinde Christianum factum sentiens, in Clibanum eundem intrusit, ac postquam precibus Eleutherii nullo affici detrimento vidit, capite detruncavit. Eleutherium autem in carcerem redactum inediâ conficere statuit; quod ubi non processit, tandem jugo indomitorum equorum alligavit, atque eis incitatis per urbem traxit; postquam aotem equos contra naturam mitiores factos vidit, sævissimam in eum leænam immisit, quæ ei se quoque placidam præbuit, omnibus jam magnum esse Eleutherii Deum acclamantibus. Quare cæteris suppliciis desperatis, ad extremum XIV. Kal. Maji gladio ei caput abscidit; neque eo contentus, matrem ejus quoque Evanthiam, quæ flens collo se filii implicuerat, eodem gladio jugulavit. Hæc quidem Metaphrastes pluribus verbis, ut consuevit, Beda verò his paucis: *Eleutherius in Aquileja Episcopus ordinatus, sub Hadriano Imperatore passus est. Hic primùm Felicem & Corebum comites ad Fidem convertit Christi, pro quo ipse Corebus percussus est gladio; nam Eleutherius primùm vicit lectum ferreum, deinde craticulam & ignem suppositum, postea sartaginem cum pice & adipe ferventem; dehinc bestias mitigavit, novissimè unà cum matre jugulatur*. Eo quoque anno in Asia apud Laodiceam orta est controversia de Paschate celebrando per eos dies, quibus Pascha peragebatur. Hæc autem quæstio haud parvi momenti fuit, ut quæ post Ecclesiam usque ad annum trecentesimum vigesimum quintum, idest usque ad Nicænum Concilium, exercuerit, & occasionem multis ante illud Conciliis habendis præbuerit. Paschatis autem celebrandi duplex fuit observatio; una vetus Judæorum, altera nova Christianorum. Judæi quartodecimo die Lunæ mense Martio celebrarunt, quo sibi olim præceptum fuerat, ut Agnum immolarent, ac quocumque die hebdomadæ is dies incidebat, eum festum agebant. Christiani verò, accepta ab Apostolis traditione, eam celebritatem in primum à quartodecimo die Lunæ diem Dominicum, quo die Dominus Jesus Christus resurrexerat à mortuis, conjecerant, ac tum demum jejunia dissolvebant. Cæterùm cùm Ecclesia Romana unà cum aliis omnibus ita observaret, solæ Asiæ Ecclesiæ Judæorum ritum tenebant. Hoc autem anno, cùm Paschatis dies in alium, quàm Dominicum, in Asia incurrisset, exorti sunt qui dicerent, perperam id fieri, nam diei Resurrectionis eum honorem habendum esse, atque ita Romanam Ecclesiam cum cæteris observare. Episcopi autem Asiani se hunc morem à majoribus accepisse responderunt; sic enim Philippum Apostolum, qui Hierapoli obiisset, sic Joannem Evangelistam, qui Ephesi factitasse. Itaque cùm mira in Ecclesia Dei, quæ ut una, sic uniformis & concors esse debet, confusio nasceretur, quòd sæpe eodem tempore alii jejunio, &

cor-

A. Chr. CXXVI. corporis afflictioni vacabant, alii se ocio atque animorum remissioni tradebant, à Pontifice Romano, cæteris adhibitis Episcopis, agitari cœptum est de hoc dissidio ex Ecclesia removendo, & Ecclesia ad concordiam redigenda. Xystus tamen, quamvis Asianos Episcopos à se in hoc ritu dissentientes improbaret, mira animi æquitate usus in communionem adhibuit. Servilius Paulus Proconsul Asiæ pridie Nonas Octobris Laodiceæ de Sagari Episcopo Laodicensi in confessione Christi maneate ultimum supplicium sumpsit, qui, ut inquit Beda, unus ex antiquis Pauli discipulis fuerat. Hinc, teste Eusebio, Melito Sardianus Episcopus scriptum reliquit in libris illis, quos de Paschate scripsit: *Cùm Servilius Paulus esset Asiæ Proconsul (quo quidem Sagaris martyrio coronatus est) magna apud Laodiceam orta est controversia de Paschate, quod eo tempore, quo orta est quæstio, incidit.* Per eosdem quoque dies V. Nonas Octobris Dionysius Areopagita Athenarum Episcopus Athenis martyrio coronatus est, ut Beda memoriæ prodidit, cujus verba hæc sunt: *V. Nonas Octobris natale Sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem Fidei, post gravissima tormentorum*

CXXVII. *genera glorioso martyrio coronatur.* Postero anno ardente adhuc Persecutionis incendio Xystus quoque Pontifex ad Hadrianum delatus est, quòd contra Edictum suum causam Christianorum foveret. Itaque quæsitus, quòd, ut in tantis periculis verisimile videtur, ad latebras, & cœmeteria confugisset, tandem captus est. Inde, cùm constans in Christi confessione perstaret, extra Portam Appiam, ubi Christus B. Petro apparuit, capite pœnas dedit VIII. Idus Aprilis; post autem in Vaticanum delatus, sepultus est in eodem monumento, quo Linus, Anacletus, & Evaristus, ac propter præstantiam suam illud adeptus, ut sepulchrum illud à se tantùm Altare S. Xysti nominaretur.

TELESPHORUS PONT. VIII.

Post Xystum inde Clerici convocati Telesphorum suffecerunt, ut Damasus, Epiphanius, Beda, & cæteri tradiderunt. Inde IV. Kal. Augusti de Serapia virgine nobile martyrium sumptum. Hæc natione Antiochena fuit, & cùm apud Sabinam Valentini conjugem ageret, ad Beryllum Præsidem, quòd contemneret Edictum, insimulata est. Itaque cùm Præses ad se adduci jussisset: *Sacrifica Diis*, inquit; cui illa: *Ego colo Deum Omnipotentem, non dæmones.* Tum Præses jussit eam quinque petulantibus juvenibus tradi, ut ei nocturno furto illuderent; qui cùm in obscurum productam cubiculum manibus contrectare impuris instarent, subitò terræmotus ingens est factus, quo omnes exanimes membris omnibus resolutis procubuerunt; post hæc præcepit, eam fustibus cædi, & lampadibus accensis inuri; at qui eam tenebant, aversi ceciderunt; ad extremum jugulari mandavit IV. Kal. Augusti. Sabina verò corpus ejus suscepit, & sepulchro sibi, atque illi condito, postero die mandavit in Aventino ad Arcum Faustini. Neque verò ita multis post diebus Sabina quoque, quam B. Serapia erudierat, in quæstionem arrepta est, & cùm eandem firmitatem animi retineret, IV. Kal. Septembris capite detruncata est, atque in eodem monumento sepulta, ubi post III. Nonas Septembris Oratorium dedicatum est. Kalendis quoque ipsis Augusti Elpis, Pistis, Agape virgines, & mater earum Sophia, natione Mediolanenses, Romæ eadem de causa necatæ sunt. Horum omnium martyriorum Beda est auctor. Venerat paulò ante è Provincia Placidus cognomento Eustachios, re bene ac prosperè gesta, & divino monitu, cum Christum Crucifixum inter cervi, quem insequebatur, cornua, conspexisset, Fide Christi suscepta, is Hadrianum usque ad fores Templi prosequutus, se Christianum esse dicens, non iniit. Quare ab Hadriano primùm præfectura, & honoribus militaribus spoliatus est, deinde cum uxore, & filiis adesse jussus, variè blandis, minacibusque verbis fatigatus est, ut à Christo deficeret. Quod cùm ille se facturum negasset, in theatro leonibus esurientibus est objectus; qui cùm eis contra belluarum naturam pepercissent, bovem æneum adduci, atque ipsos in eum conjici, flammasque subdi præcepit, quæ ipsos XIII. Kal. Octobris intactis corporibus absumpserunt, ita ut post triduum apertâ machinâ, cùm illæsa corpora reperissent, adhuc vivere, & spiritum ducere existimata sint; quæ fideles sublata, honestæ sepulturæ mandarunt.

CXXVIII. Sequenti anno veniente in Liguriam Hadriano, Italicus Comes Rhætiarum nunciavit, duos esse Brixiæ viros, qui Edictum ejus negligerent, & prædicatione sua omnia permiscerent, & mandato quæstionis illius exercendæ accepto Brixiam profectus, Faustino & Jovitæ Edictum Principis indicavit, & ut honorem Deis haberent, jussit; respondentesque se Fide, quam semel suscepissent, non posse decedere, in carcerem tradidit. Post quinque dies Hadrianus accessit, & cognitâ causâ, ubi homines suæ sententiæ vidit, quatuor leonibus immanissimis obtulit, qui cùm ab eis abstinuissent, leopardum, & ursos immisit, qui in Italicum, & Sacerdotes propiùs astantes se intulerunt. Quo facto qui aderant, admiratione defixi in Christum crediderunt, ex quibus præcipua fuit Afra uxor Italici, & Calocerus, qui erat in officio Imperatoris. Postridie sacrificare Jovi jussi, cùm tale imperium recusarent, in ignem projecti sunt, ac pariter innoxii evaserunt; post inedia macerati ad templum Martis ire jussi sunt, quibus procedentibus Calocerus, & totum Officium honorem adhibuerunt. Inde minatus, se per omnes civitates circumducturum, ne ita quidem potuit deterrere. Inde Calocerum & Officiales Fidei rudimentis imbutos Apollonius Episcopus in monte clam tinxit. Quod ut Hadrianus accepit, Officiales ad se advocatos increpuit, & postquam permanere in sententia vidit, per urbem circumduci, & obtruncari præcepit; quos Apollonius sepelivit XIII. Kal. Decembris. Inde proficiscens Mediolanum, eò Faustinum, Jovitam, & Calocerum jussit adduci, quos Apo-

CXXVIII. Apollonius Episcopus, & pius populus universus ad amnem usque Mellam prosequuti sunt. Ibi verò tormenta sunt instaurata; nam & plumbum liquefactum in ora infusum, & lateribus in equuleo laminæ candentes admotæ sunt. Calocerum verò clamantem, se doloris ferre acerbitatem non posse, Faustinus confirmavit, brevi affore Divinum solatium, inquiens. Ubi verò se nihil eis obesse vidit, ipsos cum equuleo succendi præcepit. Quod cùm frustra fieri, qui adstant, cernerent, verum esse Faustini Deum clamantes conversi sunt. Hinc Hadrianus desperatione actus Romam revertit, atque eò post se Faustinum & Jovitam adduci mandavit; Calocerum verò Antiocho Præsidi Alpium Cottiarum puniendum exhibuit, qui eum Fabricio, sive Saprinio Primicerio Scholæ Candidatorum, Albigaunum perducendum commisit. Faustinum autem & Jovitam, cùm multos in itinere ad sui spectaculum accurrentes convertissent, postquam urbi appropinquarunt, Calimerus Presbyter occurrens excepit, atque in suo vehiculo collocavit; quare urbem ingressi à Telesphoro Pontifice latitante petieruot, ut eum Mediolanensibus Episcopum daret. Ibi novis territamentis ad Christum detestandum incitati, cùm fortitudinem pristinam tenerent, Neapolim missi sunt, ubi varia tormenta perpessi, plurimis miraculis editis multos ad credendum traduxerunt. Quare manibus pedibusque devinctis in Mare dejecti ne ita quidem perire potuerunt; demum jussu Hadriani per Aurelianum Comitem Brixiam sunt reducti, ubi à Populo magno cum honore excepti, cùm ne tum quidem ad sacrificandum impelli possent, extra portam ducti, via Cremonensi tan-
CXXIX. dem sequenti anno XV. Kal. Martias capite sunt truncati. Calocerus autem Albigauni XIV. Kal. Aprilis eodem modo martyrium obiit, ut Usuardus memoriæ prodidit. Per eosdem dies, cùm eadem in provinciis asperitas quæstionum adhiberetur, Justinus Philosophus vir singulari doctrina præditus, ex Neapoli Syriæ admirabili constantia Christianorum in oppetenda morte permotus Christi Fidem ultro suscepit, ut ipse de se scribit: *Ego Platonis doctrinæ*, inquit, *deditus cùm audirem Christianos ignominiis affici, viderenque eos non solum ad mortem, sed etiam ad ea, quæ putantur formidabilia, animo erecto contendere, sic cogitabam, ejusmodi homines non posse aut se sceleribus inquinare, aut voluptatum illecebris ulla ex parte capi; nam quis voluptati deditus poterit mortem amplecti, ut illis, quibus se obstrinxerit, voluptatibus spolietur; an non potius contenderit, ut in vita, qua hic fruitur, perpetuò degat? an non Magistratus celaverit, si quid fortè admiserit sceleris, ne dum se ipsum tam crudeliter interficiendum prodiderit?* Cùm hæc igitur in Urbe, Italia, & Provinciis tam aspera, atque iniqua adversùs Christianos exercerentur, Serenius Grannianus Proconsul Asiæ tota hac judiciorum formulâ improbatâ, literas, ut inquit Justinus, ad Hadrianum misit in hanc sententiam: *sibi iniquum videri, Christianos nullo objecto crimine, & indictâ causâ, ad populi acclamationibus satisfiat, neci dari.* Quibus literis motus Hadrianus, rescripsit Minucio Fundano successori ejus, ut neminem Christianum sinè justo crimine, & non nisi nomine ad se delato, morte multaret. Rescriptum verò fuit his verbis: *Hadrianus Minucio Fundano S. Epistolam à Serennio Granniano viro præstantissima, in cujus locum tu ipse surragatus es, scriptam accepi; atque mihi sanè videtur res causaque non sinè accurata inquisitione prætermittenda, ne tum homines Christiani magnopere conturbentur, tum calumniatoribus, sceleris in eos admittendi facultas præbeatur. Quòd si homines Provinciales pro sua postulatione quicquam verè, ac manifestò afferre, affirmareque contra Christianos potuerunt, quo pro tribunali, justo judicio convincantur, eò se solùm convertant, eò spectent. Verùm ut multitudinis solùm petitionibus, clamoribusque morte multentur, nullo modo permitto. Immo verò multo magis par est, ut si quis cuiquam crimen velit intendere, ut tu de illo diligenter decernas; & si à quoquam Christiani homines in judicium vocentur, ostendanturque aliquid contra leges designasse, tu ita, prout criminis ratio & modus postulat, decidas, statuasque. At mehercule si quispiam, qui eos calumnietur, istud tentaverit, tu ejusmodi hominem pro nequitia, & crudelitate severè coargueta; atque adeò sedulò prospicito, ut debitas pœnas luat.* Inde eò usque Christianis amicus fuit, ut Christo etiam templum facere voluerit; siquidem, ut scribit in Alexandro Lampridius, templa in omnibus Civitatibus sinè simulachris jussit fieri, *quæ hodie*, inquit, quia *non habent numina, dicuntur Hadriani*, quæ ille ad hoc parasse dicebatur; sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda. Eo anno Senega Hierosolymorum Episcopus Justum successorem est nactus; multæque inde per sexennium Episcoporum successiones fuerunt, quas distinguere Eusebius non potuit, nam & Levi Antiochenam, & Eumenes Alexandrinam, & Levi alter Hierosolymitanam Ecclesiam susceperunt. Post Levi autem Ephraim, Joseph, & Judas Hierosolymitanæ præfecti sunt; qui Judas ultimus ex Gente Judæorum eam Ecclesiam tenuit, quintusdecimus à Jacobo Episcopo fratre Domini numeratus. Per eosdem dies Ægisippus Historiæ Ecclesiasticæ scriptor Romam iter suscepit, atque in itinere cum multis Episcopis sermonem de Fide contulit, & ab omnibus unam eandemque doctrinæ rationem accepit, præcipuè Corinthi cum Primo Urbis Episcopo, qui Publio successerat, de religione communicavit. Romam inde profectus, ibi usque ad Aniceti tempora mansit, ut ipse, teste Eusebio, de se scripsit. Persecutione autem sedata, atque Ecclesiâ ad pristinam tranquillitatem redactâ, Thelesphorus Pontifex ex cryptis egressus securiore animo ad Ecclesiam provehendam incubuit, ac multa Instituta, quæ adhuc retinentur, induxit. Primùm autem Quadragesimale jejunium, quod etiam Apostoli instituerant, confirmavit, nempe, quemadmodum inquit Rabanus, *ut septem ante Pascha hebdomadis, jejuniis corpus affligeremus, ac lachrymis, & pœnitentia Dei misericordiam posceremus, & aliis septem post Pascha à jejuniis temperarentes*

A. Chr.
CXXIX. *tes divinis laudibus ad promissam Spiritus Sancti gratiam pervenire contenderemus*;
deinde statuit, ut in Natali Domini ternæ
Missæ à singulis Sacerdotibus celebrarentur;
hymnus Angelicus, nempe *Gloria in Excelsis*, in Missæ Sacrificio caneretur, &
cum Episcopis Asianis communicavit; licèt
eorum morem in celebrando Paschate se-
CXXX. cum non convenientem damnarit. Anno
inde centesimo trigesimo, qui fuit Hadriani duodecimus, Aquila Ponticus clarus,
ut post dicemus, Bibliorum Interpres, teste
CXXXIV. Epiphanio innotescere cœpit. Triennio post
Calimerus Episcopus Mediolanensis in locum Castriciani Kal. Novembris iniit.
CXXXV. Postero verò Judæi ab Imperatore denuo
defecerunt, bellumque inierunt, quo funditus cum Urbe, & reliqua stirpe deleti
sunt; ejus auctor & concitator fuit Judæus
quidam cognomento Barchochebas, qui,
teste Justino, Judæos adhortabatur, ut
Christianos solos, nisi à Christo deficerent,
ad gravia supplicia abriperent. Fusus autem Judææ Præfectus ab Hadriano missus,
ut Judæos rebellantes comprimeret, magnam utriusque sexus hominum stragem
edidit, atque agrum eis ademtum Romanis
addixit, cùm Christiani divinitus moniti
Pellam trans Jordanem ingruente bello se
CXXXVI. contulissent. Sequenti, qui fuit Imperii
Hadriani sextus decimus, bellum ipsum
confectum est, Judæis ad extrema obsidendo redactis, urbe capta, & solo æquata,
ac veteribus Templi reliquiis deletis; tumque demum Jesu Christi vox divina effectum veritatis est consequuta, cùm dixit,
fore, ut Hierosolymis lapis super lapidem
non remaneret. Tum quoque sepulchrum
Domini ad tollendam religionem congerie
terræ est obrutum, ac templum aliud Veneri dedicatum; mansitque eo modo usque
ad Constantinum. Legem etiam tulit Hadrianus, ne cui è gente Judæa in agrum
Hierosolymitanum liceret inire. Hæc Dio,
Eusebius, Epiphanius, & postremus quoque Sulpicius his verbis: *Sub Hadriano Judæi rebellare voluerunt, Syriam, & Palæstinam diripere conati, missoque exercitu subacti sunt; qua tempestate Hadrianus existimans, se Christianam Fidem loci injuria perempturum, & in Templo, ac loco Dominicæ Passionis dæmonum simulachra constituit*. De Ve-
CXXXVII. neris templo auctor est Eusebius. Postero
Hadrianus cùm in Provinciam venisset,
vastitatem loci contemplatus, ac calamitatem Provinciæ miseratus, urbem instauravit, atque à se Æliam nominavit. Templum tamen eversum reliquit, ac simul
Aquilam Ponticum Græcæ religionis hominem operi Præfectum constituit; ille
verò, cùm quotidie Christianorum, qui à
Pella reversi erant, augeri numerum,
Deumque prodigia per eos edere mirabilia
cerneret, ad eorum partes transivit; post
autem à Christianis Sacerdotibus, quia
astrologiæ studiis operam daret, communione remotus, iratus eis ad Judæos se
contulit, ac Christianorum sacris abjuratis,
circumcisionem recepit, ac linguam Hebræam edoctus secundam post LXXII. sacrarum literarum interpretationem instituit, ac loca de Christo obscurare, & tegere summa ope contendit. Hæc Eusebius,
Epiphanius, & cæteri, qui de Hadriano

A scripserunt. Hinc Chrysostomus in Lucam A. Chr. CXXXVII
scripsit: *Post quadraginta duos annos venit Vespasianus & Titus; subversis Hierosolymis omnes, qui Judæi fuerant, & Christiani, penitus ejecerunt; deinde post annos multos usque ad Hadrianum solitudo mansit, in ista provincia nullus Judæorum, nullus Christianorum erat. Venit Hadrianus, & quoniam rursus in Galilæa rebellarunt Judæi, reliquias ipsius Civitatis desolavit; legem tunc dedit, ut nullus Judæorum Hierosolymam accederet; & tamen in istam civitatem de diversis Provinciis adduxit Neotericos*. Et Sulpicius: *Hadrianus, quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur (namque tum Hierosolymæ nonnisi ex circumcisione habebat Ecclesia
B Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ Fidei proficiebat, quia tum pæne omnes Christum Deum sub Legis observatione credebant; nimirum id Domino ordinante dispositum, ut Legis servitus à libertate Fidei, atque Ecclesiæ tolleretur. Ita tum primum Marcus ex Gentibus apud Hierosolymam Episcopus fuit*. De Marco idem est etiam apud Euse-
bium. Sequenti anno Telesphorus Pontifex CXXXIIX
quater Ordinationibus per mensem Decembrem initis, ac Presbyteris duodecim,
Diaconis octo, Episcopis per diversa loca
C tredecim designatis, martyrio, auctore
Damaso, coronatus decessit, ac Nonis Januarii sepultus est juxta Sanctum Petrum
in Vaticano, cui assentitur quoque Irenæus
libro tertio scribens: *Clementi successit Evaristus, Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Xystus, & post hunc Telesphorus, qui gloriosissimè martyrium fecit*. Et Beda, addens, ipsum illustre sub
Hadriano Principe martyrium confecisse;
quod verius est, quàm quod dixit Eusebius,
primo anno Antonini Pii.

HYGINUS PONTIFEX IX.

D Damasus inde addit, Telesphoro post
septem dies Hyginum esse suffectum,
quem Irenæus, Cyprianus, Optatus, &
Augustinus nonum Romæ Episcopum vocant, S. Petro Principe comprehenso, &
Anacleto illo ejecto, quem Damasus inter
Clementem & Evaristum inseruit. Postero, CXXXIX.
Hadrianus adoptato T. Aurelio Antonino
genero VI. Idus Julii obiit; ac propterea
Antoninus statim Senatu Imperium ejus
approbante, illi successit; qui vir, ut inquit Victor, tantæ bonitatis in principatu
fuit, ut haud dubiè sinè exemplo vixerit;
Orbem terræ nullo bello per annos viginti
tres auctoritate sola rexit, adeò trementi-
E bus, atque amantibus cunctis Regibus,
nationibusque, & populis, ut parentem,
seu patronum magis, quàm Dominum,
Imperatoremve putarent, omnesque uno
ore in cœlestium morem propitium optantes de controversiis inter se judicem poscerent. Idem propter pietatem erga parentem
Hadrianum, & populos, quibus delationes
remisit, Pii cognomen invenit. Idem quoque Christianis usque adeò amicus fuit, ut,
dum vixit, nullam persecutionem, quod
Trajanus & Hadrianus effecerant, Edicto
suo præceperit; quod Xiphilinus memoriæ
his verbis prodidit: *Constat inter omnes*,
An-

A. Chr.
CXXXIX. *Antoninum Pium probum virum fuisse; neque*
etiam cæteris subditis gravis, nec Christianis
infensus fuit, quos vehementer observavit, &
coluit, atque honori, quo Hadrianus Christia-
nos prosequebatur, accessionem fecit. Eusebius
quoqoe nullam sub Pio Persecutionem fuisse
testator. Quod verò S. Augustinus sub An-
toninum quintam Persecutionem in libria
de Civitate Dei conjicit, id non ad Pium,
ut quidam nuper putarunt, sed ad Lucium
Antoninum Verum, qui deinceps consequu-
tus est, referendum est, quod Eusebii ma-
ximè testimonio confirmabitur. Quievit
ergo sub Antonino Pio Ecclesia nullo pu-
blico Edicto Imperatorio oppugnata. Qua-
re Hyginus Pontifex eam provehere pro
arbitrio potuit, atque etiam salutaribus
multis decretis factis provexit. Scriptum
est enim apud Damasum, ipsum Clerum
constituisse, ac gradus distribuisse; quorum
verborum sententiam hanc esse viri docti
existimant; quemadmodum Evaristus sin-
gulos Presbyteros singulis Titulis attribue-
rat, sic Hyginum in unoquoque Titulo plu-
res Presbyteros collocasse, atque ex eo post
factum, ut cùm plures in unoquoque Titu-
lo Presbyteri essent; qui cæteris præesset,
is Cardinalis Presbyter diceretur. Statuit
præterea, ut vir unus, aut una fœmina
infantem de sacri Baptismi fonte suscipe-
ret, atque idem quoque in Confirmationis
sacramento servaretur. Vetuit etiam ne
consecrationes Ecclesiarum sinè *Missæ Sa-*
crificio fierent, neve eorum, quæ diruta
essent templorum materia, tignaque ad usus
profanos traducerentur. Harum constitu-
tionum auctor est Ivo, Gratianus, & Mar-
tinus. Extat etiam ejus epistola XVII Kal.
Octobris hoc anno, nempe Magno & Ca-
merino Consulibus, data, qua cavet, ne
quis Metropolitanos audiat causam sui
Episcopi, nec eum condemnet, nisi ab
Episcopis suis causa ejusmodi diligenter
fuerit disquisita. Et hic exemplo Xysti &
Telesphori Asianos Episcopos secum in ce-
lebratione Paschatis discrepantes pertulit,
neque à communione sua exclusit. Anno
CXL. centesimo quadragesimo Pius Imperator se-
pulchrum, quod Adrianus molis specie vi-
vens sibi in hortis Domitiæ ad Tiberim
super Pontem Ælium ab eodem constructum
statuerat, sic inscripsit: *Imperatori Cæsari*
Divi Trajani Parthici filio Divi Nervæ ne-
poti Trajano Hadriano Aug. Pont. Max.
Trib. pot. XXI. Imp. II. Cos. III. P. P., &
Divæ Sabinæ Imp. Cæsar T. Ælius Hadria-
nus Antoninus Aug. Pius Pont. Max. Trib.
pot. II. Cos. Des. III. P. P. Imp. II. Parenti-
bus suis. Hoc sepulchrum deinde in firmis-
simam arcem conversum hodie quoque
extat, maximum Ecclesiæ S. Petri, ac Pon-
tificiis ædibus adversùs quascumque hostium
CXLI. injurias suppeditans munimentum. Postero
verò, idem tertiùm Consul Marcum Aure-
lium adoptavit, eum eo, ut ipse L. Aure-
lium Commodum adoptaret, qui postea
Verus est appellatus, atque eundem digni-
tate Cæsaris insignivit, ut Capitolinus no-
tavit. Quiescentem porrò Ecclesiam à Per-
secutione Gentilium novi alii subotti hæ-
retici mirificè perturbarunt. Hæc pestis
in Oriente primùm exarsit, deinde in Oc-
cidentem progressa, tandem Romam quo-
que ipsam invasit. Hi fuere Cerdo, Valen-

A tinus, Marcion, & Marcellina, qui omnes A. Chr. CXLI.
imperante Pio Romam venerunt, sed Cer-
do & Valentinus sedente Hygino, Marcion
autem & Marcellina postea. Ac de Cerdo-
ne quidem, quem ex Syria Romam venisse
Epiphanius scribit, sic Irenæus: *Cerdon*
cùm venisset Romam sub Hygino, docuit, eum,
qui à Lege, & Prophetis annunciatus sit Deus,
non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi;
hunc enim cognosci, illum ignorari, & alte-
rum quidem injustum, alterum bonum esse;
& libro tertio: *Hyginus docuit, eum, qui a*
Lege, & Prophetis annunciatus Deus, non
esse Patrem Domini nostri Jesu Christi; &
libro tertio: *Cerdon Romam sub Hygino in*
B *Ecclesiam veniens, & exomologesim faciens*
sic consummavit, modò quidem latenter do-
cens, modò verò exomologesim faciens, modò
verò ab aliquibus traductus in iis, quæ doce-
bat malè, & abstentus est à religiosorum ho-
minum conventu. De ejusdem Cerdonis opi-
nionibus sic Tertullianus in libro de Pro-
scriptionibus: *Cerdon introducit initia duo,*
idest duos Deos, unum bonum, & alterum
sævum; bonum superiorem, sævum hunc Mun-
di Creatorem; Prophetias, & Legem repudiat,
Deo Creatori renunciat, superioris Dei Filium
Christum venisse tractat, hunc in substantia
carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronun-
ciat, nec omnino passum, sed quasi passum, nec
C *ex Virgine natum, sed omnino nec natum; Resur-*
rectionem animæ tantummodo probat, corporis
negat. Solùm Evangelium Lucæ, nec tamen
totum recipit: Apostoli Pauli, neque omnes,
neque totas Epistolas sumit. Acta Apostolo-
rum, quasi falsa rejicit. De Valentino ve-
rò hoc modo: *Speraverat Episcopatum Va-*
lentinus, quia & ingenio hoc poterat, & elo-
quia, sed alium ex martyrii prærogativa loci
potitum indignatus, de Ecclesiæ authentica re-
gula abscessit, ad expugnandam conversus veri-
tatem. De opinionibus verò ita Valentinus
multas introducit fabulas; introducit enim
Pleroma, & Æones triginta. Exponit autem
hos per Syzygias, idest conjugationes quasdam;
D *quam dicit in primis esse Bython & silentium.*
Ex his processisse Semen, Mentem, & Verita-
tem, ex quibus erupisse Verbum, & Vitam,
de quibus rursum creatum hominem, & Ec-
clesiam. Et post: *Christum missum ab illo*
propatore, qui est Bythos; hunc autem in
substantia corporis nostri non fuisse, sed spiri-
tuale nescio quod corpus de cælo deferentem,
quasi aquam per fistulam, sic per Mariam
Virginem transmeasse, nihil inde accipientem,
vel mutuantem. Resurrectionem hujus carnis
negat, sed alterius legis, & Prophetarum
quædam probat, quædam improbat; Evange-
lium etiam habet suum præter hæc nostra.
Idem, ut Cerdo, Romam venit anno Pii
E secundo, sedente Hygino, ut Eusebius in
Chronicis scriptum reliquit, mutuatus ab
Irenæo. Hyginus autem tertiam Ordinatio-
nem mense Decembri obivit, ac numerum
quindecim Presbyterorum, quinque Diaco-
norum, & sex Episcoporum explevit; in-
de verò III. Idus Januarias, Damaso & Be-
da testibus, vitam reliquit, atque in Vati-
cano sepulturam invenit.

VACATIO ROMANÆ SEDIS.

VAcante inde Sede Marcion Romam
venit, atque hæresim aliam insignem
ex-

A. Chr. CXLII.

excivit. Hic genere Ponticus fuit, urbe Sinope ab ineunte ætate virginitatem coluit, ac solitarius vixit, Episcopi Catholicæ Ecclesiæ filius, progressu verò temporis virgine corrupta, seipsum atque illam perdidit. Quare ab Episcopo Patre suo ab Ecclesia deturbatus est; neque summis, atque assiduis precibus veniam ab eo impetrare, quippe antiquæ integritatis, ac severitatis viro, potuit. Quare non ferens multorum ludibrium, Urbe excessit, & Romam se contulit, cùm Hygianus Pontifex diem suum obiisset, & cum Presbyteris, qui supererant ex Apostolorum discipulis, congressus petiit, ut in communionem reciperetur, neque tenuit; ob id irâ accensus capto consilio ad Cerdonis partes se contulit, ac Presbyteros, ut sibi hunc locum explicarent, rogavit: *Non mittunt vinum novum in utres veteres? neque assumentum panni rudis in veste veteri? alioquin ad supplementum aufert, & veteri non conveniet; major enim fiet fissura.* Cui Presbyteri, & Magistri Romanæ Ecclesiæ fideliter responderunt: *Utres veteres sunt Pharisæorum, & Scribarum corda, inveterata in peccatis, & quæ Evangelii prædicationem non susceperunt. Vestis vetus est exempli causâ Judas, qui inveteratus in avaritia non suscepit novi, ac sancti, & cœlestis mysterii prædicationem, quæ spem docet, & quidem junctus undecim Apostolis, & ab ipso Domino vocatus ampliorem fissuram habuit per se ipsum, cum nemo ipsi auctor, & causa esset.* Ille verò: *non est ita*, inquit, *sed præter hæc alia multa sunt*, quare ipsum suscipere noluerunt, atque inde adjecit; *Cur autem vos me recipere noluistis?* Cui illi: *quia sinè auctoritate venerandi patris tui non possumus; una enim est Fides, & concordia; neque bono comministro nostro, patri autem tuo fas est adversari.* Tum ille incensus: *Ego Ecclesiam vestram*, inquit, *in perpetuum scindam*; atque inde abiens, Cerdonis dogmata, qui modico tempore Romæ fuerat, veneno suo addito Romæ prædicare instituit. Hæc Epiphanius, quæ magna ex parte sumpsit ab Irenæo, & Tertulliano; sic enim Tertullianus adversùs Marcionem: *Marcionis*, inquit, *salutis quoto quidem anno Antonini majoris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare*; de quo tamen constat: *Antonianus hæreticus est sub Pio impius*; item in libro de Præscriptionibus: *Post Cerdonem discipulus ejus emersit, Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiæ communione abjectus; hic ex occasione, quia dictum sit: OMNIS ARBOR BONA BONOS FRUCTUS FACIT, MALA AUTEM MALOS, hæresim Cerdonis approbans, conatus est eadem dicere, quæ ille superior hæreticus ante dixerat.* Ejus porrò opiniones his verbis Irenæus descripsit: *Succedens Cerdoni Marcion Ponticus adimplevit doctrinam, blasphemans eum, qui à lege & Prophetis annunciatus est Deus, malorum factorem, & bellorum concupiscentem, & inconstantem, & sibi ipsi contrarium dicens: Jesum autem, qui est à Deo Patre, super Mundi fabricatorem Deum, dissolventem Prophetas & legem, & omnia opera ejus Dei, qui Mundum fecit; multa de Evangelio Sancti Lucæ, & epistolis Sancti Pauli circumcidit.* Tertullianus quoque scripsit, Marcionem

A. Chr. CXLII.

duos Deos constituisse, unum Judicem ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, & tantummodo bonum; & alio loco eum nuptias sustulisse, & alibi, ut carnem Christi negaret, negasse etiam nativitatem, aut ut nativitatem negaret, negasse & carnem.

PIUS PONTIFEX X.

POst aliquos dies in locum Hygini Pius Presbyter, patriâ Aquilejensis Pontificatum, omnibus, quos supra nominare consuevi, consentientibus, cepit. Hoc sedente Valentinus hæreticus, teste Irenæo, in Urbe increvit; nam Cerdonem inde discessisse, atque ei Marcionem successisse jam scripsimus. Cùm autem Ecclesia à Gentilium Persecutione quieta tetris hisce hæreseum pestibus in dies magis adversùs omnes Pontificis vigilias, curasque inficeretur; multa tamen interim innocentiæ, ac sanctitatis exempla tulit; siquidem per sequentes annos claruere Romæ insignes CXLV. pietate virgines duæ Pudentiana, sive Potentiana, & Praxedis Pudente patre natæ, qui quondam B. Pauli discipulus fuerat; atque eas superioribus annis XIV. Kal. Junii mortuus in omni castitate, & lege Divina egregiè eruditas reliquerat; post mortem autem patris eundem religionis cultum tenuerunt, assiduè jejuniis, hymnis, & precibus cum familia sua Domino servientes, fortunas suas in visceribus pauperum collocantes, ac Martyres sepulturæ cum veneratione mandantes, inter quos Simitrium Presbyterum cum aliis viginti duobus VII. Kal. Junias condiderunt. Quibus rebus honestè pièque perfectis, demum Potentiana eodem die, quo pater, ad Dominum commigravit, eamque post annum Novatus quoque Presbyter Praxedis familiaris est consecutus, ut Pastor Presbyter ad Timotheum ipsius Novati germanum scripsit epistola, quæ apud Adonem scripta extat: *Venerabilis*, inquit, *virgo Praxedis post transitum germanæ suæ Potentianæ valde afflicta erat; ad quam consolandam veniebant multi nobiles Christiani simul cum Sancto Pio Episcopo, inter quos germanus vester Novatus, & qui est frater noster in Domino, quique multos Christianos pauperes donis suis reficiebat, & nos frequenter cum Beatissimo Pio Episcopo ad Altare Domini communicabat. Post annum verò, & dies XXVIII. ægritudine detentus est idem Novatus, & absens erat à conspectu virginis Praxedis. Pio autem Episcopo cogitante de omnibus Christianis unà cum virgine requiritur Novatus vir Dei; & dum auditum esset, quia ægritudine detinebatur, contristati sumus omnes. Beata Praxedis dixit ad Patrem Sanctum Pium: Jubeat Sanctitas vestra, ut eamus ad eum, & visitatione nostra unà cum orationibus vestris salvabitur. Et facta constitutione nocte unà cum Pio Episcopo, & virgine Domini perreximus ad virum Dei Novatum; cùmque audisset vir Dei Novatus, omnes congregatos ad se venisse, gratias cœpit agere Deo, quia meruit à S. Pio Episcopo, & virgine Domini unà cum nostra devotione visitari. Et fuimus in domo ejus diebus ac noctibus octo; factumque est, ut in tertiadecima die ipse Novatus vir Dei transiret ad Dominum*

CXLV. *minum Regni cœlestis gloriam percepturus*. Mortuo XII. Kal. Julii, ut Beda scripsit, Novato, Pius rogatu Praxedis, ut addit Damasus, Thermas ejus Ecclesiam in honorem S. Potentianæ dicavit, ibique dona multa obtulit, Sacrificium sæpe fecit, fontem Baptismi consecravit, & multos ad Fidem traductos intinxit. Inde Praxedis quoque XII. Kal. Augusti est mortua, atque unà cum Potentiana juxta Pudentem patrem sepulta viâ Salariâ, teste Beda, eamque Timotheus Novati frater XI. Kal. Septembris excepit, cujus Pius ipse Pontifex meminit, cùm ad Justum scriberet, qui Româ Viennam in Galliam ad Ecclesiam illam administrandam Episcopus erat missus, cujus Epistolam ad multas res utilem hoc loco libet inserere: *Antequam Româ exisses, soror nostra Euprepia, & sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus. De te autem super Beate postquam ad Senatoriam urbem Viennensem perrexisti, quid factum sit nosse cupimus, & ut sementem Evangelii jam sporseris, audire multum desideramus. Presbyteri illi, qui ab Apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum Fidei partiti sumus, à Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus & Marcus per bonum certamen transierunt. Vide, Frater, ut illos imiteris sequendo, neque vinculis Mundi illigeris. Festina palmam perseverabilem cum Sanctis Apostolis tenere, quas per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus, cui Crux caritatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter & Eleutherius digni Presbyteri. Saluta fratres, qui tecum vivunt in Domino, Cherinthus primarches Satanæ multos avertit à Fide. Gratia Christi habitet in corde tuo.* Per eosdem annos Heros secundus Antiochiæ, Marcus secundus Alexandriæ, & Cassianus Hierosolymorum Episcopatum

CXLVI. ceperunt. Anno inde centesimo quadragesimo sexto, qui fuit octavus Pii Imperii annus, Phrygum hæresis emersit, ut scribit Epiphanius; quanquam vulgò legitur circa nonum decimum annum, non circa nonum. Fuit autem, teste Apollinari apud Eusebium, in pago quodam Phrygiæ Montanus quidam, qui Grato tum Proconsule Asiæ ad Fidem conversus, nova statim cupiditate principatus exarsit, ac de repentè tanquam insanus contra Apostolorum Instituta, prophetias, & vaticinia fundere cœpit, quorum alii ipsum tanquam furore percitum aversati, alii tanquam novo prophetiæ dono imbutum amplexi sunt; inter quos duæ meretrices Priscilla & Maximilla fuerunt, quæ spiritu eodem instinctæ cum magna hominum admiratione oracula de rebus futuris edere instituerunt; ac modò futura temerè prædicando, modò hominum vitam increpando, mirificam sibi auctoritatem in Asia pepererunt. Cæterùm eorum decreta sic exponit Sanctus Augustinus in libro de hæresibus: *Cataphryges sunt*, inquit, *quorum auctores fuerunt Montanus, tanquam paracletus, & duæ prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla. His nomen Provincia Phrygia dedit, quia ibi exstiterunt, ibique vixerunt; adventum Spiritus Sancti à Domino promissum in se potiùs, quàm in Apostolis fuisse, asserunt redditum; secundas nuptias*

A *pro fornicationibus habent; & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat; nondum enim venerat, quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum, & in ejus prophetissas venisse delirat. Sacramenta perhibentur funesta habere; nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam conficere perhibentur; miscentes eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote. Pepuziani à loco quodam nominati sunt, quem Civitatem desertam dicit Epiphanius. Hunc* B *autem esse divinum esse aliquid arbitrantes, Hierusalem vocant; tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ & Priscillæ in eadem Civitate Pepuza, Christum specie fœminæ revelatum; unde ab hac etiam Quintiliani nuncupantur. Faciunt & ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges facere supra diximus; nam & ab iis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse civitatem, sed villam dicunt fuisse Montani, & prophetissarum ejus Priscæ & Maximillæ; & quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Hierusalem*. Montanum autem hæc cœpisse docere annis ante Commodum Im- C peratorem quadraginta, scripsit (ut inquit Eusebius) Apollonius in eo libro, quem contra Cataphryges confecit. Quod autem de infante occiso, & sanguine ejus epoto scribit S. Augustinus, id Gentiles quoque Catholicis ad cætera probra in maledictis objecerunt. Unde dixit Cœcilius apud Minucium: *Jam de initiandis tyrunculis fabula tam detestanda, quàm nota est, infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui Sacris imbuatur; is infans à tyrunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato cæcis occultisque vulneribus occiditur: hujus proh nefas! sitienter sanguinem lambunt; hujus certatim membra dispertiunt; hac* D *fœderantur hostia; hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignorantur, hæc Sacra sacrilegiis omnibus tetriora*. Claro inde ac Severo Consulibus Pius Pontifex Idibus CXLVII. Martiis scripsit epistolam ad Episcopos Italiæ, ne prædia divinis usibus destinata ad profanos transferrent, his verbis: *Ad Sedem Apostolicam perlatum est, quòd quidam vestrûm prædia divinis usibus tradita, humanis applicant usibus, & Domino Deo, cui ea tradita sunt, subtrahunt. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est. Ne prædia usibus Secretorum cœlestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur,* E *& sicut sacrilegus judicetur*. Et quoniam quæstioni de Paschate celebrando nondum modus erat impositus, Asianis adhuc Episcopis in sua consuetudine permanentibus, ea de re ab Herma, qui visum se vidisse narrabat, admonitus, VII. Idus Aprilis ad universos Christifideles hoc modo scripsit: *Nosse vos volumus, quòd Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis enim temporibus Hermas doctor Fidei, & Scripturarum effulsit inter nos. Et licèt nos idem Pascha prædicto die celebremus, quia tamen inde quidam dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus* Do-

A. Chr.
CXLVII. A *Domine in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, ut Pascha Domini die Dominico ab omnibus celebraretur. Unde & nos Apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, nec debetis à capite quoquo modo dissidere.* Hoc aurem ipsum notavit quoque Eusebius in Chronicis. Quanquam autem Episcopi Asiani verere consuetudine retenta non paruerunt, non tamen eos à communione sua repellendos Pius existimavit.
CXLVIII. Sequenti, qui fuit Antonini nonus, Julianus, teste Epiphanio, Hierosolymis Episco-
CXLIX. pus est præfectus. Proximo Antoninus Imp. M. Aurelio Cæsari tribunitiam potestatem concessit, atque in Imperii societatem accepit, ut ex veteribus lapidum monumen-
B
CL. tis elicitur. Sequenti, qui fuit centesimus quinquagesimus, in locum Juliani Episcopi Hierosolymitani suffectus est Maximus. Per eosdem dies Pius Pontifex statuit, ut hæreticus veniens ex hæresi Judæorum susciperetur, ac tingeretur. Romæ Pastor Presbyter Titulum construxit, quem ab ejus nomine Titulum Pastoris vocarunt. Cùm autem hæreticorum in dies numerus increbesceret; quorum alii aliis deteriora & sentirent, & agerent, fiebat, ut Ecclesia, nomenque ipsum Christianum majore, quàm ante, apud Gentiles flagraret infamiâ, secretos eorum conventus, & sacra in crypitia adhibita improbantes. Itaque, quanquam
C nullum extabat Edictum Imperatorum, quo quæstiones in Christianos decernerentur, Magistratus tamen delationes eorum accipiebant, & sinè crimine eo tantùm nomine, quòd Christiani dicerentur, ignominiis, ac detrimentis afficiebant. Itaque cùm Pius Augustus in Asia agens aliquando Christianos ultro mortem appetere eo nomine animadverteret, miratus est, cur si tanto mortis studio deflagrarent, non se potiùs præcipitiis, aut laqueis exemplo conficerent; scriptum est autem hoc apud Tertullianum his verbis ad Scapulam: *Arrius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes illius Civitatis Christiani ante Tribunalia
D ejus se manu facta obtulerunt, cùm ille paucis duci jussis, reliquis ait: O miseri, si mori vultis, præcipitia, & laqueos habetis.* Cùm autem eadem ratione in Gallia multi à Magistratibus non Edicto Imperatoris, sed Christiani odio nominis vexarentur, tum etiam Verus Episcopus Viennensis extinctus est; quare anno
CLIII. centasimo quinquagesimo tertio Pius Pontifex epistolam ad Justum nuper in locum Veri Martyris subrogatum misit, hortans ad Martyrum corpora curanda, & quædam domestica nuncians, in primis verò, sibi revelatum esse, se propediem moriturum. Epistola est hujusmodi: *Attalus epistolas Martyrum portans ad vos venit, gaudium nobis inæ-
E stimabile faciens de triumpho eorum, qui dixit nobis Sanctum Verum collegam nostrum victorem de Mundi principe triumphasse. Tu verò apud Senatoriam urbem Viennensem ejus loco à fratribus constitutus, & colobio Episcoporum vestitus, vide, ut ministerium, quod accepisti, in Domino impleas. Cura autem Sanctorum corpora Martyrum, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum; carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in Fide; Martyria Sancta Spiritu Sancto proba, ut perseverent in Fide, eis incitator juste; Presbyteri, & Diaconi, non*

A. Chr.
CLIII. A *ut majorem, sed ut Ministrum Christi te observent; plebs universa Sanctitate tua protegatur; Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de tyranni sævitia jam liberati requiescunt in Domino. Presbyter Pastor Titulum condidit, & dignè in Domino obiit. Revelatum mihi esse scias, collega beatissime, citiùs me finem hujus vitæ facturum. Salutat te senatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum, qui tecum sunt in Domino.* Inde quinque Ordinationibus mense Decembri factis, quibus Presbyteros octodecim, viginti unum Diaconos, & duodecim Episcopos designarat, V. Idus Julii diem obiit, juxta S. Petrum
B in Vaticano sepulturam adeptus.

ANICETUS PONTIFEX XI.

Cui Anicetus statim est subrogatus, ut omnes, qui Pontifices digesserunt,
una voce consentiunt. Hic sequenti anno, CLIV.
Rufino & Gallicano Consulibus, epistolam, quæ extat, ad Episcopos Galliæ scripsit, ut Archiepiscopi ab omnibus provinciæ Episcopis consecrarentur, & minores sedes appellatione majorum auxilium implorarent.
Proximo, Celadio Alexandriæ, postero CLV.
Cajanus Hierosolymorum Ecclesias admi CLVI.
nistrandas accepere. Proximo verò, aut CLVII.
C certè proximis, Valentinus & Marcion hæretici sævire in Urbe perrexere; sic enim Irenæus prodidit: *Valentinus hæreticus Romam venit sub Hygino, increvit sub Pio, & prorogavit tempus usque ad Anicetum; Marcion autem Valentino succedens invaluit sub Aniceto.* Aniceto enim sedente *Marcellina Gnosticorum sectæ princeps Romæ vixit*, ut inquit Epiphanius, *venenum doctrinæ Carpocratis evomens, ac multos in errorem inducens. Habent autem Gnostici imagines coloribus expressas, aut ex auro & argento, aliave materia factas; præterea Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum, easque unà collocatas adorant, & gentilicio more mysteria ce-
D lebrant.* Polycarpus Smyrnæus Episcopus per eosdem dies Romam venit, & cum Aniceto Pontifice de aliis rebus, de quibus inter se diffidebant, verba fecit, facilèque consensit; de quæstione verò Paschatis celebranda, quod caput dissidii videbatur, valde discrepuit; neque Anicetus Polycarpo, neque Polycarpus Aniceto potuit persuadere, ut suum morem dimitteret, cùm Polycarpus diceret, se eum cum Joanne Apostolo, & reliquis, quibuscum versatus fuisset, semper ita servasse; & Anicetus prædecessorum suorum, qui ita sibi traditum reliquissent, se tueri instituta velle assereret. Anicetus tamen ipsum in communionem admisit, &
E potestatem ritus omnes, qui tum in usu Ecclesiæ erant, obeundi indulsit, atque inde illum cum pace dimisit. Cæterùm dum Polycarpus Romæ egit, complures ab errore Cerdonis, Valentini, & Marcionis avertit, & ad Ecclesiam Dei, sacramque Religionem traduxit, palàm contestans, se ab Apostolis accepisse hanc unam, & solam veritatem, quæ est ab Ecclesia tradita. Cùm autem aliquando cum Marcione congrederetur, atque ille rogaret, *num se cognosceret?* ille respondit: *Atqui novi te primogenitum Satanæ. Sancti Apostoli, & eorum discipuli caverunt, ne sermonem cum aliquo inirent,*

qui

A *qui veritatem fallaciter suis commentis adulterare contenderit*. Hæc Irenæus, atque Eusebius. Interim Justinus Philosophus, de quo ante diximus, præcipuus christianæ pietatis amator Romam etiam venit; eo verò ibi agente, mulier quædam cum marito suo turpi libidini dedita, postquam Christi doctrinâ imbuta est, moderatiorem vitam amplexa marito homini intemperanti nuncium remisit; qua re ille offensus, eam apud Imperatorem, ut Christianam detulit; inde illâ missâ, in Ptolemæum Magistrum ejus se convertit; ille verò primùm à Centurione captus, & tortus, ut se Christianum esse confiteretur, deinde ab Urbicio B Præfecto Urbis, postquam confessus erat, duci jussus est. Quod ut Lucius, qui astabat, animadvertit, illud reprehendere judicium cœpit, quòd ab illo sinè crimine, & tantùm, quòd Christianus esset, pœnas expeteret, neque illud convenire Pio Imperatori, neque Cæsaris filio, neque Senatui Sacrosancto adjecit. Quare & ipse quoque ab Urbicio tanquam Christianus duci est jussus, atque eodem modo etiam tortus, atque in omnes animadversum est. Hæc autem gesta sunt XIV. Kal. Octobris; quare scripsit Beda: *XIV. Kal. Octobris natale Beatorum Martyrum Ptolemæi, & Lucii sub Antonino Pio, & filio ejus passorum*. Hoc C verò ut Justinus vidit, iniquissimum arbitratus, ut quam posset Christianis opem afferret, librum ad Senatum pro Christianis scripsit, ita exordiens: *Quæ heri, & proximis diebus in Urbe vestra o Romani, sub Urbicio accidère, & quæ ubique locorum similiter à Præsidibus fiunt, necessitatem mihi imposuere, ut pro nobis, & fratribus nostris hanc orationem componerem*; tum inter cætera, quis esset Christianorum obtrectator, & accusator ostendit, nempe Crescentem quendam Philosophum, inquiens: *Ego insidias, fustuarium, Crucisque supplicium expecto à quopiam, qui sit aliquo nomine, vel ab ipso etiam Crescente Philosopho, & auræ popularis D aucupatore; indignus namque est, qui Philosophus dicatur; propterea quòd publicè de rebus, quas ignorat, videlicet quod Christiani athei & impii sint, asseverat*; postquam autem causam oravit, in extremo ita concludit: *Quare vos rogamus, ut Senatusconsulto scripto libellus hic præmittatur, unde ab aliis res etiam nostræ cognosci, & Christiani suspicione falsa liberari possint, qui sinè culpa suppliciis obnoxii fiunt*. Interim Ravennæ Vitalis cùm Ursicinum Medicum Christianum à Paulino Judice suo damnatum ad supplicium ita duci videret, ut signa non dubia debilitati animi ederet, exclamavit: E *Ursicine, cave, ne tu, qui olim salutem dare consuevisti, te ipsum æternæ morti addicas*. Quod verbum audiens Ursicinus, recepto animo genu posuit, & spiculatorem, ut feriret, admonuit, cujus corpus cùm Vitalis in urbe sepulturæ mandasset, ad Paulinum redire neglexit; ob has causas à Paulino in equuleum est sublatus, ut tormentis ad sacrificandum impelleret; cui ipse respondit: *Stultus nimirum essem, Pauline, si alios ad constantiam retinendam hortatus essem, ego verò animum desponderem*. Quare Paulinus illum fossâ altâ imponi, & ibi aggestu terræ obrui jussit; atque ita Vitalis sacrum martyrium consummavit. Sacerdos autem

A Apollinis, qui hoc Paulino consilii dederat, repentè à Dæmone arreptus est, cùmque exclamaret: *Incendis me S. Vitalis martyr, & cruciatas*; post septem dies se se in flumen præcipitem dedit. Valeria verò Vitalis conjux Mediolanum reversa, cùm epulari cum Gentilibus tum fortè Sylvano sacrificantibus recusasset, ab eis ita multata est, ut post triduum expirarit. Filii verò ejus Gervasius & Protasius, patrimonio pauperibus distributo, se in cœnaculum abdiderunt, atque ibi lectioni, orationi, jejuniisque vacantes per undecim annos usque ad Persecutionem Antonini manserunt, ut D. Ambrosius prodidit. Cùm autem Ju- B stinus se nihil superiore oratione profecisse videret, defensionem alteram ad Imperatorem Pium, & Marcum, & Lucium contra Philosophos, & Gentiles varia ratione in Christianos agentes scripsit, cujus hic titulus est: *Imp. T. Ælio Hadriano Antonino Pio Augusto Cæsari, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Lucii Cæsaris naturali, Pii autem adoptivo filio eruditionis amatoribus, sacroque Senatui, & Populo Romano universo pro iis, qui ex communi hominum genere injustè odiis iniquis, & violentæ vexationi obnoxii sunt, Justinus Prisci Bacchii filius, Flavia Neapoli Syriæ Palæstinæ ortus ex illis unus hanc orationem, & deprecationem conscripsi*. Deinde ita causam agere C exorditur: *Qui verè Pii & Philosophi sunt, eos solam veritatem colere debere ratio præscribit, veterum opinionibus, si pravæ sunt, insistere detrectantes*; & post: *Venio non adulaturus vobis hoc scripto, sed petiturus, ut juxta exactam rationem judicium faciatis, ne sententiæ domo allatæ præsumptione, neque superstitiosa hominibus placendi affectione, neque concepto præter rationem impetu, & malâ famâ longo tempore inveteratâ præoccupati contra nos sententiam feratis*; inde addit: *Oramus, ut crimina, quæ Christianis objiciuntur, inquirantur, atque si ita se habere probata fuerint, ut par est, puniantur; si D crimen nullum extat, non est æquum, propter malam famam insontes homines injuriâ afficere. Ut autem iniquum est, nos propter nomen, si mali esse comperiamur, absolutionem petere, sic injustum quoque est, innocentes damnari ob solam nominis appellationem, aut vitæ consuetudinem; ex nomine enim ipso neque laus cuiquam, neque pœna debetur, nisi quid per virtutem, aut vitium factum esse ab eo probari potest; quemadmodum enim quidam inquisiti non inficiantes Christum alios suo exemplo accendunt, sic malè viventes nonnulli occasionem fortasse præbent, Christianos universos temere proscindendi eis, qui impie- E tatem consectantur. Quare oramus, ut facta omnium judicentur, quorum nomina deferuntur, ut criminis manifestus puniatur, tanquam injustus, non tanquam Christianus; sin aliquis expers criminis reperiatur, absolvatur, tanquam Christianus, qui nihil injustè egerit*. Inde, ut Imperatores, quæ esset Christianæ ratio disciplinæ, cognoscerent, sancta illius decreta quædam adjungit, de castitate tuenda, diligendis inimicis, pauperibus sublevandis, vitæ sollicitudine abjicenda, irâ continendâ. Tum Criminibus omnibus in hæreticos, qui tum Ecclesiam perturbabant, relatis, postquam de hæreticis superioribus dixit, de Marcione

ita

A. Chr. CLVII.

ita subjungit: *Marcion verò Ponticus hodie etiam discipulos suos docet, alium quemdam Opifice majorem opinari Deum, qui per omne quoque genus hominum Dæmonum fretus auxilio plurimis auctor est, ut blasphema dicant, & effectorem hujus universitatis Deum negent, alium autem quemdam, ut majorem, majora præter hunc condidisse profiteantur. Atqui omnes, qui ab his prodeunt, Christiani vocantur. An verò etiam hi infamia illa, & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carnium viscerationes, nescimus, persecutione quidem certè eos non expeti, neque occidi à vobis, ob ipsa etiam dogmata sua, scimus.* B Respondet inde illis, qui Christi doctrinam novam esse dicebant, & Christianos asserere Christum ante annos centum quinquaginta natum sub Quirino, docuisse autem post sub Pontio Pilato. Ubi verò dogmata Fidei adversùs Philosophos comprobavit, demum ad mores Christianorum exponendos descendit, atque ita exponere pergit: *Nos hominem credentem, & inter fratres ascitum in conventum ad communes preces tum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus peragendas abducimus. Quibus absolutis populus acclamat: Amen. Deinde Præpositus, accepto pane, aqua, & vino, gloriam Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam, idest gratiarum actionem, exequitur.* C *Quo facto, Diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, & vinum; nemini verò Eucharistiam illam participare licet, nisi credenti, & abluto; non enim ut communem panem, & vinum illud sumimus, sed tanquam incarnati Jesu Carnem, & Sanguinem. Deinde qui habet, pauperibus exhibet, atque in omnibus, quas offerimus, oblationibus benedicendo laudamus Factorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum Sanctum; & die Solis omnes ex oppido, & rure in unum locum conveniunt, & Commentaria* D *Apostolorum, aut scripta Prophetarum leguntur; deinde Præfectus orationem ad Populum instruendum habet; sub hac surgimus omnes, & precationes facimus, ut diximus; quibus peractis, panis offertur & vinum &*

A *aqua; & Præfectus preces fundit, populo respondente, Amen; & distributio fit unicuique præsenti eorum, in quibus gratiæ actæ sunt: absentibus autem per Diaconos mittitur. Ditiores pro suo cujusque arbitrio conferunt, & Præfectus pupillis, viduis, ægrotantibus, aut in vinculis positis, aut peregrinantibus distribuit, est enim curator egenorum. Solis die communiter omnes conventum agimus, quo die Deus Mundum effecit, & Jesus à mortuis resurrexit. Quæ si vobis probantur, in pretio habete; sin minus, tanquam deliramenta contemnite. Possumus postulare, ut judicia fieri jubeatis convenienter epistolæ Hadriani Cæsaris parentis vestri; sed nos, ut convenienter justæ petitioni nostræ faciatis, potiùs* B *flagitamus.* His scriptis illud Justinus profecit, ut Pius Magistratibus provincialibus rescripserit, ne quid negotii facesserent Christianis, nisi aliquid contra Imperium molirentur; quod ex rescripto Marci, de quo post dicemus, colligitur. Melito etiam Sardianus Episcopus, teste Eusebio, scripsit, Pium, cum generatim ad alias civitates, tum præcipuè ad Larissenses, Thessalonicenses, Athenienses, & alios Græcos scripsisse, ne sævirent in Christianos. Ægisippus, sedente Aniceto, Urbe Roma discessit, quem supra venisse sub Thelesphoro diximus; quamobrem anno C centesimo sexagesimo Ecclesia à Persecutione quietem egisse videtur. CLX. Quo tempore Anicetus Pontifex formandæ Ecclesiæ deditus Decretum Apostoli renovavit, ne Claricus comam nutriret, ut Beda scriptum reliquit. Anno verò centesimo sexagesimo secundo CLXII. Pius Imperator morbo extinctus est, cùm annos XXIII. imperasset; ob cujus honorem, ut inquit Victor, Templa, Sacerdotes, atque infinita alia decreta sunt; atque hoc quidem pacatum Gentilibus & Christianis Pii fuit Imperium, quem falsò quidam nimiæ sævitiæ adversùs Christianos insimularunt, quasi verò ille edicti alicujus gladium in eos, ut superiores Imperatores, distrinxerit. D In sepulchro Hadriani conditus est cum hoc titulo: *Imp. Cæsare T. Ælio Hadriano Antonino Pio Aug. Pontifici Max. Trib. Pot. XXIIII. Imp. II. Cos. IIII. P. P.*

LIBER SEPTIMUS.

Antoninum inde Pium M. Aure-
lius Imperator est consequutus,
qui à studio sapientiæ, quo
præter cæteros omnes flagra-
vit, Philosophi cognomen in-
venit, jampridem à Pio filius adoptatus,
& in Imperii societatem ascitus, adeò ut,
moriente Pio, Tribunitiæ Potestatis an-
num ageret quintum decimum, & Consu-
laris esset tertium. *Hic*, ut scripsit Capi-
tolinus, *post excessum Pii à Senatu coactus
Rempublicam suscipere, fratrem sibi partici-
pem in Imperio cooptavit; quem L. Aurelium
Commodum appellatum, Cæsarem, atque Au-
gustum dixit, ex quo tempore cæperunt pa-
riter Rempublicam regere, tuncque primùm
Romanum Imperium duos Augustos simul ha-
bere cæpit. Antonini deinde ipse nomen usur-
pavit, & quasi pater L. Commodi esset, eum
Verum appellavit, addito Antonini cognomi-
ne, filiamque suam Lucillam ei despondit.*
Idem, ut Sex. Victor adjungit, *ærumnis
publicis quasi defensor objectus fuit. Etenim
nisi ad illa tempora natus fuisset*, inquit,
*profectò quasi uno lapsu ruissent omnia status
Romani. Quippe ab armis quies nusquam
erat, perque omnem Orientem, Illyricum,
Italiam, Galliamque bella fervebant, terræ
motus non sinè interitu Civitatum, inunda-
tiones fluminum, lues crebræ, locustarum
species agris infestæ, prorsus ut prope nihil,
quo summis angoribus atteri mortales solent,
dici, seu cogitari queat, quod non illo impe-
rante sævierit.* Cæterùm inter eos, qui bel-
lum Imperio Romano moverunt, fuit, Dio-
ne teste, Parthorum Rex Vologesus, qui
arma sub Pio comparata, Marco & Vero
Antoninis Imperium ineuntibus intulit:
Eodem anno Anicetus Pontifex quintam
Decembri mense Ordinationem obivit, Pre-
sbyteris septemdecim, Diaconis quatuor,
& Episcopis novem Pontificatus sui spatio
CLXIII. consecratis, ac sequenti XVI. Kal. Maji
martyrio coronatus decessit, ut Beda his
verbis scriptum reliquit: *S. Anicetus Papa
sedit in Episcopatu annis undecim, tem-
poribus Veri, & Marci; XVI. Kal. Maji
martyrio coronatus sepultus est in Cæmeterio
Callisti.*

SOTER PONTIFEX XII.

Ejus inde locum post paucos dies Con-
cordius Soter obtinuit, omnibus, qui
de Pontificibus scripserunt, auctoribus,
Eo anno L. Antoninus Verus, relicto do-
mi Marco, ad bellum Parthicum est egres-
CLXIV. sus, ac postero Antiochiæ voluptatibus
immodicis serviens per Cassium Legatum
Urbem potentissimam Seleuciam cepit, at-
CLXV. que incendit, ac sequenti Prisci Legati al-
terius virtute Oppidum Armeniæ caput Ar-
CLXVI. taxata in potestatem adduxit, ac quarto
anno, bello confecto, provinciam ordina-
CLXVII. vit; unde quinto, ut scribit Capitolinus,
in urbem regressus, triumphum nobilissi-
mum egit. Hoc temporum intervallo Ca-
pito Ecclesiam Hierosolymitanam admini-
strandam accepit. Sotere sedente hæresis
Kataphrygas non emersit, ut Eusebius si-
A gnificavit, sed mortuo Montano vires ex-
tendit, sectatoribus ejus in duas partes di-
visis, ut Tertullianus præter cæteros pro-
didit: *Accesserunt*, inquit, *alii hæretici, qui
dicuntur secundum Phrygas, sed horum non
una doctrina est: sunt enim qui Kata Pro-
clum dicantur, sunt qui secundùm Æschinem
pronuncientur. Hi habent aliam communem
blasphemiam, aliam non communem; commu-
nem illam, qua in Apostolis dicant, Spiritum
Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse, &
qua dicant Paracletum plura in Montano di-
xisse, quàm Christum in Evangelium protu-
lisse, nec tantum plura, sed etiam meliora,
atque majora; Privatam blasphemiam illi,
B qui sunt Kata Æschinem hanc habent, qua
adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Christum ip-
sum esse Filium, & Patrem.* Qua re motus
Miltiades librum adversùs eos edidit. So-
ter autem Pontifex cum alia præclara in
Ecclesia Romana obivit, tum laudem præ-
cipuam ex eo tulit, quòd morem veterem
Ecclesiæ in calamitatibus fidelium suble-
vandis diligenter custodivit, quod Diony-
sius Corinthiorum Episcopus Epistolâ ad
Romanos scriptâ, Eusebio teste, prodidit,
his verbis: *Is mos apud vos jam inveteravit,
ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis,
& Ecclesiis permultis, quæ in quaque Civi-
tate sunt, vitæ subsidia mitteretis. Sic non
C solùm egentium sublevatis inopiam, verùm
etiam fratribus, qui sunt ad metalla damna-
ti, opem fertis, sicque per ea beneficentiæ
subsidia, quæ jam à primis Ecclesiæ vestræ
fundamentis passim mittere consuevistis, cùm
sitis Romani, Romanorum consuetudinem à
patribus traditam sedulò observatis. Quam
quidem Beatus Soter Episcopus vester, & huc
usque custodivit diligenter, & studiosè adauxit,
idque non modò opes in Sanctos reficiendos de-
legatas benignè subministrando, verùm etiam
fratres ad ipsum adventantes, tamquam Pa-
ter indulgens, ac clemens in liberos, beato, ac
pio sermone ad virtutem cohortando.* Et post:
*Hodie sacrum diem Dominicum celebravimus,
D in quo vestram Epistolam, quo nos ad studium
pietatis cohortaremur, legimus, quam semper,
sicut etiam priorem, nobis à Clemente missam
ad nostram Institutionem legere solemus.*
Quin etiam Soter cum Ecclesiis Asianis,
licèt à se in celebrando Paschate discre-
pantibus, concordiam agitavit. Redeo ad
Antoninum Verum, cujus omnis in bello
gerendo opera, Marco studiis pacis inten-
to, consumebatur. Is, ut inquit Capitoli-
nus, tanto timore belli Marcomannici,
quod movebatur, est percitus, ut undique
Sacerdotes acciverit, peregrinos ritus im-
pleverit, Romam omni genere lustraverit,
retardatusque à bellica profectione cele-
E bravit etiam Romano ritu lectisternium
per septem dies; tanta autem tum pestilen-
tia fuit, ut vehiculis cadavera sint elata,
quibus malis exacerbatus facilè aures hosti-
bus Christianorum aperuit, qui nunquam
eis obtrectare, & Cæsares, ac populos ar-
repta undecumque occasione in eos incen-
dere desistebant, atque ita quasi ad præ-
sentia mala avertenda novam in eos, tam-
quam homines impuros, Persecutionem
edi-

A. Chr. CLXVII. edixit, quam Eusebius, Sulpicios, & Augustinus quintam appellaverunt. Hanc verò omnium acerbissimam fuisse, dira martyriorum, quæ prodita memoriæ sunt, exempla ostendent, de quibus sigillatim, ut poterimus, exponemus. Cæterùm, ne quis fortè miretur, Deum fideles suos tot tantisque malis innoxios affici permisisse, is, teste Firmiano, sciat eum hoc pacto suum augere populum voluisse. Nam his Persecutionibus boni illud Christiana Ecclesia assequebatur, ut ex Gentilibus alii opinarentur, Deorum cultum non sinè causa malum putari à tam multis hominibus, ut emori mallent, quàm id facere, quod alii faciunt, ut vivant: alii verò cuperent scire quidnam esset illud bonum, quod ad mortem usque defenderetur, & quod omnibus, quæ in hac vita jucunda, & cara sunt, præferretur, à quo nec bonorum nec locis amissio, nec dolor corporis, nec cruciamenta viscerum deterrerent. Quin etiam multi audientes inter ipsa tormenta, qui dicerent, nolle sacrificare lapidibus humana manu factis, sed Deo vivo, qui esset in Cœlo, Deum verum esse intelligebant, & in pectus admittebant, & dum inter se invicem quærebant, quæ esset hujus perseverantiæ causa, multa, quæ ad religionem pertinent, divulgata, ac per rumorem vicissim aucupata discebant. Eusebius autem in Chronicis auctor est, anno

CLXVIII. Antonini septimo, & Romæ, & in Provinciis edicto Antonini sæviri adversùs Christianos incœptum, quod explicatiùs quoque in principio Libri quinti Historiæ repetivit: *Anno*, inquit, *septimo Antonini Veri gravis, & acerba in nonnullis terræ partibus Persecutionis procella ex temerario populi impetu per singulas urbes excitata contra nos ingravescere cœpit, in qua infiniti martyrio coronati sunt*. De hac re aliorum quoque multa testimonia extant; nam in vetere S. Pontiani vita sic scriptum est: *Temporibus Antonini Imperatoris excitata est Persecutio in Christianos, ut compellerentur idolis sacrificare; insidiabantur autem infideles fidelibus, & Christianorum nomen haud secus atque inquinamentum quoddam abominabantur*; & in S. Concordio ita: *Persecutio sub Antonino coorta est tanta, ut nemini emendi, aut vendendi facultas daretur, nisi qui Diis immolasset, ut periculum evitaret*; & in S. Marcello Cabillonensi: *Cùm sub Antonino Imperatore per omnes provincias, & civitates adversùs Christianos impia Persecutionis edicta penderent, Præfecti, & Judices, non tam obtemperandi studio, quàm Christianæ Religionis odio tanta contentione exequuti sunt, ut ubique locorum ultra humanam credulitatem in Christianorum sanguinem bellicina quadam immanitate sævirent*. Cæterùm hæc Persecutio cum in omnibus Imperii partibus exercita est, tum maximè in Italia, Gallia, & Asia. Edicto autem Persecutionis proposito Antoninus Fabianum Spoletum ad quæstiones de Christianis illis habendas misit, qui profectus tribunal ascendit, ac populo advocato dixit: *Antoninus Imperator me huc misit, ut si quem reperirem edictum suum despicientem, capitali supplicio coërcerem. Quare moneo vos, ne mihi causam animadversionis detis*. Quibus vocibus perterriti multi edicto obtem-

A. Chr. CLXVIII.

A perarunt, plurimi etiam tormenta perpeti omnia, quam immolare maluerunt. Inter cæteros Pontianus quidam disertè se pariturum negavit. Quare comprehensum, & ad tribunal adductum Fabianus rogavit: *Quis vocares?* cui Pontianus: *Parentes mei mihi Pontiani nomen imposuerunt, at ego præclarius aliud mihi peperi, Christiani*. Tum Fabianus: *Pontiane cole Deos nostros, & relinque Christum, quem Judæi post multas persequutiones in Crucem egerunt, quia illi te liberare manibus meis non poterit*; cui Pontianus: *At qui neque tu, neque Imperator tuus me umquam impellent, ut colam simulacbra muta, ac surda, quæ cultoribus opem

B ferre suis non possunt*; eo responso Fabianus offensus, nudatum jussit verberibus cædi quousque sanguis manaret; instantibus autem operi sinè ulla corporis læsione Ministris, tandem Pontianus excepit: *Nonne Fabiane erubescis, cùm cernas me cruciatus non sentire, quos infers?* Qua re animadversa Fabianus illum per ardentes prunas incedere jussit. Quo dolore neglecto Pontianus subjecit: *Ecce ego pedibus prunas calco ardentes illæsus in nomine Domini mei Jesu Christi, tu contra mitte manum in aquam calidam, & experire, num te Jupiter tuus tueri innocuum possit*. Quamobrem Fabianus exacerbatus, ipsum in equuleo

C torqueri præcepit, quod cùm carnifices facere incœpissent, paullo post clamare cœperunt: *Nos vehementiore cruciatu conficimur, quàm Pontianus; manus enim nostræ elanguerunt, & unci effracti sunt*. Tum in amphitheatrum eductum duobus Leonibus obtulit; Pontianus autem precatione adhibita adeò illos rugientes demulsit, ut ipsum demissis cervicibus adorarint populo acclamante: *Magnus est Deus Christianorum*; tum in carcerem reducto cibum per duodecim dies exemit. Pontianus tamen ab Angelo confirmatus supervixit; itaque Ministri post dies duodecim ad cadaver extrahendum progressi psallentem invene-

D runt: *Confido in Domino, non timebo quid faciat mihi homo*. Tum dorsum plumbo liquefacto perfudit. Pontianus autem nihil mali sentiens dixit: *Ecce Deus meus ex omnibus tuis me suppliciis eruit, nec dum erubescis?* Tum Fabianus: *audi me. Sacrifica Diis, & tibi consule*. Cui Pontianus: *Obmutesce infelix, & noli Deos tuos meis auribus inculcare, qui te non poterunt sublevare*. Ad extremum Fabianus hanc sententiam tulit: *Contemptor Deorum Pontianus, Speculatori tradatur, & caput ei desecetur*. Ita Pontianus ductus positis genibus dixit: *Gratias tibi ago omnipotens Deus, quòd me ad hanc horam perduxisti, ut certamine pas-

E sionis Diabolum in tuo Sancto nomine profligarem; quare suscipe spiritum meum in pace*; atque his dictis à Spiculatore percussus interiit, corpus à Christianis collectum, non longè à mœnibus urbis est conditum. Hæc XIIII. Kal. Februarias acta. Auctor cum Vita ejus Beda. In Urbe quoque fervente Christianorum inquisitione Felicitatis illustris in civitate viduæ nomen delatum est, quæ cum filiis suis septem edicto contempto Christum sinè timore confitebatur. Publius autem, cui ea mandata jurisdictio erat, mulierem cum filiis adesse jussit, ac primùm blandis, de-

inde

A inde minacibus verbis tentavit, ut ipsam ad sacrificandum adduceret. Cui illa respondit: *Noli putare, me aut blanditiis tuis allici, aut minis cogi posse, ut tibi obtemperem. Habeo enim Spiritum Sanctum, qui me non sinet à Diabolo superari. Quare non dubito, quin ego te aut viva, aut mortua vincam.* Tum Publius: *Si mors te delectat, at filiorum tuorum saltem vitam conserva*; cui illa: *Hi vivent si à sacrificio tam fœdo se abstinebunt. Quòd si se sacrilegio tanto obstrinxerint, perpetuam mortem obibunt.* Alio die ad se adduci in templum Martis unà cum filiis jussit, eamque, ut misericordiâ filiorum moveretur admonuit; illa verò ad filios conversa, cœlum eos suspicere, & acriter pro Christo, qui ibi eos **B** expectaret, certamen inire præcepit, quod ut ille audiit, ipsam alapis cædi jussit, inquiens: *tu audes consilium dare, ut jussa Dominorum meorum despiciantur?* At filio ejus Januario multa bona se daturum, si obediens, multaque mala, si contumax fuisset, ostendit, atque illum se patiturum esse negantem in carcerem retulit; cùm autem inde Felicem adhortaretur, hoc responsum tulit: *cave existimes me, aut quenquam fratrum meorum te auditurum, & à Domino Jesu Christo recessurum*; inde illo amoto ad Philippum dixit: *Dominus noster Antoninus jussit, ut Diis omnipotentibus immoletis*; cui **C** ille respondit: *Nec Dei, neque omnipotentes sunt, sed vana, & sensu carentia simulachra, & qui eis cultum adhibebunt, pœnas sempiternas persolvent.* Inde alloquutus Silanum, *ut video, vos cum vestra matre muliere nefaria conspirastis*; tum verò Alexandrum ætate minorem hoc modo appellavit: *Misereor ætatis tuæ, si abjecta pertinacia voluntati Imperatoris obsecundaveris; quare sacrifica Diis, ut Augustorum gratiam cum vita consequi possis*; cui ille respondit: *Ego servus Christi sum, quem unum confiteor, atque adoro*; inde ad Vitalem: *Credo te vitam morti præferre.* Cui Vitalis: *Uter mavult vivere, qui Deum verum colit, an qui Dæ-* **D** *monibus se obstrinxit?* Inde jusso accedere Martiali dixit: *Crudelitatis auctores effecti Augustorum edicta contemnitis? & in vestram perniciem ruitis?* cui ille: *Nescire videris, quæ pœnæ eos maneant, qui idola colunt; Deus enim suam in eos iracundiam effert, nam qui Christum Deum verum inficiantur, æterno incendio multabuntur.* Atque hæc omnia in tabulas relata Publius Antonino perlegit. Antoninus verò diversis eos judicibus plectendos tradidit, atque ita Januarius post verbera & carceres occisus est, Felix & Philippus fustibus mactati, Silanus præcipitio interemptus, Alexander, Vitalis, & Martialis capite cum ma- **E** tre truncati sunt sexto Idus Julii, ut Beda convenienter cum Vita eorum vetere prodidit. Item cùm Alexandrum Episcopum sermone hominum celebrari audiret (nam is puerum mortuum ab inferis excitasse, atque eo signo centum viginti quinque hominum numerum ad credendum allexisse prædicabatur), Cornelianum Præfectum ad eum deducendum misit, qui cùm rem divinam facientem invenisset, corripuit, Romamque perduxit, Crescentiano Presbytero, Bonifacio, & Vitali sequentibus. Antoninus autem ut trita percontatione præ-

A missa Alexandrum, Christum constantissimè profitentem cognovit, virgis castigatum in carcerem tradidit, denuncians, se quatuor dies ad resipiscendum illi dare; cui ille: *Finge jam illos abiisse, & quod fert animus hodie comple; neque enim ego sententiâ decessurus sum.* Inde rursus abnuentem in equuleum sustulit, & latera lampadibus ussit, atque ungulis laceravit, cùmque inde depositum, atque in templum Apollinis ductum partem templi eum simulachro disturbasse audisset, magicis id fecisse artibus arguens, ad bestias condemnavit, atque ab eis intactum in fornacem ardentem injecit, quæ oranti illi extincto **B** igne non nocuit. Quod ut Antoninus exaudiit, demum caput illi amputari præcepit, audiensque juvenem quendam nomine Herculanum, verum Alexandri Deum esse clamantem, qui suos inter tot cruciamenta levaret, diversis tormentis excruciatum necavit. Alexander autem cùm orario à muliere sumpto oculis suis obtendisset, forti animo ictum percussoris excepit viâ Claudiâ, vigesimo ab urbe lapide; sepultus est autem à Crescentiano & sociis ejus in eo loco, ubi fornacem ignis extinxerat, XV. Kalendas Octobris. In Syria verò in Urbe Damasci Sebastianus Dux Victorem militem Italum, & Christianum accivit, **C** atque ita affari cœpit: *Venere literæ ab Imperatore, quæ jubent, vos Christianos Diis sacrificare; qui verò abnuerint, pœnas atrocissimas solvere. Sacrifica igitur, ne mortem oppetas.* Cui Victor respondit: *Ego sum miles magni illius Regis, & immortalis Imperatoris Jesu Christi, neque mortali Regi obtempero.* Tum ille: *cùm Imperatoris nostri sis miles, edicto parere illius debes.* Cui Victor: *si ego cùm Imperatori operam navabam, occultè Domino, & Deo meo serviebam, quomodo nunc committere possum, ut illo relicto Idolis vestris honorem adhibeam?* Tum ille: *si parebis, multis te cruciatibus liberabis.* Cui Victor: *Ego verò quæcumque sup-* **D** *plicia libens excipiam, ne sacrificem, gaudeoque me dignum effectum, qui pro Christi nomine tormentis afficiar.* Rursus ille: *num tu mori decrevisti.* Sane, inquit Victor, *quia ejusmodi mors vitam affert iis, qui ejusmodi tormenta usque ad extremum fortiter perferunt.* His verbis incensus Sebastianus, nova omnia ad illum cogendum tormenta deprompsit. Nam primùm digitorum articulos eousque confringi jussit, quoad ossa nudata sunt, deinde ipsum in fornacem ardentem injecit, & cùm post triduum incolumem reperisset, venenum pestiferum cum carnibus mistum comedendum apposuit, quod cùm semel iterumque sinè noxa **E** sumpsisset, veneficus, qui illud confecerat, stupore attonitus, libris suis combustis ad Christum sese contulit. Inde totius corporis nervos divulsit, oleum fervens in occultas corporis partes infudit, in ligno suspenso ardentes faces admovit, acetum cum calce mixtum in fauces ingessit, oculos eruit, per triduum capite inverso suspendit, & cutem detraxit, cùm ad singula tormenta Victor se nihil sentire doloris assereret, neque se ab illo compelli ullo tormenti genere posse, ut de Fide decederet, ac magna libertate libidinem ejus obstinatam perstringeret. Quas res

Co-

Corona Uxor militis, quæ aderat, conspicata exclamavit: *Beatus es Victor, & beata sunt opera tua, sacrificium tuum Deo acceptum est. Video coronas duas cœlo lapsas, unam tibi, alteram mihi paratam, nam & ego certamen subire, & cœleste regnum assequi cupio.* Qua voce audita Sebastianus eam adesse jussam bis percontationibus fatigavit: *Quænam es tu?* cui illa: *Christiana. Quot annos nata? Quindecim & menses octo. Quamdiu vixisti cum marito? Annum unum & menses quatuor. Quare tam citò Mundo nuncium remisisti? Ut fidenti animo Salvatori meo Jesu Christo, quem expectamus, occurrere possim, cœlesti, inquam, Sponsa, nam terrestris mortalis est.* Tum demum: *has omitte nugas*, inquit, *& Diis sacrifica, ne novis te excruciatam tormentis interimam.* Cui illa: *Ego Corona appellor, quare nunquam ista sacrificia offeram, ut ab illo vero certaminum arbitro Christo veram coronam recipere queam.* Hinc irâ Sebastianus accensus jussit, eam duabus palmarum adductis arboribus alligari, & repentè illas dimitti, quomodo illa in duas partes fœdè discerpta est. Victorem verò secari percussi imperavit; quo facto sanguis cum lacte ex vulnere fluxit. Quod ubi qui aderant, conspexerunt, plerique Christum amplexi sunt. Hæc pridie Idus Maji acta, Beda, & Usuardus memoriæ prodiderunt, quibus assentitur ferme in omnibus Metaphrastes. Hierosolymis Cajus Episcopus, teste Epiphanio, factus. In Asia quoque res atrocissimè gestæ. Nam Smyrnæ Christiani alii usque ad viscera lacerati, alii buccinarum testis & lapidibus præacutis substratis afflicti, alii bestiis dilaniandi objecti sunt, qui omnes fortissimo animo omnia supplicia pertulerunt. Ex quibus Germanicus adolescens primas tulit, qui ut morte celeriore periret, feram in se irritavit, atque ejus dentibus comminutus martyrium gloriosè confecit. Cùm autem Gentiles hæc intuentes stupore defixi essent, tamen repentè omnes vociferari cœperunt: *Tollantur impii, quæratur Polycarpus*; hic enim erat, ut antedictum est, ipsius Urbis Episcopus. Tum Quintus, qui nuper ex Phrygia venerat, captus salute prodita, manus præ ignavia dedit, & cum aliis ad tribunal Judicis ivit. Polycarpus autem his cognitis, rogatu amicorum ex urbe in propinquam villam secessit, ibique cum familiaribus Deum orare, ut pax Ecclesiis redderetur, instituit. Cùm autem per noctem in quiete vidisset, cervical suum flammis de repentè correptum consumi, expergefactus somnium amicis narravit, ac se pro Christo flammis traditum iri prædixit, inde cùm se à satellitibus conquiri sensisset, in aliam villam se transtulit, quò satellites cùm venissent, ubi esset, pueri indicio cognoverunt; erat autem in superiore ædium parte, ex qua cùm se in aliam trajicere domum posset, recusavit, ac degressus cum illis quieto animo, & vultu sereno verba fecit. Satellites autem ut venerandam hominis caniciem conspexerunt, tantum studium in tam provectæ ætatis homine indagando consumptum esse, mirati sunt, quos Polycarpus structâ mensâ cibum capere jussit, atque ab eis horam unam ad preces Deo fun-

dendas postulavit, quibus perfectis asino impositus die Sabbati in urbem reductus est; quem Herodes cum patre Nicete occurrens in rheda sua excepit, ac suscepto monitoris officio dicere instituit: *Quid mali est, dicere, Domine Cæsar, & illi sacrificare, atque ita saluti tuæ consulere?* Quibus Polycarpus respondit: *Nequaquam facturus sum, quod mihi consulitis.* Quo responso offensi, probris oneratum, tanto de rheda impetu deturbarunt, ut lapsus tibiam fregerit. At ille, quasi nihil mali perpessus ad stadium ire contendit, atque in via vocem audivit dicentem: *Fortis esto Polycarpe, & strenuè te gere*, neque undenam hæc vox prodiisset, excipere quisquam potuit. Cæterùm simul atque auditum est, Polycarpum esse comprehensum, ingens tumultus coortus est. Proconsul autem, ubi eum vidit, ita alloqui cœpit: *Tu ne es Polycarpus?* asserente autem illo, se esse, subjecit: *Consule ætati tuæ*, cætera suggerens, quæ illi tum in ore habebant: *Jura per Cæsaris fortunam, resipisce, dic, tollantur impii.* Polycarpus autem multitudinem, quæ erat in stadio, intuens, & manum in eam intendens, oculis in Cœlum sublatis cum gemitu dixit: *Tollantur impii*, cùm ille adderet: *Jura, detestare Christum, & te dimittam*; respondit: *octoginta jam illi annos inservio, nec ab illo aliquo sum affectus incommodo, & propterea maledicere nequeo.* Cùm inde urgeret, ut per Cæsarum fortunam juraret, *quoniam videris*, inquit, *ignorare, qui sim, scito me Christianum esse; si vis Christiani professionem cognoscere, da mihi diem, & audies.* Cui Proconsul: *istud persuade*, inquit, *Populo*; tum Polycarpus: *Ego verò*, inquit, *docere te volo, nam magistratibus honorem habere, qui salutis detrimentum non afferat, admonemur: populum enim non satis dignum arbitror, cui de Fide nostra respondeam.* Tum Proconsul: *Ego te bestiis dedam, nisi parueris*; cui Polycarpus: *utere arbitrio tuo, nam ego non sum de sententia decessurus.* Tum Proconsul: *Atqui si bestias non exhorrescis, flammis te conficiam*; cui Polycarpus: *quid cunctaris? exprome, quod lubet, supplicium.* Hac constantia Proconsul obstupefactus in medio stadio per præconem pronunciari jussit: *Polycarpus professus est, se Christianum esse.* Quibus vocibus exceptis, Gentiles, ac Judæi dicere cœperunt: *Hic est Asiæ Doctor, hic Christianorum Pater, hic nostrorum Deorum eversor, hic est, qui multis auctor fuit, ut Diis neque cultum, neque Sacrificium adhiberent*, atque his dictis rogarunt Philippum munerarium, ut leonem emitteret, quo Polycarpum discerperet, qui negavit, se posse, quia ferarum certamina confecta essent; tum clamare cœperunt, ut Polycarpus vivus combureretur, ac continuò cuncti, & præsertim Judæi, materiem undique ex officinis, & balneis congesserunt, ac rogum construxerunt. Tum Polycarpus cingulum solvit, vestes exuit, calceosque deposuit, inde cùm clavos, quibus in rogo firmaretur, corpori suo admoveri videret, dixit: *sinite me hoc modo, nam qui mihi patientiam dedit ad flammas sustinendas, vim etiam largietur, ut sine clavis firmus in rogo permaneam.* Propterea non clavis affixus, sed vinculis alligatus est. Tum verò manibus post tergum revinctis ita loqui cœ-

A pit: *Pater dilecti, & benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tuì cognitionem accepimus, Deus Angelorum, & Potestatum, Deus omnis Creaturæ, & justorum omnium, qui vivunt in conspectu tuo, tibi gratias ago, quòd me hujus diei, & horæ celebritate donasti, in qua cum in Martyrum numero, tum in Calice Passionis Christi tui, tormentorum particeps fiam in resurrectione vitæ æternæ tam animæ, quàm corporis per immortalem Spiritus Sancti virtutem, inter quos quæso Martyres sim, ut ego hodie in conspectu tuo pro hostia opima, & accepta admittar, sicut præparasti, præsignificasti, & jam tandem complevisti, quia Deus verus es, & omnis men-* B *dacii expers, ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per Jesum Christum dilectum filium tuum Sacerdotem perpetuum, per quem tibi cum eo in Spiritu Sancto gloria nunc, & in futura sæcula sæculorum Amen*. Ubi verò vocem *Amen* emisit, carnifices rogo flammam implicuerunt, & Polycarpum imposuerunt, qui in eo stetit, tamquam aurum in camino, ignis ardore probatum, odorem undique difflans. Ubi verò illum ab igne violari non posse viderunt; carnifici ut ense confoderet præceperunt. Quo facto tantus sanguis effluxit, ut flammam prorsus extinxerit. Inde alii duodecim ex Philadelphia cum eo pari C genere mortis absumpti. Cupientibus autem fidelibus corpus ejus abripere, Nicetes Proconsuli persuasit, ut prohiberet, ne Christiani Crucifixo relicto hunc adorare inciperent. Qua re comperta Centurio corpus cremandum curavit, Christiani verò collecta ossa loco idoneo condiderunt. Tum etiam Metrodorus, qui erroris Marcionis Auctor putabatur, in ignem conjectus è vita migravit. Quin etiam Pionius Christum cum magna libertate confessus, & fidem coram Magistratu defendit, & qui in carcere tenebantur, confirmavit, & tormenta, clavos, rogum, ac denique mortem magno animo tulit. Itaque de eo Beda D sic scripsit: *Apud Smyrnam Pionius persecutione Antonini Veri post insuperabilem responsionem, constantiam, & squallorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii tolerantiam suis exhortationibus excitavit ad ultimum cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, & ardenti rogo superpositus beatum pro Christo vitæ finem sortitus est. Passi sunt cum eo, & alii quindecim*. Hæc Eusebius attulit ex epistola Ecclesiæ Smyrnensis super hac re ad Fratres missa. Cæterùm Germanicus XIV. Kal. Februarias, Polycarpus VII., Pionius Kalendis ipsis, teste Beda, cæterisque, est passus. Alexander quoque, & Cajus Apameæ citati, unà cum quibusdam hære- E ticis Phrygibus, ab eis se removerunt, & post VII Idus Martii martyrium subierunt, ut Apollinaris Episcopus Hierapolitanos prodidit, teste Eusebio, & Beda. Thrasea quoque Eumoniæ Episcopus III. Nonas Octobris Smyrnæ passus ab Eusebio, & Beda dicitur. Apollinaris autem hæc indigno animo ferens, alteram ad eumdem Imperatorem Apologiam sibi scribendam suscepit. Quin etiam Justinus, ut inquit Eusebius, posteriorem Apologiam ad Marcum, & Verum misit, sed quia refert ex ea, Justinum dixisse se expectare, dum à Crescente Philosopho accusetur, quod positum est in defensione, quam ad Senatum scripsit, vereor, ne ille in elicienda historia, ut supra etiam, lapsus sit. In Gallia quoque pessimè cum Christianis est actum, nam & balneis, & foro, & cæteris publicis locis exclusi, & variis generibus suppliciorum objecti sunt. Quicumque verò à Magistratibus in forum producebantur, cùm rogati coram Populo, num Christiani essent, se esse confessi essent, in carcerem usque ad Præsidis adventum inclusi sunt, cùm autem ad eum ducti crudeliter vexarentur, Vetthius Epagatus, iniquo animo talia judicia patiens, petitâ dicendi veniâ, se probaturum professus est, nihil sceleris in ejusmodi viris hærere. Quem cùm Præses rogasset, num Christianus esset, atque ille confessus esset, in numerum Martyrum retulit. Cum verò Præses Christianos omnes comprehendi jussisset, quotidie alii atque alii capiebantur, quorum nonnulli se paratos esse ad quodcumque supplicium subeundum dixerunt, alii verò fractiore animo certamen usque ad extremum explere non potuerunt.

In primis autem illustre martyrium absolvêre Sanctus Viennensis, Maturus, Attalus, Pergamenus, Blandina, Photinus, Epipodius, Alexander, de quibus sigillatim dicemus ex literis Ecclesiæ Lugdunensis, & Viennensis, quæ sunt apud Eusebium; ac Lugduni quidem Blandina in equuleum arrepta tortores, quia primo mane usque ad vesperam institerunt operi, fatigavit, obstupescentes quomodo toto corpore laniato resisteret, illa verò dum diceret *Christiana sum*, incredibilem doloris levationem percipiebat. Sanctus autem Diaconus verbera à carnificibus impacta tanta firmitate animi toleravit, ut ne nomen quidem, vel suum, vel gentis, vel civitatis, neque utrum servus, an liber esset, cogi ad expromendum potuerit, cùm ad omnia interrogata responderet *Christianus sum*. Quare Judices post cætera tormenta ardentibus admotis laminis totum sic ustularunt, ut forma hominis non extaret, nec tamen verbum aliud elicere potuerunt. Inde post aliquot dies instauratis cruciatibus, quos intermissos acriores putarunt, nihil profecerunt, quòd posteriora vulnera medicinam afferre prioribus viderentur. Biblis inde una ex eis, qui Christum negarant, adducta ut Christo, quemadmodum speraverant, malediceret, in tormento resipuit, & virtute recuperata, se se martyribus sociavit. Alii in fœdos carceres trusi pedibus ligno implicitis, & ad quintum usque foramen intercapedine longa distentis, & varia plagarum modis afflicti, & odore fœtido suffocati sunt. Quidam licèt ita excruciati, ut curari non posse viderentur, in carcere sinè cujusquam auxilio remanserunt, atque ita à Deo confirmati sunt, ut cæteros ad retinendam fidem incenderent, alii fœditatem carceris ferre nequeuntes brevì mortem oppetierunt. Photinus Lugdunensis Episcopus cùm supra nonaginta annos esset natus, nec liberum propter corporis imbecillitatem ducere spiritum posset, ardenti martyrii studio recreatus, quamvis exhausto corpore gestatus ad tribunal, multitudine in eum, tamquam Christianum vociferante,

præ-

A. Chr. CLXVIII.

præclarè se gessit. Cùm enim rugaretur à Præside, quis esset Christianorum Deus ? respondit: *si tu dignus eris, cognosces*. Inde crudeliter raptatus, & à proximis, ac longinqois malè multatus, & careeri traditus expiravit. Cætetùm qui Fidem infiiciati fuerant, non modò in carcerem cum cæteris mittebantur, sed etiam eorumdem suppliciorum participes evadebant, & cruciatu duplo graviore afficiebantur, cùm neque martyrii voluptate, neque promissorum expectatione, neque Christi amore sublevarentur, sed gravi pondere conscientiæ premerentur, & cùm Confessores vultu decoro incederent, & odorem prope unguenti pretiosi efflarent, ipsi demissi, & B abjecti, & turpi ignominiæ labe dehonestati à Gentilibus spernebantur, atque homicidæ nominabantur. Maturus inde, Sanctus, Blandina, Attalus ad bestias ducti. Maturus, & Sanctus in amphitheatro diversa tormentorum genera denuo subierunt, verbera, tractiones, & alia, quæ plebs temerario animi rapta impetu suggerebat. Demum ferreis candentibus cathedris imposita corpora cùm assassent, nec quidquam evincere potuissent, gladio percusserunt. Blandina ad stipitem alligata, & in crucem distenta, præda feris objecta est. Nulla verò ad eam bestia accedente, inde abrepta est. C Attalus inde importunæ multitudinis vocibus avocatus cùm per amphitheatrum duceretur, tabula prælata, cum his verbis: *Hic est Attalus Christianus*, atque à populo ad tormentum posceretur, Præses ubi eum Civem Romanum esse audivit, rursus cum cæteris in carcerem reduxit, ac literas ad Cæsarem super ea remisit. Interim verò multi ex iis, qui fidem negarant, confessorom beneficio sublevati ad eam se receperunt, & numero fidelium ascripti sunt. Qua re confirmati denuo ad tribunal accesserunt, ut à Præside super ratione Fidei rogarentur. Præses autem accepto ab Imperatore rescripto, ut tympanis confessores torqueret, D inficiatores liberos dimitteret, sententiam tulit, ut confessores, qui Romani Cives essent, securi ferirentur, reliqui verò ad bestias mitterentur; qui verò inficiati erant, jam præter Præsidis opinionem confitentes numerum martyrum cumularunt. Alexander autem Phryx, arte medicus, & veritatis præco eximius, cùm assistens Tribunali Confessores nutu ad servandam constantiam hortaretur, multitudo ægerrimè ferens confessiones eorum, qui Christum antea detestati fuissent, in Alexandrum, tamquam ejus rei auctorem, vociferari cœpit. Quare Præses sciscitatus est, quis esset ? E cui ille respondit: *Christianus*. Quod ut audivit, ad bestias condemnavit, ac postridie cum Attalo, quem ad ineundam à populo gratiam producebat, objecit. Hi duo cùm omnes ad cruciatum suum comparatas machinas devicissent, ad extremum & ipsi percussi sunt. Alexander ita fortiter se gessit, ut ne gemitum quidem in tanta acerbitate doloris ediderit. Attalus cùm candenti ferreæ sedi fuisset impositus, dixit: *Vos homines hoc modo voratis; nos autem nihil sceleris perpetramus*. Blandina inde, & frater ejus Ponticus, puer quindecim annos natus, cùm quotidie ad reliquorum conspicanda supplicia ducerentur, A in amphitheatrum inducti, per idola jurare sunt jussi. Eos verò constanter abnuentes illi, neque ætatis, neque sexus verecundiâ moti, variis suppliciis affligentes modò hunc, modò illum jurare urgebant. Ita Ponticus sororis corroboratus cohortatione post omnia tormentorum genera magno animo tolerata spiritum edidit. Blandina verò ultima post liberos interfectos, verbera, bestias, sartaginemque perpessa, ad extremum rete involuta tauro objicitur, & cùm laniata à bestia nullum doloris sensum præseferret, tandem gladio jugulatur, confitentibus omnibus, nullam unquam B apud se mulierem tam multa, ac tam acerba cruciamenta tanto animi robore pertulisse. Hæc martyria confecta esse IIII. Nonas Junias Beda, & Usuardus scripserunt. Præter eos verò, quos diximus, nominat Usuardus Zacchariam Presbyterum, Pagatum, Albinam, & Gratam cum aliis quadraginta. Inde corpora eorum, qui carceris pudore suffocati fuerunt, canibus devoranda objecta sunt, custodiis appositis, ne à Christianis sepulturæ darentur; eademque ratione membra Martyrum, qui in amphitheatro perierant, quæque aut bestiæ non vorarant, aut flammæ non absumpserant, & capita eorum, qui securi C percussi fuerant, unà cum corporum truncis collecta, excubiis militaribus ne sepelirentur, sunt custodita; cùm illi dentibus frendentes, novâ eos contumeliâ tentarent, & Deos suos tamquam justos Christianorum ultores efferrent, simulque ubi Deus esset Christianorum rogarent, & quid sua illis religio profuisset, quam vitæ propriæ prætulissent? Nostri verò animo agebantur, quòd neque per noctem furari ea, neque pretio extorquere, aut precibus poterant, post sex dies ea corpora combusta, & in cineres redacta in Rhodanum amnem projecta sunt, ut eorum nullæ reliquiæ superessent, unde in spem resurrectionis venirent, D qua freti tantam tormentorum asperitatem pro nihilo habuissent. Ea verò illorum dum vixerunt, modestia fuit, ut licèt omnia pro Christo tormenta perpessi essent, tamen Martyrum nomen recusarent, & si quis se hoc nomine affecisset, acriter reprehenderent, hoc nomen soli Christo vero Martyri, ac vitæ auctori, & iis, qui in confessionis constantia decessissent, & quorum martyrium præclaro vitæ exitu Deus obsignavisset, convenire dicentes, & Fratres enixè rogantes, ut Deum orarent, ut in se opus, quod exorsus erat, pari termino vitæ compleret. Hæc, ut dixi, Ecclesia Lugdunensis, & Viennensis ad Eccle- E sias Asiæ scripsit. His gestis cùm propè deleta Christianorum natio putaretur, delatum est ad Præsidem, duos juvenes esse Epipodium, & Alexandrum, qui contempto edicto occultè Christo operam darent, quod ut ille audiit, eos statim conquiri mandavit, ac demum apud quamdam viduam delitescentes extra urbem, cùm metu profugissent, invenit, ac statim in carcerem tradidit; post triduum inde, instante populo, ad tribunal adducti, & de nomine, ac professione rogati, nihil dissimularunt. Turba verò succlamante, ut plecterentur, ille sedato tumultu acri-

ter

A. Chr. CLXVIII.

A ter eos objurgavit, quòd uno tempore & Deorum numen, & edictum Imperatoris contemnerent, atque eis supplicia de cæteris confessoribus sumpta proposuit. Inde remoto Alexandro Epipodium natu minorem mollibus verbis ad cultum revocare Deorum contendit. Inde illi Deorum nomen abominanti, supplicia irridenti, ac vitæ æternitatem jactanti, os pugnis tundi jussit, ac demum adhuc acriùs reluctantem in equuleum sustulit; populo verò acerbiora supplicia flagitante, seditionem veritus, extra urbem eductum gladio feriri mandavit X. Kal. Maji. Die inde interposito, Alexandro adduci jusso miserum B Epipodii exitum retulit, in potestate ipsius esse ostendens, ut se ab ejusmodi periculo vindicaret, si Deis cultum adhiberet. Eo verò idem se supplicium non recusare dicente irâ incensus divaricatum tribus hominibus verberandum dedit, ac laniatum inde rogavit, num confessionis suæ pœniteret; atque atrocibus adhuc, quàm ante, de Diis loquentem, in crucem agi mandavit VIII Kal. Maji. Utriusque corpus in spelunca inter sentes occultè repositum, post tranquillatis rebus repertum decoram sepulturam invênit. Hæc in vitis eorum reperiuntur, quibus Beda & Usuardus adstipulantur. Erat tum Romæ Concordius C Gordiani Presbyteri tituli Pastoris filius, jam pridem a Pio Pontifice Subdiaconus ordinatus, is ut persequutionis periculum evitaret, permissu Patris ad Eutychetem miræ sanctitatis hominem, qui vitam agebat in prædio viâ Salariâ non longè ab oppido Tibure, sese contulit, & jejuniis cum eo, ac precibus divinis intentus multos ope Christi suis languoribus liberavit. Qua re audita Torquatus Tusciæ Comes hominem accersivit, & num Christianus esset, rogavit; respondente autem se esse: *sacrifica*, inquit, *Diis, & nobis amicus eris*; cui ille: *Immo verò tu sacrifica Christo, ut impendentia tormenta evadas*. Tum Comes D ipsum cædi, atque in carcerem condi jussit. Liberatus inde ab Anthimo Episcopo Torquati amico, & Presbyter ordinatus, post aliquot dies a Comite revocatus est, rogatusque ecquid de salute sua statuisset, respondit: *Salus mea Christus est, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis; tu verò cum Diis tuis concremaberis*. Tum in equuleum sublato: *Sacrifica Jovi*, inquit; cui Concordius: *non sacrifico lapidi muto*. Quare reductus est in carcerem, manibus & collo ferro implicitis, & cibo, ut fame periret, adempto; sed tamen Deum laudans ab Angelo confirmationem accepit. Inde post triduum ingressi jussu Comitis duo Sa- E tellites, parvum Jovis signum obtulerunt, dicentes: *aut sacrificium facies, aut mortem patieris*; cùmque ille in Jovis faciem expuisset, alter eorum educto gladio caput abscidit; corpus inde ejus à Clericis advenientibus Kalendis Januarii extra urbem Spoletanam est conditum. Et hæc ex Vita ejus, Beda & Usuardo assentientibus, sumpta sunt. Hoc anno M. Aurelius, & Verus Antoninus Augusti bellum demum Marcomannis, ut scribit Eusebius in Chronicis, intulerunt, atque ad id gerendum ambo profecti sunt. Cujus belli propterea meminimus, quia valet ad martyrium Gervasii & Protasii ex ordine digerendum, quod omnes adhuc Methaprastem malum temporum æstimatorem sequuti, in Neronis tempora contulerunt. Hi fratres, ut S. Ambrosius se reperisse in eorum Sepulchro à se eruto scribit, in urbe Mediolanensi erant, anno jam undecimo post suam conversionem in cubiculum reducti lectionibus, precibus, jejuniisque vacantes. Contendens verò Astasius Comes ad bellum, quod a Marcomannis excitabatur, conventus est à Sacerdotibus dicentibus: *Si vis lætus ad Augustos nostros reverti, & victor, Gervasium & Protasium sacrificare compelle, nam Dii nostri se contemni rati, nobis responsa dare contemnunt*. Itaque Astasius Gervasium & Protasium ad se accitos sic appellavit: *Hortor vos, ut Deis nostris sacrificium faciatis, ut nostra expeditio prosperum exitum consequatur*. Cui Gervasius: *Victoriam ab Omnipotenti Deo debes, non à simulachris inanibus expectare*. Quare Astasius eum tamdiu jussit plumbatis cædi, quoad animam exalaret. Inde Protasium adduci jussit, eumque ne exemplo fratris necari se pateretur, admonuit; cui ille pariter ita respondit, ut se minas eius parvi facere indicarit. Itaque & hunc ille fustibus cædi præcepit, & erectum monuit, ut resipisceret; cùm autem ille se Comitis misericordiâ tangi, & cum fratre martyrii societate conjungi velle diceret, jussit eum tandem capite truncari. Quo facto Philippus furto noctis corpora abstulit, & domi suæ in arca marmorea sepelivit; ibique summam hujus martyrii posuit, quæ postea S. Ambrosius, ut dictum est, reperit. Per eosdem dies Valerius Vicarius ab Antonino in Asiam ad quæstiones exercendas missus Thiatirâ profectus Carpum Episcopum, & Papylum Diaconum cepit; mox hortatos, ut patriam Deorum religionem tenerent, cùm illi falsam eam esse dixissent, Sardes, quò ipse proficiscebatur, adduci præcepit, atque illis in custodiam datis, Agathodorum eorum ministrum bovillis nervis cædi jussit, qui cùm dolorem ferre non posset, expiravit, atque inde Pergamum proficiscens, eos se sequi mandavit. Ibi verò Carpum constanter in confessione manentem flagris cæsum, lampadibus adussit, & vulneribus salem ad dolorem incendendum ingessit. Inde Papylum arreptum eodem modo affecit. Verùm uterque statim sanatus est, deinde rursus citatos super murices ferreos terrâ sparsos supinos traxit, quod supplicium inane expertus, latera novacula secuit, tum ursam, inde leonem in eos immisit, à quibus ut demulceri, non vorari martyres vidit, eos in calcem modò extinctam, atque adhuc fumantem injecit, inde crepidis ferreis calciatos cursum inire coëgit. Quibus omnibus irritis demum in fornacem ardentem injecit. Agathonica verò soror Papyli cùm adesset cum eis intravit, neque aliquis eorum detrimenti quidquam percepit. Qua re animadversa, ad extremum gladio omnibus vitam ademit. Hæc Idibus Aprilis acta, scriptum est in Vita eorum, quam Beda & Usuardus comprobarunt. Quibus Justini quoque martyrium Beda adjunxit, his verbis: *Apud Pergamum Asiæ urbem natale Sanctorum Carpi Episcopi, & Papyli*

Dia-

A. Chr. CLXVIII. *Diaconi, & Agathonicæ optimæ fœminæ, aliarumque multarum, quæ probatis confeſſionibus martyrio coronatæ ſunt. Cum quibus & vir mirabilis Juſtinus Philoſophus, qui habitu quoque Philoſophorum incedens pro religione Chriſti plurimum laboravit, in tantum, ut Antonino Pio, & filiis ejus, & Senatui librum contra Gentes ſcriptum daret, ignominiamque Crucis non erubeſceret; cùmque jam ſecundum librum ſucceſſoribus præfati Imperatoris, ideſt Antonino Vero, & Aurelio Commodo pro Religionis noſtræ defenſione porrexiſſet, remunerationem linguæ fidelis martyrii munus accepit.* Narrat Euſebius, eum à Creſcente Presbytero Cynico, quem ſæpe in diſceptatione multis audientibus vicerat, accuſatum, martyrium confeciſſe, idque teſtimonio Tatiani confirmat ita ſcribentis: *Creſcens, qui in magna urbe domicilium collocarat, cum alios ad mortem contemnendam eſſet hortatus, ipſe eam valde horruit, ut Juſtinum propterea, quòd dum veritatem prædicabat Philoſophos belluones, ac veteratores eſſe arguerat, morte tamquam magno aliquo malo afficere ſtuduit.* Epiphanius Juſtinum annos triginta natum ſub Hadriano Imperatore, & Præſide Ruſtico paſſum ſcribit. Per hos dies floruit Bardeſanes Syrus Scriptor Eccleſiaſticus, de quo ſic Euſebius: *Regnante Antonino cùm hæreſes in dies creſcerent, in Meſopotamia Bardeſanes vir doctus non modò contra æmulos Marcionis, ſed etiam contra alias ſectas dialogos ſcripſit, item dialogum de fato ad Antoninum miſit, & alia, quæ occaſione ex Perſequutionis calamitate tum longè latèque manante arrepta ſcripſiſſe dicitur.* Quin etiam Miltiades apologiam pro Chriſtianis compoſuit, atque Imperatoribus obtulit. Per idem tempus Symmachus Samarita tertiam Bibliorum interpretationem edidit, ut Epiphanius ſcripſit. Agrippinus hoc anno Alexandriæ, & Maximus Hieroſolymorum Epiſcopi facti.

CLXX. Sequenti, qui fuit centeſimus ſeptuageſimus, bello Marcomannico in Pannonia compoſito, L. Verus, ut ſcribit Capitolinus, urgens Aquilejam redire, quòd urbanas deſiderabat voluptates, à Marco in urbem deſtinatus eſt, ſed non longè ab Altino in vehiculo apoplexi ſubitò eſt correptus; depoſitus inde è curru, detracto ſanguine Altinum perductus, cùm triduo mutus vixiſſet, exceſſit, ac Romam relatus, ſepultus eſt in Hadriani ſepulchro ſuper Tyberim, cum hoc, quod adhuc extat, epitaphio: *Imp. Cæſari L. Aurelio Vero Aug. Armeniaco Med. Parthic. Pontific. Tribun. Pot. Imp. V. Coſ. III. P.P.* Mortuo, ut pergit Capitolinus, Vero, Marcus ſolus Remp. tenuit, multo melior & feracior ad virtutes, quippe qui nullis Veri jam impediretur, aut ſimulatis callidæ ſeveritatis, quo ille ingenito vitio laborabat, erroribus, aut his, quibus præcipuè diſplicebat. Marco jam inde à primo ætatis ſuæ tempore, vel inſtitutis mentis pravæ, vel moribus. Eo anno Theophilus Eccleſiam

CLXXI. Antiochiæ tenuit. Poſtero, Soter Pontifex epiſtolam ad Epiſcopos Italiæ miſiſſe fertur, in qua hæc ſancit: *Sacratas Deo fœminas, vel monachas ſacra vaſa, vel ſacratas pallas penes vos contingere, & incenſum circa altaria deferre perlatum eſt ad Apoſtolicam Sedem, quæ omnia reprehenſione plena eſſe, nulli rectè ſapientium dubium eſt. Quapropter hujus Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis reſecare funditus, quanto citiùs poteritis, cenſemus, & ne peſtis hæc latiùs divulgetur per omnes provincias abſtergi citiſſimè mandamus. Data X. Kal. Junii, Cethego & Claro Conſulibus.* Idem etiam Pontifex Ordinationibus quinque menſe Decembri factis, quibus Presbyteros XIX., Diaconos totidem, & Epiſcopos undecim conſecravit, X. Kal. Maji mortuus, atque in cœmeterio Calliſti viâ Appiâ ſepultus eſt. Hunc neque Beda, neque Damaſus, neque Euſebius, neque alius quiſquam ex veteribus martyrio occubuiſſe ſcribit, quod eſt veriſimile, ſiquidem Antonino Vero vitâ exempto, ſtatim Romæ Perſequutio elanguiſſe videtur.

ELEUTHERUS PONT. XII.

IN locum inde Soteris Eleutherus eſt ſuffectus, teſte Damaſo, Euſebio, & cæteris, qui Pontificiam hiſtoriam conſcripſerunt, ex quibus Irenæus inquit: *Cùm ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherus. Hac ordinatione, & ſucceſſione, ea, quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconium pervénit uſque ad nos.* Et Ægiſippus teſte Euſebio: *Manſi Romæ uſque ad Aniceti Pontificis tempora, cujus tum Eleutherus Diaconus erat. Huic ſucceſſit Soter, quo mortuo Eccleſiam excepit Eleutherus.* Ubi verò Antoninum Verum mortuum, & Marcum mitiſſimi ingenii hominem Rempublicam pro ſuo arbitrio adminiſtrare cognoverunt Galli, & Aſiani, qui Perſequutionis adhuc incommodis urgebantur, legatis, & literis miſſis Imperatori miſerias exponere ſuas anniſi ſunt, atque ejus opem, ac miſericordiam implorarunt. Ac Galli quidem, qui adhuc in carceribus erant, cùm literas ad novum Pontificem Eleutherum mitterent, ut pax Eccleſiis redderetur, credo propter Paſcha diſſentientibus, præcipuè ei Irenæum Lugdunenſem Presbyterum commendarunt, ut prodit Euſebius: *Te in Deo omnibus in rebus perpetuò valere optamus, Pater Eleuthere. Has literas ad te perferre fratrem noſtrum Irenæum, & miniſterii conſortem rogavimus, teque obſecramus, ut illum, utpote ſtudio incredibili erga teſtamentum Chriſti flagrantem, gratiâ, & benevolentiâ præ cæteris complectaris. Quòd ſi locum Eccleſiaſtici miniſterii vim habere juſtitiæ cuiquam impertiendæ noſſemus, hunc, ut Presbyterum Eccleſiæ, hoc namque munus obtinet, tibi commendaſſemus.* Quin etiam in Aſia Melito Sardianus Epiſcopus Apologiam pro Chriſtianis ad Marcum miſit, qua mala, quibus tum Chriſtiani afficerentur, expoſuit, ut inquit Euſebius, inter cætera ſic ſcribens: *Jam quod nunquam antea contigit, totum genus piorum hominum, qui ſe divino cultui dediderunt, Perſequutione affligitur, & novis edictis per univerſam Aſiam propoſitis divexatur. Nam impudentes calumniatores, & alieni appetentes ex his edictis, occaſionem nocti palàm noctu, atque interdiu furantur, eoſque expilant, qui nemini nocuerunt. Quòd ſi te præcipiente hoc fit, ſit ſanè rectè factum, atque ejuſmodi mortis præmium libenter per-*

CLXXI. A *petimur; illud tamen à te vehementer contendimus, ut auctores tales diffidie inquiras, deinde prudenter statuas, mortem ne, an salutem meruerunt. Sin autem hoc decretum tua auctoritate non est sancitum, multo magis te obsecramus, nec tam aperto latrocinio nos spoliari permittas.* Narrat inde ab Augusti Imperio Religione Christiana invectâ rem Romanam multo meliorem, auctioremque esse factam, Neronis, & Domitiani, qui ab iniquis hominibus corrupti primi in Christianos sævierunt inscitiam, & amentiam à majoribus Marci esse refutatam, & per edicta correctam: *Nam Hadrianus avus tuus,* inquit, *cum ad alios, tum maximè ad Fundanum Asiæ Proconsulem pro* B *Christianis scripsit. Pater autem tuus,* (Pium intelligit) *quorum tum Imperium gubernabas, cum ad alias Civitates generatim, tum ad Larissæos, Thessalonicenses, Athenienses, & omnes denique Græcos nominatim literas misit, ne quid contra Christianos molirentur.* Neque verò solùm Melito, sed alii quoque, ut inquit Eusebius, ex Asia ad Marcum scripserunt, pœnas de Christianis justo acerbiores sumi testantes. Itaque Marcus edictum ad eos rescripsit, cùm esset Tribuniciæ Potestatis XXV. Consul tertiùm,

CLXXII. qui tituli in annum sequentem incurrunt, ut ex iis, quæ de Tribunicia ejus Potestate suscepta ex veteribus lapidibus supradi- C ximus, liquet, quo edicto vetuit, ne quis, quia Christianus esset, vexaretur, prout pater suus Pius edixerat, quod edictum apud Justinum temerè in fine apologiæ ad Pium scriptæ locatum Eusebius adhuc, & cæteri Pii esse putarunt, cùm sit Marci; neque enim Pius Marci prænomen, neque Armeniaci cognomen, neque cætera tulit, quæ in titulo edicti sunt, quod ad Marcum pertinere dicimus; est autem ejusmodi: *Imp. Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus Armeniacus Pont. Max. Tr. Pot. XXV. Consul tertiùm, commune Concilio Asiæ S. Novi equidem diis curæ esse, ne tales homines impunitè in obscuro lateant, nam illi* D *ipsi sat scio de iis, qui cultum ipsis tribuere recusant, sunt multo acerbius supplicium sumpturi, quàm vos. At quibus hominibus jam ipsi gravem exhibetis molestiam, & tamquam impios, atque à Deorum cultu aversos insimulatis, eorum planè, quam habent magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis est, ut in crimen adducti, mortem pro Deo suo oppetant, quàm ut vita fruantur, unde suâ ipsorum vitâ hoc pacto prodita, multo majorem, clarioremque reportant victoriam, quàm si imperatam, quæ vos ab ipsis fieri postulatis, obirent. Cæterùm de terræmotibus, qui vel præterierunt, vel jam* E *sunt, non alienum à ratione videtur vos commonefacere. Quandoquidem, & cùm adsint animos dimittitis, & infelices vestri omnium casus in illorum religionem, tamquam eorumdem causam transfertis. At illi cùm tale quid eveniat, constantiùs, firmiùsque Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore Deum penitus ignorare, resque sacras prorsus contemnere, & non solùm cultus, qui soli Deo debetur, inscii esse, & expertes, verùm etiam eos, qui illum observant, & venerantur, graviter exagitare, & ad mortem usque insectari videmini. Pro quibus hominibus multi, qui nostris præfuere Provinciis, jam ante divinissi-* A *mo, sanctissimoque nostro patri literas scripserunt. Ad quos ille rescripsit, nihil ejusmodi viris negotii facessendum, nisi forte aliquid maleficii contra Romanum Imperium designare moliantur. Ad me etiam eorum causâ scripsere multi, quibus per literas patris mei sententiæ, & voluntati assentiens responsum dedi. Quòd si quispiam igitur cuiquam Christiano, quia Christianus sit pergat molestiæ quicquam, aut criminis inferre, ille, cui crimen illatum fuerit, etiam si re ipsa Christianus deprehensus sit, absolvatur; qui autem illum accusaverit, justum, debitumque supplicium subeat.* Hoc verò edictum Ephesi in communi Asiæ Concilio divulgatum est, B quo facto Persecutionem ubique compressam esse, existimare licet. Irenæus inde domum reversus loco Photini martyris Ecclesiam Lugdunensem accepit, ut Eusebius scribit. Atque hæc quidem dicta sint de Persecutione Antonini Veri, quam post mortem ejus ipse Marcus extinxit. Eodem anno Ecclesia Hierosolymitana Antonino commissa est. Sequenti, ut inquit in Chro- CLXXIII.

nicis Eusebius, pestilentia totum terrarum Orbem miserè adeò conflictavit, ut Romanum exercitum pene ad internecionem deleverit. Jam Valentinus, & Marcion Romæ apertè ita furere hæresibus suis serendis inceperant, ut ferri à Pontifice C Romano non possent. Quare cùm semel, iterumque communione depulsi, atque in eam recepti essent, demum ab Eleuthero in perpetuum ablegati sunt. Quod Tertullianus scriptum reliquit in libro de præscriptionibus, his verbis: *Marcion, & Valentinus, Antonini ferè principatu in Catholicam primò doctrinam crediderunt apud Ecclesiam Romanam, donec sub Eleuthero Episcopo ita ob inquietam semper curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum ejecti. Marcion quidem cum ducentis sestertium, quæ Ecclesiæ intulerat * novissimè in perpetuum dissidium relegati venena doctrinarum suarum disseminaverunt, postmodum Marcion* D *pœnitentiam confessus cùm conditioni sibi datæ occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros, quos perditione erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est.* Verùm contra Marcionem, & Valentinum multi Catholicæ Fidei studiosi, ipso adhuc imperante Marco, scripserunt; in primis verò Dionysius Corinthiorum Episcopus Epistolâ ad Nicomedienses scriptâ, & Theophilus Antiochenorum, & Philippus Cortynensium, quem Dionysius scribens ad Cortynensem Ecclesiam miris laudibus extolit, quorum Dionysius post VI Idus Aprilis est mortuus, Theophilus III. Idus Octobris, & Philippus III Idus Aprilis, sed diversis an- E nis, ut Usuardus notavit. Per eosdem quoque dies novi hæretici emerserunt Encratitæ, qui tanquam à Saturnini, & Marcionis schola profecti non contrahendum matrimonium prædicabant, inque eo veterem rationem improbabant, & Deum, qui marem, & fœminam ad humani generis propagationem creaverat, tacitè increpabant, & ab animatis abstinendum docebant, quorum errorum primus auctor Tatianus quidam extitit, qui Justini discipulus quoad cum eo versatus est, nihil ejusmodi edidit, post martyrium verò ejus Doctoris auctoritatem aucupans propriam

do-

CLXXIV doctrinam instituit, ut Irenæus narravit. Postero verò Marcus bellum Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, Suevis, & Quadis in Pannoniam intulit, ac Marcomannos quidem summa felicitate devicit, & quidem eo tempore, quo, ut inquit Capitolinus, atrox pestilentia multa millia popularium, militumque absumpserat. Inde verò in Quados arma convertit. Cùm autem po-
CLXXV. stero anno Quadi Romanos in locum iniquum potissimùm adduxissent, ac prœlium in diem differrent, sperantes se eos sitis insolerantia prostraturos, quòd locis circum circa infessis omnem aquandi usum eripuissent, tum repente collectis nubibus gravis imber effusus omnes impendentis diræ periculo mortis exemit. Cùm autem hostes impetum in Romanos avido ore aqua haurienda occupatos fecissent, tum subitò vehemens grando fulminibus mista in eos ita incubuit, ut funditus profligarit. Ex qua victoria Marcus se septimum Imperatorem appellavit. Cæterùm hujus rei miraculum Gentiles ad Arnulphum Magum, qui erat in exercitu, retulerunt; Christiani verò ad Christum. Nam, ut inquit Eusebius, cùm Marcus suis calamitatem avertere ab exercitu vellet, consilii inops, cohortem Christianorum, quæ erat in duodecima legione, rogavit, ut in communi periculo opportunum Christi Dei sui auxilium implorarent. Quod illi statim positis genibus cùm fecissent, continuò Deus Romanos mira manantis cœlo aquæ opportunitate refecit, hostes verò præsenti fulminum terrore disjecit. Qua re Marcus obstupefactus Christianis magnum honorem habuit, & legionem illam Fulminatricem vocavit. Hoc verò Eusebius confirmat testimonio Tertulliani sic ad Scapulam scribentis: *M. Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit*. Item Apollinaris, qui legionem ab eo Fulminatricem dictam testatur ex textu literarum ipsius Marci quibus haoc laudem tribuit Christianis, quarum meminit quoque his verbis in Apologetico Tertullianus: *Literæ M. Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur*. Literæ autem hæ adhuc extant, Justini Apologiæ ab aliquo erudito viro fortè attextæ: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Augustus Parthicus, Germanicus, Sarmaticus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Potestatis XXVIIII. Imp. VII. Cos. III. Pater Patriæ, Pro-Cos. S. P. Q. R. S. D. Certiores vos feci de consilii, propositique mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in discrimine, atque obsidione alia ex aliis inciderunt, quum in ejus medio labore, atque æstu confectus fuissem. Sanè dum Carnunti essem, speculatores nobis indicarunt LXXIIII. hostium dracones prope nos novem millibus adesse, idemque Pompejanus, quem bello ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renuntiavit; cùmque in nostrorum militum exercitu haberemus tantùm legiones primam Geminam, & decimam Fretensem, hostium verò DCCCC. & LXXVII; X. essent, measque ipsius copias cum ingenti barbarorum, atque hostium exercitu comparassem, Deos Patrios votis susceptis rogavi* CLXXV.
sed cùm ab eis negligenter, neque ab hostibus premi animadverterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersivi, ac rogavi, inventque magnam eorum multitudinem, illosque minus compuli, quod minimè decuerat, propterea quod postea illorum vim, ac potestatem cognovi; Itaque non ad telorum præparationem, non armorum neque ad tubarum usum se contulerunt, hoc enim illis facere Dei causâ, & nomine, quem in conscientiis gestant, conjuetum non est. Æquum igitur est, ut quos impios esse & à Deo alienos opinabamur, eos existimemus Deo munitos esse. Cùm enim se humi projecissent, non solùm precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis, ac sitis, qua urgebamur, remedium aliquod adferretur, quinque enim diebus aquam non sumpseramus, quòd ea non suppeteret, in media Germania montibus undique conclusi. Simul autem, atque sese humi abjecerunt ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam, statim è Cœlo pluvia delapsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum verò hostes grando ignis specie, ac similitudine, & fulmina, eorumque orationibus, ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari potest. Quamobrem illinc exorsi, concedamus talibus, ut sint Christiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Censeo autem neminem, quòd Christianus sit esse in crimen, & in judicium vocandum. Quòd si quis inventus fuerit, crimen dare cuipiam, quòd Christianus sit, ei quidem, qui in crimen vocatur, manifestum fieri volo, nihil aliud objectum esse quàm quòd Christianus tantum est; eum autem, qui Christianum accusavit, vivum exuri. Illum verò qui Christianum se esse professus fuerit periculo omni, quod ob eam rem ei creabatur, liberatum iri, cui provincia commissa est, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hoc autem S. C. etiam sanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Divi Trajani proponi, ut legi possit. Curæ autem erit Vitrasio Pollioni Præfecto Urbis, ut ad omnes Provincias hæc constitutio mittatur, neque quisquam, qui eam exscribere, vel ipsa uti voluerit, prohibeatur. Valete. Proximo anno Avidius Cassius CLXXVI
Syriæ Legatus falso rumore temere de morte Marci dissipato permotus tyrannidem suffragio militum occupavit; ut verò vivere comperit, sibi timens, ne ita quidem eam deposuit. Marcus autem nova hominis temeritate offensus adversùs eum ex Pannonia cum exercitu properavit eo animo, ut prœlio cum eo confligeret, ipsumque deleret; verùm opus tanto apparatu non habuit, Cassio interim à suis interfecto, & capite ad se ultro delato. Eodem anno Commodus Marci filius Cæsar Tribunitiam Potestatem, & Valens Ecclesiam Hierosolymorum accepit, quem postero Dulichianus ex- CLXXVII.
cepit, quo Commodus Augustus a Patre appellatus, & consors Imperii factus X. Kal. Januarii cum eo de Germanis triumphavit. Multa memorabilia his temporibus Romana Ecclesia peperit, verùm nihil insignius, quàm quòd Lucius Rex Brittannorum literas ad Eleutherum Pontificem, ut omnium Episcoporum principem misit, petens, ut ab eo Christianis Sacris imbueretur,

quod

A. Chr.
CLXXVII quod ut audiit Eleutherus, viros duos religione summa præditos, Fugatium, & Damianum misit, ac per eos Regi, & populo ejus fidem profitentibus sacram intinctionem impertiit. Quod Beda non solùm in Martyrologio, sed etiam in Historia Britannica scriptum reliquit, ne quid de
CLXXVIII Damaso, & Martino dicamus. Sequenti anno Marcus ex Syria ad bellum Marcomannicum rediit, idque post continenter in Pannonia per triennium variis rerum eventibus gessit, quas referre non est hujus historiæ, neque verò memorabilius aliud invenimus, quod in ipsius Imperium conjiceremus. Eo anno Maximinus Antiochiæ,
CLXXIX. sequenti Narcissus Hierosolymæ Episcopus
CXXCI. factus. Anno inde centesimo octogesimo primo Marcus Imperator morbo in Panno-

A nia apud Sirmium XVI. Kal. Aprilis interiit. A Chr. CXXCI.
Qua de re sic Tertullianus in Apologetico, qui eodem tempore floruit: *Cybele Majestatis suæ in urbem collatæ grande documentum nostræ etiam ætati proposuit, cùm M. Aurelio apud Sirmium Reipublicæ exempto XVI. Kal. Aprilis Archigallus ille sanctissimus die nona Kalendarum earumdem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat pro salute Imperatoris Marci jam interempti solita æquè imperia mandavit*. Cæterùm Marci obitu Romam nunciato tota Civitate perculsa Senatus in Curiam veste mutata convênit, atque ipsum ob divinas ejus virtutes cœlo receptum
B existimans, templa, columnas, multaque alia ei decrevit, quibus quanti illum faceret declaravit.

LIBER OCTAVUS.

SUccedunt inde tempora, ut Imperio, & Gentilibus turbulenta, sic Ecclesiæ, Christianisque tranquilla. Neque enim, aut Commodus, aut Caracalla, aut Alagabalus, qui omnes militari seditione per scelus necati repente ipsam in maximis tenebris prope orbam Rempublicam reliquerunt, edictum ullum in Christianos publicum distinxe-
C runt. Severus autem, licèt persecutionem jussisse dicatur, mitius tamen omnibus eam exercuisse existimatur. Quo factum est, ut multo majus ab hæreticis vulnus accipiendum fuerit, quorum maximus his temporibus, ut ita dicam, proventus, & copiosa quasi quædam seges effloruit, nisi contra eos multi ex Catholicis ingenii sui aciem intendissent, atque ictus eorum varios Romani Pontifices repulissent. Marco igitur mortuo, Aurelius Commodus filius ejus Augustus, Antonini cognomen unà cum Imperio sumpsit, ac pace hostibus data, Romam illico ex Pannonia rediit,
D & de Germanis iterum triumphavit, lætissimis animis ab occurrente populo universo exceptus, quòd patriæ illum virtutis imitatorem fore animo concepisset. in quo longè omnium opinionem fefellit; siquidem Imperium per annos duodecim ampliùs insigni libidine, avaritia, crudelitate, atque omni denique probro corruptus ita gessit, ut etiam gladiatoriis armis sæpissimè in Amphitheatro certaverit, quod Lampridius cum Herudiano memoriæ prodidit. Cæterùm hoc imperante, ut inquit Eusebius, Ecclesia toto terrarum Orbe pacem habuit, ac verbi salutaris prædicationem cum alii plurimi acceperunt, tum maximè nobiles
E aliquot Romæ ipsi cum tota familia sua sacris Christianis initiati sunt. Ne tamen incruentus prorsus hic principatus, & sacri
CXXCII. cruciatus expers abiret, sequenti anno quædam etiam martyria non publico Imperatoris edicto, sed privato, ut alias sæpè, magistratuum arbitrio contigerunt. Erat in Urbe Apollonius quidam Senator maximè in Stoica disciplina probatus, atque inter cæteros Christianæ religioni præcipuè deditus. Hunc igitur servus ejus quidam ad perennem Præfecturam Prætorianam, atque omnino totam tum Rempublicam suo arbitrio gubernantem Christianum effectum detulit. Perennis verò nominis delationem accepit ille quidem, verùm primo judicio in servum animadvertit ex edicto Imperatoris, quo sanctum fuerat, ut crura suffringerentur ei, qui Christianos eo tantùm nomine, quòd Christiani essent, accusavisset. Inde Apollonio mandavit, ut Fidei suæ rationem in curia redderet.
C Quod ille accuratissimè fecit, Fide sua nobili oratione defensa. Senatus autem ubi constantiam ejus in suscepta tuenda religione percepit, securi percutiendum decrevit ex vetere lege, quæ erat, Christianis parcendum non esse, qui in judicium de Fide vocati, professionis suæ propositum tenuissent. Hujus martyrii acta alibi se pluribus exposuisse scribit Eusebius, qui ad hæc sic in Chronicis addit: *Apollonius lecto Senatui volumine, quod de Christi fide composuerat, obtruncatus est*. Id autem actum esse XIV. Kal. Maji Beda verbis iisdem prodidit. Perennis inde affectatæ tyrannidis manifestus, & ipse, Dione at-
D que Herodiano testibus, est occisus. Memoratur etiam à Beda martyrium alterum XIV. Kal. Septembris de Senatore Julio repetitum. Hic eruditus fuerat ab Eusebio, Vincentio, Peregrino, & Pontiano, ac per eorum quoque manus cùm bona sua pauperibus erogasset, à Beato Rufino Presbytero Baptismum acceperat. Quod audiens Commodus irâ exarsit, atque eum Vitellio Judici tradidit, ut fortunas ejus requireret, & ipsum ad sacrificandum adigeret. Vitellius autem eum conjecit in carcerem, & post triduum cathenis implicitum ad se adduci jussit, atque ubi causam ejus cognovit, tamdiu fustibus cæci-
E dit, quoad animam exalavit, corpus ejus supradicti fratres noctis silentio collegerunt, atque in cœmeterio Calepodii condiderunt, inde jussu Commodi Vitellius Eusebium, Pontianum, Peregrinum, Vincentiumque corripuit, ac primùm in equuleum elatos, nervis, fustibusque pulsavit, deinde corporibus flammas applicuit, nec tamen virtutem eorum potuit debellare; siquidem Eusebius præcisâ quoque linguâ loquutus est, ad extremum plumbatis usque ad spiritus emissionem mulctati sunt VIII. Kal. Septembris. Quorum corpora Rufinus Presbyter sepulturæ mandavit

A Chr. CXXCII. davit VII. etiam Idus Augusti, Mediolani, ut idem scribit, natale celebratur S. Faustini imperante Commodo martyrio decorati. Hæc, ut dixi, Ecclesiam, licèt publica persequutione vacantem, non tamen omnino quietam extitisse ostendunt. Eodem anno, nempe adhuc Commodi primo, Juliano Alexandrina est mandata Ecclesia. Invalescebat in dies magìs illorum hæresis, qui Katafrigas sentire dicebantur, & cùm hæc labes alias provincias infecisset, tum etiam Urbem Romanam, quò facile mala omnia irrepebant, per bos dies invaserat, duobus viris, Florino & Blasto, ejusmodi semina doctrinæ spargentibus, ex quibus Florinus Presbyterii gradu à Catholicis B spoliatus dolore amissi honoris ad inimicos defecerat, ac Blastum socium sibi adjunxerat, de quo scribit Tertullianus in libro de Præscriptionibus: *Blastus latenter Judaismum voluit introducere. Pascha enim dixit non aliter custodiendum esse, nisi secundùm Legem Moysi quartodecimo mensis. Quis autem nesciat, quod Evangelica gratia evacuatur, si ad Legem Christum redigit?* Uterque autem multos alios ab Ecclesiæ gremio avellentes ad se adduxerunt. Hac de causa multi contra illos insurrexerunt eruditione ac pietate instructi. Nam Irenæus duas ad eos misit epistolas, unam ad Blastum, quam inscripsit de schismate, alteram ad Florinum de Monarchia, C sive quòd Deus non sit opifex mali, cujus contrariam sententiam Florinus ipse intulerat, librumque scripsit de Ogdoade, ostendens decreta illa sana non esse, neque cum auctoritate Ecclesiæ convenire, neque ab hæreticis, quos Ecclesia exturbasset, nec à Presbyteris Apostolorum discipulis approbata fuisse; addens, hæc dogmata si Polycarpus novisset, ex eo loco ubi sedebat, ac docebat, se repentè prorepturum fuisse. Jam verò Apollinaris etiam Episcopus Hierapolitanus primùm voce, deinde scripto opinionem ejusmodi oppugnavit, Auctorem ejus Montanum prodens, & falsas ejus prophetias ostendens, cùm à morte D Maximillæ jam annus tertiusdecimus ageretur, falsò ferri aliquot ex Montani sectatoribus martyrium pertulisse, nam superiore Persequutione cum Catholici quidam unà cum Phrygibus hæreticis citati fuissent, Catholicos, ne locii illorum perfidiæ viderentur, ab eorum se communione segregavisse. Idque Cajum, & Alexandrum cùm ad martyrium contenderent, præstitisse. Miltiadem volumen contra illos, quod in compendium ipse redegerit, conscripsisse post mortem Maximillæ, quam falsò illi prophetissam vocarint, nullam inter eos mulierem vaticinium edidisse, in E Ecclesia verò Catholica usque ad ultimum Christi adventum vates ex Apostoli auctoritate futuros. Miltiadem quoque pro fide sua apologiam ad Imperatores, qui tum erant, scripsisse. Quin etiam Apollonius quidam eamdem ingenii & pietatis laudem quæsivit; etenim non modò prophetias eorum confictas coarguit, sed vitam etiam auctorum exposuit, præcipuè de Montano sic scribens: *Hic est, qui nuptiarum diversa tradit, qui novas jejunii leges constituit, qui Pepuram, & Tymium (parva sunt Phrygiæ oppida) Hierusalem nuncupat, & universos illuc adducit; qui pecuniarum exactio-*

A *nes statuit, qui oblationum nomine munera accipienda protexit, qui denique verbi sui prædicatoribus, ut ejusdem verbi doctrina sordido ventris abdomine roboretur, salaria præbet; primæ autem Montani prophetissæ, ut primum spiritu illo repletæ sunt, maritos suos deseruerant, quique Priscillam virginem appellarunt, valde mentiti sunt.* Multa inde de illis adjecit, quæ unusquisqua legere apud Eusebium, unde & hæc hausta sunt, poterit. Irenæus verò contra Valentinum etiam, & omnes alias, quæ adbuc eruperant, hæreses, libros quinque scripsit, qui libri usque ad hanc ætatem cum magna utilitate hujus historiæ pervenerunt, in B iisque omnes à Petro Romanos Episcopos usque ad Eleutherum nominat, quo sedente scribebat. Per bos etiam annos, teste Epiphanio, Theodotion Ephesius quartus post LXXII. Sacram Scripturam interpretatus est. Interim Eleutherus pacatâ Ecclesiâ decreta ea fecit, quæ temporum incidentium conditio postulavit. Extat epistola ad Ecclesias Galliæ data, Materno, Braduaque Consulibus, qui in annum centesimum octogesimum sextum inierunt, CXXCVI in qua monuit, ne escas, quas illi remerè devitabant, respueret, cujus decreti Damasus quoque & Martinus meminerunt, sancitum ab eo scribentes, ut nullus cibus, C qui esui esset opportunus, à Christiano repudiaretur, modò humanitati, & rationi congrueret, ex quo apparet, illos à cibis quibusdam, more Hebræorum, tamquam immundis abhorruisse, idque perperam factum, ipsum Pontificem ex lege Evangelii declarasse. Quin etiam consultus de accusationibus Clericorum respondit, ut finitiva tantùm Episcoporum judicia ad Sedem Apostolicam deferrentur; sic autem scripsit: *Sancimus, ut Episcoporum judicia hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque successoribus multorum Episcoporum consensu jam definitum est; reliquorum Clericorum causas, apud Provinciales, & Metropolitanos disquirere, & finire* D *licet, modò ut quid fiat sine justo, & legitimo accusatore; proditoris tamen nec vox, nec calumnia audiatur, nec absente reo sententia pronuncietur.* Idem Pontifex tribus Ordinationibus mense Decembri factis, Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca quindecim designavit, ac VII. Kal. Junii vitâ cedens juxta corpus S. Petri in Vaticano sepultus est. Hunc Martinus martyrio coronatum prodit.

VICTOR PONTIFEX XIII.

E IN ejus inde locum Victor Pontifex omnium consensione Scriptorum est lectus. Sequenti anno Calimerus Episcopus Mediolani in puteum conjectus martyrium pridie Kal. Julii subiit, eumque, ut Mediolanenses testantur, Monas excepit. CXXCVII. Nondum controversia de Paschate celebrando sedata, aut composita fuerat, Episcopis Asianis tacito Pontificum Romanorum permissu veterem Judæorum consuetudinem retinentibus, resque pessimi exempli videbatur ad dirimendam in cæteris quoque observationibus eam, quæ summa debet esse, concordiam. Quare Victor, Commodo Impera-

CXCVII peratore quietem, ac pacem Ecclesiis toto Imperio latè præstante, tantam rei benegerendæ occasionem non dimisit. Quippe ad tollendam Ecclesiarum discrepantiam, rem cognosci de integro voluit, atque ipse Romæ Italicorum Episcoporum Concilium habuit, & singulis Metropolitanis, ut in suis quisque Provinciis haberent, mandavit. Quare in Palæstina conventus Episcoporum est habitus, Theophilo Cæsariæ, & Narcisso Hierosolymorum, in Gallia Irenæo Lugduni, in Græcia Barchillo Corinthi Episcopis moderantibus, itemque in aliis Provinciis omnibus, atque omnes hi in eam sententiam facilè conspirarunt,

B Pascha more Romanæ Ecclesiæ die Dominico Resurrectionis peragi oportere. In Asia verò cùm Episcopi præsidente Polycrate Ephesiorum Antistite convenissent, Hebræorum more, quem semper sequuti essent, standum censuerunt. Quod ut audiit Victor, rem non ferendam pro Ecclesiæ auctoritate ratus, literas ad Polycratem minaciores misit, nisi sententiâ destitisset, & secum, & cum aliis consensisset, ad quas Polycrates sic rescripsit: *Nos diem Paschatis integrè recolimus, neque addentes, neque detrahentes quidquam, nam præclari illi Ecclesiæ auctores Philippus Apostolus, qui Hierapoli obiit, & Joannes Apostolus, qui Ephesi,*

C *& Thraseas Eumeniæ Episcopus ac Martyr, & Sagaris Episcopus Laodiceæ ac Martyr, & Papyrus, & Melito Sardianus Episcopus, qui Sardibus est sepultus, hi inquam omnes diem Paschatis quartodecimo die Lunæ ex Evangelii præscripto servarunt, atque ego Polycrates octavus ex majorum meorum traditione, ita observo, ego inquam, qui sexaginta quinque annos in Domino vixi, qui multis cum fratribus per Orbem terrarum dispersis de Fide communicavi, qui universam Scripturam sacram studiosè evolvi, iis, quæ nobis terrore objiciuntur, minimè moveor. Mei enim Majores dixerunt, magis Deo quàm hominibus esse parendum.*

D *Possem hoc loco Episcopos, qui mihi in Concilio aderant, memorare, quos mandato vestro diligenter accersivi, quorum nomina si subscriberem, nimis multa viderentur, qui hanc epistolam suo subscriptione firmarunt.* Quibus literis lectis Victor commotus, prout se facturum ostenderat, omnes Asiæ Ecclesias cum aliis finitimis, tamquam à se in Fide dissentientes, à communione Ecclesiæ separavit, atque ea de re ad eas Ecclesias scripsit. Quod factum cùm cæteri ab ipsius parte Episcopi non probarent, literis scriptis eum cohortati sunt, ut pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos aliquam rationem haberet. Inter quos Irenæus epistolam

E Lugdunensis Ecclesiæ nomine misit, in qua primùm asseruit, mysterium Sanctæ Resurrectionis recoli solo die Dominico oportere. Inde Victorem monuit, ne propterea tam multas Ecclesias veterem observationem tuentes ab universæ Christi Ecclesiæ corpore amputaret: *Neque enim*, inquit, *de die Paschatis solùm, sed etiam de jejunii ratione, & modo ista controversia est constituta; quidam enim unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, alii plures, multi quadraginta atque diurnis nocturnisque horis adnumeratis diem suum metiuntur, quæ varietas jam ante apud majores nostros*

A *incœpit; attamen isti inter se concordiam agitarunt, & nos eam tenemus, quia varia jejunii ratio concordiam Fidei valde commendat. Huc accedit, quòd Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, & Soter licèt neque ipsi ita observarent, neque alios observare permitterent quomodo Episcopi Asiani observabant, nunquam tamen Episcopis illarum Ecclesiarum ita agentibus, dum ad se accederent, pacem abnuerunt, neque eos ab Ecclesia ejecerunt, sed eis Eucharistiam miserunt; & Anicetus, licèt Polycarpum ad sui assensum traducere nequivisset, tamen in communionem admisit, & ritum Eucharistiæ Romæ in Ecclesia celebrare permisit, eumque cum pace*

B *dimisit.* Neque verò solùm ad Victorem Irenæus, sed etiam ad alios multos Episcopos de concilianda Ecclesiarum concordia scripsit. Narcissus autem, Theophylus, cæterique, qui cum his in Palæstina convenerunt, postquam multa de traditione ad se ab Apostolis deducta disseruerunt, orarunt, ut exempla epistolæ ad omnes Ecclesias mitterentur, ne culpa eorum, qui animas suas errore inficerent, sibi tribueretur, ac palàm fecerunt, idem quoque Alexandriæ observatum, rogantes, ne a se cæteri dissiderent. Huic Concilio Victorem interfuisse scribit Nicephorus in Chronologia. Extat quoque Victoris in hanc

C sententiam epistola, Commodo & Glabrione Consulibus, idest hoc anno data, in qua inquit: *Celebritatem Sancti Paschatis die Dominica agi debere, & prædecessores nostri jam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet ut membra a capite discrepent, nec contraria gerant; a quartadecima verò Luna primi mensis usque ad vicesimam primam ejusdem mensis diem eadem celebretur festivitas. Eodem verò tempore Baptismus catholicus celebrandus est, sed tamen, si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, Gentiles ad Fidem venientes quocumque loco vel momento ubicumque evenerit,*

D *sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus tantùm Christianæ confessione credulitatis clarificati baptizentur, ipsis quoque qui in Baptismo polliciti sunt, summopere est ostendendum, ne infideles, sed fideles inveniantur, qui verò infidelitatis notâ asperguntur, infames ejiciantur, atque inter fideles minimè reputentur.* Atque de quæstione quidem Paschatis hæc hactenus. Cæterùm Narcissus Hierosolymorum, ut dixi, Episcopus, vir eximiæ fuit sanctitatis; quod aliquando in Vigilia Paschatis indicavit. Nam cùm oleum Diaconi non haberent, præcepit eis, qui luminaria disponebant, ut aquam è puteo afferrent. Quo facto preces ille quas-

E dam adhibuit, ac mox ut syncera Fide in lychnos infunderent jussit. Quod cùm item accuratè complessent, aquam repentè in oleum commutatam viderunt. Sequenti CXCVIII anno incidit, ut cùm ipse acriùs vitia hominum increparet, quorumdam in se odium adeò concitarit, ut ipsius perdendi causâ atrocia in eum crimina compararint, eaque gravissimis in se conceptis sacramentis vera esse affirmare non dubitarint, cùm unus diceret; *si sciens fallo, sic me ignis repente conficiat*; alter sic: *me fœdus morbus extinguat*; tertius sic: *me misera cæcitas opprimat*: ille verò, licèt fidem eorum jurijurando

A. Chr.
CXXCIIX. do non haberi videret, tamen repentè ex ocu-
lis multitudinis abiit, & post quartum admi-
nistrationis annum in solitudinem se rece-
pit. Deus verò eas, quas sibi jurantes opta-
rent, calamitates duobus immisit, nam pri-
mus miserè conflato repentè in domo in-
cendio cum tota sua familia conflagravit,
alter morbo à pedibus ad verticem usque
infectus extabuit, tertius verò ubi atroces
duorum casus aspexit, inevitabilem Dei
vindictam horrescens, palàm compositam
inter omnes criminationem enunciavit, &
lachrymans ita se afflictavit, ut oculorum
usum amiserit. Cùm autem nemo, quònam
se Narcissus contulisset, compertum habe-
ret, placuit, aliquem in ejus locum subro-
gare, is autem fuit Dius. Hoc tempore
vixit Pantænus vir doctrinâ Stoicorum
eruditus, ac Sacræ Scholæ Alexandrinorum
Præfectus, qui ante inter Indos Christum
prædicarar, & Matthæi Evangelium in ma-
nibus quorumdam Christianorum, ibi è
Bartholomæo Apostolo quondam, & præ
dicatum, & relictum invenerat. Hujus di
scipulus Clemens Alexandrinus fuit; siqui
dem in libris Hypotyposeon Pantæni præ
ceptoris sui meminit, in libris verò Stro-
CXXCIX matum Commodi Imperatoris. Postero Ger
manio Hierosolymis est præfectus. Vix
controversia de Paschate celebrando à Vi-
ctore fuerat constituta, cùm altera multo
major de Christi humanitate incessit, quæ
Victorem per multos dies, ut verisimile
videtur, exercuit. Hanc hæresim intulit
Theodotus Byzantius, à quo qui profecti
sunt Theodotiani vocati sunt. Hic, ut in
quit Epiphanius, coriarius arte fuit, sed
doctrinâ insigniter eruditus; fortè autem
accidit, ut in Persecutione comprehensus,
& unà cum aliis pro Christi confessione in
quæstionem abreptus, cæteris constantiam
retinentibus, animo elanguerit, ac Chri-
stum ipsum negarit, cujus rei nomine cùm
se magna apud omnes flagrare infamia cer-
neret, honestè se in Patria manere non
posse ratus, Romam commigravit. Post ali-
quod autem tempus agnitus rursus eadem
ignominia laboravit. Quærentibus autem
iis, qui eruditionem ejus cognitam habe-
bant, quomodo ille de veritatis, & virtu-
tis curriculo deflexisset, defensionem er-
rori suo moliens respondit, se Christum
Deum negasse, non hominem, atque inde
decretum ipse sibi constituit, Christum nu-
dum hominem, ex semine viri genitum es-
se, & quæcumque ad hoc argumentum per-
tinentia repetit, in unum collegit, non
quòd verè ita sentiret, sed ut prævaricatio-
nem suam prætexeret. Unde scripsit Au-
gustinus in libro de Hæresibus: *Theodotiani
à Theodotione quodam instituti, hominem tan-
tummodo Christum asseruerant. Quod dicitur
quidem Theodotion propterea docuisse, quia in
Persequutione lapsus isto modo sui devitare
putabat opprobrium, si non Deum negasse,
sed hominem videretur*, & Tertullianus in
libro de Præscriptionibus: *Theodotus By-
zantius pro Christi nomine apprehensus bla-
sphemare non destitit, Christum hominem tan-
tummodo esse dicens, ac Deum illum esse di-
cens, ac Deum illum esse negans ex Spiritu
quidem Sancto natum, ex Virgine Maria
conceptum pariter, & natum, sed hominem
solitarium, atque nudum, nullo alio præ ca-*

A *teris, nisi sola justitiæ auctoritate*. Hæc au- A. Chr CXXCIX
tem adeò à catholica veritate dissidentia,
ut Romæ sermone hominum celebrari Vi-
ctor Pontifex audiit, Theodotionem ipsum
piorum communione removit, ut Eusebius
scripsit, neque tamen eam pestem extingue-
re potuit. Dum hæc in Ecclesia à Perse-
quutione quieta geruntur, Imperium fœda
Commodi Imperatoris libidine, & depra-
vatâ vitâ nutare cœpit, cùm ille multa
illo fastigio indigna quotidie in suam per-
niciem compararet. Nam præcipuè anno
centesimo nonagesimo, duobus Silanis, ut CXC.
notavit Cassiodorus, Consulibus, colosso
caput, quod erat Neronis, detraxit, ac suum
B imposuit, & titulum more solito subscrip-
sit. Postero verò multos nobilium neci de- CXCI.
dit, ac spectacula populo insignia præbuit.
Antiochiæ Serapio, Alexandriæ Demetrius
Episcopi collocati. Sequenti incendio Ro- CXCII.
mæ conflato Palatium, ædem Vestæ, ac ma-
ximam partem urbis solo æquatam idem
vidit. Proximo verò Commodus conjura- CXCIII.
tione suorum, in primisque Marciæ con-
cubinæ, pridie Kal. Januarias fœdissimè
strangulatus interiit. Postridie Pertinax CXCIV.
Præfectus Prætorio exactæ ætatis, sed sum-
mæ integritatis homo, penè invitus à Se-
natu ad Imperii fastigium est elatus, quo
inde V. Idus Aprilis à Prætorianis mili-
C bus interempto, Didius Julianus, cùm pe-
cuniæ numerum ingentem polliceretur, est
subrogatus. Cùm inde in Provinciis nun-
ciatum esset, Pertinacem occisum, & Ju-
lianum parum civitati, ac militibus esse
acceptum, milites diversos sibi Imperatores
eodem tempore delegerunt, in Syria Pe-
scennium Nigrum, in Pannonia Septimium
Severum, neque ita molto post in Gallia
Clodium Albinum. Ex quibus Severus,
provinciâ relictâ, extemplo in Italiam re-
gressus, Ravennâ captâ, cùm ad Urbem
processisset, à Senatu, Juliano extincto,
Augustus confirmatus, ac summis honori-
bus in Urbem receptus est. Inde animo ad
D Nigrum expugnandum traducto, Albinum
sibi conciliavit, ac Cæsarem esse jussit; at-
que ita comparatis rebus adversùs Nigrum
hostem se illi profitentem contendit; atque
exercitus partem ad Græciam, & Thraciam
occupandas misit; verùm eas jam in par-
tes Nigri transisse invênit. Itaque in Thra-
ciam profectus sequenti anno per Legatos CXCV.
Æmilianum Nigri legatum apud Cyzicum
vicit, & interemit, ipse in Asia tribus
prœliis cum Nigro conflixit, quorum ex-
tremo ad Pylas Cilicianas viginti millia
militum profligavit. Niger inde Antio-
chiam, atque ab Antiochia ad Euphratem
se contulit. Ibi verò à Severianis captus,
E atque necatus est; abscissum caput Seve-
rus Byzantium, quod per Legatos obside-
bat, misit; ut ea re Byzantios ad deditio-
nem adduceret; verùm nihil profecit. Pro-
ximo, eis, qui cum Nigro in Oriente sen- CXCVI.
serant, bellum fecit, Arabibus, Parthis, &
Adiabenis, atque ibi res memorabiles ges-
sit. Sequenti, cùm adhuc in Mesopotamia CXCVII.
esset, audivit Byzantium post diuturnam
oppugnationem à suis esse receptum. Quo
facto Urbem mœnibus, Cives libertate
spoliavit, eamque Perintho tanquam Vi-
cum addixit, ac Romam reversus, trium-
pho sibi à Senatu delato Arabici quidem,
Adia-

A Chr. CXCVII. A Adiabenici, & Parthici cognomeo accepit, sed triumphum agere noluit, ne videretur de civili victoria triumphare, ac L. Septimium Bassianum majorem natu filium, quem Caracallam dixerunt, M. Aurelium Antoninom Cæsrem appellavit, ut fratrem suum Getam spe concepta Imperii deturbaret, eumque triumphare permisit. Itaque hoc esse videtur tempus, de quo scribit Tertullianus io libro de habitu muliebri: *Gemmarum nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum, & Medorum, cæterorumque Gentilium suorum coram Matronis erubescentem, nisi quod ad ostensionem feri bibeatur*. Natum est interim bellum cum Albino, cùm ille Augusti dignitatem ex B peteret, Severus ne Cæsaris quidem honorem jam tribuere vellet. Quare motis castris adversùs eum in Galliam properavit, remque cum illo gerere instituit, eumque
CIIC. demum seqoenti anno XI. Kal. Martii apud Lugdunum acie superatum extinxit. Eo aono Victor Puntifex V. Kal. Augusti vitâ cessit, atque in Vaticano juxta corpus S. Petri sepulturam invênit; cùm duabus Ordinationibus mense Decembri factis Presbyteros quatuor, Diaconos septem, & Episcopos duodecim designasset.

Z..PHYRINUS PONTIFEX XIIII.

C Locum inde ejus post paucis diebus te-
CIC. nuit Zephyrinus. Sequenti Severus Romam regressus Caracallam filium Augustum appellavit, ac sibi consortem Imperii fecit. Getam verò fratrem ejus Cæsarem declaravit. Eo verò anno Zephytinus Pontifex duas epistolas scripsit, quarum unam de judiciis Episcoporum ad Episcopos Siciliæ misit, cum his verbis: *Patriarchæ, vel Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quàm Apostolica fulti auctoritate, aut reum se ipsum confiteatur, out per innocentes, & regulariter examinatas convincantur testes, qui minori non sint numero, quàm illi* D *discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum Apostolorum eligi præcepit, idest Septuaginta duo. Detractores quoque, qui Divina auctoritate eradicandi sunt, & auctores inimicorum ab Episcopali submovemus accusatione, vel testimonio, nec summorum quispiam minorum accusationibus impetatur, aut dispereat; neque in re dubia, certa judicetur sententia, nec ullum judicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur. Absens verò nemo judicetur, quia & Divinæ, & humanæ hoc prohibent leges. Accusatores autem eorum omni careant suspicione, quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, non à quibuslibet agitari. Nullum namque eorum sententia, à* E *non suo Judice dicta, constringat, quia & leges sæculi id ipsum fieri præcipiunt. Duodecim enim Judices, quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur; Nec priùs audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quàm ipsi per se eligantur, & regulariter evocatus ad suorum primò Conventum Episcoporum, per eos ejus causa justè audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur, sicut ab Apostolis, vel successoribus eorum*

A *olim statutum est, quàm ejus auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur, quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum. Judicia enim Episcoporum, Majoresque Ecclesiæ causæ, & à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & sancti successores eorum statuerunt, cum aliis Episcopis sunt terminandæ, quia licèt in alios transferantur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: QUÆCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN* B *COELIS; ET QUÆCUMQUE SOLVERIS SUPER TERRAM, ERUNT SOLUTA ET IN COELIS, & reliqua Privilegia, quæ soli huic Sanctæ Sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumque successorum, aliisque quamplurimis cum eis concinentibus, habentur inserta; septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt, cum aliis quampluribus Episcopis, & servandas censuerunt*: alteram verò ad Ægyptios Episcopos scripsit, cum his: *Nunciatum est Sedi Apostolicæ per Apocrisarios vestros, quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum videlicet, ab Ecclesiis, & sedibus propriis pelli, suaque eis auferri supellectilia, & sic nudos, & expoliatos ad* C *judicia vocari; quod omni ratione caret, cùm constituta Apostolorum, eorumque successorum, & præcepta Imperatorum, ac constitutiones legum id ipsum prohibeant, & Apostolicæ Sedis auctoritas id ipsum fieri vetet. Præceptum est ergo in antiquis statutis, Episcopos ejectos, atque suis rebus expoliatos in Ecclesiis propriis recipi, & primò sua omnia eis reddi, & demum si quis eos justè accusare voluerit, æquo periculo facere judices esse decernentes, Episcopos recta sapientes, & in Ecclesiis convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur; nec prius eos respondere debere, quàm omnia sua eis, & Ecclesiis eorum, legibus integerrimè restituantur*. Anno CC.
D indè ducentesimo, qui fuit Anullino & Frontone Consulibus, Severus bellum Parthicum superiore anno cœptum continuavit. Postea Gordius Germaniori suc- CCI.
cessit, qui triconio ante Ecclesiam Hierosolymitanam administrandam acceperat; seqoenti, Severus ætate exeunte Parthiam CCII.
ingressus Ctesiphontem, pulso Rege, pervenit, & hyemali prope tempore cepit, & cognomen Parthici meruit; ob hoc milites Caracallam Augustum, & Getam Cæsarem appellarunt. Harum appellationum causâ donativum militibus largissimum dedit. Antiochiam deinde reversus Caracallam CCIII.
virili toga donatum, secum Consulem de- E signavit, & statim cum eo in Syria iniit. Inde dato stipendio cumulatiore militibus Alexandriam petiit. In itinere Palæstinis plurima Jura dedit, Judæos fieri gravi pœna vetuit, atque idem de Christianis quoque sanxit. Hæc Lampridius. Per hos autem dies id evenisse existimatom, de quo scripsit Tertullianus: *Cùm donativum*, inquit, *nomine Imperatorum militibus daretur, ac milites omnes tam Christiani, quam Gentiles lauream capite gestantes accederent, Christianus unus fortior cæteris extitit, qui coronam gessit. Quod ut Tribunus novit; cur tu diversus habitu à cæteris*, inquit, *incedis?*

Cui

CCIII. A Cui ille, *quia non mihi fas est*, inquit, *sum enim Christianus; quare statim in carcerem est conjectus*. Ea occasione ductus Tertullianus librum de Coruna militis scripsit, io quo Christianum laureatum incedere

CCIV. non debere contendit. Proximo anno Severus Romam reversus vota Imperii decennalia solvit, vicennaliaque suscepit, ac Templum, quod olim ab Agrippa constructum Pantheon dicebatur, instauratum, ita inscripsit: *Imp. Cæsar L. Septimius Severus Pius Pertinax, Arabicus, Adiabenicus, Parthicus, Maximus, Pont. Max. Trib. Pot. X. Cos. III. P. P. Procos., & Imp. Cæsar M. Aurelius Antoninus Pius Felix Aug. Tr. Pot. V. Cos.* B *Procos. Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt*. Quod Templum in hunc usque diem integrum adversus omnes vetustatis, & barbarorum injurias manet, dignissimum propter quod solum Roma ipsa ab exteris nationibus invisatur.

CCV. Sequenti anno Severus novam Persecutionem in Christianos edixit, quam Eusebius, Sulpicius, & Augustinus sextam vocarunt; Orosius verò, qui Hadrianum silentio præterit, quintam: *Severus*, inquit, *quinta post Neronem Persecutione Christianos excruciavit, plurimique sanctorum per diversas provincias cruciati sunt*. Eusebius autem ubique egregiè certatum narrat, sed maximè in Ægypto, & Alexandria, unde C hanc Historiam affert: *Lætus*, inquit, *Alexandriæ, & Ægypti præfecturam gerebat. Demetrius verò paulò ante Juliano Episcopo suffectus Ecclesiam illam administrabat, cùm edicta Severi proposito Christiani passim in judicium vocari sunt cœpti, inter quos excelluit Leonides, quem ut captum in carcerem duci vidit, Origenes filius septemdecim annos natus, & ipse in publicum ruere, & sese offerre martyrio voluit; ubi verò retinente matre non potuit, literis patrem ad ferendum fortiter martyrium cohortatus est. Eo deinde occiso, & patrimonio in Fiscum relato, ipse pauper omnibus Scholis in tanto tumultu* D *clausis ludum literarum aperuit, ac simul rudimenta Fidei tradidit; atque ad eum multi divini Verbi cognoscendi gratiâ contenderunt. Inde cùm octodecim annos haberet, à Demetrio Episcopo Scholæ sacræ Præfectus, quam Pantænus primùm, deinde Clemens tenuerant*; quem Clementem pridie Nonas Decembris mortuum invenio apud Usuardum. Aquila inde Persecutionem Alexandriæ exercente, Origenes Martyribus præsto in carcere fuit, & cùm ducerentur ad supplicium, omnia consolationis officia præstitit, & se maximis periculis obtulit, ita ut parum abfuerit, quin lapidibus à circumstante multitudine obrutus sit. Quare sæpè insidiis appetitus, Domicilium E commutavit; in ipso verò sacræ Scholæ munere obeundo maximum studium posuit, ac somma vitæ asperitate usus, non minùs exemplo quàm eruditione docuit. Cæterùm discipuli ejus hi passi sunt, Plutarchus, cui morienti ipse Origenes affuit, & maximum periculum adiit. Serenus, Heraclides, Heronax, qui securi percussi sunt. Serenus alter, cui caput recisum; & ex mulieribus, Rhais baptismum per ignem adepta, Potamiœnæ verò virginis illustre admodum martyrium fuit. Haec, cùm formâ excellens insanas amatorum nuptias

A repulisset, Aquila Judex se ad contomeliam libidinosissimis gladiatoribus traditurum minatus est; cui illa ita respondit, ut ab eis impiè loqui judicata sit. Quare a Basilide satellite statim ad supplicium ducta est. Cùm autem Basilides eos, qui corpori per ludibrium insultabant, repulisset, illa hominem amplexata dixit: *Bono animo esto, nam ego, ubi vita excessero, veniam tibi à Deo meo impetrabo*, atque his dictis pice ferventi à vertice usque ad pedes perfusa, fortiter migravit è vita. Non multo verò post, cùm Basilides à sociis, ut se jurejurando quodam obstringeret, rogaretur, respondit, sibi integrum non B esse, nam se Christianum esse, idque palàm profiteri. Quare adductus ad Judicem cùm constanter in confessione mansisset, in custodiam datus est; quærentibus autem Christianis, qua ratione ille ad Fidem se contulisset, respondit, Potamiœnam triduo post martyrium sibi per noctem apparuisse, ac capiti coronam imposuisse, dixisseque: *Ego pro te gratiam à Domino postulavi, atque obtinui, quin ipse te propediem ad se vocabit*. Itaque cùm sigillo à fratribus ornatus fuisset, postridie securi percussus coronâ martyrii est donatus. Hæc IV. Kal. Julii, Beda & Usuardo testibus, acta. Addit Eusebius, alios quoque, quos ap- C parens Potamiœna ad capescendam fidem esset hortata, frequentes ad Fidem se contulisse. Atque hæc quidem in Ægypto. In Gallia etiam res atrocissimæ gestæ; siquidem Irenæus Lugdunensis Episcopus cum omni ferè Civitatis suæ populo glorioso martyrio coronatus est IV. Kal. Julii, ut Beda cum Usuardo notavit. Quin etiam eadem in Africa Persecutio sævit. Tuburbæ enim Felicitas, & Perpetua, Revocatus, Saturninus, & Secundulus in carcerem ea de causa conjecti, inde Non. Martii bestiis traditi sunt. Mirificum autem illud fœminis accidit; Felicitati, quòd cùm uterum ferret, sociorum precibus im- D petratum est, ut octavo mense pareret; Perpetuæ verò præcipuè concessum, ut alienata mente adhuc impetum belluæ expectaret, quem jam pertulisset, ut scribit Beda. Itaque de his sic S. Augustinus in lib. de barbarico tempore: *Ante paucos dies Natalitia celebravimus Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, & comitum. Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat, sed tandiu lactavit, quoad acciperet ab illo pastore simul ac patre bucellam lactis. Felicitas verò, quam socium habuit Perpetua, & parturiebat, & dolebat, objecta bestiis gaudebat potius, quàm timebat*, & in enarratione Psalm. XLVII. *Quàm multos tenebant filii, ne paterentur,* E *quàm multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduæ relinquerentur, quàm multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus, & legimus in passione B. Perpetuæ*. Hinc Tertullianus librum scripsit consolans, ac confirmans viros, ac mulieres, qui propter Christum in carcere tenebantur, quos appellat Martyres designatos, quippe hortatur illos, ut in Fide usque ad extremum persistant, ac carceris commoda multa commemorat, ostendens, Gentiles multo quoque acerbiora humanæ gloriæ studio perpessos. Indicat etiam, quòd consultus à Fabio Presbytero, nom in Persecu-

A. Chr. CCV. tione fugere liceret, aut pretio vitam redimere, quod quædam Ecclesiæ facere instituerant, librum scripsit, quem de fuga in Persecutione vocavit; atque non fugiendum esse, sed fortiter pro Christo moriendum esse respondit, quòd tentationes, & persecutiones à Deo nobis immitterentur, quam opinionem S. Hieronymus improbavit, quòd constaret Christianos passim in Persecutionibus sibi salutem fugâ quæsisse. In eo libro meminit etiam Rutilii Martyris, his verbis: *Rutilius sanctissimus Martyr, quum toties fugisset persecutionem de loco in locum etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex opinato apprehensus, & Præsidi oblatus, tormentis*
B *dissipatus, credo pro fugæ castigatione; dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit. Quid aliud voluit nobis demonstrare hoc documento, quàm fugiendum non esse, quia nihil fuga prosit, nisi Deus nolit.* Verùm non ita diu in hac adversùs Christianos acerbitate versatus fuisse Severus videtur, immo verò ipsos Christianos & testimonio suo juvisse, atque ex populi incitati manibus exemisse; siquidem Tertullianus sic in libro ad Scapulam scribit: *Ipse etiam Severus pater Antonini Christianorum memor fuit; nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognomi-*
C *nabatur, Euhodreæ procuratorem, qui eum per Deum aliquando curaverat, requisivit, & in Palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus optimè noverat lacte Christiano educatus; sed & clarissimas fœminas, & clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modò non læsit, verùm eos testimonio exornavit, & populo furenti in eos palam restitit.* Tumultu verò sedato Alexander in Cappadocia Episcopus hac ipsa Persecutione nobilitatus Hierosolyma religionis gratiâ venit; quo tempore Narcissus, qui magna sanctitatis cum laude illam Ecclesiam ante annos aliquot gubernarat,
D è tenebris in lucem prodiit, ac quasi ab Inferis excitatus, novum omnibus spectaculum sui præbuit, rogatusque ut Episcopatum suum reciperet, ætatis excusatione allata recusavit. Cùm autem visum in somnis utrique oblatum esset, ut ambo id munus susciperent, neuter repudiavit. Itaque Alexander in quibusdam literis, Eusebio teste, scriptum reliquit, Narcissum collegam suum annos centum sexdecim prætergressum. Eodem tempore Judas scriptor Ecclesiasticus Commentarium in LXX. Danielis septimanas scripsit, atque opus usque ad decimum Severi annum produxit. Idem cùm multos ipso Persecutionis tumultu
E vehementissimè perturbatos cerneret, Anti-Christi adventum omnium sermone celebratissimum jam tum appropinquare putavit. Eodem anno Senatus, Populusque Romanus arcum, qui nunc quoque integer in foro Romano spectatur, Severo & Antonino Imperatoribus dedicavit, cum his verbis: *Imp. Cæs. L. Septimio M. filio Severo, Pio Pertinaci Aug. Patri Patriæ, Parthico, Arabico, Parthico Adiabenico, Pontif. Maximo, Tribunic. Potest. XI. Cos. III. Procos. & Imp. Cæs. M. Aurelio L. F. Antonino Aug. Pio, Felici, Trib. Potest. VI. Cos. III. Procos. P. P. optimis, fortissimisque Princi-*

A *pibus ob Remp. restitutam, Imperiumque Populi Romani propagatum insignibus virtutibus eorum domi, forisque S. P. Q. R.* A. Chr. CCV.
Sequenti verò anno Negotiatores Boarii CCVI.
alterum eisdem in foro Boario dedicarunt, qui nunc quoque iisdem titulis inscriptus
extat. Proximis annis Praxeas quidam CCVII.
brevi carceris tædio, quod in Persecutio- CCVIII.
ne pertulerat, ad inanem jactationem elatus, novam hæresim Romæ excivit, qua, ut inquit adversùs hæreticos Tertullianus, Deum Patrem Omnipotentem, Jesum Christum dixit, eumque Crucifixum, passumque esse contendit, mortuum præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam asse-
B ruit. Qua verò ratione hoc factum sit, scribit idem in libro adversùs eum his verbis: *Praxeas primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo, & aliàs inquietus. Insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum, & simplex, & breve carceris tædium, quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum adseverando, & præcessorum*
C *ejus auctoritates defendendo coegit, & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negocia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & hæresim intulit; Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Persecutionem autem, cujus meminit, sinè dubio, quæ est à Severo commota, intelligit. Ut autem Praxeas solam Christi divinitatem intulit, sic Artemon solam humanitatem à Theodoto quodam prolatam defendit. Quem, teste Eusebio, Zephyrinus Pontifex sibi refutandum putavit. Qui verò Artemonem protexerunt, dixere majores suos, atque adeò etiam ipsos Apo-
D stolos, doctrinam illam non modò à Domino accepisse, verùm etiam aliis tradidisse, eamque usque ad Victoris Pontificis tempora servatam, sed à Zephyrino successore corruptam esse. Qui verò refutationis partes susceperunt, Justinum, Miltiadem, Tatianum, Clementem, & alios Victoris ætate majores, & Irenæum, & Melitonem æquales attulerunt, qui in suis libris Christum verè Deum esse asseverassent, addentes, eadem quoque in Psalmis, & Hymnis à fidelibus antiquitus scriptis de Christo Dei Verbo vero Deo esse concelebrata. Victorem quoque Pontificem Theodotum Coriarium, qui primus Christum hominem
E solum esse dixit, ac Christi divinitatem negavit, Christiana communione movisse.
Anno ducentesimo nono, ut ex lapidibus CCIX.
veteribus colligitur, Severus Imperator alterum filium P. Septimium Getam Augustum appellavit; tumque demum tres Augusti Imperatores Imperium gubernarunt. Quo tempore apparet, Tertullianum librum de Pallio conscripsisse; siquidem in ipso libro trium, qui tum erant, Imperatorum meminit, inquiens: *Quantum Urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis Imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente, quot census transcri-*

scri-

A. Chr.
CCIX. *scripti, quot populi propagati? quot ordines
illustrati? quot barbari exclusi?* Respondit
autem in eo libro illis, qui se reprehen-
debant, quòd dimissâ togâ pallium induis-
set. Per eosdem etiam dies scripsit contra
Marcionem; siquidem in primo eorum li-
brorum nominat XV. Severi Imperatoris
annum, inquiens: *At nunc quale est, ut
Dominus a. XII. Tiberii Cæsaris revelatus sit;
substantia verò a. XV. jam Severi Imp. nulla
omnino comperta sit.* Zephyrino Pontifice
sedente Cajus vir eruditus ex Asia Romam
vênit, & Proculum Phrygum hæresim de-
fendentem disputatione habita refutavit.
Eodem tempore Ambrosius Valentini erro-
re infectus ab Origene convictus ad Catho-
licos rediit, atque inde Origeni omnia,
quæ potuit, ad eos provehendos subsidia
CCX. ministravit, ut Eusebius prodidit. Postero
anno, qui fuit ducentesimus decimus, Se-
verus Imperator in Britanniam profectus
nihile cum Britannis bellum contraxit, quod
CCXII. explicare non est hujus historiæ. Inde bien-
nio post in eadem Insula in Oppido Ebora
ci vitam amisit pridie Nonas Februarii; ci-
neres ejus Romam relatos in sepulchro Ha
driani filii Augusti Aurelius Antoninus Ca-
racalla, & Geta condiderunt, eumque in-
ter Divos retulerunt, ac pari inde pote
state Imperium administrare, ut cum pa-
tre cœperant, perrexeruut. Getam inde
CCXIII. sequenti anno Caracalla, ut solus Imperio
potiretur, occidit. Eo anno Asclepiades
Antiochiæ Ecclesiam suscepit. Dum au-
tem Caracalla Imperium, & Zephyrinos
Ecclesiam Romanam administrarunt, Nata-
lis Confessor, ut inquit Eusebius, ab Ascle-
piodoto & Theodoro trapezita, qui ambo
Theodoti Coriarii, de quo diximus, disci-
plinam hæreticam hauserant, depravatus,
mercede inductus est, ut ejus hæresis epi-
scopatum susciperet, ea lege, ut centum
quinquaginta denarios in mensem sibi nu
merarent; post autem cùm per visiones à
Christo sæpè admonitus, ut eam dignita
tem dimitteret, avaritiâ præpeditus non
paruisset, tandem ab Angelis sævissimè
verberatus est. Quo facto summo mane
surrexit, ac cilicio indutus, & cinere as
persus lachrymans ad pedes Zephyrini se
abjecit; neque solùm ad Cleri, sed etiam
ad profanorom genua accidit, ac vibici-
bus ostensis misericordiam imploravit; at-
que ita, licèt ægrè, ut in communionem
admitteretur, obtinuit. Origenes quoque
scribit, se Zephyrino sedente Romam con-
tendisse, summo studio Romanæ Ecclesiæ
invisendæ accensum, atque ibi paucos dies
commoratum se se Alexandriam retulisse.
Quo facto tum pristinum docendi munus,
Demetrio Episcopo adjuvante, recepit, at-
que Heraclæ socio muneris advocato eos
tradidit, qui primis Fidei rudimentis im-
buendi erant; ipse verò sibi maturiores
CCXV. erudiendos assumpsit. Quarto inde Imperii
anno, ut notavit Eusebius, Antoninus
Thermas Romæ, quarum nunc quoque
vestigia magna cernuntur, extruxit. Erat
tum Valentiæ in Gallia Felix Presbyter,
Fortunatus, & Achilleus Diaconi superio-
ribus annis ab Irenæo Lugdunensi Episco-
po ad Fidem nunciandam missi, qui eo
usque perfectionis venerant, ut multa in
Christi nomine signa ederent. Hos igitur

A. Chr.
CCXV. Aurelio, ut eorum loquitur Historia, im-
perante, cùm Cornelius Dux adhuc præ-
dicationi operam dantes, post tot Chri-
stianorum calamitates, audivit, miratus,
post sævam illam Lugdunensem Severi
trucidationem aliqua in eis locis hominum
vestigia remansisse, qui Principum edicta
contemnerent, correptos in carcerem tra-
didit, atque inde vocatos increpuit, quòd
Christum Crucifixum amplecterentur, &
Deos aspernerentur. Inde cùm in confes-
sione persisterent, flagellis cædi præcepit,
identidem rogans, ubi Christus ille vin-
dex suus adesset? Reducti inde in carce-
rem cùm psallere non desinerent, aperto
ab Angelo carcere exierunt, & simulacra
Saturni ac Mercurii, quæ in Urbe erant,
confregerunt; unde iterum capti, atque
ad Cornelium adducti, cùm eum monere
instituissent, ut in Christum crederet,
iram suam mirificè incenderunt. Itaque
eos revinctis post tergum manibus, geni-
bus, cruribusque diffractis vertigini rota-
rum astrinxit; inde in equuleum sublatos,
ac per diem, noctemque extentos subjecto
fumo affixit, dicentibus tortoribus: *Si
Deus vester tantis opibus pollet, cur non vos
his cruciatibus eripit?* Postridie verò solu-
tos se auxilio Medicorum sanaturum pro-
misit, si Diis, quos comminuissent, debi-
tum honorem tribuerent, & cùm se factu-
ros abnuerent, ac martyrii flagrare cupi-
dine dicerent, obtruncari præcepit, atque
iis extra Urbem ducti, in loco, quem sibi
ad orandum construxerant, qui fuerat à
persequuturibus inflammatus, truncati sunt,
ac sequenti nocte à Christianis sepulturæ
mandari IX. Kal. Maji, ut Beda & Usuar-
dus prodiderunt. Præsente inde & Extri-
cato Consulibus, qui fuit ab ortu Christi
ducentesimus octodecimus, quinta editio CCXVIII.
Bibliorum in doliis in Hierico occultata,
cum aliis Libris Hebraicis, ac Græcis in-
venta est, ut inquit Epiphanius. Antoni-
nus Imperator cùm esset ad bellum Orien-
tis profectus, in Mesopotamia inter Edes-
sam, & Carras VI. Idus Aprilis insidiis
Macrini Præfecti Prætorio interfectus, &
Macrinus ipse militaribus suffragiis ei suf-
fectus est; qui Opelium Diadumenum fi-
lium Cæsarem sibi sublegit. Quin etiam
Zephyrinus decretum fecit, ut in præsen-
tia omnium Clericorum, & Laicorum
omnes Christiani duodecim annorum Eu-
charistiam in die Resurrectionis acciperent,
& ut vasa Altaris usui attributa ex vitro,
aut stanno conficerentur, & Ordinationibus
quatuor per mensem Decembrem factis,
Presbyteros tresdecim, Diaconos septem,
atque Episcopos tresdecim consecravit, ac
VII. Kal. Septembris vitâ cessit.

CALISTUS PONTIFEX XV.

CUi Calistus suffectus est, ut Scriptores
omnes consentiunt. Sequenti Antoni- CCXIX.
nus cognomento Alagabalus falsus Impe-
ratoris Caracallæ filius ad Imperium mili-
tari studio VII. Idus Junii evocatus, Ma-
crino Augusto & Diadumeno Cæsari An-
tiochiæ agentibus bellum intulit, atque
inde fugientes ambos per immissos satelli-
tes interfecit. Inde Romam reversus, cæ-
teris, ut Lampridius inquit, omissis, Ala-

gi-

gabalum, idest Solem in Palatino Monte consecravit, eique Templum fecit, studens & Martis typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre Templum, & id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Alagabalus coleretur, edicebat; præterea, Judæorum, & Samaritanorum Religiones, & Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Alagabali Sacerdotium teneret; atque inde Imperium omnibus probris contaminatus administravit, ut qui impudicissimè, atque obscœnissimè vixerit. Eo anno Philetus Antiochenam Ecclesiam administrandam accepit. Cæterùm Alagabalo imperante Calistus Pontifex dicitur Basilicam S. Mariæ TransTyberim condidisse, & M Minucius Felix Causidicus Romæ, & Q Septimius Tertullianus Rhetor in Africa floruisse, ac pro fide Christiana scripsisse. Ex quibus Minucius Dialogum confecit, in quo Cecilium hominem Gentilem acriter contra Christianos invehentem, Octavium verò accuratè admodum respondentem induxit. Tertullianus autem multa scripsit, quæ nunc quoque habemus, ut contra Hermogenem Philosophum Stoicum Hæreticum, contra Praxeam, Filium cum Patre confundentem, de mulieribus, & virginibus in cœtu velandis, de cultu, & ornatu mulierum, quorum in uno mundum muliebrem reprehendit, qui in auro, argento, gemmis & vestibus positus fuit; in altero in mundum muliebrem, qui in cura capilli versatus est, & cutis, & earum partium, quæ oculos trahunt, quorum illis ambitionis crimen intendit, huic prostitutionis. De utroque autem Lactantius tale judicium tulit: *Eo fit, ut sapientia, & veritas idoneis præconibus indigeat. Et si qui fortè literatorum se ad eam contulerunt, defensioni ejus non suffecerunt. Ex iis, qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter Causidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quàm idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset; Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in loquendo parùm facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit.* Placet autem quæ Minucius in dialogo adversùs Gentilium calumnias pro Christianis attulerit, hoc loco intexere, ut quæ quoque tempore Ecclesiarum calamitates afflixerint, distinctè ex verbis ipsis veterum agnoscamus; sic igitur apud eum Cæcilio respondet Octavius ad eas, quas supra posuimus, criminationes: *Quantum vitium sit, incognitis, & inexploratis judicare, quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus credite; & nos enim idem fuimus, & eadem vobiscum quondam adhuc cæci, ac hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, & nunquam vel investigari, vel probari, nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet, non tantùm facti veniam, verùm etiam indicii gratiam consequuturum;* & post: *Inde est, quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam, quis tam stultus, ut hoc colat, quis stultior, ut hoc coli credat, nisi quod vos & totos asinos in stabulis cum vestra Hippona consecratis. Etiam*

A *ille, qui de adoratis Sacerdotis virilibus adversùm nos fabulatur, tentat in nos conferre quæ sua sunt; ista enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus præstat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas. Nam quod Religioni nostræ hominem noxium, & crucem ejus ascribitis, longè de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum, ne ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur; totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur. Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit, aut credit de cæde infantis, aut sanguine putas posse*

B *fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat, ut quisquam illum rudem sanguinem novelli, & vix dum hominis cædat, fundat, exhauriat. Nemo potest credere, nisi qui possit audere. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire, tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus. Et de incœsto convivio fabulam grandem adversùm nos Dæmonum concio mentita est, ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ aversione macularet, aut ante exploratam veritatem homines à nobis terrore infandæ opinionis averteret. Sic incœsti fabulam nectitis etiam, cùm conscientiam non habetis. At nos pudorem non*

C *facie, sed mente præstamus, unius matrimonii vinculo libenter inhæremus, cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam. Convivia non tantùm pudica colimus, sed & sobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore; plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quàm gloriantur; tantum denique abest incœsti cupido, ut nonnulli rubori sit etiam pudica conjunctio. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis; nam in pulchro genere vivendi & præstat, & perseverat suus, & accrescit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis,*

D *sed innocentiæ, ac modestiæ signo facilè dignoscimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, & consortes Fidei, ut spei cohæredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, & in mutua odia sævitis, nec fratres vos, nisi sanè ad parricidium recognoscitis. Putatis autem nos occultare, quod colimus, si delubra, & aras non habemus? Quod enim simulachrum Deo fingam, cùm, si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulachrum? Templum, quod ei extruam, cùm totus hic Mundus ejus opere fabricatus, eum capere non possit? & cùm homo latiùs maneam, in-*

E *tra unam Æediculam vim tantæ majestatis includam? Nonne meliùs in nostra dedicandus est mente? Hostias, & victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit? Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam Deo libat, qui fraudibus abstinet, propiciat Deum; qui hominem periculo surripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt; sic apud nos religiosior est ille, qui justior. Cæterùm de incendio Mundi, aut improvisum ignem cadere, aut difficilem, non credere vulgaris erroris est; quis enim sapientum dubitat, quis ignorat,*

A. Chr. CCXIX.

A

rat, omnia, quæ orta sunt, occidere, quæ facta sunt, interire? Sic etiam conditionem renascendi sapientium clariores, Pytagoras primus, & præcipuus Plato, corrupta, & dimidiata fide tradiderunt. Cæterùm quis tam stultus, aut brutus est, ut audeat repugnare hominem à Deo ut primùm potuisse fingi, ita posse denuo reformari? Comparat inde mores Christianorum cum moribus Gentilium, atque hos multo meliores esse ostendit: *Vos enim adulteria prohibetis, & facitis,* inquit; *nos uxoribus nostris solummodo viri noscimur. Vos scelera admissa punitis, apud nos cogitare, & peccare est. Vos conscios timetis; nos etiam conscientiam solam, sinè qua esse non possumus;*

B

denique de vestro numero carcer exæstuat; Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus. Quòd autem plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria; animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur, & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio; nemo tam pauper potest esse, quàm natus est. Inde patientiam eorum extollens addit: *Et quod corporis humana vitia sentimus, & patimur, non est pœna, militia est; fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas*

C

sæpius disciplina virtutis est. Vires denique & mentis, & corporis sinè laboris exercitatione torpescunt. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quàm pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum labore congreditur, cùm adversùm minas, & supplicia, & tormenta componitur, cùm strepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inculcat, cùm libertatem suam adversùs Reges, & Principes erigit, soli Deo, cujus est, cedit; cùm triumphator, & victor, ipsi, qui adversùs se sententiam dixit, insultat. Vicit enim qui, quod contendit, obtinuit. Qui non miles sub oculis Imperatoris audaciùs periculum provocet? Nemo enim præmium percipit ante experimentum, & Imperator tamen, quod non habet, non dat, non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur; sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. Ad extremum de repudiatis sacrificiis sic respondet: *Quòd verò sacrificiorum reliquias, & pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed veræ libertatis assertio; nam etsi omne, quod nascitur, & inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis existimet, aut Dæmoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostræ Religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat, vernis indulgere nos floribus, cùm cupiamus & rosam veris, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris, & odoris est? His enim & sparsis utimur mollibus, ac solutis, & sertis colla complectimur; sanè, quod caput non coronamus ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut sentienti facem, aut non sentienti coronam, cùm & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus. At enim nos exequias adoramus. Eadem tranquillitate, qua vivimus, nec adnectimus arescentem coronam, sed à Deo æternis floribus vividam sustinemus, qui & modesti Dei nostri liberalitate, securi spe futuræ fælicitatis, fide præsentis ejus majestatis animamur. Sic & beati resurgimus, & futuri contemplatione jam vivimus.* Atque hæc quidem Minucius contra Gentiles fœdis Christianos conviciis insectantes disseruit. Triennio post Calistus Pontifex anno CCXXII. Pontificatus sui quinto quintam Ordinationem mense Decembri perfecit; qua numerum Presbyterorum XVI., Diaconorum quatuor, & Episcoporum octo explevit. Antoninus die natalis Imperii sui, idest VII. Idus Junii, Alexandrum Mammeæ materteræ suæ filium adoptavit, atque Aviæ Juliæ Mœsæ suasu Cæsarem appellavit.

LIBER NONUS.

CCXXIII. Postero anno Antoninus Augustus cùm esset una cum Severo Alexandro Cæsare quartùm Consul, annum ætatis vigesimum agens Romæ VI. Idus Martii à militibus tumultu concito est occisus, atque in Tyberim jactus, quod illi ultra impuram ipsius vitam, fœdissimosque mores cum maxima Imperii infamia ferre non possent. Alexander autem Severus Cæsar summa omnium voluntate regnare jussus est; quòd magna egregiæ indolis, & summæ argumenta virtutis daret. Is, quia se adolescens matri Mammeæ in omnibus obsequentissimum præbuit, Alexandri Mammeæ cognomen invênit, quæ novo exemplo ingentis spiritus mulier Imperium suo arbitrio usque ad excessum filii gubernavit. Idem vehementiùs ne Christianos persecutus, an amplexatus sit, dici vix potest; multa enim in utramque partem proferri testimonia possunt. Vicit tamen apud homines opinio, æquissimum illum, ut cæteris, sic Christianis quoque fuisse; cùm tamen initio Imperii per duos ampliùs annos acerbissimas de illis quæstiones habuerit, ac duos Pontifices Romanos extinxerit; incendio enim Capitolii, & cœlesti Sacerdotum exanimatione perculsus Palmatio Cos. profanos ad expiandam urbem urbe ejiciendos esse subjicienti, summum arbitrium detulit, ut Christianos ad sacrificandum adigeret. Erat tum Calistus Pontifex cum Calæpodio Presbytero, homine ætate confecto, & reliquo Clero, & maximo Fidelium numero TransTyberim, ubi Damasus eam quoque Basilicam Sanctæ Mariæ condidisse adjungit. Hoc igitur ut Palmatius audiit, milites ad eos capiendos immisit, qui in locum illum ingressi repentè luminibus capti sunt. Quo cognito Palmatius terrore correptus Alexandrum ejus rei admonuit, & milites in conspectum ejus produxit; & cùm Alexander magicis id artibus factum fuisse dixisset, intulit: *Igitur danda opera est, ut passim sacrificia Diis fiant, ne Respublica pravis istorum artibus ruat.* Quare statuta die jubentur Cives omnes immolare Mercurio; quod dum vulgò fit, virgo quædam nomine Juliana à spiritu immundo arrepta clamare cœpit: *Deus Calisti vivus, & verus ægrè fert pollutiones Respub. nostræ, & vindicabit Regem vestrum, quia non colitis veritatem.* Qua voce audita Palmatius ad Calistum TransTyberim advolavit, & prostratus ad pedes dixit: *Cognovi Christum Deum verum esse, quia eum Dæmones confitentur, & propterea te per ipsum obtestor, ut me à cultu Dæmonum liberes, & eo ritu, quem prædicas, abluas.* Calistus autem eum indicto jejunio, & traditis Fidei rudimentis simul cum universa familia tinxit, atque ab ea die Palmatius se illuminatum à Christo gaudens, facultates suas pauperibus erogare instituit. Post triginta verò dies Alexander illum per Torquatum Tribunum comprehendit, atque ad se adduci jussum ita appellavit: *An ne omnes Palmati factus es, ut Deos destituas, atque hominem morte affe-*

A *ctum recipias?* ac confitentem illum Senatori Simplicio tradidit, ut eum mollibus verbis de proposita sententia dimoveret. Palmatius autem apud eum positus magna illi sanctitatis suæ documenta dedit, jejunia, orationes, & vigilias celebrans, & à Felice rogatus Blandam uxorem ejus, quæ quatuor annos clinica erat, supplicatione in conspectu Simplicii, & familiæ ejus ad Deum effusa sanavit. Quod videntes Simplicius, & Felix, & cæteri, qui ibi erant, ad credendum adducti sunt, ac Baptismum ab illo postulaverunt, & Calisto Pontifice accedente, continuò acceperunt. His rebus cognitis Alexander Lao-
B dicio quæstionem illam mandavit, atque ita operâ ejus de omnibus ultimum supplicium sumptum est. Nam Calepodius per Urbem tractus, atque in Tyberim Kal. Maji jactus est; cujus corpus à piscatoribus collectum Calistus aromatibus conditum sepelivit VI. Idus Maji viâ Aureliâ in cœmeterio ipsius, lapide ab Urbe tertio. Inde eodem die Palmatius Consul cum uxore, liberis, & hominibus de familia quadraginta duobus, & Simplicius cum uxore, & liberis, & familiaribus sexaginta octo; itemque Felix cum uxore Blanda truncati sunt; quorum capita per diversas Urbis portas suspensa sunt, ut illorum
C exemplo Christiani à Fide tuenda deterrerentur. Calistus autem Pontifex captus, atque in carcerem traditus, cùm constantiam retineret, ibi per multos menses cohibitus magna incommoda pertulit; siquidem & inediâ maceratus, & quotidie fustibus cæsus est; interim tamen per visionem à Presbytero suo Calepodio martyre confirmatus. Quin etiam extant duæ ejus epistolæ, quæ, si veræ sunt, ab eo in carcere, atque in ipsis tormentorum ardoribus paulò ante obitum datæ fuerint, necesse est; quarum unam scripsit ad Benedictum Episcopum XI. Kal. Septembris, Antonino & Alexandro Consulibus; alte-
D ram ad Episcopos Galliæ VII. Id. Octobris iisdem Consulibus, in quarum priore de Jejunio quatuor Temporum egit, his verbis: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor Tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor Tempora; & sicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, sic repleamur jejunia ad alendas animas:* in posteriore verò de conspirationibus Episcoporum his: *Conspirationum crimina vestris in partibus vigere audivimus, & plebes contra*
E *Episcopos suos conspirare, nobis manifestum est; cujus criminis astutia, non solùm Christianis abominabilis est, sed etiam inter Ethnicos, & ab exteris legibus prohibita; & idcirco hujus criminis reos non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi damnant leges; & non solùm conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores verò nostri cum plurima turba Episcoporum, quicumque eorum in sacerdotali honore sunt positi, aut existunt Clerici, honore, quo utuntur, cadere præceperunt.*

Ca-

A. Chr. CCXXIII

Ceteros verò communione privari, & ab Ecclesia extorres fieri jusserunt, omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt; & non solùm facientes, sed & eis consentientes. Sub eosdem dies idem in carcere militem quemdam nomine Privatum eb ulcerum fœditate simul, & animæ infidelitate liberavit. Quod ubi Alexender audiit, ipsum militem plumbatis polsans extinxit; Calistum verò per fenestram domus præcipitari, & elligato cervicibus saxo in puteum projici, & super eum rudera congeri jussit; ita ille pridie Idus Octobris nobili martyrio decoretus excessit. Post quatuordecim inde dies Presbyter njus Asterios eum Clericis noctu veniens corpus è puteo traxit, & in cœmeterio Calepodii condidit, ac post sextum diem ipse ab Alexendro id resciente XII. Kal. Novembris Ostiæ de ponte præcipitatus, atque in eadem Civitate operâ Christianorum sepultus est. Hæc Beda, Usuardus, & Ado ex gestis Calisti scripserunt. Fecerat eutem ille, ut inquit Damasus, Ordinationes quinque, quibus Presbyteros XVI. & Diacooos IIII. & Episeopos octo creaverat.

URBANUS PONTIFEX XVI.

CAlistum inde, ut dictum est, pridie Idus Octobris occisum, Urbanus Civis Romenus excepit, qui in tanto tumultu cùm officio suo in urbe veeare non posset, extra urbem secessit, ac viâ Appiâ inter Martyrum sepulchra latens, muneri prædicationis, & sacræ tinctionis haudquaquam exterritus inservivit. Interim Martina virgo nobili loco nare iu Ecclesia preces Deo adhibens capte est, ee jussu Alexaudri thura dare Apollini jussa, cùm abnuisset, mandato ejusdem in templo Apolliuis ejus rei causâ ducta, adeò enixè Deum oravit, ot repeotè terræmotu concito templum ipsum eum simulachro dejecerit, multosque Sacerdotes oppresserit. Qua re infensior Alexander effectus, virginem alapis cædi, etque uneis laniari, & ut talium victricem tormentorum vidit, testarum radi fragmentis jussit. Martina verò oculis iu cœlum sublatis Deum obsecravit, ot sibi patientiam, tortoribus (octo illi erant) resipiscentiam daret. Que precatione perfecta, illi veniam pœnarum, quas expeterent, petierunt. Quibus illa: *Si credere Christo Deo volueritis*, inquit, *præmia cœlestia; sin minus, intolerabilia tormenta feretis*; tum verò illi se credere dixerunt, & se Christiaoos virtute Martinæ factos Alexandro confessi sunt. Quibus verbis ille incensus, eos primùm excarnificari, deinde jugulari præcepir XV. Kal. Decembris. Inde Martinam nihil de sententia remittentem rursus ongulis fodi jussit, deinde fustibus verberari, tum adipe fervefacto perfundi. Quæ cùm illa tormenta sprevisset, Justino Præfecto, ut cætera perageret, imperavit. Qui primùm oove eam laceratione fatigavit; deinde rugienti Leoni objecit, qui innoxius se ad pedes ejus abjecit; cùm autem semel etque iterum secrificare jussa, forti animo imperata omnia detrectasset, atque illeta propterea tormenta incredibili constantia elusisset, demum gladio jugulete martyrium Kal. Jenueriis terminavit. Unde Beda scripsit: *Kal. Januaries natale Sanctæ Martinæ virginis, quæ sub Alexandro Imperatore post multa tormenta gladio est occisa*. Addit inde: *VI. Nonas Marties natale Martyrum plurimorum, quos diu cruciatos impius Alexander capitali demum sententia perculit*. Hyppolitus Episcopus Portuensis scriptor insignis inter cætera opus de Peschate texuit, io quo temporum ordinem explicavit, & Canonem sexdecim ennorum de Paschate ertulit, & tempura usque ad primum Annum Alexandri Imperatoris digessit; seripsit etiam contra omnes hæreseos, & nominatim edversùs Marcionem. Postero Cæcilia quoque altera virgo Romana summo loco nate egregiam martyrio leudem peperit. CCXXIV Hæc cùm à parentibus nobili juveni Valerieoo desponsa esser, virgioitatis studio inflammata spousum suum à nuptiis secum celebrandis evertit, cùm diceret, se habere Angelum corporis sui custodem, qui, si seusisset, eum corpori suo attrectationem aliquam iutulisse, ipsi vebementissimè suceenseret; eui Valerianus respondit, se voluntati ejus obsequuturum, si hunc Angelum aspexisset. Tum illa: *Tu Angelum videre non potes, uisi ante salutari aqua te expies*; quæreoti autem illi, quomodo? *Exi*, ioquit, *viâ Appiâ ad tertium lapidem, & pecuniâ donatâ pauperibus iis, qui ibi stipem poscunt, dic meis verbis, ut te ad Urbanum Episcopum ducant, ad quem ubi accesseris, expiationem hanc postula*. Paruit Valerianus, & cùm Urbanum inter sepulchra martyrum latentem invenisset, expiationem, ut jussus fuerat, flagitavit. Urbanus verò post preces Deo adhibitas, illum in Fide Trioitatis eruditum, & credentem ritè intiuxit. Reversus eurem ad Cæciliam Veleriauus, Angelum in cubieulo ejus vidit duas coronas maoibus tanentem, quarum unam Cæciliæ, alteram Valeriano porrexit. Eadem inde ratione Tiburtius Valeriani frater à Cæcilia Fidei rudimentis imbutus ad Urbenum ire jussus est. Quo facto & ipse credens Baptismum aecepit. Valerianus inde & Tiburtius novo studio Christianæ pietatis eccensi, sese martyribus contra jussa Præfecti Urbis Almacii sepeliendis tradideruur. Quod ubi Almacius audiit, juvenes aceitos ecriùs inerepuit, quòd nefarios humines tradere sepulturæ eontenderent; cùmque ex eorum verbis Christianos eos esse sentiret, altercari eum eis de suscepte Fide instituit, atque ubi coustantes vidit, cùm Jovi sacrificare ooluisseut, fustibus cæsos necari mandavit. Cùm eutem Maximus cubicularius ejus, cui hojusmodi mandata animadversio fuerat, eos de seutentia deducere vellet, ab eis conversus domum eos suam addnxit, etque ipse eum tote familia sua, Cæcilia Saeerdotes uocte adducente, salutatem ablutinnem accepit. Inde postridie, qui fuit XVIII. Kal. Maji, estra Urbem adducti, embo gladio sunt obtruncati. Almacius eutem ubi Maximum eum sua familia Christi Fidem suscepisse audivit, ipsum plumbatis tamdiu cædi, quoad enimam efflaret, præcepit. Eorum corpora è Cæcilia sepulturæ mandata. Hinc Beda scripsit: *XVIII. Kal. Maji Romæ Natale*

San-

Sanctorum Valeriani, Tiburtii, & Maximi sub Almacio Præfecto; quorum primi fustibus, & gladio sunt percussi; ultimus tamdiu plumbatis verberatus est, donec spiritum redderet. In bona inde fratrum inquirenda conversus Almacius, cùm omnia à Cæcilia pauperibus distributa invenisset, ipsam thura dare Deis ad se adductam mandavit; apparitores verò cùm ipsam recusantem viderent, ac pœnam impendere non ignorarent, rogare illam cœperunt, ne tantum decus corporis corrumpere intempestivâ pertinaciâ vellet. Quibus illa respondit: *Quin vos potiùs Christum colitis, unde æternæ vitæ præmia consequemini*; atque ut eos permotos sensit, addidit: *Postulate mihi ab Almacio inducias, & ego domum meam accersam, qui vos omnes hujus vitæ faciat compotes.* Itaque Urbanus Pontifex ab illa accitus veniens, plusquam quadringentos utriusque sexus homines sacro lavacro immersit. Tum verò Almacius Cæciliam ad se redire jussam iterum sibi parere, & cùm invictam in confessione videret, domi suæ balnearibus flammis cremari præcepit; ubi inclusa, quasi in loco frigido, integra perstitit sanitate. Quod audiens Almacius misit domum, qui ei caput à cervicibus desecaret, quam spiculator ter percossit, sed caput amputare non potuit. Cùm autem per triduum supervixisset, tandem X. Kal. Decembris è vita migravit; cujus corpus Urbanus auferens nocte inter collegas suos sepulturæ mandavit. Hæc ex Vita Cæciliæ, cui assensit Beda; nisi quòd hæc acta sub Commodum refert. Cæterùm quæ Romæ à Præfectis adversùs Christianos, eadem, & multo acerbiora in Provinciis agebantur. Cùm autem Scapula Proconsul Africæ Christianos urgeret, ut ejurarent, & confitentes aut negare cogeret, aut damnaret, negantes verò tormentis afficeret, Tertullianus nomine Christianorum librum scripsit, monens, ut incœpto desisteret, ne iram Dei in se, & universam urbem Carthaginis irritaret. Ex quo libro sententias aliquot huc transferemus, quæ horum temporum conditionem aperire mirificè possint; sic autem orditur: *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur; cùm ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea, quæ Deus repromittit, consequi optantes, & ea, quæ diversæ vitæ comminantur, pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quàm absoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis, & omnibus inimicis nostris, nedum amicis. Ita enim disciplinâ jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis, qui nos persequuntur, ut hæc sit perfecta, & propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.* Alio inde loco ostendit, Christianos Imperatori non esse inimicos, ita ut Cassii, aut Nigri, aut Albini partes aliquando tutati sint, quod plerique Gentiles fecerunt. *Sed etsi circa Majestatem Imperatoris*, inquit, *infamamur, tamen nunquam Albiniani, aut Nigriani, nec Cassiani invenire potuerunt Christiani. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Imperio Romano. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece, non enim eget Deus conditor Universitatis, odoris, aut sanguinis alicujus.* Iram inde, atque ultionem Dei tractans sic inquit: *Tamen doceamus necesse est, quòd nulla Civitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem; sicut & sub Hilariano Præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum acclamassent: Areæ non sint; areæ ipsorum non fuerunt; messes enim suas non egerunt. Cæterùm & imbre anni præteriti quid commeruerit genus humanum apparuit, Cataclysmum scilicet, & retro fuisse propter incredulitates, & iniquitates hominum, & ignes, qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt, per noctem quid minati sint, sciunt qui obstupuerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquomodo possumus, ut & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur; interim localem esse; universalem enim, & supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in conventu Uticensi extincto pene lumine adeò portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate, & domicilio. Habetis Astrologos; possumus æquè & exitus quorumdam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hunc gladium in nos egit, lumina amisit; Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in Prætorio suo vastatus peste cùm vivus vermibus ebullisset, nemo sciat, ajebat, ne gaudeant Christiani: postea cognito errore suo, quòd tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, penè Christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit; sed & qui videntur sibi impunè tulisse, venient in diem Divini Judicii. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cùm Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis, sed memento de cætero.* Addit inde eos, qui Christianis consuluerunt: *Quanto autem Præsides, & constantiores, & crudeliores dissimulaverunt ab hujusmodi causis? ut Cincius Severus, qui Thisdri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent, ut Vespronius Candidus, qui Christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere dimisit, ut Aper, qui modicè vexatum hominem, & statim dejectum, nec sacrificium facere compulit, ante professus inter Advocatos, & adsessores dolere, se incidisse in hanc causam. Pudens etiam dimissum ad se Christianum in elogio, concussione ejus intellecta dimisit; scisso eodem elogio, sinè accusatore negans se auditurum hominem, secundùm mandatum. Ipse etiam Severus pater Antonini memor Christianorum fuit.* Bona inde, & virtutes Christianorum persequitur: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Præter hæc depositum*

non

non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo crematur; quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot Majestatis rei pati solent. Nam & nunc à Præside legionis, & à Præside Mauritaniæ vexatur hoc nomen, sed gladio tenus, sicut & à primordio mandatum est animadverti in hujusmodi; sed majora certamina majora sequuntur præmia; crudelitatis vestræ gloria est nostra. Arrius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes illius Civitatis Christiani ante Tribunalia ejus se manufacta obtulerunt; cùm ille paucis duci jussis, reliquis ait: O miseri, si vultis mori, præcipitia, aut laqueos habetis. Hoc si placuerit & hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris, ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus se tibi. Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda à te, cùm propinquos, cùm contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cùm viderit illic fortassis, & tui ordinis viros, & matronas, & principales quasque personas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos; parce ergo tibi, si non nobis; parce Carthagini, si non tibi. Scripsit etiam Apologiam adversùs gentes, Magistratus Romanos appellans, & crimina, quæ in Christianos ingerebantur, ut Minucius quoque fecerat, diluens; ex quo item libro aliquot sententias ad hæc illustranda tempora proferemus: *Hanc primam causam apud vos collocamus, iniquitatis odium erga nomen Christianum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat, & revincit, qui videtur excusare, ignorantia scilicet. Quid enim iniquius, quàm ut oderint homines, quid ignorant? etiam si res meretur odium.* Inde: *Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod Judicem non faciat injustum. Sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, & non examinatio criminis; quando si de alio nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis, vel de nostris elogiis loquar, contenti sitis ad pronunciandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, locum, tempus, conscios, socios. De nobis nihil tale, cùm æquè extorquere oporteret, quodcumque falsò jactatur, quot quisque jam infanticidia degustasset; quot incesta concelebrasset, qui Coci, qui Canes affuissent. O quanta illius Præsidis gloria, si invenisset aliquem, qui centum jam infantes comedisset!* & post: *Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum; cùm si malum esset, nos quidem negaremus; vos verò confiteri tormentis compelleretis;* item: *Vociferatur homo, Christianus sum. Quod est, dicit; tu vis audire, quod non est: Veritatis extorquendæ Præsides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quæris, an sim? quid me torques in perversum? Confiteor, & torques; quid faceres, si negarem? Planè aliis negantibus non facilè fidem accommodatis, nobis si negaverimus, statim creditis;* inde: *Ideo & credunt de nobis, quæ non probantur, & nolunt inquiri, ne probentur non esse. Ideo torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia nominis prælium est. Denique quid de tabella recitatis illum Christianum, cur non & homicidam? sed homicida Christianus, cur non & incestus, vel quodcumque aliud nos esse creditis. In nobis solis pudet, aut piget ipsis nominibus scelerum pronunciare? Christianus, si nullius criminis nomine reus est, si solius nominis crimen est. Quid, quod ita plerique clausis oculis in odium ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Cajus Sejus, sed malus tantum, quod Christianus. Item alius ego Lucium sapientem virum repentè factum Christianum defero; nemo retractat. Hunc igitur si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum; Christianus verò quantum interpretatio est, de unctione deducitur; sed cùm perperam Christianus pronunciatur à vobis, de suavitate, vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Alio loco addit: *Nonne vanissimas Papias Leges, post tantæ auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus Principum exclusit?* Quibus verbis Severum mortuum significat, non enim illum in persecutione laudasset: *Dicimur sceleratissimi, de sacramenta infanticidii, & pabulo crudo, & post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundia procurent, dicimur tamen semper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis.* Quod autem de canibus eversoribus luminum ait, declarat post magis: *Præterea candelabra, & lucernæ, & canes aliqui, & offulæ, quæ illos ad eversionem luminum extendant. Ante omnia cum matre, & sorore tua venire debebis; quid si noluerint, vel nullæ fuerint? quid denique singulares Christiani? non erit, ut opinor, legitimus Christianus, nisi frater, aut filius;* & post: *somniastis caput Asininum esse Deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem hujusmodi inseruit in historia mendacissimus, sed nova jam Dei nostri in ista Civitate proximè editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum hujusmodi inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES. Risimus & nomen, & formam. Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum de nihilo expressit. Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, & Deum vivum, quem & ipsi Imperatores sibi præter cæteros propitium malunt; sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani; sed & juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis:* Indè ritus Christianorum, ac mores exponit: *Edam, inquit, jam nunc ipsa negotia Christianæ factionis, ut qui mala refutaverim, bona ostendam. Corpus sumus*

CCXXIV *de conscientia religionis, & disciplinæ veri-* A
tate, & spei fœdere. Coimus in cœtum, &
congregationem, ut ad Deum quasi manu fa-
cta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis
Deo grata est. Oramus etiam pro Imperato-
ribus, pro ministris eorum, & potestatibus
sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coi-
mus ad divinarum rerum commemorationem, si
quid præsentium temporum qualitas, aut præ-
monere cogit, aut recognoscere. Certè fidem
sanctis vocibus poscimus, spem erigimus, fidu-
ciam figimus, disciplinam præceptorum nihilo-
minus inculcationibus densamus. Ibidem etiam
exhortationes, castigationes, & censura divi-
na, nam & judicatur magno cum pondere, ut
apud certos de Dei conspectu; summumque B
futuri judicii præjudicium est, si quis ita
deliquerit, ut à communicatione orationis, &
conventus, & omnis sancti commercii relege-
tur. Præsident probati quique seniores, hono-
rem justum non pretio, sed testimonio adepti;
neque enim pretio ulla res Dei constat, etiam
si quod arcæ genus est, non de oneraria sum-
ma, quasi redemptæ religionis congregat, mo-
dicam unusquisque stipem menstrua die, vel
quum velit, etsi modò possit, apponit; nam
nemo compellitur, sed spontè confert. Inte-
rim Urbanus vasa sacra argentea, & pate-
nas argenteas fecit; & Ordinationibus ali-
quot per mensem Decembrem obitis, nu-
merum Presbyterorum novem, Diacono- C
rum quinque, & Episcoporum octo com-
CCXXV plevit; ac postero anno, durante adhuc,
ut apparet, Persecutione, martyrio, teste
Damaso, VIII. Kal. Junii coronatus est;
cui Beda assentitur, ita scribens: *Romæ*
via Nomentana in cœmeterio Prætextati,
VIII. Kal. Junii natale Sancti Urbani Epi-
scopi & martyris, cujus doctrina sub Per-
secutione Alexandri multi martyrio coronati
sunt; sedit annos tres, menses decem, dies
decem.

PONTIANUS PONTIFEX XVII.

Huic porrò post dies triginta, Pontia-
nus Civis Romanus est subrogatus.
Videtur inde Alexander Persecutionem
inhibuisse, ac Christianis æquior, atque
amicior evasisse; siquidem scribit Lampri-
dius, eum Christianos esse permisisse, &
Christum in larario habuisse, atque & tem-
plum facere, & inter Divos recipere vo-
luisse; ejusdem etiam multa egregie dicta
de Christianis ab eodem referuntur, ex
quibus illum non pessimè de ipsis sensisse
apparet: *Cùm Christiani*, inquit, *locum*
quemdam, qui publicus fuerat, occupassent,
contra popinarii dicerent, sibi eum deberi,
rescripsit, melius esse, ut quomodocumque
illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur; E
clamabat quotidie, quod à quibusdam, sive
Judæis, sive Christianis audierat, & tenebat,
idque per præconem, cùm aliquem emendaret,
dici jubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri
ne feceris. Quam sententiam usque adeò dile-
xit, ut & in Palatio, & in publicis operi-
bus perscribi juberet. Ubi aliquos voluisset
Rectores provinciis dare, vel Procuratores
ordinare, nomina eorum proponebat, hortans
populum, ut si quis quid haberet criminis,
probaret manifestis rebus, si non probasset,
subiret pœnam capitis, dicebatque, grave esse,
cùm id Christiani, & Judæi facerent in præ-

A *dicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt,* CCXXV
non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus
& fortunæ hominum committerentur, & ca-
pita. Quin etiam Mammæa Alexandri ma-
ter, ut scribit Eusebius, cùm Antiochiæ
ageret, Origenem ad se accivit, & studia,
legesque Christianorum ab eo cognoscere
voluit; quo ille munere egregiè functus
ad suas exercitationes se retulit. Anno
inde ducentesimo trigesimo Alexander ter- CCXXX.
tiùm Consul Dionem historicum iterum
Consulem collegam ascivit; quem ad an-
num ipse Dio se historiam suam ab Urbe
condita produxisse fatetur. Phileto Episco-
po Antiocheno Zebenus est suffectus.
B Biennio post, nempe, ut inquit Eusebius, CC.
Alexandri anno decimo, Origenes Alexan- XXXII.
driâ Cæsariam fugiens, Scholam sacræ in-
stitutionis Heraclæ reliquit, atque inte-
rim libros Stromatum edidit. Cùm Par-
thiani ab Arsacide defectione à Persis ini-
ta Principatum Orientis per multa sæcula
tenuissent, demum sequenti anno Arta- XXXIII.
xerses, Artabano eorum Rege prœlio vi-
cto & interfecto, Imperium ad Persas re-
degit, inde Mesopotamiæ, Syriæque immi-
nens, cùm postero Nisibim obsideret, à XXXIV.
Legatis Alexandri pacem petentibus est
conventus; qua legatione repudiata, ipse
ad Alexandrum quadringentos ornatissimos
C Equites misit, ea ratione se illi terrorem
existimans incussurum; qui cùm in conspe-
ctum Alexandri venissent, dixerunt: *Ju-*
bet magnus Rex, Romanos Syria, & Persis
Imperium usque ad mare permittere. Quos
Alexander comprehendit, atque armis,
equisque spoliatos in pagos distribuit. Se-
quenti exercitum adversùs eum eduxit, & XXXV.
re bene gesta acie vicit, ac propulit; ac
firmo relicto ad Euphratem præsidio, ex
Mesopotamia Romam ad triumphum se
retulit, ut Lampridius scripsit. Pontianus
Pontifex secundam Ordinationem mense
Decembri perfecit, qua Presbyterorum
sex, Diaconorum quinque, Episcoporum
D sex numerum explevit; atque inde Severo,
& Quintiano Consulibus X. Kal Februa- XXXVI.
rii epistolam scripsit ad Felicem Scribonum
de Sacerdotibus non vexandis, his verbis:
De Sacerdotibus Domini, quos vos audivimus
contra pravorum hominum insidias adjuvare,
scitote, vos in ea Deo valde placere, qui sibi
eos ad serviendum ascivit, & familiares in-
tantum ille voluit, ut etiam aliorum hostias
per eos acceptaret, atque eorum peccata dona-
ret, & sibi reconciliaret; ipsi quoque proprio
ore Corpus Domini conficiunt, & populis tra-
dunt, de illis enim dictum est: Qui vos con-
tristabit, me contristabit, & qui vobis faciet
injuriam, recipiet id, quod iniquè gessit; &
E *alibi: QUI VOS AUDIT, ME AUDIT,*
ET QUI VOS SPERNIT, ME SPERNIT;
QUI AUTEM ME SPERNIT, SPERNIT
EUM, QUI ME MISIT; hi enim non sunt
infestandi, sed honorandi; in eis quoque Do-
minus honoratur, cujus legatione funguntur.
Hi ergo si ceciderint, à fidelibus sunt suble-
vandi, & portandi; accusandi autem non
sunt ab infamibus, aut sceleratis, vel inimi-
cis, aut alterius sectæ, vel religionis homini-
bus; si peccaverint, à reliquis arguantur Sa-
cerdotibus, & à Summis Pontificibus constrin-
gantur, & non à sæcularibus, & malæ vi-
tæ hominibus arguantur, vel arceantur.
Ale-

A. Chr. CC. XXXVI.

Alexander autem Augustus ut Germanis Galliam incursantibus occurreret, ad Rhenum se contulit; atque ibi cùm lentiùs, & timidiùs bellum consilio matris astutè gerere putaretur, XV. Kal. Aprilis Moguntiaci à militibus interfectus est. Ac Maximinus Thrax dux strenuus ipsius seditionis concitor militari studio Imperator appellatus; qui filium Maximinum Cæsarem cùm declarasset, rebus belli compositis, Romam revertit. Pontianus Pontifex IIII. Kal. Maji, iisdem Consulibus epistolam scripsit de dilectione fraterna. Maximinus Romam reversus inter cætera facinora Christianos quoque acerrimè divexavit; quæ Persecutio ab aliis inter decem relata, ab aliis omnino ex eo numero exempta est. De hac Persecutione sic Eusebius: *Maximinus propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles, & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam Persecutionis tempestatem concitavit, jussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores Doctrinæ Evangelicæ, necari*. In eamdem sententiam scribit etiam Sulpicius, inquiens, nonnullarum Ecclesiarum Clericos ab eo vexatos esse. Cæterùm omnium copiosissimè de hac Persecutione loquutus est apud Cyprianum Firmilianus Episcopus Cappadociæ epistolâ septuagesimaquintâ, sic scribens: *Ante viginti duos ferè annos temporibus post Alexandrum Imperatorem multæ istic conflictationes, & pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis; terræ enim motus plurimi, & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam, & per Pontum multa subruerent; quædam etiam Civitates in profundum receptæ dirupti soli hiatu devorarentur; ut ex hoc Persecutio quoque gravis adversùm nos Christiani nominis fieret, quæ post longam retro ætatis pacem repentè aborta, de inopinato, & insueto malo ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia Præses acerbus, & dirus Persecutor. In hac autem perturbatione constitutis fidelibus, & huc, atque illuc Persecutionis metu fugientibus, & patrias suas relinquentibus, atque in alias partes regionum transeuntibus; erat enim transeundi facultas, eo quòd Persecutio illa non per totum Mundum, sed localis fuisset. Emersit istic subitò quædam mulier, quæ in extasi constituta prophetem se præferret, & quasi Spiritu Sancto plena sic ageret. Ita autem principalium Dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus solicitaret, & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam, & portentosa perficiens, & facere se terram moveri polliceretur; non quòd Dæmoni tanta esset potestas, ut terram movere, aut elementum concutere visu valeret, sed quòd nonnunquam spiritus nequam præsciens, & intelligens terræmotum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis, & jactationibus subegerat mentes singulorum, ut sibi obedirent, & quòcumque præciperet, ac duceret, sequerentur, faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per asperas hymes ire, nec vexari in aliquo, aut lædi ulla discussione; diceret etiam se in Judæam, & Hierosolymam festinare, fingens tanquam inde venisset. Hic & unum de Presbyteris Rusticum, item & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur, quod paulò post detectum est; nam subitò apparuit illi unus de Exorcistis vir probatus, & circa religiosam disciplinam bene semper conversatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipsi fortes, & laudabiles in Fide aderant, excitatus, erexit se contra illum spiritum nequam revincendum, qui subtili fallacia etiam hoc paulò ante prædixerat, venturum quemdam aversum, & tentatorem infidelem. Tamen ille Exorcista inspiratus Dei gratiâ fortiter restitit, & esse illum nequissimum spiritum, qui priùs sanctus putabatur, ostendit. Atque illa mulier, quæ priùs per præstigias, & fallacias Dæmonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera, quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut & invocatione non contemptibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino sinè Sacramento solitæ prædicationis offerret; baptizaret quoque multos, usitata, vel legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur*. Eodem anno III. Kal. Novembris, ut inquit Damasus, Pontianus Pontifex ob religionem egregiè cultam in Sardiniam Insulam cum Hyppolito Presbytero deportatus est, ac post fustibus cæsus XIII. Kal. Decembris mortuus; unde Beda sic scripsit: *XIII. Kal. Decembris natale Sancti Pontiani Pontificis, qui Maximino adversùs Ecclesiarum Sacerdotes Persecutionem commovente cum Hyppolito Presbytero in Sardiniam deportatus, ibique fustibus mactatus, martyrium consummavit. Sedit in Episcopatu annos novem, menses quinque, dies duos.*

ANTEROS PONTIFEX XVIII.

HUic, post dies decem, Anteros Græcus suffectus est pridie Kal. Decembris, qui acta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit, propter quod à Maximino martyrio coronatus est; & Ordinatione una per mensem Decembris facta Episcopum unum creavit. Epistolam scripsit, in qua Episcopos ab una Ecclesia ad alteram transferri propter Ecclesiæ utilitatem posse, exemplo S. Petri ostendit. Idem martyrio à Maximino affectus est, & sepultus in cœmeterio Calisti viâ Appiâ III Nonas Januarii. Sequenti anno, Maximino & Africano Consulibus, cùm triginta sex dies in Pontificatu, XXXVII. Græcis testibus, egisset. Neque enim emendatus est Damasus, apud quem legitur, Anterotem duodecim annos Pontificatum administrasse sub Maximino; neque enim Maximinus, nisi triennio imperavit. Apparet autem citò mortuum esse, quòd unam tantùm Ordinationem fecit, & quòd iisdem Consulibus, teste Damaso, & Anteros mortuus, & Fabianus sit substitutus.

FABIANUS PONTIFEX XIX.

CÆterùm Fabianus comitiis habitis, divina quadam ratione suffectus est; quippe, ut inquit Eusebius, mortuo Anterote, ipse ex agro in Urbem commigravit, ac die comitiorum in locum, quò cæteri convenerant, prodiit. Ibi verò cùm multi præ-

A. Chr. CC. XXXVII

præstantes viri illo digni honore proponerentur, signum ad tacitam declarandam Dei voluntatem adeo perspicuum est oblatum, ut facilè omnem in deligendo Pontifice animorum hæsitationem exemerit; siquidem de repente columba ex alto devolavit, similitudinem ejus referens, quæ quondam super Salvatorem descendit, cùm ad Jordanem fluvium tingeretur, ac mirantibus omnibus super caput Fabiani consedit. Quo viso permoti qui aderant, universi certum Spiritus Sancti præjudicium sibi sequendum existimarunt, ac statim Fabianum arreptum in Sede Pontificis collocarunt. Hæc IV. Idus Januarias acta. Is Sancti Pontiani Pontificis & Martyris corpus ex Sardinia Romam retulit, ac cœmeterio Calisti recondidit. Deinde multa decreta fecit, quorum magnam partem epistolis, quas hoc anno dedit, amplexus est, quarum una est data ad Episcopos Catholicos, Africano & Maximino Consulibus, Kal. Julii, in qua ita sancit: *Septem Diaconos in Urbe Roma per septem regiones Civitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus, qui per singulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque festivitatum solemnia cum Subdiaconibus, & Acolytis, ac sequacium Ordinum ministris injuncta sibi observant ministeria, & parati omni hora sunt ad Divinum Officium, & quidquid eis injungitur peragendum; similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per singulas Civitates est faciendum, ut Divinum absque ulla mora, & negligentia, studiosè, ac solemniter agatur Officium. Denique septem similiter Subdiaconos ordinavimus, qui septem Notariis imminerent, & gesta Martyrum veraciter in integro colligerent, nobisque renunianda manifestarent; quod etiam vos omnes agere monemus.* Addit inde: *Apostolica auctoritate cum omnibus ejusdem Apostolicæ, atque universalis Ecclesiæ filiis statuentes sancimus, ut omnes, qui in Catholica Fide suspecti sunt, in accusatione rectè credentium non suscipiantur, quia suspiciones semper sunt amovendæ; similiter omnes, quos sanctorum Patrum statuta tam præteritis, quàm futuris temporibus anathematizant, submovemus, & ab omni accusatione fidelium alienamus.* Altera est ad Orientales Episcopos, in qua ita scribit: *Literis vestris inserta invenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere, sed duos, aut tres annos confectionem sancti Chrismatis semel factam conservare; dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperire, nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum una confectio Chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim qui talia excogitant, & mente vesana potiùs, quàm recta sentientes hæc dicunt. In illa enim die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à Sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum, nostrum significat Baptismum, quando sancti Chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur; nam sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda; & de anno in annum renovanda, & fidelibus tradenda; quia novum sacramentum est per singulos annos, etiam dicto die innovandum, & vetus in Sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à Sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc Sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, & Ephesianorum tenet; in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus Chrisma incendi, & non ampliùs, quàm uno anno uti permiserunt; atque deinceps novo frui, & non veteri, jubentes docuerunt. Si quis ergo his obviare tentaverit, omnem sibi per vos, & per omnes rectè intelligentes, indulgentiæ aditum, intelligat obseratum.* Item tertiâ ad Hilarium, in qua ita: *Statuentes decernimus, ut hi, qui non sunt bonæ conversationis, aut quorum vita est accusabilis, aut quorum fides, & libertas nescitur, non possint Domini Sacerdotes accusare, ne viles personæ ad accusationem eorum admittantur. Similiter hi, qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vocem adversus majores natu non habeant accusandi; quia suspiciosa vox, & inimica veritatem solet opprimere. Peregrina verò judicia, salva in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus, quia indignum est ab externis ut judicetur, qui provinciales, & à se electos debet habere judices, nisi fuerit appellatum. Unde oportet, si aliquis Episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in provincia, Episcopis, quia non oportet accusatum alicubi, quàm in foro suo audiri; si quis verò Judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat. Appellantem autem non debet afflictio ulla, aut detentionis injuriare custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare. Liceat etiam in causis criminalibus appellare. Nec vox appellandi denegetur ei, quem supplicio sententia destinarit. Pulsatus ante suum Judicem causam dicat, & ante non suum Judicem pulsatus, si voluerit, taceat, & ut pulsatis, quoties appellaverint, induciæ dentur. Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temerè objecerit, convicium non est pro accusatione habendum; sed permisso tractandi spatio, id, quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur; ut si fortasse resipiscens, quæ præ iracundia dixit, iterare, aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. Omnis enim, qui crimen objicit, scribat se probaturum. Revera ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur; & qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur. Placuit etiam, ut si Episcopus accusatus appellaverit ad Apostolicam Sedem, id statuendum, quod ejusdem Sedis Pontifex statuerit. Hæc tamen omnino in Sacerdotum causa forma servetur, ut quemquam sententia non à suo Judice dicta constringat.* Heraclas Demetrio Episcopo Alexandrino mortuo successit.

XXXVIII Postero anno cùm Maximini Augusti avaritia, & crudelitas omnibus esset odiosa, milites tumultu concitato in Africa Gordianum senem Augustum appellarunt, qui statim Gordianum filium Imperii consortem ascivit, quo haud ita multo post mortuo, senex ipse quoque sibi mortem conscivit. Quo nuncio accepto Senatus Romæ duos alios Im-

A. Chr. CC.
XXXVIII Imperatores contra Maximinum declara-
vit, Clodium Balbinum, & Pupienum
Maximum, qui ex S. C. bellum Maximino
intulerunt, qui tum in Pannonia erat, &
Aquilejam, quæ ad Senatum defecerat,
obsidebat, atque ibi Maximinus ipse cum
filio est occisus. Quo facto Ecclesia inde
XXXIX. in multos annos quievit; sequenti verò an-
no milites manibus jam cædibus Augusto-
rum imbui cœptis, ipsos quoque Balbi-
num & Pupienum interemerunt, atque
Gordianum adolescentem Gordiani ex filia
nepotem Augustum, cùm Cæsar esset, ma-
XL. gno favore populi appellarunt. Proximo
verò, quo Gordianus Augustus Consula-
tum administravit, quique ducentesimus
quadragesimus ab Ortu Christi extitit, Sol
tanta obscuritate defecit, ut nox crederetur,
neque sine luminibus accensis quid
quam ageretur. Tum Zebenno Antiocheno
Episcopo mortuo Babylas successit. Diony-
sius scholam Alexandrinam rexit. Orige-
nes verò Cæsareæ docens ab omnibus au-
diendi causâ celebrabatur; quo auctore
Theodorus & Athenodorus tantam in sa-
crarum literarum cognitione fecere pro-
gressionem, ut Ponti Ecclesiis Episcopi
XLI. præpositi fuerint. Postero anno conjuratio
in Africa adversùs Gordianum conflata,
Sabiniano auctore in potestatem adducto,
discussa est. Hoc ipso Gordiano imperitan-
te Ephesi Noëtus quidam exortus est, qui
spiritu alieno instinctus, ea, quæ neque
Prophetæ, neque Apostoli, neque Eccle
sia ipsa censuerat, dicere ausus est, & do-
cere, quippe Patrem passum esse, se au-
tem Mosem esse, fratrem autem suum
Aaron. Hoc ubi incerto rumore percre-
buit, Presbyteri Ecclesiæ adesse jusserunt,
& num hæc de Deo Patre protulisset, ro
garunt. Ille verò primùm negavit, quòd
nemo ante ipsum tale aliquid effudisset;
postea verò decem hominibus ad se tradu
ctis audacior factus, palàm hanc hæresim
docuit. Quo cognito Presbyteri iterum
illum cum sociis à se depravatis citarunt,
ac de prædicatione denuo percontati sunt.
Quibus ille perfricta fronte assensit adji-
ciens: *Quid enim mali feci? unum Deum glo-
rifico, unum novi, & non alium præter ip-
sum, genitum, passum, mortuum.* Cui illi
responderunt: *Et nos unum Deum glorifica-
mus, sed prout didicimus juste glorificare,
& unum Christum habemus, sed velut didi-
cimus unum Christum Filium Dei, passum,
sicut passus est, mortuum, sicut mortuus est,
qui resurrexit, qui ascendit in Cœlum, qui
est ad dexteram Patris, venturus ad judican-
dum vivos, & mortuos*, atque inde illum
in sententia persistentem Ecclesiâ dejece-
runt; quo paulò post cum fratre vita fun-
cto, opinionem ejus socii exceperunt,
qui ab illo Noetiani dicti sunt. Hunc Noë-
tum ad centum triginta annos ante annum
Valentiniani & Valentis undecimum hæc
egisse scribit Epiphanius, quare sub Gor-
diano ferme hæc accidisse significavit. Mo-
vet autem, quòd hunc primum hujus opi-
nionis auctorem prodit, cùm S. Augusti-
nus Praxeam, & Hermogenem eadem
scripsisse affirmet. Praxeam verò ante vi-
xisse ex Tertulliano elicitur, qui contra
illum scripsit, hunc verò ne nominavit
quidem. Ex discipulis autem hujus unus

A fuit Sabellius, qui post huic hæresi famam A. Chr. CCXLI.
adjunxit, & nomine suo eam insignivit,
unde pro Noëtianis Sabelliani sunt appella-
ti. Eodem Gordiano regnante altera hære-
sis in Arabia emersit à Beryllo Bostræ Epi-
scopo suscitata; nempe Christum propria
substantiæ circumscriptione non ante fuis-
se, quàm humanam carnem assisceret,
neque propriam ex se Divinitatem, sed
paternam tantummodo habuisse. Quod ut vi-
cini Episcopi audierunt, opinionis per-
versitate exosi, Philadelphiæ in Arabia con-
venerunt, atque eò quoque Origenem ad-
vocarunt, qui Beryllum reluctantem dis-
putatione habita confutavit, & ad sanita-
B tem redegit. Ejus Concilii acta, Eusebio
teste, prodidit ipse Beryllus. Eodem etiam
tempore floruit Julius Africanus, qui scrip-
sit de temporibus, quem sequutus est Eu-
sebius; & propter ingentem, quæ mana-
verat, de Heracleæ Episcopo famam, Ale-
xandriam adiit, virumque cognovit. Se- CCXLII.
quenti verò, Persis bellum iterum Sapore
Rege moventibus, terræmotus adeò gra-
vis est factus, ut urbes etiam aliquot ter-
ræ hiatu cum populis interciderint; ad quæ
mala expianda sacrificia gentilicio more
per totam urbem, perque omnes terras in-
gentia facta sunt. Sedato inde tremore
proximo anno Gordianus Janum indicem CCXLIII.
C belli aperuit, atque exercitum contra Per-
sas eduxit, atque Antiochiam, atque inde
Ctesiphontem progressus Saporem Regem
multis prœliis fatigavit, ac superatum re-
cedere compulit, atque ita totum Orien-
tem, qui fuerat Romanorum, recupera-
vit. Hos secundatum rerum successus, ne
longiùs progrederentur, Philippus Arabs
Præfectus Prætorio proximo anno perru- CCXLIV
pit, qui pravis artibus milites adversùs
eum, ut parum ad res tantas administran-
das aptum, solicitavit, & se collegam ei
adjungi obtinuit. Quo facto Gordianum
adolescentem, suppliciter vitam orantem,
quòd minoribus ad certandum opibus esset
D instructus, necavit. Ita Imperio injustè
parto, literis ad Senatum missis, quibus
narrabat, Gordianum morbo esse extin-
ctum, se verò à cunctis militibus Impera-
torem appellatum, sequenti anno mense CCXLV.
Martio à Senatu quoque decepto Augu-
stus est confirmatus. Is inde pacem cum
Sapore fecit, Mesopotamiâ, Armeniâque
concessâ, atque inde Romam se recepit,
filio Saturnino, quem Philippi nomine
decoravit, in itinere Cæsaris appellatione
ornato, quod Zonaras prodidit. Sequenti CCXLVI
inde anno contra Carpos (Scythæ hi sunt
trans Danubium siti) Pannoniam assiduis
cum cæteris barbaris incursionibus dive-
E xantes, profectus est, quibus repulsis Ro-
mam postero anno revertit. Tum verò quæ- CCXLVII
cunque causa fuit, Christi Fidem, & Chri-
stiana Sacramenta suscepit. Et certè res
eximium Fabiani Pontificatui decus adjun-
xit; neque enim ante hunc Imperator ul-
lus Christianus, aut in Christianos propen-
sus extiterat. Hujus tam memorabilis ope-
ris auctor antiquissimus est Eusebius, qui
ita scribit: *Fama est Philippum* (& jam
Christianus erat) *cùm precationum in po-
strema vigilia Paschatis unà cum populo fieri
particeps vellet, non priùs ab Episcopo* (is
Fabianus erat) *permissum esse intrare, quàm*

A. Chr. CC. XLVII. *confessionem adhibuisset, & inter peccatores, ac pœnitentiam agentes, se sua sponte collocavisset. Episcopumque dixisse, se eum nulla alia conditione propter multa ab eo perpetrata facinora, in Ecclesiam admissurum esse. Imperatorem autem libenter, atque alacriter Episcopo paruisse, ac pietatem summam Dei timore ardentem re ipsa declarasse.* Philippum quoque primum ex Imperatoribus Christianum fuisse Orosius, Cassiodorus, & Zonaras tradiderunt. Is erat tertius ipsius annus; quo anno, ut scribit idem Eusebius, Heraclas Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatu per annos undecim functus vita cessit, eumque Dionysio successori reliquit. Fide verò, Imperatore Philippo, ut pergit Eusebius, augescente, cùm Doctrina Evangelica liberiùs ubique prædicaretur, Origenes jam annum ætatis sexagesimum prætergressus, ac veluti maturitatem quamdam eruditionis adeptus, disputationes, ac conciones suas publicè in Ecclesia habitas excipi à scribis permisit, octo libros adversus Celsum Epicureum pro Christianis vulgavit: Commentarios in Matthæum, & alios in Prophetas contexuit; & quoniam multis in rebus parum commodè sentire judicabatur, scripsit ad Philippum Imperatorem, & Severam Augustam, & ad Fabianum Pontificem, aliosque multos Episcopos de sua recta de Christo sententia. In Arabia nova quoque hæresis excitata quorundam, qui asserebant, animos hominum cum corporibus interire; ac demum in die Resurrectionis cum eisdem vitam recuperaturos esse. Multorum igitur Episcoporum conventu coacto, res in disquisitionem adducta est, Origenesque rogatus, ut sententiam diceret, tanto ardore, atque impetu orationis contra illam opinionem disseruit, ut auctores, & sectatores ejus ad sanitatem redegerit. Alia quoque hæresis, quæ Helcesaitarum dicta est, ut primùm excitata, sic etiam sopita est, de qua sic Origenes apud Eusebium: *Intervenit quidam hoc præsenti tempore insolenter propterea se offerens, quòd impiam, & maximè sceleratam Helcesaitarum opinionem, quæ nuper contra Ecclesiam excitata est, se posse defendere existimet. Quæ tandem scelera, & quæ nefaria illa opinio profiteatur, vobis exponam, ne ejus inanitate, & quasi levi vento à veritate abripiamini. Nonnulla universæ Scripturæ antiqua testimonia, aliis rursum tum ex toto vetere testamento, tum ex Evangelio deprompta utitur. Paulum autem Apostolum omnino rejicit. Fidem item negare, indifferens quiddam esse asserit. Qui enim interiore cogitatione rectè de Fide sentiat, tametsi ore, cùm necessitas illum eò detruserit, Fidem perneget, eum tamen animo firmè illi adhæsurum, librum etiam circumferunt, quem ajunt è cælo delapsum; & qui illum audiverit, ejusque doctrinæ crediderit, peccatorum remissionem consecuturum, eamque diversam esse remissionem ab illa, qua Christus Jesus*

XLVIII. *remisit peccata.* Sequens annus, Philippo patre Augusto & Philippo filio Cæsare Consulibus, numeratus est ab Urbe condita millesimus; quo anno Philippus sæculares ludos ex Gentilicia antiquitate repetitos maximo apparatu rerum celebravit, ac varias feras in theatrum induxit. Qua de re Capitolinus, & Eusebius in Chronicis scripsit; quin etiam Eutropius idem tradidit his verbis: *Philippis imperantibus millesimus annus Romanæ Urbis ingenti ludorum apparatu, & spectaculorum celebratus est, filiusque junior Philippus patrem ludis sæcularibus petulantiùs cachinnantem vultu averso notavit*; & Orosius his: *Post tertium Philippi annum millesimus à conditione Romæ annus impletus est; ita ludis magnificis, augustissimisque omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est; nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem ad Christum, & Ecclesiam reportaret; quando vel ascensum ab eo Capitolium, immolatasque ex more bestias nullus auctor ostendit.* Ex nummis autem veteribus apparet, hæc

XLIX. in insequentem annum excessisse, nempe in tertium Philippi patris, & secundum Philippi filii jam Augusti appellati Consulatum, quo anno millesimus Parilibus, idest XI. Kal Maji, qui dies fuit Urbis natalis, perfectus est. Hoc eodem anno Cyprianus homo Afer, vir eruditione, & innocentia singulari ad Episcopatum Carthaginiensem evectus est. Quod idcirco commemoravimus, quia vita sequens ejus, quæ ex scriptis elicitur, mirè ad hanc conficiendam historiam pertinet. Cùm nunciatum porrò esset, Papianum & Marinum militares duces à militibus in Mœsia Imperatores declaratos esse, Philippus rem ad Senatum anxius detulit; cæteris autem tacentibus, Decius rem prorsus contemnendam dixit; nam facilè deleri homines infirmis opibus præditos posse. Quare Philippus eum in Mæsiam ire, & seditiosos extinguere jussit. Quod Decius fecit.

L. Itaque sequenti anno, qui fuit ducentesimus quinquagesimus, Papianum & Marinum delevit ille quidem, verùm deferentibus ob metum ejus Augustalia Insignia militibus, ipse induit. Quo nuncio accepto Philippus contra eum exercitum duxit. Cùm autem Veronam pervenisset, ibi à Decianis occisus est; qua re audita Prætoriani Romæ manus in Philippum quoque filium intulerunt. Zonaras autem ambos in Pannonia in acie dimicantes cecidisse scribit. Cùm, teste Glyca, Judæus quidam morbo laborans, atque in via publica jacens Baptismum poposcisset, Christianus vir præteriens, quanquam laicus, eum dedit, ac statim Judæus convaluit. Quem Dionysius Alexandrinus Episcopus ad se adductum iterum tinxit, quòd id laico facere per leges non licuisset. Eodem anno Protasius Episcopus Ecclesiam Mediolanensem administrandam accepit. Atque hæc quidem in Gordiani & Philippi Imperio gesta sunt; quo tempore Ecclesia quo magis à Persecutione quieta fuit, eò vehementiùs per ocium à recta majorum disciplina defecit. Quam rem Cyprianus his verbis memoriæ prodidit: *Traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corrupit. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore amplificandis facultatibus incubabant; non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina: corrupta barba in viris, in fœmi-*

nis

nis forma furata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates. Jungere cum Infidelibus vinculum matrimonii, prostituere Gentilibus membra Christi, non jurare tantùm temerè, sed adhuc etiam pejerare, præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos A *& hortamento esse oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelictâ Cathedrâ Plebe deserta per alienas Provincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere.*

LIBER DECIMUS.

DEcius inde rebus in Pannonia constitutis Romam se retulit, atque in Urbem receptus, Decium filium, & Valentem Hostilianum Cæsares appellavit; ac statim odio capitali, quo erat in Philippum incensus, septimam, quam vocant, Persecutionem contra Ecclesiam iniit, edicto asperrimo divulgato, ut omnes Christiani ubique ad sacrificandum adigerentur. Itaque postero anno & Romæ, & in provinciis quæstiones acerbissimæ exerceri de Christianis sunt cœptæ. Cæterùm cùm multi ubique fortissimè omnes corporis cruciatus in Christi confessione perferrent; nonnulli tamen molli adeò, ac languido animo esse inventi sunt, ut in tantis calamitatibus constantiam non tenuerint, sed Christum ipsum aut verbo abnuerint, aut se ministria ad adolendum, & sacrificandum obsequentes præbuerint. Quos ab errore commisso Lapsos Ecclesia nominavit. Ac Romæ quidem, etsi multi propter infirmitatem manus dederunt, plurimi tamen constantiam conservantes, ne quid tale committerent, abire in carceres maluerunt, ut Moyses, Maximus, Urbanus, Sidonius, & Celerinus Presbyteri, Nicostratus, & Rufinus Diaconi. Quin etiam ipse Pontifex Fabianus, cùm forti animo imperatam immolationem abnueret, XIII. Kal. Februarias capite truncatus, ac postridie ejus diei in cœmeterio Calisti sepultus est, neque per aliquot inde menses successorem accepit.

CCLI.

VACATIO ROMANÆ SEDIS.

IN Africa verò cùm proposito Edicto Demetrianus Præfectus populo Carthagine convocato dixisset: *Aut immolate, aut pœnas dabitis*, multi timore subacti, aut libellos obtulerunt, aut sacrificarunt. Unde Lapsorum duo genera extiterunt, *libellatici*, & *sacrificati*. *Libellatici*, qui ne sacrificarent, pretium obtulerunt; *sacrificati*, vel *thurificati*, qui aut sacrificium Deis fecerunt, aut thura adoleverunt. *Libellatici* verò à libello oblato dicti sunt, cujus hæc formula fuit, ut scribit Cyprianus ad Antonianum: *Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum Idolis, nec simulacbra servum Dei adorare debere, & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi oblata fuisset occasio, ad Magistratum veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aram Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præ*-B *mium, ne quod non licet, faciam.* De Lapsis autem in universum, sic egit in libro, quem de Lapsis conscripsit: *Ad prima statim verba minantis inimici, maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec prostratus est Persecutionis impetu, sed voluntario lapsu ipse se prostravit. Non expectaverunt saltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi, ante aciem multi victi, sinè congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare Idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam nuper optassent. Quid illi, qui à Magistratibus* C *vespera urgente dilati sunt, quod ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt; quam tum potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cùm tum magis ipse fecerit, ut periret. Infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consequuti. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt.* Interim ipse cùm esset Carthaginis Episcopus, primùm est proscriptus, deinde ab incitata populi multitudine ad Leonem postulatus. Quod ut ille audiit, confestim ex urbe secessit, D atque in solitudinem profectus, adversam Persecutionis tempestatem, melioribus se Ecclesiæ reservans temporibus, evitavit; sic enim ipse ad Clerum Romanum vacante Sede scripsit: *Ego sicut Domini mandata instruunt, orta statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* Tum verò Clerus Romanus ad Clerum Carthaginiensem de Lapsis Romæ, Africæque tractandis scripsit his verbis: *Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum à Clementio Subdiacono*; & post: *Ecclesia ista fortis in* E *fide, licèt quidam terrore ipso compulsi, sive quòd essent insignes personæ, sive apprehensi timore hominum reverentur; quos quidem separatos à nobis non dereliquimus, sed ipsos cohortati sumus, & hortamur agere pœnitentiam, si quo modo indulgentiam poterunt recipere ab eo, qui potest præstare; ne si relicti fuerint à nobis, pejores efficiantur. Videtis ergo fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, ut etiam illi, qui ceciderunt, hortatu vestro corrigentes animos eorum, si adprehensi fuerint, iteratò confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere.* Epistola verò scripta videtur, vacante Sede, cùm dicant:

eant: *Et cùm incumbat nobis, qui videmur præpositi esse, & vice Pastoris custodire gregem.* Scripsit etiam Cyprianus epistolam ad Clerum Romanum, respondens se audisse de excessu Fabiani Pontificis: *Cùm de excessu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, accepi à vobis literas ad me missas per Clementium Hypodiaconum, quibus plenissimè de glorioso ejus exitu instruerer; & exultavi satis, quod pro integritate administrationis ejus consummatio quoque honesta processerit. In quo vobis quoque plurimùm gratulor, quòd ejus memoriam tam celebri, & illustri testimonio persequamini, ut per vos innotesceret nobis, quod & vobis esset circa præpositi memoriam gloriosum, & nobis quoque fidei, ac virtutis præberet exemplum; nam quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina præpositi; ita tantum contrà utile est, & salutare, cùm se Episcopus per firmamentum Fidei fratribus præbet imitandum.* Interim autem Cyprianus in secessu locatus aut Clero suo, aut Confessoribus in custodiam traditis, aut præcepta officii dare, aut literas confirmationis plenas, aut alia ærumnatum subsidia mittere non destitit; cùm autem Lapsi pacem à Martyribus, qui in carcere erant, & à Presbyteris quinque, quorum unus erat Novatus, postularent, eamque temerè impetrarent, rescripsit Cyprianus, ne ante exactam pœnitentiam, aut confessionem factam, aut manum ab Episcopo & Clero impositam ad communionem admitterentur, neque nomen eorum in Ecclesia recitaretur, ita tamen ut iis, qui morbo laborarent, & pœnitentes communionem desiderarent, subveniretur; cæterorum verò causæ differentur, quoadusque pax Ecclesiis data esset, quamvis libello accepto à Martyribus; tum verò Lapsorum ratio tractaretur, consilio cum Presbyteris, & Diaconis communicato. Quod cognosci potest ex tredecim ejus epistolis, quarum meminit in quintadecima ad Clerum Romanum missa, his verbis: *Absens corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundùm Domini mei præcepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem; & quid egerim loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ numero tredecim, quas ad vos transmisi, in quibus nec Clero consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio, & persuasio nostra defuit; posteaquam verò & tormenta venerunt, sive jam tortis fratribus nostris, sive adhuc, ut torquerentur, inclusis, ad corroborandos, & consortandos eos noster sermo penetravit.* Item: *Cùm comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres, & Confessores consilio meo, quantum possem, ad Dominica præcepta revocarem.* Item: *Presbyteris, & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor; ut quidam minùs disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum Lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus. Plebi quoque ipsi, quantum potuimus, animum composuimus, & ut Ecclesiastica disciplina servaretur, instruximus. Postmodum verò, cùm quidam de Lapsis, sive sua sponte, sive alique incitatore audaci flagitatione proruerent, ut pacem sibi à Martyribus, & Confessoribus promissam extorquere violenta impetu niterentur; de hoc etiam bis ad Clerum literas feci, & legi eis mandavi, ut ad eorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello à Martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi à Martyribus promissa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temerè constitui; sed cùm videretur & honor Martyribus habendus, & eorum, qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus; & præterea vestra scripta legissem, quæ de hoc ad Clerum nostrum per Clementium Hypodiaconum nuper feceratis, ut iis, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur, standum putavi, & cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. Planè cæterorum causas, quamvis libello à Martyribus accepto, differri mandavi, & in nostram præsentiam reservari, ut cùm pace à Domino nobis data, plures Præpositi convenire in unum cœperimus, communicata etiam vobiscum consilio disponere singula, & reformare possimus. Opto vos, Fratres carissimi, semper bene valere.* Quin etiam idem, ubi admirabilem Clericorum Romanorum in omnibus carceris incommodis perferendis constantiam audiit, continuò literas ad eos laudans simul ac gratulans misit: *Vos,* inquit, *Duces ad nostri temporis prælium facti cœlestis militiæ signa movistis, vos surgentis belli impetus primos inconcussa stabilitate fregistis. Lætor igitur ex vobis, fortissimi fratres, & quantum gratulor Martyribus istic honoratis ob virium gloriam, tantum gratulor pariter & vobis ob Dominicæ etiam disciplinæ coronam.* Ad quas literas Moyses, & socii sic rescripserunt: *Inter varias, Frater, dolores nobis constitutis propter præsentes multorum per totum penè Orbem ruinas, hoc præcipuum nobis solatium supervenit, quòd acceptis literis tuis erecti sumus; unde intelligere jam possumus gratiam Divinæ providentiæ forsitan non ob aliam causam nos tandiu clausos vinculis carceris reservare voluisse, nisi ut instructius, & robustius animati literis tuis, voto promore ad coronam destinatam putemus pervenire.* Interim Kal. Februarii Babylas Antiochiæ Episcopus in carcere vitam destituit; cui Fabius est suffectus, & Alexander Hierosolymitanus Cæsaream ad Præsidem ductus pariter in carcere XV. Kal. Aprilis excessit. Mazabane successore accepto Alexandriæ Origenes vinculis, carcere, catena, & compedibus cruciatus primùm vinci non potuit; deinde obscœnam vim producti Æthiopis timens, thus adolevit; quare ab Ecclesia ejectus in Judæam se contulit; ibi rogatus, ut docendi munus susciperet, cùm Psalmum quadragesimum nonum in manus fortè sumpsisset: *Cur tu exponis justificationes meas, & assumis testamentum*

per

per os suum? complicato libro lacrymans consedit, omnibus simul cum eo plorantibus. Pergæ in Pamphylia Nestor martyrio est affectus IV. Kal. Martias, teste Beda. In Sicilia Quintianus Præses cùm Agatham virginem Panormitanam proposito edicto inter exteros adversari audisset, formæ præstantiâ captus, occasionem virginis potiendæ arripuit, ac per causam religionis apprehendi, & ad se Catanam adduci præcepit, ac corrumpendam Aphrodisiæ fœminæ turpissimæ dedit; quæ rem infandam aggressa, nihil profecit. Quare Quintianus aliâ viâ molitus, virginem ad se adduci in Secretarium jussit, ac variis de religione percontationibus fatigavit; eùmque constantem in confessione Christi videret, primùm alapis cædi, inde in carcerem redigi imperavit; postridie in equuleum abreptam acerrimè torsit, atque adhuc reluctanti mamillam abscidit. Agatha inde in carcerem restituta, ut inediâ necaretur, à nuncio Dei confirmationem accepit; post quartum inde diem super testas acutas volutata subitum terræmotum exeivit, quo pars parietis corruens homines duos oppressit. Inde custodiæ reddita, postquam Deum vehementer oravit, nonis Februarii spiritum edidit. Quintianus inde Panormum ad bona ejus invadenda contendens, in itinere periit, ut Ado & Metaphrastes scripsere, quibus Beda consensit. Dionysium inde Episcopum captum, ac nudo asino impositum abduxerunt; & Metram senem, & verba impia loqui contra Deum abnuentem verberarunt, ac faciem præacutis arundinibus pupugerunt, & in suburbiis lapidibus demum Kal Februarii obruerunt. Quintam autem virginem ad Templum ductam, & Deos venerari recusantem, per urbem corpus ad saxa allidentes raptarunt, & flagris ceciderunt, ac denique in suburbiis VI Idus Februarii crebru saxorum conjectu obtriverunt. Apolloniæ inde virgini, sed maturioris ætatis, manus injecerunt, maxillisque ejus verberatis omnes illi dentes excusserunt, atque rogo in suburbiis extructo, se vivam incensuros, nisi Christum diffiteretur, minati sunt. Tum illa precatione facta repentè de manibus eorum evasit, & in rogum insiliens VI. Idus Februarii martyrium consummavit. Atque hæc quidem Eusebius ex literis Dionysii Episcopi prodidit; quibus Beda dierum auctor assensit. In Africa verò quadraginta viri in unum convenientes se inter se ad mortem fortiter excipiendam hortati sunt; quos Demetrianus Præfectus increpuit. Cujus orationem cùm Terentius unus ex iis altercatione inita refutasset, irâ accensus, Terentium ipsum cum Africano, Maximo, & Pompejo in carcerem, quòd immolationem abnuerent, tradidit. Zenonem autem, Alexandrum, & Theodorum cum reliquis sociis ad Tribunal adductos jussa pariter detrectantes verberari præcepit; deinde adhuc in sententia persistentibus terga aceto & sale conspersa adussit, inde suspensos laceravit, ac simulachra colenda obtulit; quæ illi cùm precatione adhibita insufflassent everterunt; quare ad extremum gladio jugulati sunt. Inde Terentium, Africanum, Maximum, ac Pompejum pariter in proposi-

[A] to permanentes tribulis ferreis in terram sparsis, & cibis detractis inedia conflictavit; inde ungulis laceravit, tum serpentes immisit. Quibus rebus cùm se nihil profecisse videret, tandem IV. Idus Aprilis obtruncavit, ut Metaphrastes & Beda prodidit. In Italia verò Pergentinus, & Laurentinus coram Tiburtio Præfecto Aretii constituto, cùm Christum constantissimè faterentur, tamen propter nobilitatem primùm dimissi, deinde propter admirabiles, quas edebant in nomine Christi, virtutes, iterum capti sunt. Quos Tiburtius increpans, ut Christum coram se nominari audivit, irâ fervidus verberari præcepit; cùm [B] autem verberantium arefacti lacerti essent, à Martyribus restituti sunt. Itaque illi cum omnibus, qui adstabant, ad Christum se contulerunt, quos Cornelius Presbyter Baptismo ad sexaginta infecit. Inde inedia, tum prunis ardentibus pedibus subjectis afflictavit, post signum Jovis adorandum opposuit; quod cùm illi precatione effusa solvissent, ducentos ampliùs ad Baptismum deposcendum allicuerunt; ad extremum capite truncatos Pergentina soror extra Urbis mœnia sepelivit, ut Metaphrastes cum Beda tradidit. Cùm igitur Lapsi in Africa in Ecclesiam recipi postularent, ac Cypriano Episcopo, cæterisque sanioris [C] sententiæ visum esset, eo modo recipiendos esse, quo diximus, extitit Novatus Presbyter, quem supra commemoravimus, qui contrariam tueri sententiam instituit, ac frustra dissentiente & repugnante Episcopo suo Cypriano, multos ad sui assensum traduxit, & præcipuè Presbyteros quinque, Felicem, Jovinum, Maximum, Repositum, & Fortunatum, & cum eis, ac Felicissimo, quem ultro Diaconum fecerat, se ab Ecclesia separavit. Quis autem hic Novatus fuerit, & quomodo se ab Ecclesia segregaverit, docet Cyprianus post scribens ad Cornelium Pontificem: *Novatus*, inquit, *apud nos primum discordiæ, & schismatis incendium seminavit,* [D] *qui quosdam ex fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa Persecutione ad avertendas fratrum mentes alia quædam nostris Persecutio fuit, qui Felicissimum satellitem suum Diaconum, nec permittente me, nec sciente sua factione, ex ambitione constituit. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calceo percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus; & damnare nunc audet sacrificantium manus, cùm sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est? Hanc conscientiam criminum jampridem* [E] *timebat, propter hoc se non de Presbyterio excitari tantùm, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & ut urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi Persecutio ante venisset, quam iste voto quodam evadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens hæc omnia commisit, & miscuit, ut qui ejici de Ecclesia, & excludi debebat, judicium Sacerdotum voluntaria discessione præcederet, quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam.* Felicissimum porrò, & quinque illos Presbyteros, rapaces, adulteros, & novem Episcoporum sententiâ condemnatos alibi nar-

narrat Cyprianus. Quin etiam ad Caldonium, & alios Episcopos scripsit, ut Felicissimum, & alios socios ejus communione depellerent; ita inquiens: *Cùm Felicissimus comminatus sit, non communicaturos in montem secum, qui nobis obtemperassent, idest qui nobis communicarent, accipiat sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se à nobis sciat*. Quod ipsum se fecisse Episcopi responderunt: *Abstinuimus communicatione Felicissimum, & Augendum, item Repostum de extorribus*. Ad plebem verò scripsit, ut diligenter sibi ab eis, tanquam à lupis ovili Dominico insidiantibus, caveret. Hunc in modum turbatâ Africanâ Ecclesiâ Novatus Romam navigavit, atque ibi quoque suam serere hæresim, vacante adhuc Sede, contendit, Lapsis receptum ad Ecclesiam abnuens, atque omnino pœnitentiam tollens; quæ res cùm Ecclesiam perturbaret, conventu advocato decrevit Clerus, ut hujus quæstionis decisio ad cognitionem Concilii post pacatis rebus Ecclesiæ convocandi rejiceretur; interim verò Lapsis, qui in extremo vitæ discrimine versarentur, pax & venia traderetur. Cui sententiæ subscripsere quoque Moyses, & cæteri Confessores, qui in carcere tenebantur, & præcipuè Novatianus Presbyter, de quo post agetur. Cyprianus autem in eadem fuit, atque Romani, sententia, ut res ad Episcoporum judicium integra deferretur; siquidem 10 epistola, quam scripsit ad Antenianum, ita loquitur: *Quid statuendum esset circa causam Lapsorum distuli, ut cùm quies & tranquillitas data esset, & Episcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret, tunc communicato consilio statueremus, quid fieri oporteret; si quis verò ante sententiam de omnium consilio statutam Lapsis temerè communicare voluisset, ipse à communicatione abstineretur; quod etiam Romam ad Clerum adhuc sine Episcopo agentem, & ad Confessores Maximum Presbyterum, & cæteros in custodia constitutos plenissimè scripsi*. Clerus autem Romanus cùm respondens, Cypriani sententiam cum sua de re ad Concilium rejicienda dixisset, adjecit: *Nobis autem differendæ hujus rei necessitas major incumbit, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate, & consilio habere rationem. Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, priùs Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus pariter, ac stantibus laicis facta Lapsorum tractare rationem*. Atque hæc quidem post mortem Fabiani vacante Sede ad Ecclesiam pertinentia gesta sunt.

CORNELIUS PONT. XX.

POst aliquot inde menses Clerus, Populusque Christianus, quod adhuc facere non licuit, liberè ad Comitia Pontificia venit, ac Novatiano, de quo dixi, Presbytero eam dignitatem ambiente, prætereito, Cornelio Presbytero non petenti, atque adeò etiam recusanti III. Idus Julias Pontificatum magna consensione mandavit. *Neque enim*, sicut Cyprianus ad Antonianum scripsit, *Cornelius ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica Officia promotus, & in Divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit; tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut cæteri, quos arrogantiæ tumor inflat, invasit, sed quietus, & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt, & factus est Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, idest cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*. Quod autem Episcopum factum à plurimis collegis suis inquit, ii, ut ipse alio loco scribit, sexdecim finitimarum urbium Episcopi fuerunt, qui tum ex illius ætatis consuetudine ad ordinandum Romanum Episcopum convenerunt. Cujus consuetudinis idem ille meminit epistolâ quartâ ad Clerum, & plebem Hyspaniæ scribens: *Apud nos, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur, præsente plebe, quæ singulorum vitam plenissimè novit; & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*. Creatus ergo ritè Cornelius Pontifex, in primis ipsis Lapsis sibi consulendum putavit, atque adversùs Novati furentem in Urbe factionem constituit: ejusmodi quidem homines ad pœnitentiam agendam posse admitti; verùm ab ordinatione Cleri, ac Sacerdotali honore arceri. Quo facto multos Lapsorum in communionem pœnitentiâ defunctos recepit; ut Cyprianus epistolâ suprascriptâ narravit. Extat quoque epistola Cornelii scripta ad Lupicinum Viennensem Episcopum, quæ ad hoc tempus pertinere videtur: *Scias Frater carissime, aream Dominicam vento Persecutionis acerrimè dimoveri, & edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici; nam in Urbe Roma Imperator ad hoc constitutus est. Unde publicè, neque in Cryptis Missas agere licet. Exhortetur itaque caritas vestra omnes credentes in Christum, ne timeant eos, qui occidunt corpus, sed potiùs, qui habet corpus & animam potestatem perdendi. Jam plures Fratrum martyrio coronati sunt; ora, ut perficiamus cursum nostrum nobis in Domino revelatum. Vale, Frater in Domino, & saluta omnes, qui nos amant in Christo*. Cùm autem superioribus annis Corpora Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli furto è sepulchris suis extracta, ut trans mare transportarentur, extra Urbem ad Catacumbas, quod

ultra

A. Chr. CCLI.

oltra ferri non potuissent, deposita fuerant. Qua re animadversa Cornelius, ea in antiqua sua sepulchra III. Kal. Julias retulit, ut ipse in epistola hoc anno data narravit: *Rogo vobis congratulari, quia rogatu cujusdam devotæ fœminæ, atque nobilissimæ Matronæ Lucinæ, levata sunt Corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis. Et primò quidem B. Pauli Corpus levatum, silentio positum est in prædio prædictæ Matronæ via Ostiensi ad latus, ubi decollatus est; postea verò B. Apostolorum Principis Petri accipimus Corpus, & condecenter posuimus illud juxta locum, ubi crucifixus est inter Corpora Sanctorum Episcoporum in Templo Apollinis in Monte Aureo, in Vaticano Palatii Neroniani tertio Kal. Junias.* Gratianum porrò Episcopum ad Turones misit, per quem civitas illa conversa est, ut Gregorius scribit, & Stremonium ad Arvernos, Tolosam Saturninum. In Piceno inde Anatolia virgo clarum martyrium subiit; hæc cùm ægrotos, lunaticos, & dæmoniacos in nomine Christi curaret, jussu Decii diversis plagarum generibus afflictata, & in equuleo adusta, nihil detrimenti percepit; post in carcerem cum serpente inclusa, ipsum serpentem in Audacem incantatorem immisit, ac mox collo ejus se truculentiùs implicantem avertit. Quare Audax Fidem Christi suscepit; uterque autem cùm constanter cultum Deorum respueret, martyrio affectus est; Audax quidem capite truncatus, Anatolia verò ense transfossa VII Idus Julias; utriusque corpus à Christianis sepulturæ mandatum est, Metaphraste ac Beda Auctoribus. Nec minus illustre alterius Anatoliæ supplicium Romæ fuit, studio tuendæ virginitatis exceptum. Victoria virgo Eugenio viro Gentili desponsa Anatoliam nuptias T. Aurelii respuentem hortari cœpit, ut nuberet, ac dixit: *Audi me Anatolia, & ego Christiana sum; & scio Deum nuptias non damnare, & Prophetas, ac Patriarchas conjuges habuisse, & posteritatem eorum à Deo benedictam fuisse.* Cui Anatolia dixit: *Quando terra vacua erat, dixit Deus hominibus: CRESCITE, ET MULTIPLICATE, ET TERRAM EXPLETE; postquam autem filius Dei de cœlo descendit, quotidie clamavit: CRESCITE IN FIDE, MULTIPLICATE IN CARITATE, ET REPLETE COELOS, QUIA ADVENTAT REGNUM EORUM*; atque inde multa alia de laudibus virginitatis adjecit. quibus incitata Victoria, & ipsa sua pauperibus ornamenta distribuit; pro certo docens, nullum majus ornamentum esse virginitate. His de rebus instantibus sponsis, ambæ Urbe exactæ, ad prædia sponsorum deductæ sunt, ubi inediâ conflictatæ, haud quaquam tamen, aut ad nubendum, aut ad sacrificandum adigi potuerunt; ob id Anatolia jussu Juliani Pontificis Capitolii gladio in corde transfixa est X. Kalen. Januarias, ita tamen ut Taliarchus percussor morbo lepræ contracto intra sex dies mi. serè consumptus obierit, ut præter cæteros Ado narravit. Jam Moyses, & cæteri Romani Confessores per annum in carcere erant, cùm Cyprianus literas ad eos has misit: *Beatum facit prima & una confessio; vos toties confitemini, quoties rogati, ut de carcere recedatis, carcerem Fide, & virtute prælegitis; tot vestræ laudes, quot dies. Ecce dignitas cœlestis in vobis honoris annus claritate signata est, & jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est.* Interim Alexandriæ Gentiles Serapionem domo extractum diris tormentis affecerunt, & omnibus membrorum confractis articulis ex edito loco XVIII. Kal. Novembris præcipitarunt. Nulla pars Urbis erat, in qua tutò liceret incedere; nam vulgò clamabatur: *Si quis Christianorum verba impie dicere detrectaverit, rapiatur, & in ignem conjiciatur.* Eusebius ex Dionysii literis hæc omnia Alexandriæ acta per annum, antequam edictum publicaretur, narravit; postquam autem edictum vulgatum est, tum, inquit, *omnes novo metu oppressi sunt. At qui divitiis quidem, & dignitate præstabant, timore perterriti ultro se Deos culturos esse professi sunt.* Alii à Magistratibus ad templa deducti paruerunt; quidam vicinorum hortatu impura sacra fecerunt; alii pallescentes, & exanimati se ad moriendum, & sacrificandum paratos ostendentes risum moverunt; alii ad Altaria procurrentes, se nunquam Christianos fuisse jurarunt; alii fugæ se tradiderunt, quidam etiam comprehensi, & in carcerem traditi, ibi per multos dies detenti sunt, & antequam ad Tribunal accederent, Christum ejurarunt; nonnulli cùm diu tormenta sustinuissent, ad extremum dolore victi succubuerunt. Reliqui constantiam tuentes, martyres evaserunt. Quorum primus Julianus, cùm podagrâ afflictatus neque stare, neque incedere posset, delatus ad Tribunal, unà cum Cronione Dominum est confessus; propterea ambo camelis impositi, ac per Urbem ducti, & virgis cæsi, tandem incendio consummantur IV. Kal. Martii anno sequenti. CCLII.

Cùm autem ducerentur, Besas miles eis resistere ausus, qui illis probra ingerebant, ad Judicem statim abripitur, & securi percutitur. VIII inde Idus Octobris Reparata virgo Cæsareæ Palæstinæ, cùm sacrificare abnueret, plumbo fervente perfusa, mamillas abscissa, lampadibus adusta, in caminum ignis immissa, cùm nihil detrimenti passa esset, & adhuc constantiam retineret, ad extremum collo desecto, columbam albam emisit. Corpus à Christianis raptum, & aromatibus conditum sepulchro commissum est. Interim Decius Imperator adversùs Scytas Tanaim trajicere molientes profectus est; VI. Kal. Novembris in castris erat, teste Vopisco sic in Valeriano scribente: *Duobus Deciis Consulibus VI. Kal. Novembris, cùm ob Imperatorias literas in æde castrorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet Censura deferri, nam id Decii posuerant in Senatus potestate, Valeriano delata est, qui in procinctu suo cum Decio tunc agebat.* Alexandriæ Macarius cùm adduci ad negandam Fidem non potuisset, vivus crematus est VI. Idus Octobris. Epimachus & Alexander, non longo post tempore, quàm vincti tenebantur, multis modis afflicti, novaculis laniati, & flagris lacerati, ad extremum igne absumti sunt; Ammonariam verò virginem, Mercuriam, Dionysiam, & alteram Ammonariam cùm in Fide persistentes vereretur Præses ne tormenta superarent, statim obtruncari præcepit, pridie

Idus

Idus Decembris. Heron inde, Arsenius, Isidorus, & Dioscorus puer, cùm variis tormentis affecti sententiâ non decederent, igne consumpti sunt. Dioscorus tamen multifariam flagellis cæsus ad consolationem fidelium habita ætatis ratione dimissus est XIX. Kal Januarii. Romæ Moyses unus è Confessoribus XV. Kal Januarii mortuus est. Reliqui sub Galli adventum è vinculis evasisse videntur XIV. Kal. Januarias. Nemesius falso crimine, quòd cum latronibus coisset, insimulatus, facilè ut innocens absolutus est; post autem ut Christianus delatus, vinculis astrictus ad Judicem vênit, & tormentis duplo gravioribus, quàm si latro fuisset, affectus, in medio latronum exemplo Christi exustus est. Alexandriæ item Ammon, Zenon, Ptholæmeus, Ingenuus, Theophilus tribunali astantes, cùm quemdam Christianum in suppliciis positum trepidantem, & ad negandum jam inclinantem vidissent, vultu, oculis, & nutibus excitare conati sunt; cùmque hac de causa clamor vulgi in eos concitatus fuisset, procumpentes in medium, se Christianos esse confessi sunt. Ita confirmatis Christianis, illi è furo læti propter testimonium, quod Christo perhibuissent, mortem obierunt. XII. Kal Januarii. Ischirion autem cùm ad sacrificandum partim blanditiis, partim contumeliis adigeretur, atque omnia sperneret, per media viscera sude trajectus periit XI. Kalen. Januarii. Quin etiam alii plurimi in desertis Ægypti errantes, fame, siti, frigore, languore, à latronibus, ferisque consumpti sunt, inter quos venerandus senex Chæremon urbis Nicopolis Episcopus, cùm ad Arabicum montem unà cum exactæ ætatis uxore discessisset, nunquam inpostерum visus est. Hæc Ægyptia martyria ex literis Dionysii Episcopi Alexandrini apud Eusebium sumpsimus; dies verò martyriorum ex Beda. Interim dum hæc fiunt, Decius Imperator, cujus mandato peragebantur, cùm in acie contra barbaros staret, Galli Præfecti sui fraude occisus est. Gallus verò accepto militum favore, Imperio Volusianum filium Augustum nominavit, & pace hostibus data in exitu anni Romam reversus, & præter spem omnium Persecutionem remisit. Quare Romæ, & in Africa Confessores, qui in carcere tenebantur, dimissi tandem retenta constantiæ laude evaserunt. Quin etiam Cyprianus è secessu post biennium ad Ecclesiam rediit, ac libro, quem de Lapsis inscripsit, novam hanc gratulationem Ecclesiæ celebravit, inquiens: *Pax ecce Ecclesiæ reddita est, & quod nuper incredulis impossibile videbatur, ope, atque ultione divina securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ, & nube, ac caligine discussa, tranquillitas ac serenitas refulserunt. Danda laus Deo, & beneficia ejus, ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias nostra vox nec in Persecutione cessaverit. Exoptatus votis omnium dies venit. Confessores præconio boni nominis claros lætis conspectibus intuemur. Parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis repugnastis fortiter sæculo, spectaculum gloriosum præbuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. Religiosa vox Chri-*

A *stum loquuta est, in quem se semel credidisse confessa est. Illustres manus, quæ non nisi divinis operibus assueverant, sacrificiis sacrilegis restiterunt. Sanctificata ora cælestibus cibis post Corpus, & Sanguinem Domini profana contagia, & Idolorum reliquias respuerunt. Cum triumphantibus viris & fœminæ veniunt, quæ cum sæculo dimicantes sexum quoque vicerunt; veniunt & virgines, & pueri annos suos continentiæ virtutibus transeuntes, nec non & cætera stantium multitudo vestram gloriam sequitur; non præscripta exsilia, non destinata tormenta, non rei familiares damna, non corporis supplicia terruerunt. Primus est victoriæ titulus, Gentilium*
B *manibus apprehensum Dominum confiteri; secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari, illa publica, hæc privata confessio est.* Narrat inde quàm multis, & quàm gravibus malis affecti sint Lapsi illi, qui cum Confessoribus temerè sinè exomologesi pace recepta ad Ecclesiam se retulerint: *Ecce*, inquit, *eorum, qui negaverunt, quæ supplicia conspicimus? Unus ex iis, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit. Alia in balneis constituta, illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, quæ fuerat vel pasta impiè, vel locuta. Parentes fortè*
C *fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud Idolum, quò populus confluebat, quòd carnem nondum posset edere per ætatem, panem mero mistum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater, sed facinus puella commissum tam loqui, & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere; ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret; sed enim puella mixta cum Sanctis precis nostræ & orationis impatiens nunc ploratu concuti, nunc mentis*
D *æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat, indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi verò solemnibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advênit, faciem suam parvula instinctu Divinæ Majestatis avertere, & labiis obturantibus premere, Calicem recusare; perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore, atque ore violato permanere Eucharistia non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Hoc circa infantem, quæ*
E *ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At verò ea, quæ ætate provecta sacrificanti Episcopo latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces, & pectus sanguinem admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram jam non Persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Et cùm quidam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato partem*

cum

A. Chr. CCLII.

cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem se ferre apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum incedere, cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutatur. Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes immundis spiritibus adimplentur? quamusque ad insaniam mentes excordes dementiæ furore quatiuntur? Nec sibi quominus agant, pœnitentiam blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Cæterùm rtanquillatâ ubique Ecclesiâ novus ex schismate tumultus exortus est. Novatus enim, ut scribit D Pacianus, Gallo ad Imperium evocato, Romæ majora jam animo cum suis moliens, Novatianum Presbyterum Episcopatu Cornelii aoxium nactus, cum aliquot ex sua parte fautoribus nutantem impulit, & ut Episcopatum, unde dejectus fuerat, speraret, induxit; atque inventis aliquot ex eorum numero, qui tempestatem Persecutionis evaserant, apud quos acrem de Lapsis io communionem receptis Coroelio conflaret invidiam, eorum ad Novatianum epistolas dedit. Novatianus autem Corneliom cum Lapsis communionem inisse arguens, se verò innocentem vindicans ad Pontificatum adversùs eum obtinendum, cujus oondum cupiditatem abjecerat, animum appulit, atque ex auctoritate earum epistolarum Romani sibi Episcopi nomen assumpsit; unde idem alio loco repetiit: *Novatianum Cornelio invidentem Novato Commodatum sinè consecratione legitima Episcopum factum per epistolas eorum, qui se Confessores simularunt.* Inde, ut Cornelius apud Eusebium scripsit, ut consecrationem haberet, duos sibi socios de propria salute prope desperanres ascivit, atque eis in exiguum Italiæ angulum missis, inde Episcopos tres abduci, hominas rerum rudes, ac simplices jussit, persuadens iis, eos debere Romam properè proficisci, ut instituta discordia, ipsorum, aliorumque collegarum sententiâ tolleretur; eosque, ubi venerunt, per homines familiares ad eam rem comparatos in unum locum conclusit, ac circa horam decimam ebrios vi coëgit vana quadam in speciem manuum impositione sibi Episcopatum asserere. Quem statim multi specie veritatis decepti ex Clero, populoque sequuti sunt, ut Maximus, Urbanus, Nicostratus, Sidonius, & Macarins, qui paulò ante è carcere Confessores evaserant; nam celeriùs in Africam abierant. Cùm autem ille oblationes fecisset, & singulis suorum partem Sacramenti distribuisset, eos pro benedictione jusjurandum dare coëgit; quippe ambabus manibus manus eorom prehendens non priùs dimisit, quàm hoc jurejurando aos obstrinxit: *Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam me deserturum, neque ad Cornelium reversurum*; qui verò accipiebat, pro *Amen*, quod dicere debebat, dicebat: *Posthæc ad Cornelium non revertar.* Cornelius autem ex tribus, qui illum consecrarant, Episcopis, unum nomine Throphimum peccatum suum flebiliter deploran-

A. Chr. CCLII.

tem populo pro eo rogante, tandem ut Laicum in communionem recepit, duobus verò aliis successores substituit; quam rem sic Cyprianus ad Antonianum defendit: *Sicut Antecessores nostri sæpè fecerunt colligendis fratribus nostris, Cornelius necessitate succubuit, & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte ad Ecclesiam Trophimo, & satis faciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstruxerat, cum plena humilitate, & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesia non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus, sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicaret, non quasi locum Sacerdotis occuparet.* Mazabanos, teste Epiphanio, Episcopus Hierosolymorum factus. Postero inde anno Nova- CCLIII.
tianus Episcopatum male partum, pejore quoque ratione, atque inaudita ad eam usque memoriam temeritate gerere instituit; siquidem, ut Cyprianus scripsit, profanum altare erexit, & adulteram cathedram collocavit, & sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia obtulit, & post conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam Ecclesiam facere studuit, & per plurimas Civitates novos suos Apostolos misit, ut quædam recentia institutionis suæ fundamenta statueret; cùmque jampridem per omnes provincias, & per urbes singulas ordinati essent Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios Pseudo-Episcopos ausus est; in ea verò temeritate usque adeò perseveravit, ut nullis precibus, aut moniris redigi ad saoitatem potuerit; siquidem, ut Cornelius apud Eusebium scripsit, cùm in Ecclesia essent Presbyteri quadraginta sex, Diaconi septem, totidem Subdiaconi, Acolythi quadraginta duo, Exorcistæ & Lectores unà cum Ostiariis quinquaginta duo, viduæ, & alii morbo, atque egestate affecti mille quingenti, nemo tamen ex iis, atque ex ingenti populi multitudioe, ipsum pravo consilio depellere, & revocare ad auctoritatem Ecclesiæ potuit. Hæc sunt hæresis ejus, quæ Novatianorum est dicta, primordia, qui prorsus pœnitentiam sustulerunt, nec salvati posse, qui se post Baptismum scelere maculasset, putarunt; unde ipsi se Catharos, idest mundos, vocarunt, ac Catholicos novo Baptismate infecerunt, atque Ecclesiam peccantes in communionem recipiendo peccare senserunt. Huc itemptimum est dissidium, sive schisma in Ecclesiam Romanam ab insana quadam animi impotentia, & pravitate illatum; quod tam latè radices egit, ut hæc secta occultè post Episcopos in Urbe Roma usque ad Cœlestinum Pontificem, teste Socrate, idest per centum septuaginta annos habuerit. His rebus actis Cornelius, & Novatianus Cyprianum ad probandam suam uterque homini sanctissimo causam, certiorem de sua provectione fecerunt, resque, quæ in Ecclesia oovo exemplo divisa evenerant, missis nunciis docuerunt; quibus Cypria-

nus ita rescripsit, ut Novatiani causâ improbatâ fœdam perversitatem schismatis demonstrarit. Extant ejusdem literæ libro secundo insertæ; ex quibus sententias aliquot huc libet conferre, quæ historiam hanc possint, præsertim incognitam, illustrare: *Miseramus*, inquit, *collegas nostras, ut ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, & Christianæ caritatis vinculum copularent; sed quoniam diversæ partis obstinata pertinacia non tantum matris sinum, & complexum recusavit, sed etiam gliscente in primis discordia Episcopum sibi constituit, & contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, & catholicæ unitatis adulterum, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit, acceptis literis tam tuis, quàm collegarum nostrorum literas nostras ad te direximus*. Item in alia: *Venerunt ad nos Maximus Presbyter, & Augendus Diaconus, ex quorum sermone, & literis, quas ferebant, cùm Novatianum Episcopum factum comperissemus, illicitæ, & contra Ecclesiam Catholicam factæ ordinationis pravitate commoti à communicatione eos nostra statim cohibendos esse censuimus*; & paulò post: *Ac ne furens eorum audacia unquam desisteret, hic quoque in schismatis partes Christi membra distrahere & Catholicæ Ecclesiæ corpus unum scindere, ac laniare nituntur, ut ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam civitates discurrentes obstinationis suæ, & erroris scissi sibi quærant comites. Quibus semel responsum dedimus, nec mandare desistimus, ut perniciosa dissensione, & concertatione deposita, impietatem esse sciant, matrem deserere, & agnoscant, atque intelligant Episcopo semel facto, & collegarum, ac plebis testimonio, & judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse*. Scripsit etiam ad Confessores Romæ, qui se ab Ecclesia segregaverant, hortans, ut resipiscerent: *Contristavit me*, inquit, *cùm vos illic comperissem contra Ecclesiasticam dispositionem, contra Evangelicam legem, contra Institutionis Catholicæ unitatem, alium Episcopum fieri consensisse. Quod quæso ut in vobis saltem illicitum istud fraternitatis nostræ discidium non perseveret, sed ut confessionis vestræ, & divinæ traditionis memores, ad Matrem revertimini, unde prodistis*. Extat etiam apud Eusebium Dionysii Episcopi Alexandrini epistola in eandem sententiam ad Novatianum scripta, in qua hæc verba sunt: *Si invitus, ut dicis, huc inductus es, illud planè ostendes; si sponte ab eo recedas; oportuerat enim omnia incommoda potius subiisse, quàm Ecclesiæ Dei concordiam diremisse*. Interim Cornelius, & Cyprianus ad discordiam tollendam, atque hæresim extirpandam Concilium Episcoporum Romæ, & Carthagine habuerunt; ac de Carthaginiensi quidem sic Cyprianus in epistola ad Antonianum: *Secundùm quod antea fuerat destinatum, Persecutione sopita, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integras & incolumes Fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum salubri moderatione libravimus; ut nec in totum spes communicationis Lapsis clauderetur, nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum. At si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coëpiscopis facto Concilio in eandem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit*. Et alio loco in epistola ad Fortonatum inquit: *In Concilio placuisse pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo subveniri, & pacem dari*. Cæterùm examinatis omnium causis, placuit, ut Libellatici, qui minore delicto se obstrinxissent, admitterentur; Sacrificati verò diu pœnitentiam agerent, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictum mortis acciperent, ut in libro de Lapsis exposuit. Romæ autem convenere Episcopi sexaginta, totidemque Presbyteri, unà cum Diaconis, ut Eusebius & Aymo scripserunt. Cornelius verò in epistola ad Fabium Antiochenum conscripta, nomina Episcoporum, & qui præsto fuerunt, & qui decreta sua in provinciis facta miserunt, persecutus, ex eorum sententia decretum esse scripsit, Novatianum, ejusque fautores, quique ejus inhumanissimæ sententiæ assentirentur, in eorum numero habendos esse, qui ab Ecclesia ejecti essent; fratres autem, qui casu miserè lapsi essent, pœnitentiæ medicamentis esse curandos. Quod Concilium intellexit Cyprianus, cùm ad Hispanos scripsit: *Jampridem Cornelius collega noster decrevit Episcopos lapsos ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione tamen Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi*. Hujus Concilii judicio fractus demum Novatus, recedentibus ab eo multis, Novatiano in Urbe relicto, Româ discessit, atque Evaristo & Nicostrato, aliisque secum ductis, in Africam se recepit. Maximinus verò, Urbanus, Sidonius, Macarius, & cæteri, qui Cornelium deseruerant, pœnitentia tacti, se ad eum redire velle significarunt. Quare audita Cornelius statim Presbyterium contraxit, ac quinque Episcopos advocavit, ut ex eorum consilio statueret, quid circa eorum personam observari deberet. Processere igitur Confessores, ac summis precibus Cornelium oravere, ut quæ anteacta fuerant, perpetua obruere oblivione vellet; quo facto Cornelius populum accivit, ut ipsos, quos errantes conspexerat, videret in Ecclesia constitutos; tum unà omnes gratias agere, ac gaudium lacrymis manantibus indicare cœperunt, complectentes eos, quasi eo primùm die pœna essent carceris relaxati. Quo facto silentibus cæteris illi ita dixerunt: *Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum a Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus; nos errorem nostrum confitemur; nos imposturam passi sumus, circumventi sumus imposturâ, & loquacitate captiosa; nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico, & hæretico homine habuisse, syncera tamen mens nostra in Ecclesia fuit; nec enim ignoramus, Deum unum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere*. Qua eorum professione permotus Cornelius Maximo lo-

cum

A cum suum restituit, ac cæteros cum maxima populi approbatione in communionem recepit. Qua re ex ipsorum literis cognita, Cyprianus sic ad eos rescripsit: *Lectis vestris literis, fratres carissimi, quas ad me de vestra regressione, & de Ecclesiastica pace fecistis, in tantum me lætatum esse confiteor, in quantum fueram & ante lætatus, quando confessionis vestræ gloriam comperi, & militiæ vestræ cælestem, ac spiritualem laudem gratulabundus excepi. Dolebam enim, quòd eis communicare non possem, quos simul diligere cœpissem, postquam vos de carcere prodeuntes schismaticus, & hæreticus error excepit; sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset;* B *illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quam prius cum Ecclesiæ laude, ac gratulatione venissent.* A Cornelio verò de Novato, & factione ejus in Africam profecta edoctus respondit, non fuisse, cur sibi de Novato nunciaret, cùm magis per se ei Novatus deberet ostendi: *Quo à vobis*, inquit, *discedente, ex parte illic quies facta est, & gloriosi, ac boni Confessores, qui de Ecclesia illo incitante, discesserant, posteaquam ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt.* Eodem anno Perpennam Hostilianum Imperatorem à Senatu C modò creatum pestilentia perculit, quæ hoc tempore per omnes terras fœdissimè sævüt. Qua re permotus Cyprianus, librum, qui extat, de immortalitate composuit; in quo homines terrore pestilentiæ consternatos minore cum metu omne martyrium posthac subituros, immo alacriore animo omnes cruciatus appetituros ostendit. Sub eos dies Alexandriæ res memorabilis incidit. Serapion senex quidem summæ integritatis, sed unus è Lapsis sæpe in Ecclesiam recipi postulaverat, sed nemo, quia Idolis cultum adhibuerat, aures ei præbuerat. Cùm autem gravi morbo oppressus per triduum mutus fuisset, D quarto die sensu, voceque recepta, nepotem ad accersendum Presbyterum misit, atque iterum vocem amisit; Presbyter morbo impeditus cùm ipse accedere non posset, quoniam mandatum ab Episcopo Dionysio habebat, ut Lapsis Eucharistiam petentibus in exitu vitæ tribueret, puero exiguam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, ut madefactam in os senis infunderet. Cui redeunti Serapion recuperata voce dixit: *Fili da mihi, quod mandatum à Presbytero habes, & me abire dimitte.* Ille particulam in os infudit. Senex ubi eam per fauces demisit, subitò expiravit, ut Dionysius ipse Episcopus apud Eusebium E tradidit. Cùm etiam Demetrianus Africæ Proconsul diceret, imputari debere Christianis bella, famem, & pestilentiam, quibus tum Orbis terrarum afflictabatur, quòd ii Deos non colerent, respondit ei Cyprianus illo libro, qui ad Demetrianum inscribitur, ea mala potiùs evenire ostendens, quòd Gentiles Deum non colerent, & Christianos injustis Persecutionibus agitarent, atque eis inusitata tormentorum genera objicit, quibus illi Christianos urgerent. Per eosdem dies Concilium Antiochiæ adversùs Novatianum actum est, cui Episcopi interfuerunt, Dionysius Ale-

A xandriæ, Helenus Tarsi, Firmilianus Cappadociæ, Theotecnus Palæstinæ, & Fabius Antiochiæ, in quo Dionysius egregiam operam præstitit, literis ad Novatianum, & Cornelium datis; auctor est Eusebius. Gallus autem Imperator novam Persecutionem in Episcopos est molitus; de qua Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium in hunc modum scripsit: *Gallus cùm Regnum ejus floreret initio, & cuncta ei ex sententia cederent, ad exemplum Decii sanctos viros, qui pro parte Regni ejus Deo supplicabant, persecutus est.* In vita verò Beatæ Eugeniæ martyris aliquanto explicatiùs omnia enarrantur hoc pacto: B *Cùm Fides operâ Cornelii Pontificis mirabiliter cresceret, gravis adversùs Christianos seditio accensa est. Cui Cornelius ipse, & qui cum eo erant, occasionem aperuerunt, omni conatu nomen Christianum propagantes, & vicinas regiones à Deorum cultu revocantes. Quare edictum Imperatores Gallus & Volusianus* (sic enim legendum, non ut vulgò legitur, Gallienus & Valerianus) *promulgarunt, ut præstantissimus quisque legis Christianæ doctor comprehenderetur, ac morte afficeretur. Interimebantur ergo alii alio modo: Cornelius autem à Principibus Civitatis protectus latebat, & se ipsum ad multorum salutem conservabat; cùm autem eum ad sa*C*crificandum Imperator citasset, tunc tantus Cleri, ac populi ad confitendum nomen Christi numerus consurrexit, ac prodiit, ut Gallus ea re perturbatus sit, ac Cornelium crebras minas suas, atque intentata tormenta omnia contemnentem Centumcellas relegasse satis habuerit.* Hanc verò Cyprianus Persecutionem prospiciens, Concilio Idibus Majis habito, Lapsis omnibus ad eorum in proximo certamine fortitudinem accendendam, pacem sinè ullo discrimine dandam putavit, atque ita ad Cornelium scripsit: *Statueramus communicato inter nos consilio, ut qui in Persecutione Sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam,* D *&, si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; sed enim cùm videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, & crebris, atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati, & parati simus, necessitate cogente, censuimus eis, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à prima lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium, quod imminet, armare, & instrui oportere;* & post: *Placuit nobis Sancto Spiritu suggerente, & Domino per visiones multas, & manifestas admonente, quia hostis nobis immi*E*nere prænunciatur, & ostenditur, colligere intra castra militem Christi, pacem Lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere, quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placiturum.* In eodem Concilio cùm vetus hæreticus Privatus se causam agere velle diceret, admissus non est. Quare Fortunatum Carthagine Episcopum fecit; atque altare contra altare constituit. Quam rem Cyprianus sic Cornelio Episcopo scripsit: *Privatus vetus hæreticus in Lambesitana Colonia ante multos ferme annos ob multa, & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatus, antecessorum*

etiam

etiam nostrorum Fabiani & Donati literis severissimè notatus, cùm causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus Idibus Majis, quæ proximæ fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi Pseudepiscopum dignum collegio suo fecit. Venerunt etiam cum illo Felix quidam, quem ipse extra Ecclesiam in hæresi Pseudo-episcopum olim constituerat; sed & Jovinus, & Maximus comites cum Privato hæretico affuerunt, ob nefanda sacrificia, & crimina in se probata, sententia novem Episcoporum collegarum nostrorum condemnati, & iteratò quoque à pluribus nobis in Concilio anno priore abstenti. Cum his autem quatuor junctus est & Repostus Saturnicensis, qui non tan- B *tùm in Persecutione ipse cecidit, sed & maximam partem plebis suæ sacrilega persuasione dejecit. Hi quinque cum paucis vel sacrificatis, vel malè sibi consciis, Fortunatum sibi Pseudepiscopum cooptarunt, ut criminibus in unum convenientibus talis esset scilicet Rector, quales illi qui reguntur. Hinc jam & cætera mendacia, Frater carissime, potes noscere, quæ illic homines desperati, & perditi ventilaverunt, & cùm de sacrificatis, vel de hæreticis ampliùs, quàm quinque Pseudepiscopi non fuerint, qui Carthaginem venerint, & Fortunatum sibi dementiæ suæ socium constituerint; illi tamen quasi filii diaboli, & mendacio pleni, ausi sunt, ut scribis,* C *jactitare, vigintiquinque Episcopos affuisse; quod mendacium & istic prius apud fratres nostros jactitabant, dicentes vigintiquinque Episcopos de Numidia esse venturos, qui sibi Episcopum facerent, quo in mendacio suo postquam quinque solis convenientibus naufragis, & à nobis abstentis, deprehensi sunt, atque confusi, Romam cum mendaciorum suorum merces navigaverunt, quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret.* De Persecutione verò Cornelii agens uno in loco inquit, sæcularem potestatem adversùs Clerum, Corneliumque repentè prorupisse, altero verò, idest epistola ad Antonianum* D *clariùs, & uberiùs omnia scribens ait: *Sedit Cornelius intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus Sacerdotibus Dei, fanda, atque infanda comminaretur, cùm multo patientiùs audiret levari adversùs se æmulum Principem, quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem; nonne hic inter gloriosos Confessores, & Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit, expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores, qui ipsum adversùs edicta feralia resistentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum* E *viscera ejus, & membra laniarent? & tyrannum armis, & bellum postmodum victum prior Sacerdotio suo vicit.* Tyrannum autem fuisse Gallum, non Decium, cum alia multa, tum Paciani testimonium probat, qui Novatianum post Decii Principatum docere cœpisse notavit. Hanc autem in Cornelio, & Clero, populoque ad martyrium pro Christo obeundum constantiam, ut Cyprianus accepit, ingenti lætitia elatus hanc illis virtutis gloriam his verbis gratulatus est: *Exprimi satis non potest, quanta hic exultatio fuerit, cùm de vobis* A *prospera, & fortia comperissemus, ducem te illic confessionis fratribus extitisse; sed & confessionem ducis de fratrum confessione crevisse, & dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri. Virtus illic Episcopi præcedentis publicè comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est. Qualis fuit illud sub oculis Dei spectaculum ad pugnam, quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota simul castra prodisse? omnes enim constat venturos fuisse, si audire potuissent, quando accurrerit properanter, & venerit, quisquis audierit; quot illic Lapsi* B *gloriosa confessione sunt restituti? steterunt fortes, & ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores. Quid ad hæc Novatianus, utrum jam deponat errorem? agnoscit ut jam quis sit Sacerdos Dei; quæ sit Ecclesia, & Domus Christi, qui sint Dei servi, quos Diabolus infestet? Hortamur plenè, quantum possumus, carissime frater, pro caritate mutua (quoniam Providentia Dei monentis instruimur, & Divinæ Misericordiæ consiliis salutaribus admonemur appropinquare jam certaminis, & agonis nostri diem) jejuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus.* Has autem literas ubi ad eum missas Gallus audivit, ad Rempubli-* C *cam pertinere eas arbitratus, Cornelium ad se Centumcellis adduci jussit, atque ita dixit: *Sic animo statuisti, neque Deos curare, nec præcepta Principum, nec minas nostras timere, ut contra Rempublicam literas & accipias, & mittas?* Cui Cornelius: *Ego de corona Domini mei literas accepi, non contra Rempublicam, sed magis spirituale consilium ad animas redimendas.* Tum ille irâ vehementiùs percitus, os Cornelii plumbatis jussit cædi, & ad ædem Martis adorandi causâ adduci, mandato edito, ut si imperium detrectasset, capitis pœnas persolveret. Qua re cognita, diem ille sacri instare agonis cernens, bona Ecclesiæ omnia* D *Stephano Archidiacono commendavit. Cùm autem duceretur, rogatus à Cereali uno è militibus, ut uxorem suam Sallustiam viseret, quæ annos quinque paralytica in lecto cubabat, morem gessit, ac domum ingressus manum ejus apprehendit, & dixit: *In nomine Jesu Christi erige te, & pedibus insiste*, atque illa protinus erexit se, dicens: *Verè Christus Dei Filius est, Corneli, per Christum te oro, ablue me.* Qua re perspecta cæteri quoque milites ad pedes prostrati petiere Baptismum, atque eos ille tinxit, & pro eis laudis sacrificium obtulit, & Corpus & Sanguinem Christi communicavit. Quod ut Gallus audivit,* E *misit, qui omnes comprehenderent, & sacrificare abnuentes interimerent. Ducti autem extra Portam Appiam in Templum expuerunt, atque omnes unà cum Cornelio detruncati sunt XVIII. Kal. Octobris. Quorum corpora Lucina cum Clericis nocte veniens rapuit, & in agro suo in crypta prope cœmeterium Calisti sepulchro commisit, ut Ado scripsit. In Martyrum autem jam tum numerum ipsum esse relatum, docet Cyprianus ad Lucium successorem ejus scribens, cùm inquit: *Si Ecclesia apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima Ordinatione successit, & quem*

pro-

A. Chr. CCLIII.

A *præter Sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit. Novatianus in Ecclesia non est*. Tum Eugenia, & Basilla virgines se invicem ad martyrium subeundum hortatæ, haud ita multo post claro martyrio coronatæ sunt. Pompejus enim à Basilla sponsa propter studium virginitatis repudiatus, Senatum, & Imperatorem adiit, & contra Christianos multa disseruit, qui leges matrimonii solverent. Quare decrevit Imperator, ut Basilla aut nuberet, aut interiret; & Eugenia aut sacrificaret, aut mortem lueret; eandemque pœnam in omnes, qui Christianos latentes tenerent, constituit. Ita Basillæ caput amputatum; Eugenia cùm sacrificare jussa simulachrum demolita, precatione adhibita, esset, lapide B scapulis appensa in Tyberim projecta supernatavit, inde in fornacem ardentem conjecta inter flammas incolumis stetit. Quare ad extremum in carcere gladio interfecta martyrium, Præfecto Nicetio, consummavit. Basilla X. Kal. Januarias, Eugenia VIII., illa viâ Salariâ, hæc in cœmeterio Aproniani sepulta. Protus autem, & Hiacynthus Eugeniæ Eunuchi III. Idus Septembris, quia immolare noluerant, obtruncati fuerunt, & Salariâ viâ reconditi. Et Philippus Eugeniæ pater, cùm Episcopus esset, à Perennio Præfecto jussu Galli occisus est Idibus Septembris Alexandriæ, Volusiano & Gallo Imperatoribus, Adone cum Vita Eugeniæ consentiente.

LIBER UNDECIMUS.

LUCIUS PONTIFEX XXI.

CUm Pontificia Sedes inde Gallo ipso Imperatore sæviente dies sex ac sexaginta vacasset, tum demum comitiis habitis, Lucius Civis Romanus XII. Kal. Decembris Cornelio est subrogatus. Is cùm Novatianum ac socios in Urbe eodem errore captos animadverteret, vestigia Cor- C nelii decessoris sui sequutus, adhibito Episcoporum Concilio Novatianos damnavit, ac Lapsis receptum ad communionem Ecclesiæ per indictam pœnitentiam impertivit; cujus rei Cyprianus meminit, scribens ad Pontificem Stephanum: *Servandus est Antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multo magis tu, Frater carissime, honorificare, & servare gravitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius & Successor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse Lapsis pacem censuerunt, & pœnitentiâ actâ fructum communi-* D *cationis, & pacis negandum non esse literis suis signaverunt; quam rem omnes omnino ubique censuimus*. Quin etiam Lucius oblata occasione Episcopos Galliæ atque Hispaniæ per literas monuit, ne temerè nomina Episcoporum criminibus onerantes deferrent, inter cætera inquiens: *Et licèt conscientia sufficere possit propria, tamen propter malevolos, juxta Apostolum, etiam testimonium vos oportet habere bonum ab iis, qui foris sunt; quoniam & in hac Sancta Sede constitutum habemus, ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Episcopum non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum. Episcopi ergo non sunt leviter accusandi, vel* E *detrahendi, quia injuria eorum ad Christum pertinet, cujus vice & legatione funguntur in Ecclesia. Unde nobis, & omnibus, qui nobiscum sunt in nostro solatio, sicut & olim factum invenimus, constitui placuit, ut criminationes majorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos, qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni, & irreprehensibiles apparuerint*; & quæ apud illum sequuntur. Neque ita multo post cùm Gallus Imperator nondum odium adversùs Romanum Pontificem posuisset, ipse unà cum Clero relegatus, atque in custodiam traditus est, ubi omnem adversæ Persecutionis iniquitatem constantissimo animo pertulit. Quod ut Cyprianus accepit, literas scripsit, quibus gratulatus est, quòd cum Deus geminato honore in Ecclesiæ suæ administratione Confessorem pariter, & Sacerdotem constituisset. Sequenti anno Gallus adversùs CCLIV. Æmilianum Ducem suum Imperatorem in Mœsia à militibus appellatum, Urbe egressus unà cum filio Volusiano ad Interamnam oppressus est. Æmilianum verò post tres menses, quàm Imperium acceperat, interemptum Valerianus excepit, Imperator ab Exercitu in Rhetia appellatus. Ab hoc remissa Persecutionis procella est, ut scribit Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium: *Valerianus quandiu benigno animo erga sanctos Dei homines fuit, nemo Imperatorum, qui eum præcesserunt, tantam illis benevolentiam declaravit; imma verò ut illi quidem, qui Christiani erant, eoque nomine palàm appellabantur, ita hos sunt amplexati, ut ille, qui initio Imperii sui amicissimè, idque in oculis omnium, eos excepit. Et tota domus ejus piis hominibus referta erat, atque Dei Ecclesia erat*. Remissa igitur, ut dixi, per Valerianum Persecutione, Lucius unà cum Clero, ut insperantibus, sic gratulantibus omnibus ad Ecclesiam est reversus. Quod ut audiit Cyprianus, literas ad eum in hanc sententiam scripsit, se nuper ei gratulatum esse cùm honore geminato & Confessor & Sacerdos à Deo in Ecclesiæ suæ administratione constitutus esset, nunc verò multo magis ei, & comitibus ejus gratulari, quòd cùm pari gratia reduces eos fecerit Divina clementia, ut appareret, relegationem eorum sic divinitus esse constitutam, ut non Episcopus relegatus, & pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret; ipsos quidem paratos fuisse, subire omne supplicium, sed eos Dominum pœnæ subtraxisse, & Ecclesiæ reservasse: *Intelligamus ergo*, inquit, *Frater carissime, Divinæ Majestatis salutaria, & sancta consilia, unde illic repentina Persecutio nuper exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi, & Episcopum Cornelium beatum Martyrem, vosque omnes sæcularis potestas subitò proruperit, ut ad confundendos hæreticos ostenderet Dominus, quæ esset Ecclesia, quis Episcopus ejus unus divina ordinatione delectus, qui*

A. Chr. CCLIV.

cum Episcopo Presbyteri sacerdotali honore conjuncti. Deus fortasse ad hoc vos revocavit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis consummata martyria. Per eos etiam dies scripsisse videtur epistolam ad Fidum de Infantibus baptizandis, in qua ita constituit: *Quantum ad causam Infantium pertinet, quos dixistis intra secundum, vel tertium diem, quo nati sint, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse Legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum, & sanctificandum non putares; longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam*. Gratulantem interim ob inopinatam Pontificis incolumitatem, Ecclesiam nova calamitatis procella turbavit;

CCLV.

siquidem postero anno Valerianus, ut Lucium Pontificem evasisse è carcere injussu, ut opinor, Imperatoris audivit, ipsum capite plecti præcepit. Hac de causa Lucius postquam bis per mensem Decembrem sacris Ordinationibus deditus Presbyteros quatuor, totidemque Diaconos, & septem per diversa loca Episcopos constituerat, Ecclesiâ Stephano Archidiacono commendatâ, IV. Nonas Martias sacrum martyrium subiit, atque in Cœmeterio Calisti sepulturam invenit, cùm à Consulatu Galli & Volusiani usque ad Consules Valerianum Augustum iterum, & Gallienum Augustum per annum & tres menses, ac dies tredecim Pontificatui præfuisset. Valerianus Gallienum filium Imperii consortem accepit, atque Augusti nomine insignivit.

STEPHANUS PONTIFEX XXII.

COmitiis inde Pontificiis habitis, V. Idus Aprilis Lucio Stephanus Archidiaconus subrogatur; atque Novatiano, ut sibi videbatur, Episcopo in altera parte majores in dies opes, auctoritatemque paranti opponitur. Nondum gravia dissidiorum incommoda ipsi experti Christiani erant. Itaque ut in re novi, & pessimi, ut prospiciebant, apud posteritatem exempli omnes omnia, quæ poterant, ad conservandam Ecclesiæ unitatem remedia comparabant. Quare Cyprianus certior à Faustino Lugdunensi Episcopo factus, Marcianum Arelatensem Episcopum ad Novatiani Pontificis adulterini partes se contulisse, illamque hæresim suscepisse, continuò Stephanum Pontificem verum admonuit, ut Marcianum ab Ecclesia removeret, atque ei alterum substitueret: *Faustinus*, inquit, *collega noster Lugduni consistens, Frater carissime, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nunciata tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiscopis nostris in eadem provincia constitutis, quòd Marcianus Arelate consistens Novatiano se conjunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate, atque à corporis nostri & Sacerdotii consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem, ut servis Dei pœnitentibus & dolentibus, & ad Ecclesiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus, Divinæ pietatis, & lenitatis paternæ solatia, & subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis, & communicationis relicti ad luporum rapinam, & prædam Diaboli projiciantur. Cui rei nostrum est consulere, & subvenire, Frater carissime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen Lapsis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis, & misericordiæ Divinæ medicinam non denegemus; quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem, & superbum, & Divinæ pietatis, & fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quòd necdum videatur à nobis abstentus, qui jampridem jactat, & prædicat, quòd Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, à communicatione se nostra segregaverit, cùm Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus & hostis Ecclesiæ judicatus sit. Et cùm ad nos in Africam Legatos misisset, optans ad communicationem nostram admitti, hinc à Concilio plurimorum Sacerdotum, qui præsentes eramus, sententiam retulerit, se foris esse cœpisse, nec posse à quoquam nostrûm sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei judicio, & Cleri, ac plebis suffragio ordinato, profanum Altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia offerre tentaverit. Proinde si resipisceret, & ad sanæ mentis consilium redire vellet, ageret pœnitentiam, & ad Ecclesiam supplex rediret. Quàm vanum est, Frater carissime, ut Novatiano nuper retuso, & refutata, & per totum Orbem à Sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de majestate, ac dignitate Ecclesiæ judicare. Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ; quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace, vel cæteris subveniatur, qui supersunt, & diebus ac noctibus ingemiscunt, & Divinam, ac paternam misericordiam deprecantes, solatium nostræ opitulationis exposcunt*. Quin etiam postquam audivit, Clerum & plebem Asturicensem, & Emeritensem, Sabinum, & Felicem Episcopos in Hispania suffecisse in locum Basilidis & Martialis, qui se libellis Idololatriæ contaminarant, Episcoporum Concilium advocavit, atque eos rectè, & ex ordine fecisse sancivit, atque hanc ad eos epistolam dedit: *Cùm in unum convenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Coëpiscopos nostros pro Fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis, significantes, Basilidem & Martialem libellis Idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientiâ vinctos Episcopatum gerere, & Sacerdotium Dei administrare non oportere, & desideratis rescribi ad hæc vobis, & justam pariter, & necessariam solicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ sublevari; sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia, quàm Divina præcepta respondent, quibus jampridem mandatur voce cœlesti, & Dei lege præscribitur*,

A. Chr. CCLV.

tur, quae, & quales oporteat deservire Altari, & Sacrificia Divina celebrare; & post: *Propter quod diligenter de traditione Divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur, plebe praesente, quae singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit; quod & apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri Ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere Ordinationem jure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, & gestae rei, ac tacitae veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat jure depositus.* Dum autem haec, aliaque huc pertinentia statuuntur, difficilis quaestio de baptizandis haereticis renovata est, quae superioribus annis ab Agrippino Carthaginis Episcopo excitata, post obsoleverat. Erat autem hujusmodi: num haeretici, ad Ecclesiam redeuntes, novo à Catholicis tingendi lavacro essent? Instaurandae verò controversiae ea, credo, res occasionem aperuit, quòd Novatiani Catholicos ad se accedentes novo Baptismate expiabant. De hac autem quaestione sic Africani & Asiani Episcopi decreverunt, haereticos omnes de integro tingendos esse, ut qui ab haereticis tingi non potuissent, à quibus gratia Spiritus Sancti abesset. Auctor verò hujus opinionis in Africa fuit Cyprianus, ut his verbis docet Eusebius: *Cùm quaestio exorta fuisset, utrum oporteret, eos, qui se à quocumque haereseos genere removissent, lavacro Baptismatis expiare, cùm ex vetere instituto in ejusmodi hominibus in Ecclesiam recipiendis solae preces cum manuum impositione adhiberi solerent, Cyprianus Episcopus Carthaginiensis primus inter homines ejus aetatis non aliter quàm per Baptisma haereticos erroris maculis ante ablutos in Ecclesiam admittendos esse existimavit.* Hactenus ille. Cùm igitur Cyprianus ita censeret, ac Valerianus Imperator potestatem agendorum conventuum daret, Concilium Episcoporum triginta duorum Africae habuit, atque ita, ut dixi, constituit; quaeque decreverat, Januario Episcopo, & collegis nunciavit: *Cùm simul in Concilio essemus*, inquit, *Fratres carissimi, legimus literas vestras, quas ad nos fecistis de iis, qui apud haereticos, & schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quae una est, venientes baptizari debeant? De qua re, quanquam & ipsi illic veritatem, & firmitatem catholicae regulae teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non novam promimus, sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam, & à nobis observatam, vobiscum pari consensione conjungimus; censentes scilicet, & pro certa tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cùm sit Baptisma unum in Sancta Ecclesia constitutum, & scriptum sit Domino dicente: ME DERELIQUERUNT FONTEM AQUAE VIVAE, ET EFFODERUNT SIBI LACUS DETRITOS, QUI NON POSSUNT AQUAM PORTARE.* Item Quinto Episcopo: *Retulit ad me, Frater carissime, Lucianus Compresbyter noster, te desiderasse, ut significaremus tibi, quid sentiamus de his, qui apud haereticos, & schismaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in Concilio plurimi Coepiscoporum cum Compresbyteris, qui aderant, censuerimus, ut scires, ejusdem epistolae exemplum tibi misi. Nescio etenim qua praesumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos, qui apud haereticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quòd dicant, unum Baptisma esse, quod unum scilicet in Ecclesia Catholica est. Quae Ecclesia, si una est, esse Baptisma extra Ecclesiam non potest. Nam cùm duo Baptismata esse non possint, si haeretici verè baptizant, ipsi habent Baptisma. Et qui hoc illis patrocinium de auctoritate sua praestat, cedit illis, & consentit, ut hostes, & adversarii Christi habere videantur abluendi, & purificandi, & sanctificandi homines potestatem. Nos autem dicimus eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil est, sed veniunt ad nos, ut hic accipiant, ubi gratia, & veritas omnis est, quia & gratia & veritas una est. Porrò autem quidam de collegis nostris malunt haereticis honorem dare, quàm nobis consentire; & dum unius Baptismi asseveratione baptizare venientes nolunt, sic aut duo Baptismata ipsi faciunt, dum & apud haereticos Baptisma esse dicunt; aut certè, quod est gravius, haereticorum sordidam, & profanam tinctionem vero, & unico, & legitimo Ecclesiae Catholicae Baptismo praeponere, & praeferre contendunt, non considerantes scriptum esse: QUI BAPTIZATUR A MORTUO, QUID PROFICIT LAVATIO EJUS? Manifestum est autem, eos, qui non sunt in Ecclesia Christi, inter mortuos computari; nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat; quando una sit Ecclesia, quae vitae aeternae gratiam consequuta, & vivit in aeternum, & vivificat Dei populum; & dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres haereseos, & schismatum prima adhuc fuerint initia, ut hi illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius fuerant; quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes, & poenitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & à nobis ad haereticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto, ad veritatem, & matricem redeant, satis sit in poenitentiam manum imponere, ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam, & errabundam in ovile suum Pastor recipiat. Si autem qui ab haereticis venit, baptizatus in Ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum, & profanus venit, baptizandus est, ut ovis fiat; quia una est aqua in Ecclesia Sancta, quae oves faciat. Et idcirco quia nihil potest esse commune mendacio, & veritati, tenebris, & luci, morti, & immortalitati, Antichristo, & Christo; per omnia debemus Ecclesiae Catholicae unitatem tenere, nec in aliquo fi-*

dei,

A. Chr. CCLV.

dei, & veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Postremò idem etiam decretum suum ad Stephanum Pontificem Romam misit: *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, Frater carissime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium; in quo multa quidem prolata, atque transacta sunt; sed de eo vel maximè tibi scribendum, & cum tua gravitate, & sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem pariter, ac dignitatem, de Divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos, qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos, & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum*; & post: *Baptismum autem non esse, quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos, qui Christo adversantur, per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola, quæ ad Quintum collegam nostrum in Mauritania constitutum super ea re scripta est; item in literis, quas collegæ nostri ad Episcopos in Numidia præsidentes ante fecerunt, cujus utriusque epistolæ exempla subdidi. Addimus planè, & adjungimus, Frater carissime, consensu, & auctoritate communi, ut etiam si qui Presbyteri, aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi, ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à Pseudoepiscopis, & Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra Altare unum, atque divinum sacrificia foris falsa, ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi, cùm revertuntur, ut communicent laici, & satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos revertentes, ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Oportet enim Sacerdotes, & Ministros, qui Altari, & Sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse, cùm Dominus Deus in Levitico loquatur, & dicat: HOMO, IN QUO FUERIT MACULA, ET VITIUM, NON ACCEDAT OFFERRE DONA DEO.* In Asia verò duo etiam Concilia habita sunt; unum apud Iconium, alterum apud Synnada, in quibus idem, quod in Africano, sancitum est. De quibus Firmilianus Cappadociæ Episcopus certiorem Cyprianum fecit. Hæc autem decreta, postquam Stephanus Pontifex ad se delata perlegit, persade ac debuit, animo iniquo accepit, ut quæ veteri consuetudini Catholicorum adversarentur. Etenim ad eum usque diem Ecclesia Romana satis habuerat, ejusmodi hominibus manus cum precatione imponere, statuens, ut unam Fidem, sic unum Baptisma esse debere, neque illud aliquam renovari ob causam oportere, ac propterea epistolam ad Africanam Ecclesiam misit, cujus Vincentius Lirinensis quoque meminit, nihil novandum esse statuens, nisi quod traditum est. Id enim proprium esse Christianæ modestiæ & gravitatis non sua posteris tradere; sed à majoribus accepta servare. Verba verò Stephani sunt apud Cyprianum in epistola ad Pompejum: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur, in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* De Heleno verò, & Firmiliano, cæterisque Episcopis, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & cæteris gentibus finitimis, teste Eusebio, rescripsit, se cum illis communicaturum non esse, si hæreticos novo lavacro inficere pergerent. Per eosdem etiam dies *Dionysius* Episcopus Alexandrinus literas ad Stephanum Pontificem misit, in quibus postquam suam sententiam de nova Baptismi hæreticorum quæstione exposuit, nunciavit, Asianos Episcopos, repudiata Novatianorum hæresi, sedata Persecutione, in concordiam rediisse: *Omnes, inquit, Ecclesiarum Præsides, qui ubique locorum sunt, summo animorum consensu conspirant; & ob pacem hanc præter omnium expectationem constitutam incredibili lætitia afficiuntur, Demetrianus Antiochiæ Episcopus, Theotistus Cæsareæ, Mazabanes Æliæ, idest Hierosolymorum, Marinus Tyri, mortuo Alexandro, Heliodorus Laodiceæ mortuo Thelymidro, Helenus Tarsi, & cunctæ Ciliciæ Ecclesiæ, Firmilianus etiam, & tota Cappadocia. Syria porrò universa, & Arabes, quibus vestra doctrina, & consilio semper magno adjumento fuistis, & quibus etiam modò scripsistis epistolas. Mesopotamia quoque, Pontus, & Bythinia, atque omnes ubique gaudio exultant, & uno animorum consensu gloriam Deo impertiunt.* Sequenti anno Cyprianus alterum Concilium, advocatis Episcopis Africæ, & Numidiæ, habuit, in quo eadem de Baptismate hæreticorum, quæ in primo, sancivit; atque hoc Tubajano Episcopo nunciavit epistola, quæ incipit: *Scripsisti mihi, Frater carissime, desiderans significari tibi motum animi nostri, quid nobis videatur de hæreticorum Baptismo, qui foris positi, & extra Ecclesiam constituti vindicant sibi rem, nec juris sui, nec potestatis, quod nos nec ratum possumus, nec legitimum judicare, quando hoc apud eos esse constet illicitum. Et quoniam super hac re, quid sentiremus, literis nostris expressimus, ut compendium facerem, exemplum earumdem literarum tibi misi, quod in Concilio, cùm plures adessemus, decreverimus; quid item postea Quinto collegæ nostro de eadem re quærenti rescripserimus. Et nunc quoque cùm in unum convenissemus, tam provinciæ Africæ, quàm Numidiæ, Episcopi numero septuaginta & unus, hoc idem denuo sententiâ nostrâ firmavimus, statuentes, unum Baptisma esse, quod sit in Ecclesia Catholica constitutum; ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari à nobis. Quicumque ergo ab adultera & profana aqua veniunt, abluendi sunt, & sanctificandi salutaris aquæ veritate. Nec nos movet, Frater carissime, quod in literis tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, quos à nobis sollicitant, quando ad nos omnino non pertineat, quid hostes Ecclesiæ faciant, dummodo teneamus ipsi potestatis nostræ honorem, & rationis, ac veritatis firmitatem; nam Novatianus simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imi-*

A. Chr. CCLV.

CCLVI.

imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi, & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, immo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis extiterit; sciens etenim unum esse Baptisma, hoc unum sibi vindicat, ut apud se esse Ecclesiam dicat, & nos hæreticos faciat. Nos autem, qui Ecclesiæ unius caput, & radicem tenemus, pro certo scimus & fidimus, nihil illic extra Ecclesiam licere, & Baptismatis, quod est unum, caput nos esse, ubi & ipse baptizatus prius fuerat, quando Divinæ unitatis & rationem & veritatem tenebat. Quòd si in Ecclesia baptizatos, rebaptizandos foris extra Ecclesiam Novatianus existimat, à se incipere debuerat; ut prior extraneo, & hæretico baptisma rebaptizaretur, qui post Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam baptizandos foris opinatur. Quale est autem, ut quia hoc Novatianus facere audet, nos putemus non esse faciendum? quid ergo? quia & honorem Cathedræ Sacerdotalis Novatianus usurpat, num idcirco nos Cathedræ renunciare debemus? Aut quia Novatianus Altare collocare, & sacrificia offerre contra fas nititur, ab Altari, & sacrificiis cessare nos oportet, ne paria, & similia cum illo celebrare videamur? Vanum prorsus & stultum est, ut quia Novatianus extra Ecclesiam vindicat sibi veritatis imaginem, relinquamus Ecclesiæ veritatem. Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi, hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi non aspernati sint, neque cunctati, immo & rationabiliter, & libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis, & salutaris Baptismi gratiam consequerentur. Neque enim difficile est doctori vera, & legitima insinuare eis, qui hæretica pravitate damnata, & Ecclesiastica veritate comperta, ad hoc veniunt, ut discant, ad hoc discunt, ut vivant. Nos non debemus stuporem hæreticis patrocinio consensus nostri augere; cùm libenter, ac promptè obtemperent veritati. Septembri inde mense frequentius aliud Concilium habuit, Episcopis octoginta septem ex Africa, Numidia, Mauritaniaque contractis, in quo illud idem, quod ante, constituit. Extant acta Concilii cum singulorum Episcoporum nominibus, & sententiis, quorum initium est hujusmodi: *Cùm in unum Carthagine convenissent Kal. Septembris Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris, & Diaconibus, præsente etiam plebis maxima parte, & lectæ essent literæ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubajanum rescriptæ, de hæreticis baptizandis, quidque postmodum Cypriano Jubajanus idem rescripserit, Cyprianus dixit: Audistis collegæ dilectissimi, quid mihi Jubajanus Coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicita & profano hæreticorum Baptisma, & quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum, & sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes, Ecclesiæ Baptismo baptizari, & sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ Jubajani literæ, quibus pro sua syncera, & religiosa devotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit, sed etiam instructum se esse, gratias egit: superest, ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Literas inde ad Pompejum Episcopum dedit, quibus epistolam Stephani, atque opinionem ejus refutare, ut sacris eloquiis repugnantem contendit. In iis verò sic agit: *Quanquam plenè ea, quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis, quarum ad te exempla transmisimus, Frater carissime, tamen quia desiderasti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster, rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum; quo lecto magis ac magis errorem denotabit, qui hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur; nam inter cætera, vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè, atque improvidè scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret; si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm. A quacumque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, idest omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit. Et cùm singulæ hæreses singula Baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium Baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit; & præcepit nihil aliud innovari, nisi quod traditum est; quasi is innovet, qui unitatem tenens, unum Baptisma uni Ecclesiæ vindicat, & non ille utique, qui unitatis oblitus, mendacia, & contagia profanæ tinctionis usurpat.* Item alteras ad Magnum misit, quibus præcipuè docuit, Novatianos hæreticos de integro baptizandos, quia eorum Baptisma non fuerit, eademque ratione eos, qui in lecto gratiam consequuntur: *Pro tua religiosa diligentia consuluisti mediocritatem nostram, Fili carissime, an inter cæteros, eos quoque, qui à Novatiano veniant, post profanum ejus lavacrum baptizari, & sanctificari in Ecclesia Catholica legitimo, & vero, & unico Ecclesiæ Baptismo oporteat. De qua re quantum Fidei nostræ capacitas, & Scripturarum Divinarum sanctitas ac veritas suggerit, dicimus, omnes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, ac juris. Propter quod Novatianus nec debet, nec potest excipi, quominus extra Ecclesiam consistens, & contra pacem, ac dilectionem Christi faciens, inter adversarios, & Antichristos computetur.* Neque verò solum Cyprianus, sed etiam Firmilianus eandem epistolam, ac sententiam insectatus est, ad Cyprianum hoc modo scribens: *Accepimus per Rogatianum carissimum nostrum Diaconum à vobis missum, literas, quas ad nos fecisti, Frater dilectissime, & gratias propter hoc Domino maximas egimus; quod contigerit, ut qui corpore ab invicem separamur, sic spiritu adunemur; quasi non unam tantùm regionem tenentes, sed in ipsa, atque in eadem domo inhabitantes;* & post: *Et quidem quantum ad id pertineat, quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos, qui*

A. Chr. CCLVI.

ab hæresi veniant, baptizari probibuerint, & hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissimè vos respondistis, neminem tam stultum esse, qui hoc credat, Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas hæreses constet execrabiles, ac detestandas postea extitisse. Cùm & Marcion Cerdonis discipulus inveniatur serò post Apostolos, & post longa ab eis tempora sacrilegam adversùs Deum traditionem induxisse. Apelles quoque blasphemiæ ejus consentiens, multa alia nova, & graviora fidei ac veritati inimica, addiderit; sed & Valentini & Basilidis tempus manifestum est, quod & ipsi post Apostolos, & post longam ætatem adversùs Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint. Cæteros quoque hæreticos constat, pravas suas sectas, & inventiones perversas, prout quisque errore ductus est, postea induxisse, quos omnes manifestum est à semetipsis damnatos esse, & ante diem Judicii inexcusabilem sententiam adversùs semetipsos dixisse; quorum Baptisma qui confirmat, quid aliud, quàm cum ipsis se adjudicat, & se participem talibus faciendo condemnat. Eos autem, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere; scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa divinæ rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur; secundùm quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate unquam discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversùs vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt, adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in epistolis suis hæreticos execrati sunt, & ut eos evitemus, monuerunt. Unde apparet, traditionem hanc humanam esse, quæ hæreticos asserit, & Baptisma, quod non nisi solius Ecclesiæ est, eos habere defendit. Sed & ad illam partem bene à vobis responsum est, ubi Stephanus in epistola sua dixit; Hæreticos quoque ipsos in Baptismo convenire, & quod ad alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm, quasi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco etsi vos jam probatis satis ridiculum esse; ut quis sequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus, non esse mirum, si sic hæretici agant, qui etsi in quibusdam minoribus discrepant, in eo tamen, quod est maximum, unum & eundem consensum tenent, ut blasphement Creatorem, quædam somnia sibi, & phantasmata ignoti Dei confingentes; quos utique consequens est, sic consentire in Baptismi sui vanitate, ut consentiunt in repudianda Divinitatis veritate. De quibus quoniam longum est ad singula eorum, vel scelesta, vel supervacua respondere, satis est breviter illud in compendio dicere, eos, qui non teneant, verum Dominum Patrem, tenere non posse nec Filii, nec Spiritus Sancti veritatem; secundùm quod etiam illi, qui κατὰ φρύγας appellantur, & novas prophetias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere, nec Filium, nec Spiritum Sanctum, à quibus si quæramus, quem Christum prædicent, respondebunt, eum se prædicare, qui miserit spiritum per Montanum, & Priscam locutum. In quibus cùm animadvertamus, non veritatis spiritum, sed erroris, cognoscimus eos, qui falsam illorum prophetiam contra Christi Fidem vindicant, Christum habere non posse. His de rebus incensus Stephanus, utrumque eorum, & Cyprianum, & Firmilianum se à sui communione repulsurum, nisi sententiâ decessissent, ostendit; siquidem S. Augustinus libro quinto de Baptismate scribit, Stephanum abstinendos censuisse, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Qua re haudquaquam permotus Cyprianus, licèt opinione à Stephano dissentiret, tamen pacem cum eo, & concordiam sibi habendam existimavit; atque hoc ad Jubajanum ipse scripsit, inquiens: *servatur à nobis patienter, & firmiter caritas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotis.* Quin etiam addit, se propterea librum de patientia conscripsisse, qui extat. Finis autem hujus controversiæ, is demum sequenti anno fuit, ut adversùs omnia Africana, Asianaque Concilia secundùm Romanam Ecclesiam, ejusque Pontificem Stephanum constitutum sit. Quod Vincentius Lirinensis his verbis expressit: *Postremò ipsius Africani Concilii, sive decreti, quæ vires? donante Deo nullæ, sed universa tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam superflua abolita, antiquata, calcata sunt. Et ob rerum mira conversio! auctores ejusdem opinionis Catholici, consectatores verò hæretici judicantur, absolvuntur magistri, condemnantur discipuli.* Neque dubium est, quin ea res Concilio Romæ habito tam illustrem exitum consequuta sit, cujus decretum ut Cyprianus accepit, continuò priorem sententiam commutavit, ac suum errorem correxit, ut scribit D. Augustinus epistolâ ad Vincentium Donatistam in hæc verba: *Correxisse illum sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & fortassè suppressum est ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Aut igitur hoc non sensit omnino, aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi nævum candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum, & unitatem Ecclesiæ toto Orbe crescentis copiosissimè defendit, & perseverantissimè retinuit vinculum pacis. Accessit etiam huc, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit pater falce passionis.* Item Beda libro 8. quæstionum: *Cyprianus cum suis Coepiscopis, qui erant in Africa, rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit, sed quia in suo sensu, qui sibi rectus videbatur, bonis abundare operibus studuit, mox corrigi meruit, atque ad universalem Sanctæ Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci.* D. autem Hieronymus contra Luciferianos addit, Episcopos, qui cum Cypriano rebaptizandos hæreticos statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos novum decretum emisisse, id quod fecisse videntur eo Concilio, ex quo Cyprianus literas scripsit ad Furnitanos in hæc verba: *Graviter commoti sumus ego, & collegæ mei, qui præsentes aderant, &* CCLVII.

Com-

Compresbyteri nostri, qui nobis assidebant, Fratres carissimi, cùm cognovissemus, quòd Geminius Victor, frater noster de sæculo excedens, Geminum Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit, cùm jampridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat. Atque hæc quidem de quæstione rebaptizandorum hæreticorum hactenus. Interim Valerianus Imperator, qui ab initio se animo in Christianos propensiore ostenderat, alienatus est ita, ut acerbissimam Persecutionem inierit, à Nerone, ut Orosius inquit, octavus. Auctorem tam pravi consilii prodit Eusebius Doctorem quemdam, & Magorum Ægypti principem, eo nomine Christianis infensum, quòd eos præcipuos suarum præstigiarum atque incantationum oppugnatores adeptos esset. Hoc igitur modo Valerianus & Gallienus edictum promulgarunt, ut quicumque Christianum hominem detulissent omnes ejus facultates, & quoscumque honores in exercitu petiissent, haberent, sive, ut Orosius dixit, adigi per tormenta Christianos ad idololatriam, abnegantesque interfici præceperunt. Meminit hujus quoque Persecutionis Augustinus, & Sulpicius. Cæterùm edicto Imperatorum Romæ audito Stephanus Pontifex Clerum illico advocavit, atque ita disseruit: *Audistis Fratres acerbissimum edictum imperatorum. Hortor vos, ut terrenas divitias negligatis, quo cœlestium participes evadatis. Nolite hujus Mundi principes extimescere, sed Deum cœli, terræque Dominum, ejusque Filium Unigenitum Christum adorate, qui potest vos de manibus vestrorum inimicorum eripere.* Cui Bonus Presbyter omnium nomine respondit, ac bene de se sperare jussit nam se sanguinem profundere in Christi confessione paratos esse, atque his dictis universi ad pedes ejus procubuerunt, & quot quisque Gentiles domi Baptismi studiosos haberet, exposuerunt. Quod Stephanus ut accepit, ad Cryptam Nepotianam postridie adduci omnes præcepit, ac convocatos lavacro salutari affecit, & sacrificio oblato cunctis Sacramentum impertiit. Postridie verò tres Presbyteros, septem Diaconos, & sexdecim Clericos ordinavit. Venêre inde Græci, atque alii quidam petentes, ut tingerentur, quibus ille omnibus satisfecit. Verùm quod tumultum in Urbe concivit, Nemesius quoque Tribunus militum se, & filiam luminibus captam ablui postulavit, ea re sperans se corporis simul, atque animæ tenebras expulsurum. Cui Stephanus dixit: *Si in Christo firmiter constanterque credideris, facilè voti tui compos evaseris*; atque ita illum se credere asserentem ad titulum Pastoris adduxit, ibique ambos in Fide instructos, ac jejunare jussos abluit, ac filia statim aspectum oculorum recuperavit, unde Lucillæ nomen invênit. Inde sexaginta duo alii Baptisma suppliciter deposcentes intincti. ipse verò Nemesius Diaconus ordinatus est. Hoc ubi Glabrio & Maximus Consules, qui tum erant, acceperunt, irâ incensi, Nemesium comprehendi jusserunt. Fortè ille iter Viâ Appiâ faciens, Valerianum Augustum & Maximum Consulem sacrificia in Templo Martis facientes aspexit; qua re animadversa orationem ad Deum effudit, cujus vim ut Maximus sensit, statim clamare cœpit: *Nemesius factus Christianus me incendit*, ac sub hanc vocem expiravit. Quare Nemesius extemplo est captus, & ad Valerianum adductus, qui cùm primùm religionem Christi, deinde necem Maximi objecisset, præcepit, ipsum cum servo ejus Sempronio, & Lucilla filia custodiri, ac quæstionem illam ab Tribuno Olympio exerceri. Hac de causa Olympius Sempronium servum statim arripuit, ac domini sui facultates indicare, ac sacrificium facere jussit, cui ille respondit: *Facultates dominus meus nullas habet, quia Christo, cujus erant, restituit; ego verò sacrificium laudis, & confessionis*; quo responso ille irritatus signo Martis prolato: *Adole thura*, inquit, quod ubi vidit Sempronius dixit: *Conterat te Dominus Jesus Christus Filius Dei vivi*, ac repentè signum instar ceræ est liquefactum, qua re obstupefactus Olympius rem cum conjuge Exuperia contulit, cui illa respondit: *Si tanta est Christi potentia, cur non relinquimus Deos, qui neque sibi opitulari, neque aliis possunt, ac virum illum vestigemus, qui Nemesii filiæ oculos patefecit?* Atque ita ambo cum filio Theodulo ad Sempronium ea nocte venerunt, ac prostrati dixerunt: *Nos paullo ante potentiam Christi perspeximus, verum scilicet Deum illum esse, qui Nemesii filiæ oculos patefecit. Quamobrem te rogamus, ut cures nobis dari Baptisma in nomine ejus*, quibus Sempronius: *Si pœnitentiam agetis, Deus vos recipiet.* Tum Olympius aperto cubiculo suo: *Atque*, inquit, *ut argumentum meæ voluntatis accipias, ecce hæc Deorum signa tuæ potestati arbitrioque permitto*, cui Sempronius: *confla illa omnia, & aurum, atque argentum pauperibus eroga.* Quod Olympius accuratè exequutus est. Quæ ubi Stephanus Pontifex audiit, nullam moram interposuit, quin proxima nocte ad Olympii ædes accesserit, ipsumque cum Exuperia & Theodulo ad pedes prostratum, & se credere affirmantem abluerit. Hæc ad Valerianum perlata vehementiùs iram hominis accenderunt. Itaque Nemesium & Lucillam statim torqueri, & cùm cruciatus contemnerent, interimi jussit. Lucilla obtruncata, Nemesius inter Appiam Viam, & Latinam non longè ab Urbe securi percuti jussus pridie Kal. Novembris, ut Beda scribit; postridie verò Sempronius in ignem conjectus, atque ejus reliquias integras cum reliquiis Olympii, & sociorum Stephanus cum Clericis veniens sepelivit, ut in actis Stephani continetur. Hæc per Consules acta, à Præfecto verò Urbis, quod sequitur Rufina & Secunda, Asterio Aurelioque clarissimis parentibus natæ cùm sponsos suos Armentarium & Verinum à Fide Christi defecisse viderent, ut eorum insanas adhortationes vitarent, vehiculo sumpto in Tusciam abire contenderunt. Qua re cognita sponsi fugam earum, & fugæ causam Arcesilao Comiti, cui inquirendi mandata cura erat, ostenderunt, qui eas immissis militibus Viâ Flaminiâ quartodecimo ab Urbe lapide cepit, ac Turrio Donato Urbis Præfecto obtulit, cujus Donati

A nati mentio invenitur etiam in libro vetere de Præfectis. Donatus autem cùm eas seorsum in custodiam tradidisset, tertio post die coram se sisti in secretario jussit, atque ita ad Rufinam dixit: *Cùm nobili loco nata sis, cur optas captiva in vinculis magis dolere, quàm libera cum marito gaudere?* cui Rufina respondit: *Captivitas ista temporaria æternam captivitatem excludit, & vincula temporaria perpetuos vinculorum nexus dissolvunt*. Tum Donatus: *Aniles istas fabulas abjice, & Diis sacrifica, ut diu possis cum viro tuo te oblectare*. Quam orationem ejus, ut ineptam illa refellit; qua re incensus illam, præsente sorore Secunda, B flagellis cædi præcepit, quod ut Secunda vidit, clamare illico cœpit: *Cur sororem meam gloriâ afficis, me verò excludis?* Cui Præfectus: *ut video, tu sororem tuam insaniâ superas*; tum illa: *neque ego, neque soror mea insanimus, sed cùm ambæ Christianæ simus, æquum est, ut simul cædamur, quia simul Christum Dominum confitemur; gloria enim nominis Christiani verberum ictibus cumulatur, & tot conciliat coronas sempiternas, quot temporariis flagellorum ictibus tunditur*. Tum Præfectus jussit eas in locum tenebrosum detrudi, & fumum stercoris suffici, quo facto fumus ille suavissimum odorem efflavit, & tenebræ illæ splen- C dorem amplissimum ediderunt. Inde eas in balneas includi, & in dolium fervens jactari præcepit; post duas autem horas satellites ad tollenda corpora earum ingressi dolium frigidum invenerunt. Qua re audita Præfectus obstupefactus saxo ad collum ambitum alligato in Tyberim præcipitari jussit; cum illo autem saxo per dimidiam horam super aquam siccis vestibus gloriam Christo canentes latæ sunt. Quod ubi Præfectus audit, Arcesilao dixit: *istæ, quas tu mihi obtulisti, aut magica arte nos superant, aut vera Sanctitate sunt præditæ. Itaque ut tu eas mihi tradidisti, ita ego eas tibi reddo, ut pro tuo arbitratu, vel condemnes eas, vel liberes*. Jussit autem Arce- D silaus duci eas in sylvam Viâ Corneliâ ab Urbe passuum millibus in fundum, qui Buxo vocabatur, & illic pariter capite cæsi, earumque corpora inhumata relinqui. Quo facto Plautilla Matrona, in cujus prædio hoc factum fuerat, in quiete eas sibi videre visa est, cùm dicerent: *Plautilla relinque idola, & credens in Christum veni in prædium tuum, & corpora nostra inveniens ibi conde*. Exsurgens autem Plautilla eò venit, & inventa corpora sepelivit, & credens sepulchrum honestissimum condidit. Hæc VI. Idus Julii acta Beda, Usuardus, & Ado scripserunt, con- E venienter cum ijs, quæ in vetere earum Vita sunt tradita. Per eosdem dies Polemius quidam Alexandrinus Romæ agens, cùm filium Chrysanthum Christianis Sacris deditum ægrè ferret, ac Valeriano Cæsari displiceret, postquam eum in carcerem inclusum ab illa opinione deduci non posse vidit, ut illecebris voluptatum averteret, ancillas cum eo miræ pulchritudinis posuit, quæ cùm blanditiis suis illum sententiâ movere non potuissent, tum Dariam virginem omnium elegantissimam, atque ornatissimam introduxit, quæ cum eo de cultu Deorum disputare ingres-

A sa non solùm eum non permovit, sed ab illo contra permota insuper baptismum quoque accepit, atque ei simulato matrimonio nupsit. Ita uterque servata ex compacto virginitate multos viros, multasque mulieres ad Christum traxerunt. Interim tumultus ex Urbe oritur, querentibus viris sibi uxores ereptas esse à Daria, uxoribus verò viros à Chrysantho. Qua re cognita Celerinus Præfectus eos corripi, ac, nisi sacrificassent, variis tormentis affici jussit. Claudius autem Tribunus Chrysanthum sibi traditum sexaginta militibus tradidit, præcipiens, ut nisi Herculi immolasset, variis cruciamentis torquerent. B Tunc illum nervis madefactis unxerunt, ut illis arescentibus, & ad ossa usque penetrantibus angeretur; dissolutis autem vinculis ipsum in carcerem conjecerunt, & triplicibus compedibus constrinxerunt, quæ statim effractæ sunt, tum sublatum stercore consperserunt, ut fœtore spiritum intercluderent, sed fœtor in odorem suavissimum est conversus. Vitulo inde excoriato, ipsum pelle induerunt, & Soli objecerunt, neque tamen ei quidquam nocuerunt: inde catenis implicitum in loco obscurissimo concluserunt, sed illico fractis catenis splendida lux affulsit. Tum Claudius miratus, idque magicis effici artibus C opinatus, palo alligatum virgis cædi præcepit. Sed & tum victus cum omnibus militibus ad ejus genua se abjecit & veniam postulavit ac prædicante Verbum Dei Chrysantho, ipse unà cum Hilaria uxore, & filiis duobus Mauro & Jasone, & sexaginta militibus credidit, ac statim se tingi postulavit. Quod ut Valerianus accepit, Claudium lapide collo alligato in mare projici jussit, ac reliquos, cùm in Fide perstarent, nece affecit. Christiani verò vetere monumento purgato in eo Sanctorum omnium corpora condiderunt, quem locum cùm frequentarent Hilaria, quæ sola relicta erat à quibusdam comprehensa, spi- D ritum inter precandum emisit. Inde Chrysanthum in carcerem fœdissimum, Dariam in lupanar conjecti. Chrysantho autem Dominus odorem suavitatis, & lumen attulit, Dariæ Leonem custodem, qui è stadio fugerat, dedit, qui petulantissimum juvenem ad eam accedentem prostravit, & jubente Daria salvum, incolumemque dimisit; quare ille & cæteri, qui ex manibus ejus evaserant, in Christum crediderunt. His cognitis Valerianus Pontio Prætori mandavit, ut Chrysanthum ac Dariam omnibus tormentorum generibus ad sacrificandum impelleret. Itaque ille Chrysanthum abnuentem in armamentario jussit suspendi, E atque inde audiri. Sed ligna & vincula dissoluta, facesque statim extinctæ sunt; qui verò Dariam attingebant, continuò manus eis obrigebant. Tum Valerianus eos extra Urbem duci, & in Via Salaria vivos terrâ obrui imperavit, atque ita sanctum martyrium confecerunt; cùm autem multa ad eorum sepulchrum signa ederentur, ac propterea dies eorum in quodam specu infinitâ populi turbâ celebraretur, Valerianus speluncæ aditum obstrui jussit, cùmque undique terra demitteretur, omnes, qui ibi erant, martyrio decoravit, inter quos Presbyter Diodorus, & Marianus Diaco-

nus

CCLVII. nus effulserunt. Apud Bedam natalis SS. Chrysanthi, & Datiæ Kalendis Decembris notatur. Claudii verò & sociorum tertio Nonas Decembris. Hæc à Varino & Armenio scripta reperiuntur jussu Stephani Pontificis, ex quo apparet, hæc imperante Valeriano gesta esse, non ut ibi scriptum est Numeriano, qui multo post Imperium gessit, neque unquam Romam accessit. Cæteri tamen horum martyria Numeriano omnes adscripserunt. Per hos dies Ecclesia grave aliud vulnus accepit, quippe novus hæreticus Sabellius ex Lybia Pentapoli extitit, qui solam in Christo Divinitatem esse asserere cœpit, quam opinionem ante illum Praxeas, Hermogenes, & Noëtus intulerant, de quibus omnibus sic D. Augustinus in libro de Hæresibus: *Noëtiani à quodam Noeto, qui dicebat, Christum ipsum eumdem esse Patrem, & Spiritum Sanctum, ab hoc Sabelliani fluxisse dicuntur, nam discipulum ejus quidam dicunt fuisse Sabellium, sed qua de causa Epiphanius duas hæreses computet, nescio, cum fieri potuisse videamus, ut fuerit Sabellius iste famosior, & ideo ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noetiani etiam difficillimè ab aliquo sciuntur. Sabelliani autem sunt in ore multorum, nam & Praxianos à Praxea quodam vocant, & Hermogenianos vocari ab Hermogene potuerunt, qui Praxeas, & Hermogenes eadem sentientes in Africa fuisse dicuntur.* Cæterùm Sabellius, ut inquit Epiphanius, docuit unam hypostasim esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unamque tribus nominibus præditam esse personam, & in veteri quidem testamento velùti Patrem legem dedisse, in novo quasi Filium hominem factum esse, & post Ascensionem, ut Spiritum Sanctum in Apo-

CCLVIII. stolos descendisse. Postero anno Valerianus Augustus IIII & Gallienus III. Consules edixerunt, ut in Stephanum Pontificem, ac Clerum ejus inquireretur, atque extemplo capti sunt Bonus, Faustus, Maurus, Primitivus, Columnius, Joannes, Exuperantius, Cyrillus, Honoratus, Theodosius, Basilius, Castulus, & Donatus, qui retentâ in tormentis Christianâ constantiâ obtruncati sunt in via, quæ dicitur aquæductus, quorum corpora Tertullianus Olympii servus adhuc Gentilis recondidit viâ Latinâ IIII. Kal. August. prope corpora Jovini & Basilei, qui VI. Nonas Martias fuerant passi. Qua re audita Stephanus Tertullianum Fide imbutum baptizavit, & Presbyterum ordinavit, & reliquiis Martyrum colligendis præfecit. Ea re omnis in ipsum Tertullianum ira conversa est; itaque post biduum à Marco Tribuno comprehensus est; ille verò cùm in conspectum Valeriani adductus domini sui pecunias prodere jussus esset, respondit: *Dominus meus facultates suas Deo obtulit in futuro sæculo recepturus. Quod si tu quoque idem feceris, & muta idola deserueris, misericors te Deus suscipiet.* Quare illum humi stratum virgis cædi, flammisque ustulari præcepit, deinde alteri tamdiu torquendum tradidit quoad pecunias domini indicaret, & Deis sacrificaret. Itaque ille Tertulliano in contumacia persistenti primùm faciem saxo contudit, deinde ipsum in ligno extendit, ac diu nervis verberavit, tum in

A CCLVIII. rota suspendit; ad extremum ubi reluctantem debellare non potuit, jussu Valeriani, Viâ Latinâ ad secundum lapidem caput abscidit, cujus corpus Stephanus pridie Kalendas, non Nonas Augusti (sic enim dierum ratio postulat) in Crypta Arenaria sepelivit: postridie verò Valerianus his rebus omnibus ad extremam iram exacerbatus, cohortem militum ad Stephanum Pontificem cum reliquis Presbyteris, & Diaconis capiendum immisit, & ad se perductum ita appellavit: *Tu ne Stephanus ille es, qui rempublicam nostram perturbas, & præstigiis tuis populum à Deorum religione avertis?* cui Stephanus: *Ego rempublicam non perturbo,* B *sed hominibus suadeo, ut relictis dæmonibus, qui adorantur in istis vestris simulachris, ad verum Deum se conferant.* Tum Valerianus: *Ergo te mori è vestigio opus est, ut alii exemplo tuo deterriti resipiscant,* atque ita illum ad templum Martis duci Viâ Appiâ jussit; quò ubi Stephanus venit, precatione ad Deum effusa, magnam templi partem subita ruina prostravit; quo terrore correpti milites ex templo, relicto Stephano, aufugerunt. Id autem simul atque Valerianus accepit, rursùm alios summisit, qui mandata sua explerent, qui profecti eum ad aram stantem, atque Sacrificium Deo offerentem C offendissent, IIII. Nonas Augusti interfecerunt; corpus inde ejus à Christianis collectum, & in Crypta in via Appia conditum est. Eodem die cùm milites in Tharsitium Diaconum incidissent Corpus Christi clam sub veste ferentem, thesaurum occultum habere arbitrati, corripuerunt, atque ut illum proderet, pugnis & lapidibus ita mulctarunt, ut spiritum emitteret, neque scrutando reperire aliquid potuerunt. Corpus ejus in cœmeterio Callisti repositum. Hæc ex actis Stephani, quibus Beda assentitur. Damasus, constitutum ab eo scribit, ne Sacerdotes, & Levitæ veste sacrata quotidie uterentur, & duabus Ordi- D nationibus per mensem Decembrem factis Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos quatuor ordinasse.

XYSTUS PONTIFEX XXIII.

XVII. inde Kal. Octobris Clerus in unum convocatus Xystum Presbyterum, domo Atheniensem, Pontificem designavit. Cæterùm quæ Romam Persecutionis tempestas premebat, eadem deinceps quoque Africam, & Ægyptum adorta turbabat. In Africa verò cùm multi fidem omnibus tormentis anteponentes quotidie necarentur, præcipuè trecenti fortitudinem præstiterunt. Etenim IX. Kal. E Septembris cùm Paternus Præses clibano calcis accenso, & prunis cum thure prolatis ad populum dixisset: *Aut thura Jovi accendite, aut clibanum hunc ardentem inite,* trecenti tanto Fidei fervore flagrarunt, ut salute sua neglecta repentè se Christum Dei Filium Deum fatentes in ignem intulerint, atque ita se Deo consecrarint, qui ex eo Martyres Massæ candidæ nominati sunt, ut Pontius, Possidius, & Beda scripserunt. IIII. inde Kal. Septembris Paternus Cypriano Episcopo accersito dixit: *Valerianus & Gallienus Impp. literis ad me da-*

tis præceperunt, ut omnes Romanam religionem agnoscant; quæro igitur de te quisnam sis? Cui Cyprianus: *Christianus sum, & Episcopus, neque alios Deos novi, nisi unum, qui fecit Cœlum & Terram, cui nos omnes Christiani cultum adhibemus.* Tum Paternus: *Nonne hanc opinionem abjicere vis?* Cui Cyprianus: *Nequaquam. Abi ergo,* inquit ille, *ad urbem Curubitanam, ac Clericorum tuorum nomina prode;* cui Cyprianus: *legibus vestris cautum est, ne quis Christianus officio delatoris fungatur; nostris verò, ne nos ultro in judicium afferamus, tu si eos inquires, facilè invenies.* Tum ille: *jusserunt etiam Imperatores, ne qua conciliabula, cœmeteriave celebrarentur; qua re si quis secus fecerit, capite pœnas dabit.* Cui Cyprianus: *Fac quod tibi præceptum est.* Ita Cyprianus Curubim in exilium deportatus est. Interim autem dum ibi fuit, literas consolationis plenas misit ad Nemesianum, & cæteros Martyres in metallo constitutos, quæ sic incipiunt: *Gloria quidem vestra poscebat, beatissimi ac dilectissimi Fratres, ut ad conspectum atque ad amplexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum præfiniti loci termini coercerent. Sed quomodo possum repræsento me vobis, si corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris lætus exulto, participem me computans vobis, etsi in passione corporis consortio caretatis. An ego possim tacere, & vocem meam silentio premere, cùm de carissimis meis tam multa, & gloriosa cognoscam, quibus vos divina dignatio honoravit, ut ex vobis pars jam martyrii sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de domino receptura: pars adhuc in carcerem claustris, sive in metallis, & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis majora documenta ad meritorum titulos ampliorum tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cœlestibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis. Quæ quidem vobis, fortissimi ac beatissimi fratres, pro merito Religionis ac Fidei vestræ accidisse non miror, ut vos sic Dominus ad gloriarum sublime fastigium clarificationis suæ honore provexerit; qui semper in Ecclesia ejus custodito Fidei tenore viguistis, conservantes firmiter dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ severitate censuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiam nunc in confessione vocis, & passione corporis fratrum mentes ad divina martyria provocastis, duces vos exhibendo virtutis, ut dum grex pastores suos sequitur, & quod fieri à præpositis cernit, imitatur, paribus obsequiorum meritis à Domino coronetur. Quòd autem fustibus cæsi prius graviter & afflicti, per ejusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est; neque enim ad fustes Christianum corpus expavet, cujus est spes omnis in ligno, & post denique exemplum vestrum secuta multiplex plebis portio, confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimæ caritatis, & à Præpositis suis nec carcere nec metallo separata. Cujus numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructus centenus accessit, quasque ad cœlestem coronam gloria geminata provexit. In pueris quoque virtus major ætate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum gregem, & sexus, & ætas omnis ornaret.* Atque eis quoque, licèt ipse non abundans, vitæ subsidia misit, ut ex tribus rescriptis eorum epistolis intelligitur. Multis item propter Christi confessionem in carcerem traditis accidit, ut Rogatianus senior, & Felicissimus VII Kal. Novembris, teste Beda, constantissimè occubuerint. Quod ut Cyprianus accepit, epistolam alteram scripsit ad Rogatianum juniorem, & cæteros in carcere constitutos, eosque hortatus est, ut Fidem tenerent exemplo Rogatiani senioris, & Felicissimi Martyrum, sic enim dixit: *Ut sequamini in omnibus Rogatianum Presbyterum, gloriosum senem, viam nobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute, & divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quietò semper & sobriò excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, & metator quodammodo vester nunc quoque vos antecedit, quod ut consummetur in vobis, assiduis orationibus deprecamur, ut initiis ad summa pergentibus, quos confiteri facit, faciat & coronari.* Res verò Ægypti, ut ex epistolis Dionysii Alexandrini apud Eusebium positis colligi potest, hunc statum habuerunt. Dionysius Alexandriæ Episcopus citatus ad Æmilianum Præfectum cum Maximo Presbytero, Fausto, Eusebio, & Chéræmone Diaconis adiit. Cui Æmilianus dixit: *Cave ne te post hac Christianum profitearis,* ratus ejus exemplum cæteros facilè sequuturos. Tum Dionysius: *Haud quaquam tibi parebo,* inquit, *siquidem accepimus, Deo magis, quam hominibus esse parendum.* Dionysio porrò, Fausto, Maximo, & Chéræmoni in concilium advocatis dixit: *Imperatores vobis vitæ gratiam faciunt, si deos Imperii custodes colatis.* Cui Dionysius: *Nos unum Deum colimus, qui Valeriano & Gallieno Cæsaribus Imperium dedit, quemque nos pro illorum incolumitate oramus.* Æmilianus: *quid prohibet, cur non & unà Deos colatis?* Dionysius: *quia unum Deum tantummodo colimus.* Æmilianus: *Nisi parueritis, in locum, qui dicitur Cephro, relegabimini, neque aut conventus celebrare, aut cœmeteria frequentare poteritis;* atque ita eos Cephro abire coëgit. Quò ubi venerunt, Dionysius tamen conventus habere non destitit, & alios ad habendum accendit. Cùm autem magna hominum multitudo Verbi Dei audiendi gratiâ convolaret, Æmilianus eos in interiora Lybiæ transtulit, & Mareotidem incolere jussit, ac singulos separavit, ut cùm liberet, præsto ad manum haberet. Dionysius autem in Collusthiona locatus, amicorum conventu frequentatus officium prædicationis non intermisit. Interim Alexandriæ viri, ac fœminæ passim aut flagris cæsi, aut igne cremati, aut ferro percussi coronas martyrii receperunt; aliquot etiam sæviens per hos dies pesti-

lentia

A. Chr. CCLVIII.

A lentia absumpsit. Præfectus alios è medio sustulit, alios tormentis laniavit, nonnullos carcere tabefecit contra jussa assiduo fratrum adeuntium studio celebratos. Cæsareæ Palæstinæ tres viri, Priscus, Marcus, & Alexander bestiis sunt objecti, qui rure in urbem sponte profecti desiderium martyrii expleverunt. Inter cæteras mulierem quamdam, quæ Marcioni studuerat, occubuisse eodem genere certaminis narrat; de Prisco, & sociis, sic scriptum reliquit Beda: *V. Kal. Aprilis apud Cæsaream Palæstinæ natale SS. Martyrum Prisci & Alexandri, qui Persecutione Valeriani cùm suburbanum agellum supradictæ* B *urbis inhabitarent, atque in ea cœlestis martyrii promererentur coronæ, divino Fidei calore succensi ultro Judicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desævierit objurgant, quos ille continuò pro Christi nomine bestiis tradidit devorandos.* In eadem quoque civitate Marinus & Asterius per idem tempus passi sunt; de quibus ita Beda: *V. Nonas Martias apud Cæsaream Palæstinæ natale SS. Martyrum Marini & Asterii Senatoris sub Persecutione Valeriani.*

CCLIX. Sequenti anno Tusco & Basso Consulibus, Dionysius Episcopus Alexandrinus ad Xystum Pontificem perinde atque ad Stephanum fecerat, de Baptismate hæreticorum scripsit in hæc verba: C *Stephanus antea scripserat, se cum Heleno, Firmiliano, cæterisque Episcopis Ciliciæ, Cappadociæ, & Galatiæ, & omnium gentium finitimarum communionem inire nolle, quia hæreticos rebaptizarent. Rei igitur magnitudinem diligenter animo attende. Decreta enim in maximis Episcoporum conciliis, sicut audio, facta fuerunt, uti qui ab hæresis impietate recedant, debeant primùm in Fide institui, deinde veteris & impuri fermenti eluvie & sordibus ablui, & purgari, atque ut pro omnibus Episcopis te deprecarer, hæc scripsi;* & paullò post de Sabellianis hæreticis sic subdit: *Quoniam de erroris dogmate Ptolemaide Pentapolis jam suborto,* D *quod plane impium est, quod detestabilem de Deo omnipotente Patre Domini nostri Jesu Christi blasphemiam continet, quod multum falsæ doctrinæ de unigenito Filio ejus primogenito omnis creaturæ, Verbo Incarnato, complectitur, quod cæcam de Spiritu Sancto ignorationem comprehendit, ex utrisque partibus literæ certiorem me facientes, & fratres mecum de ea re communicantes ad me venerunt, propterea ego quasdam epistolas scripsi, quibus, quoad potui, obscuras ejus erroris latebras divino auxilio patefeci, quarum exemplaria descripta ad te misi.* Scripsit etiam ad Philemonem Presbyterum Romanum se, E cùm legeret libros hæreticorum, à quodam Presbytero deterritum fuisse, ne faceret, ne doctrinæ illius perversæ cœno pollueretur, inde cœlesti viso fuisse admonitum, ut id sedulò ageret, quòd satis virium ad quæcumque tum convincenda, tum exploranda haberet, idque visum, quod cum Apostolica congrueret voce: *SITIS DILIGENTES ANIMADVERSORES, ET VELUTI TRAPEZITÆ, QUI ARGENTUM PROBANT*, se libenter esse sequutum. Addit inde Heraclam Episcopum decessorem suum se cum eis, qui hæreticorum consuetudine usi essent, ita gessisse, A si qui essent accusari, quòd cum eis congressi essent, qui diversam à Fide doctrinam tuerentur, Ecclesiâ ejecisse, neque eos admitti flagitantes recepisse, nisi omnia, quæ ab hæreticis audivissent, palàm eloquuti fuissent, neque alio eos Baptismate infecisse, quòd à se antea Spiritum Sanctum accepissent. Demum se scire non solùm Episcopos in Africa consuetudinem rebaptizandorum hæreticorum invexisse, verùm multo etiam ante conciliis Iconii, & Synnadis, & alibi magnâ frequentiâ celebratis idem decretum esse, quorum judicia condemnare se non audere, monente Salomone: *TERMINOS, AC FINES PRO-* B *XIMI TUI NON COMMUTABIS, QUOS PATRES TUI PRÆSTITUERUNT.* Scripsit quoque ad Dionysium Presbyterum Romanum, qui post Pontifex fuit de Hæresi Novati hoc modo: *Contra Novatum certè, qui Ecclesiam tam miserè disciderit, qui fratres quosdam ad impietatem, & blasphemiam attraxerit, qui scelestissimam de Deo Patre doctrinam invexerit, qui benignissimum Dominum nostrum Jesum Christum tamquam inclementem & crudelem falsâ calumniatus fuerit, qui præter hæc omnia Sanctum Baptismatis lavacrum abrogaverit, qui Fidem ac confessionem, quæ Baptismum præcedunt, condemnarit, qui denique ab illis, qui* C *aliquo vitiorum genere se infecerant, Spiritum Sanctum (quamvis spes esset reliqua illius, aut in eorum mentibus permanendi, aut ad eos denuo redeundi) omnino depulerit, fugaveritque, non sinè causa grave odium concepimus.* Item aliam epistolam ad Xystum Pontificem, in qua ipsum de quodam hæretico cupiente rebaptizari consulit, hoc modo: *Revera, frater, quoniam ejusmodi quædam causa ad me delata est, in qua veritus ne per errorem labar, consilium quæro, tuamque vehementer exposco sententiam. Frater quidam ex nostro conventu, communioneque fidelis judicatus ætate admodum provectus, & prius quàm ego eram creatus Episcopus,* D *& ut arbitror, antequam beatus Heraclas in Episcopatus gradu collocatus fuerat, conventus, communionisque particeps factus, cùm fortè Baptismo eorum, qui nuper apud nos rebaptizarentur, & rogata, responsaque audiret, venit ad me lugens, & graviter suam vicem deplorans, se ad pedes meos abjicit, ex animo confitetur, & sanctè dejerat, Baptismo, quo erat apud hæreticos tinctus, non hujus generis esse (illud namque plenum esse impietatis, plenumque blasphemiæ), neque ullam omnino cum ista nostro habere similitudinem, affirmatque, animum suum propterea acerbis dolorum stimulis compunctum, & quoniam nefario ac profano cum verborum tum* E *factorum scelere pollutus erat, ne liberè suos oculos ad Deum posse elevare, & propterea obtestatus est, ut hac purissima lavacri purgatione, vera susceptione in Ecclesiam, & divinâ in eo Sacramento oblatâ gratiâ potiretur, quod planè ego non audebam præstare, sed diuturnam illam communionem, qua fuerat cum Fidelibus sociatus, satis habere virium ad ejus animum purgandum affirmabam. Nam qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen unà pronunciasset, qui astitisset mensæ, qui manus ad Sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset Corporis & Sanguinis*

Do-

A. Chr. CCLIX.

A *Domini nostri Jesu Christi particeps, ejus Baptisma non audebam de integro renovare, sed bono animo esse jubebam, & solida ac constanti Fide, conscientiaque pura synceraque ad Sanctorum mysteriorum perceptionem accedere. Iste tamen lamentis, & mœrore se conficere non destitit, ad mensam accedere præmetu exhorruit, & vix orantis precibus interesse sustinuit.* Quin etiam aliam epistolam ad Xystum, & Clerum Romanum dedit, in qua eamdem quæstionem tractavit. Eodem anno Valerianus Imp. remissa Persecutione in Thraciam abiit, atque inde Byzantii agens bellum per Aurelianum, teste Vopisco, adversus Gotthos gerere instituit. Inde mutato consilio Romam rescripsit, ut Persecutio instauraretur. B Quod cùm incerto rumore Cyprianus interim ab exilio reversus audisset, nuncios Romam, qui explorata referrent, misit, quibus reversis literas hujus edicti nuncias ad Successum Episcopum scripsit, inquiens: *Sciatis eos venisse quos ad Urbem propter hoc miseram, ut quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem sunt in vero ita se habent, rescripsisse Valerianum ad Senatum, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diacones in continenti animadvertantur, Senatores verò, & viri egregii, & equites Romani dignitate amissa, etiam bonis spolientur,* C *& si ademptis facultatibus Christianos esse perseveraverint, capite quoque multentur. Matronæ ademptis bonis in exilium relegentur. Cæsariani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. Subjecit etiam Valerianus Imperator orationi suæ exemplum literarum, quas ad Præsides provinciarum de nobis fecit, quas literas quotidie speramus venire, stantes secundùm Fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, & expectantes de ope, & indulgentia Domini vitæ æternæ coronam.* Romæ autem edicto proposito, Præfectus unus ex iis, quibus ea mandata jurisdictio erat, D statim Xystum Pontificem cum Clero comprehendit, atque in custodiam dedit. Quod ubi fideles cognoverunt, vulgò ad eum confluxerunt, ut benedictionem & Baptismum acciperent. Xystus autem Clerum verbis ad omnia tormenta pro Christi confessione perpetienda hortatus est. Adductum inde in jus sic Præfectus rogavit: *Scis, cur ad nos adductus sis?* Xystus: *Scio,* inquit; Præfectus: *Fac igitur, ut universi sciant, & tu vivas, & Clerus tuus augeatur, nisi sacrifica Diis*; cui Xystus: *Ego semper sacrificavi, & sacrificabo Deo Patri omnipotenti, & Domino Jesu Christo, & Spiritui Sancto hostiam puram, & immaculatam.* E Tum ad templum Martis, ut ibi sacrificaret, adire jussus, cùm recusaret, cum Agapeto & Felicissimo Diaconis in carcerem Mamertini est ductus. Quem cùm Laurentius Archidiaconus obvius inspexisset, sic est affatus: *Quò Sacerdos sine Diacono tendis? Cur me socium respuis in martyrio, quem consortem ascivisti in Sacrificio?* Cui respondit Xystus: *Noli mœrere; neque enim ego te respuo, sed te majoribus certaminibus pro Christo reservo; post triduum Sacerdotem sequere levita; interim sume thesauros Ecclesiæ, & quibus tibi videtur,*

A *pauperibus divide.* Abiit ergo Laurentius, & quæsitis in omnibus regionibus Urbis pauperibus, ipsos thesauros Ecclesiæ dispertivit, atque interim Cyriacam & Crescentionem obvios, suis languoribus, & offensionibus liberavit, atque inde ad Xystum in templum Martis reversus, se thesauros divisisse renunciavit. Quo verbo audito, à militibus continuò est comprehensus. Xystus autem postquam injunctum immolationis officium recusavit, jussu Præfecti VIII. Idus Augusti ad Clivum Martis obtruncatus est, atque à suis in cœmeterio Callisti sepultus; cum eo verò necati quoque Agapetus, Felicissimus, Januarius, B Magnus, Innocentius, & Stephanus, quorum duo Subdiaconi, quatuor Diaconi fuisse feruntur, ut in actis Xysti legitur, quibus Beda assentitur. Quod martyrium cùm Cyprianus à nunciis iisdem Româ reversis audisset, pariter Successum in eadem epistola, de qua dixi, admonuit: *Xystum,* inquit, *in cœmeterio animadversum sciatis octavo Iduum Augustarum die, & cum eo Diaconos quatuor, sed & huic Persecutioni quotidie insistunt Præfecti in Urbe, ut si qui oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum Fisco vindicentur.* Præfectos autem quæstionum, non Urbis, intelligit, nam unus tantùm hoc anno Urbis Præfectus C fuit, nomine Cornelius sæcularis, ut in libro de Præfectis scriptum est.

VACATIO ROMANÆ SEDIS.

Supplicio de Xysto Pontifice sumpto, protinus Laurentii quæstio hoc modo exercita est. Præfectus Laurentium ad se adductum thesauros illos, quorum dixerat, prodere jussit, ac thesauros se habere abnuentem in custodiam cuidam Hippolyto tradidit, ubi cùm esset duas res memorabiles egit, nam & Lucillam mulierem cœcam illuminavit ac tinxit, & Hippolytum ipsum ad fidem convertit, ac pari- D ter cum tota familia abluit. Jussus inde iterum thesauros expromere, tridui inducias petiit, atque interim omnes cœcos, claudos, debilesque, quos potuit, undique convocavit, eosque Præfecto cognoscere cupienti obtulit, inquiens: *Hi thesauri mei sunt, qui marcere non possunt.* Tum ille delusum se arbitratus: *mitte nugas istas,* inquit, *& sacrifica Diis, alioquin morieris.* Inde negantem se mutis lapidibus sacrificaturum, nudari jussit, atque omnia, quæ tum in usu erant, tormentorum genera ad incutiendam formidinem ostendavit, mox adhuc reluctanti fustes inflixit, laminas candentes admovit, & plumbatis cæcidit, E eùmque non ita quidem vincere potuisset, custodiæ tradidit. Cùm autem miles quidam, nomine Romanus, Laurentium gratias Deo in tanta tormentorum acerbitate agentem audisset, exclamavit, se videre virum pulcherrimum vulnera ejus linteo abstergentem, & Christo credens ad Laurentium progressus, Baptismum cùm postulasset, accepit. Quod ubi Præfectus animadvertit, V. Idus Augusti ipsum extra Portam Salariam obtruncavit. Cujus corpus Justinus Presbyter in Crypta agri Verani recondidit. Postridie Præfectus Laurentium rursus eduxit, & ut sacrificaret, in-

injunxit. Demum autem ut hoc quoque spernì imperium sensit, lectum ferreum instar eraticulæ afferri, atque illum nudatum in eo extendi & prunas substerni, furcisque ferreis ipsum comprimi jussit. Quod cùm satellites facerent, tum Laurentius dixit: *O miser non vides, ut tui carbones mihi non ardorem, sed refrigerium afferant?* Inde cùm prope ab uno latere coctus videretur, adjecit: *Assasti unam partem, nunc versa alteram, & manduca;* atque ita Deo agens gratias expiravit. Inde Claudius Subdiaconus, Severus Presbyter, Crescentius Lector, & Romanus Ostiarius interfecti. Laurentii corpus ab Hippolyto Viâ Tiburtinâ sepultum est. Hæc ipsa in gestis Xysti Pontificis, imperante ac præsente Decio Augusto, acta dicuntur. Historiæ subscripserunt Pseudo Damasus, Beda, Ado, & Usuardus, non animadvertentes quot annis ante obierit Decius, & ut ex Cypriano, qui tunc vivebat, & hæc ipsa anxius inquirebat, Xystus a Valeriano Imperatore non a Decio fuerit interemptus; ea verò jussu Præfecti administrata, non Decii Augusti, declarat apertè Prudentius, auctor vetustissimus, inquiens:

Versat famem pecuniæ
Præfectus urbis Regiæ
Minister insani ducis
Exactor auri & sanguinis,
Qua vi latentes eruat
Nummos operta existimans
Talenta sub Sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.

Quin etiam ipse Cyprianus, cùm Præfectos institisse Persecutioni inquit, satis apertè absentiam Imperatoris comprobat, quam Vopiscus significavit: est etiam illud in iisdem gestis apertè falsum, Decium Augustum immundo spiritu propterea correptum diem suum in Urbe obiisse, quod omnibus Gentilium repugnat historiis, quæ incommoda ut quidam evitarent, Decium quemdam Augustum à Valeriano factum finxerunt, cujus nulla veteribus in literis exstat memoria, & in solvenda quæstione, Xysti, & Laurentii historiam, quam tueri voluerunt, imprudentes penitus everterunt. Redeo ad inceptum. Præfectus inde Hippolytum tamquam suspectum cepit, atque Christianum se esse profitentem sacrificare Diis jussit, ne ut Laurentius, interiret, cui Hippolytus respondit: *Utinam ego imitari Laurentium possim!* Quod ut ille audiit: *Extendite illum*, inquit, *& fustibus ac carduis cædite;* quod dum illi fecerunt, Hippolytus nullam aliam vocem emisit, nisi illam, *Christianus sum*. Cùm porrò familiam ejus Christo quoque deditam invenisset, omnes in quæstionem abripuit, ex quibus Concordia nutrix ejus plumbatis necata, atque in cloacam projecta est. Deinde Hippolytum cum familiaribus cæteris numero novemdecim extra Portam Tiburtinam misit, ac familiam quidem, ipso inspectante Hippolyto, detruncavit. Hippolytum verò ad colla indomitorum equorum alligatum per carduos, & tribulos traxit, atque ita ille Idibus Augusti claro martyrio functus est; corpora à Justino Presbytero sepulturæ commissa sunt. De hoc Hippolyto longè aliter scripsit Prudentius: *Hippolytus*, inquit, *Presbyter Romanus fuit, qui aliquando Novati schisma sequutus, post ad Catholicos rediit, cùmque fervente Persecutione simul ac pestilentia Ostiam secessisset, raptus ibi, ac feris equis trahendus, ac discerpendus Idibus Augusti permissus est.* Post aliquot inde dies Irenæus Cloacarius, qui occultè erat Christianus, corpus Concordiæ in cloaca repertum unà cum Abundio item Christiano ad Justinum Presbyterum detulit, quod Justinus susceptum juxta Hippolytum sepelivit. Quod ubi Præfectus rescivit, utrumque eorum VII. Kal. Septembris in cloacam demergi præcepit, quorum corpora à Justino juxta Laurentium sunt sepulta; ad extremum autem, & ipse eo nomine XV Kal. Octobris est interfectus, ut Beda testatur. Cæterùm ad comprobandum illustre Laurentii martyrium, placet judicium quoque de illo S. Augustini subjicere ex expositione Evangelii S. Joannis desumptum: *Mansit in Deo S. Laurentius; non enim occisus est citò, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est, immo non diu vivere permissus est, sed tardè mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quam bene manducaverat, & bene biberat, tamquam illa esca saginatus, & illo calice ebriatus tormenta non sensit; ibi enim erat, qui dixit, SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT. Caro enim ardebat, sed Spiritus animam vegetabat. Non cessit, & in regnum successit. Dixerat autem illi Xystus Martyr Sanctus, cujus diem quinto ab hinc retro die celebravimus. Noli mœrere fili. Episcopus enim erat ille, iste Diaconus. Noli mœrere, inquit, sequêris me post triduum. Triduum autem dixit medium inter diem passionis Sancti Xysti, & diem hodiernum passionis Sancti Laurentii, triduum est medium.* Redeo in Africam, ut acta Cypriani persolvam. Is ab exilio reversus cùm in hortis suis habitaret, accepit, nuncius missus esse, qui se Uticam perducerent, qua de re sic Presbyteros fecit certiores: *Cum perlatum ad nos fuisset, fratres carissimi, frumentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, & consilio carissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris secederemus, justa interveniente causa consensi, eo quòd congruat, Episcopum in ea Civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, & plebem universam Præpositi præsentis confessione clarificari;* & paullò post: *Expectamus ergo hic in secessu abdito constituti adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores super Christianorum laicorum, & Episcoporum nomine mandaverint, & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit. Vos autem, fratres carissimi, pro disciplina, quam de mandatis Dominicis à me semper accepistis, & secundùm quod me tractante sæpissimè didicistis, quietem & tranquillitatem tenete, ne quisquam vestrûm aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro se Gentilibus offerat; apprehensus enim & traditus loqui debet. Siquidem in nobis Dominus positus illâ horâ loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri. Quid autem de cætero nos observare conveniat, antequam in me super confessione no-*

CCLIX. A *minus Proconsul sententiam ferat, instruente Domino in commune disponemus.* Interim venêre ad eum duo Principes ex officio Proconsulis Galerii Maximi, & in curriculum suum sublatum ad Proconsulem deduxere. Ibi collectus à statore officii secessit in hospitium ejus in vicum, qui dicebatur Saturni, quò magnus Fidelium numerus convênit ad audiendum Verbum Dei. Mane autem oblatus est Cyprianus Proconsuli, cui ille dixit: *aut sacrifica Diis, aut pœnas dabis.* Cui Cyprianus: *Christianus sum, neque per leges meas facere possum*, instantique illi, *consule tibi*, respondit; *in re tam justa nulla est consultatio, tu fac, quod tibi præceptum est.* Tum B Proconsul sententiam ex tabella recitavit: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*; cui Cyprianus: *Gratias ago Deo omnipotenti, qui me his vinclis corporis dignatur absolvere.* Cùm autem duceretur, multitudo fratrum flens dicebat: *& nos moriamur cum eo.* Inde ubi ad Xysti locum est ventum, vestibus positis, in lintea stans spiculatorem expectavit. Fratres verò lacrymantes linteos subjecerunt, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra, atque ita velatis oculis gladio percussus interiit XVIII. Kal. Octobris Tusco & Basso Consulibus. Corpus inde à Fidelibus sepulturæ C cum honore mandatum est. Quod si Cyprianus, veteribus monumentis auctoribus, Tusco & Basso Consulibus obiit, qui necis Xysti Pontificis meminit, profectò eodem anno Xystus quoque perierit, necesse est, atque undecim tantùm menses sederit,

A non undecim annos, ut prodit Eusebius, CCLIX. & unam tantùm mense Decembri ordinationem obierit, non duas, ut notavit Damasus, qui ei quoque duos annos attribuit, quem si sequi voluerimus, historiæ Stephani prorsus abroganda fides erit, quam in digerendis superioribus annis secuti sumus. Anno inde ducentesimo se- CCLXI. xagesimo primo, Sæculari & Donato Consulibus, Valerianus Augustus adversùs Saporem Persarum Regem in Mesopotamiam invectum, & Syriæ imminentem profectus, sive dolo suorum, sive fraude hostium sexto Imperii sui, ut Pollio tradidit, anno, captus apud eum in servitute remansit. B Itaque Sex. Victor de illo sic scripsit: *Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum Rege superatus, mox etiam captus apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, Rex ejusdem provinciæ incurvato eo pedem cervicibus ejus imponens equum ascendere solitus erat*; & Dionysius Episcopus Alexandrinus, quem jam sæpè commemoravimus, ita: *Valerianus Macrini proditione in hanc miseriam prolapsus, contumeliis & probris hostium Barbarorum objectus fuit; ille dum gerebat Imperium contra Christianos furore exarsit; post cùm regium illud decus debilitato corpore sustinere non posset, duos filios paternis sceleribus insignitos Imperio præfecit.* C Valeriano capto Odenatus Decurio Palmyrenus in Syria Imperium suscepit, atque Zenobiam uxorem, & filios secum Augustos appellavit.

LIBER DUODECIMUS.

GAllienus autem, ut patrem captum, atque in servitutem abductum vidit, quasi tacita quadam religione perculsus, Persecutionem ab illo indictam inhibuit; quippe edictis D propositis Episcopos munera sua liberè curare permisit, ac literas ad eos ejusmodi dedit: *Imp. Cæsar P. Gallienus, Pius, Felix, Augustus Dionysio, Pinnæ, & cæteris Episcopis S. Meæ munificentiæ beneficium per universum Orbem divulgari præcepi, ut qui loca religiosa ad Christianos spectantia possident, ab illis statim discedant. Et propterea vos mearum literarum exemplo uti poteritis, quo nemo deinceps vobis quidquam molestiæ præbeat. Et quod nunc liberè expleri potest, jampridem à me fuit concessum. Ob id Aurelius Quirinus, qui summam rerum secundùm me administrat, literarum exemplum quoque custodiet.* E Quin etiam alterum edictum edidit, quo cœmeteria frequentari concessit.

DIONYSIUS PONT. XXIV.

PAcatâ in hunc modum Ecclesiâ Justinus Presbyter corpora Sanctorum, si quæ laterent, indagavit, atque in eam rem præmium militibus promisit, quare quadraginta sex milites cum uxoribus suis ad Justinum venerunt, prostratique ad pedes ejus baptizari se postularunt. Tum Justinus collecto Clero comitia creando in locum Xysti Pontifici habuit, atque XI. Kal. Augusti ex omnium sententia suffectus est venerabilis vir Dionysius Monachus, quem consecravit Maximus Ostiensis Episcopus, ut scriptum est in gestis S. Xysti, & apud Damasum, cùm interim Ecclesiam D ipsi Presbyteri gubernassent. Tum Dionysius sex illos & quadraginta milites à Justino productos tinxit. Per eosdem dies Demetriano Episcopo Antiochiæ mortuo, Paulus Samosatenus sufficitur. Is ut Zenobiam Orientis Reginam cum Judæis sentientem corrigeret, atque ad rectam Fidem traduceret, veterem hæresim, ut inquit Epiphanius, Theodoti Artemonisque, jampridem extinctam suscitavit, qua Christum sola communi natura cum homine fuisse præditum dixit, asserens, Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum Deum esse. In Deo autem semper esse ipsius Verbum, & Spiritum ipsius, E quemadmodum in hominis corde est proprium verbum; non esse autem Filium Dei in substantia, sed in ipso Deo, quemadmodum etiam Sabellius, & Novatus, & Noëtus, & alii; non autem æqualis illis hic est, sed alius ab illis, venisse autem Verbum, & inhabitasse in Jesu homine, & sic inquit, unus est Deus, & non Pater noster, & Filius Filius, & Spiritus Sanctus Spiritus Sanctus, sed unus Deus Pater, & Filius ipsius in ipso velut Verbum in homine, nimirum his testimoniis hæresim suam confirmans ab eo quod dixit Moyses: *Dominus Deus tuus Dominus unus est*; non

autem

CCLXI. autem asserit hic, velut Noëtus Patrem A
passum esse, sed dicit, Verbum venit, &
solum operatum est, & rediit ad Patrem,
& multa est apud hunc absurditas. De hac
autem hæresi sic etiam S. Augustinus: *Pau-
lus Samosatenus Christum non semper fuisse,
sed ejus initium, ex quo de Maria natus est,
asseverat, nec eum aliquid amplius quàm ho-
minem putat. Ista hæresis aliquando cujus-
dam Artemonis fuit, sed cùm defecisset, in-
staurata est à Paulo*. Eodem anno Diony-
sius Episcopus Alexandrinus, ubi per Gal-
lienum quieta esse omnia sensit, Alexan-
driam se recepit; verùm cùm in civilem
discordiam incidisset, ac neutram factio-
nem videre æquo animo posset, urbe ces- B
sit, ac succedente Paschate civitatem per
literas appellavit, quod ipse ad Hieracem
Episcopum scripsit, pestilentiam & famem
commemorans, quæ in dies magis ingra-
CCLXII. vescebat. Postero anno Macrianus Impera-
tor contra Gallienum in Asia declaratus in
Illyricum venit, atque ibi filios Macria-
num juniorem, & Quietum Augustos ap-
pellavit. Multi etiam alii per hos annos
adversùs Gallienum hominem ignavum,
& multis nominibus contemnendum, arma,
insigniaque in provinciis susceperunt, qui
vulgò triginta Tyranni dicti sunt, quorum
nemo ad hanc historiam pertinet. De Ma-
criano autem iccirco mentionem fecimus, C
CCLXIII. quia Dionysius Alexandrinus anno sequen-
ti, qui fuit Gallieni Imperii nonus, ita de
illo, auctore Eusebio, prodidit: *Macria-
nus Imperatorum, quibus operam dabat, al-
terum prodens, alteri insidias tendens, cum
universa familia brevi radicitus extirpatus
est. Gallienus autem, & vetus, & novus
Imperator denuo, summo omnium consensu
declaratur, qui cùm ante Macrianum, & fi-
lios Imperium tenuit, tum post illorum mor-
tem Imperii gubernacula sumpsit; Macrianus
autem, qui se aliis antetulerat, & Imperio
Gallieni, quod tantopere affectabat, appropin-
quare contenderat, non est ampliùs Impera-
tor, quemadmodum jure non erat, hic ut D
antea sic jam pari dignitate elucet. Gallie-
nus enim vitam pietate, Deique cultu claram
traducens octavo Imperii anno elapso jam no-
num agit, in quo nos festa lætis animis cele-
bramus*. Scripsit etiam idem Dionysius li-
bros duos de præmisso hoc argumento.
Cùm Nepos Episcopus Ægyptius promissa
in Sacris Scripturis. Sanctis viris edita in
hoc sæculo, sicut Judæi somniant, præstan-
da esse docuisset, hominibusque persuadere
conatus esset, eos millenario quodam an-
norum numero in deliciis, & voluptate in
terra victuros, librum edidit, quem elen-
chum Allegoristarum vocavit, putans, se
posse Joannis Apocalypsi suam sententiam E
confirmare, in quorum priore de illo dog-
mate disputavit, in posteriore de Apoca-
lypsi Joannis, quam Nepos dicebat, non
Joannis, sed Cerinthi esse, neque in Joan-
nem, aut Apostolum aliquem convenire,
ipse verò scriptum illud, ut Sanctum pro-
bavit, cujusnam verò esset, se ambigere,
dixit, eamque omnium obscurissimam, &
à se parum intellectam, confiteri non du-
bitavit. Composuit etiam libros quatuor
contra hæresim Sabellii, eosque Dionysio
Pontifici Romano misit. Qui libri deinde
Ario ad novam instituendam de humani-

A tate Christi hæresim occasionem aperue- A Chr. CCLXIII.
runt. Quam rem altius repetitam, ac plu-
ribus expositam apud Athanasium inveni-
mos in eo libro, qui inscribitur: *De sen-
tentiis Dionysii Episcopi Alexandrini*: *In Pen-
tapoli*, inquit, *superioris Lybiæ quidam Epi-
scopi sententias Sabellii amplectebantur, tan-
tumque eorum commenta invaluerant, ut vix
ulteriùs Filius Dei in Ecclesiis prædicaretur.
Ea re cognita Dionysius, ad cujus curam il-
læ Ecclesiæ pertinebant, legatos misit, qui au-
ctores harum rerum ab illis pravis opinioni-
bus deterrerent; illis autem in impietate sua
pergentibus, coactus est ad illorum improbi-
tatem retundendam epistolam ad Euphrano-
B rem, & Ammonium scribere, & humanita-
tem Christi ex Evangeliis demonstrare, illis
audaciùs Filium Dei abnegantibus, & huma-
na ejus Patri imputantibus, demonstrata rei
veritate non Patrem, sed Filium pro nobis
hominem esse genitum, ut rudibus illis, & im-
peritis hominibus Patrem non esse Filium per-
suaderet, ac paulatim ad veram Filii divini-
tatem credendam, & Patris cognitionem eve-
heret. Tum verò quidam ex Ecclesia rectè
quidem sentientes, sed tamen ignari, cur ita
ab eo scriptum esset*, Romam venerunt, *ibique
eum apud Dionysium Pontificem accusarunt.
Qua re comperta Dionysius librum contra Sa-
bellianos scripsit, in quo æquales, sed tamen
C contrarias hæreses esse docet in Sabellii dog-
matis, & blasphemiis eorum, qui dicunt Dei
Verbum opus, aut creaturam esse, postula-
vitque à Pontifice, ut objecta sibi indicarent,
quibus acceptis opus edidit nomine elenchi, &
apologiæ, ubi sceleratam officinam inimicorum
Christi redarguit, & quo pacto hanc infa-
miam contra se concitarint, ostendit*. Item
in eo libro, qui inscribitur: *Decreta Syno-
di Nicænæ*. Dionysius Episcopus Alexan-
drinus adversùs Sabellium scribens, iisque
Sabellianos convincens, refellensque Pa-
trem non fuisse carnem factum, sed Ver-
bum ejus fuisse, quod Filium creaturam
nominasset, eumque factum esse, & con-
D substantialem Patri dixisset, ad Dionysium
Episcopum Romanum pro defensione cri-
minis ita scribit, se non dixisse Filium es-
se factum, quem Patri consubstantialem
fateatur; illius autem oratio ejusmodi est:
*Et in alia epistola demonstravi, falsum esse
crimen, quod mihi objiciunt, quasi dixissem,
Christum non esse consubstantialem Deo. Etsi
hoc nomen consubstantialis dixeram non inve-
niri usquam in sacris literis, tamen argu-
menta mea, quæ ipsi tacita omiserunt, à re
ipsa, & significatione vocabuli non abludunt*.
Cæterùm de eodem Dionysio sic quoque
Basilius Magnus ad Maximum Philosophum
scripsit: *Non omnia Dionysii admiramur
E opera; sunt enim nonnulla, quæ prorsus ob-
rogamus; ferè enim impietatis hujus, quæ
nunc tantopere celebratur, de inæqualitate
ipse primus seminarium præbuit, non ille
quidem improbitate mentis, & sententiæ, sed
quod vehementius oppugnare Sabellium volue-
rit, non sentiens nimio contentionis studio se
in contrarium malum ferri, cui satis fuerat
ostendere, non idem esse subjecto Patrem &
Filium, & per hoc victoriæ laudem à bla-
sphemo illo referre; ipse autem ut apertè il-
lum convinceret, non tantum diversitatem
substantiarum, verùm etiam substantiæ dif-
ferentiam, & potestatis veluti remissionem,
&*

CCLXIII. *& gloriæ mutationem affert, itaut per hec contigerit eam malum ipsum malo alio permutare, & à recta disciplina deflectere. Itaque in scriptis suis varius est, nonnunquam enim consubstantiale tollit per eum quo ad substantias abrogandas abutitur librum; aliquando autem id admittit, in iis scilicet, quas pro defensione sui ad Dionysium composuit scriptis. Tum autem de Spiritu etiam Sancto voces emisit spirituali viro minimè congruentes, ipsum ab ea, quæ adoratur, divinitate prescribens, & veluti in eafimum ordinem creatæ, & ministræ naturæ redigens.*

CCLXIV Postero anno Gallienus Imperator Romæ decennalia celebravit, novo genere ludorum, nova specie pomparum, & exquisito genere voluptatum. Jam hæresis Pauli per multas Ecclesias dispersa, tantum vitium erat adepta, ut Catholicis terrorem inferret. Qua re ne longiùs serpens inexpugnabilis fieret, placuit Episcopis Antiochiæ Concilium convocare, atque de illa cognoscere. Huic Concilio interfuere Episcopi Firmilianus Cæsareæ Cappadocum, Gregorius Neocæsariensis, & Athenodorus fratres Ponti Episcopi, Helenus Tarsi, Nicomas Iconii, Himenæus Hierosolymorum, Theotecnus Cæsareæ Palæstinæ, Maximus Bostræ, qui inter cæteros Principatum obtinuerunt. Dionysius Alexandrinus cùm propter adversam valetudinem adesse non posset, literas sententiæ suæ indices ad Antiochenam Ecclesiam misit, neque Paulum allocutione dignum existimavit. Cùm autem omnes in unum coissent, sæpiùs inter se de præsenti quæstione disseruerunt, ac maledicta Pauli, quæ ille occultare conabatur, in lucem pro viribus protulerunt. Firmilianus autem, cùm Paulum convicisset, promissum ab eo elicuit, fore ut sententiam illam deponeret. Ita ille concepto jurejurando, errori illi renunciavit, & Apostolicam doctrinam suscepit. Ad extremum gratiis Deo Salvatori de restituta Ecclesiæ concordia actis, Concilium est dimissum. Hæc cum Eusebio Nicephorus. Cæterùm Gregorius ille, cujus meminimus, Neocæsariensis Ecclesiæ Episcopus is fuit, qui propter admirabiles virtutes editas Thaumaturgus est dictus, qui Episcopatum iniens, septemdecim tantùm Fideles acceperat.

CCLXV. Proximo Odenatus, quem Syriam occupasse supra scripsimus, totius Orientis imperium sibi ascivit, Gallieno aut nullas, aut certè luxuriosas, ineptas, & ridiculas res agente, ac statim bellum Persis in vindictam Valeriani, quam Gallienus negligebat, indixit, ac Nisibim, & Carras recepit, qua ex victoria Gallienus Romæ, Pollione teste, triumphum egit.

CCLXVI Postero Dionysius Alexandrinus post annos septemdecim, quàm Alexandrinam cœperat administrare Ecclesiam, diem suum obiit, atque ejus locum Maximous obtinuit. Eodem anno cùm Paulus Samosatenus Ecclesiam iterum prava opinione sua recepta corrumperet, visum est Asiæ Episcopis novum Antiochiæ Concilium advocare. Cùm autem convenissent, ipsam de integro cognitam cum suo auctore damnarunt; præter cæteros Malchiore, qui ex ludi magistro ad Presbyteri dignitatem ascenderat, ipsum acerrimè arguente, inde Paolo abdicato Domnum substituerunt, atque his actis literas ad Dionysium Pontificem Romaoum, & Maximinum Alexandrenum nominatim, atque ad cæteros in universum Episcopos dimiseruot, in quibus studium suum in eo habendo Coocilio declararunt, atque Paulinæ hæresis confutationem, & improbatam Pauli vitam exposuerunt, hoc modo: *Scripsimus epistolas ad Episcopos, qui à nobis quàm longissimè aberant, obsecrantes, ut ad hanc perniciosam doctrinam emendandam accederent, ut ad Dionysium Alexandriæ, & Firmilianum Cappadociæ, quorum Dionysius Paulum indignum colloquio existimans ad universam Antiochiæ Ecclesiam epistolam scripsit. Firmilianus autem bis huc accessit, & quæ à Paulo pravè excogitata erant, ut nos, qui aderamus, testamur, eruditè refellit. Quare cùm Paulus sententiam se mutaturum esse pollicitus esset, fidem ei adhibens, rem in aliud tempus distulit, atque ab illo deceptus est. Cùm autem iterum Antiochiam venturus Tarsum usque accessisset, interea dum nos convenissemus, dum illum accersiremus, dum illius adventum expectaremus, vitâ functus est. Paulus autem primùm ex paupere ditissimus factus erat muneribus ex judicatione litium accipiendis, deinde sæculares honores affectans ad summum insolentiæ pervenit, atque ea re in summam invidiam, & odium religionem adduxit, magnam Satellitum antecedentium, & subsequentium catervam secum duxit, sedem separatam ascendit, eamque insidens superbè concionatus est, ac qui sibi loquenti non plauderent, loco hostium habuit, & magnificè de se loqui consuevit. Psalmos, qui ad Dei honorem decantari solent, rejecit, atque in media Ecclesia mulieres in die Paschatis carmina quædam inania in suam laudem composita fundere jussit. Nam voluit Filium Dei è Cœlo descendisse; sed qui in ipsum carmina recitabant, eum Angelum dixerunt è cœlo demissum. Presbyteros, & Diaconos suos mulieres, quae illi συνεισάκτους vocabat, habere permisit, ex quo multi à pietate pristina defecerunt, atque ipse, muliere una repudiata, duas ætate & forma florentes secum habuit, ac circum duxit. Hunc igitur Ecclesiâ ejicere contendimus, & alium Episcopum, nempe Domnum, qui huic Ecclesiæ Catholicæ præesset, substituimus, ac vos certiores fecimus, ut illi scribetis, & ab illo literas communionis accipiatis.*

LXVII. Sequenti, aut certe per bos annos, Dionysius Pootifex Romæ quietus ordinationes diversis temporibus duas per mensem Decembrem fecit, Presbyteris duodecim, Diaconis sex, & Episcopis per diversa loca septem creatis. Ex Episcopis autem, quos novos Civitatibus dedit, nous fuit Zama, quem Bononienses vetere fama à majoribus accepta sibi datum esse confirmant.

LXVIII. Proximo Gallienus Valeriaoum fratrem, qui Cæsar erat, Augustum appellavit,

LXIX. inde sequenti, qui fuit quintus decimus Imperii sui, hoc modo necatus est. Quippe Scyticum bellum urgens, nuocium accepit, Aurelianum, qui cum equitatu ad Mediolanum transitum Posthumi tyranni ex Gallia in Italiam observabat, res novas moliri. Ea re perturbatus, relicto ab bellum Marciano, in Italiam redire contendit. Heraclianus autem Præfectus Prætorio, assumpto in con-

filii

A. Chr. CC. LXIX.

filii fncietatem Claudio, necem illi apud Mediolanum machinatur per hominem ad ejusmodi parranda facinora expeditum, qui turmæ Dalmatarum præerat; is cœnanti Gallieno nunciavit, Aureolum Tyrannum cum suis copiis adventare. Quo nuncio territus Gallienus, signo militibus dato, ac uullis corporis stipatoribus expectatis, inde abiit, atque ita uudus ab insidiatore petemptus est. Militibus autem ducum jussu quiescentibus, Claudius Imperium XII. Kal. Aprilis arripuit, quod antea quoque communi decreto datum ei fuerat, ad quem statim Aureolus legatos de pace misit. Is deinde Gotthos Illiricum, Macedoniamque vastantes, ingenti prœlio vicit, ac Romam se contulit. Per eos dies venit ex Perside Marius quidam vir locuples in primis cum Martha conjuge, & filiis Audiface & Abauce, ut pro iusita pietate ad sepulchra Apostolorum vota funderet. Quo facto ad corpora Sanctorum in carceribus, & sepulchris invisenda se dedidit. Cùm autem in regione Transtyberina Quirinum virum venerabilem in custodia reperiisset, non propriis solùm facultatibus exutum, sed mirificis etiam tormentis excruciatum, pecuniâ suâ liberaliter sublevavit, cæterorumque, qui in vinculis erant, pedes lavit, aquam illam in capita sua, filiorumque fundens. Quæ dum ille agebat, Claudius sequenti anno, qui fuit CCLXX. edictum proposuit, ut si qui aut in populo, aut in carceribus versarentur, qui Christo cultum præberent, ipsi sinè interrogatione continuò punirentur, ac statim ducentos sexaginta, qui pro nomine Christi ad arenam viâ Salariâ fodiendam damnati fuerant, corripi jussit, atque extra Portam Salariam ductos sagittis militum Kal. Martiis interfecit. Quod ubi Marius cognovit, confestim eò cum uxore & filiis, & Joanne Presbytero advolavit, atque subjectum jam corporibus eis ignem inveniens, quæ potuit è flammis exemit, atque ea cum linteaminibus viâ Salariâ in crypta recondidit, simulque Tribunum quemdam Claudii nomine Blastum sepelivit, atque ibi vigilias & jejunia multis diebus cum Joanne Presbytero celebravit. Inde Romam reversus, à Presbytero Pastore cognovit, Quirinum VIII Kal. Aprilis gladio suisse peremptum, corpusque in Tyberim jactum in inconsulares edisse, quare eò profectus, corpus collegit, atque ipso adjuvante Pastore, in cœmeterio Pontiani reposuit. Inde Dionysium Episcopum (sic enim legendum est in historia, non ut vulgò legitur Callistum) cum multis fidelibus in una domo metu se continentem adiit, atque vix tandem agnitus, ibi cum eo per duos menses delituit. Interim Claudius Valentinum Presbyterum comprehendit, atque ut confitentem Christum vidit, Calphurnio Præfecto quæstionem ejus commisit, qui eum Asterio tradidit. Asterius autem Valentinum domum suam adduxit, ac varia de illuminatione Christiana loquentem rogavit, num filiæ naturalem depellere cœcitatem valeret; cùmque ille sinè detrectatione, quod cupiebat explesset, statim ipse cum tota familia credidit, & post triduanum jejunium Baptismum accepit, atque omnes Christianos, quos in custodia habebat, emisit. Qua re audita Marius ad eum gratulatum accessit, & cum eo diebus triginta duobus mansit. Hæc verò postquam Claudius didicit, Asterium, & familiam, & Marium cum uxore, ac filiis, simulque Valentinum corripuit, atque Asterium quidem Ostiam missum ibi obtruncari præcepit, Valentinum verò viâ Flaminiâ XVI. Kal. Martias, cujus corpus Sabinella collectum ibi sepelivit. Inde Marium aggressus, ubi nationem, genus, & opes ejus cognovit, ac fidem, constantiamque in confessione perspexit, eum Vicario Musciano, nisi resipisceret, torquendum ac cruciandum dedit. Muscianus quæstione constituta, ubi patrem cum filiis nihil de proposito decedentem vidit, expoliatos fustibus cædi, atque in equuleo torqueri, inde audiri, radique præcepit, cùm Martha præsens eos Deum collaudantes ad præstandam fortitudinem hortaretur; inde manus ei præcidit, Martha sanguinem colligente, atque eo os suum oblinente, tum per Urbem circumduxit, præcone præmisso, qui diceret: *Diis nolite maledicere*, quibus illi respondebant: *Non sunt Dii, sed Dæmones, qui vos vestrumque Principem pessumdabunt*, tum demum sententiâ latâ caput abscindi jussit. Quare viâ Corneliâ tertio ab urbe lapide ad Nymphas sub arenario obtruncati sunt. Martha verò in puteum projecta ibi vitam finivit, corpora virorum cremari jussa, ne sepulturæ darentur, Matrona Fœlicitas rapuit, & in prædio suo semiusta sepelivit, Martham verò ex puteo extractam aliis junxit XVI. Kal. Martias. Hæc ex gestis Valentini, & Marii martyrum, quæ Beda comprobavit. Per eosdem etiam dies, idest XV. Kal. Februarias, Priscæ virginis Romanæ nobile martyrium extitit, siquidem omnibus prope carnificinæ viribus in id videntur incubuisse, ut de confessione depellerent, verberatione, ferventi adipe, bestiarum terrore, inedia, laceratione, igne, ex quibus omnibus mirabiliter conservata demum obtruncatione defuncta est. Neque verò ego iis assentior, qui hoc martyrium in ejus Claudii tempora contulerunt, qui Neronem præcessit, quòd ita neque Nero primus Persecutionem exercuisset, neque Thecla prima virgo martyrium pertulisset, quod Nicetus & alii scriptum reliquerunt. Inde Claudius Cyrillam filiam Decii Cæsaris, atque unà quadraginta sex milites illos, quos Dionysius Pontifex baptizarat, comprehendi jussit, ac primò quidem milites Diis sacrificare jussit, deinde mandatum suum irridentes in custodiam tradidit, tum extra Portam Salariam ductos unà cum eorum conjugibus obtruncavit, corpora eorum Justinus & Joannes Presbyteri collegerunt, & in clivo cucumeris sepulturæ mandarunt VIII. Kal. Novembris cum centum aliis viginti militibus, inter quos nomina Theodosii, Lucii, Marci, & Petri illustriora fuerunt. Justinum inde eo nomine XV. Kal. Octobris interfectum à Claudio memoriæ proditum est. Hæc ex gestis SS. Xysti & Laurentii. Superiore quoque anno Cæsarius Diaconus profectus ex Africa Tarracinam Campaniæ urbem, dum contra Idololatras inveheretur, à Firmino Pontifice

CCLXX. (margin, beside "dius sequenti anno")

A. Chr. CCLXX. (right margin)

A comprehensus, & in custodiam datus fuerat, ubi diebus multis maceratus, demum traditus fuerat Leontio Consulari Campaniæ Fundis accito. Ille verò hominem expugnare aggressus, cùm verbis non posset, ante carpentum suum duxit devinctis manibus nudum usque ad templum Apollinis, quò ubi pervênit, templum ad Cæsarii vota procubuit, ac Pontificem Firminum elisit. Post hæc à Luxurio viro Civitatis primario inclusus in carcerem, ibi per annum & mensem mansit, tunc eductus in forum, ab eo cœlesti est lumine circumfusus. Qua re permotus Leontius exclamavit: *Verè Deus est, quem prædicat Cæsarius*,
B & projectus ad pedes oravit, ut se baptizaret, & Cæsarium, qui erat nudus, sua chlamyde induit, & baptizatus Corpus & Sanguinem Christi de manu Juliani accepit, ac mox spiritum tradidit III. Kal Novembris; corpus uxor in agro Verano recondidit. Qua re agnita Luxurius Kal. Novembris jussit Julianum & Cæsarium in culleum insui, atque in mare præcipitari, quorum corpora eodem die ad litus rejecta, & ab Eusebio viro Sancto juxta Tarracinam sepulta. Cùm autem Eusebius Julianum & Cæsarium sepelisset, factum est, ut ad sepulchrum eorum ad Fidem multi conversi à Felice Presbytero baptizati sint.
C Qua re cognita Leontius Leontii Consularis filius ambos corripuit eo nomine, quòd Cæsarius patrem suum Christianum fecisset, & ad forum ductos, ubi superare nequivit, in carcerem dedit, & cùm sacrificare abnuerent, nocte eadem in profluentem projecit. Eorum inde corpora cùm ad mare provecta in litus rejecta fuissent, Quartus Presbyter Capuanus invênit, ac mox imposita vehiculo in domum suam adduxit, quin etiam capita anxiè quæsita cùm Nonis Novembris adnexa corporibus repetisset, juxta S. Cæsarium sepelivit. Hæc Romæ acta à Claudio alioquin homine non malo adversùs Christianos invenimus.
D Dionysius autem Pontifex latebris potiùs quàm innocentia tutus interim Ecclesiæ non defuit. Nam à Severo Episcopo Cordubensi consultus de Ecclesiis Parochialibus sic respondit: *De Ecclesiis Parochialibus, unde Apostolicam Sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem provinciam, ac dividendæ Sacerdotibus, nihil tuæ caritati melius nobis videtur intimare, quàm ut sequaris quod nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias verò singulas, singulis Presbyteris dedimus, Parochias, & cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, sed*
E *unusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut ante Tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat. Data quinto Idus Septembris, Claudio & Paterno Consulibus.* Inde septimo Kalendas Januarias mortuus in cœmeterio Callisti viâ Appiâ sepulturam invênit, ut Damasus notavit.

FELIX PONTIFEX XXV.

Dionysio inde Felix Presbyter Kal. Januariis sufficitur. LXXI. Pridie Nonas Februarii Claudius Imperator Sirmii in Pannonia morbo extinguitur. Quo facto milites Quinctillum fratrem ejus subitò sublegerunt, ac post dies septemdecim, quòd se gravem Principem futurum ostendebat, interemerunt, atque in ejus locum Aurelianum ducem sub Valeriano Claudioque virtute, industriaque probatum, suffecerunt. Hic initio Imperii post Gotthos sub Claudio fractos, Suevos, ac Sarmatas domuit. Quod verò in summa illius ferocitate mirabilius fuit, idem non solùm Christianis, sed etiam Catholicis sese æquissimum præbuit. Nam cùm, teste Eusebio, Paullus Domno Episcopium Alexandrinum inire cupienti cedere nollet, Domnus ad auxilium ipsius novi Imperatoris confûgit, qui re cognita præcepit, ut Episcopium eis traderetur, quibus Italiæ, & Urbis Episcopi per literas tribuendum esse statuerent. Atque ita Paulus demum imperii sæcularis auctoritate, ab Ecclesia Alexandrina depulsus est.

LXXII. Postero anno Maternus Ecclesiam Mediolanensem gubernandam accepit. Cùm porrò Marcomanni in Italiam erupissent, eamque populabundi vastarent, omni cura in eam expeditionem Aurelianus incubuit, ac tribus prœliis vario eventu adversùs eos pugnavit apud Placentiam juxta amnem Metaurum, Fanumque-Fortunæ, ac postremò Ticinensibus in campis, ut scribit Victor, cui Vopiscus assentit, cùm eos omnia circa Mediolanum vastasse inquit. Res autem in tantum adducta discrimen fuit, ut perinde atque in extremis rebus Aurelianus libros Sybillinos inspici ad salutaria remedia præsentium malorum more antiquo quærenda jusserit, scriptâ ad Senatum epistolâ cum his verbis: *Miror vos, Patres Sancti, tamdiu de aperiendis Sybillinis libris dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia non in templo Deorum omnium tractaretis.*

LXXIII. Re inde sequenti anno prospero eventu confecta, Aurelianus purgatâ Italiâ Romam contendit, quod significavit Victor, cùm scripsit, ipsum Romam triennio ab invasoribus recepisse, & Vopiscus inquiens, eumdem Bello Marcomannico finito, Romam petiisse, ut seditiosos ulcisceretur. Erant autem hi monetarii, qui inita defectione motum maximum in Urbe conciverant, quos ille insigni crudelitate compescuit. Quo facto muros urbis Romanæ protulit. Inde transacta, quæ ad formandum Civitatis statum pertinebant, in Orientem contra Zenobiam, quæ Imperium nomine filiorum tenebat contendit, ac multis secundis prœliis in Illyrico & Thracia cum barbaris factis, in Asiam iniit, ibique multa ejus oppida cepit, præcipuè verò oppidum Tyanorum in Phrygia. In Syriam inde profectus, Antiochia est potitus; tum transgressus in Mesopotamiam, primùm Emessam urbem & Zenobiam in potestatem adduxit. Reversus inde in Europam, Carpos delevit, atque inde audita Palmyrenorum defectione, in Orientem regressus, Palmyram evertit, atque inde securiore animo Europam repetiit.

Pro-

Proximo verò rem in Ægyptu cum Firmo
gessit, qui magnis ibi partis opibus Imperator
fuerat appellatus, eoque deleto in
Gallias properavit adversùs Tetricum, qui
eas jam inde a Claudii principatu cum Imperio
obtinebat, eoque se, atque exercitum
apud Catalaunos dedente, Gallias
ipsas recepit. Eodem anno, nempe Aureliani
quarto, nova hæresis, eaque nefaria
in primis erupit: qui illam intulit, Manes
quidam genere Persa fuit; qui verò arripuerunt,
ex eo Manichæi vocati sunt.
Quæ porrò de ipso Manete traduntur, ea,
Socrate & Epiphanio testibus, hujusmodi
fuerunt: Scythianus quidam Sarracenus
uxorem nactus est divitem ex superiore
Thebaide oriundam, cujus gratiâ ipse in
Ægyptum domicilium transtulit. Cùm autem
disciplina Ægyptiorum esset imbutus
Empedoclis & Pythagoræ opinionem in
Christianam religionem inferre contendit,
ac duas esse naturas, ut Empedocles, unam
bonam, alteram improbam, asseruit, improbam
quidem discordiam, probam verò
amicitiam vocans. Hujus Scythiani discipulus
fuit Terebynthus, qui ab uxore Scythiani
discedens, ad Babylonicam regionem
concessit, & Buddæ nomine edito,
apud viduam quamdam anum habitans
multa prodigia de se ipso falsa commentus
est, nimirum quòd ex virgine natus, &
educatus in montibus esset, post hæc libros
Scythiani quatuor suo nomine edidit, quorum
primum de Mysteriis, secundum Evangelium,
tertium Thesaurum, quartum Capita
rerum inscripsit, inde cùm incantamenta
quædam exequi vellet, a maligno
Spiritu, quem evocarat, de alto præcipitatus
est. Mortuum inde mulier, apud
quam diversabatur, sepulturæ mandavit,
ac bona ejus sibi ascivit, quibus puerum
annos septem natum, nomine Cubricum,
emit, ac bona ejus sibi ascivit, ac post
manumissum, & literis eruditum vita
abiit, eique omnes Terebynthi fortunas,
ac libros, quos ille à Scythiano edoctus
scripserat, reliquit. Quibus rebus partis
Cubricus rectà in Persidem abiit, & pro
Cubrico Manetis nomen edit, ac libros
Terebynthi, tamquam à se scriptos hominibus
proponit, quorum argumenta Christianam
religionem præseferebant, at revera
cum Gentilibus sentiebant. Etenim
homines ad multos Deos colendos adhortabatur,
Solem adorandum ducebat, fatum
inferebat, liberum arbitrium eximebat,
animas ex uno corpore in alterum migrare
censebat, Empedoclis, Pythagoræ, &
Ægyptiorum opiniones sequutus, Christum
natum esse negabat, spectrum fuisse ajebat,
Legem, & Prophetas abrogabat, se ipsum
Paracletum, & in epistolis etiam Apostolum
nominabat. Cùm autem in iis locis,
in quibus erat, parum docendo proficeret,
inde abscessit, atque ad Regem
Persarum adiit, confisus se filium ejus
ægrotum ex libris Terebynthi curaturum.
Quo conatu lapsus à Rege in custodiam
datus est. Ibi à discipulis suis visitatus,
quos vigintiduos contraxerat, eorum ope
inde evasit, atque in Mesopotamiam Romanorum
provinciam se recepit, ac literas
ad Marcellum virum Christo eximiè deditum,
Cascharis urbe Mesopotamiæ habi-
A tantem, dedit, in quibus professus, se illius
disciplinam corrigere velle, se mirari
ait, quomodo homines Deum Satanæ,
& malorum ipsius operum Creatorem, &
opificem dicere audeant, Unigenitum verò,
qui ex finibus Patris prodierit, Christum
Mariæ Mulieris cujusdam Filium esse dicant,
& ex sanguine ac carne & reliqua
fœminarum graveolentia natum esse. Marcellus
autem cùm has literas accepit, erat
cum Archelao civitatis Episcopo, qui pestem
literarum illarum detestatus, ad illum
proficisci, atque eum comprehendere in
animo habuit. Quare Marcellus rescripsit,
negans se epistolam ejus intelligere, nisi
B ipse ad se veniens coram interpretationem
adhibuisset. Ubi verò venit, dies in urbe
Caschara disputationi indicta est, judicibus
electis Marsippo Philosopho, Claudio Medico
& Sophista, Ægialeo Grammatico, &
Cleobulo Sophista. Et cùm multa utrinque
dicta essent, Manete fabulosam doctrinam
prætendente, Archelao verò illam acerrimè
refutante, victoria penes Archelaum fuit,
quare Manes aufûgit motu populi, qui eum
lapidibus obruisset, nisi Marcellus intercessisset,
atque in Diodoridem Cascharorum
pagum secessit, ubi Triphonem Presbyterum
spe debellandi aggressus, item
proposito excidit, Archelao Episcopo in-
C terveniente, atque egregiè ovem suam ab
lupi rapacis insidiis vindicante. Cùm autem
populi vitam ei adimere vellent, in
oppidum Arabionis refûgit, quo cognito
Rex Persarum missis satellitibus inde ipsum
extraxit, ac corio detracto hominem interfecit.
Discipuli autem ejus tres, qui
ante mortem ejus in varias partes dimissi
fuerant, dogmata ejus dissiparunt Hermias
in Ægypto, Addas in superioribus partibus
Orientis, Thomas verò in Judæa,
cùm adhuc Episcopus Hierosolymorum
esset Hymenaeus. Hæc fermè de Maneta
pravæ hæreseos auctore. Cæterùm dogmata
ejus sic refert S. Augustinus: *Duo prin-*
D *cipia inter se diversa atque adversa, eademque
æterna, atque substantias boni scilicet, &
mali sequens, alios antiquos Hæreticos opinatus
est, quorum inter se pugnam, & commistionem,
& boni à malo purgationem, &
boni, quod purgari non poterit, cum malo in
æternam damnationem secundùm sua dogmata
asseverans multa fabulatur.* Addit inde alia
multis verbis effata. Quin etiam in sermone
XLVIII. scriptum reliquit: *Alium datorem
fecisse legit, quæ data est per Moysem,
alium autem largitorem Evangelicæ gratiæ,
illum quidem Deum malum, hunc verò Deum
bonum.* Inde Italiam, atque adeò etiam
ipsam Urbem Romam hæc ipsa pestis in-
E vasit. Sequenti anno cùm Aurelianus à LXXV.
Senonibus Tricassas adisset, Patroclum
Christianum nactus, ubi ad Deos revocare
non potuit, ipsum ad Sequanam obtruncari
XII. Kal Februarias jussit. Beda ex vita
ejus. Inde Romam reversus, de Zenobia
& Tetrico, quos captos duxit, clarissimè
triumphavit; quibus de rebus elatus, simulque
eorum, qui Christianis iniqui
erant, verbis inductus, Persecutionem adversùs
eos edixit, quæ inter decem Persecutiones
ab Eusebio, Orosio, & Augustino
refertur, ac nonæ nomine appellatur. Hujus
Persecutionis, qualis quantaque fuerit,
duo

duo maxima extant testimonia, unum Simeonis Metaphrastæ, alterum Gregorii Nysseni, quorum utrumque rei declarandæ causâ producam: *Aurelianus*, inquit Simeon in vita Charitonis, *primùm Christianos prohibuit verum Deum adorare, deinde cùm id ei suggessissent, qui ab eo colebantur, dæmones, omnes, qui Christum Deum profitebantur, acerbissimis excruciatos suppliciis vita cœpit privare, aut gladio interimens, aut bestiis offerens, aut igne comburens, aut gravissimis saxis admotis in profundum mare dejiciens, denique in unaquaque urbe, & regione impium edictum proposuit, ac jussa expleri mandavit. Quo lecto alii fugam arripuerunt, alii vero domi comprehensi in carcerem ducti sunt; quidam, cùm ne primas quidem substinuissent interrogationes, cesserunt sæculum diligentes, & Christum sinè periculis detestantes; nonnulli cùm studio pietatis animos confirmassent, sua sponte ad Judicem accesserunt, dicentes, se paratos esse, omnia tormenta subire, ne à Christi Fide decederent.* Hæc Simeon. Gregorius verò in vita Gregorii Thaumaturgi, de quo ante dixi, scribit hoc modo: *Jam in omnem partem pervaserat divina prædicatio, omnesque ad piam, rectamque Fidem traducti erant, & templa, atque altaria, & Deorum simulachra erant eversa, sacrificiaque remota; pro iis autem in Christi nomine Oratoria erant erecta, cùm Imperator irâ simul, invidiâque accensus, quòd patria sua superstitia sperneretur, & Christiana Religio augeretur, edicta ad Præsides provinciarum misit, ut omnibus probris, contumeliis, & cruciatibus, eos, qui Christi nomen adorabant, afficerent, eosque terrore ac supplicio ad patrium Deorum cultum revocarent. Quo mandato accepto Præsides publicè proscripserunt, opus esse vel Fidem abjurare, vel omne genus supplicii sustinere, atque ad terrorem incutiendum, omnia cruciandorum hominum instrumenta, gladios, ignes, feras, fossas, ferreas sudes, atque equuleos exprompserunt. Quo facto statim alii alios detulerunt, alii indicarunt, alii fugam arripientes corripuerunt, alii fideles ipsos bonis suis, ut ipsi eorum potirentur, exterminarunt. Erat autem magna in Civitatibus confusio, cùm omnes inter se suspecti essent, ne filii parentibus, nec parentes filiis fidem officiumque præstarent, nam filius gentilis patrem prodebat fidelem, & pater infidelis filium credentem insimulabat. Et frater sanctum esse putabat, pœnas de fratre pietatis causâ expetere. Ita solitudines exulantibus implebantur, domus autem incolis exhauriebantur; multæ verò publicæ ædes ad usum carcerum erant traductæ, cùm consuete carceres multitudini eorum, qui capiebantur, non sufficerent, fora verò omnia mœsta silentio redundabant, cùm assiduè alii traherentur, alii abducerentur, alii propter ea, quæ fiebant, vel riderent, vel flerent. Non infantibus misericordia, non senio confectis reverentia, non virtuti honor tribuebatur, nec fœminas sexus imbecillitas ab his periculis vindicabat, verùm æquè omnes una lege crudelitatis tenebantur. Hic in omnibus terris terror erat.* Hæc ille. Præcipuè verò Romæ Felix Pontifex cùm duabus ordinationibus mense Decembri factis Presbyteros novem, Diaconos quinque, & totidem Episcopos creasset, ac supra memorias Martyrum Missas celebrari constituisset, quinto Episcopatus sui anno III. Kal. Junii, teste Damaso, martyrio coronatus est. Ex quo apparet, ipsum non Claudio imperante, ut scribit Beda, sed Aureliano periisse.

EUTYCHIANUS PONT. XXVI.

Felici inde Nonis Junii Eutychianus Lunæ oppido natus, est substitutus. Excepere inde Felicem Martyrem multi alii, quorum Beda in Martyrologio meminit. Nam IV. Idus Junii Basilides, Tripus, Mandalis, & alii viginti, Aureliano imperante, & Platone Præfecto, Martyres sunt effecti, ac viâ Aureliâ tredecim millibus passuum ab Urbe sepulti. Præneste item Agapitus cùm esset annorum quindecim, & amore Christi flagraret, jussu Aureliani correptus primò crudis nervis diutissimè vapulavit, deinde carbonibus ardentibus capiti admotis ustulatus, post pedibus suspensus subjecto fumo est cruciatus, tum post maxillas contusas, & ventrem ferventi aqua perfusum, leonibus est objectus. Quibus tormentis haud quaquam offensus, tandem securi percussus feliciter martyrium consummavit, corpus ejus noctu sublatum sepulturæ mandatum est XV. Kalendas Septembris. Anastasius autem miles cornicularius eùm videret, Agapitum fortiter Christum inter tormenta acerbissima confitentem, exclamavit: *Magnus est Christianorum Deus, & non est alius præter eum*. Cui Præfectus: *Sicut video*, inquit, *seductus es*, idque Aureliano renunciavit, atque ita jussu ejus post biduum vitam martyrio terminavit. Hoc in oppido Solonæ factum Beda, & Usuardus scripserunt, qui locus non longè à Præneste fuisse intelligendus est. Eodem verò die, nempe XII. Kal Septembris Attalus Agapiti constantiam imitatus, Romæ martyrio est affectus. Horum autem omnium in actis S. Agapiti Notariorum manu confectis memoria celebratur. Per eosdem dies Turgius Præfectus in Etruriam ab Aureliano missus, ut Christianos inquireret, Falerios venit, atque edictum proposuit. Hoc cognito Felix Presbyter Christianos omnes advocavit, & ne animis deficerent, sed fortiter pro Christi confessione certamen omne subirent, hortatus est. Qua de re statim Turgius cum comprehendi, & in custodiam dari præcepit, ac postridie coram se adesse jussum, ac multis, eisque solemnibus interrogationibus fatigatum, ut constantiam retinere confessionis vidit, os contundi ei mandavit, dicens: *conterite os istud, quo populos seducit*; diu autem illis cædentibus expiravit, corpus ejus projectum Irenæus Diaconus collegit, & IX. Kal. Julii juxta muros Sutrii sepelivit. Qua re perspecta Turgius Irenæum cepit, & Clusium proficiscens catenis ferreis vinctum ante rhedam suam nudis ire pedibus compulit, ac Clusium profectus in carcerem condidit; inde facta inquisitione multos alios in custodiam dedit, quibus Mustiola Matrona Claudii Imperatoris consobrina victum, & cætera officia, quæ in ejusmodi tempore necessaria erant, custodibus corruptis, subministravit. Qua re patefacta ad Turgium defertur. Quam ille honoris cau-

sâ

A. Chr. CC. LXXV.

sà domum adiens crebris interrogationibus pertentavit. Illa verò constanter in confessione manens, ac Diis sacrificare recusans, ipsum, qui id mandaret increpuit. Qua re Turgius irritatus Sanctis omnibus, qui in carcere erant, caput abscidit. Irenæum verò in conspectu ipsius in equuleum sustulit, & sacrificare abnuenti, ungulis latera fodit, & laminas ardentes admovit, quare Irenæus gratias Deo agens spiritum edidit. Quod ubi Mustiola vidit, ad Turgium conversa reprehendit, quòd innocentes homines cruciaret: monens fore, ut illi beato in cœlo ævo fruerentur, ipse verò æternis ignibus ureretur. Quibus verbis magis incensus, ipsam plumbatis B cædi præcepit, quem dolorem cùm illa ferre non posset, V. Nonas Julii expiravit. Corpus ejus à Marco homine pio collectum apud muros Clusii sepulturæ mandatum est. Hæc ex martyrio vetere, cujus meminit Surius. Multo autem plures aut Romæ, aut in Italia occisos, illud est indicio, quòd Eutychianus Pontifex trecentos quadraginta duos Martyres manu sua sepulturæ commisit, statuitque, ut nemo Fidelium Martyrem sine Dalmatica, aut Colobio purpureo sepeliret. In Gallia porrò apud Senones Columba virgo igne C superata pridie Kal. Januarii gladio cæsa est. Aurelianus verò Ptolæmaidem in Isauria iniens (nam in Illyricum, teste Vopisco, recessit) cùm Paulum quemdam signum Crucis fronti admoventem vidisset, rogavit, num suum edictum audisset, cui ille respondit: *audivi, sed Christum deferere nolo*, & cùm jussus sacrificare, abnuisset, torqueri præcepit; quo cognito Juliana soror accurrit, & cur tam acriter fratrem suum cruciaret, quæsivit; qua voce ille offensus, genas ejus cædi jussit, ac ni immolaret, torturum se eam quoque minatus est, inde ludificantem suspendit, atque ambos in lebetem pice fervente refertum conjecit. Quo tormento irrito duas D sedes æneas afferri, eosque suillo abdomine illitos in eis subdito ægrè statui jussit. Cùm autem eos adhuc videret incolumes, carnifices tamquam corruptos jussit duci ad mortem, quos Paulus verbis, tamquam cœli hæredes futuros, est consolatus, quorum alter Quadratus, alter Acacius dicebatur. Inde cervicibus, manibus, & pedibus ligno implicitis redegit in carcerem, novisque affecit tormentis. Juliana verò Stratonicum carnificem studio sui manus à se abstinentem hortata est, ut voluntatem Imperatoris expleret, quare ille ense abjecto ad Imperatorem adiit, eumque verbis increpuit. Cui Imperator respondit, E illum Julianæ pulchritudine captum hæc dicere, ac mox Christianum se esse asserentem obtruncavit, illos verò è ligno detractos, inleriorem in carcerem detrudi, ac carnifices omnes advocatos serpentes suos universos inferre jussit, qui cùm nihil eis nocumenti dedissent, serpentes simul ac Martyres evocavit; non obedientibus autem serpentibus, illi ostium aperuerunt. Feræ autem exeuntes, infideles omnes peremerunt, & ad loca deserta se contulerunt. Paulo inde glebis plumbeis maxillæ inclementius respondenti contusæ. Adductam inde Julianam aliis verbis aggressus est. Paulo pedes, & manus ligavit, & A ferreo vecte discriminavit, & in terram defixit, inde virgis ignitis ipsum cecidit. Julianam verò in lupanari prostituit, verùm qui ad eam accesserunt, aspectum amiserunt, & cùm non viderent, clamare cœperunt: *Juliana fer opem*, & cùm illa aquam infudisset, statim aspectum receperunt, ac gratiis Deo actis, pœnitentia defuncti Christiani evaserunt. Inde foveam lignis accensis replevit, & Paulum ac Julianam eò conjecit, & lapidibus obruit, tum in carcerem redactos adductis simulachris sacrificare jussit, ac demum Imperium detrectantes XVI. Kal. Septembris B obtruncavit. Eadem ratione in Paphlagonia Gangræ Alexander legatus Theodotum ad se adductum ex edicto Aureliani sacrificare jussit; cùmque propter dignitatem hominis non posset in eum animadvertere, misit eum Cæsaream in Cappadociam ad Faustum Præsidem, qui eum statim conjecit in carcerem, in quo ille Deo preces fundens excessit, eumque pariter Rufina conjux est consequuta, filius autem eorum puer à Mamia muliere excipitur, & propterea Mammes vocatur; ille verò cùm annos quindecim natus esset, regnante adhuc Aureliano, ad Democritum Fausti successorem defertur, quòd Deos contem- C neret, atque ab eo Ægas ad Imperatorem mittitur, qui eum sacrificare abnuentem verberari jussit, lucernas corpori ardentes applicuit, inde globo plumbeo ad collum alligato, in mare projecit. Adductus inde est ad Alexandrum alterum Præsidem, atque increpitus ab eo, quòd edicto Imperatorio repugnaret, in equuleum sublatus ungulis laceratus est, deinde in carcerem traditus, ibi Christianos quadraginta vinculis liberavit. Inde adhuc in sententia permanens in fornacem injectus, neque per triduum læsus est; ille autem præstigias subesse dicens, Urso, & Pardo obtulit, qui eos lambere cœperunt, inde Leo- D ni, qui mansuetus adhæsit, postremò ferreum in eum tridentem jecit, quo contorto Mammas sanguine manantia intestina collegit; mulier autem cratere guttas sanguinis suscepit, & extra urbem cum illo carcere exiit. Hæc XVI. Kal. Septembris hoc modo, teste Simeone, sunt acta. Jam verò Porphyrius imperante Aureliano scœnicus artifex fuit ex Epheso. Hujus lusibus delectatus Comes Alexander, ipsum Cæsariam secum adduxit; cùm autem ludicra gentilitia fierent, adductus est Porphyrius ad quemdam, qui Episcopi personam induerat, ut baptizaretur. Cùm autem illo aquam ingresso falsus Episcopus E diceret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatur Porphyrius*, venerunt Angeli, & veste candida Porphyrium induerunt, dicentes: *Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Alleluja.* Quibus verbis auditis Alexander confusus abscessit, ac postridie is fuit pridie Nonas Novembris, Porphyrium productum, & quasi fascinatorem accusatum obtruncavit. Philumeni quoque per eosdem dies illustre martyrium fuit. Hic ex Licaonia frumentum in Ancyritanam Galatiæ regionem negotiationis causâ comportans, Ancyræ Præfecto tamquam Christianus delatus est. Quare Deum con-

A. Chr. CC. LXXV.

A. Chr. CC. LXXV. confessus primò manus, & pedes ferreis clavis transfigitur, tum suspensus spathulis laniatur, mox de ligno depositus in ardentem fornacem immittitur; ex his autem omnibus elapsus, manus, & pedes, & caput clavis configitur, & triginta stadiis currere cogitur, donec labore debilitatus animam III. Kal. Decembris efflavit. Horum utrumque martyrium in Græco Martyrologio reperitur. Memorabile quoque Gregorii Episcopi Neocæsariensis in Cappadocia factum fuit; is enim cùm imbecillitatem suorum videret, non solùm eis auctor fuit, ut fugâ salutem sibi pararent, sed etiam ipse ejusmodi periculo se subtraxit, cùm sciret se præcipuè, tamquam ducem fidelium ad exitium peti; scrutatores autem, cùm ad eum, qui cum Diacono in montem se receperat, pervenissent, duas illos esse arbores rati, digressi sunt, asserentes, neminem se in monte hominem reperisse; index autem relictus, cùm paulò post Gregorium in eo loco orantem cum Diacono invenisset, divino perspecto præsidio ad Gregorii pedes se projecit, & verbo credidit, & qui paulò ante Persecutionem exercuerat, fugam inivit. Inde furente in Christianos Præside, ubi spes Gregorii comprehendendi defecit, in reliquos se se convertit, atque in urbem retrahens carceres replevit, pro alio scelere crimen impietatis inferens, itaut judicia de nullo alio crimine exerceret, quibus Gregorius, qui se fugâ servarat, maximo in suis ærumnis subsidio fuit, assiduè pro iis, qui pro Fidei confessione certabant, divinam opem implorans: præcipuè autem divinitatem suam ostendit, cùm Diacono id quod illâ horâ in urbe evenerat, retulit, nempe juvenem quemdam nomine Troadium post multa fortiter perlata tormenta fuisse corona martyrii redimitum, quod Diaconus in Urbem reversus, ita, ut ille dixerat, esse comperiit. Chariton autem Iconii in Asia, arreptus ducitur ad Tribunal Præsidis, rogaturque cur edicto Principis repugnaret, nec diis sacrificaret, cui ille: *quia dii vestri, non sunt dii, sed Dæmones*. Tum Præses: *opus est te dare pœnas, quia Deos contemnis*. Reluctantem autem, ac multa contra disserentem nudavit, & in quatuor partes distentum verberavit, ac demum, ne ita quidem sacrificare volentem tamdiu virgis cæcidit, quo ad viscera inspexit; inde mandata adhuc recusantem in carcerem tradidit, nec multo post Aurelianus vitâ cessit. Hæc Simeon cum Græco Martyrologio. Cæterùm

LXXVI. Aurelianus IV. Kal. Februarias à suis est occisus, de quo sic Eusebius in Historia: *Aurelianus aliorum consiliis impulsus est, ut contra Christianos Persecutionem moveret: res omnium sermone celebrabatur; ille autem dum literas contra nos compositas manu subscribit, à Deo vindicatus est, qui cum brachiorum commissuris enervatis illum ab instituto repressit, tum omnium oculis clarè, & manifestè spectandum objecit, quomodo Mundi Principibus, ne minima quidem data sit facultas aliquid contra Christi Ecclesias moliendi, nisi præpotens Dei manus divino suo, & cælesti judicio temporibus, quibus Ecclesiam probare decreverit, illud disciplinæ & castigationis gratiâ perfici permiserit*. Et in Chronicis: *Aurelianus cùm adversus nos Persecutionem movisset, fulmen juxta eum, comitesque ejus ruit, ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam in Cœnophrurio via veteris occiditur*. Orosius autem ita: *Aurelianus novissimè cùm Persecutionem adversus Christianos agi nonus à Nerone decerneret; fulmen ante eum magno pavore circumstantium ruit, nec multo post in itinere occisus est*. Fuit autem Severus, truculentus, & sanguinarius Princeps, ut Vopiscus prodit. Post necem inde Aureliani, interregnum sex mensium fuit, quo Senatus Rempublicam rexit. Inde VII. Kalen. Octobris Tacitus Senator Augustus appellatus est, qui, ut inquit Simeon, Persecutionem sustulit, atque ita Chariton vinculis solutus Hierosolyma iter intendit; in itinere verò comprehensus, à latronibus in speluncam vinctus ducitur, casu verò serpens latronum lagænam ingressus virus evomuit, quo infecti latrones bibentes interiere. Chariton autem res eorum rapinis, cædibusque partas pauperibus distribuit, & aliam petens speluncam ibi habitavit, ac multa miracula edidit, ac post cùm virtute, doctrinaque sua multos ad fidem traxisset, in pace quievit. Hæc ex Græco Martyrologio. Pax à Tacito Ecclesiis data, inde per annos viginti quinque integra mansit, nempe quousque Diocletiani edictum de redintegranda Persecutione Episcoporum, & omnium Christianorum est editum; nam qui hoc annorum intervallo occisi sunt, ferme, ut inquit Eusebius, milites fuerunt, quos furor Imperatoris non edictum promulgatum temerè perculit. Pace Ecclesiis restituta, Gregorius Neocæsariensis Episcopus, ut Nyssenus scribere pergit, in urbem ex solitudine se recepit; & regione lustrata pietatem in animis populorum adauxit, constituens, ut eorum, qui pro Fide certarant, dies festi, & celebres conventus agerentur. Itaque cùm alius alibi corpora Martyrum accepisset, quot annis finita annua conversione, convenientes exultabant, diem festum in honorem Martyrum celebrantes. Cùm autem animadvertisset, imperitam multitudinem propter corporeas delectationes in Idolorum errore manere, ut facilius ad rectam pietatem traduceret, permisit, ut se pro inanibus illis superstitionis ritibus in Sanctorum Martyrum memoriis exhilararent, ratus, futurum, ut procedente tempore consuetudo eos ad honestatem vitæ transferret, & fides à corporis jucunditate ad spiritus hilaritatem adduceret. Quod etiam factum est, atque ita se gerens, antequam vitâ excessit, omnes à Simulacris ad Fidem salutarem traductos vidit præter septemdecim, qui veterem adhuc Gentilium errorem retinuerunt. Qua re cognita primùm doluit, quòd aliquid deesset ad eorum plenitudinem, qui servantur, deinde gratias Deo egit, quòd suo successori tot relinqueret simulacrorum cultores, quot ipse Christo deditos accepisset. Cùm autem precatus esset, ut & qui credebant, in Fide adolerent, ut infideles converterentur, humanâ vitâ relictâ ad cælestem migravit, mandans, ut nullum proprium locum sibi pararent ad sepulturam, sed in communi sepulchro re-

A. Chr. CC.
reconderent. Proximo inde anno Tacitus A
LXXVII. Idibus Aprilis Tarsi febri acuta correptus
interiit, quo mortuo frater ejus germanus
Florianus Imperium quasi hæreditarium
iniit. Eum verò V. Nonas Julii milites
Tarsi morte affecerunt, postquam Probum
à cuncto Senatu lectum imperare cogno-
varunt. Et hoc etiam imperante pax Ec-
clesiis fuit; neque enim ullum ejus advar-
sus Christianos extat edictum; libidine
autem Præfectorum ejus in aliquos esse
animadversum, martyrium Trophimi, Sab-
batii, & Dorimedontis declarat, quod
LXXVIII sequenti anno videtur esse susceptum. Res
autem à Simeone, cæterisque Græcis ita
narratur. Antiochiæ Pisidiæ cùm ludi in B
honorem Daphnæi Apollinis ederentur,
ac tota Civitas in ebrietate ac lætitia ver-
saretur, Trophimus & Sabbatius pietatis ac
veritatis studiosi ex aliena regione in ur-
bem, atque adeò etiam in theatrum in-
gressi, ut Gentiles dæmonum honoribus
intentos, verique Dei oblitos lascivire
viderunt, intimis sensibus ingemiscentes
ita ad Deum dixerunt: *Domine da his om-
nibus, ut idola destituant, & te solum Deum,
& Unigenitum filium tuum, & Spiritum
Sanctum agnoscant*. Qua voce audita cor-
repti statim à Gentilibus quibusdam, at-
que ad Heliodorum Vicarium sunt addu-
cti. Ille autem cognitione constituta Tro- C
phimum primùm quinam esset, & cujus
religionis, rogavit, qui se hospitem esse,
& Christianum respondit; quare illum a
quatuor extendi, & validissimè verberari
jussit, identidem dicens: *Sacrifica diis, ne-
que patere, ut verberibus absumaris*. Illo au-
tem magnifica quædam de plagarum pa-
tientia suggerente, iterum dixit: *Sacrifica,
alioquin ego te ad Dionysium Perennem Phri-
giæ Salutaris Præsidem* (erat autem is cru-
delitate insignis) *mittam*. Cui Trophimus:
*utrum à te an à Dionysio crucier, parum re-
fert*. Qua voce incensus Heliodorus, ip-
sum in equuleum sustulit, atque ei latera
immanissimè laniavit, inquiens: *Ubi est,* D
Trophime, Christus tuus? cui ille respondit:
*is, & omnibus, & mihi in primis adest.
Quomodo enim credis me tam acerbos crucia-
tus sinè præsenti illius præsidio perlaturum?*
Quo verbo audito, illum in carcerem tra-
didit, ac compeditum usque ad quartum
foramen extendit, ac Sabbatium coram se
sisti præcepit, & primis interrogationibus
absolutis, ut constantem vidit, in equu-
leum sustolit, atque ita ilia laceravit, ut
viscera introspiceret, ac digito tangeret,
gementem, ac lacrymantem Martyrem
rogans: *Cur ingemiscis, ac lacrymas, si pati
propter Christum jucundum putas?* Cui ille
ut scias, inquit, *quanti ego faciam crucia-* E
*menta Christi causâ suscepta, nam etsi ve-
hementissimè angor, adhuc tamen vehemen-
tiore illius studio teneor*; cùm autem jam
carnes omnes ad terram defluxissent, nuda-
que ossa relicta essent, è ligno detractus
Deo tradidit animam. His actis Trophi-
mum se debellaturum desperans, ad Dio-
nysium in Phrigiam misit, atque illum
calceis clavis præfixis indutum iter trium
dierum facere compulit. Erat Dionysius
Synnadis. Is, ut Trophimum interroga-
tum ultro cessurum non vidit, arreptum
quatuor nervis bovillis acerrimè verbe-

ravit, se tantùm illo contentum fore A.Chr. CC. LXXVIII
ostendens, si diceret, *sacrificabo*. Quo
renuente, naribus acetum sinapi tempe-
ratum infudit, inde ne ita quidem ce-
dentem in equuleum sustulit, ac latera
ungulis ita sulcavit, ut uberrimi rivi san-
guinis ad terram defluerent: inde quo ma-
gnificentiùs ille de pœna, & supplicio lo-
quebatur, & hic magis acerbitatem tor-
mentorum intendit; nam & salem cum
aceto vulneribus intulit, & reliquum car-
nium lampadibus ussit; ubi verò Martyrem
ad omnes cruciatus magis invalescentem
vidit, eum carceri reddidit, ubi à Dori-
medonte Senatore summa pietate curatus
est. Quod ubi Dionysius audiit, Dorime-
dontem ad se vocavit, atque ex sermone
ut ipsum Christianum evasisse cognovit
obstupefactus, omnes machinas ad illum
expugnandum adhibuit, nam & latera can-
dentibus obeliscis adussit, & ferreis ungu-
lis laceravit, & genas maxillasque lania-
vit, & dentes exemit, & per ignem ince-
dere compulit. Ut autem conatus suos lu-
dibrio esse universos vidit, illo in carcerem
dato, rursus se in Trophimum intulit, ac
renovatis superioribus tormentis insuper
oculos eruit; quo adhuc in confessione
manente, postero die ambos in arenam
produxit, atque ursam fame rabidam in
eos immisit, quæ ut ad eos accessit, natu-
ræ & ventris oblita, os suum mansuetum,
ut eos venerari videretur, exhibuit, inde
pardum, qui ursam imitatus, blandiri Mar-
tyribus, ac tibias & vulnera lambere cœ-
pit; tum leonem, qui superioribus bestiis
mitior, Martyribus intactis, ministrum, à
quo in eos incitabatur, impetu converso
discerpsit. Quibus de rebus desperatâ vi-
ctoriâ Dionysius XIII. Kal. Octobris de-
mum gladio percuti ambos jussit, corpora
à piis furtim collecta diligenter sepulturæ
mandata sunt. Sequenti, aut certè per LXXIX.
hos annos Eutychianus Pontifex consti-
tuit, ut fruges tantùm, fabæ, & uvæ super
altara benedicerentur. Ducentesimo inde LXXX.
octogesimo anno Cyrillus Antiochenam
suscepit Ecclesiam, quo tempore Doro-
theus Presbyter Antiochenus maximam
habuit eruditionis opinionem. Per eosdem
dies nova hæresis est illata, teste Epipha-
nio; auctor fuit Hierax quidam Ægyptius,
Græcis artibus eruditus. Hic expositiones
in vetus, & novum Testamentum scribens,
multa ex sua mente confinxit, exempli
causâ, carnem non resurgere, sed animam
solam: nullas esse nuptias: Filium quidem
genitum esse à Patre, & Spiritum Sanctum
esse à Patre, verum ipsum esse Melchi-
sedek, qui manet Sacerdos in æternum.
Ab omnibus eduliis, & à vino abstinuit:
parvulis Regnum Cœlorum non patere,
quia nulla merita certaminis habeant, quo
vitia superent; discipuli verò ejus Hiera-
citæ dicti sunt. Biennio post Probus Au LXXXII.
gustus IV. Nonas Novembris Sirmii in
Pannonia tumultu militari occisus est. In
ejus locum Carus Imperator sublectus.
Eodem anno Eutychianus Pontifex quin-
que Romæ ordinationes per mensem De-
cembrem, quibus Presbyteros XXV., Dia-
conos VIII., & Episcopos per diversa lo-
ca V. creavit. Postero, qui fuit Caro Augu- LXXXIII
sto iterum, & Carino Cæsare Coss. Theo-

CC. LXXXIII. A nas Alexandriæ Episcopus substitutus. Eutychianus autem epistolam ad Episcopos per Siciliam constitutos misit, in qua de accusatione & judicio Clericorum constituit: *Quisquis est*, inquit, *qui crimen Clerico intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem, habita tamen dignitatis ratione. Nec fortè sibi noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantis ad vindictam poscat similitudo supplicii. Data XIII. Kal. Octobris Caro II. & Carino Coss.* Inde Carus Augustus bellum cum Persis gerens IV. Nonas Novembris in Perside apud Ctesiphontem fulmine ictus interiit, quem excepere filii Carinus, & Numerianus, B qui vix annum alterum imperarunt. Neuter autem eorum Christianos est persecutus. Nam qui Martyres à Numeriano facti dicuntur, satis constat ad Valerianum pertinere, errore ex nominum similitudine orto. Carinus autem, ut scriptum est in Vita S. Sebastiani, Persecutionem nullam exercuit, quòd multos è Christianis secum necessitudine conjunctos haberet. VI. inde Idus Decembris Eutychianus Pontifex vitam amisit. Damasus martyrio coronatum scripsit, quem Beda sequutus est, cujus verò imperio, & qua occasione id factum sit, non adjecit. Aut igitur aliquis C historiæ subest error, aut insignis aliquis in urbe tumultus exarsit; neque enim in Pontificem animadverti sinè maximo aliquo motu Ecclesiæ potuit. Eusebius certè, qui his temporibus vixit, nullius ejus martyrii meminit: *Felici*, inquit, *cùm quinquennio Romanam rexisset Ecclesiam, Eutychianus substituitur, qui non integris decem mensibus absolutis, Cajo, qui nostra ætate vixit, Cleri administrationem reliquit.* Puto autem apud illum menses pro annis esse accipiendos, nam qui octo ampliùs annos sedit, non omnino decem perfecit. Quis enim ferre æquo animo possit Damasum scribentem, Eutychianum anno uno sedisse, eumdemque vitam à Consulatu Aure- D liani & Marcellini usque ad Consulatum Cari & Carini, quod est annorum octo spatium, perduxisse. O scriptorem diligentem, cui de martyriis Pontificum credas!

CAJUS PONTIFEX XXVII.

INde suffectus est in ejus locum Cajus XVI. Kal. Januarii, iisdem Caro, & Carino Coss. Hic patrem habuit Cajum, natione Dalmatam & Diocletianum propinquitate sanguinis attigit, eum, qui pro-

LXXXIV ximè imperavit. Nam postero anno Numeriano Augusto dum in Italiam se referret in finibus Persidis ab Apro socero suo E per insidias interfecto, Diocletianus homo Dalmata militari favore Imperium Aprili mense occepit, ac continuato Occidentem versùs itinere in Pannoniam venit, atque ibi Carinum Augustum sibi cum infesto exercitu occurrentem prœlio congressus occidit, qua ratione Occidentales quoque, quæ in Carini potestate fuerant, provinciæ, in ditionem ejus venêre. Inde Romam, quo jampridem expectabatur, progressus, ibi Imperium Romanum, cujus solus Dominus erat, cum Maximiano vetere militiæ socio communicavit, ita ut ipse Orien-

A. Chr. CC LXXXIV A tales provincias sibi asciverit, ac Nicomediæ sedem posuerit, Maximiano verò Occidentales reliquerit, qui Mediolani consedit, cùm Roma communis in medio remansisset. Eorum ille Jovii, hic Herculii cognomen assumpsit. Neque Imperium aliud fraternâ Augustorum concordiâ fuit insignius. Tum verò infestior est facta Christianorum conditio, qui per octo annos ab Imperatoribus nacti otium fuerant. Eusebius scribit, præcipuè in milites Christi cultores Imperatores se intulisse, itaque pacatis Ecclesiis Episcopos ipsos inter se certamina miscuisse. Addidere alii, prohibitum fuisse, ne quis emere, aut vendere, B aut molere, aut aquari posset, nisi priùs Diis honorem adhibuisset. Cùm autem plurimi eo nomine Romæ comprehensi, atque in custodias dati essent. Sebastianus Narbonensis mirificam in sublevandis eis pietatem ostendit. Hic primum in cohorte Diocletiani locum tenebat, & Christum, sed occultè, colebat; præcipuè autem Marco & Marcelliano fratribus, qui apud Nicostratum Protoscriniarium asservabantur, victum subministrare, & confirmationem afferre solitus fuit. Cùm autem Zoam Nicostrati conjugem jam per sex annos mutam animadvertisset, divinam virtutem patefaciendam ratus, pristino eloquio in C nomine Jesu Christi donavit. Qua re permotus credidit, nec solum Marcum, & Marcellianum emisit, sed Claudio etiam Commentariensi, ut omnes captivos è carcere ad se educeret, imperavit. Quos omnes, ubi convenerunt, Sebastianus allocutus, multis verbis ad Fidem Christi accipiendam accendit. Ita omnes hi eodem tempore cùm credidissent, Fidei præceptis imbuti sunt, Claudius ipse Commentariensis cum filiis Felicissimo & Felice, Tranquillinus Pater Marci, & Marcelliani, & socii ejus sex Aristo, Crescentianus, Eutychianus, Urbanus, Vitalis, & Justus, Nicostratus cum fratre Castorio, Symphorosa D uxor Claudii, Zoa Nicostrati, Martia Tranquillini, & omnes captivi numero sexaginta quatuor, eos verò omnes in ædibus Nicostrati Polycarpus Presbyter latebris emersus baptizavit, ac Sebastianus è fonte suscepit, cùm multis eorum veteribus, quibus laborabant, morbis depulsis, pristinam sanitatem restituisset. Chromatius autem Præfectus Urbis, ut hæc admiranda opera novit, Polycarpum ad se per Tranquillinum, nam & is sanatus præ cæteris fuerat, advocavit, atque ab eo remedium salutare adversùs inveteratam digitorum nodositatem quæsivit, ac mox valetudinis compos factus unà cum filio Ti- E burtio nomen dedit, & Baptismum accepit. Inde Cajo Pontifice in consilium adhibito, Christianos ad se vocatos adversùs eos, qui ad sacrificium inquirebant, servavit, & dimissâ Præfecturâ cùm in Campaniam se medicinæ causâ proficisci velle simulasset, eos se educere velle secum ostendit. Orta verò inter Polycarpum, & Sebastianum contentione, qui nam cum Chromatione Campaniam exiret, & qui remanere in Urbe deberet, Cajus die Dominica insequenti Sacris in domo Chromatii factis, docuit, duos constitutos esse Christianæ gloriæ gradus, unum Martyrii, alterum

A. Chr. CC. LXXXIV

terum confessionis, ut qui Martyrii pondus se sustinere posse diffiderent, gratiam confessionis tenerent. Ita ejus adhortatione alii cum Chromatio exierunt, alii cum Cajo ad martyrium remanserunt, nempe Marcellianus, Marcus, Tranquillinus, Sebastianus, Tiburtius, Nicostratus, Castorius, Zoa, Claudius cum fratre Victorino, & filio Symphoriano, ex quibus Marcus, & Marcellianus Diaconi facti sunt, Tranquillinus Presbyter, Sebastianus Ecclesiæ defensor, cæteri Subdiaconi; manserunt autem omnes apud Castulum palatii retarium, hominem Christianum, quòd Palatini minimè suspecti viderentur, apud quos plurimi convenerunt, levationem infirmitatum suarum deposcentes, quam illi pollicebantur, ac dabant. Cæterùm omnes hoc ordine martyrium subierunt. Zoa cùm in natali Apostolorum ad Confessionem S. Petri oraret, capitur, & thura Marti dare abnuens, primùm inedia maceratur, deinde capillis arbori suspensa fumo è sterquilinio excitato suffunditur, demum grandi saxo alligata in Tyberim IV. Nonas Julias jacitur. Qua re cognita Tranquillinus ad cæteros conversus, inquit: *Quin & nos ad martyrium imus, & laudem mulieris æmulamur*. Atque in Octiva Apostolorum ad Confessionem accessit, & captus ac lapidi alligatus pariter in Tyberim jactus est pridie Nonas Julias. Nicostratus autem, Castorius, Claudius, Victorinus, & Symphorianus dum corpora Sanctorum in ripis Tyberis perscrutantur, capti ad Fabianum Præfectum ducuntur, qui variis tormentis excruciatos, ut constantes in Fide vidit, postridie, qui fuit Nonis Juliis, in mare præcipitavit. Torquatus inde Apustata Tiburtium detulit, & se eumque capi curavit; reprehensus autem à Præfecto, quòd Sacrificia reliquisset, id se ex magistri sui Tiburtii, qui aderat, auctoritate fecisse, respondit. Tum Tiburtius Torquatum à Fide decessisse, pravis ejus patefactis moribus indicavit. Quare Fabianus Tiburtio inquit: *Aut his carbonibus thura impone, aut cum pedibus calca*. Quorum alterum cùm sine ullo detrimento fecisset, sententiam tulit, ut gladio necaretur. Ita ductus in viam Lavicanam tertio ab Urbe lapide III Idus Augusti percussus interiit, atque

LXXXV. ibi sepulturam invênit. Sequenti inde anno Sebastianus coram Diocletiano citatus increpatur, quòd cùm primum in cohorte sua locum teneret, contra se occultè Deos suos contemneret; cùm autem ille se Christum pro salute ejus orasse dixisset, adeò irâ illum accendit, ut statim in campum produci, ac jaculis configi mandarit: ita Ministri cùm in campum deduxissent, ad palum alligatum, tamquam scopum infinita prope sagittarum grandine transfixerunt, ac pro mortuo reliquerunt. Per noctem inde sanatus abiit, ac post se Diocletiano obvium dedit, eique, quòd Christianos cruciaret, qui pro incolumitate Imperatorum orarent, objecit. Cui Diocletianus propè attonitus: *Tu ne Sebastianus ille es, quem ego conjectu sagittarum interfici jussi?* Tum Sebastianus *sanè sum*, inquit, *verùm à Deo meo Christo à mortuis excitatus, ut testatum palàm facerem, te*

A. Chr. CC. LXXXV.

immeritò persequi Christianos. Quibus vocibus Diocletianus vehementiùs incitatus, præcepit ut in Circo tamdiu fustibus pulsaretur, quòd spiritum ederet. Ita XIV. Kal Februarias mortuus in cloacam est jactus; ille autem in somnis Lucinæ eximiæ pietatis Matronæ se obtulit, & locum ubi esset ostendit, atque ut se ad Catacumbas reconderet, jussit; quod illa summa religione, curâque perfecit. Inde, eodem prodente Torquato, Castulius capitur, atque in foveam traditus, & massâ arenæ contectus, VII. Kal. Aprilis interiit. Marco inde & Marcelliano comprehensis pedes clavis ligno affiguntur. Quo dolore superato lanceis transfiguntur ac viâ Appiâ reconduntur secundo ab Urbe lapide ad Arenas XIV. Kal. Julias. Hæc ita acta esse in Vita S. Sebastiani proditur; natales autem eorum dies ex Bedæ Martyrologio sumpti sunt, ex quorum dispensatione intelligi potest, hæc non uno anno acta esse, sed duobus. Cæterùm Polycarpus Presbyter, quem cum Chromatio exisse in Campaniam diximus, mortem Confessor VII. Kal. Martii obiit; sic enim Beda scripsit: *VII. Kal. Martii natalis S. Polycarpi Presbyteri & Confessoris, qui cum B. Sebastiano plurimos ad Fidem Christi convertit, atque ad martyrii gloriam cohortando perduxit*. Maximianus autem in Galliam proficiscens Mediolanum accessit. Ibi verò cùm Naborem & Felicem milites Mauros Christum colere cognovisset, primùm in equuleo torqueri, tum in ignem conjici jussit, quibus tormentis cùm se nihil profecisse videret, tandem Laudem adductos IV. Idus Julii securi percutiendos mandavit. Quin etiam idem cùm Alexandrum militem illum sacris imbutum Christianis audisset, ultimò accersitum ad Deorum reddere sacrificia jussit, deinde parêre recusantem, se morte affecturum ostendit. Illo verò mortem se loco vitæ ducturum subjiciente, mensam sacrificiorum apposuit, quam cùm ille uno pedis impetu disturbasset, spiculatori statim, ut cervicem præcideret imperavit; eo verò ad ictum inferendum obtorpescente, in vicem ejus officii succedere alios jussit, ex quorum manibus Alexander elapsus Bergomum usque pervênit, atque ibi extra mœnia per aliquot dies delituit. Post autem deprehensus, atque ad statuam quamdam adorandi gratiâ ductus, ibi cervicem objicens, & se piè Deo commendans, est obtruncatus VII. Kal. Septembris; corpus autem matrona veniens abstulit, atque in prædio suo prope Urbem sepulturâ donavit. Ex vita ejus. Mediolano inde digressus cum exercitu adversùs agrestes Bacaudas, qui in Gallia arma ceperant, iter suscepit, ac Thebæorum legione se subsequi jussa Pænino saltu superato in campos ad oppidum Octodurum descendit. Ibi ut erat, Herculi auctori, ut præseferebat, generis sui addictus, exercitum omnem lustrare ex Gentilibus Christianisque constantem cupiens, singulos milites adesse ad dicendum sibi sacramentum præcepit, daturos se operam, ut iisdem animis Christianos Deorum suorum inimicos, atque Bacaudas Imperii hostes ulciscerentur: cujus mandatum cùm reliqui perfecissent, sola Thebæa Legio de-

A. Chr. CC LXXXV. tractavit. Hi erant orientales milites Christianâ disciplinâ ab Episcopo Hierosolymitano imbuti, & postquam Romam venerunt, à Cajo Pontifice Romano, non ut scribit Eucherius, Marcellino, in fide usque adeò confirmati, ut Religionem bellicæ fortitudini, Fidem armis omnibus anteponerent. Inde ne tam impio se sacramento obstringerent, Octodurum prætergressi, Agaunum prodierunt, insignem ei loco Christiani martyrii famam in omnem sæculorum memoriam relicturi. Erant in ea Legione Mauricius Primicerius, Exuperius Signifer, & Candidus Senator, viri bellicis laudibus nobiles, sed eximia in Christum fide nobiliores. Hi cùm Octodurum ad jusjurandum concipiendum repetere essent jussi, respondere pro universa Legione non dubitarunt, se Christianos esse, atque ut militiæ munera pro Imperatore non recusare, sic religionis ejus sacrilegia detestari. Quo responso Maximianus exacerbatus, quòd unà & disciplinam militarem solvi, & sacra sua contemni ejusmodi imperii detrectatione videret, ac cæteros supplicii exemplo deterrendos censeret, decimum quemque jugulari militari more præcepit, ac reliquos se referre Octodurum mandavit, quos Mauricius Primicerius alloquutus, primùm gratulatus est, quòd eùm socios suos indignissimi cæde conspicerent, manus ab eis vindicandis abstinuissent, deinde eos ad constantiam Fidei retinendam præclaro illorum exemplo accendit, atque omnium nomine se priùs mortem millies oppetituros, quàm ei mandato parêrent, respondit; itaque novo Maximiani edicto XI Kal. Octobris cum cæterorum decimo quoque peremptus est. Reliquorum inde eùm item Octodurum repetere cogerentur, causam suscepit Signifer Exuperius, qui correptis signis, & Mauricio verbis plurimis egregiè collaudato, subjecit se Imperatori quidem militiam, at vero Deo integritatem debere, neque Christianos ut persequantur in animum inducere posse. Quibus rebus Maximianus eo vehementiùs efferatus, iter exercitui indixit, atque occultè Legionem circumfuso exercitu sepsit, eamque, ut erat ingenio asper, ac prope immanis, militibus trucidandam, ac pro arbitrio spoliandam objecit. Unde Agaunensium martyrum immortalis in Ecclesia gloria dimanavit. Epulante inde in summa rei gestæ gratulatione exercitu, Victor miles emeritis stipendiis veteranus supervênit, ac re cognita vehementer doluit, quòd tantæ Martyrum gloriæ expers tarditate sua fuisset. Quare pro Christiano agnitus, neci statim est traditus. Novum inde hostem Carausium adversùs se, ut exortum sensit Maximianus, subitò partem exercitus, in quo multi quoque ex Thebæa Legione erant, secundo Rheno ad eum opprimendum immisit, atque eos ubicumque terrarum essent interimi jussit. Qui huic negotio præfecti fuerunt, Cassium, & Florentium apud Veronam civitatem tum in ripa Rheni fl. minis sitam cum septem aliis assecuti jugularunt. Gereonem verò, ac trecentos octodecim socios ad Coloniam, Victoremque demum cum trecentis triginta ad oppidum Francorum nomine Xanthum trucidarunt. Mauricium cum Exuperio, Candido, Victore, Innocentio, Vitali, & Legionis Thebææ cæteris, X. Kal. Octobris martyrio affectum prodit Beda. Gereonem verò cum sociis VI. Idus Octobris apud Coloniam Agrippinam, quin etiam eodem die Victorem, Cassium, & Florentium apud Xanthum occisos Usuardus adjicit. Nam Eucherius Victorem cum Urso interfectos apud Solodurum est auctor. Inde anno CCLXXXIX. XXCIX. Diocletianus & Maximianus Mediolanum communis colloqui gratiâ convenerunt. Ibi præsente Maximiano in Victorem item Maurum militem est animadversum, eo nomine, quòd Christo nomen dedisset. Etenim ubi verberibus cæsus, & plumbo liquente cruciatus de sententia dimoveri non potuit, securi percussus est, Deo gratias agens, quòd se à civibus suis Nabore & Felice non separasset: corpus ejus Maternus Episcopus collegit, ac sepulturæ commisit VIII. Idus Maji, ut Beda, & Passio ejus memoriæ prodidit. Maximianus inde Mediolano digressus, se in fines Germaniæ retulit. Ibi verò eùm esset, milites alios in castris suis Christianos deprehendit, quos ubi verbis avocare à Christo non potuit; plerosque VIII. Kal. Septembris obtruncari præcepit. Reliquos verò, qui prope quingenti erant, Domninus primus cubicularius ejus est alloquutus, ac nequitia, & impietate Maximiani commemorata suasit, ut omnes ab eo recederent. Qua re percepta Maximianus nonnullos arreptos confestim occidit, Domninus verò cum cæteris in Italiam profûgit, cùmque alii aliò dilapsi essent, Domninus per Æmiliam iter faciens à Ministris Imperatoris inter Placentiam, & Parmam captus, ac subitò obtruncatus est, sanctitatem martyrii mirabili facto confirmans, quippe caput suum de terra collegit, & proximo amne trajecto, per jactum lapidis manu tulit, atque ibi, ubi nunc quoque sepulchrum ejus est, requievit VII. Idus Octobris. Hoc sexto Imperii Maximiani anno factum, ita, ut diximus, in vetere Domnini Vita scriptum comperimus. Anno inde ducentesimo nonagesimo XC. Romæ præsente Diocletiano res accidisse valde memorabilis proditur; dum enim histrio quidam Christianum se fieri delectandi causâ Populi simulavit, non solùm verè Christianus evasit, sed nobile quoque martyrium edidit. Hic fuit Genesius thymelicæ artis magister, qui compositâ cum sociis suis fabulâ, in qua baptismum gentilis efflagitaret, in scæna tamquam ægrotus decubuit, atque ad socios conversus ita dixit: *Eja amici gravem me sentio, rogo vos, ut levem me faciatis*. Cui illi: *Quid? num fortasse nos fabri sumus, qui te runcina leviorem efficere valeamus?* Quæ verba dici vix potest quantum risum Diocletiano, & Romanis astantibus excitarint. Genesius iterum: *Vesani, Christianus fieri volo, mori excepta*. Tum illi Presbyterum, & Exorcistam ex composito adhibuerunt. Qui cùm ad lectum assedissent, rogarunt, *cur nos advocasti fili?* Tum Genesius, non jam simulato, sed syncero, & inspirato divinitus animo, ut *accipiam*, inquit, *gratiam Christi, per quam renatus liberer iniquitatibus meis*. Atque ita aquâ ablu-

A. Chr. CCXC. ablutus, ac vestibus albis de more Christianorum indutus est. Inde verò per ludum à militibus captus, & ad similitudinem Sanctorum Martyrum tamquam de Christi Fide causam dicturus ad Imperatorem adducitur. Quò ubi pervênit, ita loqui prope concionabundus incœpit: *Audi Imperator, vosque omnes, qui adestis. Ego ante hac quoties Christianum nominari audivi, prorsus exhorrui, & in confessione manentibus insultavi; proximè autem mysteria eorum cognoscere, ut ex iis ludum vobis exhiberem, optavi; nunc verò simul atque aqua illâ perfusus fui, interrogatusque, me credere illa, quæ rogabantur, respondi, vidi Angelos Dei flagitia, quibus me ab ætatis initio polluissem, ex libro scripto universa delentes, simulque, ut me post hac purum, integrumque servarent, subjicientes, planè me totum Christo Deo addixi. Quare agite Imperator, vosque omnes, qui horum expertes mysteriorum estis, credite mecum verum Deum Christum esse, & per ipsum posse nos ad veram peccatorum indulgentiam pervenire.* His verbis Diocletianus ita incensus est, ut statim omnes socios ejus, tamquam ejusdem culpæ participes, accersiri, atque unà cum illo torqueri jusserit; illis autem, se ejusmodi consiliorum expertes esse dicentibus, solus Genesius Plutiano Præfecto in quæstionem est datus. Quare cùm Christo renunciare semel suscepto nollet, verbera, ungulas, lampadesque in equuleo constantissimè passus, demum VIII. Kal. Septembris est obtruncatus. Hoc Diocletiano quartum Consule factum scriptum est in Passione Genesii M. S, quam Surius, tempore dempto, in vulgus edidit. Eo anno Mærocles Ecclesiam Mediolanensem admi-
CCXCI. nistrandam accepit. Sequenti Augusti, ut faciliùs bellorum impendentium onera sustinerent, filios sibi adoptatos Cæsares allegerunt, ac Diocletianus quidem Maximino Galerio Cæsari Valeriam filiam collocavit; Maximianus verò Constantio Chlo-
CCXCIV. ro Theodoram privignam despondit. Triennio inde sequenti Cajus Pontifex quatuor ordinationes explevit per mensem Decembrem, quibus Presbyteros XXV. Diaconos VIII., Episcopos per diversa loca quin-
CCXCV. que creavit. Anno inde CCXCV. Labdas Episcopus Hierosolymitanus est effectus. Eoque anno, cùm Diocletianus Romæ esset, Ecclesia Romana cum ipso Pontifice Cajo miserè conflictata est, initio tumultus à pacato admodum principio ducto. Res autem hoc ordine in actis S. Susannæ narratur, quibus Beda, & Usuardus assentiuntur: Maximino filio suo Susannam Gabinii Presbyteri propinqui sui filiam, quòd erat & formâ egregiâ, & literis à patre eximiè erudita, misit Claudium consobrinum suum ad Gabinium, qui puellam deposceret. Gabinius adhibito in consilium fratre suo Pontifice Cajo, rem ad Susannam detulit: illa hortatu Pontificis se in suscepto virginitatis studio amore Christi manere, nec pagano viro nubere velle respondit. Cujus oratione permotus Claudius Christo credidit, ac simul Prepedignæ uxori, ut idem faceret, persuasit. Quare ipse cum Prepedigna, & Alexandro, ac cum filiis à Gabinio institutus, ac tinctus est. Cajus verò Chrisma adhibuit. Diocletianus ubi

A. Chr. CCXCV. Claudium morbo implicitum, sic enim audiebat, mandata non renunciare vidit, Maximum allegavit, qui ad Gabinium Cajumque profectus, nam conjunctas ædes habebant, & ipse pariter Fide imbutus est baptizatus. Quod ubi Diocletianus accepit, contemni se arbitratus, utrumque & Claudium, & Maximum cum Prepedigna, & filiis capi, atque in mare ad Ostiam præcipitari mandavit, idque XII. Kalen. Martias est factum. Gabinium inde, & Susannam cùm in potestatem adduxisset, illum carceri, hanc verò Serenæ Augustæ tradidit, ut eam ad nuptias cum Maximino contrahendas adduceret. Quod ubi facere, neque Deis sacrificare voluit, eam fustibus cædi, ac demum IV. Idus Augusti gladio interimi jussit. Corpus ejus Serena, quæ occultè erat Christiana, in cœmeterio Alexandri reposuit. Ab illo tempore Cajus se quæri ad cædem sentiens, in cryptis se occuluit, atque ibi vitam traduxit.
Sequenti verò anno has literas ad Felicem CCXCVI.
Episcopum rogatus ab illo rescripsit, in quibus de ordinibus Ecclesiasticis rursus post superiores Pontifices ita constituit: *De Episcoporum, & Presbyterorum Diaconorumque, & sequentium Clericorum ordinationibus, Sanctos Apostolos, & successores eorum, & præcipuè Anacletum, & præterea alios sufficienter statuisse cognoscimus, & idcirco non est necesse nunc replicari, nisi quod illi non statuerunt. Illud tamen nos statuentes vobis, & omnibus servare mandamus, ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur, idest si quis Episcopus esse mereretur, sit primò Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolytus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur. Regiones sicut in hac Urbe fecimus, per singulas urbes, quæ populosæ fuerint, Diaconibus dividantur. Et quæcumque difficiles quæstiones per singulas provincias exortæ fuerint, semper ad Sedem Apostolicam referantur. Benè vale frater, & ora pro nobis. Data Kal. Martii, Diocletiano VII. & Constantio II. Coss.* Inde ex cryptis extractus, cùm cedere persecutoribus nollet, unà cum Gabinio fratre X. Kalen. Maji occisus est. Quod etiam scribit Damasus in Vita ejus, inquiens: *Cajus post annos undecim cum Gabinio fratre suo propter filiam ejus nomine Susannam martyrio coronatus est in cœmeterio Callisti viâ Appiâ X. Kal. Maji.*

MARCELLINUS PONTIFEX XXVIII.

INde Cajo successor Kal. Julii Marcellinus Presbyter Romanus est datus, ille verò epistolam Diocletiano VI. & Constantio II. Coss., idest hoc anno, ad Salomonem Episcopum dedit, in qua docuit adversùs quosdam sacrificium pariter Filio offerri, ac Patri offeratur, nec propterea Patrem Filio majorem dici debere adjungit. Postero Diocletianus quoque sævire CC
in Christianos milites cœpit. Tradit hoc XCVII.
Eusebius in Chronicis his verbis: *Veturius Magister militum Christianos milites persequitur, paullatim ex illo jam tempore Persecutione adversùs nos incipiente.* In Historia verò his: *Ante Persecutionem initam Diocle-*

tianus

CC
XCVII. *tianus occultè Ecclesias Dei invasit, non acer-*
vatim nos oppugnando, sed solos milites sen-
sim adoriendo, quibus victis se faciliùs cæ-
teros expugnaturum putavit. Ex quibus ple-
rique paupertatem amplecti, quàm Dei cul-
tum deserere, maluerunt. Ubi verò Magister
militum milites Christianos ab aliis separavit,
atque optionem eis vel honore utendi vel mor-
tis obeundæ dedit, tum plerique Fidei confes-
sionem honoribus prætulerunt. Cæterùm mo-
deratè ille se gessit, & paucos omnino extin-
xit, multitudine confessorum deterritus. Qua-
re unus, & alter mortem oppetere, quàm
XCVIII. *à vera pietate deficere, maluit.* Postero an
no Maximianus Augustus Thermas Romæ
B à Diocletiano destinatas extruere instituit,
opus vastitate sua vel hoc tempore invi-
sendum, atque, ut erat Christianis ini-
quus, eos ad lapides ferendos, & arenam
effodiendam damnavit. Quod ut Thrason
homo in Urbe locuples vidit, homines
miseratus, cibum eis quotidianum per Sa-
turninum, Sisinium, Cyriacum, Smarag
dum, & Largum subministravit. Qua re
cognita Marcellinus Pontifex (sic enim
legendum, non Marcellus) Sisinium, &
Cyriacum Diaconos fecit. Cæterùm dum illi
cibum ferunt, à militibus paganis capti, at
que ad Spurium Tribunum deducti sunt. Ac
Maximianus quidem cæteros pœnæ loco are-
C nam eruere, & humeris deportare præcepit.
Sisinium verò Herculi sacrificare abnuentem
Præfecto Laodicio, Laodicius Aproniano
Commentariensi commisit. Narratur inde
res auditu mirabilis. Apronianus novo
carceris, in quem Sisinium conjecerat,
splendore permotus, baptismum ab eo pe-
tiit. Itaque ablutus à Sisinio, & à Mar-
cellino Pontifice delibutus unà cum Sisi-
nio ad Laodicium adiit, seque Christia-
num esse fateri non dubitavit. Aproniano
inde se Papias, & Maurus milites adjun
xere. Hi cùm Saturninum, & Sisinium
productos, tripodem, qui sacrificii causâ
prolatus erat, dissolvisse viderunt, statim
D exclamavere: *Verè Deus est Jesus Christus,*
quem colunt Sisinius, & Saturninus. Quare
accensus Præfectus, omnes in carcerem
dedit. Inde ad tormenta conversus, Sisi-
nium & Saturninum in equuleum sustu-
lit, ac fustibus, scorpionibusque cæcidit,
& lumina lateribus ardentes admovit,
ac demum, ubi constantes in Fide vidit,
sententiâ latâ in via Nomentana secundo
ab Urbe lapide obtruncavit; corpora eo-
rum collegit Thrason cum Joanne Pre-
sbytero, & III. Kal. Decembris in prædio
suo viâ Salariâ sepelivit. Inde Thrasonem
cum sociis Pontiano & Prætextato captum
pari supplicio III. Idus Decembris affecit.

A Januario inde mense in Papiam, & Mau CC.
rum animadvertit, nam cùm obloquenti- XCIX.
bus illis ora saxo contundenda curasset
nec quidquam profecisset, ipsos ad se ve-
nire in Circo Flaminio jussit, & parêre
nolentes humi stratis fustes impegit, inde
excitatos plumbatis, quo ad animam effla-
rent, pulsavit: corpora collegit Joannes
Presbyter, & viâ Nomentanâ IV. Kal Fe-
bruarias sepulturæ commisit. Postremò in
Apronianum adhuc in confessione persi-
stentem illatus, IV. Nonas Februarias viâ
Salariâ detruncavit. Hæc in gestis S. Mar-
celli, atque apud Bedam scripta reperiun-
tur. Marcellinus Pontifex epistolam ad
B Orientales Episcopos misit, qua se gaude-
re, quòd Episcopi pacem inter se agita-
rent, ostendit, simul admonens, eos à
Persecutione fratrum, & ab omni litigio
abstinere debere. Data Diocletiano VII.,
& Maximiano VI. Coss. V. Idus Septem-
bris. Has autem discordias inter Episco-
pos Orientis hoc tempore exarsisse etiam
Eusebius prodidit. Per eosdem annos idem
ordinationes duas per Decembrem men-
sem explevit, quibus Presbyteros quatuor,
Diaconos, & Episcopos per diversa loca
quinque creavit. Anno inde trecentesimo CCC.
Antiochiæ Tyrannus Episcopus est suffe-
ctus, ut scribit in Chronicis Eusebius.
C Postero verò Alexandriæ Petrus, & Hie- CCCI.
rosolymis Hermas. Sequenti Diocletianus, CCCII.
& Maximianus Augusti Romæ de populis
à se superioribus annis subactis apparatu
magnifico triumpharunt. Eo tempore Clau-
dius, Nicostratus, Symphorianus, Casto-
rius, & Simplicius homines laude sculptu-
ræ insignes delati ad Diocletianum sunt,
quòd jussi Æsculapium è marmore effinge-
re, Christi studio recusassent. Cujus rei
cognitionem ille Lampadio Tribuno man-
davit. Lampadius autem ut in confessione
manentes vidit, vestibus detractis scorpio-
nibus vehementissimè verberavit, verùm
mox à dæmone arreptus expiravit. Qua-
D re Diocletianus magis accensus, extremo
in eis vindicari supplicio jussit. Ita à Ni-
cetio in culleos insuti VI. Idus Octobris
in profluentem projecti sunt; post dies
inde quadraginta duos Nicodemus quidam
corpora eorum collegit, ac viâ Lavicanâ
recondidit. Horum martyriorum auctor
est Beda, qui ex actis, quæ extant, sum-
psit. Rebus, de quibus Romam Diocletia-
nus venerat, ex sententia gestis, omnibus
circumquaque hostibus domitis, Nicome-
diam deinde dira quædam, ac prope ne-
fanda adversùs Christianos animo moliens
se recepit.

LIBER DECIMUSTERTIUS.

SEquenti anno Diocletianus decimam Persecutionem instituit, quæ diuturnitate, & crudelitate sua superiores omnes longè superavit, nam & ad spatium decem annorum pervênit, & totum Imperium sanguine cruentavit, & omnis gradus Christianos arripuit. De hac scripsit accuratiùs Eusebius, ut qui ejus æqualis memoriæ fuerit, verumtamen Orientales tantùm martyres attulit, Occidentales autem omnino non attigit, credo, quòd Orientales Occidentalia fugerint. In hæc igitur exponenda primùm quæ ille cæterique ejus in universum æquales tradiderint, deinde quæ in singulis Orientis locis clara admodum martyria acciderint, referam, tum me ad Occidentalia convertam, quæ præcipuè lumen literarum desiderant, sic igitur ille Historiæ libro octavo: *Vix narrari potest, quantum splendoris Doctrina Christiana apud Græcos simul, & Barbaros sit adepta, antequam Diocletianus Persecutionem iniret, nam & Imperatores Fideles ipsas amplexi sunt, & Præfecti provinciarum omni eas propterea incumbenti molestia liberarunt, atque insigni studia Episcopos coluerunt. Domestici verò Comites familiaribus suis liberè de Christo, & Christi disciplina loqui, & conjugibus, liberis, servisque suis prope etiam libertate gloriari permiserunt, eosque caritate eximia dilexerunt, ut Dorotheum, & Gorgonium, & alios, qui magnam propter Dei Verbum sunt dignitatem adepti. Conventus verò infinitâ hominum turbâ celebrati, atque illustres in Oratoria concursus acti, itaut cùm antiquæ ædes eos non caperent, Ecclesias ampliores prolatis fundamentis effecerint. Hæc verà majores in dies accessiones accipientia, neque invidia ulla impedire, neque dæmon improbus lædere, neque humanæ insidiæ prohibere, Divina manu protegente potuerunt. Postquam autem ab nimia libertate res nostræ ad dissolutam segnitiem sunt delapsæ, cùm alii aliis inviderent, ac probra ingererent, ac tantum non armis inter se decertarent, cùm Episcopi in Episcopos, & Populi in Populos se infestos inferrent, atque adumbrata Sanctitas augeretur, Deus primò parcens moderatè speculationem suam excitavit, Persecutione fratrum in castra illata, deinde verà ubi illa non placata vitia vitiis cumulavimus, & Episcopi dissidia inter se, atque æmulationes exercere, atque ambitiosè honores quærere instituerunt, tum ille iram suam in nos effudit, & Diocletianum ad Persecutionem commovendam induxit.* Itaque mense Martia anno adhuc imperii sui Nono decimo Nicomediæ cùm ibi unà cum Maximiano Galeria Cæsare adesset, die Christi Passionis instante, edictum suo, & Maximiani nomine prælata proposuit, idque tota Imperio divulgari jussit, ut Christianorum conventicula abolerentur, scripta cremarentur, magistratus honore privati libertate spoliarentur, si in suscepta Religione perstarent. Neque ita multo post cùm Episcopi in multis locis conspiravisse contra Imperium dicerentur, alio edicta mandavit, ut qui Ecclesiis præsiderent, ubique gentium in vincula traderen-

A tur, nisi Diis victimas immolassent, ad quod omnibus tormentorum generibus cogerentur. Hoc edictum in publico propositum, civis quidam Nicomediensis (Joannem vocat Beda) ubi audivit, raptim ad eum locum accurrit, ac tamquam impium manibus avulsum conscidit. Itaque primus sacrâ martyris coronâ donatus est. Quare ubique locorum carceres, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, & Exorcistis expleti sunt, ut parum loci relinqueretur iis, qui scelerum erant comperti. Inde edictum aliud editum est, ut qui in vinculis essent, libertatem haberent, si ad sacrificandum animum appulissent, sin minus acerbissimis tormentis B afficerentur, quo pacto tanta Martyrum multitudo effecta est, ut numerus iniri non posset. Tum verò alii cupidè tormenta omnia exceperunt, ac fortem animum attulerunt, alii statim animos despondentes succubuerunt, nonnulli vix satis honestum vitæ exitum consequuti sunt, alii sinè fructu certamen confecerunt, alii ad sacrificandum adducti, perinde ac si sacrificassent, liberè dimissi sunt, quidam licèt nihil impuri attigissent, tamen Gentilibus tetigisse damnantibus eam contumeliam taciti pertulerunt, alii semivivi sublati pro mortuis sunt projecti, quidam humi pro- C strati, inque numerum immolatorum relati pedibus sunt abstracti, nonnulli clara voce se immolationem repudiare clamarunt; fuere etiam, qui multo clariore voce se Christianos esse professi sunt, alii etiam se neque immolasse, neque immolaturos esse dixerunt, qui manibus satellitum cæsi, ut silentium tenerent, è medio sunt amoti. Hæc in universum de hac Persecutione Eusebius. Confirmat eadem de edicto scriptorum comburendorum, & diruendarum Ecclesiarum Arnobius, qui iisdem temporibus vixit; siquidem anno ab Urbe condita millesimo quinquagesimo se illos libros contra Gentiles scripsisse fate- D tur. *Cur nostra scripta*, inquit, *ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur Magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione, in quibus aliud nihil auditur, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiares, communicatores rei cum omnibus, quos solidet germanitatis necessitudine copulatio. Verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gladiis, & potestate valetis ferri, ante vos etiam veritatis sententia judices.* Lactantius verò Firmianus libro quinto sic crudelita- E tem Diocletiani, & Ministrorum ejus in cruentis quæstionibus exercendis exaggeravit: *Quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unquam aluit? quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, famesque sedata protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cujus una jussione funditur ater ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hujus tan-*

te belluæ immanitatem potest pro merito describere, qui uno loco recubans tamen per totum Orbem dentibus ferreis sævit, & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres fundit, ne quis extet sepulturæ locus, quasi verò id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad eum perveniant. Quænam, quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegare? Dico igitur nihil esse miserius his omnibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ jussionis necessitas aut invenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut provectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei verò ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totum Orbem singuli gesserint enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate pro suis quisque moribus sævit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt quàm jubebantur, alii suo proprio adversum justos odio, quidam naturalis mentis feritate, nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent, alii ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit, sed hic quanto sævior, tanto clementior invenitur. Illud verò pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur, ille sævior, ille gravior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest hujusmodi Judices, quanta, & quàm gravia tormentorum genera excogitaverint, ne ad defectum propositi sui pervenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentium peremisse, nam & ipse audivi aliquos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta, sed invidiæ causa ne aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud, quàm victoriam excogitant. Sciunt enim certamen illud esse, & pugnam. Vidi ego in Bythinia Præsidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quòd unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremò cedere visus est. Contendunt igitur, ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud evitant, quàm ut ne torti moriantur. Quasi verò mors tantùm nos beatos faciat, ac etiam non tormenta, quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & paretur novus sanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest? non curassent tam sollicitè quos amarent. Hæc est Deorum disciplina. Ad hæc opera cultores suos erudiunt, hæc sacra desiderant. Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios impia jura condiderunt; nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes Jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius de officio Proconsulis libro septimo rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur; ac quemadmodum quidem Diocletianus, & Maximianus Persecutionem indixerint, atque in universum eam exercuerint hactenus. Nunc martyria clariora, de quibus certi aliquid memoriæ proditum sit adscribamus. Quorum celebrata, ac nimia quæstionum repetitione jam trita, sed tamen iterum in memoriam ob res, quæ dicentur, intelligendas revocanda, consuetudo hæc fuit. Quippe arrepti miseri, atque ad Judicem, quicomque esset, adducti, post publicam cultæ pietatis professionem Christo renunciare, ac Deis honorem tribuere verbis mollioribus jubebantur. Quod cùm se facturos abnuerent, tum dirus omnis in eos equulei, & tormentorum apparatus expromebatur, idest extentis in eo corporibus ad cupitam exprimendam detestationem verbera, ungulæ, & faces admovebantur, ut lateribus tundendis, lacerandis, atque torrendis, ipsos de instituto gradu constantiæ deturbarent. Quam consuetudinem in omni inquisitione solemnem prodidit quoque S. Augustinus epistolâ CLIX.: *Noli*, inquit, *perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti*; hæc autem si, ut ferme fiebat, irrita cecidissent, ac firmo animi robore eos illi cruciatus omnes sustinuissent, tum ad nova alia se pro cujusque ingenii feritate excogitata supplicia conferebant. Quibus si invictam adhuc expugnare Martyris patientiam nequivissent demum ad legitima illa, & ferme nunquam irrita gladium, & securim, & capitale supplicium decurrebant. Quoniam autem duo tum erant Imperatores, unus in Oriente, alter in Occidente, atque uterque suam separatim in Christianos crudelitatem, atque animi acerbitatem effudit, propterea seorsum quæ in utroque Imperio gesta sunt, exponemus. Primùm autem de Diocletiano, & Oriente, prout refert Eusebius, qui se interfuisse testatur, agemus. Edicto proposito Nicomediæ Dorotheus, Gorgonius, & Petrus, qui summum apud Imperatores honoris, & gratiæ locum tenebant, pro constanti Christi confessione omnia tormenta, & ludibria corporibus illata, ac dira mortis genera fortiter pertulerunt. Nam Petrum in conspectum productum, cùm immolare simulachris jussus recusasset, primùm nudum in sublime sublatum flagellis toto corpore laniarunt, deinde ubi nudata carnibus ossa viderunt, acetum sale permistum in membra jam tabescentia infuderunt, mox ubi hæc quoque contemni cruciamenta senserunt, prolatâ craticulâ reliquum corporis, tamquam carnes ad vescendum paratas igne paullatim assarunt. Quibus demum in tormentis ille animam edidit. Dorotheus autem, & Gorgonius, aliique ex Imperatoris familia multi post varia tormentorum genera in confessione perstantes vitam laqueo finierunt V. Idus Septembris, ut scripsit Beda. Anthimo verò urbis Episcopo propter Christi testimonium recisum est caput. Deinde ingens Martyrum multitudo excepit, quòd incendii, quo casu Regia Nicomediensis flagravit, vulgo ipsi Christiani crimen tulerunt. Quare invidia rei alii gladio trucidari, alii igne incensi, cùm multi etiam utriusque sexus ultro, atque alacri animo se in flammas inferrent, reliqua

qua multitudo in scaphas imposita in profundum mare demersa est. De hoc verò multo uberius Græci. Anthimo sacrificium abnuenti primùm cervicem lapidibus contuderunt, tum candenti ferro talos perforarunt, mox acutis testis impositum virgis spineis cæciderunt: tum ardentibus ferreis ocreis crura implicuerunt, rotæ inde alligatum lampadibus adusserunt, tandem jussu Imperatoris caput est amputatum III. Nonas Septembris. Eusebius inde rebus Nicomediæ expositis narrat, quæ in Ægypto, & Syria contigerunt, quorum ipse notionem acceperit, atque ita pergit: *Ex Ægypto nonnulli Tyrum profecti martyrii gloria floruerunt, nam post admirabilem confessionis constantiam bestiis objecti, cum pardis, ursis, apris, tauris igne, ferroque ad rabiem incitatis certarunt, quorum præclarum spectaculum fuit videre immanissimas bestias longo intervallo corpora Sanctorum non attingentes, verùm adversùs infideles, à quibus irritabantur extra repagula irruentes, à sanctis verò, qui jussi manibus eas in se provocabant abstinentes, aut, si invasissent, quasi divino impulsu se revocantes, atque impetum inhibentes, cùm tamen infideles mirabundi primâ bestia frustra impulsâ, secundam, & tertiam promoverent. Inter satiros verò convertit in se oculos adolescens nondum viginti annos natus, qui manibus in crucis modum expansis, tota mente in Deum defixus nequaquam se commovit, cùm ab ursis, aut pardis cum voraturis appeteretur, ferarum autem ora divina voluntate occlusa nihil obfuerunt. Insignis etiam fuit taurus, qui cùm nonnullos infideles obvios cornibus arripuisset, atque in sublime jactos, miserèque discerptos semimortuos reliquisset, Martyribus tamen ne appropinquavit quidem, & quamquam igne lacessitus huc atque illuc volitabat, tamen in eos tantùm, qui se incitabant, incurrit; cùm autem alia post eum bestiæ immissæ nihil obfuissent, ense obtruncati in mari sepulturam adepti sunt. In Ægypto verò longum esset enumerare, quàm multi salute sua neglecta, varia mortis genera pertulerunt, quorum alii post cuticulam novacula abrasam, membra laxata, corpora laniata, aut in ignem injecti, aut in mare præcipitati, aut obtruncati, aut tormentis confecti, aut fame enecti perierunt; nonnulli patibulis suffixi, aut tamquam facinorosi suspensi; alii demisso capite clavis firmati eo usque servati sunt, donec fame in ipsis patibulis contabescerent. In Thebaide porrò plurimi testis ungularum loco admotis toto corpore usque ad extremum spiritum lacerati sunt. Mulieres uno pede nexo, sublimes capite inverso, nuda corpora visenda planè ingrato spectaculo præbuerunt. Quin etiam pedes aliorum duobus robustissimis ramis adductis alligarunt, atque eis mox in naturam suam remissis corpora repentino impetu divulserunt. Ita usque ad centum in die variis modis necati, cum alii igne urerentur, alii securi percuterentur, adeò ut securis nimio ictu debilitata, aut obtunderetur, aut infringeretur, & carnifices trucidando defatigati mutuis operis traditis, alter ad alterum sublevandum succederet. Quo tempore mirabilem animadvertere licuit ad martyrium obeundum multorum alacritatem, nam sententiâ contra priores pronunciatâ alii aliunde ad tribunal accedebant, seque Christianos profiteri, ac morti læto animo offerre non dubitabant, psalmos etiam, & hymnos in Deum Mundi opificem concinentes.* Affert inde epistolam Phileæ Episcopi de martyribus Thebaidos in hanc sententiam: *Cùm potestas data esset omnibus, ut contumelias, & pœnas Christianis, quas vellent, inferrent, alii fustibus, alii virgis, alii flagellis, quidam loris, multi funibus eos verberarunt, supplicia verò diversa adhibita sunt. Quidam enim manibus post terga revinctis ligno appensi, & machinis quibusdam membris distenti, deinde toto corpore vexati; non enim latera solùm, ut cum homicidis agi solet, sed venter, tibiæ, & genæ flagris ferreis secta, alii pependerunt manu affixi, & articulorum artuumque pertulere distensionem, quæ omnem doloris superabat acerbitatem; alii ore inter se converso devincti columnis per pedes ita appensi sunt, ut cùm funes acriùs traherentur, pondere corporis acerbiùs premerentur, neque solùm præsente, ac quæstioni operam dante Judice, sed toto ferè die hæc tolerarunt. Quando enim ab ipsis ad alios se contulit, ministros reliquit, qui observarent, num fortè quispiam tormentis victus cedere videretur, mandans, ut acerbè funibus torquerentur, & cùm jam animam essent acturi, in terram demissi miserè raptarentur. Nonnulli post verbera in compedibus ligneis positi erant, pedes inter se ad quartum usque foramen ita distenti, ut necessariò supini jacerent, nec possent propter recentia plagarum vulnera se ullo modo movere, alii in solum projecti pro crebris ictibus, quibus afflicti sunt, semineces jacuerunt, ex quibus nonnulli in cruciatu expirarunt, & singulari constantia adversarium confuderunt: alii semimortui in carcerem traditi non multis post diebus doloris magnitudine perierunt; reliqui viribus curatione admota recuperatis convaluerunt. Sic igitur cùm iis esset optio data, vel victimis tractandis sese molestiâ liberandi, vel præceptis recusatis mortem excipiendi, illi ad mortem alacri animo processerunt.* Hactenus Phileas. Pergit inde ita Eusebius (quamquam hæc in octavum Persecutionis annum interpres, nescio qua de causa, traduxit): *In Phrygia urbs Antandrus cum populo universo obsidione undique cincta, dum viri cum conjugibus, ac liberis Dei auxilium invocabant, facibus injectis, incensa fuit, quia Populus, Magistratus, & Præfectus præsidii se Christianos profitebantur, neque infidelibus sacrificia imperantibus dicto audientes erant* (atque hoc est, quod Lactantius quoque supra se in Phrygia vidisse dixit) *quo tempore Adauctus, natione Italicus, vir nobilis, & multis honorum gradibus à Romanis Imperatoribus decoratus, cùm Magister esset, illustre martyrium subiit. In Arabia quoque multi securibus percussi; in Cappadocia multis crura jussu acti: in Mesopotamia nonnulli pedibus in sublime appensis, capiteque in terram demisso, & fumo ex lento igne excitato enecti. Alexandriæ quidam naribus, manibusque præcisis, cæterisque dilaniatis artubus deformati. Antiochiæ non parvi candentibus craticulis subjectis ad longum cruciatum affecti, ex quibus alii dextram in rogum immittere, quàm eâdem detestandas contrectare victimas maluerunt; alii priùs quàm caperentur, se ex ædibus altissimis dejecerunt, inter quos mulier genere, & divitiis clara excelluit. Hæc*

eum

cum duabus filiis in agro latitans Antiochiam revocata in medio itinere veniam ad secedendum curandi corporis gratiá petiit, eâque impetratá in flumen se cum eis præcipitavit. Alias verò virgines ministri in pelagus projecerunt. Hæc autem nominata Pelagia fuit, quam inter SS. Martyres S. Ambrosius, & S. Joannes Chrysostomus summis efferentes laudibus retulerunt, licèt S. Augustinus libro de Civitate Dei primo de hujusmodi Martyribus incertus esse sententiæ videatur. *In Ponto quibusdam digiti manuum ab extremis unguibus acutis arundinibus sunt transfixi, aliis terga plumbo ferventi perfusa, & partes ad necessitatem factæ adustæ, pudendis etiam, ac visceribus intolerandi cruciatus illati, quos illi commenti sunt, ingentis laudem in novitate suppliciorum indagandi quærentes. Inde in cædibus faciendis defatigati remittere de acerbitate cœperunt, ne imperium Principum tristi aliquo crudelitatis exemplo posteris notatum relinquerent, tantum ad humanitatis famam colligendam, oculum effodi, & crus infringi jusserunt. Quare infiniti fuere, quibus oculis dextris suis compunctis, sides ferro candente adustæ, & lævi pedes in suffraginibus ipsis incensi sunt, qui postea cruciatus etiam ad metalla quoque amandati sunt.* Hæc libro octavo Eusebius; at in appendice libri VIII. hæc adduntur: *Ex Martyribus Palæstinæ primus fuit Procopius, qui in judicium adductus, & Diis sacrificare jussus, unum solum Deum se nosse dixit, cui, sicut ab eo præceptum esset, soli sacrificare oporteret. Inde quatuor Imperatoribus immolare jussus carmen Homeri respondit:*

Haud bona res multi domini, Rex unicus esto,

qua voce missa protinus securi percussus est, & quidem VIII. Idus Julii. Alphæus autem, & Zachæus post verbera, & novaculas, post vincula, & diversis tormentis quæstiones adhibitas, post pedes, dies noctesque compedibus ligneis quatuor foraminum intervallo distentos, XV. Kal. Decembris unum solum Deum, Jesumque Christum liberè confessi pariter obtruncati. Tyrannio porrò Episcopus Tyri, & Zenobius Presbyter Sydonis arte medicina nobilitatus, ambo Antiochiæ martyrium pertulerunt, Tyrannio in profundum mare demersus, Zenobius latera laniatus IV. Kal. Novembris. Romanus autem Palæstinus Ecclesiæ Cæsariensis Diaconus, & Exorcista multos ad immolationem accedentes in eadem urbe conspicatus, graviter increpuit, ac propterea prehensus illustre virtutis testimonium præbuit; neque enim solum ad ignem, cui adductus fuit, hilariter aiunt, sed etiam cùm ad palum alligaretur, & sarmenta pararentur, clamavit: *ubi est ignis?* quare ad Imperatorem deductus, cùm ille exscindi linguam jussisset, ultro eam obtulit, inde in vincula reductus, vigesimo jam anno Diocletiani instante, quo edici solet, ut libertas omnibus, qui ubique in vinculis sunt, detur, solus in compedibus restitit, utroque pede usque ad quintum foramen distracto, ac demum laqueo strangulatus martyrium subiit XV. Kal. Decembris. Hæc primo anno ferme contra Clericos gesta sunt. Secundo verò cùm bellum latiùs propagaretur, literæ Imperatorum ad Urbanum Præsidem Palæstinæ venerunt, ut vulgo omnes immolare singulis in Urbibus cogerentur. Tum Timotheus è Gaza infinitis tormentis superatis, ad extremum rogo impositus coronam reportavit. Agapius autem & Thecla eodem nomine ad eumdem Præfectum adducti, quòd Idolis cultum tribuere nollent, ad bestias damnati sunt. Quod verò admirationem omnibus magnam incussit, ubi dies ludorum venêre, cùm rumor increbuisset, Christianos, qui damnati ad bestias fuerant, productum iri, Timolaus Ponticus, & Dionysius Tripolitanus, Phœnix, Romulus Ecclesiæ Diospolis Subdiaconus, Pausis, & Alexander Gazæus manibus prævinctis ad Urbanum, qui bestias emissurus in Christianos erat, occurrunt, & se Christianos confitentur, ac ferarum non exhorrescere impetum docent; quare obstupescentibus omnibus in carcerem traduntur. Inde Agapius variis jam ante tormentis perfunctus, & Dionysius, qui res necessarias Martyribus suppeditarat, se eis socios addiderunt. Itaque ferme IX. Kal Aprilis Cæsareæ securi percussi sunt. In Thebaide verò Phileas Thmuitæ Episcopus, Philoromus Tribunus militum, qui singulis diebus judex controversiarum sedebat, nullis amicorum & propinquorum precibus adduci potuerunt, ut vitam Christi confessioni præferrent, verùm omnibus erroribus, contumeliisque neglectis, caput gladio obtulerunt. Atque hæc quidem à Diocletiano patrata martyria sunt ab extremo Martio usque ad XI. Kal. Maji sequentis anni, quo, ut post dicemus, ipse se Imperio abdicavit, prout Eusebius memoriæ prodidit. Nunc cætera ab eo prætermissa, sed certos tamen auctores habentia, & ferme è Græco martyrologio prompta referemus. Nicomediæ Diocletiano omnia supplicia in eos, qui se Christianos dicerent, intentante, præsens Anicetus magna voce Christum asseruit. Itaque comprehensus primùm acriter vapulavit, deinde feras in se dimissas ovibus mitiores redegit, mox appositum Herculis simulacrum orando contrivit; inde acceptâ pridie Idus Augusti in se gladii sententiâ manum carnificis arefecit. Theopemptus autem primùm in furnum ardentem conjectus, deinde altero oculo est orbatus; Theonas verò Magus, qui jussu Principis venenum propinavit, ut eum epoto poculo incolumem vidit, ad Christum se contulit. Quare Theopemptus capite cæsus, Theonas in foveam est demersus III. Nonas Januarias. Bassus autem, & Eusebius, Euthychius, & Basilides, qui primi in Palatio erant, ut Theopempti fortitudinem perspexerunt, & ipsi Christo crediderunt, ac zonas ante Principem, se Christianos esse ferentes, projecerunt, ac pecunias, ut jussi erant, suas aliis tradiderunt. Quare Bassus in foveam ad pectus usque missus manibus recisis spiritum edidit, Eusebius in caput inter duas columnas suspensus securi percutitur. Eutychius manibus, & pedibus palis quatuor alligatus, in tot partes secatur. Basilides verò ventrem ense trajectus, pariter cum cæteris XIII. Kal. Februarii moritur. Adrianus autem cùm Christianos acerbè torqueri videret, eos percontatus est, *cur ista perferrent?* cùm autem eos respondentes audisset: *propter ingentia bona sibi à Deo pro-*

proposita, statim religionem ascivit, & Sanctorum nomina describentes rogavit, ut nomen suum referrent. Quo facto advolans ad carcerem uxor ejus Natalia, viri vincula osculari, ad martyrium ipsum adhortans cœpit; domum verò reversa, pro ipso vota fecit, ut certaminis cursum egregia virtute conficeret; ut verò Adrianus membratim cum cæteris laniatus est, præsens eorum reliquias collegit, & Byzantium asportata in Argyropoli collocavit, ac post ipsa quoque defuncta ibi sepulturam Kal. Decembris invênit. Jam verò Chalcedone Priscus Præfectus mortem indixit eis, qui festo Martis instante, ad illum adorandum non accessissent; multi autem ire abnuentes in custodias dati, inter quos Euphemia nobilis virgo eluxit. Hæc primò multis modis in carcere afflicta cæditur, inde argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum angularium, virgas, serras, & sartagines insigni constantia passa, demum bestiis objecta, cunctantibus omnibus precibus evicit, ut ab una earum appeteretur, atque ita martyrium consummavit; cùm autem in ignem conjicienda esset, Victor, & Sosthenes, qui lictoribus præerant, convertuntur. Quare capti, & bestiis traditi pariter martyrio coronantur. Hi quidem IV. Idus Septembris, Euphemia verò XVI. Kal. Octobris. Ex Simeone, & Beda. Niceæ verò Antonina à Præside capta loris verberatur, in equuleo laniatur, fuco imponitur, manus candentibus subulis perforatur, talos secatur. Inde ex vulneribus recreata, duobus annis in carcere, fame, siti, atque ærumnis omnibus maceratur, quibus confectis, cùm adhuc in constantia confessionis maneret post in paludem præcipitata pridie Idus Junias moritur. IV. autem Kal. Augusti Theodore in eadem urbe cum tribus filiis confessionem retinens inflammatur. In Cilicia verò Maximus à Diocletiano ad exercendas de Christianis quæstiones Tarsum missus, continuò tres, quorum eminebat pietas, apprehendit, Tarachum, Probum, & Andronicum. Inde singulis citatis, Tarachi, cùm confitentem videret, maxillas, & cervicem verberavit, ac Probum nervis Bovillis pulsavit; cùm autem ille inter verbera nullam aliam vocem mitteret, nisi *Jesu Christe fer opem*, subjecit: *si tibi opem ferret, te his malis eximeret*, cui Probus: *non recuso supplicium, postulo constantiam*. Quare carceri redditus, usque ad quartum foramen extentus est. Andronico inde, cùm in proposito permaneret, in equuleum sublato, tibias ignito ferro impressit, latera stimulis pupugit, sale perfricuit, & testis laceravit. Inde omnes revocati in quæstionem novis tormentis separatim affecti. Tharaco quippe suspenso fumus naribus est sufflatus ex aceto, sale, & acerrimis seminibus excitatus. Probo ferrum candens applicitum, & lingua recisa. Andronicus nervis durissimis cæsus. Post aliquot dies tertiò Judex sedit & supplicia Martyrum instauravit, nam Tharaco cutem capitis detraxit, & ardentibus carbonibus conspersit, & aures, labiaque desecuit. Probo oculos eruit, & vinum aræ cruore permixtum ori ejus infudit, in os verò Andronici carnes imputas injecit, postremò oculos effodit, omnium verò mammas, latera, tibias, digitorum intervalla candentibus verubus transfixit, & ad ossa usque adussit, ac bestias immisit. Cæterùm inania expertus omnia, tandem V Idus Octobris mucrone transfodit. Corpora inter cadavera gladiatorum projecta fideles noctu vestigantes, Deum precari cœperunt, ut ea sibi ostenderet. Quare subitò fulgorem, velut stellæ de cœlo missæ, viderunt supra Sanctorum corpora residentem, atque ita cum ingenti gaudio ea rapuerunt, ac præcedente luce loco aptissimo condiderunt. Simeon, & Beda. Cùm autem Marinus Anacarbensis multos ad Fidem adducens tingeret, ad Lysiam Ciliciæ Præfectum delatus post constantem confessionem acriter verberatur, & ponderibus ferreis oneratus in carcerem traditur. Postridie in quæstionem abreptus, cùm sacrificia detrectaret, & pedes ligno suspenditur, flagrisque verberatur, mox facibus exustus, tandem latâ sententiâ extra Urbem raptatus VI. Idus Augusti capite plectitur; corpus ejus canibus objectum Xanthus fidelis humo contexit. Domnina quoque Anazarbensis capta ad Lysiam Præfectum adducitur, ac Christum liberè confessa inclementiùs cæditur, inde pedes subulis ignitis exusta in carcerem datur, tum rursus in quæstionem abstracta, iterum virgis acriter verberatur, & forcipibus membrorum articuli quatiuntur, post in carcerem redacta inter orandum moritur IV. Idus Octobris. Eodem tempore apud Ægeam urbem Ciliciæ Cosmas & Damianus arte medici versabantur vulgò Anargyri, quia mercedem à nemine remediorum suorum accipiebant, vocati. Horum pietatem ut Lysias novit, comprehendi mandavit, & de illorum conditione rogavit, illi responderunt, se ex Arabia, & Christianos esse, pariterque fratres alios, Anthimum, Leontium, & Euprepium iisdem Sacris imbutos habere, quos Lysias statim corripi jussit, inde omnibus ut sacrificarent, injunxit; postquam autem in confessione constantes vidit, itá pereitus acriter in equuleo, sed frustra, torsit. Itaque vinctos cathenis in mare præcipitavit. Verùm conservati ab Angelo emerserunt. Quo cognito, advocatos rogavit, ut se maleficia illa docerent, & cùm se in Christi nomine maleficia contemnere omnia respondissent, postridie omnes in medium ignem injecit, qui tamen orantibus Sanctis vim suam amisit. Hinc Lysias æstuans iterum in equuleo affictari, inde in cruces agi, tum lapidibus appeti imperavit; lapidibus autem in eos, qui jecerant, redeuntibus, sagittas in eos emisit, verùm & hoc frustra, multis in ipso conatu jaculandi deficientibus, fecit. Quare confusus gladio demum transegit XVI. Kal. Novembris. Zenobius autem Ægeorum Episcopus cùm Populum in officio retineret, comprehensus, ad Lisiam eumdem adductus est, atque unà cum Sorore Zenobia, quæ ultro se tradidit, virgis cæsus, super ferreum lectum candentem extensus, & in ferventem & pice refertum cacabum datus est; quibus malis liberari, ubi vinci non potuerunt, gladio petierunt pridie

A Kal. Novembris. Claudius verò, Asterius, Neon, & Theonilla fratres Mopsuestiam Ciliciæ urbem, patrimonium à noverca sua repetituri, contenderunt; illa verò, ut se lite liberaret, eos tamquam Christianos ad Lisiam Præsidem detulit. Quare viri comprehensi, & confessi in Theatro in equuleum sublati torquentur, inde post multos cruciatus extra urbem lignis suspensi, & clavis confixi perimuntur; post autem Theonilla & ipsa crinibus appensa, virgisque diu cæsa spiritum tradidit IV. Kal. Novembris. Sidæ in Pamphylia Cyndæus Presbyter à Stratonico Præfecto captus, ferreis calciatus calceis acutis clavis præfixis, per viam B ad portam sacram fetentem flagris currere cogitur; tortoribus autem, quia mandatum acceperant, ut igne comburerent, pauperi fascem victus causâ ferenti eripere volentibus, ipse soluto pretio fascem accepit, & ubi ad locum venit, succensam fornacem iniit, verùm illæsus Sacerdotem idolorum cum uxore ad credendum adduxit, atque inde orans spiritum V. Idus Julias tradidit. Hieron, Nicander, Hesichius, & alii triginta Melitinæ Armeniæ urbe à Præfecto Urbis capti, multum, ut Christum abnuerent, cruciantur, sed magna voce Christum contestati, de C tractis vestibus verberantur ita, ut eorum intestina extra irent. Demum post diram carceris afflictationem, gladio feriuntur VII. Idus Novembris. Sebastæ item in Armenia cùm Sancti Martyres torquerentur, & Christianæ mulieres à Maximo Sebastæ Præfecto interrogarentur, Irenarchus lictor credidit, ut mulieres supra naturam sexus viriliter agentes, & tyrannum miraculis confundentes aspexit; quare Christum confessus, primùm in paludem projicitur, deinde in fornacem ardentem immittitur, ad extremum, ubi mori eo modo non potuit, gladio obtruncatur IV. Kal. Decembris. Orestes item D Tianis urbe Cappadociæ à Maximo Præfecto tenetur; is post vapulationem in templum inductus, cùm in simulacra sufflasset, ipsa contrivit: post septem dies cùm in auctoritate Præfecti non esset, talos longis clavis perforatur, & equo sylvestri catenis alligatus, ab urbe viginti quatuor millia passuum trahitur, atque ita V. Idus Novembris martyrio fungitur. Edessæ in Mesopotamia Gurias, & Samonas Presbyteri cùm immolare recusarent, singuli manu suspenduntur per horas quinque, inde depositi, & in confessione manentes, iterum pedibus appenduntur, mox in tenebrosum lacum projecti, demum E XVII. Kal Decembris obtruncantur. Theodora verò ad Alexandriæ Præfectum adducta, Christumque confessa, lupanari traditur, quod ubi Didymus Christianus animadvertit, à Deo impulsus ad illam accessit, ac timentem, & refugientem, bono esse animo jussit, ac militarem vestem cum illius muliebri mutavit. Quod ubi Præfectus cognovit, Didymum illico comprehensum capite multavit, ac Theodoram jugulatam in ignem VI. Kal. Junias projecit. Cyrus autem Medicus ad eumdem Præfectum delatus præ metu in Arabiam fugiens Monachum induit, & juxta

A mare habitavit. Joannes verò Hierusalem profectus, auditis Cyri miraculis eum convenit, & simul cum eo habitavit; cùm autem Præses Athanasiam mulierem cum tribus filiabus Theodota, Theoctiste, Eudoxiaque cepisset, atque in eas tormenta pararet, illi veriti, ne mulier sexus imbecillitate deficeret, ad eam confirmandam adierunt, ac capti, post cruciatus varios pridie Kal. Februarias obtruncati sunt. In Ægypto item Præses Monasterium quoddam, quò se multi Episcopi, Presbyteri, Monachique contulerant, inflammavit, ac Julianum inter cæteros ejus loci constructorem comprehensum verbe- B ravit. Celsus autem Præsidis filius astantes Juliano Angelos conspicatus, Christo credidit, & alii cum eo multi; quin etiam cùm casu quidam mortuus efferretur, repentè suscitatus clamavit: *Orante Juliano ego resurrexi*; quo facto multo plures ad credendum se dediderunt. Qua re incensus Præses, Juliano & Celso capitis cutem detraxit, atque ipsos cum aliis fidelibus XI. Kal. Julias obtruncavit. Cyrenis cùm esset inter cæteros captus Theodotus urbis Episcopus, atque in carcerem datus, Cyprilla capitis dolorem patiens casu ad eum venit, & sanitate recepta inde ei unà cum Lucia & Aërea Sanctis C mulieribus ministravit: mortuo inde Theodoro ad Præsidem adducta, Christumque confessa, asperè vapulavit, deinde à carnificibus manum ejus tenentibus thus Deis offerre coacta clamavit: *Non est hoc voluntarium Sacrificium; ego namque Christo sacrifico*. Qua voce audita in equuleum sublata, ac miserè laniata spiritum III. Nonas Julias reddidit. Atque hæc quidem martyria ferme sunt, quæ Diocletianus in Oriente maximè illustria perpetravit. Quæ verò Maximianus in Occidente eodem tempore edidit, hæc invenimus. Primùm Romæ sævo proposito Imperatorum edicto ingens pavor, & trepida fuga D fuit, cùm passim homines, & præsertim Presbyteri caperentur, & in carceres conderentur. Inter cæteros autem ipse Pontifex Marcellinus omnium in se oculos, mentesque convertit, cùm à Ministris Maximiani captus supplicio intentato ad sacrificandum esset adactus; siquidem timore exanimatus horribile dictu! cessit, ac thura adolevit, fuere etiam qui eum sacros codices tradidisse dixerunt. Primus autem & Felicianus Cives Romani, fratres delati primùm, deinde capti, cùm sacrificaturos se esse negassent, post carcerem, ex quo ope Angeli evaserunt, Promoto urbis Nomentanæ Præfecto in E tormenta traditi sunt. Ille verò cùm blandis verbis nihil ab eis obtinuisset, primò Felicianum octoginta annos natum plumbatis cæcidit, inde stipiti manibus, pedibusque affixum, sinè cibo ac potu tridui spatio pendere permisit. Tum Primum ad se seorsum adductum falsis verbis aggressus est: *vide quanto prudentior, quam tu, sit frater tuus, qui Imperatoribus obsequutus, apud eos honorem est consequutus, cujus si tu quoque sequi exemplum volueris, & ipse eumdem locum honoris, ac gratiæ obtinebis*. Cui Primus: *Quod factum sit fratre meo, cognovi ex Angelo, utinam*

A *ut ego sum cum eo voluntate conjunctus, sic ab illo martyrio non disjungar?* Tum Præfectus jussit eum fustibus robustissimis tundi, & de sententia oon desistentem lampadibus in equuleo torrefieri: inde adducto in conspectum Feliciano, plumbum ebulliens in os ejus omne effundi, quod ille tamquam frigidum promtus exhausit. Jussos inde ambos rursus ut sacrificarent, cùm pari constantia renuissent, io forum Urbis adductos, leonibus, atque ursis immissis objecit; verùm feræ non solùm ab eis abstinuerunt, sed eisdem etiam se mites ac blandas contra belluarum ingenium præbuerunt. Quo viso protinus viri amplius quingenti cum suis ad credendum B adducti sunt; ad extremum caput eis V. Idus Junias amputatum, corpora noctu Christiani rapuere, eaque ad Arens Nomentanos juxta Arenarium condidere, ut in gestis eorum, & apud Bedam est scriptum. Ex iis autem, qui in carcere ab Custode Artemio servabantur, Petrus Esorcista multos ad fidem oratione sua traduxit. Nam cùm Artemius filiam unicam Paullinam haberet à Dæmone divexatam, atque ei morbo remedium quæreret, monuit eum Petrus, ut in Christum crederet; sic enim fore, ut filiam liberaret. Cui Artemius ridens: *si tu hisce vinculis expedieris*, inquit, *ego parebo*. Tum C Petrus: *Atqui ego me facilè*, inquit, *expediam*; atque ita sequenti nocte solutus, domi eum, & Candidam uxorem convênit, & Paullinæ sanitatem restituit. Quo facto obstupefacti omnes è familia Artemii Christo fidem adhibuerunt, unàque plurimi alii, qui subinde rei notitiam acceperunt; quos omnes Marcellinus Presbyter à Petro adductus Baptismo infecit. Jussus inde Artemius, ut captos ad Judicem Serenum adduceret, respondit, omnes à Petro Christianos effectos, solutosque fuisse. Quare Serenus Artemium plumbatis cæcidit, Petrum autem, & Marcellinum in equuleo torsit, deinde in D vincula omnes redegit. Petrus autem, & Marcellinus soluti ab Angelo exierunt, ac populum à se tinctum confirmaverunt. Quare eis in carcere non inventis, Serenus vehementer exarsit, ac IV. Nonas Junii eos capite detruncavit ad Sylvam-Nigram, quæ postea ab eorum honore Sylva-Candida dicta est, & qui eos percussit, nomine Theodorus, animas eorum splendidè ornatas ad cœlus ferri conspexit. Itaque actâ pœnitentiâ post senex sub Julio Pontifice tinctus est. VIII. verò Idus Junii Serenus Artemium gladio sustulit, Candidam verò, & Paullinam lapidibus obruit, atque in cryptam dejecit. Hæc E ex vetere eorum martyrio, cui Beda consentit. Cyrillus autem Cretes Episcopus in carcerem traditus vocem audivit de cœlo dicentem: *Cirille tuâ quoque operâ Romæ indigeo*. Itaque patefacto carcere exiit, ac Romam ire contendit, atque ibi confirmatis fratribus Cretem repetiit, ubi à Præside captus, gladio est percussus, annos quinque & nonaginta natus XVIII. Kal. Julias, ex Græcis. Felix autem Presbyter captus, cùm ad Secretarium Judicis Draconis esset productus, exsufflavit in faciem æneorum signorum Serapis,

A Minervæ, & Dianæ, atque ita omnia dissipavit; quare ad supplicium ductus est, cui occurrens homo quidam exclamavit: *& ego, quem hic Sanctus Pater confitetur, Dominum Jesum Christum adoro*. Itaque ab officio Præfecti comprehensus, III. Kal. Septembris cum Felice est obtruncatus. Christiani verò eum, quia oomen ignorarunt, vocavere Adanctum, qui additus esset Felici Martyri ad coronam. Corpora in eodem loco à Christianis sepulta, exinde pagani eruere voluerunt; verùm quicumque manus admoverunt, arrepti à Diabolo sunt. Lucia verò, quæ annos jam trigintasex vidua erat, ac septuaginta- B quinque agebat, à filio suo Euprepio accusata, primò io carcerem tradita divinam consolationem promeruit, deinde fustibus cæsa, subito terræmotu templum Jovis ad solum evertit, tum in ollam pice & plumbo serventem missa, triduo illæsa permansit. Huic deinde, cùm plumbo, & ferro onusta per urbem trahreretur, Geminianus vir nobilis obvius, videns ei patêre cœlum, socium se in carcere junxit, ubi Baptismo à Prothasio Presbytero sumpto, ad extremum unà cum ea capitale supplicium XVI. Kal. Octobris subiit. Corpora Maxima mulier insigni pietate collegit, ac pro dignitate sepelivit. Auctor Ado. Interim Marcellinus C Pontifex agnito piaculo suo gravi, pœnitentia tactus remedium opportunum adhibuit. Etenim conventum vicinorum Episcoporum io cryptis Suessæ in Campania habuit, atque ibi X. Kal. Septembris cinere conspersus, & cilicio obductus, effusis lachrymis flere delictum suum instituit, ac semetipsum ultro damnavit. Quod factum satis valere ad justam Pontificis expiationem est visum; nam Petrum ipsum Principem Apostolorum, cujus ille Sedem teneret, eadem ratione insignem negati Domini sui labem delevisse, neque porrò convenire, ut Pontifex Maximus D ab aliis minoribus Pontificibus judicetur. Huic actioni primus subscripsit Miltiades Presbyter, qui post ad Pontificatum ascendit. Extat Concilium ipsum. Severus item Severianus, Carpophorus, & Victorinus biennio post passionem quinque Martyrum CCCV. Claudii, Nicostrati, Simphoriani, Castorii, & Simplicii cùm imperatum Sacrificium detrectarent, VI. Idus Novembris ante signum Æsculapii plumbaris vehementissimè vapularunt, quoad spiritum ediderunt; corpora eorum cùm objecta canibus per dies quinque insepulta mansissent, demum collecta fideles viâ Lavicanâ prope quinque, de quibus diximus, E Martyres condiderunt. Hi, quòd eorum tum nomina ignorarentur, quatuor Coronatorum nomen obtinuerunt. Ministri verò Maximiani, ut cognoverunt, Marcellinum Pontificem peractâ pœnitentiâ expiatum ardentiùs in Christi causa permanere, ipsum de integro corripuerunt, ut palàm sacrificare abnuenti, ac sævo Maximianum præsentem (nam tum Romæ vicennalia celebrabat,) convicio lacerati VI. Kal. Majas caput a cervicibus amputarunt, pariterque cum eo Diaconos tres Claudium, Quirinum, & Antoninum peremerunt, atque eorum corpora proje-

ecrunt; postridie verò à Marcello Presby-
tero collecta, sepulcro sunt condita, cùm
jam Maximianus Mediolanum reversus
XI. Kal. Majas unà cum Diocletiano se
Imperio abdicasset. De hoc verò sic Euse-
bius: *Cajo, qui nostra floruit ætate, à Mar-
cellino successum est, cujus temporibus Perse-
cutio, in qua ipse martyrio occubuit, exorta
est*. Addo etiam illud, Donatistas hæreti-
cos post non solùm Marcellino, sed etiam
Presbyteris ejus Marcello, Miltiadi, &
Sylvestro crimen Sacrorum Codicum tra-
ditorum, & thuris dati obtulisse, de qui-
bus sic S. Augustinus in libro de unico
Baptismo: *Marcellinus, & Presbyteri ejus,
Miltiades, Marcellus, & Sylvester tra-
ditionis codicum divinorum, & thurifi-
cationis crimine à Donatistis arguuntur,
sed numquid ideo etiam convincuntur?* Mar
cellinum inde Pancratius est sequutus; is
juvenis è Phrigia Romam deductus, Pon-
tificem Marcellinum apud se delitescen-
tem rogarat, ut se ipsum ablueret; Mar-
cellino verò mortuo, & ipse captus in
via Aurelia capite multatus, atque inde
III. Idus Majas ab Octavilla sepultus, eo-
demque die Dionysius patruus ejus occi
sus, cujus studio Pancratius fuerat bapti
zatus: scripta hæc sunt in Vita ejus, & S.
Marcelli Pontificis, quam Beda compro-
bavit. Est autem non ignorandum, multa,
quæ sunt Marcellini, Marcello esse tribu
ta, nec sine causa, nam Marcellus Pon
tificem Marcellinum excepit. Hæc Romæ
Maximiano Imperante acta. Nunc quomo-
do reliquam Italiam hæc tempestas afflixe-
rit, exponamus. Jam edictum in singu-
las Italiæ Civitates perlatum, ut homines
extremis cruciatibus ad honorem Deis tri-
buendum adigerentur, piorum omnium
animos ita perculerat, ut nihil aliud,
quàm verbera, faces, ungulas, tortores,
omniaque diræ instrumenta carnificinæ sibi
conspicere viderentur. Has autem clades,
ac trepidationes Christianorum nemo ex-
titit antiquorum, qui ordine memoriæ
consignarit, neque adhuc quisquam suc-
cessit, qui eas dispersas colligere, atque
in unum redigere aliqua annorum serie
conservata studuerit. Itaque nobis danda
erit venia, si minus præstiterimus, quàm
polliceri videamur, quòd primi ac prope
soli difficile iter, ac prorsus invium inca-
mus. Missi ergo diversi ad diversa loca
quæstionum Ministri, terrore ac fuga om-
nia repleverunt. Præcipuè Flaccus qui-
dem Spoletum progressus superbè tribunal
sibi in foro constituit, ac cives omnes
adesse, dimissis circùmquaque præconibus,
imperavit. Confluxere confestim om-
nes magnitudine pœnæ deterriti, ac
rogati, num in Deorum religione mane-
rent, cunctos se persistere responderunt.
Accessit inde quidam, qui Gregorium
Presbyterum, virum Sanctitate vitæ, &
signorum magnitudine inclytum, quòd
multos in fide Christi retineret, atque
adeò etiam aversos alliceret, accusavit.
Qua re audita, illo statim prorìpi jusso,
quæstionem acerbiorem instituit. Etenim
ut confitentem, ac fortiter in cofessione
perseverantem vidit, primò nodosis fusti-
bus dorsum, atque ilia verberavit, inde
ut nihil labare hominem sensit, craticulæ

A impositum subjectis ardentibus prunis assa-
vit, quo facto repentè terra tanto tremo-
re concussa est, ut una regio Urbis pro-
cubuerit, ac magnam Infidelium turbam
ipsa ruinarum mole oppresserit. Tum verò
ubi illæsus Martyr nihil de proposito re-
mittebat, ferro constrictum in custodiam
tradidit, in qua consolationem ab Angelo
meruit; inde educto carduis ferreis genus
laniavit, & laminis candentibus latera
inflammavit, cùm miser identidem dice-
ret: *Etiamsi totum meum corpus affligas, præ-
sto tamen est mihi Dominus meus Jesus Chri-
stus, qui mihi sanitatem, viresque restituit.*
Quibus rebus victus Flaccus, ipsum tan-
B dem in medio obtruncari amphiteatro præ-
cepit. Auxere inde Martyris gloriam,
quòd feræ mox ad devorandum corpus im-
missæ non solùm ab eo abstinuerunt, sed
cultum etiam quemdam tribuere visæ sunt.
Qua re conspecta populus exclamavit:
Verè magnus est Christianorum Deus, mul-
tique ad credendum se contulerunt. Flaccus
verò eodem die repentina morte confectus
est. Mulier inde nomine Abundantia, cor-
pus Martyris postulavit, atque extra urbem
IX. Kal. Januarias sepelivit. Post paucos
inde dies Venustianus Tusciæ, & Umbriæ
Consularis Sabinum urbis ejusdem Episco-
pum, virum in omnibus divinis institutis
C præclarum, cum duobus Diaconis Exu-
perantio, & Marcello, multisque Clericis
cepit, atque coram se Assisii stantì, Jo-
vem, quem in cubiculo habebat, adoran-
dum porrexit; quem Sabinus in manibus
acceptum adhibita precatione confregit.
Qua re accensus Venustianus, manus ei
præcidit, & in conspectu ejus Marcellum,
atque Exuperantium Diaconos in equuleum
sublatos fustibus cæcidit, ungulis laniavit,
& facibus inflammavit, itaut doloris magni-
tudine victi perirent; corpora verò eorum
quidam piscator, & Presbyter collegere,
& juxta viam III. Nonas Januarii condi-
dere. Hoc cognito Serena vidua Christo
D dedita adduxit ad Sabinum in carcerem
nepotem suum Priscianum, qui erat cæ-
cus, atque ei Sabinus truncis manibus im-
positis usum oculorum restituit. Quod ubi,
qui in carcere erant, viri undecim con-
spexerunt, ad pedes ejus se abjicientes,
Baptismum efflagitarunt. Qua re audita
Venustianus, cùm fortè tanto dolore ocu-
lorum arderet, ut neque cibum, neque
potum, neque somnum capere posset,
uxore, & duobus filiis allegatis Sabinum
ad se venire rogavit, quem ut vidit,
flens ad ejus pedes procubuit, unàque
uxor, & filii agentes pœnitentiam, ac si-
mul ut se tingeret obsecrantes, cujus vo-
E luntati Sabinus est obsequutus. Ut autem
ablutus de pelvi levatus est, nullum do-
lorem sensit. Quare postquam Maximia-
nus Imperator accepit, Sabinum, & Ve-
nustianum morti destinavit. Quare Lu-
cius Tribunus veniens, indictâ causâ Ve-
nustianum cum uxore, & filiis in urbe Assisa-
te necavit. Sabinum autem Spoletum re-
ductum usque ad extremum spiritum ver-
beravit. Serena verò, quæ manus ejus in
vase vitreo cum aromatibus condiderat,
& domi suæ posuerat, corpus quoque
collegit, & ab urbe milliario plus minus,
eo, quo dixi, die sepelivit. Beda, & Usu-
ardus

ardus ex gestis. In Æmiliam porrò Quæsitor alius, atque adeò etiam Forum Cornelium venit, atque inter cæteros Cassianum ipsum ludi magistrum constanter Christum in sermone jactantem comprehendit, atque ut sacrificium abnuere vidit, ipsum vinctum pueris, quos ille fortè erudiendo offenderat, ad supplicium dedit. Illi verò nefariæ ultionis avidi, arreptis stylis ipsis, quibus in scribendo utebantur, ferreis, eutem ejus millies transfixerunt. Ita ille, ut lentiore, sic asperiore admodum morte confectus Idibus Augusti obiit. Prudentius auctor. Ravennæ etiam Idibus Novembris Valentinum, Solutorem, & Victorem egregè decertasse, Beda scriptum reliquit. Bononiæ autem Kal. Juniis Proculus, III. Nonas Novembris Vitalis & Agricola coronati sunt. Cùm autem Vitalis servus, ut scribit S. Ambrosius, cogeretur à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur, omnia tormentorum genera in eum edentibus, ut non esset in corpore ejus sinè vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: *Domine Jesu Christe Salvator meus jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero accipere coronam, quam Angelus tuus Sanctus mihi ostendit*, & completa oratione emisit spiritum. Agricola verò mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur, ideoque differebant ejus passionem; denique ubi non acquievit, crucifixus est. Horum Martyrum meminit Paulinus Nolanus Episcopus, Ambrosii æqualis his verbis:

His socii pietate, fide, virtute, corona
Martyres Agricola, & Proculo Vitalis adhærens.
Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit,
Quos jurata fides pietatis in arma vocavit,
Proque salutiferis texit victoria palmis.
Corpora transfixos trabalibus inclyta clavis.

Pridie etiam Nonas Januarii Hermes, Aggæus, & Cajus in eadem urbe martyrio affecti à Beda scribuntur. Jam verò Aquilejæ Eusimio Consulari Felix & Fortunatus germani fratres in equuleo lampadibus usti, atque iis extinctis ventrem oleo fervente perfusi III. Idus Junii in confessione manentes sunt obtruncati. Formiis autem Erasmus Episcopus primò plumbatis, deinde fustibus graviter cæsus, post resina, sulphure, pice, plumbo, cera, oleoque perfusus, nihil detrimenti percepit: qua re conspecta, multi fidem Christi arripuerunt; post aliquot inde dies rursus ita cruciatus est, ut tunica candenti ærea vestiretur, & in olla plumbo, pice, cera, atque oleo ebullientibus coqueretur, unde servatus post multos in Fide confirmatos IV. Nonas Junii detruncatur. Mediolani verò Maximianus cùm Alexandrum quemdam militem Sacris imbutum Christianis audisset, primò accersitum ad Deorum redire sacrificia jussit, deinde parêre recusantem se morte affecturum ostendit; illo verò mortem se loco vitæ ducturam subjiciente, mensam Sacrificiorum apposuit, quam cùm ille uno pedis impetu disturbasset, spiculatori statim, ut cervicem præcideret, imperavit; eo verò ad ictum inferendum obtorpescente, in vicem ejus officii succedere alios jussit, ex quorum manibus Alexander elapsus, Bergomum usque pervênit, atque ibi extra mœnia per aliquot dies delituit. Post autem deprehensus, atque ad statuam quandam adorandi gratiâ ductus, ibi cervicem objiciens, & se piè Deo commendans, est obtruncatus VII. Kal Septembris; corpus autem matrona veniens abstulit, atque in prædio suo prope urbem sepulturâ donavit: ex Vita ejus. Catanæ verò in Sicilia Calvisianus Consularis acceptis Imperatorum edictis, protinus Christianos omnes inquiri mandavit. Inter cæteros autem Euplius quidam Diaconus ad eum est ductus, quem ut variis de more interrogationibus fatigatum, constanter in confessione versari vidit, suspenso ferreis pectinibus latera laniavit, ferreis malleis maxillas, & crura pulsavit, inedia septemdecim dierum afflixit, ac denique sententiâ latâ securi percussit pridie Idus Augusti: Beda, & Græci. Erat ea tempestate apud Catanenses magno in honore sepulchrum S. Agathæ Virginis, quam imperante Decio illustre martyrium confecisse constabat. Itaque confluentibus ad ejus natalitia concelebranda Syracusanis, Lucia quoque Virgo cum Eutychia matre convênit; cùm autem in mysteriis illa verba Evangelii legerentur, quibus fimbriâ vestimenti mulier à fluxu sanguinis liberata refertur. Lucia conversa ad Matrem, quæ per quatuor annos illa ægritudine irritis omnibus medicorum remediis laborabat: *Si credis*, inquit, *Mater mea, quæ leguntur, crede quoque Agatham pro Christi nomine passam, ut assiduè in conspectu Christi sit, meruisse; tange ergo sepulchrum ejus, & sanitatem recuperabis*. Quare cùm perfectis Sacris cunctus Populus abscessisset, prostratæ ambæ ante sepulchrum opem Martyris lachrymantes imploraverunt. Interim verò Lucia somno correpta S. Agatham sacro Angelorum Choro stipatam est conspicata, quæ sibi dicebat: *Quid à me Soror Lucia petis, quod propediem ipsa per te præstare valebis? profectò fides tua Matri tuæ salutem attulit, & sicut per me Catanensium Civitas à Christo afferetur, sic per te Syracusana tolletur, quia jucundum Christo in tua virginitate domicilium præparasti*. Mox somno excita Matri sanitatem gratulatur, rogans, ut post hac omnem nuptiarum suarum cogitationem abjiciat, verùm omnia, quæ sibi viro nupturæ datura erat, ea Christo desponsæ concedat. Annuit læto animo Mater. Itaque Lucia, ut domum rediit, bona doti destinata divendere, ac redactas pecunias Christi pauperibus erogare instituit. Latuit hæc primò res eum, qui virginem sibi desponderat, demum ut compos veritatis est factus, ægrè ferens, rem ad Consularem Paschasium detulit (qui aut idem cum superiore Calvisiano fuit, aut certè successor ejus, neque enim duos Consulares Sicilia habuit,) ac Luciam contra Augustorum edicta Christum colere accusavit. Ita Paschasius Luciam arripuit, ac confitentem Diis sacrificare præcepit, cui illa

respondit: *Jam per tres annos notificavi Deo vivo, nunc quia nihil superest me ipsam sidem in Sacrificium offero*. Tum Paschasius: *tu Christianis tuis ista narrato; ego enim tueri decreta meorum Principum debeo*. Inde multis verbis ultro citroque de Christo factis, ut constantem in sententia virginem, ac magnificè de virginitate loquentem, quam ipsa violari posse assistente Spiritu Sancto negabat, animadvertit, irâ permotus, lenonibus, ut in lupanar adducerent, imperavit. Verùm ii licèt omnibus viribus enitentes, ipsam vestigio dimovere non potuerunt. Quare maleficiis id Paschasius tribuens, lotio eam perfudit, atque inde, ut adhuc immobilem licèt conantibus multis hominibus sensit, ad bonam opem se contulit, quibus & ipsis frustra molientibus, ipsam circumjecto igne, pice, sulphure, resina, oleoque fervente persudit. Quibus quoque irritis, demum hortantibus amicis ad supplicium capitale devênit: atque ita virgo mucrone in guttur adacto Idibus Decembris expiravit, oraculo multis audientibus edito, fore ut prope diem pax Ecclesiæ redderetur, Diocletiano & Maximiano cedentibus. Hæc in Italia. Transeamus in Hispaniam. Ibi tum quatuor Præsides jus dicebant, Tarraconensis, Carthaginensis, Tingitanæ, & Insularum Balearium. Hoc autem anno Datianus quidam Tarraconensem rexit, quo inquirente de multis expetita martyria sunt. In primis in urbe Abulensi, ipso jubente Datiano, Vincensium, Sabinum, & Christetam usque adeò in equuleo distenderunt, ut omnes artuum commissuras divellerent, deinde eorum capita saxis superposita, vectibus ita contuderunt, ut cerebrum ipsum excuterent, quo pacto illi in Fide constantissimi VII Kal. Novembris perierunt. Apud Emeritam verò tres fratres, Victor, Stereatius, & Antinogenes plagis, atque aliis cruciatibus afflictati nobile martyrium confecerunt IX. Kal. Augusti. In eadem Urbe Eulalia virgo, cùm esset annorum tredecim, jussu Datiani Præsidis in equuleo suspensa, & latera ungulis laniata, facibusque admotis adusta, demum hausto igne spiritum in confessione Christi emisit. Corpus ejus cùm jussu Præsidis in ligno mansisset, delapsa nix opportunè asperfit, atque ita a Christianis ablatum IV. Idus Decembris, sub Altari est conditum, eodemque die Julia virgo, quæ illi individua comes adheserat, in eadem urbe martyrio coronata est. Toleti verò Leucadia virgo ab eodem Daciano dirâ carceris custodiâ macerata cùm gravissimos beatæ Eulaliæ cruciatus audisset, genibus positis spiritum Deo reddidit V. Idus Decembris Vincentius autem Diaconus unà cum Valerio Episcopo suo Cæsar-Augusta Valentiam gravibus catenis implicitus jubente eodem Daciano perductus est, ibique fame, & squallore carceris maceratus, tormentis equulei, & ungularum laceratione vexatus, grabato ferreo ustulatus arvinæ guttis, & crepitante sale perfusus est, post hæc in carcerem trusus, divaricatis in nervo cruribus supinus super acutissima testarum fragmenta projectus est. Ubi Dei virtute solutus inter Angelos, a quibus visitari meruit, hymnum cecinit, qua re visa custos credidit. Ubi verò illuxit, cùm jussisset Dacianus, eum in lecto mollissimo collocari, ut aliquantum recreatus acriùs de integro torqueretur, spiritum edidit; corpus feris objectum corvus divinitus ad custodiam ejus immissus defendit, non solùm avibus, sed etiam lupo inde propulso. Quod cùm nunciatum Daciano fuisset, jussit eum insutum equuleo in mare cum gravissimo saxi pondere mergi, sed projectum, priùs super undas natans ad litus relatum, & arenis conditum est, quàm remiges, qui in altum provecti dejecerant, portum attingere potuissent. Inde cùm se Martyr cuidam piæ mulieri ostendisset, cessante Persecutionis rabie, à Christianis sublatus XI. Kal. Februarias in Basilica conditus est. Prudentius, & Beda. In Urbe item Cæsar-Augustæ octodecim martyrio coronati sunt, quos Prudentius versibus explicuit, Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Urbanus, Julius, Quintilianus, Publius, Fronto, Felix, Cæcilianus, Eventus, Primitivus, Apodemus, & quatuor, qui Saturnini vocati sunt, quorum Natalem Beda in XVI Kal. Majas conjecit. Ibi etiam Cajus & Crementius passi eodem die, & virgo Encratis XIV. Kal. Maji, quæ toto corpore in equuleo lacerata, & mammillæ papilla pectore patescente in carcerem relata, ut scripsit Prudentius, putrescentia vulnera diutissimè aluit, ac tandem gladio vitæ finem fecit. Cucufas item & Felix ex urbe Scyllitana, cùm Cæsareæ in Mauritania operam literis darent, audita Persequutione in Oriente commota, in Occidentem profecti, Barcinonem applicuerunt, ubi cùm eamdem exerceri Persequutionem viderent, confirmato animo, & communicato consilio Felix Gerundam abiit & illic pro Christo sanguinem fudit. Itaque Beda sic scripsit: *Kal. Augusti Gerundæ Felix tandiu jussus est laniari a Rufino, quoad vitam finiret*; Usuardus autem ita: *Kal. Augusti Gerundæ Felici Dacianus post illata varia tormenta jussit vincula detrahi, & usque ad ora laniari, & vulnera tamdiu refricari, quoad spiritum ederet*. Cucufas autem Barcinonæ remanens prædicatione, & miraculis clarus a Proconsule Galerio capi est jussus, atque ita flagellis affectus, ut dirupto corpore viscera apparerent, sed orante illo, Galerius repentè extinctus, ipse verò sanatus est, omnibus, qui aderant, Deum laude concelebrantibus. His auditis Maximianus Præses hominem ad se adduci jussit, &, ut constantem vidit, in craticula assatum, atque ambustum senapi, acetoque perfudit, nec tamen ille mali quidquam percepit; inde ferro onustum ad se traxit, atque incendio extra mœnia concitato, eò conjecit, sed ignis ad preces Martyris est extinctus. Inde virgis ferreis cæcidit, ac statim ad votum ejusdem ad sacrificium proficiscens exanimis concidit. Tum Rufinus, qui Civitati præerat, suscepto negotio, gladii in eum sententiam tulit. Ita extra urbem octo millibus passuum ductus capite est truncatus, corpus a Christianis raptum VIII. Kal. Augusti est terræ mandatum; Simeon,

meon, & Beda. Inde pridie Idus Februarias, Euphemia altera Barcinone sub eodem Daciano passa à Beda scribitur, eodem tempore, quo apud Barcinonem Cucufas, & apud Gerundam Felix martyrii coronis affecti sunt. Illud autem apud illum est vitii, quòd pro Maximiano Præside, & Rufino Præfecto, Maximinum Galerium Imperatorem, & Rufinum Præsidem edit. Hispali verò XIV. Kal. Augusti Justa, & Rufina Diogeniani Præsidis jussu comprehensæ & ungulis laniatæ sunt, deinde trusæ in carcerem, inedia, & doloribus afflictatæ, post hæc jussit Præses, ut quòcumque ipse iret, nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa spiritum in carcere exalavit, corpus ejus in puteum projectum Sabinus Episcopus sustulit, atque in Hispalensi cœmeterio condidit. Rufinæ cervix fracta, & corpus igni traditum. Reliquiæ à fidelibus curatæ sunt. In eadem urbe Carpophorus Presbyter, & Abundius Diaconus in eadem confessione à Judice Marciano primò fustibus cæsi, inde in carcere inedia conflictati sunt, ex quo per Angelum educti; cùm Verbum Dei panderent, iterum capti, & lapidibus ora contusi, rursusque equuleo torti, ad extremum IV. Idus Decembris gladio perierunt. Beda. Hemiterius autem, & Calidonius milites apud Legionensem urbem exurgente Persequutione, plurimis tormentis affecti Calagurim usque perducti ultimum supplicium subierunt; cùm autem capita lictores inciderent, miraculum populis ingens affulsit. Nam unius annulus, alterius orarium nube susceptum, & in cœlum evectum est. Viderunt autem hæc omnes, qui aderant, atque oculis, quousque pervadere intuendo potuerunt, fulgorem auri, candoremque lintei prosequuti sunt. Cordubæ item XV. Kal. Decembris Acisclus, & Victoria Dionis Judicis decreto excruciati, atque necati adeò eluxerunt, ut ibi ob testimonium præclari martyrii eadem die Rosæ divinitus ortæ dicantur. Hæc ex Prudentio. Transeamus in Galliam. In urbe Nannetica Donatianus jampridem Christo addictus audito acerbo Imperatorum edicto, fratrem Rogatianum adhuc errore gentilitatis infectum rogavit, ut antequam sæva procella Persequutionis instaret, Baptisma salutis Christu credens acciperet; persuasum autem tingere, propter repentinam fugam Sacerdotum non potuit. Ubi verò Quæsitor in urbem venit, continuò Donatianum infesta gentilium delatione corripuit, & Diis honorem se habiturum negantem in custodiam tradidit, eo consilio, ut aut tormentorum acerbitate constantiam hominis frangeret, aut alios ab ejusmodi proposito magnitudine cruciatuum deterreret. Inde Rogatianum aggressus, quoniam Baptismo non erat infectus, mitibus se illicere posse verbis ratus, accivit, verùm ne minis quidem permovere, nedum blanditiis potuit. Quare ambos in custodiam retulit, postridie verò pro tribunali sedens, rursus adesse jussos, ut perseverantes in sententia vidit, in catastam equulei tolli, atque asperrimè laniari præcepit, demum postquam inexpugnabilem eorum esse patientiam vidit, spiculatori ut capita demeret imperavit, qui statim cervices eorum lancea militari perfossas gladio amputavit IX. Kal. Junii. Massiliæ verò Victor miles eadem de causa primò in carcerem datus, ubi ab Angelo confirmatus est; deinde variè cruciatus, ad extremum mola contritus periit unà cum aliis quatuor militibus, Alexandro, Feliciano, Longino, & Deutherio XII. Kal. Augusti. Agauni autem Caprasius cùm rabiem Persequutionis declinans in spelunca lateret, audiens Fidem virginem pro Christo fortiter decertare, ad tolerandos cruciatus animatus, oravit Dominum, ut si pro certo se dignum martyrii gloriâ judicaret, ex lapide speluncæ illius aquam limpidissimam mitteret. Quod cùm Dominus continuò præstitisset, ille sequutus ad aream certaminis properavit, & palmam martyrii XIV. Kal Novembris meruit. Per eosdem dies Quintinus, Lucianus, Rufinus, Valerius, & Eugenius, Crispinus & Crispinianus Romæ nobili loco nati Christum nundinaturi in Gallias venerant. Quintinus Ambianos, Lucianus Bellovacum, Crispinus & Crispinianus Suessionas: omnes autem sæva mox subsequuta vexatione clarum martyrium confecerunt, nam Crispinum & Crispinianum captos, ut Præfectus Rictiovarus Christum confiteri vidit, fustibus ad trochleam extentos cæcidit, atque in eo cruciatu Christum implorantibus, unguibus sudes infixit, & ex corio dorsi corrigias fecit; inde alligatis collo molaribus in flumen Ararim jecit; cùm autem neque gurgitibus mergerentur, nec saxis premerentur, nec frigore stringerentur, primùm in plumbum liquefactum, deinde in adipem, picem, & oleum fervefacta conjecit, atque incolumes adhuc tandem supplicio capitali VIII. Kal. Novembris multavit. Quintinum inde Ambiani inventum, ut ad Christum diffitendum minis impellere nequiit, item verberibus cæsum in carcerem tradidit; verùm ut ope Angeli inde elapsum, popolum, ut ante, edocere audivit, veritus, ne totam ad se Civitatem alliceret, primò præmiis magnis sollicitavit, ut in Deorum cultura maneret, deinde ubi ea respui vidit, calcem, acetum, & sinapim in os infudit, tum Augustam Veromanduorum missum ut adhuc constantem vidit, sudibus ferreis à cervice ad crura transfigit, & decem clavis ungues digitorum confixit, atque ad extremum sententiam in eum capitalem exprompsit pridie Kal. Novembris. Victorinus etiam Pictaviensis Episcopus Persequutione eadem martyrio coronatus est. In Britannia porrò Albanus unus post verbera, aliaque asperiora tormenta X. Kal. Julii capite plexus est. Alter verò ex insula Nansia cum Theonesto, & Urso Mediolanum, atque inde in Galliam venit, ibique Deo ad martyrium subiit; Albanus ac Theonestus Moguntiam adierunt, dumque ibi Verbum Dei traderent, martyrium XI. Kal. Julias expleverunt. Jam verò cùm edictum Principum in Noricum repentè delatum esset, Præses Aquilinus Laureacum veniens, inquisitione Christianorum facta, milites quadraginta proripuit, atque in carcerem torquendi causâ conjecit.

Quod

Quod ubi Florianus accepit, Laureacum illico adiit, & se quoque inter Christianos referri voluit. Quare Præses hominem in edicti contemptione constantem primùm fustibus cædi, & acutis ferris scapulas frangi jussit, demum victus de ponte Anisi fluminis saxo ad collum alligato præcipitavit IV. Nonas Maji. Corpus inde eminenti saxo adhærens matrona quædam Christiana divinitus monita sepelivit. Venio demum in Africam, unde ad nos præclara fortitudinis atque imbecillitatis exempla manarunt. Cùm enim edictum Imperatorum esset propositum, ut Scripturæ divinæ ad incendium traderentur, Basilicæ Domini everterentur, & ritus Sacri, cœtusque Sanctissimi solverentur, variè pii omnes affecti sunt, nam multi timore debilitati Scripturas tradiderunt, plurimi verò pro earum conservatione fundere vitam non borruerunt. Ex iis, qui tradiderunt, fuit Mensurius Episcopus Carthaginensis, cum Cæciliano Diacono, Felix Aptugensis, & Fundanus Alutinensis Episcopi, verùm hic mirabili rei eventu, nam cùm magistratus ea scripta in ignem conjiceret, repentè sereno Cœlo imber effusus incendium illud extinxit, grandines intorti totam regionem, elementis pro Divinis Scripturis prope pugnantibus, devastarunt, ut in passione Saturnini & Sociorum scriptum est. Paulus item Cirthensis Episcopus Instrumenta Dominica tradidit, ut S. Augustinus Epistolâ centesimâ octogesimâ quintâ scriptum reliquit: *Ex gestis*, inquit, *apud Numatium Felicem Flaminem Procuratorem Cirthæ, Diocletiano VIII., & Maximiano VII. Coss.* (idest anno Christi CCCIII.) *XI. Kal. Junias constat, ita Paulum Episcopum tradidisse, ut Silvanus Subdiaconus ejus cum eo tradiderit Instrumenta Dominica etiam, quæ diligenter fuerant occultata, capitulatam argenteam, itaut etiam diceret Victor quidam: Mortuus fueras, nisi illas invenisses.* In libro autem contra Cresconium tertio acta ipsa rei gestæ exponit, quæ quia mirè hæc illustrare tempora Ecclesiæ possunt, non gravabor afferre. *Diocletiano VIII., & Maximiano VII. Coss. XI. Kal. Junii ex actis Numatii Felicis Flaminis Procuratoris Coloniæ Cirthensis. Cùm ventum esset ad domum, in qua Christiani conveniebant, Felix Flamen Procurator Paulo Episcopo dixit: Proferte Scripturas Legis, & si quid aliud hic habetis, ut & præcipio, & jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit: Scripturas Lectores habent, sed nos, quod hic habemus, damus. Felix Flamen Procurator dixit Paulo: Ostende Lectores, aut mitte ad illos. Paulus Episcopus dixit: omnes cognoscitis. Felix Flamen Procurator dixit: manente ratione, quos monstravit officium, & vos, quod hic habetis, date. Sedente Paulo Episcopo, & Montano, & Victore de Castello Memor Presbytero, astante Marte cum Ælio Diacono, proferente Maculio Fructuoso, Migene Saturnio, Victore Sansurico, & cæteris Fossoribus, contrascribente Victore Aufidii in breve sic: calices duo aurei. Item calices sex argentei &c.* Et alio loco: *Postquam apertum est in Bibliothecam, inventa sunt ibi Armaria inania, ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam, quòd diceret se post Arcam invenisse. Victor Aufidii Silvano dixit: mortuus fueras, si non illas invenisses. Felix Flamen Procurator dixit Silvano: inquire diligentius, ne quid hic remanserit. Silvanus dixit: nihil hic remansit, totum hoc ejecimus &c.* Et alio loco: *eximii libelli traditi à Nundinario Diacono*; neque solùm Paulus, sed etiam multi alii tradiderunt, de quibus Secundus Episcopus Tisigitanus Numidiæ primas habuit post Concilium, cujus acta quoque proferam ex eodem libro: *De vestris majoribus*, inquit, *extat Secundi Tisigitani Concilium cum paucissimis quidem factum apud Cirtam post Persequutionem Codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur Episcopus. Diocletiano VIII., & Maximiano VII. Coss. IV. Nonas ......* Cirthæ cùm Secundus Episcopus Tisigitanus primæ cathedræ consedisset in domo Urbani, Donatique idem dixit: *Probemus nos primò, & sic poterimus hic ordinare Episcopum.* Secundus Donato Masculitano dixit: *Dicitur, te tradidisse.* Donatus respondit: *scis quantum me quæsivit Florus, ut thurificarem, & non tradidit me Deus in manus ejus. Sed quia Deus mihi dimisit, ergo & tu serva me Deo.* Secundus dixit: *quid ergo facturi sumus de Martyribus, qui non tradiderunt, & ideo coronati sunt.* Donatus dixit: *mitte me ad Deum, ibi reddam rationem.* Secundus dixit: *accede uno parte.* Secundus Marino ab aquis Tibilitanis dixit: *dicitur, & te tradidisse.* Marinus respondit: *Dedi Pollo cartulas; nam codices mei salvi sunt.* Secundus dixit: *Transi una parte.* Secundus Donato Calaunensi dixit: *dicitur, te tradidisse quatuor Evangelia.* Victor respondit: *Valentinianus curator fuit, ipse me coëgit, ut mitterem illa in ignem. Sciebam illa delicta fuisse, hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus.* Secundus dixit: *Transi una parte*; & alio loco: Secundus Purpurio à Limata, *dicitur te necasse filios sororis tuæ duos Milevi.* Purpurius respondit: *Putas me terreri a te, sicut & alteri. Tu quid egisti, qui tentus es à Curatore, & ordine, ut Scripturas dares, quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti dari quodcumque? nam non te dimittebant; passim me ego occidi, & occido eos, qui contra me faciunt; ideo noli me provocare, ut plus dicam, scis me de nemine tractare.* Secundus minor patruo suo Secundo dixit: *audis, quid dicat in te, paratus es recedere, & schisma facere non tantum ipse, sed & omnes, quos arguis, quos scio, quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebis solus hæreticus; ideo quid ad te pertinet? quis quid egit Deo habet reddere rationem.* Secundus Felici à Rotaria Centurioni, & Victori à Garbe dixit: *Quid vobis videtur?* Responderunt: *habent Deum, cui reddant rationem.* Secundus dixit: *Vos scitis, & Deus, sedete.* Et omnes responderunt: *Deo gratias.* Hactenus verba Concilii; in libro autem de unico Baptismo ostendit, Secundum omnibus traditoribus pacem dedisse, inquiens: *Dicimus, nec tantum dicimus, verùm etiam literarum monumentis Ecclesiasticis comprobamus, Secundum Tisigitanum confessis traditoribus, ne schisma fieret, pacem dedisse, cùm & eidem ipsi à Purpurio*

purio

A. Chr. CCCIII.

purio Limatensi crimen traditionis fuisset objectum. Dicimus Victorem Rusicatensem, Donatum Calamensem, Donatum Masculitanum, Marinum ob aquis Tibilitanis, Silvanum Chirchensem fuisse traditores. Qui verò non tradiderunt, aut alia ratione edicto non paruerunt, & propterea in discrimen adducti sunt, hi fuerunt, quorum acta adhuc extant fidelissimè scripta, quæ afferam. D. Diocletiano VIII., & Maximiano VII. Consulibus exivit edictum Imperatorum, & Cesarum in omnes terras, & propositum est per Colonias, & Civitates Principibus, & Magistratibus suo cuique loco, ut libros Deificos legis peterent de manu Episcoporum, & Presbyterorum. Tunc programa positum est Tibiuræ Nonis Juniis, Magnilianus verò Curator jussit perduci ad se seniores plebis. Felice autem Episcopo Carthaginem profecto, Aprum Presbyterum, & Gyrum, ac Vitalem Lectores adduci jussit, atque ita dixit: *Libros Deificos habetis?* Aper dicit: *habemus*. Magnilianus dicit: *Date illos igni adurendos*: *Aper Episcopus noster illos apud se habet*. Magnilianus dicit: *ubi est?* Aper: *Nescio*. Magnilianus: *Ergo eritis sub officio donec Anullino Proconsuli rationem reddatis*. Postridie Felix Episcopus venit Carthagine Tibiuram. Tunc Magnilianus jussit Felicem Episcopum ad se perduci per officialem, atque ita dixit: *Felix Episcope da libros, vel membranas, quæcumque habes*. Felix dixit: *Habeo, sed non do*. Magnilianus: *Prius est quod Imperatores jusserunt, quàm id, quod tu loqueris, da libros, ut possint igni aduri*. Felix dixit: *Melius est, me igne aduri, quàm Scripturas Deificas, quia melius est obedire Deo, quàm hominibus*. Magnilianus dixit: *Prius est quod Imperatores jusserunt, quàm id, quod tu loqueris*. Felix Episcopus respondit: *Prius est præceptum Domini, quàm hominum*. Magnilianus dicit: *Recogita tecum*, & post tertium diem jussit eundem ad se perduci, & dixit: *Recogitasti tecum?* Felix dixit: *Quæ prius locutus sum, ea te modò loquor, & ante Proconsulem ea sum dicturus*. Magnilianus dixit: *Ibis ergo ad Proconsulem, & ibi rationem reddes*. Tunc assignatus est illi deductor Vincentius Celsini Decurio Civitatis Tibiurensium. Tunc profectus est Felix Tibiura VIII. Kal. Julias, ligatus deductus est; ligatum verò jussit in carcerem trudi. Alia autem die productus est Felix ante lucem, cui dixit: *Quare Scripturas supervacuas non das?* Felix: *habeo, sed non dabo*. Tunc jussit eum ligatum in ima carceris mitti. Post dies autem sexdecim Felix productus est de carcere in vinculis horâ noctis quartâ ad Anullinum Proconsulem, cui dixit Anullinus: *Quare scripturas supervacuas non reddis?* Felix respondit: *Non sum eas daturus*. Tunc Anullinus jussit eum ad Præfectum Prætorio mitti Idibus Julii. Præfectus autem jussit eum in suo carcere recipi, & majoribus vinculis ligari, & post dies novem post Imperatores navigare. Tunc Felix ascendit navim cum vinculis magnis, & fuit in capsa navis diebus quatuor volutans sub pedibus equorum, panem, & aquam non gustavit, jejunus ad portum pervênit, & Agrigenti acceptus est à fratribus in summo honore. Inde venêre Catanam, ibi similiter excepti, inde Messanam, inde Tauromium, ibi similiter excepti, postea fretum navigaverunt in Lucaniam, inde pervenere Venusium in Apuliam. Tunc Præfectus jussit Felicem Episcopum de vinculis eripi, & dixit: *Quare Scripturas Deificas non das? an forsitan non habes?* Cui respondit: *Habeo quidem, sed non do*. Præfectus dixit: *Felicem gladio interficite*. Felix voce clara dixit: *Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare*, & ductus est ad passionis locum (etiam ipsâ horâ luna in sanguinem est conversa) die tertio Kal. Septembris. Felix elevans oculos ad Cœlum, clara voce dicit: *Deus gratias ago tibi, quinquaginta & sex annos habeo in hoc sæculo, virginitatem custodivi, Evangelia servavi, Fidem, & veritatem prædicavi. Domine Deus cæli, & terræ Jesu Christe tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum, cui est claritas, & magnificentia in sæcula sæculorum Amen*. Hæc ex actis pone ad verbum, in quibus numerum Consulatuum Diocletiani, & Maximiani apparet ex iis, quæ supra scripta sunt, esse mendosè, nam ibi Diocletianus novies, & Maximianus octies Consules scribuntur, qui Consulatus sequenti anno respondet, quo Imperatores se abdicarunt. Cum Felice autem Adauctus, & Januarius Presbyteri, itemque Fortunatianus, ac Septimus Lectores simul martyrium subierunt, siquidem ex Beda scribit Usuardus IX. Kal. Novembris: *Venusia civitate Apuliæ natalis SS. Felicis Episcopi, Adaucti, & Januarii Presbyterorum, Fortunati, & Septimi Lectorum, qui temporibus Diocletiani multis diu vinculis, & carceribus macerati in Africa & in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt. Felix quinquagesimo sexto anno virgo obiit*. Apud Coloniam verò Thebestinam Crispina mulier sacrificare jussa abnuit, ac Nonis Decembris ne id faceret cervice gladio ultro oblata mortem oppetiit. Auctor est Beda, & S. Augustinus Sermone LIII. Sequenti anno ideit, ut S. Augustinus notavit, Diocletiano nonum, & Maximiano octavum Consulibus, CCCIV.

in Alutinensi civitate multi in domo Octavi Felicis dominica Sacramenta ex more celebraturi convenerunt. Qua re comperta à Magistratibus Coloniæ comprehenduntur Saturninus Presbyter, cum filiis quatuor Saturnino, & Felice Lectoribus, Maria Sanctimoniali, & Hilarinno infante, item Dativus Senator, Felices duo, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, & alii supra quadraginta, ac vinculis astricti Carthaginem mittuntur. Ibi ad tribunal Proconsulis Anullini adducti egregiè prima certamina interrogationum sustinuerunt. Separatim inde citati, primùm Dativus rogatur, num contra Interdictum Imperatorum, & Cæsarum collectam Dominicam celebrasset? quem confitentem, statim torqueri in equuleo jussit. Cùm autem carnifices nudatis in vulnera lateribus erectis ungulis imminerent, statim se Thelica per mediam turbam inferens exclamavit: *Christiani sumus, itemque collectam fecimus*. Quare Anullinus incensus, ipsum sævissimè laniari præcepit, atque ab illo quemnam auctorem

congregationis suæ haberet quæsivit. Cui ille: *Saturninum Presbyterum*, inquit, & simul illum ostendit, non ut socium proderet, sed ut Presbyterum ostentans, justam fuisse collectam probaret, ac simul inter sævissimos cruciatus Deum precabatur, ac sævitiam Anullini detestabatur, quorum victor demum in carcerem traditur. Inde in quæstionem Dativus abripitur; illo verò se collectam fecisse fortissimè asserente, in medium prodiit Fortunatianus vir togatus, atque ita loqui cœpit: *Hic est, Domine, qui per absentiam patris nostri sororem nostram Victoriam seducens ex hac urbe cum Secunda, & Restituta in Coloniam Alutinensem perduxit*. Quod statim Victoria, quæ inter Martyres erat, abnuit, seque non inductu ejus, sed sponte sua ad Alutinensem Coloniam processisse dixit; inde se Christianam esse, & cum Christianis collectæ interfuisse asseruit. Tum Anullinus premi ungulas in Martyrem jussit. Quare statim carnifices secreta pectoris visceribus divulsis aperuerunt, Dativo interim Christianam constantiam retinente, & Deum precatione assidua implorante. Inde Saturninus in quæstionem vocatus ita rogatus est: *Tu contra jussionem Imperatorum, & Cæsarum hos omnes collegisti*, cui ille respondit: *Divinitus inspirati securi Dominicam celebravimus. Cur ita? quia Dominicam intermitti non licet*. Interim Emeritus Lector ad certamen exiliens, congrediente Presbytero: *Ego sum*, inquit, *in cujus domo facta collecta fuit*. Quo Anullinus contempto, versus in Saturninum quærere identidem institit, cur jussa Principum neglexisset, atque interim illum usque adeò excarnificari jussit, ut mox nudata carne ossa apparerent, nullam aliam vocem mittente Saturnino, nisi se fecisse, quod lex juberet; inde illo in carcerem misso, Emeritus in equuleum est abreptus, & confitentem se conventus in sua domo habuisse, torqueri, ac verberari instaurato sæpius carnifice jussit, illo Christum orante, ut subveniret, ac patientiam daret, ac roganti Anullino, num Scripturas domi haberet, se in corde habere dixit, deinde eo deposito, Felicem in certamen accivit, atque ita dixit: *Spero vos vitam aliquando morti antelaturos, ut mandata servetis*, cui Martyr quasi omnium ore respondit: *Christiani sumus, non possumus nisi legem Domini Sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire*. Tum ille: *Non quæro an Christianus sis, sed an collectam feceris, vel Scripturas*

A *aliquas habeas*. Cui Felix: *Collectam gloriosissimè celebravimus, sed ad Scripturas Dominicas legendas in Dominica semper convenimus*. Qua voce confusus Anullinus, & ipsum pariter crudeli excarnificatione confecit, quem mox Felix alter est subsequutus, inde Ampelius custos Scripturarum Divinarum, tum singillatim cæteri, quos omnes crudelissimè tortos extremo supplicio destinavit. Denique Victoriam aggressus, ubi adjuvante fratre de sententia dimovere non potuit, cæteris in carcere sociavit, atque inde omnes pridie Idus Februarias supplicio capitali affecit. Extat passio eorum ex actis excerpta, & **B** fide admodum digna. Hæc ex gestis eorum, quorum etiam meminit S. Augustinus in Breviculis cunita Donatistas faceret. Atque hæc quidem illustriora, ac constantiora martyria ferme sunt, quæ Diocletianus & Maximianus Collegæ in Oriente, atque Occidente imperata Persequutione susceperunt, ab extremo Martio usque ad XI. Kal. Majas sequentis anni. Eo verò die ambo, communicato consilio, unus Nicomediæ, alter Mediolani Imperium, atque Insignia posuerunt, atque ille in Dalmatiam, hic in Campaniam ad vitam privatam, & ab omni publico munere immunem degendam se con- **C** tulerunt, ut prodit Eusebius primus, cui reliqui omnes assenserunt. Imperium inde Maximianus Galerius, qui ab Eusebio Maximinus dicitur, & Constantius Chlorus Cæsares, Augustorum nomine sumpto, excepere, idque inter se divisere, ut in libris de Occidentali Imperio diximus. Constantio Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britannia obtigit; Galerio Illyricum, & Oriens, in quibus reliquæ Provinciæ omnes à Pannonia, & Dalmatia, usque ad Mesopotamiam, & Armeniam claudebantur, Constantius autem Galerio Diocletiani filio tantum honorem habuit, ut ei Italiam, **D** Africamque ex sua parte remiserit, atque ipse Galliâ, Hispaniâ, & Britanniâ contentus fuit, inde uterque Imperium pro suo ingenio administrare perrexit.

MARCELLUS PONT.

EOdem Anno Romæ V. Kal. Julias Marcellus delatam Ecclesiæ administrationem suscepit. Maximianus autem Galerius à vexandis Christianis quievit, credo gravioribus aliis Imperii curis implicitus.

LIBER DECIMUSQUARTUS.

HOc libro reliquum Persecutionis expediemus, quæ Diocletiani abdicatione intermissa, sequenti anno à Galerio Augusto redintegrata est, socio subinde sævi ministerii Maximino Cæsare filio sororis ascito, qui immanitate cum eo ita certavit, ut satis constet, per eos gravia, ac nefanda multa ad superiorum feritatem, atque barbariem accessisse. Ex his unus in Illyrico, alter in Oriente, quæ duæ Orientalis Imperii partes fuere, ut Imperium, sic carnificinam usque ad mortem exercuit; quo factum est, ut Diocletiani Persecutio, quæ verè per annum tantummodo sævit, hac adjuncta celebratum illud decennale tempus expleverit. Hanc Persecutionem Lactantius præcipuè intellexit, cùm scripsit: *Ego cùm in Bithynia Literas oratorias accitus docerem, contigissetque eodem tempore, ut Dei templum everteretur; duo extiterunt ibidem, qui jacenti, atque abjectæ veritati nescio utrum superbiùs, an importuniùs, quorum alter Antistitem se Philosophiæ profitebatur, verùm ita vitiosus, ut & continentiæ magister non minus avaritiâ, quàm libidinibus arderet, in victu tam sumptuosus, ut in schola virtutis assertor parsimoniæ, paupertatisque laudator, in Palatio pejus cœnaret, quàm domi. Hic verò, qui suas disputationes moribus destruebat, eodem ipso tempore, quo justus populus nefariè lacerabatur, tres libros evomuit contra Religionem, nomenque Christianum. Professus ante omnia Philosophi officium esse erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram viam revocare, idest ad cultus Deorum, quorum numine, ac majestate (ut ille dicebat) Mundus gubernaretur, ne pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne simplicitas eorum prædæ, ac pabulo sit hominibus astutis. Itaque se suscepisse hoc munus Philosophia dignum, ut præferret non videntibus lumen sapientiæ, non modò, ut susceptis Deorum cultibus resanescant, sed etiam ut pertinaci obstinatione deposita corporis cruciamenta devitent, nec sævas membrorum lacerationes frustra perpeti velint. Ut autem appareret, cujus rei gratiâ opus illud elaborasset, effusus est in Principum laudes, quorum pietas & providentia (ut quidem ipse dicebat) tum in cæteris rebus humanis, tum præcipuè in defendendis Deorum Religionibus claruisset: consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia, & anili superstitione, universi homines legitimis Sacris vacarent, ac propitios sibi Deos experirentur. Ubi autem religionis ejus, contra quam perorabat, infirmare voluit rationem, ineptus, vanus, ridiculus apparuit, quia gravis ille consultor utilitatis alienæ, non modò quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur, nesciebat.* Quoniam autem Galerius hic Maximianus perinde atque ille Diocletiani Collega dictus est, propterea similitudo nominis magnas huic historiæ tenebras offudit, ut rudes rerum præteritarum alterum ab altero non discreverint, atque ambos oratione sua confuderint. Est autem illa distinctio non obscura, quòd Maximiani Herculii Persecutio planè Occidentis terminis se continuit, Maximiani verò Galerii Orientis, quare quæcumque martyria in Oriente suscepta esse, imperante Maximiano, reperiuntur, ea ad Galerium referenda sunt. In hac igitur Persecutione prodenda, quid quoque anno gestum sit in Oriente, narrabitur, neque quæ ad pacem Occidentis pertinuerint, omittentur. Eusebium autem maximè, ut cœpimus, ducem auctoremque sequemur. Sic igitur ille pergit: *Maximinus* (sic enim Galerium ille vocat, unde major etiam confusio nascetur, cùm alter quoque Imperator mox nomine Maximinus accedet) *cùm naturali in Deum odio, atque impietate flagraret, imperio parto, nulla ratione magis se declinare posse insitam animi sui feritatem, quàm Christianis vexandis atque affligendis existimavit. Quare Persecutionem magis generalem, quàm superiores Imperatores, instituit. Cùm autem consternatione, ac confusione suborta, plerique fideles metu exanimati fugâ in varia loca dilaberentur, Apphianus præ ceteris insigne pietatis studium declaravit. Hic Pagis in Lycia ortus, primùm Beryti, ubi studiis literarum operam dedit, in corrupta maximè civitate libidines juveniles contemsit, neque ætati, aut consuetudini paruit, sed modestiam, sobrietatem, & pietatem adhibuit; inde patriâ repetitâ, vitam, & mores suorum aversatus, Cæsaream abiit, atque ibi aliquot menses se in studiis pietatis exercuit. Cùm autem secundum bellum moveretur, venerunt literæ ad Urbanum Palæstinæ adhuc Præsidem, ut omnes cujusque ætatis, ac generis immolarent, & præcones per urbem Cæsaream volitantes viros cum uxoribus, & liberis ad idolorum delubra ex edicto Præsidis convocarent, & Tribuni singulos ex scripto nominatim appellarent. Qua re perturbata civitate, Apphianus, suis insciis, atque adeò etiam cohorte Præsidis imprudente, fidenti animo ad Urbanum jam sacrificantem accessit, atque audacter manu ejus prehensa monuit, ne tali contaminare se sacrificio vellet; neque enim rectum esse, uno & vero Deo relicto, pluribus idolis, & dæmonibus immolare. Quo voce audita à Præsidis stipatoribus statim correptus, atque infinitis plagis multatus in carcerem est conjectus, in quo diem, noctemque pedibus inter se in compedibus longè distractis permansit, postridie ad Judicem ducto, & sacrificare jusso, cùm abnuisset, carnifices latera usque ad ossa, & intima viscera in equuleo lacerarunt, & os, cervicem verberibus afflixerunt, itaut tumescente jam ore à familiaribus non agnosceretur; cùm autem ne ita quidem cederet, ex mandato Præsidis pedes lino oleo tincto implicuerunt, eoque incenso torruerunt, ardore per carnes usque ad medullas ossium pervadente, verùm ne ita quidem victus in vincula redigitur. Post triduum verò cùm in eadem confessione persisteret, jam semiustulatus in præceps est datus. Ecce autem tanta repente tempestas exorta, tantaque rerum perturbatio consequuta, ut urbs maris*

im-

impetu ac violentia quateretur. Mare autem sacrum Martyris pondus sustinere non valens, ipsum ante portas urbis ejecit. Hæc IV. Nonas Aprilis Cæsareæ in die Parasceves evenerunt, teste Eusebio, quo eodem die Ædesius Apphiani frater, qui se socium ei in aggrediendo judice exhibuerat, parem exitum est adeptus. Per eosdem dies Tyri Ulpianus quoque adolescens post acerbissimas plagas in corium bubulum cum aspide & cane insutus, in mare præcipitatus est. Idem etiam Galerius præcipuè se intulit in eos, qui in Palatio versabantur. Itaque Philemærus Nicomediensis, qui à Diocletiano captus, illum acerrimè de iis, quæ in Christianos moliebatur, increpuerat, ac verberatus, & in fornacem conjectus salvus evaserat, & propterea à Diocletiano virtutis admiratione dimissus fuerat, iterum à Galerio capitur, & multis in tormentis miraculis editis, multos ad credendum adducit, quibus aut gladio, aut igne confectis, ad extremum & ipse quoque XIV. Kal. Junii gladio perit. Hæc tam nefanda in Oriente Galerius. In Italia quoque insignia hoc anno aliquot martyria contigerunt. Ut Romæ Agnetis, & in Campania Januarii, ac Sociorum. quippe Agnetem virginem tredecim annos agentem Symphronii Præfecti Urbis filius à ludo forte redeuntem aspexit, ac liberali specie captus amare usque adeò perditè cœpit, ut postquam pellicere donis non potuit, repulsæ, dolorisque impatiens in ægritudinem lapsus sit. Quod ubi ex Medicis Pater cognovit, animi anxius puellam nobili loco natam à parentibus in matrimonium filio postulavit; cui, annuentibus illis, virgo respondit: *conditionem tuam accipere nequeo, quia alteri multo præstantiori desponsa sum*; exquenit inde Præfecto, quis ille se præstantior esset. *Christus est*, inquit, *cui ego virginitatem meam jam inde ab infantia firmo animi proposito destinavi*; hoc autem postquam Symphronius audiit, primò variè tenerum puellæ pectus minas blanditiis alternatim intermiscendo versavit, deinde ut nihil se proficere sensit: *Si castimonia adeo tibi cordi est*, inquit, *Vestæ nostræ, quæ castitatis est præses, operam nava dea*, atque illam mox Vestæ obloquentem, jam infensior factus, vestibus spoliavit, atque in Lupanar contumeliæ causâ conjecit; verùm statim Angelus Dei locum illum lumine splendidissimo illustravit, ac stolam ei candidissimam, quam indueret, obtulit. Inde juvenis amator libidine inflammatus cum petulantium globo juvenum sacræ pudicitiæ insultaturus advênit, verùm ad vota virginis, antequam impuras manus inferret, ad pedes ejus exanimis concidit. Clamantibus autem omnibus, hæc omnia magicis, quibus virgo dedita esset, fraudibus esse facta, Symphronius dolore ardens accurrit, atque Agnetem, ut filium suum eadem virtute, qua extinxerat, in vitam revocaret, oravit. Quod illa statim divino numine imploraso perfecit. Juvene autem falsa esse Deorum numina conclamante, Symphronius attonitus virginem absolvere studuit, verùm quòd infestum resistentium Pontificum judicium extimesceret, quæstionem Aspasio urbis Vicario delegavit. Ille autem primò puellam in ignem conjecit, deinde, ut recedere ab ejus corpore flammas, & repentè extingui incendium vidit, quòd populi acerbè virgini allatrantis tumultum sustinere non posset, XII. Kal. Februarii gladio jugulari præcepit. Corpus ejus parentes in prædio suo non longè ab urbe viâ Nomentanâ sepulturæ mandarunt, ad quod cùm ingens concursus Fidelium fieret, Gentiles dolore æstuantes eorum repentino facto impetu dissiparunt, ac, cæteris fugam arripientibus, Emerentianam virginem, Agnetis collactaneam, quæ animo imperterrito sola restiterat, post biduum adepti, lapidibus obruerunt. V. autem Kal. parentibus ibi assiduè pernoctantibus Agnes ingenti virginum choro septa se obtulit, atque ita dixit: *Cavete, ne me tanquam mortuam lugeatis; ego enim in Cælo ei juncta sum, cujus studio in terris posita deflagravi.* Hæc S. Ambrosius in veteribus monumentis se reperisse testatus est. S. autem Augustinus hoc in Persecutione accidisse adjunxit Sermone LIII.: *Cogitate*, inquit, *Persecutionis tempore non solam Agnetem fuisse coronatam virginem, sed etiam Crispinam mulierem, & fortè quod non dubitatur, aliqui tunc de continentibus defecerunt, & multæ de conjugatis pugnaverunt, atque vicerunt.* S. autem Crispinam in Africa Anullino Proconsule passam, paulò ante retulimus. Constantio etiam, & Maximiano AA. Coss. V., qui Consulatus huic anno respondet, Miseni in Campania Sosius Diaconus præsente Januario Episcopo Beneventano, cùm Evangelium recitaret, flammam a vertice fundere visus est. Quod ut Januarius vidit, martyrem eum futurum esse pronunciavit. Vaticinium autem ejus proximus comprobavit eventus, nam paucos post dies Sosius ex edicto Imperatorum a Dracontio Judice capitur, atque in custodiam datur. Qua re cognita Januarius hominem confirmaturus ad carcerem cum Festo Diacono, & Desiderio Lectore perrexit, ac de Commentariensi quærere instituit, cur tandem hominem innoxium cohiberet? Quare subitò cum Clericis suis captus, quòd jussum sacrificium detrectaret, Puteolos mittitur. Ibi verò Timotheus Præfectus ipsum in fornacem ardentem immisit, illæso nervos pedum succidendos mandavit, ac mox bestiis obtulit; ad extremum verò, ubi conatus suos ludibrio esse vidit, sententiam in omnes capitalem pronunciavit. Cùm autem martyres ad supplicium ducerentur, Proculus, Eutychius, Acutiusque Diaconi percontati satellites sunt, quodnam illi flagitium commisissent, ut in eos animadverterent? Qua voce missa, & ipsi repentè correpti cum cæteris obtruncati sunt XIII. Kalen. Octobris; eos verò quatriduo post Sosius est consequutus. Hæc ex vetere eorum Passione, Beda, Ado, & Usuardus. In Gallia contra, Hispania, atque Britannia plena omnia pacis, & tranquillitatis fuerunt. Etenim Constantius, ut quemque maximè apud se excellere Christiana pietate cognovit, ita amplissimis eum honoribus extulit. Itaque experiendæ illorum fidei gratiâ, quodam die optione omnibus data hanc tulit conditionem, ut aut imme-

A. Chr. CCCV.

molando integram potestatem præstandæ sibi operæ retinerent, aut, si sacrificare abnuerent, consuetudine, congressuque suo recederent. Cùm autem alii tuendæ illius gratiæ causâ se sacrificaturos dixissent, alii in pristina Christi colendi sententia permansissent, illos tamquam Dei sui proditores gravissima oratione increpuit, hos ob sinceram constantamque erga eumdem voluntatem eximiè collaudavit, atque illis amandatis, qui ne sibi quidem præstituri fidem essent, quam Deo fefellissent, hos regni sui custodes constituit. Quin etiam, ut idem addit Eusebius, inanem multorum Deorum superstitionem destituit, ac Deum unum omnium rerum mo- (B) deratorem sibi colendum suscepit, neque propter religionem alicui negotium facessivit, ac propterea reliquum vitæ beatissimè is egit. Ex quo factum est, ut hæ provinciæ non solùm posthac clades Persecutionis non senserint, sed etiam in maxima felicitata Constantio Imperante versatæ sint. Eodem anno Mensurius Carthaginis Episcopus vita functus est. Clerus autem, ut in ejusmodi tempore licuit, unà cum populo novo Episcopo creando convênit, & Cœcilianum Diaconum, qui Codices Sacros tradidisse, & victum Donatistis in carcere positis interdixisse ferebatur, suble- (C) git, atque ipsum per Felicem Aptungensem Episcopum, qui & ipse traditionis insimulabatur, consecravit. Quod adeò molestè Donatistæ tulerunt, ut & ipsi convocati Majorinum ex suo corpore designarint, atque apertè se ab Ecclesia Catholica segregarint, atque Altare contra Altare erexerint, omnesque inde opes, & concilia sua ad Cœcilianum subvertendum contulerint. Itaque Secundus Tisigitanus Episcopus, quem Numidiæ primatem gessisse supra commemoravimus, Carthaginem profectus III. Nonas Martias Concilium septuaginta Episcoporum habuit, atque ex eorum sententia Cœcilianum vitio factum Episcopum statuit, atque om- (D) nino absentem condemnavit, quòd ad se venire noluisset, tamquam à traditoribus ordinatus, & quòd cùm esset Diaconus victum afferri Martyribus in custodia constitutis prohibuisset, parum memor, se alio Concilio eos ipsos, qui sacros codices tradidissent, Deo judicandos reliquisse, atque ipsi quoque idem crimen objectum esse. Hæc ex Breviculis S. Augustini, & epistolâ centesima secundâ.

CCCVI. Postero anno Galerius in Italiam ex Illyrico reversus, XI. Kal. Martias duos Sororum suarum filios Cæsares cooptavit, Severum, & Maximinum cognomento Jovium, atque Severo Italiam & Africam, (E) Maximino Asiam in Ægypto commisit, ipse sibi utrumque Illyricum reservavit, in quibus Dalmatiæ, Pannoniæ, Mœsiæ, Græciæ, Macedoniæ, Thraciæque continebantur. Ita Persecutio in omnibus Provinciis Galerio, & Maximino subjectis continuata est. Ac Maximinus quidem ita se gessit, ut Diocletiano, & Galerio quoque multo atrocior, atque immanior fuerit; scripsit hoc S. Gregorius Nazianzenus in prima contra Julianum: *Diocletianus primus Christianos vexavit, Maximianus illum excepit, & superavit. Maximinus utro-*

(A) *que posterior, ac superior Persecutor fuit, cujus signa plagæ ob eam rem acceptæ, imagines, & statuæ ferunt, publicè adhuc prostantes, fœdique corporis mutilationem infamiâ sempiternâ notantes.* Scribit ibidem Eusebius, ubi generatim de Maximini Persecutione agit: *Hic magicis artibus eruditos præcipuè coluit, quòd homo timidus & vanæ superstitioni deditus esset, nec sine divinationibus, atque oraculis aliquid moliri auderet, quam ob causam acerbiorem, quàm quisquam alius, contra Christianos Persecutionem exercuit. Igitur Simulacra Deorum erigi, & templa restitui, idolorum Sacerdotes refici jussit, in fortunis subjectorum invasit, vino* (B) *madidus multa propè furiosè imperavit, quorum post sobrium valde pœnituit; crapulæ mirificè studuit, ac magistratus, & milites suos ita quoque instituit; nullam Civitatem præteriit, in qua non libidinis suæ vestigia impressa reliquerit, atque hæc quidem passim adversùs omnes exercuit. Præcipuè verò Christianos, igne, ferro, clavis, bestiis, submersionibus, mutilationibus, distensionibus, fame, metallis, & vinculis afflictavit, quæ omnia illi pro Christo perpeti, quàm imperatum simulachris cultum tribuere maluerunt, quin etiam mulieres, quas ille libidinis causâ variè pertentavit, virtutem, ac fortitudinem præstiterunt, omnia crucia-* (C) *tuum, distensionum, & suppliciorum genera potiùs subeuntes, quàm jacturam pudicitiæ facientes.* Inde in Appendice ita scribit: *Quarto anno Persecutionis XII. Kal. Decembris Cæsareæ, cùm Maximinus Imperator ludos natali suo magno apparatu ederet, in medium producitur Agapius, quem unà cum Thecla bestiis oblatum supra diximus. Hic aliàs inter facinerosos productus, partes egregiè suas egerat, atque ad nova semper dilatus certamina fuerat, nunc verò præsente Imperatore productus cum quodam, qui Domino suo manus attulisse arguebatur, postquam desistere sententiâ noluit, urso oblatus est, & cùm vim ejus evasisset, postridie la-* (D) *pidibus ad pedes appensis in mari submersus est; homicidæ verò illi misericordiâ Imperatoris, tamquam Barabbæ latroni, venia data.* Hæc in Oriente à Maximino gesta narravit Eusebius. Quoniam autem Galerius Maximianus per hos annos Thessalonicæ in Macedonia fuit, propterea omnia martyria, quæ Maximiano Thessalonicæ agente dicuntur esse sucepta, huc referenda videntur, de quibus in Græco martyrologio hoc ordine agitur. Maximiano Basilicas Thessalonicæ ædificante Domninus pietate præstans capitur, & ad eum adducitur, ad quem ille: *Quomodo me hic præsente Christianum te audes asserere, &* (E) *Deos aversans Deum alium confiteri? Sacrifica illis, si vivere vis.* Cui ille: *Ego unum Deum agnosco, colo, & adoro; Deos autem falsos omnes Christiani contemnere debent.* Quare mandavit satellitibus, ut corpus ejus flagellis cæderent, ubi verò constantem in Fide vidit, extra urbem educto crura perfringi jussit, atque ita contritus septem dies sustinuit, & Kal. Octobris expiravit. Idem Maximianus Thessalonicæ positus, ubi de pietata cujusdam Demetrii audivit, captum, & tormentis affectum in custodiam dedit; cùm autem Circenses ludos ederet, gloriatus est se habere pugilem,

A. Chr. CCCVI.

CCCVI. gilem, nomine Lyæum adeò validum, ut nemo repetiretur, qui ex æquo contendera cum illo auderet, quòd omnes sterneret; itaque dixit, *si quis vult, pugnet, Lyæum superet*. Quod ubi Nestor adolescans Christianus audivit, Demetrium de capessenda cum illo pugna consuluit, atqua illo ad frangendam Gantilium insolentiam, ut facaret admonente, congrassus hominem interemit. Maximianus autem postquam Lyæum consilio, atqua ope Demasrii à Nestore interemptum audiit, ipsum occidi præcepit. Quare à militibus in carcere contis trajectus, unà cum Nestore periit VII. Kal. Novembris. Alexander autam captus cùm immolare cogeratur, abnuens, astantem sacrificiorum mensam pede impulit, eâqua subversâ, sacrificia effudit. Itaqua iratus Maximianus edixit, ut gladio feriretur. Cùm autem spiculator stricto gladio consternatus staret, Princeps dixit: *Quid moraris?* At ille: *visionem*, inquit, *contemplor, & attonitus hæreo*; ubi verò Alexander oravit, à spiculatore percussus est. Vidit autem Imperator quatuor Angelos animam Martyris deferentes, quare Christianis petentibus reliquias ejus in urbe Thassalonica sepeliendas haud gravatè concessit V. Idus Novembris. Hæc in Oriente. Romæ verò XII. Kal. Julias jubente Severo martyrium de Timotheo sumptum est. Hic superiore anno Antiochiâ profectus, Sylvestri, qui postea Romanæ Ecclesiæ præfuit, hospitio usus est. Cùm autem Christum in urbe prædicaret, ac multos ad eum traduceret, vahementiùs in se oculos ragiorum Ministrorum convertit. Itaque in custodiam traditus, capitali supplicio est affectus. Cadaver ejus, licèt observatum ne sepulturæ committeretur, Sylvester Presbyter noctis silentio sustulit, ac domum occultè deportavit. Interim Constantius ex Gallia in Britanniam contra Pictos, Caledonasqua moventes trajecit. Constantinus autem filius ejus ex Helena uxore, ut sentit Eusebius, (concubinam etiam quidam tradidere) susceptus, qui obses apud Galerium erat, insidias ejus veritus, summa celeritate ad patrem se retulit, atque eâ horâ ad illum accessit, qua ille morbi magnitudina victus non longâ à morte abetat. Itaqua testamento patris, & populorum voluntate Imperium Galliæ, Hispaniæ, Britanniæque mortuo patre suscapit, atqua axemplo ejus primùm eximiam erga se provincialium voluntatem promereri singulari justitia, comitateque præstanda contendit, deinde Christianum neminem violari permisit, sed liberam omnibus Sacrorum, cæremoniarumque potestatem impertiit. Constantium mortuum, & Constantinum à patre, atqua ab exercitu Imperatorem substitutum, ubi fama primùm, deinde etiam imago ejus ad urbem de more missa in Italiam detulit, maximus extemplo Romæ tumultus, Severo Cæsare Mediolani agense, est concitus. Maxentius quippe Maximiani quondam Augusti filius, in Cæsara cooptando à patre præteritus in villa publica sexto ab urbe lapide privatus itinare Lavicano degebat. Hic irâ incensus, quòd Constantinus aut injusto, aut certè humili matrimonio natus ad Imperium avasisset, ipse verò summi Imperatoris filius unà cum illo privatus in ocio consenesceret, statim ut hoc audivit, de vindicando sibi Imperio cogitavit. Quare milites Prætorianos, in quorum potestate jam inde ab Augusto imperante urbs erat per Marcellum & Marcellianum Tribunos militum ingentibus promissis ad se traducit, atque eorum auxilio Urbem ingressus, Abellio Urbis Vicario, qui se conatis ejus objiciebat, occiso, Augustus appellatus VIII. Kal. Octobris Imperium atripit. Benignè autam civitata receptus ad firmandas opes primùm se æquum ita universis exhibuit, ut salutaria atiam Christianis edicta ediderit, atque eos literis atiam suis rectoribus commendarit. Quinto inde anno Persecutionis IV. Nonas Aprilis, ut pergit Eusebius, in ipso die Resurrectionis Theodosia virgo Tyria nondum XVIII. annos nata Cæsareæ Palæstinæ ad Confessores quosdam vinctos ania Tribunal consistentes accessit, sive ut eos salvere juberet, siva ut apud Deum sibi propitiaret. Quo facto statim capta ad Urbanum Præsidem ducitur, qui latera, mammasqua usqua ad ossa ipsa discerpsit, deinde hilari animo omnia perferentem in mara projecit, reliquis Confessoribus ad metalla damnatis. Nonis inde Novembris Silvanum, qui Presbyter egregie confessus Dominum fuerat, jam Episcopi dignitatem adeptum martyrio affecit. Quin etiam alios Confessores, ubi pedum flaxus, & commissuras ferreis candentibus instrumentis debilitavit, ad supplicium amandavit, inter quos Maximom, & Paphnutium refert Sozomenus. Domninum verò propter libatas da teligione voces incendio addixit, inde tres illorum ad singularem pugillatum destinavit. Auxentium ætare, & prudentia gravem ad bestias, alios, exemptis testibus, eunuchos factos ad metalla damnavit; cætaros vinculis coërcuit, inter quos fuit Pamphilius Presbyter vir præstantissimus, à quo Eusebius ipsa hujus historiæ auctor unicus ajus amicus Eusebius Pamphili dictus est. Quem ut Sacrificium respuentem Urbanus vidit, asperioribus tormentis, & præcipuè frequenti laceratione laterum cruciavit, ac frustra conatus in carcerem inter cæteros Confessores redegit. Neque ita multo post ipse dignitate à Maximino spoliatus, ac post etiam morti addictus Firmilianum successorem accepit. Hæc ille à Maximino acta notavit. In eumdem etiam annum referri possa videtur martyrium Evilasii, & Faustæ, de quo ita in Græco Martyrologio: *Cyzicum Evilasius à Maximiano missus, cùm esset Palatii primus, Faustam Christianam virginem decalvavit, & ad turpitudinem rasit, deinde suspensam torsit* (quo tempore coruscatio da cœlo multos ministrorum perculit) *tum in loculos missam quasi lignum mediam secuit. Serris autem nihil nocentibus stupens Christo credidit, & ab ea Fidei rationem accepit. Quod ubi Imperator cognovit, misit Præfectum alterum Maximinum, qui eum item suspensum acriter torsit, inde post bestiis incassum immissas, Faustam nudam sartagini cæcidit, caput terebravit, & oculos pupugit, nec solum caput, & faciem, sed*

CCCVII.

etiam

CCCVII. *etiam pectus, & totum corpus usque ad tibias clavis tamquam crepidam aliquam fixit; post hæc sartaginem accendit, sed & hæc illa psallente refrixit. Inter hæc veniens vox de cœlo vocavit eos, & sic spiritum tradiderunt.* Erat autem Fausta annorum tredecim, & Evilasius octoginta; Maximinus autem Præfectus admirandis signis permotus, cùm credidisset, in sartaginem se immisit, & cum eis martyrium subiit VIII. Idus Februarias, teste Simenne, nam Beda in XII. Kal. Octobris conjecit. In Occidente verò Severus Cæsar Romam occupatam à Maxentio audiens, eò exercitum duxit, atque adjuvante Maximiano Herculio, qui ocio relicto Augustalia ornamenta receperat, urbem, sed frustra, oppugnavit, atque inde ad Tres-tabernas à Maximiano per dolum Aprili mense extinctus interiit. Quod ubi Galerius accepit, statim ex Illyrico adversùs Maxentium venit, sed multo celeriùs copiarum suarum exiguitate perspecta revertit. Maximianus deinde Maxentium delere filium moliens, ab exercitu destitutus deposuit purpuram. Interim Constantinus in Gallia cum Francis irrumpere conantibus rem prosperè gessit, ac Maximianum Herculium ad se venientem benignè excepit, & sponsalia cum ejus filia Fausta celebravit. Urbe autem Roma pacata, Marcellus Pontifex cùm multos ultro ad Baptismum, & pœnitentiam se conferre videret, Titulorum in Urbe numerum auxit. Hos Titulos Evaristus Pontifex septem in Urbe instituerat, eosque singulis Presbyteris distribuerat, ut in sua quisque æde Sacra faceret, & populum erudiret. Marcellus autem, ut consuleret religioni eorum, qui Baptismum frequentes poscebant, Titulos ad numerum quindecim redegit, eosque quasi Diœceses quasdam esse constituit. Quin etiam Priscillæ & Lucillæ Matronis locupletibus auctor fuit, ut una cœmeterium suis pecuniis viâ Salariâ conderet, & altera bonorum suorum hæredem Ecclesiam institueret, ea de causa ambarum inde nomen inter Christianos in

CCCVIII claruit. Anno sexto Persecutionis, hæc inde gesta à Maximino sunt, teste Eusebio. In loco quodam Thebaidis, Porphyrita appellato, plurimi Confessores ad novum Præsidem Firmilianum adducti sunt, quibus in proposito persistentibus, ille ex sententia Imperatoris præcepit, ut lævorum pedum commissuræ candenti ferro cum ipsis nervis adurerentur, & oculi dextri eruerentur, atque eodem modo radices eorum inurerentur, tum ad metalla damnavit. Garæ etiam capti iisdem tormentis affecti sunt, lateribus crudeliter laniatis, ex quibus mulier una cum stupri minas ferre non posset, & contra Principem liberas voces misisset, primùm verberibus cæsa, deinde in equuleo lacerata est. Quam crudelitatem cùm altera Cæsariensis ferre nequiret, in Judicem invehi acriùs cœpit. Itaque statim correpta est. Cùm autem Sacrificium facere detrectans altari admota esset, ipsa pedibus in aram ruens, omnia, quæ in ea erant, cum ipsa lignorum strue disjecit. Quare Judex lateribus ejus acerbiùs, quàm cujusquam antea, laniatis, utramque flammis addixit. Eodem temporis intervallo Paullus morti adjudicatus, cùm esset lictoris impetum subiturus, paullum sibi ad verba facienda temporis postulavit, & cùm Deum pro Christianis, Gentilibus, pro Judice, Imperatore, atque ipso demum carnifice implorasset, gladio cervicem nudam objiciens VIII. Kal. Augusti fortiter martyrium subiit. Inde in Ægypto centum & triginta Confessores ex ejusdem Imperatoris præcepto pariter oculis pedibusque multati, atque eorum nonnulli in Palæstinam, alii in Ciliciam ad metalla damnati. Cessavit inde aliquantisper Persequutio. Post aliquot menses literæ à Maximino in omnes provincias dimissæ sunt, ut Præsides, & Magister militum mandarent singulis Civitatum curatoribus, ut edictum Imperatoris exequi maturarent, & idolorum delubra eversa reficerent, & cuncti immolarent, & immolata gustarent, & cibaria venalia libationibus Sacrificiorum aspergerent, & qui loti in balneis fuissent, sese victimis inquinarent. Quibus de rebus Fidelibus pavor, & consternatio ingens injecti, infidelibus verò cura, ac molestia aliqua, ut quos jam ejusmodi spectaculorum tædere cœpisset. Multis autem ultro se offerentibus, tres uno consensu ad immolantem Præsidem adierunt, & clara voce, ut tali desisteret errore, hortati sunt; neque enim alium esse Deum, præter eum, qui rerum omnium esset opifex; quare protinus capite à Firmiliano multati sunt. Nomina eorum fuerunt: Antoninus Presbyter, Zebinus Eleutheropolitanus, & Germanus. Hæc Idibus Novembris acta sunt. Eodem die virgo quædam Eunthas nomine ex urbe Scythopoli orta cum Martyribus ad Judicem tracta est; propterea post verbera, & sævos cruciatus Tribunus, numine Mavis, sine auctoritate majoris potestatis eam aggressus usque ad lumbos nudavit, & per urbem Cæsaream circumduxit, ac loris cæcidit, demum à Judice igni addicta est. His tantis malis illud quoque immanitatis Firmilianus adjecit, quòd Corpora Sanctorum insepulta projecit, custodibus appositis, ne furto surrepta sepelirentur. Quare aves, & feræ corpora humana depastæ sunt, & visceribus atque ossibus hominum brevi tota constrata urbs fuit, infidelibus hanc etiam impietatem aversantibus, atque horrentibus. Cùm autem per multos dies hæc agerentur, repentè sereno, & tranquillo cœlo columnæ, quæ publicas urbis porticus fulciebant, multas lacrymarum guttas fuderunt; plateæ quoque, nulla decidente pluvia, aspersæ aquâ maduerunt, ex quo intellectum, lapides quoque scelera ejus temporis, & Martyrum calamitates deflere. XIX. Kal. Januarias viri quidam pii Cæsaream ex Ægypto proficiscentes, ut Confessoribus medicinam afferrent, Ascalone ab iis, qui portas asservabant, arrepti sunt, ex quibus quidam oculis, pedibusque debilitati, Ares autem in ignem illatus fuit. Promo, & Heliæ capita præcisa sunt. Hæc in sextum annum Persequutionis in Oriente acta conjecit Eusebius. In Occidente autem quietis Ecclesiæ rebus, Maxentius Africam, quam post Severi necem Alexander tyrannus invaserat, sibi vindicavit,

&

& Romæ de Alexandro, atque Africa triumphavit. Sequens annus fuit Persequutionis septimus, qui bis martyriis in Oriente, teste Eusebio, fuit insignitus. IV. Idus Januarias, Petrus, qui & Apsilaous dicebatur, in finibus Eleutheropolis natus à Judice, & assessoribus, ut sibi, atque ætati suæ parceret, sed frustra, rogatus, Cæsareæ igni cum Æsculapio Episcopo Marcionita traditus è vita migravit. Duodecim inde cum Pamphilo mortem oppetierunt. Valens Æliæ Civitatis Diaconus, qui Sacram Scripturam memoriter pronunciabat. Paullus ex Civitate Jamnitarum. His in carcere toto biennio commorantibus facta martyrii dilatio fuerat, quibus Ægyptii fratres quinque adjuncti sunt. Hi Confessores Cilicas ad metalla prosequuti cùm domum reperterent, similiter ad portas Cæsareæ à custodibus capti, atque ad Tyrannum deducti, cùm coram Christum confessi essent, protinus in carcerem detruduntur, ac postridie, idest XIV. Kal. Martii, cum Pamphilo, & reliquis ejus Sociis ex mandato ad Judicem deducuntur. Firmilianus autem Ægyptios aggressus, primùm nomina, deinde Patriam eorum est percontatus; illi pro veris nominibus nomina Prophetarum, & pro vera patria Hierosolymam ediderunt: miratus ille, ubinam terrarum ea sit, rogitat; respondens, piorum patriam esse ad Orientem sitam; postquam autem adolescentem verberibus laniatum constantem ea, quæ dixit, tuentem vidit, ad extremum, ut securi ferirentur, edixit. Inde cæteri paribus certaminibus agitati eodem genere mortis affecti sunt. Inde ad Pamphilum & socios venit, atque in eum, quia parem cum prioribus constantiam attulit, simile quoque supplicium statuit. Quam sententiam ubi famulus ejus Porphirius exaudivit, è media hominum turba exclamavit, postulans, ut post corpora eorum sibi humare liceret. Qua re animadversa Judex eum tortoribus tradidit, ac corpus usque ad intimos viscerum secessus excarnificavit; ut autem exanimato corpore vocem eum nullam mittere vidit, confestim lento igne adussit, atque ita ille ante Pamphilum, & ejus socios expiravit, quòd qui eos torquebant, lentius se gerebant. Cùm autem Seleucius Porphirii martyrium Pamphilo nunciasset, ad Præsidem deductus, capite plexus est. Theodolum autem ex Firmiliani familia Seleuci vestigia persecutum cruci Firmilianus addixit. Duodecimus inde accessit Julianus, qui cùm ex via ad Martyres visendos venisset, humi jacentia Sanctorum corpora conspicatus, complexus singula salutavit; quare proreptus, lento vapore à Firmiliano est ustus. Hæc corpora quatriduo insepulta, ut à feris devorarentur, servata; ubi verò nulla neque avis, neque fera accessit, rursus illæsa sepulturæ commissa sunt. Interim Hadrianus, & Eubulus ad reliquos Confessores visendos euntes ad portas Cæsareæ capiuntur, atque post laniata latera, ad bestias à Firmiliano damnantur. Quare post biduum III. Nonas Martii in festo fortunæ Cæsariensium, Adrianus leoni objicitur, atque ubi furorem ejus evasit, gladio jugulatur. Nonis verò

A Martiis Eubulus martyrio functus omnis Cæsareæ martyria suo sanguine ultimus obsignavit; postquam ipse quoque Præses Firmilianus pœnas crudelitati suæ debitas luit, gladio ab Imperatore percussus. Per hos dies duæ hereses admodum inter se, & causis, & opinionibus similes eruperunt, quæ Ecclesiam per se ægram, & vi Persequutionis oppressam, multo graviùs afflixerunt, Meletianorum, & Donatistarum. Has autem ambas Episcopi & Presbyteri, qui in carceribus tenebantur, de Lapsis discrepantes, inter se intulerunt, illam Alexandriæ, hanc verò Carthagine. De Meletianis sic scribit Epiphanius: *Meletius*

B *Thebaidis Episcopus tempore Persequutionis unà cum Petro Episcopo Alexandriæ, atque aliis Confessoribus, & Martyribus captus est ab iis, qui Alexandriæ, & Ægypto præsidebant, quorum alter Hierocles, alter Culcianus dicebatur; eminebat autem inter cæteros Episcopos Ægypti, ut qui secundum post Petrum locum sub eo Ecclesiastica curans teneret; nam Alexandriæ Episcopus totius Ægypti sacram habet administrationem. Factum est autem ut ex captis, alii martyrii gloriam assecuti sint, alii propter imbecillitatem manus dederint, ac Sacrificium coacti obtulerint, ex quibus multi ad Confessores in custodia positos milites, Clericique venerunt, & mise-*

C *ricordiam per pœnitentiam obtinuerunt. Tum verò magna inter Confessores concertatio extitit; nam Meletius Lapsos nequaquam ad pœnitentiam admittendos censuit, ne venia illis data cæteris viam ad prævaricandum muniret; verùm tum demum in communionem recipiendos, cùm pacem Ecclesia recepisset, si modò fructus verà pœnitentià dignos tulissent. Petrus autem contra, qui pœnitentià capti veniam implorarent, prima quoque tempore recipiendos esse dixit, ne ejusmodi homines desperatione debilitati, prorsus à Diabolo everterentur; scriptum enim esse, claudum non deturbari, sed sublevari debere. Quare cùm uterque sentire, quod re-*

D *ctum esset, videretur, facta est inter eos summa animorum distractio. Quod ubi vidit Petrus, Codicem loco vexilli in medio carcere sustulit, ac clara voce, qui mecum sentiunt, inquit, ad me accedant: qui cum Meletio, ad illum se conferant. Itaque major pars ad Meletium secessit, Episcopi, Presbyteri, Monachi, aliorumque ordinum viri, inde in posterum utrique preces seorsum fecerunt, sacrisque aliis servierunt.* De Donatistis autem sic scriptum est in actis Passionis SS. Saturnini, & Dativi, de quibus ante diximus: *Ad eos Martyres, qui in carcere jam pridem rapti tenebantur, quod adduci non possent, ut Christo renunciarent,*

E *accessere quoque Confessores Episcopi, Presbyteri, Diaconi, cæterique Clerici, qui collectam Dominicam celebraverant, quique Scripturas Divinas ab incendio conservantes se ipsos diris tormentis obtulerant. Hi Concilio inter se acto decretum in eos, qui sacra Scripta tradiderant, tale fecerunt: „ Si „ quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in Regnis cœlestibus non habebis; scriptum est enim in Apocalypsi: „ Quicumque adjecerit ad librum istum „ apicem unum aut literam unam, adjiciat „ illi Deus innumerabiles plagas, & quicumque deleverit, deleat partem ejus Do- „ mi-*

„ *minus de libro vitæ. Si ergo additus apex unus, aut litera una dempta de libro Sancto radicitus amputat, & sacrilegum facit, & subvertit auctorem, necesse est, omnes eos, qui testamenta divina, legesque venerandas omnipotentis Dei, & Domini nostri Jesu Christi ignibus tradiderunt exurendas, æternis gehennæ ardoribus inextinguibili igne torreri. Mensurius verò Carthaginis Episcopus, ut audivit decretum alienum à pietate Catholica factum, quæ pœnitentibus omnibus aditum ad consequendam veniam aperit, ad eos emendandos, qui sine auctoritate sua statuerant, victum dari prohibuit, in eaque re Cæciliani Diaconi, qui post eum Episcopatum obtinuit, usus opera est.* Hunc verò Donanistæ unà cum Cæciliano unum ex Sacrorum Librorum traditoribus fuisse insimularunt. Quod ex Breviculis S. Augustini percipitur: *Hac de causa Donaristæ factum esse queruntur, ut Mensurio de acerbitate sua non remittente, & Anulino Proconsule, cæterisque persecutoribus aliis negotiis occupatis multi vitam amiserint.* Harum verò rerum auctorem fuisse Donatum quemdam domo Numidam à Casisnigris idem S. Augustinus scriptum reliquit. Dogma verò ejus fuit, Filium Patre minorem, & Filio Spiritum Sanctum esse; verùm in eo non valde perstitit, neque propterea celebratus fuit, verùm quod Lapsos omnes ad se transeuntes novo baptismate tinxit cum Novatianis sine dubio sentiens, qui hæreticos rebaptizandos esse censuerant, quorum magna quondam in Africa certamina fuerant, nec dum prorsus elanguerant. In Occidente verò Maxentius secundis rebus elatus mores mutare, ac sævam tyrannidem Romæ, atque in Africa exercere, in primisque Christianos lacerare instituit. Quare ne Marcello quidem Urbis Episcopo, Sanctissimo Viro pepercit. Hunc enim in ordinanda Ecclesia occupatum cùm comprehendisset, Pontificatu se abdicare, & Gentiliciis Sacrificiis se dedere jussit, ac mox præcepta sua irridentem, in catabolum dedidit. Marcellus autem tantam constantiam adhibuit, ut in pistrini quoque servitute assiduis precibus Deum placare, atque urbis Parœcias literis visitare perstiterit. Itaque XVI Kal. Februarias epistolam quoque super hac re ad Maxentium scripsit, Maxentio, & Maximo Coss. datam. Constantinus autem Maximianum Socerum insidias sibi parantem Massiliæ cepit, eumque, ut

CCCX. debuit, strangulavit. Octavo inde anno, qui fuit à Christo CCCX. excitato, ut inquit Eusebius, inter Maximinum Cæsarem, & Maxentium gravissimo bello, Persequutio ipsa aliqua ex parte refrixit. Eo tempore magnus Confessorum numerus ad metalla in Palæstina coactus magna libertate omnibus religionis ritibus, Ecclesiis in domibus conditis, fungebatur. Quare Præfectus Provinciæ eò progressus, re cognita, Imperatorem admonuit, qui eos inter se distraxit, aliis in Cyprum, aliis in Lybanum, aliis in diversa Palæstinæ loca traductis, & diversis laboribus fatigatis, deinde quatuor ex iis selecti, quorum duo Ægyptiorum Episcopi, Peleus, & Nilus appellabantur, tertius Presbyter fuit, ad quos accessit quartus Patermythius, ad Magistrum equitum missi, quos in confessione perstantes incendio adjudicavit; alii corpore inutili præditi in locum separatum amandati, quorum princeps fuit Silvanus Gazæ Episcopus, qui à principio Persequutionis variè tortus in eum usque diem servatus fuerat, ut omnia Martyrum Palæstinæ certamina clauderet; cum eo verò conjuncti ex Ægypto erant complures, inter quos Joannes homo singulari memoria præditus, ut qui Sacros libros memoriter recitaret, qui licèt orbus esset, pupillam tamen oculi excusserunt, & pedes adusserunt: ex reliquis, Maximini mandato uno die undequadraginta capite mulctantur. Hæc per octo annos integros in Palæstina patrata martyria scribit Eusebius in Historia. In Chronicis verò, martyrium quoque Quirini Sciciæ Episcopi in eumdem annum conjecit, de quo ita scripsit Prudentius: *Quirinus Sisciæ* (urbs hæc est Pannoniæ) *Episcopus molà collo alligatá in flumen è ponte præcipitatus superstes diu aquis supernatavit, atque aspectantes Christianos allocutus, ne sui exemplo Fide deterrerentur, admonuit, ac tandem vix ut mergeretur à persecutoribus impetravit.* In Occidente verò Romæ Marcellus Pontifex nono mense per Clericos suos ex cataboli servitute silentio noctis eximitur, atque hospitio à Lucina matrona receptus, in Ædibus suis Ecclesiam dedicat, atque ibi dies, noctesque solemniter Sacris operari insistit. Quod ubi Maxentius accepit, iratus ipsum extemplo corripi jussit, ac jumenta catabuli curare eò translata coëgit, quo in opere ipse mox nudus, ac vix cilicio tectus VIII. Kal. Februarii expiravit: corpus ejus à Lucina sublatum in Cœmeterio Priscillæ sepultum est. Ædes illa in hunc usque diem S. Marcelli nomine decoratur.

EUSEBIUS PONTIFEX XXX.

Post viginti dies Eusebius homo Græcus, Episcopus substituitur, qui in Paschate puerum tinxit, atque a se Eusebium nominavit, eum, qui post Ecclesiæ Vercellensis Episcopus, & Catholicæ contra Arrianos Fidei vindex acerrimus fuit. Marcelli constantiam per eos dies imitata est mulier Christiana. Hæc cùm à ministris Maxentii ad libidinem posceretur, ubi marito metu profecto relictam se stupro, atque ignominiæ vidit, paullum temporis ad se ornandam petivit, ac cubiculum ingressa, ut pudicitiam eo, quo poterat, modo servaret, gladio sibi pectus aperuit. Eusebius Pontifex hæreticos in Urbe deprehensos per manus impositionem Ecclesiæ conciliavit. Postero CCCXI. anno, qui fuit Persequutionis nonus, Persequutio, Galerio in morbum fœdissimum lapso, prorsus extincta est; quippe ortum circa pudenda ulcus instrumenta libidinis ejus tabefecit, vermibusque ex putrefactione ejus contractis malum insanabile factum, ex quo in eum furorem adactus est, ut medicis etiam intulerit manus, tam iis, qui de salute desperaverunt, quàm qui rem aggressi promissa non præstiterunt. Denique veritum, se propter injustas Christianorum vexationes à Deo justè

CCCXI. afflígi gravius, pœnitentia subiit, atque edictum suo, & Constantini nomine edidit, ut Christianis posthac parceretur, ac templa conventusque darentur, simul orans, ut ipsi solemnes pro Imperatore preces effunderent. Inde cùm se Imperio gerendo ineptum conspiceret, Licinium Dacum, virum militaribus studiis sibi bello Persico notum, Imperii consortem adjunxit, eumque XI. Kal. Maji Carnuti Augustum appellavit. Qua re comperta, Maximinus Cæsar tanto ardore invidiæ conflagravit, ut semetipsum ultro Augustum vocaret, neque ita multo post Galerius fato concessit. His actis Maxentius quoque Persequutionem in Italia, & Africa sustulit. B

MILTIADES PONT. XXXI.

INterim Eusebius Pontifex Presbyteris tredecim, Diaconis tribus, Episcopis quatuordecim una Decembris ordinatione creatis, VI. Nonas Octobris est mortuus. Sunt qui martyrio affectum scribant, quos sanè ipsa Persequutio à Maxentio relaxata refellit: sepultus est in Cœmeterio Callisti via Appia. Post sex dies Miltiades Afer ex Presbytero suffectus est, eùm Maxentius Imperator reddi jussisset ea, quæ tempore Persequutionis ablata Ecclesiæ fuerant, Miltiades misit Diaconos C Stratonem, & Cassianum cum literis Maxentii, & Præfecti prætorii ad Præfectum Urbis, ut ea reciperent. Auctor S. Augustinus in Breviculis. Cùm autem nomina quatuor Coronatorum adhuc non essent reperta, statuit idem, ut dies eorum sub nominibus sanctorum quinque Martyrum recoleretur, Claudii, Nicostrati, Simphoriani, Castoris, & Simplicii; ex gestis eorum, & Beda. Maximinus autem, accepto Galerii & Constantini edicto, non paruit; verùm cùm apertè ei a refragari non auderet, illud occultare conatus est, atque non edicto scripto, sed verbo tantùm, ut Persequutio laxaretur, manda- D vit. Sabinus autem, qui summum apud eum Præfecturæ locum tenebat, omnibus provinciarum Maximino subjectarum Præsidibus Maximini sententiam significavit, eamque Curatoribus, Præfectisque Civitatum, & agrorum indicare præcepit. Qui omnes non aliter atque si ab Imperatore mandatum exisset, obtemperarunt, arbitrati, hanc esse voluntatem Imperatoria. Quare frequentes Christianorum conventus in Civitatibus, ut ante, fieri, Fidelibus, atque Infidelibus omnibus admirantibus, cœpit, ac qui fortiter quidem in Persequutione se gesserant, magnum virtutis suæ fructum capiebant; qui verò E tempestati cesserant, sedulò remedium errori quærebant, & à constantibus auxilium postulabant. Qui ad metalla servierunt, domum revertentes, hilares ipsi hilariter à cunctis excipiebantur, per medias vias, & plateas Deum cum hymnis, & canticis collaudantes, atque his etiam inimici gratulabantur. Verùm Maximinus vix ad sex menses hanc pacem concessit. Nam primò conventiculis, quæ in cœmeteriis fiebant, interdixit, tum per legatos ab Antiochenis petiit, ut neminem Christianum apud se pateretur, qua in re Theotecni operâ usus

A est, qui Christianis è tenebris erutis, atque occisis, simulachrum Jovis Philii adorandum prodoxit, ac magicis præstigiis, quibus excelluit, multa falsa de illo mysteria, atque oracula prodidit, quem ceteri Magistratus in Civitatibus Maximino subjectis sequuti sunt. Idque Maximinus edicto probavit. Quare in singulis Civitatibus Sacerdotes Idolorum viros præstantes creavit, commentarios præterea rerum à Pilato contra Christum actarum omni probro refertos confinxerunt, eosque ad omnes Civitates legendos miserunt, præcipientes, ut ludi magistri pueros in his sedulò exercerent, atque hoc esse arbitror, B de quo Lactantius supra scribere cœpit, cùm duos extitisse veritatis oppugnatores in Persecutione scripsit, de quorum uno cùm dixisset, inde de altero ita pergit: *Alius eamdem materiam mendaciis scripsit, qui erat tunc è numero Judicum, & qui auctor inprimis faciendæ Persequutionis fuit, quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insequutus est. Composuit enim libellos duos non contra Christianos, sed ad Christianos, ne inimicè insectari videretur, in quibus ita falsitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus est, tamquam sibi esset tota contraria; nam quædam capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeò multa, C adeò intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere? Qui Religionis, cui fuerat assensus, & Fidei, cujus nomen induerat, & Sacramenti, quod acceperat, proditor factus est, nisi fortè casu in manus ejus divinæ literæ inciderunt? Quæ igitur temeritas erit, id audere dissolvere, quod illi nemo interpretatus est? Benè quod aut nihil didicit, aut intellexit. Tantum enim abest à divinis literis repugnantiâ, quantum ille abfuit à veritate, & Fide; præcipuè tamen Paulum Petrumque laceravit, cæterosque discipulos, tamquam fallaciæ seminatores, quos eosdem D tum rudes, & indoctos fuisse testatus est. Nam quosdam eorum piscatorio officio quæstum fecisse; ipsum autem Christum affirmavit à Judæis fugatum collecta nongentorum hominum manu latrocinia fecisse.* Inde sic pergit Eusebius: *Quin etiam Magister Militum apud Damascum Phœniciæ mulieres quasdam infames è media foro arripuit, & eas fateri coegit, se Christianas fuisse, & nefandi sceleris participes extitisse, & in eorum templis, quæ Græci Dominica dicunt, res obscœnas gessisse, earumque testimonia Imperatori obtulit, eaque ejus jussu in singulis locis publicavit, neque ita multo post ipse sibi mortem conscivit. His de rebus Præ-* E *fecti provinciarum rursus Persequutionem moverunt. Itaque tres ex Emissa Phœniciæ urbe bestiis oblatè sunt, atque in primis Silvanus Civitatis Episcopus jam ætate provectus cùm annos quadraginta Ecclesiam tenuisset. Cùm autem Maximinus Nicomediam accessisset, Tribunum Alexandriam ad Petrum Urbis Episcopum virum sanctissimum, qui in carcere servabatur, interficiendum immisit. Quare Petrus jussu ejus repentè VII. Kal. Decembris est obtruncatus, & cum eo Faustus Presbyter, Didius, & Socii sexcenti sexaginta alii.* Hæc Eusebius. Meletius autem, ut addit Epiphanius, & alii

multi

multi ad metalla damnati in exilium abierunt, quem omnes ferme Confessores sequuti sunt, qui eadem cum illo de Lapsis opinione imbuti fuerunt. Itaque ille per singulas regiones transiens, constituit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Clericosque, & proprias construxit Ecclesias, neque cum dissentientibus, ne in metallis quidem communionem inivit. Qui verò Petro adhæserunt, Ecclesiam Catholicam se dixerunt; qui Meletium, Ecclesiam Martyrum prætulerunt. Inde cùm postea metallis cum cæteris liberatus Alexandriam repetisset, in primis Alexandro Episcopo, qui post Achillam proximum Petri successorem Ecclesiam illam administravit, familiarissimè usus est. Arrius autem, qui post sub Alexandro perniciosissimam de Christo hæresim suscitavit, Meletio se adjunxit, ac propterea à Petro condemnatus, ab illo ante mortem postulasse veniam dicitur, non de hæresi à se commota, ut in Vita Petri scriptum est, sed de Meletiana suscepta, ut Socrates docuit. Veniam verò ab Achilla Petri successore, teste Sozomeno, ita obtinuit, ut non solùm Diaconatum recuperarit, sed etiam Presbyteri dignitatem adeptus sit. Lucianus verò Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ, cùm coram Præfecto Urbis Apologiam pro Christi doctrina publicè recitasset, in carcerem datus, gladio jugulatus est, VII. Idus Januarias, teste post Eusebium Beda. Interim, ut idem pergit Eusebius, in mediis urbibus Orientis, non solùm Civitatum decreta, sed etiam Imperatoris rescripta adversùs Christianos in cippos incidebantur, ex quibus unum ille profert Tyri propositum, in quo Maximinus ex cultu Christi mala omnia; ex Deorum religione bona omnia in homines emanasse professus, jubet, ut Christiani longè à Tyro, prout Tyrii postulaverant, secedant, ac populum istum purum ab ejusmodi labe relinquant. Extat apud eum multis verbis expressum. His de rebus divino numine semetipsum ulciscente magnam hyeme siccitatem fœda fames, famem sævior pestilentia consequuta est, quæ sequenti anno cum alias regiones, tum Orientem præcipuè laceravit, quin etiam Maximinus bellum Armeniis intulit jam pridem cum Romanis societate conjunctis, eo tantùm nomine quòd Christum egregiè colerent, quo in bello gravem calamitatem accepit; verùm fame, ac pestilentia passim per omnes urbes grassante, ac plerasque domos exhauriente, illustris Christianorum pietas extitit, cùm alii sepeliendis projectis cadaveribus operam darent, alii coactæ in unum multitudini cibum distribuerent, ita ut soli pii, & veri Dei cultores Christiani propterea dicerentur. Neque ita multo post Maximinus, accepto Constantini, Liciniique, qui fœdus primùm, deinde affinitatem quoque inter se junxerant, atque uno animo Christianis favebant, edicto, & ipse suo quemque arbitrio religionem colere jussit. Atque ita, ut post clariùs explicabitur, decima Persequutio, quæ Diocletiani appellatur, finem accepit, quam in hos libros conjecimus, quàm distinctissimè, planissimèque potuimus; martyriis tamen nonnullis omissis, quorum certos annos assequi, vel anxiè inquirendo nequivimus, quod hæc omnia propter insignem eorum, qui talia memoriæ prodidere, in scribendo incuriam tanta sint caligine involuta, ut perspicacissimis etiam cæcitatem offundant. Neque enim satis est ad hæc digerenda, cognoscere, ea sub Diocletiano gesta fuisse, sed & certi ejus, & sociorum anni, & certa martyriorum loca, ac certi Præsides indagandi, quod ferme ab aliis in hoc genere historiarum omissum est, unde miræ in eam tenebræ sunt infusæ, ut multa alia præteream, quibus ipsæ Apocryphorum ferme auctoritatem obtinuerunt.

Huc usque Sigonius.

INDEX
RERUM, ET NOMINUM,
PRO
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
Libris XIV.

A

B

C

Cara-

D

E

Quie-

I

Ju-

L

M

N

O

P

Pe-

Q

R

S

T

V

Xer-

X

Z

F I N I S.

